




Hisp 42

Accessions 116236

Shelf No. D.121.4 vol. 4



BEQUEATHED BY
George Ticknor.
Rec'd. Apr. 26th. 1871.



K. 1. a.

N29130

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
Boston Public Library

http://archive.org/details/hispaniaeillvstr04scho

HISPANIÆ ILLVSTRATAE

SEV

VRBIVM RERVMQVE HISPANICARVM, ACADEMIARVM, BIBLIOTHECARVM, CLARORVM DENIQVE IN OMNI DISCIPLINARVM GENERE Scriptorum Auctores varii Chronologi, Historici,

PARTIM EDITI NVNC PRIMVM, PARTIM AVCTIORES, melioresque facti studio, & opera

ANDREÆ SCHOTTI ANTVERP.
Societatis IESV.

Tomus IIII.



E. H. L.

FRANCOFVRTI

Apud Claudium Marnium & heredes Ioan. Aubrii.

ANNO M. DC. VIII.



D.121
.4
Vol 4

116236

G.5.

REVERENDISSIMO

D. JOANNI MIRÆO ANTVERPIENSIVM EPISCOPO, FRANC. SCHOTTVS Iurisconſ.

S. D.



VI VITAM MORTALIVM Peregrinationem *appellarunt, Præſul optime, næ illi multum vidiſſe cenſendi ſunt: vt qui* militiam *cum Iobo, aut* vigiliam *cum Plinio nominarunt: Sancta nimirum ſacris è litteris ſententia vtilitatis, conſolationisque plena: quam heroicis illis temporibus Patriarchæ peregrinos ſe, dum in terris degerent, exiſtimantes, liberis ſuis, veluti teſtamenti iure, tranſcripſerunt.*

Vates enim idemq; Rex, Pſalmo 38. Aduena, *inquit,* ego ſum, apud te Deus, & peregrinus, ſicut omnes patres mei. *Qui autem peregrinus in viam ſe dedit, is prudenter maturat, amicitias per viam non contrahit: alieno in Solo ac cælo, quæ ſpectat, miratur quidem, ſed, quod hinc conſequens eſt, adamare cauet, atq; affectare, veritus, ne quò ſtudet in portum patriamq; minimè perueniat. Igitur reliqua, quæ oneri ſint, aut moram iniiciant, vt delicias, vt otium, vitat; ne, vt fit,* ἀποδημίαν *vertat in* ἐπιδημίαν. *Tale huius vitæ curriculum eſt, ac veluti ſtadium, vt non niſi doctor domũ meliorq; viator redeat, vel de via laſſus in portu tandẽ aliquando cõquieſcat. Quod præclarè, vt omnia, Philoſophi illi veteres naturæ dumtaxat lumine illuſtrati obſeruarunt. Pythagoras enim ſimilem ſibi vitam hominum aiebat, & mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Græciæ celebritate. Nam vt illic alii corporibus exercitatis gloriam & nobilitatem coronæ peterent; alii emendi aut vendendi quæſtu & lucro ducerentur; eſſet autem quoddam genus eorum, idq; vel maxime ingenuum, qui nec plauſum nec lucrum quærerent, ſed viſendi cauſa venirent, ſtudioſeque perſpicerent, quid ageretur: ita nos, quaſi in panegyrim quandam ex vrbe aliqua, ſic in hanc vitam ex alia vita profectos, alios gloriæ ſeruire, alios pecuniæ; raros eſſe quoſdam, qui ceteris omnibus pro nihilo habitis, rerum naturam ſtudioſe intuerentur, & ad ingenium excolendum ſe compararent, vel ad alios docendum ſe conuerterent. Hos ille* Philoſophos, *hoc eſt, ſapientiæ ſtudioſos nominauit. Idemq; diſcendi docendiq; ſtudio inflammatus, & Ægyptum luſtrauit, & Perſarum Magos adiit, tantas regiones Barbarorum pedibus obiit, tot maria tranſmiſit. Eius quoq; Apollonius Tyaneus auditor quantum terra mariq; iactatus fuerit, Philoſtrati libri teſtantur. Diuinus adhæc Plato, nonne Ægyptum peragrauit, vt à ſacerdotibus Barbaris numeros & cæleſtia accipe-*

(?) 2

ret? poſt Tarentum ad Archytam, mox ad reliquos Pythagoreos, in his Tymæum ſe contulit, quorum doctrinam Socratis diſciplinæ coniungeret? Hic & libro Legum duodecimo, in ea, quam formabat, bene conſtitutæ Reip. idea, de peregrinis ſic tulit, partim iis, qui hoſpites peregrinarentur, partim in vrbē reciperentur; illos natu grandiores atq; cordatos poſtulat: cumq; domum longo interuallo redirent, Senatui exponere iubet aliarum gentium inſtituta, leges ac ritus; ſi quid forſitan aut ab aliis didicerint, aut per ſe ipſi inuenerint. Si meliores doctioreſq; redierint, magnis honoribus ac laudibus viuos iuxta ac mortuos affici vult; ſin deteriores corruptiſque ſint moribus, eorum interdicendum familiaritate pronunciat, & ſi Magiſtratui morem geſſerint, priuatos degere; ſin ſecus, & leges, inſtitutaque maiorum labefactare tētarint, capite pœnas dare iubet. De peregrinis vero in vrbem recipiendis quatuor hominum genera ſtatuit. Primum Mercatorum, qui importandis exportandiſque mercibus inuigilant, atque auium more lucri ſtudio terra marique ad Indos vſque ac Garamantas penetrant. Eos Plato in vrbis pomoeriis habendos, ibidemque ius iis dicendum cenſuit, ne, vt fit, cum mercibus, peregrinis etiam moribus, ciues corrumpant delitiiſque eneruent. Hinc & Gallorum fortiſſimos Belgas, & in his Neruios C. Cæſar experimento didicit, quod nihil eorum, quæ ad effeminandos animos pertinerent, importari tum ſoleret. Alteros, qui ſtudiorum gratia tantum peregrinantur, in vrbem recipiendos putat, ac propter templa diuerſoria eis attribuit; quorum ſacerdotes ac myſtæ curam gerant. Tertii ſunt Legati atque Oratores, quorum ſollicitudinem belli Præfectis mandat. Quartum genus idque rarius, quos θεωροὺς *hoc eſt,* Spectatores *nominat, & in vrbem admittendos negat, niſi ſe natu maiores ſint, & eo plane animo acceſſerint, vt aliorum bene conſtitutam Rempub. inſpiciant. Leges, mores ac cærimonias & cognoſcant ipſi & cum aliis communicent. Hæc ferè Plato ab eodemque laudatus Iſocrates Athenienſium Orator ſic paræneſi Demonicum hortatur (ſeu quis alius auctor, in controuerſiam vocantibus Criticis):* Turpe videri Mercatores tot maria lucelli gratia traiicere; iuuenes verò, ne terreſtre quidem iter, quo mentem ornatiorem reddant, ingredi velle.

Itaque ne pigeat, monet, vel immenſum iter ad eos, qui ſe, quid vtile dicturos, profitentur ſuſcepiſſe. Quid? Philoſophos pæne omnes, nonne propter diſcendi cupiditatem vltimas terras peragraſſe videmus? vt voluntarium ſibi exilium, quo ſcientiam augerent, indixiſſe videantur; nec domum prius remeaſſe, quam diſciplinarum opibus patriam, cui ſe natos arbitrarentur, exornare poſſent. Socrates Academiæ auctor idcirco mundi *ſe* incolam *prædicabat, vt Teucer ille Ennianus* patriam eſſe *ait* vbi bene ſit cuique, *quemadmodū aera ac maria auibus, piſcibuſq; communia exſiſtunt. Eius auditor Plato in Timæo Græcos grauiter increpat, vt & pueros vocare non dubitet, quod antiquitatis omnis ignari ſocordia quadam domi deſiderent. Hic Plato, Philoſophorum Homerus dictus: qui Poetarum facile Coryphæus Vlyſſem terra marique viginti annorum* ἀποδημίᾳ *iactatum,* πολύτροπον *vt politicum hominem Odyſſea exhibet:*

Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν, ἄστεα καὶ νόον ἔγνω.

Qui mores hominum multorum vidit & vrbes,

Ceteri

Ceteri Philosophi discendi gratia sunt peregrinati, teste Tullio ac Laertio, Xenocrates, Crator, Arcesilas, Lacydes, Zeno, Cleanthes, Chrysippus, Posidonius, Antipater, Carneades, Pätius, Clitomachus, Philo, Antiochus, innumerabiles alii, qui semel egressi domum, numquam redierunt. Theophrastus vero à diuina nomen Eloquentia sortitus, Aristotelis in schola διάδοχος mire laudat, vt idem auctor est Cicero, hospitalitatem: ratus decorum videri patere domos hominum illustrium illustribus hospitibus: Reipub. prǽterea ornaměto esse exteros hoc liberalitatis genere non egere. Id quoque Cimonis Atheniensium Ducis in suos curiales Laciadas liberalitate comprobauit.

Verumenimuero Christiani Euangelii luce eruditi longè quam gentes ac Philosophi illi vtilius hodie peregrinantur, vt Te omnium, Præsul doctissime, minimè fugit: partim qui sacra loca religiose frequentant, vt Palæstinam B. Hieronymus iuxta Domum præsepe impressaque à Christo vestigia: partim qui Academias obeunt, ac Bibliothecas inspiciunt, tanquam in scientiarum mercatum profecti, in patriam tandem doctiores melioresque reuertǔt, sic & frater meus ANDREAS, *rei gerundæ gratia olim à parente Franc. Schotto CL. V. in Hispaniam missus, turbante bello ciuili Belgio, viginti ipsos annos, quot Vlysses, peregrinatus est, patria sponte carens, Hispaniæ atque Italiæ gymnasia sic obiuit, vt & doctoris personam de superiore identidem sustineret. Bibliothecas etiam scrutando, quæ adhuc inedita laterent, inuestigauit. Doctissimis adhæc hominibus familiariter vsus, vt non, nisi doctior, ab eorum latere discederet: in his Ant. Augustino, Ant. Couarruuia, Garsia Loaysa, Aluaro Gometio, ac Pet. Ioan. Nunnesio. De societate vero Ioan. Marianæ ac Petro Ribadeneyra perfamiliaris, hominum doctissimorum pietate inuitatus, votique reus, post aggregari sociis voluit, degitque benemerendi studio, iuuandique cupiditate flagrans. Testes sunt in lucem hactenus edita monumenta:* Senecæ Rhetoris Suasoriæ & Controuersiæ, *prodigiose vsq; eo deprauatæ, vt ab iis legendis pleriq; hactenus refugerint. Testes* Vitæ comparatæ Aristotelis ac Demosthenis *æqualium, per olympiadas atque archontas: nuper etiam Photii Bibliotheca græcè Augustæ Vindelicorũ excusa, quam etiam Latine redditam transcripsit. Adhæc ne immemor & ingratus erga Iberos, quib. multũ & vellet & deberet, videretur, quemadmodum Cicero T. Attico promiserat, editurum se aliquando peregrinationis suæ fructum, sic hoc egit frater, vt* Hispanicarũ rerũ Scriptores Latinos *colligeret, atq; vno veluti fasce colligaret: quorũ Tomus hic quartus est, quem Tibi libens volensq; Episcopo meritissimo, veluti coetum Episcoporũ plurimorum ad hãc diem trans Pyrenæos nondum visorum, offerri per me voluit.*

Agmen ducet Lucæ Tudensis Episcopi Chronicon, *typis antea numquam euulgatum. Hunc sequitur* Victor Tununensis *in Africa Præsul &* Ioan. Scalabitanus, Gerundensis *Ecclesiæ è Biclariensi Abbate Episcopus: mox &* Idacius *seu potius* Ithacius: *qui fere omnes Chronologiam Eusebii ad sua vsque tempora perduxerũt, hactenus vel inediti, vel certe sic deprauati, nihil vt sanũ appareret. His* B. Eulogius Cordubensis Episc. *De certaminibus Martyrũ in Hispania accessit, ab Ambrosio Morali Cordubensi Notis egregie illustratus. Insi-*

gnem vero Episcoporum hûc gregem excipiet Hispaniæ Chorographia *Ludouici Nonii Medici Antuerpiani:* Bibliotheca *quoque* triplex Clarorum Hispaniæ Scriptorum, *præsertim Theologorum. Quem quidem fratris mei colligendi industriam, atque edolando laborem Ecclesiæ Dei, vt opto & spero, profuturum, æqui boni vt facias, Præsul optime, benigneque suscipias, etiam atque etiam oramus obtestamurque. Sic Te* DEVS OPT. MAX. *Ecclesiæ sponsæ in Belgio nostro fatali bello afflictæ diutissime seruet incolumem. Antuerpiæ* Kal. *Martiis* CIↃ. IↃCVII.

CA-

CATALOGVS AVCTORVM,

QVORVM OPERA IN HOC IV. TOMO RErum Hispanicarum continentur.

LV-





LVCÆ DIACONI PRÆFATIO IN HISTORIAM SEV CHRONICAM BEATI ISIDORI ARCHIEPISCOPI HISPALENSIS.



EATITVDO potentię temporalis tunc in vero esse disponitur, quando per bona temporalia ad æternam beatitudinem homo perducitur. Nam sicut Rex regum dominus Iesus Christus testatur, nihil prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animę verò suę detrimentum patiatur? Omnis quidem potestas bona, quia vt ait Apostolus ex Deo est: & fidelibus præcipit, potestatibus sublimioribus subiici, siue Regi quasi præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis. Rex dicitur à regendo, quod se & alios bene regat. cui specialius quinque sunt necessaria. Primò videlicet creatorem & Regem suum, patrem & filium & spiritum sanctum vnum verum Deum in vnitate substantiæ & in trinitate personarum agnoscere. Secundò fidem catholicam moribus & verbis confiteri. Tertiò regnum in pace omnimode conseruare. Quartò sine acceptione personarum vnicuique iustitiam exhibere. Quintò verò hostes viriliter contemptis cunctis laboribus expugnare. Princeps enim delicatus potius flectitur ad carnis ludibria peragenda, quam ad hostium obstinatam fortitudinem feriendam. Princeps delicatus vino madet, lenitur blanditiis meretricum, dissoluitur luxuria, & susurronibus libenter apponit aurem. De primis duobus sacra scriptura dicit, quod vinum & mulieres apostatare faciũt sapientem. De tertio dicit beatus Isidorus, quod luxuria corpus debilitat, debilitatum autem citius ducit ad senectutem, de senectute ad mortem, de morte ad æternam damnationem. De quarto verò diuina sapientia dicit: quod princeps qui libenter audit verba susurri, omnes ministros habet impios. Sed auferatur susurro & cessabit perturbatio. De principe autem quem præcedit sapientia, roborat fortitudo, consilium firmat, & illum non rapit leuitas vel audacia, nec ira furere facit, loquitur sacra scriptura dicens: Rex qui sedet in solio iudicii intuitu suo dissipat omne malum. Semper solicitatur Princeps sapiens, ne suis excessibus in temporalibus aut spiritualibus patiatur populus sibi subditus detrimentum. Nam plerumq; pro peccatis Principum ira Dei in populos incandescit: & quotquot eius culpa dilapsi sunt in peccatum, de illis Deo redditurus est rationem. Hoc etiam considerat Rex honestus, vt quidquid egerit siue bonum siue malum, eo quod scripturæ perpetuo commendetur, ab hominum memoria non recedat. Probitas nomen in se nõ patitur offuscari, ne à nobilibus patrum actibus merito degener habeatur. Moribus probitatum se probat esse de genere illorum Principum, per quos fortis & clemens victoria facta est in populis orbis terræ. Plerumq; caloris & frigoris intemperiem, sitim patitur & esuriem, vt populos sibi subditos gloriosius valeat gubernare. Cauet ne ad ipsum sentẽtia flectatur, qua dicitur; Væ terræ cuius Rex puer est, & cuius Principes mane comedunt. Illam autem in se desiderat experiri: Beata terra, cuius Rex sapiens est, & cuius Principes vescuntur tempore suo. Astrictis præceptis gloriosissimæ ac prudentissimæ Hispaniarum Reginæ dominæ Berengariæ, quæ vt chronicorum libros à beato Isidoro & à quibusdam aliis peritis de historia Regum Hispanorum & quorundam aliorum editos sibi scriberem imperauit, hanc præmisi præfationem, vt prima fronte voluminis discant Principes præclaro negotio sanguine generosi non minus sapienter & clementer, quam in manu valida regna sibi subdita gubernare. Tunc enim iuris ordo seruatur, cum magis ex æquitate quam ex potestate in regimine proceditur subditorum.

EIVSDEM LVCAE DE EXCELLENTIA *Hiſpaniæ.*

DONIS affluens propriis patria Hiſpanorum, etiam multorum priuilegiorum prærogatiuas inter primas mundi prouincias à domino meruit inſigniri. Hæc patria aeris ſalubritate, ſoli fæcunditate, animalium vbertate, fontium, fluminum, & piſcium copia, arborum amœnitate, & fere cunctarum rerum ad vſus vtilitatis & delectationis hominum pertinentium ſufficientiſſime dignoſcitur abundare. Inter ipſas delitias confert diuitias † rebus, eo quod ſerico, argento & auro puriſſimo præfulgeat. Inter cæteras regiones excellit orbem vniuerſum auibus ſilueſtribus domeſticis, & equis pulcherrimis & fortiſſimis, agilitate mirabili velociſſimis, vt bellicoſis militibus in aliquo non deſit materia viriliter decertandi. Exceptis omnibus his temporalibus bonis omnipotens Deus in tantum Hiſpaniam cæleſtibus ditauit donis, vt protomartyris Apoſtolorum Iacobi corpus ſibi tranſmitteret perpetuo in carne amplectendum, & doctorem gentium Paulum illi contulit ſpecialius in ſpiritu venerandū. Etenim cum Romanis idem Apoſtolus ſcriberet, dixit ſe per eos tranſitum facturum, & venturum ad Hiſpanias. Quod vtrum in corpore venerit, licet quædam ſcripta, quæ videntur authentica, eum teſtentur veniſſe corporaliter, nos tamen ignoramus. Firmiter credimus eum promiſſum ſuum etſi non in corpore tamen in ſpiritu compleuiſſe: quia veritatis Apoſtolus mentiri non potuit. Teneat ergo Roma corpus Apoſtoli Pauli, & Hiſpania quadã prærogatiua, eius ſpiritus patrociniis ſe perfrui glorietur. Accedit ad Hiſpaniam antonomaſie decorãdam, quod illos duos inſignes martyres & Leuitas, ſcil. Laurentiũ & Vincentiũ genuit: quorum fama & ſanctitate vbiq; eccleſia Chriſti roboratur. Quæ patria vel quæ ciuitas vt Legio vrbs Hiſpaniæ tale quid protulit, quam Chriſti martyrẽ Marcellum centurionem cum beatiſſima vxore Nona & duodecim filiis centurionibus & Chriſti martyribus edidit: quorum ſanguine & fide plebs catholica roboratur. Nomina eorũ hæc ſunt, Claudius, Lupercus, Victoricus, Facundus, Primitiuus, Emeterius, Celedonius, Seruandus, Germanus, Fauſtus, Ianuarius, & Martialis. Vt autem ad pręſens omittam infinitam aliorum ſanctorum multitudinem, quorum martyrio & doctrina Hiſpania fulget: veniam ad Seuerianum Carthaginenſem Ducem, qui de vxore Theodora illos tres doctores inclytos Leandrum ſcilicet Archiepiſcopum Hiſpalenſem & Iſidorum archipræſulem ambos primates Hiſpanię, atq; Fulgentium epiſcopum omnes Chriſti confeſſores, filios meruit obtinere. Augent & laudes Chriſti virgo Florentina religioſarum Abbatiſſa, & Theodoſia glorioſa Regina: quæ ſanctorum horum doctorum vtroq; parente ſorores fuerunt. Quales hi doctores fuerint, eorum florigeris libris & beneficiis orbis experitur quotidie vniuerſus. Laudabilis eſt inter ſacras virgines illa ſanctiſſima Florentina: ſed dignis præconiis efferenda eſt glorioſa Theodoſia. Etenim ipſa in ſanctiſſimo Hermegillo Rege & Martyre filio ſuo acerrimã mentis pertulit paſſionem, quamuis eccleſia multos meliores martyres veneretur. Laurentium tamen & Vincentium excellenter inter ceteros colit: & nuſquam reperitur tantus pater, qui cum tantis filiis numero & genere vt Marcellus, ad palmam martyrii perueniret. Similiter Seueriano non legitur ſimilis pater, qui tantorum trium doctorum, & tantarum duarum filiarum filiali contubernio frueretur. Extollit etiam Hiſpaniam ſanctiſſimus ille Romanus Papa Damaſus natione Hiſpanus: qui præ cæteris virtutum operibus, eccleſiam Apoſtolorum principis Petri opere miro fundauit Romæ: & ex diuerſis mundi partibus multa ſanctorum corpora detulit ad eandem vrbem glorioſius decorandam. Glorioſus Toletanus archipræſul & Hiſpaniarum primas Illefonſus beatorum Leandri & Eugenii conſanguineus, Hiſpaniam laudabilem reddit: qui viuens in corpore pallio cæleſti à Regina cælorum Dei genetrice Maria meruit inſigniri. Beatiſſimus quoque Froilanus Legionenſis epiſcopus, ſuper quem Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ deſcendit: cuius & labia immiſſis ardentibus prunis non æſtuarunt. Innumerabiles quidem ſunt ſancti in ſanctiſſima patria procreati: vt ſunt Vincentius, Sabina, Chriſteta, Felix, Fructuoſus, Eulalia, Marina, Euphemia, & alii plures, quorum ſi voluero nomina tradere ſcriptis, facilius me tempus quam copia deſeret: ſed prætermittendi non ſunt ſanctiſſimi Dominicus, & Antonius, qui Apoſtolorum opera noſtris temporibus adauxerunt. Dominicus ſanctiſſimus ordinem Prædicatorum inſtituit ſancto Spiritu ſuggerente: & Antonius beatiſſimo patri Franciſco in ordine pauperum beatorum, ſanctitate ſucceſſit primus. Sanctus etiam Dominicus Cluniacenſis ordinis Abbas de Silos in liberandis de carcere Sarrace-

† Regibus.

Sarracenorum,captiuis gloriam præ cæteris ſanctis reportare videtur. Quid de venerabili Martino Legionenſi presbytero ſentiendum?qui tantam à domino precibus in diuinis ſcripturis prærogatiuam obtinuit, vt in expoſitione ſcripturarum ſanctiſſimis primis doctoribus merito valeat adæquari. Antiquitate præterea philoſophorum fulget Hiſpania,eo quod genuit Ariſtotelem ſummum philoſophum nobilem inueſtigatorem aſtrorum,& Senecam facundiſſimum atq; Lucanum hiſtoriographum & poetam clariſſimum. Inter quos Iſidorus præminet glorioſus cui mortalium nullus in varietate ſcientiarum poteſt recto iudicio adæquari. Lucium quoque conſulem, Neruam & Traianum Hiſpania Romæ dedit imperatores ſtrenuos: qui remp. admodum augmentarunt,licet perſecutione dira Chriſtianos fuerint perſecuti. Theodoſium etiam chriſtianiſſimum Imperatorem Hiſpania genuit, qui decorauit Romanum imperium legibus æquitatis. Hos præſcriptos viros & innumerabiles alios laudum titulis dignos Hiſpania genuit: vt habeat præclara Gotthorum poſteritas,quos merito debeat imitari. Habent Hiſpani martyres & confeſſores inter ſanctos ſanctiſſimos: habent doctores inter doctos doctiſſimos: habent mundi ſapientes inter cæteros peritos ſapientiſſimos: habent & milites ſtrenuos inter cæteros milites mundi præcipue animoſos. Quorum animoſitas & audacia tam feruida eſt,vt non ſolum illos, verum etiam patriam nonnunquam in periculum ducat. Sunt & poſt triumphos valde clementes: qui vt virtuoſi permaneant, Principe indigent ſapiente. Nam quis poterit mortalium tantæ virtutis reſiſtere viris, ſi ſapientia non præueniat illos. De iis quidam ſapiens eorum mores ſubtiliter conſiderans dicit: expertus eſt belli, promptus,victiſque benignus,impatiens,fortis,audax,dans vulnera mortis. Peruolat ingenio gaudens in munere dando. O quam exactus debet eſſe, qui fortibus & ſapientibus dominatur. O quam beatus & glorioſus eſt princeps, qui habet huiuſcemodi populos regere: dummodo ipſe ſapientia gubernetur, & ſuorum conſilio ſapientium perfruatur: Nihil enim deeſt illi, eo quod habeat ſanctiſſimos Apoſtolos, martyres fortiſſimos, & doctores doctiſſimos,per quos ſanctam fidem accepit catholicam. Non enim in fide mutare poteſt, quia non per qualescumque viles & rudes perſonas, ſed per ſanctiſſimas & generoſo ſanguine nobiliſſimas Dei leges accepit. Imitetur eos igitur fide,ſanctitate ſequatur,& eorum prudentia decoretur,quorum natalibus generoſo ſanguine ſociatur. Habet & Hiſpaniæ Princeps viros conſilii, quos natura ſapientia fecit inſignes. habet,vt dictum eſt, milites bellicoſos, & etiam pedites agiles & animoſos,cum quibus poteſt bellorum fortia exercere & muros ferreos penetrare. Habet præterea patriam fertilem & ditiſſimam: quæ ſuis conſueuit abundanter & delitioſe temporalia bona conferre. De diuitiis Hiſpaniæ in libro Macchabæorum meminit diuina ſcriptura dicens, quod Romani obtinuerunt metalla auri & argenti eius, ſapientia ſua. Hæc patria ab,is,quod eſt vnum,vel ſolum,&,pan,quod eſt totum,&,ia,quod eſt ſtella, quaſi ſola tota ſtella dicitur Hiſpania: quia ſpecialius præ cæteris prouinciis propriis bonis abundat. Dicitur & ab Ibero flumine Iberia, & ab Heſpero occidentis ſtella Heſperia: quia ſicut hæc ſtella in occiduo climate fulget inter ſidera,ſic Hiſpania ſitu in ſucceſſum transmiſſo non eſt in vltimis regionibus vltima, ſed in primis prima. Præfulget etiam omnimoda libertate Hiſpania,cum in agendis cauſis ciuilibus propriis vtitur legibus: & Hiſpanorum Rex nulli ſubditur imperio temporali. Et quia duo ſunt extrema ſcilicet paradiſus & Hiſpania,quadam affinitate delitioſa alludunt ſibi. De hac quidam minus ſapienter ſcribentes,propter oppoſitionem orientis dixerunt, eam eſſe frigidam & ſiccam,non attendentes quod ſicut oriens ſita eſt iuxta torridam zonam, vnde orientis qualitatis eſſe probatur. Igitur Rex & populi qui tanta bona ſpecialia à domino acceperunt, indeſinenter illi ſpecialius gratias referant,& fortiter & ſapienter collata beneficia cuſtodiant. Hoc reducant frequenter ad cor: quia cum difficultate cuſtoditur, quod à multis diligitur: & illius bona latrones latenter ſurripere moliuntur,quem non valent nudare ſuis ſpoliis violenter. Nos verò ad libros chronicorum à doctore Hiſpaniarum Iſidoro editos manum mittimus,ſecundum etiam quoſdam alios Hiſpanorum Regum & aliorum quorundam ſeriem proſequendo præceptis glorioſiſſimæ Hiſpaniarum Reginæ dominæ Berengariæ omni deſiderio deſiderantes fideliter ſatisfacere. Ipſa enim, cuius catholicis præceptis non licet nec libet reſiſtere,mihi Lucæ indigno diacono, vt hoc perficerem,imperauit. Chronica antiqua ſeries interpretatur: & dicitur à,chronos, quod eſt tempus,vel ſene, ſiue longum. & ſcriptis continet opera nobilium homi-

num,ne more labentium aquarum, ab humanis mentibus dilabantur. Tamen ſciendum quod in hac chronica ille annorum numerus non ſeruatur, qui in libro Geneſis continetur. Moyſes namque magis ſucceſſiones generationum, quam annorum ſeriem ſtuduit ordinare: maxime dum ſacra ſcriptura illud quemlibet aſſerat viuere, quod bene ac ſanćte vixit: reliquum verò tempus vitæ, quo non bene viuitur, potius eſt mori quam viuere. Quapropter Moyſes centum annos ſiluit, quibus Adam Abel mortuum luxit, & Euam cognoſcere noluit. Et Saul duobus annis legitur regnaſſe, eo quod illis tantum bene rexerit: cum aliis pluribus annis regnum indigne tenuerit. Iſidorus autem plus eſt in hoc opere in annorum ſeriem ordinandam ſecutus ſeptuaginta interpretes, & quoſdam alios, qui magis annorum numerum ſunt ſecuti. Perutilis eſt hic liber in ſcripturis ſacris, quia quantitatem annorum ab exordio mundi vſque ad Chriſtum lucide manifeſtat. Quædam, quæ in ſacris hiſtoriis deeſſe videntur, ſupplet: & ſeculi ætates oſtendit manifeſta præuia ratione.

INCIPIT

INCIPIT CHRONICA BEATI ISIDORI ARCHIEPISCOPI HISPALENSIS.

Prologus.

BREVEM temporum annotationem per generationes & regna primus ex nostris Iulius Africanus sub Imperatore Marco Aurelio Antonino simplici historiæ stylo elicuit. Dehinc Eusebius Cæsariensis episcopus, atq; sanctæ memoriæ Hieronymus presbyter chronicorum multiplicem historiam ediderunt regnis simul ac temporibus ordinatam. Post hos autem alii atq; alii, inter quos præcipue Victor ecclesiæ Tunnensis episcopus recensitis prædictorũ historiis gesta sequentium ætatum vsq; ad cõsulatum Iustiniani iunioris expleuit. Horum nos & quorundam aliorum historiographorum summam temporum ab exordio mundi vsq; ad Augusti Heraclii & Sisebuti vel scintillam Hispaniæ Regum tempora compendiosa breuitate notauimus, adiicientes è latere descendentem lineam temporum: cuius indicio summa præteriti seculi cognoscatur.

Prima ætas seculi.

SEx diebus rerum omnium creaturas Deus formauit. Primo die condidit Deus lucem & omnem angelicam creaturam. Secundo die condidit firmamentum: quod quam primum fuit factum, statim sanctis angelis est decoratum, superbis angelis in hunc aerem caliginosum expulsis. Firmamentum in medio aquarum Deus fecit: & quandam exteriorem mundi superficiem ex aquis congelatis disposuit ad instar crystalli solidatam & lucidam, intra se cætera sensibilia continentem: & in firmamento postea sidera fecit. Tertia die congregauit Deus aquas inferiores in vnum locũ, id est, in viscerib. terræ, & apparuit arida; quæ terra dicitur quia pedibus teritur. Quarta die fecit Deus solem & lunam & sidera. Quinta die fecit pisces & volucres de aqua. Sexto die fecit bestias & iumenta. Et tunc omnibus valde bene dispositis ad imaginem & similitudinem suam de limo terræ formauit Adam: cui animam creatam de nihilo inspirauit. Extra paradisum factus fuit: & ad paradisum colonus deductus. Vltimus omnium creaturarum factus, vt statim inueniret omnia inferiora perfecta, quibus præesset. Hora prima diei fuit factus, hora tertia in paradisum deductus, hora sexta seductus, hora nona à paradiso expulsus. Septima die Deus cuncta quæ fecerat, benedixit: & diem ipsam sabbathum, id est, requiem vocauit.

Præmissis quinq; dieb. in sexto die Adã formatus est: qui vixit annis DCCCC.XXX.

Anni ab orbe c.	Adam annorum CCXXX. genuit Seth.
435.	Seth annorum CCV. genuit Enos.
625.	Enos annorum CXC. genuit Cainam.
	Cainam annorum CLXX. genuit Malaleel.
	Malaleel annorum CLXV. genuit Iared.
	Iared annorum CLXII. genuit Enoch.
	Enoch annorum CLXV. genuit Mathusalem.
	Mathusalem annorum CLXVII. genuit Lamech.
	Lamech annorum CLXXXVIII. genuit Noe.
2242.	Noe anno sexcentesimo factum est diluuium.

Adam extra paradisum anno quintodecimo, ex quo factus est, genuit Caim & sororem eius Calmana. Licet vnius diei fuerit Adam cum esset in paradiso, triginta tamen annorum habuit perfectionem: & virgo exiit de paradiso. Post quindecim annos alios genuit Abel, qui interpretatur nihil, luctus, vel vapor, & sororem eius Delboram,

Præterea plures alios filios & filias fertur Adam genuiſſe. Caim qui interpretatur poſſeſſio, ſpicas attritas & corroſas ſecus viam, ductus auaritia obtulit Deo: & dominus munera eius non reſpexit; ſiue quia prius comedebat, deinde offerebat placens ſibi plus quam Deo. Abel de pinguioribus gregis primogenita obtulit: & ignis de cælo oblationem eius intendit. Quare iratus Caim Abel interfecit: & dominus in Caim ſignũ, hoc eſt, tremorem capitis poſuit. Tunc egreſſus Caim à facie domini habitauit ad orientalem plagam Edem, hoc eſt, deliciarum cum vxore ſua Calmana, ex qua genuit Enoch, & quia latrociniis & rapacitatibus inſiſtebat, primus ciuitatem condidit, & Enoch vocauit, & multitudine ſuæ poſteritatis impleuit. Enoch genuit Irad, qui Mauiael, qui Mathuſale, qui Lamech. Qui ſeptimus ab Adam, primus contra inſtituta Dei bigamiam induxit. Genuitque ex Oda Iabel qui adinuenit portatilia paſtorum tentoria, & greges characteribus diſtinxit. Nomen fratris eius Tubal, qui fuit inuentor muſicæ. Ex Sella genuit Tubalcain qui ferrariam artem primus inuenit, bella concitauit, ſculpturas operum in metallis fabricauit. Prænominatus Tubal malleorum eius ſonitu delectatus ex proportionibus & conſonantiis eorum, muſicam excogitauit. Tubalcain etiam, cum frutices in paſcuis incendiſſet, venæ metallorum fluxerunt in riuulos: & ſublatæ laminæ figuras locorum, in quibus iacuerant, referebant: vnde in metallis ſculpere adinuenit. Soror etiam eius Noema variæ texturæ artem inuenit. Lamech autem vir ſagittarius fuit: & Dei nutu oculorum caliginem incurrit. qui habens adoleſcentem ducem, dum exercet venationem, interfecit Cain inter fruteta exiſtimans eſſe ferã, quem quia ad indicium adoleſcentis ſagittam dirigens interfecit, dum factum comperit, adoleſcentem arcu verberando occidit.

Adam autem dolens quia Cain Abel interfecit, vxorem ſuam propoſuit non cognoſcere: & iuxta Hebron in loco, qui vallis lachrymarum dicitur, Abel filium ſuum luxit, & centum annis à toro coniugali abſtinuit. Admonitus autem à Deo per Angelum, vt ſuſcitaretur ſemen iuſtum, quod eſt ſtirps filiorum Dei, cum eſſet ducentorum triginta annorum genuit Seth, qui pro Abel natus eſt, interpretaturque reſurrectio. Seth annorum ccv. genuit Enos, qui cæpit inuocare nomen domini, verba deprecatoria componendo. Enos annorum cxc. genuit Cainam, qui interpretatur natura Dei. Cainam genuit Malaleel, qui interpretatur plantatio Dei, Malaleel genuit Iared, qui interpretatur deſcendens ſiue roborans. Iared genuit Enoch, qui translatus eſt à Deo in paradiſum voluptatis, vt in fine temporum cum Elia conuertat corda patrum in filios quique pugnabunt cum Antichriſto. Iſte Enoch nonnulla ſcripſiſſe fertur ſapienter: ſed antiquitate ſuſpectæ fidei à Patribus refutata ſunt. Enoch genuit Mathuſalem qui iuxta annorum ſeriem vixiſſe quatuordecim annis poſt diluuium reperitur. Sed non legitur fuiſſe in arca: propter quod nonnulli cum patre ſuo Enoch, qui translatus fuerat, aliquantulum fuiſſe, donec diluuium præteriret, falſa opinione exiſtimant. Hac generatione concupierunt filii Dei filias hominũ, id eſt, filii Seth filias Cain. DCCCC LXVIIII Mathuſalem vixit † DCCCC LXXIX annis, & eodem anno mortuus eſt, quo diluuium fuit. Mathuſalem genuit Samech. hac generatione gigantes nati ſunt. Tunc temporis cæperunt mala multiplicari in terra. Nam filii Adæ, qui boni extiterant vſque ad ſeptimam generationem, contemnentes præcepta Adæ & patrum ſuorum paulatim ad mala corruere cæperunt. Etenim Adam viuens prohibuerat, ne miſcerentur filii Seth cum filiabus Cain. Mortuo autem Adam Seth ſeparauit cognationem ſuam à cognatione Cain, qui redierat ad natale ſolum. & habitauit Seth in quodam monte proximo paradiſo. Cain habitauit in campo, vbi fratrem occiderat. & exarſerunt filii Cain in alterutrum coeuntes: & abutebantur fratrum ſuorum vxoribus. Mulieres etiam in væſaniam verſæ ſupergreſſæ viris abutebantur. Filii autem Seth reuertentes ad natale ſolum corruperunt filias Cain, eo quod ſibi pulchræ videbantur: & ex eorum copula orti ſunt gigantes. Incubi etiam dæmones cum mulieribus concũbere videbantur, quod vere non poterat eſſe ſed deluſiue. Lamech genuit Noe, qui requies interpretatur. Iſte coram Deo ambulabat, & deteſtabatur mala facta hominum. Noe cum eſſet quingentorum annorũ genuit Sem, Cham & Iaphet. Vigeſimo autem anno antequã quingenteſimũ expleret, fecit iuxta præceptũ domini arcã de lignis læuigatis, id eſt, quadratis & bituminatis lõgitudine trecentorũ cubitorũ, latitudine triginta. Hi cubiti geometrici intelligendi ſunt: alioqui tãta capere non valeret. Continet enim cubitus geometricus ſex noſtros, vel ſecundum quoſdam nouem. Erat arca ſuperius anguſta in cubito conſummata, inferius vero ampla quandam habens rotunditatem ad modum ſentinæ nauis. Habuit quinque cameras, quarum inferior quadratura

areæ

areæ erat vna ſtercoraria,& altera apothecaria.deinde vna mitium animalium,altera immitium,media vero,quæ ſuperior,hominum erat & auium. Illa tantum animalia in ea ſunt intelligenda fuiſſe,quæ in aquis viuere non poſſunt, & quæ de corruptionibus non naſcuntur, vt muſcæ, apes, & quædam alia. Per centum annos continuos Noe conſtruxit arcam.

Tunc homines perpendentes quod aqua vel igne perire poterant, ſtudia ſua conſcripſere in duabus columnis,altera marmorea,altera lateritia:quarum altera non dilueretur diluuio, altera non diſſolueretur incendio. Iubal frater Tubalcain huius operis exiſtente magiſtro:quia audierat Adam prophetaſſe de duobus periculis aquæ videlicet & ignis,quæ ventura erant ſuper omnem carnem.Quarum lapidea columna fertur diluuium euaſiſſe,& hactenus in Syria permanere. Prima, quæ nunc dies Dominica dicitur, ingreſſus Noe in arcam. Seorſum viros ſeorſum mulieres Deus in ingreſſu nominauit,vt tempore pœnitentiæ oſtenderet,eſſe vacandum ab amplexu carnis. Centum quinquaginta diebus creuerunt aquæ, & eleuata eſt arca ſuper omnes montes quindecim cubitis:vt ablueret aqua ſordes aeris,vſque quo aſcenderant praua opera hominum,de quorum ſacrilegiis aer fuerat maculatus. Vſque ad eundem locum ignis aſcendet in die Iudicii vt purgetur aer à vapore aſcendente de ſacrificiis idolorum. Per annum fuit Noe in arca lumen recipiens per criſtallinam feneſtram: & egreſſus eſt anno reuoluto,eo die & menſe quo eſt ingreſſus ſcilicet Maio.Reſedit arca ſuper Armeniæ montem,qui Barim dicitur; vbi vſque hodie lignorum illius reliquiæ demonſtrantur.

Secunda ætas ſeculi.

SECVNDA ætas,quam per generationes dicimus currere, vnam minus habet ſecundum codices Hebræos:quæ hic ponitur,id eſt,illum qui dicitur Cainan; quam tamen generationem & ſeptuaginta interpretes memorant, & euangelium ſecundum Lucam confirmat.Hæ autem duæ ætates ſeculi,id eſt, ante vna & ſecunda poſt diluuium,ideo nullam habent difficultatem in peruentione annorum,quia directis generationum lineis currunt,& vnus ex altero propagatur.

Sem anno ſecundo poſt diluuium genuit Arphaxad.
Anni ab orbe c. Arphaxad annorum cxxxv.genuit Cainan.
1277. Cainan annorum cxxx.genuit Sala.
Sala annorum cxxx.genuit Heber.
Heber annorum cxxxiv.genuit Phaleg.
Phaleg annorum cxxx.genuit Ragau.
Ragau annorum cxxxii.genuit Seruch.
Seruch annorum cxxx. genuit Nachor.
Nachor annorum lxxix.genuit Thare.
3314. Thare annorum lxx. genuit Abraham.

Sem anno ſecundo poſt diluuium genuit Arphaxad: à quo gens Chaldæorum exorta eſt.Iſte Sem fertur fuiſſe Melchiſedech,qui primus poſt diluuium condidit vrbem Salem,quæ nunc vocatur Ieruſalem. De tribus filiis Noe, id eſt,Sem, Cham, & Iaphet exortæ fuerunt ſeptuaginta duæ gentes. De Iaphet quindecim, de Cham triginta, de Sem viginti ſeptem. Filii Sem Aſiam inhabitauerunt: ſed filii Cham quandam Aſiæ partem violenter occupauerunt:atque Salem capientes expulſis filiis Sem & Iebuſæis Iebuſalem eam vocauerunt.Filii Iaphet Europam ſortiti ſunt: filii autem Cham Africam tenuerunt. Natus eſt Noe filius poſt diluuium, quem Ionitum vocauit. Dedit Noe Ionito donationem benedictionis, & dimiſit eum in terram Etham. Et intrauit eam Ionitus vſque ad mare, quod Helioſcora dicitur, id eſt, ſolis regio. Hic accepit à Deo donum ſapientiæ, & multa ſapienter adinuenit: atque quoſdam futuros euentus rerum præuidit: cuius generatio permixtim cum filiis Sem habitauit. Arphaxad filius Sem genuit Sala à quo antiqui Salamitæ vel Medi orti ſunt. Sala genuit Heber,à quo Hebræi nuncupati ſunt. Heber genuit Phaleg,cuius tempore turris Babel ædificata eſt, factaque linguarum diuiſio, & multi dii adorari cœperunt.Nam alii colebãt ignẽ,alii aquã,alii ſolẽ,& ſic de aliis elemẽtis: vnde Phaleg diuiſio interpretatur. Impleti ſunt dies Noe nongẽtis quinquaginta tribus annis,& mortuus eſt.Nemo putet falſa quæ de antiquorũ lõgæuitate ſcripta ſunt: quia propter inueniẽdas virtutes & glorioſas ſcientiarũ vtilitates,atq; aſtrologiã & geometriã Deus eis amplius viuẽdi ſpatiũ

condonauit: quæ aliter differere non potuiſſent, niſi quingentos triginta viuerent annos: per tot enim annorum curricula magnus annus impletur. Poſtea vero annorum numerus in vita hominum extitit diminutus: & terra non fuit adeo fertilis poſt diluuium ſicut fuerat ante.

Nembrot autem ex patre veniens de Cham & ex matre Cibelne de Irom filio Sem gigas fortiſſimus: cuius erat ſtatura altitudinis decem cubitorum, venit ad Ionitum, & eruditus eſt ab eo in multis: & doctus de ortu quatuor futurorum regnorum, & caſu eorum per ſucceſſionem quod primi regnarent de Cham, deinde de Sem, vnde Perſæ, tertio de eodem Sem & Iaphet, vnde Græci, quarto de Iaphet, à quo Romani. Fuit autem Nembrot potens in terra, & robuſtus venator hominum coram domino, id eſt, extinctor & oppreſſor amore dominandi. Hic tranſiit ad Chaldæos, & docuit eos ignem colere: & ſolicitabat genus ſuum de Sem, vt imperaret aliis quaſi primogenitus. Qui cum nollent acquieſcere, cæpit eos ſolicitare de timore diluuii, ne iterum inundaret & diſperderet eos. Tranſiit autem Nembrot ad filios Cham & regnauit inter eos. Huius exemplo cæpit regnare Iectan ſuper filios Sem, & Suphene ſuper filios Iaphet. Tunc conſilio Nembrot conuenerunt prædicti duces in campum Sennaar: & timentes diluuium cæperunt ædificare turrim, quę pertingeret vſq; ad cęlos, habentes lateres coctos pro ſaxis & bitumen pro cæmento. Hoc autem bitumen, vt fertur, non niſi ſanguine menſtruo diſſoluitur poſtquam fuit deſiccatum. Hęc turris altitudine tenere duo millia ſexcentos triginta tres paſſus dicitur: cuius latitudo tanta eſt, vt prope eam aſpicientibus altitudo longe minor videretur. Deſcribunt ibi templa marmorea fuiſſe lapidibus pretioſis auroq; diſtincta, & multa alia quæ videntur incredibilia. Dominus autem deſcendit, & linguas eorum in ſeptuaginta duas loquelas diuiſit, ita vt nō intelligeret quiſq; proximum ſuum: & cōſtruere ceſſauerūt. Nembrot verò expulit filios Sem & filios Iaphet à turri calliditate quadam, & Babyloniam condidit, & regnum ſuum ſuper filios Cham firmauit: & poſtea ad Perſas migrauit, eoſq; ignem colere docuit. Aſſur autem filius Sem ad Chaldæos venit, & purpuram, vnguenta criniū & corporum bene fragrantia reperit: à quo Chaldæa Aſſyria dicta eſt: & Aſſyriorum regnū inde exortum eſt. quod tempore Seruch proaui Abrahæ factum eſt.

Phaleg genuit Ragau. Ragau genuit Seruch. Hoc tempore Belus Nembrotites Rex Babylonis (quia fuit alter Belus Rex Græciæ) intrauit Aſſyriam, ſed parum in ea obtinuit. Eo tempore Scytharum regnum exortum eſt: vbi primus regnauit Tanaus, & poſt eum Ninus. Seruch genuit Nachor. Ægyptiorum regnum ſumit principium, vbi primus regnauit Zoes qui & Mineus. Nachor genuit Thare: ſub quo regnū Aſſyriorum ampliatum eſt regnante Nino: quia primus in Aſſyriis regnauit Belus, quem quidam Saturnum exiſtimant. Ea quoq; ętate Sicyoniorum regnū exoritur: vbi primus regnauit Ægialeus: à quo Ægialea nuncupata eſt, quæ hactenus Peloponeſus vocatur. Et ſic quatuor principalia regna per idem tempus exorta ſunt: Aſſyriorum ab oriente, Scytharum ab Aquilone, Ægyptiorum à meridie, Sicyoniorū ab occidente. Eo tempore Ninus filius Beli poſt mortem patris primus bella campalia inſtituit, & armorum multa inſtrumenta inuenit, & auxiliante vxore ſua Semiramide, quæ in multis ſapientiſſima videbatur, totam Aſſyriam obtinuit: & ciuitatem in ea, in qua caput regni erat itinere dierū trium ampliauit, & à ſuo nomine Niniuem nuncupauit. Tum Cham qui Zoroaſtes filius Noe magicam artem reperit: & ſeptem liberales artes in quatuordecim columnis ſcripſit, ſcilicet in ſeptem æneis & ſeptem lateritiis cōtra diluuium & contra ignem. Ninus autem pugnando Cham Regem Bactrianorū vicit & occidit, & libros eius combuſſit. Eo quoq; tempore muri Babyloniæ à Semiramide Regina Aſſyriorum fortiſſimo & mirabili opere reædificantur. Hæc primo femoralia, id eſt, bracas inuenit, ne denudatio Noe in opprobrium ſuccederet filiorum. Ninus etiam idola primo inuenit ſic. Mortuo Belo Ninus in ſolatium doloris imaginem patris fecit fieri: cui tantam exhibebat reuerentiam, vt quibuslibet reis parceret, qui confugiſſent ad eam. Proinde homines de regno eius honores diuinos imagini cæperunt impendere. Maligni etiam ſpiritus quaſdam deluſiones circa imaginem faciebant: vnde cæcata mente miſeri mirabantur. Huius exemplo plurimi caris ſuis mortuis imagines dedicauerunt: & ſicut ab idolo Beli cætera traxerunt originem, ſic & ab eius nomine generale nomen ſumpſerunt. Sicut enim dictus eſt Belus ab Aſſyriis, ſic aliæ nationes ſecundum idiomata linguæ ſuæ dixerunt aliæ Bel, aliæ Beel, aliæ Baalim, imo & nomina ſpecificauerunt aliæ Beelphegor, aliæ Beelzebub dicentes.

Cirophanes primus idolatra Ægyptiorum. Chaldæi ignem adorabant, & cogebant

bant alios idem facere, alia idola comburentes. Sacerdotes verò Ægypti, qui aquam adorabant, eo quod Ægyptum præ cæteris regionibus vtilius irrigabat: magnum quoque idolum in honorem Beli formauerunt, remouentes autem coronam auream apposuerunt ei vas fictile ad modum coronæ perforatum: ad quod per occultos meatus aqua desuper veniebat inferioribus foraminibus cera obturatis. Venientes autē Chaldæi apposuerunt ignem, & liquefacta cera aqua defluens, quæ erat in corona extinxit ignem, & præualuerunt idola Ægypti.

Thare genuit Abraham. Frater Abrahæ Aram mortuus est ante patrem suum in Vr Chaldæorum: & est nomen ciuitatis, vbi hactenus sepultura eius ostenditur. Hebræi, Vr, ignem dicunt: & tradunt quod Chaldæi in ignem, per quem traiiciebant paruulos suos, proiecerunt Aram & Abraham, quia nolebant ignem adorare. Aram ibi expirauit: & Abraham Dei auxilio dicitur liberatus, vnde legitur: Ego sum qui eduxi te de Vr Chaldæorum. Thare autem habens odio terram propter luctum Aram, & non valens sustinere iniurias, quæ fiebant ei, vt coleret ignem; statuit peregrinari, & dedit Nachor Melcham vxorem, Abrahæ vero Sarai: qui & Loth fratrem vxoris in filium adoptauit, quia Sarai sterilis erat. Egressus est ergo Thare cum illis, vt irent in terram Chanaam: & venerunt vsque ad Aram Mesopotamiæ ciuitatem. Cumq; Abraham relicto patre, habens tamen propositum reuertendi iret per Mesopotamiam, locutus est ei dominus dicens; Egredere de terra & de cognatione tua.

Tertia ætas seculi.

TERTIA dehinc ætas seculi sequitur: in qua ideo post commemorationem Abrahæ, Isaac, Iacob, & Ioseph, per Hebræorum seruitutem in Ægypto, & per tempora iudicum anni quæruntur, quia in generationib. illis quatuordecim, quæ per Matthæum ab Abraham vsq; ad Dauid commemorantur, non vbiq; anni ipsi manifeste patescunt. Quod propterea dicimus, ne contrarium aliquid cuiquam videatur: quod alius illic generationum, alius hic annorum ordo seruatur: vbi anni quæruntur, cum illic euidens tantummodo generationum ordo texatur, qui perueniat vsq; ad Christum. Hic autem sola annorum veritas describatur, quæ in annis fidem collocet temporum.

Anni ab orbe c.	Abraham annorum c. genuit Isaac.
3414	Isaac annorum LX. genuit Iacob.
3474	Iacob annorum XCI. genuit Ioseph.
	Ioseph annorum XXXVII. genuit Ephraim & Manassem. & vixit annos CX.
	Hebræorum seruitus annorum CXLIIII.
	Moyses annos XL. rexit populum.
	Iosue annos XXVII.
	Othoniel annos XL.
	Aod annos LXXX.
	Debbora annos XL.
	Gedeon annos XL.
	Abimelech annos tres.
	Thola annos XXIII.
	Iair annos XXII.
	Iepthe annos sex.
	Abesan annos septem.
	Abdon annos octo.
	Samson annos viginti.
	Heli sacerdos annos XL.
4255.	Samuel & Saul annos XL.

Abraham cum esset septuaginta quinque annorum relicta gente & patria ad imperium Dei venit in terram Chanaam accipiens promissionem nasciturum de suo semine saluatorem. Et annorum centum genuit Isaac ex Sarra libera. Nam primum ex ancilla Agar genuerat Ismael: à quo Ismaelitarum genus, qui postea Agareni, ad vltimum Sarraceni sunt dicti. Hoc tempore mortuus est Ninus: cuius vxor Semiramis, vt posset regnare post eum, proprio filio, quem susceperat ex Nino, nupsit. & ex eo filium genuit, qui & Babyloniam ampliauit. Iacob annorum nonaginta genuit Ioseph. His temporibus Serapis Ionis filius Ægyptiorum Rex moriens in Deos transfertur.

Tunc apud lacum tritonidem Minerua in ſpecie virginali apparuiſſe fingitur: quæ plurimis claruiſſe ingeniis prædicatur. Hæc enim inuenit clypeum, & diuerſis coloribus reperit ordiri telam, & colorare lanas hæc docuit. Hæc dicitur Pallas à Pallante gigante, quem interfecit, vel à Pallante inſula, in qua nutrita eſt. Hanc Græci Mineruam dicunt. His temporibus factum eſt diluuium particulare in Achaia ſub Ogyge Rege. Tunc etiam Phoroneus Rex Argolicus filius Regis Inachi primus Græciæ leges dedit, & ſub iudice cauſas agi inſtituit: locumque iudici deſtinatum à nomine ſuo forum appellauit. Soror ipſius Iſis in Ægyptum nauigauit, & quoſdam apices litterarum tradidit Ægyptiis, de agricultura eos docuit & tūc ſegetes primo habere cæperunt: vnde cum Io diceretur, Iſis ab eis dicta eſt: quod in lingua eorum, terra ſonat: & ob hoc poſt mortem in Deos in Ægypto recepta eſt. Filius etiam Phoronei, qui Apis dictus eſt, eo tempore in Ægyptum nauigauit, quem quidam virum Iſidis tradunt fuiſſe, & ſimiliter ab Ægyptiis deificatus eſt & Serapis nominatus. Tunc etiam Prometheus dictus eſt feciſſe homines, cum quia de rudibus doctos fecit, tum quia legitur feciſſe imagines hominum quas arte quadam deambulare fecit. Inuenit hic primus anulum ſed ferreum, & in eo incluſit gemmā, & quartū digitū ſcilicet medicū ex eo muniuit, quia inde vſque ad cor vena quædam pertingit. Hoc tempore, vt dicitur, Triptolemeus in naui, in qua pictus erat draco in Græciam venit, & ampliauit agriculturam. Ceres etiam præter inſtrumēta arandi, menſurandi granum adinuenit, cum prius in † arconiis ſegetes ponerentur, & numerabatur triticum per aceruos: vnde à Græcis demetra dicta eſt. Tum etiam Telchines à Græcis victi & exules Rhodum condiderunt. Eo tempore Eſau primus equas aſinis iunxit, vnde ortæ ſunt mulæ. Tunc etiam Atlas in aſtrologia multa reperit, motumque cæli & rationem præ cæteris, qui præceſſerant, ſubtilius conſiderauit. Tunc fuit & Mercurius nepos Atlantis multarum artium peritus, & propter hoc poſt mortem in deum translatus. Hac etiam ætate primus Procidus quadrigam iunxit.

Arcumiis id eſt plauſtris ex Feſto. codex quidam legiſſe videtur, aceruis, & fortaſſis ea vera lectio eſt.

Vixit Ioſeph centum decem annis. Hebræorum ſeruitus centum quadraginta quatuor annis durauit in Ægypto. Quod autem legitur, quadringentis triginta annis fuiſſe filios Iſrael in Ægypto, nomine Ægypti intelligendus eſt omnis incolatus eorum, qui cæpit à promiſſione Abrahæ facta in via Meſopotamiæ: à qua vſque ad legem datam tot anni fluxerunt. ſolis enim centum quadraginta quatuor annis ſeruierunt filii Iſrael in Ægypto poſt mortem Ioſeph. Quibus expletis ea die egreſſi ſunt, qua Abraham exiit ad peregrinandum. Leui filius Iacob genuit Caath, qui genuit Amram, qui ex Iacobel genuit Moyſem ſub Amenophi Rege Ægypti, qui ſicut cæteri Reges Ægyptiorum Pharao dicebatur. Pharao interpretatur regnans. Iſte Amenophis odiebat valde populum, & eos ne vacarent amplexibus & generarent liberos, multis laboribus opprimebat.

Cum autem præcepiſſet Amenophis vt omnes pueri Hebræorum necarentur in flumine, quidam taurus ex improuiſo egrediebatur de flumine, aliquando maxime infeſto Apis, habens in humero dextro ſignum candidum inſtar lunę corniculatæ. Ad quem cum Ægyptii confluerent, multis generibus Muſicorum pſallentes, eleuabatur in aere, & ſuper eos tanquam pſallens ferebatur: & ad motum vel ſtationem ipſius ipſi mouebantur in terra, vel ſtabant, & eadem die euaneſcebat. vnde Apis ab Ægyptiis dicebatur. Tunc quidam Sacrorum ſcriba Regi prædixerat eo tempore maſculum naſciturum in Iſrael qui regna Ægyptiis humiliaret, & virtute tranſcenderet vniuerſos. Hac de cauſa poſtea filii Iſrael adorauerunt vitulos aureos opinantes quod per hunc ab Ægypto fuerint liberati. Amram autem poſt edictum ad vxorem nolebat accedere, ne in necem filios procrearent. Diuina autem ei reuelatio in ſomnis aſtitit dicens, ne timeret vxorem cognoſcere, quia puer quem timebant Ægyptii, erat naſciturus ex ea. Concepit autem Iacobel & peperit. Et videns puerum elegantem abſcondit tribus Menſibus. cumque celare non poſſet, ſumpſit fiſcellam ſcripeam, & liniuit eam bitumine ac pice: & ponens intus infantulum in carrecto ripæ expoſuit eum, ne impetu fluminis raperetur, ſtante procul ſorore paruuli Maria, & ex præcepto matris rei exitum expectante. Et ecce deſcendit Thermut filia Pharaonis vt lauaretur in flumine. Quæ videns alueolum & ſibi afferri iubens, vidit paruulum vagientem: & miſerta eius dixit: de infantibus Hebræorum eſt hic. Sic enim Deus venuſtauerat eum, vt etiam ab hoſtibus dignus haberetur alimento. Et cum plures Ægyptiæ præberent illi vbera, nolebat accipere. Et ait Maria: vis adducam Hebræam? fortaſſis accipiet vbera gentis ſuæ. Ex præcepto ergo Thermut matrem paruuli tanquam alienam adduxit: & ſtatim

puer

puer ad vbera eius acceſſit. Suſcepit Iacobel puerum à Thermut alendum, & ablactatum reddidit filiæ Pharaonis: quæ vocauit eum Moyſes, & eum in filium adoptauit. Ægypti enim, mos, aquam, is, ſaluatum dicunt. Quem dum quadam die Thermut obtuliſſet Pharaoni, vt ipſe adoptaret eum, Rex admirans pueri venuſtatem, coronam auream quam geſtabat, capiti eius impoſuit, erat in ea imago idoli Ammonis fabrefacta. puer coronam in terram proiecit & fregit. Sacerdos autem Heliopoleos, qui prædixerat per quendam puerum Hebræum in proximo ruituram Ægyptum, à latere Regis ſurgens exclamauit dicens: Hic eſt puer, quem Deus nobis occidendum monſtrauit vt de cætero timore careamus: & voluit irruere in eum, ſed defendente Rege liberatus eſt. Etenim quidam ſapiens aſſerebat, quod pueriliter & per ignorantiam eſſet hoc factum à puero: vnde non debebat ei vllatenus imputari. In cuius rei argumentum cum allatas prunas puero obtuliſſet, puer eas ori ſuo appoſuit, & linguæ ſummitatem corrupit: vnde dicitur impeditioris linguæ fuiſſe. Tantæ pulchritudinis extitiſſe fertur, vt nullus adeo eſſet crudelis, qui eius aſpectui non hæreret. Multique dum cernerent eum per plateam ferri, occupationes in quibus ſtudebant, deſererent. Hunc Thermut aſtronomia & omni Ægyptiorum ſcientia fecit erudiri.

Cum autem eſſet Moyſes adultus & ſtrenue doctus, Æthiopes vaſtauerunt Ægyptum vſque Memphim. Ægyptii vero conuerſi ad diuinationes, acceperunt reſponſum, vt vteretur auxiliatore Hebræo, & vix obtinuerunt à Thermut, vt exercitui quem parauerant, præficeret Moyſem, prius præſtitis ſacramentis, ne ei nocerent. Erat enim Moyſes vir bellicoſus & ſapiens, qui fluminis iter tanquam longius prætermittens per terram duxit exercitum itinere breuiori, vt improuiſos Æthiopes præueniret. Etenim per loca deſerta & ſerpentibus plena iter faciens tulit in arcis papyri ſuper plauſtra ibices ciconias Ægyptias naturaliter ſerpentibus infeſtas, quæ roſtro per poſteriora immiſſo aluum purgant, & caſtrametaturus proferebat eas, vt ſerpentes fugarent, & deuorarent: & ita tutus per noctes tranſibat exercitus. Tandem præuentos expugnans poſt fugã incluſit eos in Sabba regia ciuitate, quæ poſt Meroe dicta eſt. Erat ciuitas inexpugnabilis: & cum Moyſes diu obediſſet eam, Tharbis filia Regis Æthiopũ iniectis oculis in eum ex conditione illi tradidit ciuitatem, vt duceret eam vxorem, quod ita factum eſt. Dum autem Moyſes vellet redire in Ægyptum, eo quod Tharbis erat idololatra, & eam plene ab errore non poterat reuocare, ipſa non acquieuit. Proinde Moyſes ſapienter in gemmis duas imagines ſculpſit huius efficaciæ, vt altera memoriam, altera obliuionem conferret. Inſeruit gemmas anulis: & obliuionis anulum vxori tradidit, & alterum ipſe tulit. cæpitque mulier amoris viri obliuiſci, & ita Moyſes in Ægyptum libere regreſſus eſt. Inde eſt quod Aaron & Maria poſtea iurgati ſunt aduerſus Moyſem pro vxore eius Æthiopiſſa. Tam in factis Moyſis quam aliorum ſanctorum patrum virtus diuina mundanam ſapientiam adiuuauerat.

Egreſſus Moyſes in terram Ieſſem, vidit præfectum operis Ægyptium percutientem quendam de Hebræis: & ſecreto percuſſum Ægyptium abſcondit in ſabulo. Et cum audiſſet Pharao verbum hoc, quærebat eum occidere. Qui fugiens per deſertum venit in terram Madian, & ciborum inopiam virtute tolerantiæ ſuperabat. Et venit ad ciuitatem Madian circa mare Rubrum, ſic nominatam à quodam filio Abrahæ de Cethura. & accepit Sephoram vxorem, filiam Raguelis ſacerdotis Madian, id eſt, primatis. Antiquitus enim primates ſacerdotes vocabantur. Raguel agnominabatur Iethro & cognominabatur Cyneus. Dedit ei ſocer omnem curam gregum ſuorum: in quibus omnis antiquis barbaris nationibus erat poſſeſſio. Cumque minaſſet gregem ad interiora deſerti, venit in montem Dei Sina, qui in quadam parte ſui dicitur Oreb: & apparuit ei dominus in flamma ignis in medio rubi. Erat autem mons ad paſturas egregius. Sed paſtores illuc aſcendere non præſumebant, tum quia excelſus erat, tum quia opinio erat Deum habitare in monte. Mortuus eſt tunc Pharao Rex Ægypti: & Phua filius Iuſti Heliopoleos ſacerdotis: qui quęrebat occidere Moyſem: & præcepit ei dominus vt deſcenderet in Ægyptum ad liberandum fratres ſuos. Tunc temporis multi Ægyptiorũ timentes ruiturã Ægyptum ad alias ſedes ſe tranſtulerunt. Vnde Cecrops venit in Græciam & ibi vrbem condidit, quam Actam vocauit, & poſt Athenæ dicta eſt. Hanc quidam Græcorum Didas, & quidam Archomeniam dixerunt. hæc eſt mater liberalium litterarũ & nutrix philoſophorum. Cecrops dictus eſt Diphyes & eſt nomen Ægyptium, quod latine dihomo vel bicorpor dicitur, vel propter proceritatẽ ſtaturæ, vel propter vtriuſque linguæ peritiam Græcæ ſcilicet & Ægyptię. Sub quo in

arce præter communem vſum oliua nata eſt. Hic ex nomine Mineruæ antiquos Athenienſes vocauit. Iſte etiam bouem immolans primus in ſacrificio Iouem adorare præcepit Creditur etiam hoc tempore egreſſum Dionyſium Bacchum, qui Argos condidit. Dicitur & diluuiũ in Theſſalia factũ ſub Deucalione Rege: & Phaetontis incendiũ fabuloſũ. Hoc tẽpore Corinthus eſt cõdita, & ibi ars picturæ ab Atlante reperta & aſtrologia publice declarata. Iamnes & Mambre inſignes magi Pharaonis: qui omnia ſigna, quæ dominus faciebat per Moyſem, corã Pharaone facere cõtendebant; cũ apud Aſſyrios regnaret Aſcades, apud Argiuos Troyphas. Octoginta annorum erat Moyſes, cum eduxit populũ Dei de Ægypto & quadraginta annis ſub prædictis Regibus rexit eum. Tunc Iudæi cum lege litteras habere cœperunt. Tunc templum Delphis conſtruitur. Lacedæmon conditur. Tunc primi Curetes & Corybantes imitantes armorum ſtrepitum modulatam ſaltationem & conſonam inuenerunt.

Rexit Ioſue populum annis viginti ſeptem. Troianorum gens antea Dardana à Dardano extitit nominata. Nam Dardanus & Iaſius fratres è Græcia profecti: ex his Iaſius ad Thraciam, Dardanus ad Phrygiam peruenit, & ibi regnauit primus. Poſt quem eius filius Erychthonius & nepos eius. Tros: à quo Troiani nominati ſunt. Tros Rex Gannimedis pater. His temporibus Erychthonius Athenienſium princeps qui Vulcani filius dicitur fabuloſe, currum iunxit in Græcia primus: & Troilus quadrigam in Troia. Iam enim erat currus inter alias nationes: Iſis Epaphum genuit, qui Memphim condidit cum in ſola Ægypto regnaret. Buſiris Rex valde crudelis fuit in hoſpites, ita vt eorum multos decapitaret & tormentis afficeret multis: Illum etiam cui præceperat facere bouem æneum intus concauum, innocuum, in eo primum combuſſit, vt eiuſdem bouis ſophiſticum experiretur mugitum.

Phænix & Cadmus de Thebis Ægyptiorũ in Syriã profecti in regione Tyri & Sidonis regnauerunt. Cadmo in Græciam recedente, terra à Phænice Phænicea dicta eſt. Tunc Europæ filiæ Phænicis fabuloſe Iupiter mixtus eſt. Danaus per quinquaginta filias, filios Ægiſti fratris interfecit vno tãtum ſcilicet, Lino ſuperſtite, qui regnauit poſt eum. Othoniel annis quadraginta. Tũc Cadmus Thebis regnauit, qui primus Græcas litteras adinuenit. Ex filia eius Semele natus eſt Dionyſius liber pater. Bythinia condita eſt à Phænice: qui Phænicibus quaſdam litteras tradidit, & ad ſcribendum vermiculum inſtituit, vnde & color ille puniceus quaſi phæniceus dictus eſt. Ephyra quæ nunc Corinthus dicitur à Siſipho ampliata eſt. Minos filius Europæ regnauit in Creta. Per idem tempus Linus & Amphion apud Græcos in arte muſica claruerunt. Aod annis octoginta populũ iudicauit. Tunc ciuitas Cyrene in Libya condita eſt. Tũc ficta eſt fabula de Tryptolemo quod iubente Cerere ſerpentium pennis geſtatus, id eſt longa nauigatione Eleuſim veniens frumenta diſtribuit: & Proſerpinam rapuit. de Rege Moloſorum Orco & de cane eius Cerbero tricipite, qui Peritoum deuorauit. De Phryxo & Elle ſorore ſua, quod ariete vecti per aerem volauerunt: & nouercales inſidias euaſerunt. De Hippocentauris quod equorum hominumque natura permixti fuerũt. De Bellerophonte quod pennis equi volãdo ſit vectus. De Amphione quod citharæ cantu lapides & ligna commouerit. De Gorgone meretrice, quæ crinita ſerpentibus in ſe aſpicientes in lapides conuertebat. Hanc Perſeus occidit, quia ob nimiam pulchritudinem & quibuſdam maleficiis ſpectatores ſuos mentis impotes faciebat. In Dardania regnat Tros à quo Troia multo honore eſt ampliata. Nam primo ſub Ioſue à Troilo condita fuit. Dionyſius in India Niſſam condidit. Debora annis quadraginta. Apollo Chitharam condidit, & medicinæ artem inuenit, & incantationem Pythonicam reperit. quare videbatur mortuos ſuſcitare. Regnum finitum eſt Argiuorum, & in Miſſenas translatum. Liber pater obiit: cuius ſepulchrum apud Delphos iuxta Apollinem habetur aureum. depingitur autem corpore muliebri, quia mulieres militantes cum viris habuit primus. Ilium ab Ilo conditur, & Miletus ædificatur. Picus qui fertur fuiſſe filius Saturni regnat in Latinis primus. Et notandum quod Hebræi ſub numero annorum iudicum comprehendunt interpoſitos annos ſeruitutis & quietis. Et ipſos iudices non exercuiſſe dominium in populo Iſrael: ſed conſilium & auxilium in tribulationibus præbuiſſe.

Gedeon iudicauit populum quadraginta annis. Tunc Meltinius inuenit ſyringas trahens hoc nomẽ à Syringa vxore Cadmi. quæ propter ſtudium harmoniæ à viro ſuo receſſit. Reperit etiam lyram hoc modo. Inuenit concham teſtudinis mortuæ: cuius nerui arentes & extenſi flatu auræ percuſſi tenuem ſibilum reddebant: ad quorum imitationem lyram reperit, & Orpheo tradidit. Hic fertur in Hiſpaniam

veniſſe

veniſſe,& ciuitatem Florem condidiſſe. Tres fuerunt Mercurii. Primus fuit Hermes. Secundus iſte qui & Trimegiſtus philoſophus. Tertius Mercurius minor in multis ſtudiis clarus. Tunc Tyrus condita eſt: & Dædalus aues fecit metallinas,quæ volare videbantur ſpiritu artificioſo incluſo. Similter etiam fecit ſimulacra ſe mouentia. Hic cum filio Icaro naui fugiens propter inueſtigabilem fugam pennis auolaſſe æſtimatus eſt: vnde & fabula de ipſo facta eſt. Argonautarum hiſtoria ſcribitur. Muſæus diſcipulus Orphæi, & Linus magiſter Herculis claruit. Minos Cretenſibus legem dicitur dediſſe, quod Plato negat. Hydram vero callidiſſimum fuiſſe ſophiſtam aſſerit Plato. Abimelech annis tribus. Hic primus legitur regnaſſe in populo Iudæorum: qui tamen non fuit Rex ſed tyrannus. Iſte ſeptuaginta fratres ſuos interfecit:& à muliere fragmen molæ in capite accipiens poſt vulnus occiſus eſt ab armigero ſuo apud oppidum Thebes. Nota quod à Thebis Ægyptiorum dicuntur Thebæi: à Thebis Græcorum dicuntur Thebani: à Thebe Iudæorum dicuntur Thebitæ. Hoc tempore † Silemon primus apud Phicium in Græcia eorum inuenit: *Filemon.* quod inſtrumentum eſt pellis cum duabus cicutis, per alteram reſpiratur, & per alteram reddit ſonum. Thola annis viginti tribus. Priamus poſt Laomedontem regnat in Troia. Hercules Antæum palæſtræ artis inuentorem in palæſtra vicit & interfecit: & Ilium vaſtauit. Bellum fuit inter Lapithas & Centauros: qui fuerunt nobiles milites Theſſalorum. Theſeus in agone Minotaurum occidit: propter quod Athenienſes tributarii,pueri à pœna liberati ſunt. Fuit autem Minotaurus vir fortis & inhumanus magiſtratus Minois, valens in palæſtra: vnde dictus eſt Minois taurus,id eſt,Minois carnifex. Tunc ficta eſt fabula de Minotauro beſtia labyrintho incluſa. Iair annis viginti duobus. Hercules agonem Olympiacum inſtituit. Carmentis nympha Latinas litteras reperit. Theſeus Helenam rapuit, quam rurſus receperunt fratres eius Caſtor & Pollux capta matre Theſei,eo peregre profecto. Iepte annis ſex. Hercules flammis ſe iniecit,quia in morbum inciderat peſtilentem. Abeſan annis ſeptem. Agamemnon Athenis imperauit vel Mycenis. Menelaus Lacedæmone. Abdon annis octo. Alexander, qui & Paris, Helenam rapuit. Bellum decennale Troiæ ſurrexit. Memnon & Amazones in ſubſidium primo arma tulerunt: & ad vltimum famoſum Troiæ excidium prædicatur. Tamen ſecundum quoſdam ſub iudice Abeſan Paris Helenam rapuit. Et poſt Abeſan teſte ſacra ſcriptura Aialon iudicauit Iſrael decem annis, qui anni, quia non habentur apud ſeptuaginta interpretes ab Euſebio ſub Samuele & Saule computantur, quorum annos hiſtoria non oſtendit. Poſt Aialon Abdon iudicauit Iſrael: cuius anno tertio Troia capta fuit. Tunc Græci ad gloriam victoriæ ſuæ cæperunt annotare tempora ſua ſic: Anno à captiuitate Troiæ.Incepta vero Olympiade annotarunt tempora ſecundum numerum Olympiadũ.Capta Troia Menelaus & Helena venerunt ad Thuorum Regem Ægypti,qui alio nomine Polybus vocatur. Anno tertio à captiuitate Troiæ mortuo Latino Rege regnauit Æneas in Italia tribus annis:qui ob nobilitatem regnandi dictus eſt primus Rex Latinorum.In qua prius regnauerant Ianus, Saturnus, Picus, Faunus, Latinus, circiter centum quinquaginta annis. Hac ætate Vlyſſes nauigio in Hiſpaniam venit,& ciuitatem Vlisbonam condidit.

Samſon iudicauit Iſrael viginti annis. Eo tempore Aſcanius filius Æneæ qui ſecundus Rex Latinorum dictus eſt, Albam condidit. Tunc Vlyſſis fabulæ vel Sirenarum fictæ ſunt. Fuerunt enim Sirenæ mulieres meretrices,quæ cantu & pulchritudine decipiebant nauigantes. Heli ſacerdos annis quadraginta. Fere viginti anni fluxerunt ſine iudice,qui aggregati ſunt annis, quibus iudicauit Heli. Tertius Rex Latinorum Syluius Poſtumus,filius Æneæ & Lauinæ: à quo deinceps Latini Reges Syluii nominati ſunt. Hunc Aſcanius hæredem reliquit adhuc viuente paruulo filio ſuo Iulio,à quo Iuliorum familia nomen & originem traxit. Filii Hectoris Ilium receperunt Neſtoris expulſis poſteris. Samuel & Saul quadraginta annis. Incertum eſt vtrum Samuel ante regnum Saulis viginti annis vel amplius populum iudicauit. Secundum Apoſtolum autem certum eſt,quod ambo rexerunt Iſrael quadraginta annis. Tunc apud Latinos quartus regnauit Syluius Æneas filius Poſtumi. His temporibus Homerus philoſophus dicitur floruiſſe. Saul autem poſt mortem Samuelis regnauit duobus annis. Iſte fuit primus Rex in Iſrael.

Quarta ætas seculi.

IN hac quarta ætate si cuiquam forte contrarium esse videtur, quod non ipse numerus quatuordecim generationum hic seruetur, qui in Matthæo complectitur, attendat inter Ioram Regem & Ioathan, omissa Athalia, tres Reges in medio prætermisisse Matthæum, qui hic cum annis suis ponuntur: & in euangelio detrahuntur pro eo quod Ioram genus se miscuerat impiissimæ Iezabel: & idcirco vsq; ad tertiam generationem eius memoria tollitur, ne in sanctæ natiuitatis ordine poneretur. Quanquam & illud præ cæteris considerare conueniat, quod plures fuerunt successiones, paucio- res autem generationes. Non enim quæ Regum eadem generationum sunt tempora: vnde & Matthæus, quos ad generationem non putauit pertinere, præteriit.

Anni ab orbe c. Dauid regnauit annis quadraginta.
4295 Salomon regnauit annis quadraginta.
Roboam regnauit annis decem & septem.
Abia regnauit annis tribus.
Asa regnauit annis XLI.
Iosaphat regnauit annis viginti quinq;.
Ioram regnauit annis octo.
Ochozias regnauit anno vno.
Athalia regnauit annis septem.
Ioas regnauit annis quadraginta.
Amasias regnauit annis viginti nouem.
Ozias † Azarias regnauit annis quinquaginta duobus.
Ioathan regnauit annis sedecim.
Achaz regnauit annis sedecim.
Ezechias regnauit annis viginti nouem.
Manasses regnauit annis quinquaginta quinq;.
Amon regnauit annis duodecim.
vno. Iosias regnauit annis triginta † duobus.
Ioachim † Sedechias & Iechonias regnauerunt annis vndecim.
Sedechias regnauit annis vndecim.

Dauid regnauit quadraginta annis, qui fertur vixisse centum decem annis. Iste congregauit marmora, ferrum, lapides pretiosos, aurum, argentum, & æs Corinthium: de quibus postea constructum est templum Dei. In Corintho fuit olim templum idolorũ cum infinitis idolis ex ære, argento, & auro. Quo ab Annibale combusto metalla fluxerunt & commixta sunt: & quia maior pars ærea erat, talis commixtio vocata est æs Corinthium. De tali ære Salomon fecit mare æneum, columnas & altare. Habuit Dauid secum triginta fortes, & tres fortiores, atq; tres fortissimos: ipse tamen fortior & insignior omnibus erat. Tres fortissimi fuerunt primus Lesboam, qui à Iosepho Eusebius dicitur, secundus Eleazar filius patrui Dauid. Tertius Semnaa Ararites, quem Iosephus Semeiaam vocat. Post istos fuerunt tres, scilicet Abisai, Banaias, & Sobocay. Cõposuit Dauid cum pace frueretur cantica & hymnos alios trimetros, alios quinque metros, adinueniens violam, nablum, psalterium & alia musica instrumenta: in quibus Leuitæ per solennitates hymnos dicerent Deo. Est autem psalterium canora cithara decem chordis coaptata, quæ plectro percutitur, nablum vero duodecim sonos habens digitis tangitur. Nocent Principes & Prælati, qui cum pace fruuntur, venationibus & vanitatibus intendunt. Hoc tempore Carthago incæpta est à Carchedone Tyrio, & filia eius Didone consummata. Quintus Latinorum Rex Syluius Latinus regnat. prophetantibus Gad, Nathan, & Asaph. Codrus Atheniensium Rex sponte pro salute patriæ hostibus se offerens interimitur. Salomon regnauit annis quadraginta, & vixit annis quinquaginta duobus. Quod autem legitur, quod senuerit, potest intelligi, quod propter nimium concubitum mulierum debilitatus anticipatam habuit senectutem. Tamen vt dicit Iosephus octuaginta quatuor annis vixit. Fecit Salomon ob honorem patris iuxta sepulchrum eius opere mechanico octo subterraneos loculos thesaurorũ. Duxit vxorẽ filiam Pharaonis Regis Ægypti: de qua, vt fertur, genuit filium quasi contra naturam, cum ipse adhuc esset vndecim annorũ. Ante quatuordecimum annum viri & duodecimum fæminæ generare non consueuerunt. Quarto anno regni sui cæpit ædificare templum domino: quod octo annis cõsummauit, vt dicit Iosephus. Posuit Salomon lapides grandes de marmore candido, quod parium dicitur, in fundamento templi habentes viginti cubitos in longitudine, & decem

& decem in latitudine, & in altitudine quinque. Lapides & ligna extra ciuitatem dolabantur: vnde malleus, ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo domini cum ædificaretur. Fertur tamen quod habuit Salomon ſanguinem vermiculi, qui Thamir dicitur, quo dura marmora facile ſecabantur. quem inuenit hoc modo. Erat ei ſtruthio habens pullum; quem iubente Salomone ſub vaſe vitreo ſapientes eius incluſerunt. Quem cum videns ſtruthio habere nequiret, tulit vermiculum de deſerto: cuius ſanguine liniuit vitrum, & fractum eſt. Iſto ſanguine operarii ligna & lapides facillime incidebant: & clauos cum quodam glutino figebant. Tanta fuit gloria Salomonis, quod ante fores domorum in Hieruſalem plurima ſedilia argentea fierent. Ad operum eius incredibilem opinionem Regina Sabba regiæ ciuitatis Æthiopæ venit videre Salomonem: & admirans prudentiam & diſpoſitionem gloriæ Salomonis dedit illi gemmas pretioſas, aurum, aromata infinita, & etiam radicem balſami: vnde propagatæ ſunt in Engadi vineæ balſamitæ. Quæ cum reuerteretur multis donata muneribus Salomonis, fertur ſcripſiſſe illi, quod in domo † ſalutis lignum quod- *falſum* dam opertum auro viderat, in quo ſuſpendendus erat quidam cæleſtis propheta, pro cuius morte regnum Iudæorum periret: & certis illud indiciis ſcripturarum declarauit Regi. Timens autem Salomon diſcindere lignum, eo quod Rex Dauid in magna illud habuerat reuerentia, in profundiſſimis terræ viſceribus occultauit illud. tempore autem Chriſti in probatica piſcina ſupernatauit: quod lignum dominicæ crucis creditur fuiſſe. Hæc Regina Sibylla dicta eſt: quia ſapientes fæminæ hoc nomine antiquitus dicebantur. His diebus fuit Rex ſextus Latinorum Syluius Alba Syluii Æneæ filius.

Roboam regnauit annis decem & ſeptem. Regnum Iſrael à Iuda diuiditur. Fertur tempore huius auem nō volaſſe ſuper Hieruſalem, & fere deſperaſſe Iudæos. Hoc tempore Latinorum Rex fuit ſeptimus Syluius Athys ſiue Ægyptus: & Reges in Samaria haberi cæperunt. Abia annis tribus. ſub quo Hebræorum Pontifex Maximus Abimelech inſignis eſt habitus. Aſa annis quadraginta vno. Prophetæ in Iudæa Aggæus, Zacharias, Micheas, Amos, Ioel, & Iehu. Tunc fuit octauus Rex Latinorum Syluius Capis. Ioſaphat annis viginti quinque. Prophetæ Helias, Abdias, & Micheas. Nonus Latinorum Rex fuit Syluius Carpentus. Decimus Syluius Tiberinus, à quo fluuius dictus eſt Tiberis, qui prius Albula dicebatur. Vndecimus Syluius Agrippa. Ioram annis octo. Hic accepit vxorem Athaliam filiam Achab & Iezabel. Prophetæ Helias, Heliſæus, & Abdias. Helias erat vir piloſus, ſicut fuerat Eſau: vnde in bona ſignificatione & in mala inuenitur piloſus. Heliæ ſeptem inſignia miracula prædicantur. Ochozias anno vno. Helias rapitur. Athalia regnauit annis ſeptem. Hæc interfecit omne ſemen Regis Dauid quod reperit, male ſeducta vt ipſa ſola regno potiretur. Ionadab filius Recab ſacerdos clarus habetur. & Iorada Pontifex, qui ſolus poſt Moyſem vixiſſe annis centum triginta perhibetur.

Ioas regnauit annis quadraginta. Hic cum argueretur à Zacharia filio Ioiadæ, fecit eum obrui lapidibus inter templum & altare: & omnes filii eius cum eo lapidati ſunt, præter vnum poſtumum, qui poſt eum dictus eſt Zacharias. Ex tunc, vt fertur, non accepit populus reſponſum in templo manifeſte ſicut prius, nec ex Dabir, id eſt rationali, nec ex Ephod. Heliſæus moritur, cuius virtutes quatuordecim prædicantur. Lycurgus Legislator Apollinis apud Græciam inſignis habetur. Rex Latinorum duodecimus Syluius Aremulus, qui præſidium Albanorum inter montes, vbi nunc Roma eſt, poſuit. Huius filius fuit Iulius proauus Iulii Proculi, qui cum Romulo Romam commigrans fundauit Iuliam gentem. Amaſias annis viginti nouem. Carthaginem hoc tempore quidam aſſerunt conditam, alii vt ſuperius: iſto autem tempore fuit innouata & ampliata. Rex Latinorum tredecimus Syluius Auentinus regnat: & in eo monte, qui nunc pars vrbis eſt, mortuus & ſepultus æternum loco vocabulum dedit. † Azarias annis quinquaginta duobus. Olympias *Oziam* primum à Græcis inſtituitur. Agnus in Græcia loquitur. Sardanapalus Rex vltimus monachus Aſſyriorum, victus ab Arbace Medo ſponte ſemetipſum concremauit: & tunc Arbaces monarchiam Aſſyriorum ad Medos tranſtulit. Simile poſtea fecit Darius acciſo Balthaſſar. Fuerunt tamen Reges Aſſyrii ſi non à Deo monarchi, tamen potentes vſque ad ſubuerſionem Niniuæ. Lacedæmoniorum Reges deficiunt. Tunc Heſiodus poeta claruit: atq; Phidon Argiuus pondera & menſuras reperit, Oſee, Amos, Iſaia, & Iona prophetantibus in Iudæa. Tamen ſecundum quoſdam Ionas tempore Ieroboan Regis Iſrael prophetauit. Hic euerſionem Ni-

niuæ prædixit: quæ multo post tempore impleta est. Nam inundatione fluminis, pluuiarum, atque ictibus fulminum & terræmotuum subuersa fuit, cum ciuium iniquitas abundaret: vnde videtur quod dilata est Dei sententia non deleta. Rex Latinorum quatuordecimus Syluius Amulius. Hoc tempore ascendit Phul Rex Assyriorum in Thersan: & dedit ei Manahem Rex Israel pecuniam multam vt recederet ab eo. Fertur etiam quod promisit ei vitulos aureos, qui erant in Dan & in Bethel, vt esset sibi in auxilium. Sacerdotes autem absconderunt vitulos aureos, & fecerunt æreos deauratos: quos misit Manahem Regi Assyriorum. Qua fraude postea percepta Rex Assyriorum nimium exarsit contra Israel. Vnde ascendit Phul qui & Theglatphalsar dicitur, in terram Israel: & vastauit omnem regionem trans Iordanem: & captiuauit duas tribus & dimidiam, scilicet, tribum Rubem, & Gath, & dimidiam Manasse. Ex quibus tamen tribubus in possessione sua Iudæi aliqui remanserunt: vastans quoq; Galilæam de tribu Zabulon & Neptalin multos transtulit in Assyrios qui possent dimidiæ tribui comparari: vnde sæpe reperitur quod tres tribus captiuauit. Hoc fuit initium captiuitatis decem tribuum Israel.

Ioathan annis sedecim. Romulus & Remus gemelli & ex patre Marte & matre Ilia nascuntur. Qui à lupa nutriti feruntur, quæ creditur fuisse meretrix quæ prostitutione sua multos occidebat. Tamen potuit esse vt Deus à lupa illos expositos vellet nutriri, per quos ciuitas sancta Roma habebat fundari. Prophetabant in Iudæa Osee, Ioel, Isaias, & Micheas.

Achaz annis sedecim. Roma à Romulo & Remo conditur in monte Palatino Olympiade quinta. Olympias vocabatur ludus qui fiebat in quinto anno quatuor mediis annis vacantibus. Et ob hoc Elidum certaminis tempus Olympiadem vocauerunt quadriennio sub vna Olympiade supputato: & dicebatur Olympias ab Olympo monte. Tunc temporis Senacherib Rex Assyriorum septem tribus captiuauit: & & iuxta flumen Gozam vltra montes Medorum & Persarum, vbi erat prima trium tribuum captiuitas, eos habitare fecit: & Samaritas accolas in terram Israel misit. Huius tempore Tobiæ historia incepta est. Anno ab vrbe condita tertio Remus rastro pastorali occisus est à Fabio duce Romuli. Consualibus ludis Sabinæ raptæ sunt: & pulcherrima fęminarum data est Thalamoni duci Romuli: vnde, quia bene cessit illi, Iocus nuptiarum exinde dictus est Thalamus. Ezechias regnauit annis viginti nouem super tribum Iuda, Beniamin & dimidiam Manasse. Hoc tempore Romulus milites ex populo sumpsit scilicet, ex mille vnum: qui sub Tatio Rege Sabinorum Romulo fauebāt quos Quirites appellauit. Ex populo centum nobilissimos viros elegit, qui ob curā ac solicitudinem reipublicæ patres vocati sunt, & ob ætatem senes. Romulus apud paludem Capreæ nusquam comparuit: ob quam causam deificatus est, & suadente Lucio Quirini nomine consecratus. Post Romulum prædicti senes singuli per quinos dies rempublicam rexerunt per annum fere & dimidium. Quod tempus interregnum appellatur. Tunc in Sicilia Syracusa & Catina conditę sunt. Post Romulum Numa Pompilius regnauit: qui prædictos senes senatores appellauit. Hic primus congiarium militibus dedit, id est, imperialem largitionem in sui promotione. Qui & primus Pōtifex, & & vestales virgines instituit: falsorumq; deorum numerositate vrbem impleuit. De Achaz patre pessimo ortus est optimus Ezechias.

Manasses annis quinquaginta quinq;: qui malum habuit principium, finem bonum. Numa Pompilius duos menses, scilicet, Ianuarium & Februarium decem mensibus anni adiecit; Ianuarium diis superioribus, Februarium inferis dedicauit, & Capitolii fundamenta iecit. Sibylla Erophila claruit in Samo, vnde & Samia dicta est. Partheni Tarentum condiderunt. Glaucus de Choo primus ferri glutinum excogitauit. Amon annis duobus post mortem patris, qui decem annis regnauerat, vt fertur viuente patre. Tertius Romanorum Rex Tullus Hostilius. Hic primus Regum Romanorum purpura & fascibus vsus est: priorque in Rep. censum exegit: quod adhuc per orbem terrarum incognitum erat. hic post longam pacem bella reparauit. Albanos vigentes vicit. adiecto monte Cælio ampliauit vrbē: & tandem cum domo sua fulmine conflagrauit. Iosias regnauit annis triginta † duobus. *vno* Quartus Romanorū Rex Ancus Martius Numæ nepos ex filia Auentinum montem & Ianiculum Vrbi addidit: supra mare Hostiam condidit. Oraculo Dodonæo primo Græcia vsa est. Quintus Romanorum Rex Tarquinius Priscus: qui muros Romæ, cloacas, id est, occultos meatus, Capitoliū, & circum extruxit, & ludos Romanos instituit. Arion à delphino in Tenarū dicitur deportatus. Thales Milesius philosophus claruit, qui defectib.

Solis

Solis acutiſſima perſecutione comprehenſis Aſtrologiæ numerum primus inueſtigauit. prophetantibus in Iudæa Hieremia & Sophonia. Reliquit autem Ioſias tres filios, Eliachim,qui & Iechonias,primogenitum quindecim annorum,Ioachaz , qui & Sellum dictus eſt,& tertium Mathaniam. Tulit ergo populus Sellum , & conſtituit eum Regem pro patre ſuo,& regnauit tantum tribus menſibus: quia Rex Ægypti veniens in Hieruſalem amouit eum,& conſtituit Ioachim Regem pro eo.

Ioachim annis vndecim. Huius anno tertio Nabuchodonoſor Iudæam captam tributariam fecit. Duxerat namq; Sellum in dolo ſub ſpe honorandi eum in Ægypto; & cum veniſſet in Reblatha vinxit eum,& ligatum miſit in carcerem. Tunc Daniel, Ananias,Azarias,& Miſael in Babylone claruerunt. Quos Nabuchodonoſor obſides, quia erant de ſemine regio,cum aliis nobilibus Iudæis traxit in Babylonē.Ioachim autem Rex Babylonis ſibi repugnare volentē Hieruſalem veniens dolo cepit & occidit, & extra muros inſepultum proiici iuſſit.& inuenta ſunt ſtigmata,id eſt,vſtiones in corpore occiſi more gentiliū,& nomen idoli,quod colebat Nabuchodonoſor.Et cōſtituit Nabuchodonoſor filium eius Ioachim Regem pro eo æquiuocum patri. Qui regnauit tribus menſib. & decē diebus. Cumq; receſſiſſet Nabuchodonoſor,timuit ne Ioachim memor mortis paternæ adhæreret Ægyptiis & pugnaret aduerſus eum: ideo rediit & obſedit Hieruſalē. Sed egreſſus eſt ad eum Ioachim cum matre & cum principib. ſuis, & cum omnib.viris robuſtis circiter duo millia,&cum omni familia ſua: inter quos erat Mardochæus & Ezechiel propheta cum aliis multis. Rex Nabuchodonoſor tranſtulit eos in Babylonē cum omnib.vaſis & theſauris domus domini,& domus regiæ. Et cōſtituit patruū Ioachim,ſcil.Mathaniā Regē pro eo,quem Sedechiā vocauit. Timuit Nabuchodonoſor ne reuerteretur Ioachim in Iudæā,& incarcerauit eū. Iſti quia ſpōte ſe tradiderunt,proprie dicti ſunt tranſmigratio Iudæ. Alii vero qui poſtea per violentiā traducti ſunt,dicūtur captiuitas Iudæ. Ab hac tranſmigratione,ſcilicet,ab anno nono regni Nabuchodonoſor quidam inchoant numerare ſeptuaginta annos captiuitatis.

Sedechias annis vndecim. Hunc Rex Babylonis veniens Hieruſalem cum populo captiuum duxit:& templum incenſum eſt anno ædificationis ſuæ CCCCLIV. dum Nabuzardan princeps coquorum ex præcepto Nabuchodonoſor vellet transferre omne aurum & argentum , quod erat in ædificiis templi,fecit puteum in medio templi: & ipſum templum impleuit lignis,ſtipula,& pice,& appoſuit ignē: vbi tanta fuit vis flammæ,vt omnino lapides, aurum, & argentum diſſoluerentur: & cum decurrerent metalla per præparatos riuulos ad prædictum puteum,diſruptus eſt puteus fere vſque ad abyſſum: ita quod de metallis templi ne modicum quidem potuit inueniri. Per idem tempus Sapho mulier diuerſo poemate in Græcia claruit.Solon Athenienſibus Leges dedit.Rex Romanorum Sextus Seruius,nobilis captiuę filius,qui tres montes Vrbi addidit Quirinalem,Viminalem,& Eſculum. foſſas circa muros duxit: & ſtatuit primus, vt Romani ciues exigerent cenſum per ſubditas regiones. Tandem occiſus eſt à Tarquinio ſuperbo Priſci Tarquinii filio. Eodem tempore apud Græcos ſeptem Muſæ,id eſt,ſeptem ſapientes ſunt appellati. Nabuchodonoſor cum intraſſet Babylonem poſt triumphum,victimas ſolennes immolauit diis ſuis. Et cum recumberet poſt ſolennitatem vndecim dierum exhilaratus cum Principibus ſuis præcepit vt adduceretur Sedechias in medium & aliqui de cantoribus templi cum eo qui pſallerent coram eo in muſicis inſtrumentis,& canerent hymnos de canticis Sion.Bibebant conuiuæ in vaſis domus domini:quorum Nabuchodonoſor quædam conſecrauit idolis,&quædam retinuit ſibi. Cumq; darent pſallentib. potum,præcepit Rex vt ſecreto daretur Sedechię potus laxatiuus:& coram omnibus ignominioſe laxatus eſt: & rurſum reduxerunt eū in carcerem.Qui nimio afflictus dolore poſt paucos dies mortuus eſt. Rex autem Nabuchodonoſor fecit eum cum honore regio ſepeliri.

Traditur quod Hieremias priuſquam templum ſuccenderetur,tulit arcam teſtamenti cum iis quæ erant in ea,& detulit eam inter duos montes,in quibus fuerunt ſepulti Moyſes & Aaron,& in quodam ſpecu miſit,& os ſpeluncæ magno lapide clauſit: atq; in ipſa petra Dei nomen impreſſit:& factum eſt ſigillum in ſimilitudine ſculpturæ, quæ ferro cauatur. Et nubes operuit locū,ita vt nullus poſſet agnoſcere eum. Illic tamē ſæpe nubes vt ignis fit nocturno tempore,eo quod à ſua lege Dei gloria non recedat. Reliquerat Rex Nabuchodonoſor de pauperibus terræ filios Iſrael vt colerent terrā. Qui ducentes ſecum Hieremiam & Baruch fugerunt in Ægyptum.Cumq; redargueret eos Hieremias,quod ſacrificabant diis alienis lapidauerunt eum: Ægyptii vero honorauerunt prophetam ſepelientes eum in ſepultura Regum memores beneficiorum,

quæ præstiterat Ægypto. Oratione namq; sua fugauerat aspides & crocodilos, quibus Ægyptus prius infestabatur. Post hæc anno quinto euersionis Hierusalem descendit Nabuchodonosor in Ægyptum, & subuertit eam. Denuo Iudæos, quos ibi reperit, captiuos duxit in Babylonem. Ab hac vltima captiuitate reliquiarum Iuda, quidam numerant septuaginta annos, vsque ad secundum annum Darii filii Histaspis. Tres enim fuerunt captiuitates. Prima fuit productionis manifestæ: quæ incepit quartodecimo anno regni Iosiæ Regis iusti, & durauit vsq; ad primum annum Regis Cyri. Secunda incepit anno tertio Regis Ioachim, quæ fuit afflictionis, & durauit vsq; ad vicesimum annum Cyri. Tertia incepit vltimo anno Sedechiæ, quæ fuit desolationis & durauit vsque ad secundum annum Darii filii Histaspis. Tamen magis videtur quod septuagesimus annus à destructione templi vsq; ad perfectam restaurandi licentiam sit computandus.

Quinta ætas seculi.

QVINTA ætas à transmigratione Babylonis vsq; ad Christum, quam Matthęus per generationes exequitur; quia in progenitoribus quis quot annis vixerit, non facile noscitur, vt pote in captiuitate constitutis. Ideo melius numerus annorum ætatis huius vsque ad Christum per historias gentium cognoscitur adhibendus. Tamen sciendum quod scriptura sacra, si pauci menses vel dies solido annorum numero superfuerint, in annorum numeris putandis eos ponere minime consueuit. Item si pauci defuerint pro solido per synecdochen computantur, partem anni plerunq; ponendo pro toto. Quod in hoc opere factum pluries reperitur. Item vnus & idem Rex patri conregnauit. prius regnare cæpit: qui postea fuit illius vel alterius regni maiori gloria decoratus. Quare quidam computant à principio regni eius & alii à sublimatione maiori: vnde videtur in scripturis sæpe discordantia suboriri. Quod prudens & sedulus lector clare aduertere potest.

Anni ab orbe c.	Hebræorum captiuitas annis LXX.
4810.	Darius annis XXXIIII.
	Xerxes annis viginti.
	Artaxerxes annis quadraginta.
	Darius, qui & Nothus annis decem & nouem.
	Artaxerxes annis quadraginta.
	Artaxerxes annis viginti sex.
	Arses annis quatuor.
	Darius annis sex.
	Alexander annis quinque.
	Ptolemæus annis quadraginta.
	Philadelphus annis triginta octo.
	Euergetes annis viginti sex.
	Philopator annis decem & septem.
	Epiphanes annis viginti quatuor.
xxv.	Philometor annis † triginta quinque.
	Euergetes annis viginti nouem.
	Soter annis decem & septem.
	Alexander annis decem.
	Ptolemæus annis octo.
	Dionysius annis triginta.
	Cleopatra annis duobus.
quatuor	Iulius Cæsar annis † quinque.
	Octauianus Augustus vsque ad natiuitatem Christi annis quadraginta duobus.
5327.	

Hebræorum captiuitas annis septuaginta permansit: in quibus ignis ab altari Dei subtractus & absconditus in puteo post septuagesimum regressionis annum assumitur inuentus viuus. Annus septuagesimus à destructione templi vsque ad perfectam restaurandi licentiam est computandus. Nabuchodonosor elatus superbia, & non cognoscens Deum, vt debuit post reuelationes somniorum, quæ vidit, ab hominibus est eiectus, & fænum vt bos comedit. Mutatus est non corporis mutatione, sed alienatione mentis, & videbatur ei, quod esset bos in anterioribus, & in posterioribus Leo, quia in prima ætate voluptuosus fuit, & ceruicosus, & in fine multos interfecit: & nullus Regum

gum ei resistere potuit. Daniel autem orauit dominum,& obtinuit,vt septem menses verterentur.In quibus quadraginta diebus insaniam patiebatur,& per alos quadraginta ad cor hominis vertebatur, donec septem menses complerentur. Post quos reuocatus est:non tamen statim regnauit, sed statuti sunt pro eo septem iudices,& vsq; ad finem septem annorum pœnitentiam egit panem & carnes non comedens & vinũ non bibens iuxta consilium Danielis.Et cum iterum regnasset,voluit Danielem cohęredem facere filiorum:& Daniel noluit.

Euilmerodach autem filius Nabuchodonosor, cum pater insaniam pateretur, multa mala gessit in terra:vnde Nabuchodonosor restitutus regno misit eũ in carcerẽ, vbi erat Ioachim Rex Iuda. Dilexit autem Euilmerodach Ioachim valde,& pepigit cum eo amicitiarum fœdus.Post hæc mortuus est Rex magnus,Nabuchodonosor vocabatur,qui de spoliis hostium templum Beli in Babylonia magnifice decorauit. ciuitatem reparans, ita vt fere nequaquam obsidentes valerent flumen auertere,paternis munitionibus multo maiora addidit. Sepulchrum patris mirabili opere decorauit: & in dieb. quindecim miranda ædificia consummauit. Detulit etiam lapides grandes:ex quibus fecit instar montis ædificium magnum, & superplantauit arbores, & hortum, qui suspensus dicebatur,eo quod vxor eius,quæ in finibus Medię nutrita fuerat,regionẽ suam à longe videre desiderabat. Asserunt quidam eum fortitudine & operum magnitudine Herculem transcendisse. Tamen obsedit fortissimam ciuitatẽ Tyrum trib. annis & decem mensibus,& non cepit eam. Mortuus est eo tempore Rex Nabuchodonosor:& regnauit Euilmerodach filius eius pro eo. Hic duxit vxorem fratris sui: ex qua genuit Egeasar,Lobosardach,& Balthasar.Euilmerodach anno primo regni sui eleuauit Ioachim Regem Iuda de carcere:& posuit thronum eius super thronum Regũ qui erant cum eo in Babylone.Et timens ne resurgeret pater suus qui de bestia resurrexerat in hominẽ, & quia sepulchrum eius aliquando moueri videbatur,consuluit Ioachim:ad cuius consilium patrem secreto extumulauit,& cor atq; cadauer eius in trecentas partes diuisit & dedit eas trecentis vulturibus comedendas. Et ait ad eum Ioachim : Non resurget,inquit,pater tuus nisi redeant vultures in vnum quos euolare fecisti. Mortuus est Euilmerodach, & regnauit Egeasar filius eius pro eo. Cui successit Laborsardach frater eius. Isto defuncto ad Balthasar fratrem eius transiit imperium. Sub istis sex Regibus expleti sunt septuaginta anni captiuitatis Iudæorum: quæ primo anno Cyri Regis Persarum laxata est.

Darii filia fuit mater Balthasar : pro qua factus est hortus suspensilis : & quia Balthasar filium non habebat,festinabat Darius occupare regnum. Similiter Cyrus erat nepos Darii filius sororis Balthasar : per quam idem Balthasar adeptus est Babyloniæ regnum.Petebat Cyrus ab Balthasar partem eiusdem regni:& ille contempsit eum habere consortem:vnde Cyrus Rex Persarum congregato exercitu cum Dario auunculo suo Rege Medorum Assyrios & Babyloniam petit bello vendicaturus regnum Balthasar. Scindens autem primo impetum fluminis Tigris secundæ post Euphratem magnitudinis, ipsum flumen per magnas concisum deductumq; fossas in trecentos sexaginta alueos comminuit : & alueum ad siccum vsq; perduxit. Eo prædoctis opere fossoribus etiam Euphratem longe validissimum fluuium per mediam Babyloniam interfluentem multis fossis deriuauit:ac sic meabilibus vadis eo diminuto exercitib. suis iter siccum aperuit. Intrauerunt igitur hostes: & capta est vrbs tunc longe cunctis gloriosior & opulentior : quam humano opere posse extrui vel humana virtute capi vel destrui posse,fere apud mortales incredibile videbatur. Ipsa nocte Balthasar viderat manum scribentem contra se in pariete : & eadem nocte interfectus est à Chaldæis.

Darius regnauit annis triginta quatuor. Huius anno secundo Iudæorum est captiuitas resoluta. Cyrus enim tanquam maiori in omnibus deferebat. Nempe Babylonia à Nembrot gigante fundata, à Semiramide Regina reparata delitiis & fortitudine abundabat. Hæc campi planicie vndique conspicua , natura loci lætissima , castrorum altitudine mirifice decorata , mænibus paribus per quadrum pulchre disposita, firmitas & magnitudo murorum eius vix relatu credibilis, habens in latitudine cubitos centum quinquaginta & altitudine sexcentos ab hostium cunctorum incursibus secura videbatur. Ceterum ambitus eius quadringentis octoginta stadiis † circumuenitur. Ipsa autem latitudo murorum in consummatione pinnarum,vtroque latere habitaculis æque dispositis media intercapedine sui iunctas quadrigas capit.Murus coctili latere atq; interfuso bitumine erat compactus. *circumuelli-tur.*

Foſſa extrinſecus late patens vndique vice amnis circumfluit. In fronte autem murorum erant centum portæ æreæ nimiæ magnitudinis. Et tamen Babylon illa à Deo fortis & magna minima mora victa & capta ſubuerſa eſt. Cyrus poſtquam Babyloniam vt hoſtis inuaſit vt victor euertit, vt Rex diſpoſuit, bellum tranſtulit in † Libyam.

Lidiam.

Tenuit Darius anno primo monarchiam ſibi exhibente obedientiam Cyro: ſecundo vero anno conſtituit Cyrum monarcham, quia eum ſuper ſalutem propriam diligebat. Vnde Cyri monarchiæ anno primo ſuſcitauit Deus ſpiritum eius, & dedit libertatem omnibus Iudæis, qui erant in regno ſuo, & licentiam redeundi in Iudæam, & ædificandi domum domini. Cumque Iudæi inciperēt ædificare, Samaritæ inuidentes impediebant eos. Et cum non poſſent eos impedire per ſe, dederunt munera Principibus Regis Perſarum, qui erant poſiti ſuper terram, vt eos impedirent. Vnde factum eſt vt ignorante Cyro adeo impedierint eos, quod in triginta annis, in quibus Cyrus regnauit, non erexerunt muros templi niſi vſque ad apodationem. Porro Cyrus cum percuſſiſſet Creſum iuxta fluuium Halim, gentem Lydorum bellicoſiſſimam aſtute redegit in ſocordiam: tradidit enim illis ſollemnitates & ludos, præcipiens eis vt luſibus, comeſationibus & amplexibus vacarent quaſi beneuolentiam in eis oſtendens: & in hunc modum eos eneruauit: & quos bello non poterat, per libidinem expugnauit. Poſtea vero miſit nuntios ad Thomirim Reginam Maſagetarum, vt eum acciperet in coniugem. Quæ cum nollet ab exercitu Thomiris Cyrus bello victus eſt & occiſus. Quæ caput illius præciſum in vtrem plenum ſanguine humano proiiciens inſultando dixit: ſatia te ſanguine quem ſitiſti.

In diebus Cyri ſeptimus Rex Romanorum Tarquinius ſuperbus à regno eſt expulſus & merito, quia vrbem velut Rex premebat, velut exactor ſeruitiis perurgebat, velut hoſtis bellis & ſeditionibus regnum euertebat, & crudelitate Tarquiniorum, quos ſecum habebat, deuaſtabat Romam. Hic excogitauit diuerſa genera tormentorum ſcilicet, vincula taurea, fuſtes, latumias, carceres, compedes, catenas, & exilia. Cauſa etiam Tarquinii iunioris filii ſui, qui Lucretiam nobilem matronam corruperat, omnibus erat odioſus. Poſt hunc Romani ſibi conſules præfecerunt, & leges ſtatuerunt vſque ad Iulium Cæſarem. Sicque factum eſt, vt cadente Babylonia ſurgeret Roma. Babylon namque à Cyro Rege Perſarum eſt ſubuerſa & Roma eo tempore à peſtifera Tarquiniorum Regum dominatione eſt liberata. Siquidem cecidit orientis regnum, & ortum eſt imperium occidentis. Et per quatuor mundi partes quatuor regnorum principatus eminentes extitiſſe noſcuntur. Babylonium regnum ab oriente, Carthaginenſe à meridie, Macedonicum à ſeptentrione, ab occidente vero viguit Romanum imperium. Primus conſul Romanorum Brutus fuit vix tenente Roma imperium vſque ad quintumdecimum miliarium: quamuis quædam aliæ regiones ſibi iam fauorem & ſeruitium exhiberent propter eius fortitudinem & prudentiam. Inde etiam tribuni plebis & dictatores & rurſum conſules rempublicam rexerunt vſque ad Iulium Cæſarem.

Mortuo Cyro ſucceſſit ei filius eius Cambyſes qui apud Eſdram Artaxerxes vel Aſſuerus dicitur. In hiſtoria vero Iudith Nabuchodonoſor vocatur. Per idem tempus Iudith hiſtoria ſcribitur. Pythagoras quoque Arithmeticæ artis inuentor, atque Xenophanes comœdiarum ſcriptor inſignis habetur. Ieſus ſacerdos magnus, & princeps gentis Zorobabel claruit. Aggæus, Zacharias, & Malachias prophetæ claruerunt. Cambyſes autem ingreſſus Ægyptum vaſtauit eam & condidit Babylonem in Ægypto: cumque reuerteretur ab Ægypto ægrotabat & ferebatur ceruicibus Regum. Et mortuus eſt in Damaſco.

Erant tunc in Perſide ſeptem magi, id eſt, ſeptem ſapientes, & conuenerunt inter ſe vt venirent diluculo in atrium palatii ſuper equos ſoli ante fores templi. Et cuius equus prius hinniret, Rex conſtitueretur. Erat vnus eorum Darius filius Hiſtaſpis: qui ſecrete mandauit cuſtodi equorum ſuorum vt in loco ad quem in craſtinum conuenire debebant, equo ſuo de nocte ſupponeret equam. Quo facto cum in craſtinum ſeptem magi ad dictum locum veniſſent, ſtatim ad equæ memoriam equus Darii hinnitum dedit: & continuo Darius in Regē eſt eleuatus. Erat ei valde familiaris Zorobabel, & obtinuit ab eo anno ſecundo regni ſui conſtructionem templi, & vaſa domini remitti in Hieruſalē. Et conſummatū eſt tēplū quadrageſimo ſexto anno à prima licentia quā dedit Cyrus redeundi & ædificandi templum. Vnde in Euangelio dicitur: quadraginta & ſex annis ædificatū eſt templū hoc. Poſt Dariū Xerxes filius eius regnauit, qui Deū

coluit

coluit, & multa glorioſe geſſit. Darius autem magnus filiam Cyri duxerat vxorem ex qua genuit Xerxem, qui regnauit annis viginti. A quo tempore in Iſrael non Reges ſed Principes fuerunt vſque ad Hyrcanum & nepotem eius Ariſtobolum. Tunc temporis Herodotus hiſtoriarum ſcriptor & Xeuſis agnoſcitur pictor, Heſiodus, Pindarus; Sophocles, & Euripides tragœdiarum ſcriptores fulſerunt, Gorgias primus rhetor claruit. Hoc tempore lapis habens formam caprinam in Ægæum mare viſus eſt cecidiſſe de cœlo.

Artaxerxes qui & Longimanus regnauit annis quadraginta. Eſdras ſacerdos legem à Chaldæis ſuccenſam per ſpiritum ſanctum reparauit, & ſcribendi modum & nouos apices litterarum excogitauit, qui faciliores ad ſcribendum fierent & ad pronunciandum. Prius enim arantis more ſcribebant de ſiniſtra in dextram & de dextra in ſiniſtram, vnde ſcribere dicitur exarare. Nehemias muros Hieruſalem reſtaurauit, & dux Iſrael fuit. Ariſtarchus, Ariſtophanes, Sotades tragœdiarum ſcriptores habentur. Hypocras medicus, Socrates philoſophus & Demetrius claruerunt. Darius qui & Nothus annis decem & nouem. Plato philoſophus floruit. Dionyſius in Sicilia tyrãnidem exercuit. Ignis de Æthna vſque ad mare erupit. Ægyptus à Perſis receſſit. Hic fecit vineam auream in qua erant diuerſi generis gemmæ pro racemis pendentes. Artaxerxes qui à Iudæis Aſſuerus dicitur, annis quadraginta. Eſter hiſtoria expletur. Plato quoque & Xenophon claruerunt. Athenienſes viginti quatuor litteris vti cœperunt, cum antea ſedecim ſolummodo vterentur. Senones Galli duce Brenno Romam inuaſerunt & ex ea partem maximam cremauerunt. Romani ſex mẽſibus tribunis militaribus pro cõſulibus vti cœperunt. Obiit Anaxagoras philoſophus & Heraclytus tenebroſus atque Democritus. Socrates venenum bibit & mortuus eſt. Diogenes claruit. Magnus philoſophus Ariſtoteles Hiſpanus natione in Græcia Platonem audiuit: & in multis floruit maxime dialectica & metaphyſica. Artaxerxes annis viginti ſex. Hic Ochus dictus eſt & ciuitate Apodaſmo Iudæorum capta in Hircaniam accolas translatos iuxta mare Caſpium collocauit. Arſes annis quatuor. Demoſthenes primus orator agnoſcitur. Romani Gallos ſuperauerunt. Iudæorum Pontifex maximus Iaddus: cuius frater Manaſſes templum in monte Garizion cõſtruxit ad ſimilitudinem templi Hieruſalem: & multos Iudæorum ſecum aſſociauit. Darius annis ſex. Eodem tempore Manlius Torquatus conſul Romanorum filium ſuum virgis cæſum ſecuri percuſſit, quia contra imperium conſulum cum hoſtibus pugnauit, & tamen vicit eos.

Alexander Macedo annis quinque. Iſte regnauit annis duodecim: ſed illi quinque hic tantummodo computantur quibus Aſiæ monarchiam tenuit ſolus. Fuit filius Philippi Regis Macedonum: qui per inſidias eſt peremptus à Pauſania trahente genus ab Oreſte. Alexander viginti annorum erat cum regnare cœpiſſet: qui volens obtinere Syriam tranſiit Helleſpontum. Et congregati ſunt aduerſus eum duces Darii qui erant trans flumen: & ſuper Granicum fluuium expugnauit eos. Tunc Darius Arſami filius collegit exercitum magnum, & tranſiuit Euphratem, & montes Ciliciæ, ſperans iuxta montem Taurum in Armenia minore Macedones expugnare. Commiſſo autem prælio victus eſt Darius ab exercitu Alexandri: & capta matre eius vxore ac filiis ad Perſas fugit. Alexander autem cepit Damaſcum & ſubiugata Sydone Tyrum obſedit. Et ſcripſit ad Iaddum principem ſacerdotum in Hieruſalem, vt ſibi præberet auxilium & exercitui venalia præpararet & redderet ſibi tributa, quæ prius Dario conferebat. Reſpondit autem Iaddus ſe Dario ſacramenta dediſſe, nec eo viuente poſſe tranſcendere conſtituta. Tunc iratus Alexander valde comminabatur Iudæis, & iniectis aggeribus coæquauit muris ciuitatis, & cepit Tyrum fortiſſimam ciuitatem: quam fortis Rex Nabuchodonoſor fere per quatuor annos obſedit & eam non potuit capere. Deſtructa igitur Tyro & terræ coæquata magnus timor inuaſit omnes orientales qui audierũt. Poſt hæc obſedit Alexander Gazam, & ea capta Hieroſolymam feſtinabat. Timentes autem Iudæi clamauerunt ad dominum, & immolabant hoſtias. Summus ſacerdos Iaddus obtulit ſacrificium. & cũ obdormiſſet admonitus eſt à Deo quid faceret. Et exurgens à ſomno ciuitatem Hieruſalem multis inſigniis ornauit: & ipſe pontificalibus indutus, & reliqui ſacerdotes cum eo ſtolis legitimis decorati venienti Alexandro obuiã extra ciuitatem proceſſerunt. Alexander autẽ intuens ſummum Pontificẽ ſacris veſtibus inſignitũ ira mutata in manſuetudinẽ ſtatim de equo deſcendit, & nomen domini quod ſcriptũ erat in lamina aurea, quæ erat in fronte ſacerdotis, adorauit. Interrogatus autem quare ſacerdotem gentis Iudææ adoraſſet, reſpondit:

Non hunc adoraui, ſed Deum cuius principatum ſacerdotii gerit: nam per ſomnium in tali habitu Deum conſpexi, dum eſſem in Macedonia: qui mihi totam Aſiam ſe daturum promiſit. Ingreſſus itaque vrbem Alexander ſecundum iuſſionem ſacerdotis in templo ſacrificium obtulit, & dona multa auri & argenti contulit, & conceſſit Iudæos vbique patriis legibus vti, & ſeptimum annum ſine tributo eſſe propter ſabbathum terræ: atque exinde cum lætitia & deuotione profectus eſt. Cumque veniſſet ad montes Caſpios, miſerunt ad eum filii captiuitatis decem tribuum poſtulantes, vt daret eis licentiam in terram Iſrael reuertendi. Qui cum quæſiſſet captiuitatis cauſam, accepit eos adeo Iſrael receſſiſſe idolis & vitulis aureis immolando. Tunc reſpondit quod arctius includeret eos: cumque anguſta viarum loca obſtrueret molibus bituminatis terra ſubito tremuit, & fulgur cecidit, & præciſis rupibus maxima montium pars corruit & loca meabilia obſtruxit. Rex autem Alexander interfecit Darium Regē Perſarum & Regem Porū: qui fecerat vitem magnā ex auro: vbi erāt quaſi racemi omnium lapidum pretioſorum inæſtimabilis pretii. Accepit aurum & lapides Alexander & diuiſit exercitibus ſuis. Et cum poſt multos triumphos totius Aſiæ monarchiā obtinuiſſet, poſuit in Lybia Gades, id eſt, columnas æreas & marmoreas & arcum triumphalem. Reuertens autē in Babylonem ſumpto veneno vſum linguæ amiſit: & extremam voluptatem ſuam ſcripto expreſſit. Noluit monarchiam ſuam in aliquem transferre ne aliquis par ei potentia apud poſteros legeretur. Duodecim quos ab adoleſcentia ſocios habuerat regni ſucceſſores inſtituit. Hæc autem inſtitutio nō ſtetit: nam quatuor ex his abiectis aliis regnauerunt. Fertur etiā duodecim Alexandrias cōdidiſſe per numerum annorum quibus regnauerat: in Lybia quoque Aretho condidit ad indiciū virtutis ſuæ. Tunc regnū Perſarum deletū eſt. Poſt mortē Alexandri regnū eius diuiſum eſt ſecundū Danielis prophetiā in quatuor ventos cœli. In Ægypto enim quæ eſt ad meridiem, primus regnauit Ptolemęus, qui Soter eſt cognominatus filius Lagi: à quo ſequētes Reges Ægypti Ptolemæi dicti ſunt In Macedonia Philippus, qui & Arideus, frater Alexandri, quæ eſt ad occidentē Syriæ & Babyloniæ & ſuperioribus locis, quæ ſunt ad ad orientem, Seleucus Nicanor imperauit Aſiæ & Ponto & ceteris in eadem plaga prouinciis, Antigonus imperauit ad ſeptentrionem.

Poſt Alexandrum in Syria regnauit Seleucus. Poſt Seleucum Antiochus Soter: à quo ſucceſſores Reges Antiochi dicti ſunt. Poſt Antiochus Theos. Poſt Antiochus Galeritus. Poſt Antiochus Magnus. Poſt Antiochus Epiphanes. Hic cum eſſet Romæ pro patre obſes, mortuo patre clam reuerſus in Syriam exhibuit ſe benignum omnibus & munificum. Strenuus erat in agendis & acer in hoſtes: vnde à populo cognominatus eſt Epiphanes, quod ſonat illuſtris. Qui cum ſibi regnum adeptus eſſet, aperuit malitiam inſitam ſibi, & erexit ſe impius contra Deum. Hic enim Hieruſalem dolo inuaſit, & templum expoliauit, Ephebiam, id eſt, Lupanar epheborum in Hieruſalem conſtituit, leges Dei abſtulit, cunctos ſibi ſubditos in idolatriam impulit, & ſummum ſacerdotium impiiſſimo Iaſoni vendidit. Ob quam cauſam ignis ſacrificii, qui per ſeptuaginta annos Babylonicæ captiuitatis & etiam amplius in puteo ſub aquis vixerat extinctus eſt ſuper altare, quamuis lignorum fomite nutriretur. Vnde notādum quam inæſtimabile malum ſit apud Deum vitium ſimoniæ.

Ptolemæus Soter poſt Alexandrum regnauit in Ægypto annis quadraginta. Hic in Iudæam ſub ſpecie ſacrificandi Deo Hieruſalem veniens die ſabbathi multos Iudæorum cepit: & tam de Iudæa quam de Garizim captiuos trahens ad Ægyptum rediit & venditioni expoſuit: vnde à negotiatoribus nationum per multas regiones diſtracti ſunt & diſperſi. Inde eſt quod in actibus Apoſtolorum legitur: quod erant habitantes in Hieruſalem Iudæi viri religioſi ex omni natione quæ ſub cœlo eſt. Tunc liber primus Macchabæorū incepit. Menander Comicus, & Zenon & Theophraſtus philoſophi claruerunt. Eo tempore Apius Claudus Cæcus Romæ claruit: qui aquas Claudias induxit, & viam Apiam lapidibus nigris ſtrauit. Cenſu Romæ agitato inuenta ſunt ciuium ducenta ſeptuaginta millia: quoniam ſingula capita ciuium dederunt nomen vt certus numerus haberetur. Conditæ ſunt à Romanis Ariminum & Beneuentum.

Ptolemæus Philadelphus annis triginta octo. Hic nutu Dei dedit edictum, vt omnes Iudæi qui erant ſub eius ditione, haberent licentiam in terram ſuam redeundi, & obſeruandi legem Dei. Miſit etiam munera ad Eleazarum ſummum ſacerdotem in Hieruſalem rogans vt mitteret ſibi legem Dei & viros peritos qui eam transferrent de Hebræo in Græcū. Eleazarus vero miſit ſapientiſſimos viros ſeptuaginta duos cū lege ad Ptolemæū. Qui recepit eos honorifice: & quidquid ab eis obſcurū quęſiuit inuenit:

& ma-

& maxime de cognitione Dei & administratione regni: & in septuaginta duobus diebus in singulis cellulis transtulerunt totam legem: & per spiritum sanctum vna & eadem tam in verbis quam in sententiis inuenta est editio omnium. Placuit factũ Regi: & eos bene remuneratos remisit gratias agẽs. Eleazaro quoq; transmisit munera multa. In templum misit vasa sancta quæ potuit inuenire. Misit etiam mensam magnam gemmis pretiosissimis insignitam: cuius spissitudo cum esset dimidii cubiti, opus tamen materiam superabat. Eo tempore Sostratus Pharum in Alexandria construxit mirabile valde: erat enim turris altissima in littore maris sita, non in terra fundata, sed super quatuor cantos vitreos posita: & tantæ magnitudinis artificio quod ignis in summo positus totum littus irradiabat. Erat quoq; in ea mirabile phanum sepulchrum Arati in Sicilia admiratione dignum: nam saxa iacta super eum resiliunt. Tunc Aratus astrologus claruit: & argentei numi primum Romæ cuduntur. Carthaginenses nauali prælio vicerunt Romanos Metello consule fugato.

Ptolemæus Euergetes frater Philadelphi annis viginti sex. Hic ab Ægyptiis Euergetes dictus est, quod reuectio sonat. Etenim post vastatam Syriam, Ciliciam, & partẽ Asiæ inter innumera spolia quæ cepit, etiam Deos eorum, quos Cambyses in Persas transuexerat, reportauit. Eo tempore Iesus filius Sirac ecclesiasticum librum sapientiæ composuit, & quædam Salomonis verba interseruit in eo. Ennius Tarentinus à Catone quæstore Romã translatus est. Quadraginta fere millia Gallorũ à Romanis cæsa sunt. Apud Rhodũ colossus magnus corruit terræmotu. Erat enim imago maxima tam miræ magnitudinis, vt sagitta ad summũ dirigi non valeret. Caput eius tantæ magnitudinis quod capere poterat triginta coros grani: in inferiori parte in plantis pedum eius apertura erat, vnde homo intraret & ad caput ascenderet.

Ptolemæus Philopator annis decem & septem. Fuit filius Euergetis. Ab isto Iudæi prælio victi sexaginta millia corruerunt: Siciliamq; Marcellus consul obtinuit.

Ptolemæus Epiphanes annis viginti quatuor. Libri secundi Macchabæorum historia inchoat. Hac ætate Romani victos Græcos liberos esse iusserunt dicentes: impium est seruos esse, apud quos philosophia primum orta est magistra morum & inuentrix liberalium disciplinarum.

Ptolemæus Philometor annis triginta quinq;. Per idem tempus Scipio Africam vicit: & Terentius comicus claruit. Hunc Ptolemæum Rex Syriæ Antiochus magnus vicit, & Iudæam sibi subiugauit. Tributa septimi anni & ministrorũ templi, quæ Philadelphus relaxauerat, reuocauit. Qui dum finitimas regiones supra modum infestaret, delata est res ad Romanos: & missi sunt ad eum Scipio Africanus & Scipio Nasica & ab infestatione sub religione iurisiurandi amouerunt eum. Insuper tulerunt ab eo obsidem filium eius Seleucum. Quem volens recipere ab eis tradidit pro eo filium minorem natu Antiochum Epiphanẽ: ita quod esset obses perpetuus. Antiochus magnus regnante Ptolemæo Epiphane Syriam & Ægyptũ fortiter infestabat. Onias autẽ sacerdos assumptis plurimis Iudæorũ fuit in Ægyptũ: & accepit à Rege, Helipoleos regionẽ, & in eo struxit templũ simile templo Iudæorũ asserens se implere vaticiniũ Isaiæ dicentis: Erit altare domini in Ægypto & titulus eius in terminis eius. Hoc templũ Ptolemæus Philometor multis diuitiis & gloria decorauit: quod postea Vespasianus cum ipsa ciuitate quæ dicebatur Oniæ funditus euertit. Occisus est in Perside Antiochus in phano Naneæ, id est, fortunæ: & membratim eiectus est à sacerdotibus qui dolose promiserant ei thesauros: & regnauit pro eo filius eius Seleucus pessimus & iners. Eo tempore Aristobolus natione Iudæus peripateticus philosophus scripsit commentarios in Moysem Ptolemæo Philometori. Antiochus vero Epiphanes qui erat Romæ obses, occulte fugit in Syriã, & obtinuit regnũ. Hic templũ Hierusalẽ spoliauit, & omnẽ vsum sacrificiorũ remouit: idolũ Iouis Olympici inter duos Cherubim posuit, & sanctuarium pphanauit. Pensanda valde tunc prudentia Romanorũ: nã subditos sibi, amicos vocabant strenue defendentes. Vnde cum Antiochus obsideret Alexandriã Ægypti, legati Romanorũ missi sunt ad Ægyptios liberandos quib. fœderati erant. Cumq; applicuissent, egressus est eis obuiã Antiochus. & cum staret in littore, dixit ei Marc. Publius: Senatus populusq; Romanus præcipiunt tibi recedere ab amicis suis: cumq; ille peteret inducias respondendi, Marcus circa illũ fecit circulũ in sabulo dicens: Senatus populusq; Romanus præcipiunt tibi ne egrediaris de hoc circulo donec respondeas. Ad quæ Antiochus: si sic visũ est senatui populoq; Romano recedendũ est: & recessit ab Ægypto. Tunc tẽporis Mathatias leges patrias fortiter vindicauit. Quo mortuo Iudas Macchabæus ducatũ Iudæorum suscepit. Antiochus autem cum iterũ proponeret Iudæam

euertere & facere Hieruſalem polyandrium Iudæorum, iuſſit in furore agitari currum: & ſtatim apprehendit eum grauis dolor viſcerum, & cadens de curru in petram colliſus eſt: ferebatur humeris in geſtatorio, & ebullientes vermes fluebant à carne eius: & nec ipſe nec exercitus fætorem illius poterat ſuſtinere. Cognouit Antiochus potentiam Dei: & fatebatur ſe pati hoc pro violatione templi, atque inter amariſſimos dolores in montibus miſerabiliter mortuus eſt.

Ptolemæus Euergetes annis viginti nouem, qui Philologus dictus eſt. Hoc tempore per conſules Brutum & Tolemonem Hiſpaniæ maior pars à Romanis plus ſapientia quam armis obtenta eſt: & conſtructa ciuitas Toletana. Ionathas dux & pontifex Iudæorum. Quo à Triphone interfecto Simon frater eius in ducatum & ſacerdotium eleuatur: & quia Romani ſapienter & clementer ſe gerebant regendo fere totus orbis eorum dominium expetebat.

Ptolemæus Soter annis decem & ſeptem. Varro Ciceroque naſcuntur. Thraces Romanis ſubiiciuntur.

Ptolemæus Alexander annis decem. Syria per Gabinium ducem in Romanorum dominium tranſit.

Ptolemæus Phiſcon Cleopatræ filius annis octo. Hic poſtquam à matre per Gabinium ducē fuerat eiectus anno octauo regreſſus de Cypro regnū obtinuit: eo quod Alexandrū, qui ante eum regnauerat, ob interfectionē matris ciues à regno expulerāt. Per idem tempus Sylla Athenienſes vaſtat: Saluſtius quoque hiſtoriographus naſcitur. Ariſtobolus filius Ioannis Hyrcani regnum & pōtificatum Iudæorū poſt captiuitatē Babyloniæ obtinuit primus. Plotius Gallus latinam rhetoricam primus docuit Romæ.

Ptolemæus Dionyſius annis triginta. Per idem tempus Cato philoſophus claruit. Virgilius naſcitur Mantuæ: qui multa Romæ & Neapoli humana ſapientia glorioſe fere incredibilia fecit: cuius etiam carmina de Chriſto manifeſtiſſime prophetare videntur. Horatius naſcitur in † Venuſina. Cicero laude oratoria celebratur. Apollodorus clarus habetur, qui poſtea extitit præceptor Auguſti. Ouidius philoſophus poeta naſcitur. Pompeius capta Hieroſolyma templum irreuerenter intrauit, & vſque ad ſancta ſanctorum aſcendit: cuius miratus pulchritudinem nihil de theſauris domus Domini abſtulit, ſed intactos permanere præcepit: Iudæos tamen tributarios Romanis fecit.

Venuſia.

Cleopatra regnauit annis duobus. Hæc Ptolemæi Euergetis Regis Ægypti fuit filia, & fratris Ptolemæi Philopatoris ſoror & coniux effecta. Quæ dum Philopatorem regno fraudare voluiſſet, tempore belli ciuilis in Alexandria occurrit Cæſari: & per ſpeciem atque ſtuprum regnum ſibi & mortem Ptolemæo apud Iulium impetrauit. Atque Alexandriæ regnum per Iulium Cæſarem in Romanam tranſiit ditionem. Regnum Ægyptiorum finit. Cleopatra poſtea Antonio Cæſari nupſit: & inter Octauianum Auguſtum & Antonium diſcordiæ nutrix fuit.

Quatuor.

Cæſar Iulius annis † quinque. Ab iſto ſequentes imperatores Romani Cæſares vocati ſunt. Hic primus Romanorum monarchiam tenuit & inter mortales victorioſiſſimus fuit.

Octauianus Auguſtus ante natiuitatem Chriſti imperauit annis quadraginta vno: cuius incipiente imperii anno quadrageſimo ſecundo in Bethleem Iudæ de virgine Maria natus eſt Chriſtus. Ab iſto ſequentes imperatores Romani Auguſti dicti ſunt. Finit ætas quinta ſeculi. Tamen ordiendum eſt qualiter ſacerdotium & regnum Iudæorum poſt captiuitatem Babyloniæ fuerit reparatum, vt ad narrationem ſextæ ætatis ſeculi clarius accedamus.

Poſt mortem Simonis ducis & ſacerdotis magni, qui fuit vltimus quinque filiorum Mathatiæ, ſucceſſit ei filius eius Ioannes cognomine Hyrcanus: qui tale cognomen ſortitus eſt eo quod Hyrcanorum populos in bello ſtrenue ſuperauit. Hic inſecutus eſt Ptolemæum, qui patrem eius Simonem dolo interfecerat, matremque eius cum duobus paruulis tenebat in vinculis, & fugerat ad Dagon oppidum vltra Hierichonta. Obſeſſo vero oppido cum Ioannes acriter inſiſteret, Ptolemæus matrem eius & fratres ſuper muros cædebat vſque ad ſanguinis effuſionem: fractusque pietate Ioannes ab impugnatione ſe temperabat: matre tamen clamante ne propter ſe ſineret Ptolemæi ſcelus inultum, mortem enim ſuam ſic iudicare meliorem immortalitate. Ob hoc itaque diutius tracta obſidione ſeptimus aduenit annus, Iudæis feriatus, receſſitque ab obſidione Ioannes. Ptolemæus vero matre ipſius & fratribus occiſis fugit ad Zenonem Philadelphæ Tyrannum, qui Cotyla dicebatur.

Poſt Antiochus Pontius Rex Syriæ obſedit Hieruſalem. Quamobrem aperuit Ioannes duos de octo loculis circunſtantib. ſepulchrum Dauid:& ſuſtulit ex eis pluſquam tria millia talentorū auri & argenti, deditq; trecenta talenta Antiocho vt ab obſidione recederet,& vt placaret murmur populi de ſepulchri apertione,de reliqua pecunia primus inſtituit hoſpitale pauperū in Hieruſalem & muros fortes in eo inſtituit ad defenſionē templi. Samariam captam ſolo æquauit: quam poſt Herodes inſtaurans Sebaſtem nominauit. Eodem tempore mortuo Ioanne filio Simonis, qui cognominabatur Hyrcanus,rebus optime adminiſtratis relictis quinq; filiis Ariſtobolo & Antigono cum tribus aliis minoribus, Alexandra vxor Ioannis diſertiſſima ex pręcepto Ioannis præerat Iudæis,eo quod nullus filiorum ad populum regendum ſufficeret. Ariſtobolus vero impatiens dominii materni matrem cum fratribus minorib. incarcerauit: & Antigonum,quem diligebat ſecundum à ſe cōſtituit: impoſuitq; ſibi diadema regni & ſacerdotii,& reſtitutum eſt regnum Iudæ. Fluxerant à Sedechia vel à captiuitate Babylonis anni quadringenti ſeptuaginta quinq;. Ariſtobolo autem præciſum eſt regnū, & non regnauit niſi per annum,eo quod matrem fame peremerat in vinculis. Conſilio etiam vxoris ſuæ fratrē ſuum Antigonum interfici fecit,& ipſe poſtea expirauit. Quo mortuo vxor eius,quæ prolem ex eo non ſuſceperat,fratres viri ſoluit à vinculis maiorem natu Alexandrum Regē conſtituens,qui cognominatus eſt Iannæus. Hic Alexander filius Ioannis Hyrcani regnauit annis triginta octo. Accepit vxorē nomine Alexandram,quæ & Salome dicta eſt. Adeo nequiſſimus fuit quod in trib. annis circiter quinquaginta millia ſeniorum interfecit,quia facinora eius deteſtabantur: Cumq; offenſus eſſet populo,muniuit ſibi palatium in turri,quæ Baris dicebatur,quam duo viri defendere poterant ab omni viuente. In tantum odioſus erat Iudæis vt ſemel percunctati ab eo quo pacto poſſet eos ſedare,reſponderint,ſi moreretur. Ob hoc in plateis Hieruſalē octingentos viros vxoratos ſuſpendit,vxoresq; eorum & liberos necauit. Sciens itaq; filios pro patre Iudæis odioſos,regnum reliquit vxori, quæ ſub viro reſiſtens ipſius tyrannidi beneuolentiam ſæpe comparauerat,& ſimulatam religionem in habitu præferebat. His temporibus Iugurta contra Romanos dimicans à Sylla & Mario captus eſt. Romæ ars rhetorica cępit haberi edocta à Plotio Gallo. Alexandra dum regnaret Hyrcanum primogenitum ſuum Pontificem declarauit eum futurum Regē iudicans quia modeſtus erat. Minorē vero Ariſtobolum,eo quod feruentis animi videretur,priuatū viuere coegit. Eo tempore orta eſt in Iudæa hæreſis Phariſæorū, quorum conſilio vtebatur in omnib. Alexandra. Nono autē regni ſui anno ægrotauit Alexandra: & Ariſtobolus collecta plurimorū manu poſt matrē nitebatur regnare. Ob hoc mater miſerata querelarū Hyrcani acceptos obſides coniugē & filios Ariſtoboli in cuſtodia recluſit,ne regnum ſibi Ariſtobolus vſurparet. Mortua vero Alexandra Ariſtobolus contra fratrē mouit arma,& in congreſſione victus Hyrcanus fugit in Hieruſalē. Tandem ea lege in concordiam redierunt,vt Ariſtobolus regnaret,& Hyrcanus ſub eo quibuslibet honorib. fungeretur. Orta tamen iterum diſcordia magna inter Hyrcanū & Ariſtobolū,ſuper obtentu regni fortiter contendebant. Tunc temporis Pompeius, qui miſſus erat à Romanis contra Tigranē Armenię Regē,cum audiſſet fratrum diſſenſionem,in Iudęam venit,atq; legati à fratribus vtrinq; venerunt eius auxilium poſtulantes. Properāte vero Hieroſolymam Pompeio occurrit ei Ariſtobolus pollicens illi infinitam pecuniam,ſeq; Romano imperio de cætero pariturum. Cumq; miſſus eſſet Gabinius ad accipiendam pecuniam & vacuus reuerteretur,Pompeius Ariſtobolum in cuſtodia collocauit: & obſedit Hieruſalem: atq; à fautoribus Hyrcani in vrbem receptus eſt. Fautores vero Ariſtoboli ſeceſſerunt in templum: ſed à Romanis fortiter debellati. templum irruptum eſt & à Romanis prophanatum, ita vt equos in porticibus ſtabularent. Ob quam cauſam creditur, nunquam de cætero pugnaſſe Pompeium quin vinceretur,qui hactenus fortunatiſſimus fuerat. Impoſuit Pompeius Hieroſolymis tributum Hyrcano Pontifice declarato,& Ariſtobolum cum duobus filiis Alexandro & Antigono & totidem filiabus captiuauit: Romamq; per Ciliciam properabat Syria & Iudæa adminiſtratione Scauro commiſſa relictis ſecum duab. cohortibus, Alexander vero filius Ariſtoboli ex itinere fugit: qui magna manu collecta Iudæam deuaſtabat,& Hyrcano prominebat. Obtinebat autē munitiſſima loca: & in caſtro Alexandro à Gabinio obſeſſus conſilio matris Alexander ſe & caſtra ſua tradidit: quæ Gabinius funditus euertit. Poſt hæc Gabinius cura templi Hyrcano mandata gentē Iudęorū in quinq; conuentus diuiſit quaſi per pentarchias Iudææ ſuperbiam frangens. Eo tempore Antipater alienigena factus eſt amiciſſimus Gabinio: adeoq; claruit quod data eſt ei vxor

Regis Arabum Cypris nomine: qui sustulit ex ea quatuor filios & filiam, id est, Phaselum, Herodem, qui post dictus est Ascalonita. Tertius Iosipus, quartus Pheroras, filia dicta fuit Salome. Post hęc casu elapsus est Aristobolus Roma, qui magna manu Iudęorum conflata in Iudæa Alexandriã muro recingebat. Ad quem debellandũ missus est à Gabinio Antonius. Captusq; iterum Aristobolus, cum filiis Romæ incarceratus est: sed filii eius in Iudęã remissi sunt. Post hęc cum Gabinius apud Ægyptum detineretur, Alexander Aristoboli filius Iudęos iterũ ad dissensionẽ reduxit. Sed rediens Gabinius eos pacificauit, & Hyrcano pontificatũ confirmauit. Quo mortuo missus est præses Syriæ Crassus, vt etiam Parthos, qui iam Romanis imminebant, reprimeret. Hic tulit fere totum aurũ de templo ad duo millia talentorum à quibus Pompeius abstinuerat. Et ob hoc ex Romani senatus sententia † Cassius aurũ igne liquefactũ in os eius infudit donec moreretur dicens: Aurum sitisti, aurum bibe. Eo tempore factũ est dissidium inter Romanos pro Pompeio & Iulio Cæsare. Cæsar autem post senatus & Pompeii fugam trans mare Ioniũ rebus omnibus Romaq; potitus solutum Aristobolum cum duabus cohortib. in Syriam misit per hunc Iudæã sibi posse subiici arbitratus. Verum spes Cæsaris frustrata est. Nam ab amicis Pompeii veneno periit Aristobolus: occiditur quoq; filius eius Alexander Antiochiæ à Scipione. Solus Antigonus superstes remansit cum sororibus suis & ad quendam Ptolemæũ, qui sub Libano morabatur, confugit. Accepitq; Ptolemæus minorẽ sororẽ eius Alexandram nomine in vxorem: de qua suscepit Lisaniam Abilinæ postea tetrarcham. Iulius quoq; Cæsar antea in cõsulatu Germanos & Gallos obtinuit: Britannos quoq; victos obsidib. acceptis stipendiarios fecit.

Crassus

Inter Pompeium & Iulium Cæsarẽ per quattuor annos indesinenter bellum acerrimum toto orbe tenuit: & in Emathia victus Pompeius Alexandriã fugit: in qua à Ptolemæo Rege Ægypti percussus interiit. Mortuo Pompeio Antipater amicus Pompeii Iulio Cæsari se firmiter copulauit: & in multis fidelissimus amicus & subditus Cæsari claruit: vnde ciuis est Romanus ascriptus, & eius gratia pontificatũ Cæsar confirmauit Hyrcano, ita tamen ne Rex vocaretur. Post hæc Antipater filiũ maiorẽ Phaselũ Hierosolymis sub se procuratorẽ statuit, & Herodẽ Galilææ præfecit, & adeo terram sibi subditam quietã reddidit, vt Herodes, pater Galilææ cantaretur. Cæsar de partib. transmarinis Romã venit, & gloriose receptus, & octauo decimo die de Roma Saguntũ accessit: & principantibus Petreio & Afranio totã Hispaniã Romano imperio subiugauit, & Hispalim Iuliam Romulã vocauit. Per diuersas Hispaniæ partes itinera ob insigne nominis fieri iussit: & turrim mirabilẽ in Pharo Galleciæ condidit. Et ab Hispania regressus Romę dolo Bruti & Cassii occisus est post annos quinq; & menses septem quam regnare cæperat. Tribus autẽ annis & mensib. septem post victoriã Pompeii solus tenuit principatũ. Obiit autẽ Cæsar anno ætatis suæ quinquagesimo sexto. Corpus eius combustũ est à populo Romano in foro, & statuerunt sibi columnã lapidis Numidici, super quam tumulatus est in pomo deaurato, quę Iulia dicta est. Centesimo die ante mortem eius, fulmen cecidit iuxta statuã Cęsaris in foro: & de nomine eius superscripto C. literam capitalẽ abrupit. Nocte præcedente diem mortis eius fenestræ thalami tanto strepitu apertę sunt, vt Cęsar à lecto exiliens ruiturã crederet domum. Eadẽ die cum iret in capitoliũ, datæ sunt ei litteræ indices mortis imminentis: quæ, dum portaretur occisus, in manu eius nondũ solutę inuentę sunt. Eodẽ tempore apparuerũt tres soles in oriente: qui paulatim in vnũ corpus solare redacti sunt significantes q; dominiũ Lucii Antonii & Marci Antonii & Augusti q; post Iuliũ Cęsarẽ Romanorũ adepti sunt, in vnã monarchiam rediret. vel potius q; notitia trinitatis in vno Deo toti orbi imminebat futura.

Erat eodem tempore quidam de amicis Hyrcani nomine Malicus aspirans ad sacerdotium, & cupiens Hyrcanum veneno appetere prius appetiit Antipatrum: & veneno oblato interfecit. Herodes vero ob vindictam patris Malicum interfecit. Habebat tunc Herodes vxorem nomine Dosidem sed ignobilem, de qua Antipatrum suscepit: superducitq; Mariamnem neptem Hyrcani: cuius etiam amore circuncidit se, & factus est proselytus. Habuit & vxores alias, quarum plures suscepit filios: ex quibus paucos sufficit numerare: primogenitus Antipater ex Doside, Alexander & Aristobolus ex Mariamne, Archelaus ex Mathata Samaritide, Herodes Antipas, qui post tetrarcha fuit, & Philippus ex Cleopatra Hierosolymitide.

Veniens autem Antigonus cum Pacoro Rege Parthorum in manu valida Antonio Cæsare regresso Romam Hierusalem expugnabat. Sed cum intrasset vrbem Hyrcanũ & Phaselum Parthorum exercitus cepit & Herodes ad Idumæos contribules suos fugit. Parthi vero Antigonum restituerunt in regnum: & Hyrcanum & Phaselum vin-

ctos ei tradiderunt verberandos. At ille dentibus aures Hyrcani truncauit, ne quando mutatis rebus solutus pontificatum reciperet: Phaselus vero cum vinculis ligatus esset, sponte ad saxum fracto capite expirauit. Herodes accepta morte fratris Romam properauit: & ab Augusto & Antonio coronatus Iudææ Rex constituitur. Tunc missi sunt cum eo duo Principes Ventidius & Sylo qui eum in regno collocarent. Et cum venissent in Galilæam, Antigones Sylonem corrupit muneribus, & propterea congredi Antigono simulatis occasionibus differebat: & cum tandem obsedisset Hierusalem, Romani tum pro hyemis asperitate tum pro inopia victus recesserunt. Herodes autem venit ad Antonium, qui tunc circa Athenas morabatur, super dolo Sylonis querelam facturus: dumque Herodes esset cum Antonio, Iosippus contra Antigonum dimicauit & victus interfectus est à Papio principe militiæ Antigoni. Quod cum accepisset Antonius exercitum cum Herode misit in Iudæam, & occurrentem sibi Papium vicit & interfecit. Deinde quinque mensibus obsessa Hierusalem capta est à Romanis, & astrictus Antigonus catena aurea Deo dicata ad Antonium ductus est, & ab eo securi percussus. Tunc Antonius Cleopatram duxit vxorem: quæ amore regnandi succensa inter Antonium & Augustum semper discordiam seminabat. Confirmatusque est Herodes in regno Iudææ quarto anno ex quo Romę diadema susceperat. Herodes autem Hyrcanū occidit, eo quod dicebatur regnum sibi deberi: occidit etiam Mariamnem vxorem suam ob suspicionem adulterii: de cuius morte adeo doluit, vt tanquam lunaticus crebro in amentiam verteretur.

Post hæc commissum est prælium apud Actium ad suggestionem Cleopatræ inter Augustum & Antonium: quo Antonius victus post dies paucos mortuus est: vxor etiam eius Cleopatra è mamillis suspensa aspide mortua est. Est enim aspis quoddam genus serpentis quod ex morsu somno inducto interficit. Herodes autem amicitiam Augusti obtinuit: & primogenitum Antipatrum ex Doside volebat præponere in regni successione Alexandro & Aristobolo, qui erant ex Mariamne, ne videretur esse de genere Iudæorū. Vnde fecit cōburi omnes libros regalis prosapiæ Iudæorū vt aboleretur genealogia Regū ipsorū. Quapropter Alexander & Aristobolus cū essent persecutores acerrimi, contra Herodē apud Octauianum Augustū contendebant, & de morte patris occulte tractabant. Octauius autem Cæsar regnauit annis quinquaginta sex & mensibus sex. Huius anno quarto era singulorum annorum ab eo est cōstituta quando primū censum exegit: & Romanū orbem descripsit. Dicta est era ex eo quod totus orbis æs per singulos annos reddere professus est reipublicæ. Multa gloriose gessit in imperio, & tres triumphos præclare peregit, id est, Dalmaticum, Asiaticum, Alexandrinum & etiam Hispanū postquam ciuitas Cæsaraugusta Augusti pręcepto in Hispania cōditur. Deinde terra mariq; pace orbe toto redita Augustus Iani portas clausit, vt bellandi cessaret occasio. Ab isto sequentes imperatores Romani Augusti appellati sunt. Sub cuius imperio sexaginta nouē hebdomadæ in Daniele scriptę cōplentur: ita quod dies pro anno computentur: & faciunt septuaginta hebdomadæ annos quadringentos & nonaginta. Eodem tempore natus est magnus Christi præco Ioannes Baptista & à Dei genetrice Maria in hora natiuitatis suæ de terra primo fuit eleuatus.

Sexta ætas seculi.

SEXTA ætas: in qua anno quadragesimo secundo regni Augusti natus est Christus, anno vero regni Herodes tricesimo, vniuerso orbe pacato, & anno ab vrbe condita septingentesimo quinquagesimo secundo. A quibusdā numeratur à natiuitate ipsius, ab aliis à die qua baptizatus est propter vim regeneratiuā aquis datam: ab aliis autē numeratur à passione ipsius, quia tūc facta est redēptio nostra, & aperta est cœli ianua atq; inchoata quodāmodo ætas septima quiescentiū. Melius autē videtur à natiuitate ipsius inchoanda, eo quod Apostolus dicit: cum venit plenitudo temporis misit Deus filium suū, &c. † Quandoquidē de intemerata Virgine Maria natus est Deus & homo Christus, fluxerāt ab Adā anni quinque mille ducenti vno excepto secundū septuaginta interpretes, secundū Hebræos vero longe pauciores: eo quod Moyses omissis cētum annis quibus Adam filiū Abel mortuum luxit, centum triginta annorum eum esse dixit, cum genuit Seth. Septuaginta autem interpretes & Iosephus atque plures alii historiographi ducētorū triginta annorū eū fuisse dixit, cū genuit Seth: similiter fit in quibusdā aliis locis scripturarū. Iudæi etiā ob odiū fidei Christianæ, ne cōtra eos proferatur testimoniū veritatis quędā de libris legis pręciderūt & quędā immutauerūt. Natus est autē dominus nocte Dominici diei, vt ea die qua dixit fiat lux, visitaret nos oriens ex alto. Anni autē huius ætatis sextæ per cōputationē annorū ab incarnatione eius vel per erā,

Ratio hæc annorum nō constat propter cxxx annos Cainam quos Lucas addidit ad chronicon Isidori, quē alioqui sequitur in aliis ad eiusque rationē per incuriam recurrit tum hoc tum aliis locis quibusdam.

quæ tricesimo octauo anno ante natiuitatem eius inuenta est, vsque ad finem mundi clare poterat inueniri. Tamen per annos Romanorum imperatorum vsq; ad Heraclium Augustum vel Suintillanum Gotthorum Regem annorum numerum ostendamus. Tamen præuidendum, quod aliquando plures imperatores regnabant simul & & etiam aliqui nonnunquam tyrannice imperium assumebant. Hic autem magis notabiles describuntur & aliorum anni sub eis adnotantur.

Iesus Christus filius Dei tricesimum tertium annum ætatis suæ explens & fere menses tres anno imperii Tiberii Cæsaris octauo decimo crucifixus est. Post hæc Tiberius regnauit annis quinq;.

Auctor vsq; ad Caii finem numerat annos 5238. sui nempe oblitus & ad Isidori rationem recurrens, quam reliquerat.

Anni ab orbe c. Caius Caligula regnauit annis quatuor.
5369. Claudius regnauit annis XIIII.
5383. Nero regnauit annis XIIII.
5397. † Galba regnauit annis duobus.
Vespasianus regnauit annis nouem.
Titus regnauit annis duobus.
Domitianus regnauit annis sedecim.
Neruus regnauit anno vno.
Traianus regnauit annis XVIIII.
Hadrianus regnauit annis XXI.
Antoninus Pius regnauit annis XXII.
Antoninus Iunior regnauit annis XVIII.
Item Antoninus regnauit annis duobus.
5522. Commodus regnauit annis XIII.
5523. Ælius Pertinax regnauit anno vno.
Seuerus Pertinax regnauit annis XVIII.
Antoninus Caracalla regnauit annis septem.
Macrinus regnauit anno vno.
Marcus Aurelius regnauit annis quatuor.
Alexander regnauit annis XIII.
Maximinus regnauit annis tribus.
Gordianus regnauit annis sex.
Philippus regnauit annis septem.
Decius regnauit anno vno.
Gallus & Volusianus regnauerunt duobus annis.
Valerianus & Galienus regnauerunt annis XV.
Claudius regnauit annis duobus.
Aurelianus regnauit annis sex.
Tacitus qui & Iacinctus regnauit anno vno.
Probus regnauit annis sex.
Carus regnauit annis duobus.
Diocletianus & Maximianus regnauerunt annis XX.
Galerius regnauit annis duobus.
5669. Constantinus regnauit annis XXX.

Gallus

Octauianus Augustus volens scire numerum regionum in orbe, quæ Romanæ suberãt ditioni, numerum etiam ciuitatum in qualibet regione, numerũ quoq; capitum in qualibet ciuitate, præceperat vt de suburbanis, oppidis, vicis & pagis ad suam homines cõfluerẽt ciuitatẽ, vnde trahebãt originẽ: & quisq; nummũ argenteũ pretii decẽ nummorum vsualium prouinciæ tradens se subditũ Romano imperio profiteretur: & quia numerus eorum qui censi capite ferebantur, redigebantur in scriptis, huiusmodi professio descriptio dicta est. Hęc descriptio facta est à pręside Syrię Cirinio in Iudæa vt in Hierusalẽ inchoaretur, quæ est cor siue mediũ terræ habitabilis: & deinde per circunstantes nationes alii præsides ꝓsequerentur. Tunc ascendit Ioseph à Nazareth in Bethleem, vt profiteretur cum Maria vxore sua prægnante. Hæc solutio prima dicta est, non ꝙ tunc inciperet primo, cum anno quarto Augusti cæpta fuerit, sed quod annuatim in Iudæa primo habebat fieri: & dicebatur era. Factũ est dũ esset ibi peperit virgo filiũ suũ primogenitũ, primogenitũ dictũ nõ quod postea genuerit aliũ: sed quod fuerit primus dignitate, & sine peccato cõceptus, & sine matris dolore natus. Locus vbi natus est dominus: iure paterno ꝑtinebat ad Mariã & Ioseph, eo ꝙ ibi fuerit domus Iesse patris Dauid: ad quẽ causa orandi ꝑpter sanctitatẽ loci multi diuertebant. Vbi erat quędam spelunca

ſunca ad quam Ioſeph ſe contulit,& boui & aſino quos ſecū duxerat; præſepiū fecit in quo eſt repoſitus Ieſus. Multa quidē ſigna in natiuitate ipſius claruerunt per orbē: quæ in euangelio non ſunt ſcripta. Nam Romani ædificauerant templū pacis,propter pacē quæ fuerat continua ſub Auguſto per vniuerſum orbem fere duodecim annis.Et conſulentes Apollinem quandiu duraturum eſſet templum illud, reſpondit; donec pariat virgo. At Romani dixerunt: Ergo in æternum durabit,quia nunquam virgo pariet.Sed in hora natiuitatis domini ipſum templum funditus eſt euerſum. Multa enim futura prædicebant ſpiritus falſitatis eos vrgente ſpiritu veritatis.Fons etiam olei trans Tiberim erupit,& vſque ad flumen fluxit:per quod intelligitur excellentiā pontificalis vnctionis Romæ vrbi per Chriſtum eſſe collatam. In Hiſpania etiam hora natiuitatis domini circa noctis medium quædam nubes adeo ſplenduit, vt meridiani caloris feruorem & ſplendorem daret terris.

Tertia decima die ex qua natus eſt Chriſtus,tres magi, id eſt, ſapientes noua ſtella duce venerunt Hieruſalem nouum natum Regem cum muneribus quærentes. Sapientes enim dicebantur magi quaſi maiores vel magni. Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt timens ne quis de ſemine Hyrcani vel Ariſtoboli natus eſſet regnaturus ſe tanquam alienigena à Iudæis dimiſſo. Cumque diligenter didiciſſet ortum ſtellæ, vt per eum natalem pueri ſciret,etiam à ſacerdotibus,& ſcribis ſciſcitabatur vbi Chriſtus naſceretur.Qui ex vaticinio Micheę prophetæ dixerunt in Bethleem Chriſtum naſciturum.Herodes autē pręcepit magis mittens illos in Bethleem, vt poſtquam adoraret puerū reuerterentur ad ipſum. Iam enim direxerat animum ad perdendum puerum. Sed magis poſtquā adorauerant,per aliā viam in regionē ſuā reuerſis doluit Herodes ſe illuſum ab eis: maxime cū audiſſet, quæ dicta fuerāt à paſtoribus & prophetias Simeonis & Annæ:& de morte puerorū Bethleemitarū tractabat, vt Ieſus quē ignorabat occideretur cū eis. Quapropter per admonitionē angeli fugit Ioſeph cū puero & matre eius in Ægyptū.Qui cū ingrederetur Ægyptū,corruerūt omnia ſimulacra Ægyptiorū.

Herodes autem dum de nece puerorum diſponeret, citatus eſt per epiſtolam à Cæſare Auguſto vt Romam iret filiis de illo conquerētibus reſponſurus. Qui cum iter faceret per Ciliciam audiens naues Tarſenſiū magos tranſuexiſſe,in ſpiritu vehementi combuſſit naues Tharſis.Cum vero coram Cęſare diſceptaſſet pater cum filiis,hac lege facta eſt recōciliatio,vt adoleſcētes in omnibus patri obedirent,& ipſe regnū dimitteret cui vellet. Venienſque Hieroſolymam populo cōuocato Iudæorū, tribuſque filiis aſtantibus concordiam fratrū à Cæſare factā expoſuit:& ſe ſucceſſionis iudicē conſtitutum ne Iudæi regnū ad ſuos rediturum exiſtimarent.Tunc Herodes in regno Iudææ Trachonitidis Ituræ,totiuſq; maritimæ vſq; ad pyrgū Stratonis confirmatus certius quā prius, elapſo anno à natiuitate domini mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem & in omnibus finibus eius,ab bimatu & infra.Omnes autē qui erāt de genere regio vel ſacerdotali ab vno anno vſq; ad quinq; annos fecit occidi.Sed factū eſt, vt quoniā Herodes multos orbauerat filiis,& ipſe ſuis miſerabiliter orbaretur.Nā ipſe Alexandrū, Ariſtobolū & Antipatrū,qui de morte patris contendebāt, interfecit:& ipſe variis afflictus languoribus validæ febris,& intercutaneo morbo putreſcētibus genitalibus,& ex eis ſcatentibus vermibus mortuus eſt trigeſimo ſeptimo anno poſtquam à Romanis Rex fuerat declaratus.Fuit ex patre Idumęus,Arabs vero ex matre,qui Aſcalonita dictus eſt,eo quod ædificauit domū regiā in Aſcalone: vel dictus eſt Aſcalonita, quia auus eius Herodes Idumæus erat natione,& Aſcalonita conuerſatione,& ęditiuus templi Apollinis.Cuius filium Antipatrū paruulum rapuere cōſanguinei eius latrones Idumæi:& cū eis tantū fuit,quod etiā poſt factus eſt princeps eorū: vnde Idumæus dictus eſt.Hic templū profanauit:& aquilā auream in honorē Auguſti poſuit ſuper ſpecioſam portā templi.Hic Herodes conſtruxit Cæſareā Palęſtinæ, in qua erat turris Stratonis.In qua contra aduentum Cæſaris portā de candido marmore conſtruxit:& in ea poſt Cornelius centurio à beato Petro epiſcopus creatus fuit. Ædificauit etiā in Hieruſalem turrim quæ dicitur Antonia. Qui cum audiſſet quod Iudæi gauderent in morte eius,ex tota Iudæa nobiliores collectos iuuenes cōcludi præcepit in carcerem, præcipiens ſuis vt cum animam efflaret, ſtatim illos occiderent: vt Iudæi in morte ipſius etiam inuiti plangerent.Filium ſuum Archelaum regni ſucceſſorem ſcripſit,ita tamen quod ab Auguſto ſuſciperet diadema.

Poſt mortem Herodis Archelaus ſeptima die poſt patris honorificam ſepulturā, candida veſte indutus aſcendit in templum variiſque fauoribus à plebe ſuſceptus Iudęis leuamen ab oppreſſione patris petētibus,cūctis tributa annua relaxauit:& nobiles

ſoluit,quos pater moriens iuſſerat occidi.Inſtante autem azymorum die, & cum turba pontificem quem Herodes pretio creauerat,amouendum clamaret: & ab immolatione prohiberet, maxime cum non eſſet recta linea de genere ſacerdotum, Archelaus miſſo Chiliarcho verbis eos ſedare tentauit. Cum autem vulneratum remiſiſſet chiliarchum,& ſeditio creſceret, Archelaus miſſa manu ſatellitum fere nouem millia Iudæorum interfecit: & per vocem præconis omnes ad propria redire commonens neglecta feſtiuitate omnes abierunt.Ex quibus patet iam veniſſe ſanctum ſanctorum: & Iudæos regnum & ſacerdotium amiſiſſe ſecundum vocem ſanctorum prophetarum. Profectus eſt autẽ Archelaus vt iret Romam accepturus diadema regni. Profectus eſt etiam Herodes Antipas, vt de regno habendo diſceptaret cum fratre. Iuerunt etiam & quinquaginta ex honorabiliorib. Iudæorum,& apud Cæſarẽ inſtabant ſupplicantes, vt Iudæorum reliquias dignas miſericordia iudicaret: & ius antiquum regni illis reſtitueret, Aut eos Syriæ finibus coniungeret, aut per Romanos iudices Iudæam adminiſtraret. Eo tempore quidam Iudæus in partibus Sydoniorum nutritus, ſimillimus Alexandro Herodis filio, quem pater interemerat, inſtinctu cuiuſdam liberti Herodis, qui omnes actus regni ſciebat, venit in Iudæam aſſerens ſibi deberi regnum, tum quia maior filius Herodis erat, tum quia ex parte matris eum contingebat. Cumq; plures Iudæorũ ſequaces haberet perrexit Romam ſciſcitatus qualiter viueret, dicebat lictores miſeratos alium pro eo morti ſubieciſſe. Auguſtus vero optime vultũ Alexandri ſciens, quia dum Romæ ſtuderet puer, quædam ſecreta cum eo habuerat, fallaciam ſimilitudinis animaduertit: promiſitq; illi vitam, ſi tantæ fraudis dctexiſſet auctorem. Cumq; ille cõfeſſus eſſet, iuſſit Cæſar libertum interfici: & falſum Alexandrum propter habitudinẽ corporis conſtituit eſſe de numero remigantium piratarum. Tandem de conſilio ſenatus Cæſar monarchiam Herodis diſtribuit. Mediam partem Iudæam ſcil. & Idumæam tradens Archelao ſub nomine tetrarchiæ, pollicitus eum ſe facturum Regẽ ſi dignũ ſe præbuiſſet. Mediam vero partẽ in duas ſecuit tetrarchias: ceſſitq; in partẽ Herodis Antipæ regio trãs flumẽ & Galilæa. Ituræa vero & Trachonitis & Auranitis Philippo deſtinata ſunt. Liſanias autem Abilinam ſuſcepit ſub nomine tetrarchiæ, quæ erat pars ſatis minima aliarum. Archelaus vero poſtquam venit in Iudæam, valde patre crudelior fuit, & cum eſſet diarchus, monarchi nomen falſo impoſuit ſibi. Cuius crudelitatem non ferentes Iudæi per diuerſas mundi partes eorum maxima multitudo diſperſa eſt, religioſioribus Iudæis remanentibus in Iudæa. Huius regni anno primo Angelus dixit Ioſeph, vt rediret cum matre & puero in terram Iſrael. Qui rediens ab Ægypto poſt annos ſeptem cum audiret quod Archelaus pro patre regnabat in Iudæa, noluit illo ire: & admonitus ab angelo iuit in Galilæam & manſit in Nazareth. Tandem crebro accuſatus Archelaus à Cæſare aduocatur. Nono autem principatus ſui anno Romam veniens à Cæſare damnatus in exilium pellitur apud Viennam Galliæ ciuitatẽ. Tunc Romani Archelai regnum per procuratores adminiſtrare cæperunt: primusq; procurator illuc Coponius à Cæſare miſſus eſt: & Iudæa in prouinciam redacta eſt. Romani enim triumphatis regionibus, quaſdã faciebant colonias expulſis propriis habitatoribus, & nouis ſuperinductis colonis, qui medietatẽ fructuum Romanis exoluerent: quaſdã etiam faciebant prouincias expulſis Regibus, ſed propriis relictis habitatoribus: à quib. præſes Romanus annuatim tributa reciperet: quod factum eſt in finibus Archelai eo in exilium relegato. Eo tempore Philippus Sephorum reparans Iuliam nominauit in honorem Iuliæ vxoris Cæſaris, Coponio præſide Romam reuerſo ſucceſſit & Marcus: & huic ſucceſſit Annius Rufus, ſub quo moritur Octauianus Auguſtus cum regnaſſet quinquaginta ſex annos & menſes ſex & dies decẽ. Ex quibus duodecim annis Antonius cum eo regnauit. Cum enim quadrageſimo ſecũdo regni eius anno natus eſt dominus, qui quinto decimo anno imperii Tiberii fuit tricenarius: patet Auguſtũ mortuum domino quintum decimũ annũ agente. Mortuus eſt autẽ anno vitæ ſuæ ſeptuageſimo ſeptimo. Tiberius filius eius adoptiuus ſucceſſit ei regnans annis viginti tribus. Qui Valeriũ Gracchũ miſit in Iudæã: qui quæſtũ putans pietatẽ palam vẽdebat ſacerdotii principatum. Qui amouens Annam, Iſmaelem pontificẽ declarauit: quo amoto Eleazarum Annæ filium ſubrogauit. Poſt annũ etiam hunc remouens Simonem inſtituit. Sed & poſt annũ Ioſippum, qui & Caiphas, appoſuit. Ille fiebat ſacerdos, qui offerẽdo pecuniã preualeret. Tamẽ Gracchus poſt annos vndecim Romã reuerſus eſt. Cuius ſucceſſor miſſus eſt Pontius Pilatus: ſub quo Herodes Antipas in honorem Tiberii Tiberiadem ædificauit. His temporibus Tiberius multos Reges ad ſe vocatos ductus auaritia nõ remiſit: inter quos Archelaum Cappadocem retinens regnum eius in prouinciam

uinciam vertit: vnde multæ gentes ob auaritiam Cæſaris à Romano imperio diſceſſerunt. Auaritiæ igitur cauſſa cæpit diminui Romanum imperium, quod vbiq; terrarum largitate ac clementia fuerat dilatatum. Sane Pilatus veniens Hieruſalem ſtatuas Romanorum ſecum ferens, eas in templo poſuit: ſed rogantibus Iudæis eas amouit. Item Pilatus videns Hieruſalem aquæ penuria laborare, aperuit gazophylacia: & ex opibus templo dicatis aquæ ductum cæpit ædificare ſuſcipiens initium torrentis qui ſtadiorũ duum millium interuallo diſtabat. Iudæi vero acclamabant vt ab opere ceſſaretur. Ob hoc Pilatus multos Iudæorum occidit: & intermiſſum eſt opus, eo quod Iudæi legationem accuſationis contra Pilatum ad Cæſarem direxerant. Habebat etiam Pilatus ſtolam ſolemnem & antiquam in poteſtate ſua: quam debebat ſemper habere Pontifex, vt vteretur ea in diebus feſtiuis: & non poterat eam habere nunc niſi pretio dato.

Anno Tiberii ſeptimo decimo ab Herode Antipa Ioannes Baptiſta tempore paſchali in caſtello Arabiæ trans Iordanem dicto Macheronte decollatus eſt, & corpus eius in Sebaſte vrbe Palæſtinæ ſepultum: caput autem eius humatum eſt in Hieruſalẽ iuxta palatium Herodis.

Anno vero Tiberii octauo decimo dominus crucifixus eſt, peractis à principio mundi annis quinq; mille ducentis triginta duobus. Cuius tempore Lucillus quidam excogitauit temperamentum vitri, vt eſſet flexibile & ductile. Qui dum admiſſus fuiſſet à Cæſare, porrexit phialam Cæſari: quam ille quaſi indignatus ad pauimentum alliſit. Artifex autem ſuſtulit phialam de pauimento, quæ ſe tanquam vas æneum complicauerat. Deinde martellũ de ſinu protulit, & phialam correxit. Quo facto Cæſar dixit artifici. Nunquid alius ſcit hanc condituram vitreorum? poſtquam ille iurauit alterũ hoc neſcire, iuſſit eum Cæſar decollari: ne dum hoc fieret cognitum, auri & argenti vileſceret pretium. In multis autem Iudæis accuſantibus Pilatum apud Tiberium, Pilatus in exilium miſſus eſt Lugdunũ, vnde erat oriundus, vt ibi moreretur in opprobriũ gentis ſuæ. Hic ſceleratiſſimus duabus ſororibus intulit ſtuprum. Vbi multis coarctatus iniuriis & tormentis, eo quod ſententiam damnationis in Chriſtum dixerat, propria ſe manu peremit. Eodem tempore mortuus eſt Philippus tetrarcha Ituræ. Mortuus eſt etiam Liſanias tetrarcha Abilinæ: & ita vacabant duę tetrarchiæ.

Fuit iiſdem temporibus Ieſus ſapiens vir, ſi tamen virum eum nominare fas eſt. Erat enim mirabilium operum effector, & doctor eorũ qui libenter quæ vera ſunt audiunt. Et multos Iudæorum, & multos ex gentibus ſibi adiunxit. Chriſtus hic erat. Hunc accuſatione primorum noſtræ gentis cum Pilatus in crucem agendum eſſe decreuiſſet, non deſeruerunt eum ii qui ab initio eum dilexerant. Apparuit enim iterum viuus ſecundum quod prophetæ vel hæc vel alia de eo futura prædixerant. Sed & in hodiernum diem Chriſtianorum, qui ab ipſo dicti ſunt, & nomẽ perſeuerat & genus.

Erat autem quidam Herodes Agrippa vir bellicoſus nepos Herodis tetrarchæ & frater vxoris eius Herodiadis, filius Ariſtoboli filii magni Herodis. Hic venit Romam vt impetraret à Tiberio alteram vacantium tetrarchiam. Tiberius autem cum vidiſſet eum liberalem & fortem, fecit illum adhærere filio ſuo Druſo, cum iam imperium cõtradiderat. Sed mortuus eſt Druſus, & Herodes Agrippa rediit in Iudæam: eo quod Tiberius à ſua præſentia remoueret omnes, qui familiariter adhæſerant Druſo: ne reducerent ei ad memoriam mortem eius, de qua nimium dolebat.

Herodes vero Agrippa paupertate compulſus iterum venit ad Tiberium, & honorifice receptus eſt ab eo: & cum haberet Tiberius duos nepotes vnum de filio Druſo ſcil. Tiberiũ, & alterum de fratre Germanico ſcil. Caium volebat ſibi ſubſtituere Tiberium quem magis diligebat. Herodes autem Agrippa familiarius adhæſit Caio: vnde animum Cæſaris contra ſe aliquantulum concitauit. Quadam vero die dum ſederet Agrippa in curru cum Caio, leuatis in cęlum manibus dixit: Vtinam videã mortẽ importuni ſenis, & te dominum totius orbis, qui idoneus es imperare vniuerſo orbi. Accuſauit autẽ quidam de ſuis Herodẽ Agrippam apud Cæſarẽ, quod orauerat mortẽ imperatoris: vnde Tiberius iuſſit Herodem incarcerari. Quadam autem die in carcere poſitus dum ſtaret iuxta quandam arborem, cuius frondibus bubo inſidebat, acceſſit ad eum vnus de captiuis & dixit ei: Cito à carcere liberaberis, & eris in maximo honore. Quam cito autem videris huius generis auem ſuper te, ſcito te in breui moriturum. Erat homo qui loquebatur hęc in multis peritus. Tiberius autem poſt dies paucos declarauit Caium cognomine Caligulam ſui imperii ſucceſſorem, & mortuus eſt.

Caius regnauit annis quatuor: & Herodem Agrippam, qui ſibi viuente Tiberio

fuerat amiciſſimus eduxit de carcere: & dedit ei duas vacantes tetrarchias: & impoſuit ei diadema & ſublimatum in Regem dimiſit eum in Iudæam. Quod cum videret Herodias ſoror eius inſtabat importune apud virum ſuum Herodē tetrarcham, vt iret Romam nomen Regis adepturus. Tunc Herodes & vxor ſua Herodias cum magno apparatu venerunt ad Caium. Herodes autem Agrippa direxit epiſtolam Caio, quod Herodes tetrarcha viuente Tyberio firmauit amicitiam cum Rege Parthorū, vt eſſet rebellis Romano imperio: & ob hoc congregauerat armorum copiā, quæ ſufficerent ſeptuaginta millib. virorū. Perlecta epiſtola quaſi aliunde interrogās inter cætera Caius quæſiuit ab Herode, vtrum eſſent in ciuitatib. ſuis arma quanta audierat à quibuſdā: & non negauit Herodes. Tunc Caius credens verum eſſe quod ſignificauerat ei. Herodes Agrippa relegauit Herodē tetrarchā apud Lugdunum in exiliū: vbi cum Herodiade miſerabiliter mortuus eſt. Hic eſt Herodes qui in paſſione ſpreuit Ieſum, & illuſit ei. Dedit Caius Agrippæ Galilæā, quam habuerat Herodes tetrarcha: & habuit tres tetrarchias. Fuit autē Caius in principio regni per bienniū ſatis modeſtus, ſed poſtea auaritiæ, crudelitati & luxuriæ deditus. In tantum euanuit cor eius, & in tantā prorupit væſaniam, quod in toto imperio iuberet ſe coli tanquam Deus dicens ſe eſſe fratrē Iouis. Vnde etiam filiam vnicā, quam habebat, ponebat inter genua idoli Iouis, vt ita cōmunis videretur vtriq;. Miſit ergo imaginē ſuam per totum imperium, vt adorarent eam: & in templo Hieruſalem ſtatuam Iouis ſub nomine ſuo poni iuſſit. Hic cum eſſet Romæ, & rediret à ludis Circenſibus conſilio ſenatorum interfectus eſt. Per idem tempus Matthæus Apoſtolus euangelium Hebræo ſermone ſcripſit primus.

Facta eſt autem in vrbe diſſenſio inter curiam & milites & populum. Quia ergo viderant ſenatores ſęuitiam imperatorum & incommoda quæ inde acciderant reipublicæ, voluerunt protinus extirpare imperium, & vrbē redigere in ſtatum in quo erat ante Iulium Cæſarem: vt eſſet regimen in arbitrio curię, id eſt, conſulum & ſenatorū. Econtra milites & populus timentes auaritiam ſenatorum & amantes donatiua imperatorū, conſtituerunt imperatorē Claudium virum manſuetum & pium contradicentibus ſenatorib. & conſulib. Tunc venit Herodes Agrippa & ſapienter ſe gerens inter diſſidentes, eos in vnā redegit concordiā, & Claudium conſtituerunt imperatorē: qui regnauit annis quatuordecim. Petiit Herodes Agrippa à Claudio, vt decretū Caii de ſtatua ſua adoranda reuocaret in irritum: & acquieuit ei atq; præcepit, vt epiſtola reuocationis poneretur in loco conuenienti, vt ab omnib. videretur: quod factum valde placuit Iudæis. Dedit etiam Claudius Herodi quartā tetrarchiam ſcil. Iudæam & factus monarchus venit in Iudæam, & honorifice ſuſceptus eſt à Iudæis, quia in multis ſtudebat placere illis. Iſte Herodes occidit Iacobum fratrē Ioannis in dieb. azymorum. Videns autem quia placeret Iudæis cepit Petrum & poſuit eum in carcerem, vt poſt paſcha occideretur à Iudęis. Angelus autē domini nocte eduxit Petrum de carcere. Alia autem die cum præciperet vt traderetur Petrus Iudæis, vt occideretur ab eis & per hoc maiorem acquireret gratiam Iudæorum, eo quod tradebat eis occidendum principē Apoſtolorum, & non eſſet inuentus in carcere Petrus, iuſſit ad ſe adduci cuſtodes vt occideret eos. Non tamen fecit procurante domino, ne ſolutio Petri noceret alicui. Imminente namq; negotio deſcendit Herodes à Iudæa in Cæſaream Palęſtinæ, vt noceret Tyris & Sydonibus, quibus iratus erat. Quod illi audientes ſtatim ſtudioſe reconciliati ſunt illi. Sequenti autem die Herodes indutus veſte regali auro & gemmis fulgēte ſedebat pro tribunali apud eos & concionabatur blandiens eis. Erat enim nimia eloquentia decoratus, & aſpectu decorus valde. Cuius oſtenditur gloria, vt maior ſequatur miſeria. Populus autem clamabat, Dei voces & non hominis, id eſt, exhibebant ei laudes Deo debitas & non homini. Et dum adulatoriis fauoribus mulceretur, & oblatos ſibi diuinos honores non reſpueret, reſpiciens ſupra ſe vidit imminentē capiti ſuo in funiculo cortinæ Angelum, id eſt, auem bubonē mortis eius proximæ nuntium. Et inclinauit ſe ad eos, qui applaudebant ſibi, & dixit eis: En ego Deus veſter morior: & ſtatim percuſſit eum angelus Domini. Qui per quinq; dies magnis doloribus cruciatus conſumptus vermibus expirauit. Reliquit autem filium qui dictus eſt Agrippa, qui non habuit totū regnum patris ſed partem: habuit enim terram duarum tribuum & dimidiæ vltra Iordanem. Claudius Cæſar pie ſe gerebat erga ſubditos: & audita fama Apoſtolorum, cupiebat videre ſignum aliquod ab eis. Petrus autem admonitus ab Spiritu ſancto de Antiochia, vbi patriarcha erat ab Apoſtolis cōſtitutus, Romā venit: & annis viginti quinq; & menſibus ſex pontificatum tenuit. Tunc Marcus Euangeliſta cum eo veniens euangelium ſcripſit: & reuerſus Alexandriam Chriſtum euangelizauit.

Nero

Nero regnauit annis quatuordecim. Hic nimiæ crudelitati & luxuriȩ deditus Deum ſe vocari præcepit: & retibus aureis piſcabatur. Fratrem ſuum occidit atq; matrem, & ſororem ſuam proſtituit & interfecit. Senatum multum extinxit: & multas reipublicæ prouincias amiſit. Romam quoq; ſuccendit, vt Troiani incendii imaginem videret. Huius tempore Iacobus Alphæi à Iudæis Hieroſolymis occiditur. Habebat Nero ſecū Simonē magum cuius maleficiis deludebatur. Qui cum altercationē haberet cum Petro, dicebat eſſe filium Dei. Superuenit autē & Paulus, & ſimiliter cum Simone cōtendebat. Nero autē dedit Paulo poteſtatē prædicandi, & libertatē deambulandi per partes occidentis: placebat enim illi Paulus, eo quod eloquentiſſimus erat. Duodecim annis fuit Paulus Romæ & in partib. occidentis prædicans verbum Dei cum fiducia: quo tēpore in Hiſpania creditur prædicaſſe. Anno imperii Neronis tertiodecimo cum iam nequitia Cȩſaris ob* immiſſionē Simonis inualuiſſet, captus eſt Romȩ Paulus & miſſus in carcerē: vbi multos de familia Neronis conuertit & familiaritatem Senecæ magiſtri Neronis obtinuit: vnde Nero Senecā & Lucanū fecit occidi. Hac tempeſtate Perſius poeta moritur. Quartodecimo anno imperii ſui Petrus & Paulus præcepto Cæſaris cum Simone contendebant. Simon autē promiſitſe volare in cȩlum videntib. cunctis, & in ſe diuinā oſtendere maieſtatē. Qui cum à dæmonib. in altum aeris duceretur, adiurante Petro per Deum, Paulo vero orante iuxta templum Romuli dimiſſus crepuit. Ob cuius necē Petrus præcepto Neronis in Vaticano, in vico ſcil. qui eſt extra ciuitatē, vbi fiebāt dolia, crucifigitur: vbi quondam vates ſtuduiſſe dicuntur. Paulus vero tanq̃ ciuis honorabiliori morte in catacumbis gladio decollatur. Vna die mortui ſunt glorioſi principes terræ, quos vnitas fidei & amoris, dum in carne viuerent, ſociauit. Nero autem ob tanta ſcelera viuens priuatur regno: & poſtea miſerabiliter occiditur & à feris deuoratur. Galba regnauit annis duobus fere: nihil dignum memoria fecit.

Veſpaſianus regnauit annis nouem. Iſte in diſciplina militari ſtrenuus fuit. Multas prouincias, quas Nero vel Galba amiſerant, bellādo reipublicȩ reſtituit. Immemor offenſarum fuit: & conuitia in ſe dicta leuiter tulit. Huius ſecundo anno Titus cum patre Veſpaſiano Hieroſolymā cepit atq; ſubuertit: vbi vndecies centena millia Iudæorum vtriuſq; ſexus fame & gladio perierunt: ſed præter hos centum millia Iudȩorum publice ſunt venundata. Hoc factum eſt quia Iudȩi ſe cōtra Romanum imperium erigebāt: & vicinis regionibus, vt ipſi quoq; Romanis reſiſterēt ſuadebant. Cauſa quoq; fuit quia ad Veſpaſianum peruenit, quod Iudȩi dominum Ieſum Chriſtum innumera illis miracula & beneficia conferentē morte turpiſſima condemnarunt. Cōſummatum eſt bellum annis quatuor, duobus ante Neronē eiectum ab imperio eo miſerabiliter iubente, & poſtea duob. aliis: atq; nō eſt relictus in Hieruſalē lapis ſuper lapidē ſecundum vocē domini: qui flens ſuper ciuitatē iſta prædixerat. Tunc Romani tulerunt arcā teſtamenti Dei, quæ erat in templo & candelabrū ſacrum & menſam & alia ſacra, & intulerunt ea Romani in templum quod erat in loco quod nunc dicitur Lateranum. Poſt Veſpaſianum Otho regnauit diebus nonaginta quinq;. Vitellius menſibus nouem. Hic interfectus eſt à ducibus Veſpaſiani & in Tiberim merſus caruit ſepultura.

Poſt patrem Titus regnauit duobus annis. Iſte in lingua Græca & Latina facundiſſimus extitit: ita vt cauſas Latine ageret, poemata & tragœdias Græce cōponeret. Tantum bellicoſiſſimus fuit, vt equeſtri bello fere omnes lancea ſecū confligentes deiiceret: & in expugnatione Hieroſolymorū ſub patre militans duodecim pugnatores armatos duodecim ſagittarū ictib. vna die confoderet. Porro in imperio tantȩ bonitatis fuit, vt nullū puniret: ſed etiam conuictis de coniuratione contra ſe dimitteret, atq; in ea familiaritate, qua prius fuerant, eos retineret. Huius etiam inter cætera fuit illud celebre dictum. Dicebat ſe perdidiſſe diem, quo nihil boni ſe feciſſe ſentiebat.

Domitianus frater Titi regnauit annis ſedecim. Hic poſt Neronem ſecundus ſuperbia execrabilis Deum ſe appellari iuſſit: & Chriſtianos proſequi paganis inſtituit. Sub quo Ioannes Apoſtolus in Pathmos inſulam eſt exilio relegatus: vbi Apocalypſin ſcripſit. Iſte multos ſenatorum in exilium miſit ac peremit. cunctoſq;, qui de genere Regis Dauid erant, interfici iuſſit, vt nullus Iudæorum ex regali ſupereſſet origine.

Nerua regnauit anno vno menſibus ſex, in imperio moderatus, natione Hiſpanus, qui æqualem ſe & communē omnibus præbuit: cuius tempore Ioannes Apoſtolus ab exilio Epheſum rediit. Euangelia Matthæi, Marci & Lucæ cōfirmauit Ioannes: atq; euangeliū ſuū efflagitatus ab epiſcopis Aſiȩ nouiſſimus edidit. Multi fuerunt euangeliorū ſcriptores: ſed horū quatuor, id eſt, Matthȩi, Marci, Lucȩ & Ioannis tantum recipit eccleſia Dei ꝓpter eorū excellentiā: & vt quaternarius numerus quadrata ſtabilitate firmetur. Euangeliū enim Matthæi in Hebrȩa ſcriptū ab Apoſtolis auctoritatem accepit.

Euangelium Marci discipuli Apostolorum principis Petri ab eodem Apostolo est cõfirmatum. Euangelium Lucę dicitur euangelium Pauli quod Paulus contulit cum Petro & Iacobo: à quibus etiam est roboratum. Ioannes præ cæteris adeo dilectus & conscius secretorum Dei, nouissimus euangelium suum edidit trib. præteritis approbatis. Hi per quatuor animalia præfigurati fuerunt, Matthæus per hominem, Lucas per vitulum, Marcus per leonem, Ioannes autem per aquilam.

Traianus regnauit annis decem & nouem. Iste natione Hispanus mirabilis virtute

perduxit.

Romanum imperium vsq; in orientem longe lateq; † produxit. Babyloniam & Arabiã cepit, & vsq; ad Indiæ fines post Alexandrũ accessit. Liberalis fuit atq; tranquillus: cuius inter alia dicta illud prædicatur egregium: dum interrogaretur quod nimium circa omnes communis esset, respondit: talem se imperatorem esse priuatis, id est carentibus dignitate, quales esse sibi imperatores priuatus optasset. Hic quatuordecim legiones militum misit contra occidentem per Romanum imperiũ, vt ciuitates in aliis locis positas destruerent, & in plano eas conderent, ne contra imperium Romanum rebellarent. Ex quib. duæ venerunt in Hispaniam, & ciuitates Sublantiam & Florem destruentes non longe ab ipsa Flore vrbem condiderunt, quam legionem vocauerunt. Inceptum est hoc à Nerua & à Traiano perfectum. Iussit etiam fieri in Hispania pontem, qui dicitur Alcantara super flumen Tagum: & quædam alia ob insigne nominis sui. Compellente autem senatu dedit licentiam gentilibus Christianos persequẽdi. Tunc Simon Cleophas Hierosolymorum episcopus crucifigitur. Huius regni anno primo Ioannes Apostolus sexagesimo sexto anno post passionem domini, ætatis vero suæ nonagesimo nono obiit in Epheso. Galenus medicus Pergamo genitus Romæ clarus habetur.

Petrus & Paulus sepulti sunt Romæ. Andreas Patras ciuitate Achaiæ Iacobus Zebedæi in † arce marmorica, & delatus in Galeciam Hispaniæ vltimam prouinciam.

arca marmorica,

Ioannes in Epheso. Philippus cum filiabus suis in Hieropoli Asiæ. Barnabas in insula Cypri. Bartholomæus in Albone ciuitate maioris Armeniæ. Thomas in Calamina ciuitate Indiæ. Matthæus in montibus Parthorum. Martialis discipulus Apostolorum Lemouicæ, Lucas in Bithynia, Marcus Alexandriæ in Biuolis. Iacobus Alphæi iuxta templum Hierosolymis. Tadæus, id est, Iudas in Beruto Edessenorum. Simon Cleophas, qui & Iudas, post Iacobum episcopus, ætatis centum viginti annorum crucifixus est in Hierusalem & sepultus. Titus Cretæ. Crescens in Galliis Eunuchus Candacis reginæ in Arabia quæ Felix dicitur.

Hadrianus regnat annis viginti vno. iste Traiani gloriæ inuidens prouinciam Orientis Persis reddidit, & Euphratem flumen Romani imperii finem posuit. Idem Iudęos secundo rebelles subiugat: vrbem Hierosolymam restaurat, eamq; ex nomine suo Heliam vocat. Per idem tempus Aquila Ponticus, interpres secundus post septuaginta oritur: & Basilides hæresiarcha agnoscitur.

Antoninus Pius regnauit annis viginti duobus. Iste ob hoc tale cognomen accepit, quia in toto regno Romano cautionibus incensis per clementiam cunctorum debita relaxauit: vnde pater patrię appellatus est. Eo regnante Valentinus & Martion hęresiarchæ produntur.

Antoninus minor cum fratre suo Lucio, Aurelio Commodo regnauit annis decem & octo. Hic ad Parthos profectus Seleuciam Assyriæ vrbem cum quadringentis millibus hominum cepit. De Parthis & Persis nobiliter triumphauit. Eo tempore Montanus Cataphrygarum hæresis auctor & Titianus fuerunt, à quo hæreses Encratitarum exortæ sunt.

Antoninus regnauit annis duobus. Ante imperium multa nobiliter gessit. Commodus regnauit annis tredecim. Hic luxuriæ multæ fuit. Sub hoc Theodotion Ephesius interpres tertius apparuit: cuius editio à septuaginta interpretibus non discordat: atq; Irenęus episcopus Lugdunensis in doctrina habetur insignis. Hoc tempore sancta Eugenia passa est.

Ælius Pertinax regnauit menses sex. Hic supplicante senatu vt vxorem Augustam & filium Cęsarẽ faceret, renuens ait: sufficere sibi debere, quod ipse imperaret inuitus. Seuerus Pertinax regnauit annis decem & octo. Hic multa bella feliciter gessit. Parthos vicit. Arabiam obtinuit. Britanniam bellando cepit. Litterarum & philosophię scientiam habuit. Huius tempore Symmachus interpres quartus agnoscitur. Narcissus Hierosolymitanus episcopus virtutibus plurimis celebratur. Tertullianus Afer in ecclesia insignis habetur. Origenes Alexandriæ studiis eruditur.

Antoninus

Antoninus Caracalla Seueri filius regnauit annis septem. In Hyericho quinta editio diuinarum scripturarum inuenta est, cuius auctor non apparet. Hic Antoninus impatiens libidinis fuit, nouercam suam vxorem duxit. Nihil memorabile gessit.

Macrinus Martianus regnauit anno vno. Nihil memorabile temporis breuitate gessit: nam seditione militari interfectus est.

Marcus Aurelius Antonini filius regnauit annis quatuor. Hic dum obscęnissime viueret, tumultu militari peremptus est. Cuius temporibus sexta editio inuenta est Nicopoli. Sabellius hæresiarcha oritur. Facundus & Primitiuus & decem fratres eorum martyrio coronantur, eos patre Marcello præcedente martyrio glorioso.

Alexander regnauit annis tredecim. Persas gloriosissime vicit: ciuibus fauorabilis fuit. Origenes Alexandriæ claruit: in cuius libris multa erronea & infamiæ digna inuenta sunt. Romæ Vlpianus insignis est habitus.

Maximinus regnauit annis tribus. Iste primus ex militari corpore absq; decreto Senatus imperator efficitur, & Christianos persequitur.

Gordianus regnauit annos sex. Hic rebellantes Parthos & Persas afflixit: rediensq; victor de Persis fraude suorum interiit. Huius temporib. Zepherinus testimonio Spiritus sancti in specie columbę super caput eius descendentis Romę episcopus ordinatur.

Philippus regnauit annis septem. Iste primus imperator Christi efficitur: cuius primo anno millesimus annus Romanæ vrbis docetur expletus ab vrbe condita.

Decius regnauit anno vno mensibus tribus. Hic cum Philippus patrem & filium interfecisset, ob odium eorum in Christianos persecutionem mouit. Fabianus & Cornelius interfecti sunt, & multorum sanguis iustorum effusus est. Huius temporib. Antonius monachus in Ægypto claruit: à quo primum monasteria condita sunt.

Gallus & Volusianus filius eius regnant annis duobus. Cornelius Romæ episcopus rogatus à quadam matrona Lucina corpora Apostolorum de catacumbis leuauit noctu: & posuit Paulum via hostiensi, Petrum vero iuxta locum vbi crucifixus est inter corpora sanctorum episcoporum in templo Apollinis in monte Aurelio, in Vaticano palatii Neronis. Sanctus Cyprianus episcopus martyrio coronatur. Nouatus Nouatianam hæresin adinuenit.

Valerianus cum filio Galieno regnauit annis quindecim. Hic Christianis persecutione commota statim à Sapore Rege Persarum capitur: ibique luminibus orbatus seruitute miserabili consenescit. Cyprianus primum rhetor, deinde episcopus martyrio coronatur. Gotthi quoq; Græciam, Macedoniam, Asiam, Pontum atq; Illyricum deuastant & quindecim annis vendicant.

Claudius regnauit duobus annis. Iste Gotthos Illyricum Macedoniamq; vastantes superat. Paulus Samosatenus hæresiarcha agnoscitur. Aurelianus regnauit annis sex. Iste Romanum imperium bellando pene ad fines proprios perduxit: Qui sicut supra nominatus Valerianus dum Christianos persequitur, à Rege Persarum capitur: ibique in dedecore senescit & † fulmine moritur. Tacitus qui & Iacinthus regnauit an- *flumine* no vno cuius vitæ breuitas gestorum nihil dignum prænotat. Probus regnauit annis sex. Iste miles strenuus & ciuilitate præclarus Gallias à barbaris occupatas bellando Romanis restituit. Huius temporibus Manichæorum heresis orta est. Carus cum filiis Carino & Numeriano regnauit duobus annis. Carus postquam de Persis triumphauit, victor circa Tigridem castra ponens ictu fulminis cecidit.

Diocletianus & Maximinus & Lucinius regnauerunt annis viginti. diuinis libris adustis Christianos toto orbe persecuti sunt. Isti primo gemmas vestibus calceamentisq; inseri iusserunt: dum sola purpura retro imperatores vterentur. Hi autem imperatores varia bella gesserunt. Persis victis, recepta Mesopotamia postea pariter fastigio imperii relicto regno priuati sunt.

Galerius & Maximinus Gallus regnarunt annis duobus. Huius breuitas imperii nihil dignum historiæ contulit. Constantius vir tranquillissimus Gallia tantum Hispaniaque contentus Galerio cæteris partibus cessit. Constantius vero Augustus summæ mansuetudinis & ciuilitatis in Britannia obiit. Qui Constantinum filium ex concubina Helena creatum imperatorem Galliarum reliquit.

Constantinus regnauit annis triginta. Hic visitatione Petri & Pauli Apostolorũ & per beatũ Syluestrũ Papa Christianus effectus, multa in Romano imperio gloriose peregit. Qui primo Persis bellũ parauit: ad cuius aduentũ adeo trepidauerunt, vt supplices occurrerēt promittētes imperata perficere. Hic primus imperatorũ ecclesiã Christi in palatio suo, hoc est, Laterano fundauit: & licentiam dedit Christianis publice ac libere

congregari:& in honorem Chriſti baſilicas conſtruendi. In tantum in eo concaluit amor Chriſtianæ religionis, vt Romano Pontifici omnia inſignia imperialia perpetuo daret tradens ei ſimul Italiæ regnum. Tunc eſt ſancta eccleſia in Romano antiſtite imperialis regni gloria decorata: vt merito glorioſius & ſpecialius in eo regale ſacerdotium prædicetur. Ipſe vero Conſtantinus perrexit in Græciam, & ibi condens Conſtantinopolim vrbem, quæ prius Byzantium dicebatur, domum regni ſibi ſuiſque ſucceſſoribus ſtatuit. Abhinc cum occidentis & orientis regimine ſacerdotii tenuit Roma imperium occidentis, & Conſtantinopolis imperium orientis. His temporibus per Arrium Alexandrinum presbyterum hæreſis Arriana exoritur. Nicenum etiam concilium trecentorum decem & octo epiſcoporum Conſtantinus ad condemnationem Arrii congregauit. Donatiſtarum ſchiſma oboritur. Per idem tempus crux domini à glorioſa Helena Conſtantini matre Hieroſolymis reperta eſt. Ob cuius etiam deuotionē dominus quatuor clauos, qui in corpore ſuo fuerant fixi tanquam aurū ſplendentes oſtendit. Nicolaus Myrrheæ epiſcopus innumeris miraculis floruit. Conſtantinus autem fere in extremo vitæ ſuæ ab Euſebio Nicomedienſi pſeudoepiſcopo rebaptizatus in Arrianorum dogma conuertitur. Heu proh dolor! bono vſus principio & fine malo: & in eo tantorum titulorum laudes Arriana væſania offuſcantur. Tamen fertur quod in ipſa ęgritudine qua migrauit de corpore, modis omnibus execrabatur inſaniam Arrianam, & fidem catholicam fatebatur.

quindecim. Conſtantius & Conſtans fratres regnauerunt annis † viginti quatuor. Conſtans crudelitate morum terribilis à Perſis multa incommoda perpeſſus eſt. deinde Arrianus effectus Chriſtianos toto orbe perſequitur. Cuius etiam fauore Arrius fretus, dum in Conſtantinopoli ad eccleſiam pergeret contra noſtros in ſancta ſynodo dimicaturus, diuertens per forum Conſtantini ad neceſſariam cauſam, viſcera eius multis videntibus repente ſimul cum vita effuſa ſunt. Hoc tempore facta fuit perſecutio tam crudelis, vt intra vnum annum & menſem, decem & ſeptem millia martyrum pro Chriſto paſſi inueniantur. Per idem tempus Athanaſius & Hilarius doctrina & confeſſione fidei celebrantur. Hæreſis Anthropormophitarum in Syria & Macedonia & Conſtantinopoli naſcitur. Hieronymus presbyter ſedis Apoſtolicæ Cardinalis efficitur, Donatus artis grammaticæ ſcriptor ac præceptor Romæ claruit. Oſſa Andreæ & Lucæ Apoſtolorum Conſtantinopolim transferuntur.

Iulianus regnauit duobus annis. Hic ex clerico effectus imperator, apoſtata & paganus in idolorum cultum conuerſus liberales litteras Chriſtianos docere vel diſcere vetuit, & eis crudeliſſima martyria intulit. Oſſa Ioannis Baptiſtæ multis miraculis coruſcantia fracto mauſoleo per agros ſpargi præcepit. Sed non defuerunt fideles qui collegerant ea: inter quos quidam monachus maximam eorum partem Conſtantinopolim detulit: quædam etiam Hieroſolymam ad Philippum epiſcopum de ipſis ſacris oſſibus detulerunt: vbi digitus index, quo dominum monſtrauit, incorruptus apparuit. Iulianus autem iuſſit oſſa colligi & comburi. Quæ cum non inueniſſent ſatellites eius, quædam alia combuſſerunt, vt viderentur ſatisfacere tyranno. In odium etiam Chriſti templum Hieroſolymis reparare permiſit Iudæis: qui ex diuerſis prouinciis collecti cum noua templi fundamenta iacerent, ſubito adueniente nocte ſaxa magno terræmotu ab imo fundata late excuſſa ſunt. Igneus quoque globus de interiore æde templi egreſſus plurimos eorum ſuo proſtrauit incendio. Quo terrore reliqui pauefacti Chriſtum confitebantur inuiti. Et ne hoc caſu crederent factum, ſequenti nocte in veſtimentis cunctorum crucis apparuit ſignum. Iulianus autem contra Perſas procedens facta congreſſione iaculo ſuſcepto interiit.

Iouinianus catholicus regnauit anno vno. Qui dum ſe ab exercitu imperatorem fieri conſpiceret, & Chriſtianus accipere paganorum imperium recuſaret: & nos inquit totus exercitus, qui per Iulianum nomen Chriſti abiecimus, tecum Chriſtiani eſſe volumus: quibus ille auditis imperialia ſceptra ſuſcepit: firmataq; pace cum Perſis rediit. Qui protinus leges Chriſtianis & priuilegia dedit, quæ illis à Conſtantino conceſſa fuerant: ac templa idolorum claudi præcepit.

decem. Valentinianus & Valens frater eius regnauerunt annis † quatuordecim. Valens collapſus in hæreſim Arrianam multis cauſa erroris fuit. Tunc enim Gotthi apud Iſtrū bifariam in duobus Fridegerno & Athanarico Regibus diuiſi ſunt. Sed Athanaricus Fridegernum Valentis auxilio ſuperat. Hic ex catholico cum tota gente Gotthorū Arrianus effectus eſt. Tunc Gulphilas eorū epiſcopus Gotthicas litteras eis reperit, & vtrumque teſtamentum in linguā propriā tranſtulit. Photinus quoque & Eunomius atq; Apollina-

Apollinarius hæretici eo tempore agnoſcuntur. Damaſus Papa natione Hiſpanus Romæ eccleſiam beati Petri miro opere conſtruxit, & de diuerſis partibus multa ſanctorum corpora congregauit in vrbem.

Gratianus cum fratre Valentiniano regnauerunt annis quinque. Huius anno tertio Theodoſius creatur imperator. Ambroſius Mediolanenſis epiſcopus in catholicorum dogmate claruit. Martinus epiſcopus Turonorum Galliæ ciuitatis multis miraculis claruit. Priſcillianus hæreſim ſui nominis edidit.

Valentinianus iunior cum Theodoſio regnat annis octo. Conſtantinopoli ſynodus centum quinquaginta ſanctorum Patrum colligitur: in qua omnes hęreſes condemnantur. Hieronymus presbyter Bethleem ſanctitate & ſcientia toti mundo claruit. Hic ſcripturas ſacras de Hebręo primus tranſtulit in Latinū: & abſtulit opprobriū Latinorū. Græci enim inſultabāt Latinis, quod ab eis legē tanquā riuulus à fonte acceperāt: in quorum odiū quidam eorum etiā exemplaria corrumpebant. Tunc temporis Priſcillianus accuſante Idatio à Maximo tyranno gladio cęditur. Gentium quoq; templa per totum orbem iubentibus Theodoſio & Honorio ſubuertuntur. Pars etiam corporis Ioannis Baptiſtæ Alexandriæ in templo Serapis per Theophilum epiſcopum à ſordibus mundato, honorifice conditur: & in honore eius baſilica conſecratur.

Theodoſius natione Hiſpanus regnauit ſolus tres annos & cum Honorio & Arcadio regnauit annis tredecim. Per idem tēpus Ioannes anachoreta inſigniter claruit: qui etiam Theodoſio conſulente de Eugenio tyranno victoriam illi prædixit. Arcadius cum fratre Honorio regnauit annis tredecim. Huius temporibus Auguſtinus epiſcopus doctrina & ſcientia inſignis habetur. Martinus epiſcopus Turonorum obiit. Ioannes quoque Conſtantinopolitanus, & Theophilus Alexandrinus illuſtres epiſcopi prædicantur. Donatus etiam Epiri epiſcopus virtutibus inſignis eſt habitus. Qui draconem ingentem expuens in os eius facto ſigno crucis necauit: quem octo iuga boum ad locum incendii vix trahere potuerunt, ne aerem putredo eius corrumperet. Horum Arcadii & Honorii tempore Alaricus Rex Gotthorum ſororem eorum Placidiam Theodoſii filiam cum ingenti theſauro Romanorum capit primo facta vrbis irruptione: & acceptis multis opibus vrbem incenſam reliquit. Per idem tempus corpora ſanctorum Abacuch & Micheæ prophetarū diuina reuelatione produntur. Gotthi totam Italiam deprædantur: & Vandali & Alani Gallias aggrediuntur.

Honorius cum Theodoſio fratris filio regnat annis quindecim. Vandali & Alani & Sueui Hiſpaniarum maximam partem occupant. Hac tempeſtate Pelagius aduerſus Chriſti gratiam erroris ſui dogmata prædicat. Ad cuius condemnationem concilium apud Carthaginem ducentorum quatuordecim epiſcoporum congregatur. Hoc tempore Cyrillus epiſcopus Alexandriæ inſignis habetur.

Theodoſius minor Arcadii filius cum Honorio & Valentiniano regnauit annis viginti ſeptem. Hoc tempore Valentinianus iunior Conſtantii filius Rhauennę imperator creatur: qui matrem ſuam Placidiam Auguſtam nuncupauit. Hic gentem efferam Vandalorum & Alanorum ab Hiſpaniis ad Africam tranſtulit. Beatus Auguſtinus Hyponenſis epiſcopus & doctor eximius migrauit ad dominum. Eodem tempore Neſtorius Conſtantinopolitanus epiſcopus perfidiæ ſuæ ſuſcitauit errorem. Aduerſus quem Epheſina Synodus cōgregata eius impia dogmata damnat. Hoc etiam tempore diabolus in ſpecie Moyſi Iudæis in Creta apparens, dum eos per mare ſicco pede ad terram repromiſſionis promittit perducere diabolo prius ingreſſo & ſequentibus Iudæis, qui ſuper vndas iis qui erant in littore incedere videbantur, ſubito diabolus diſparuit, & multi Iudæi mortui ſunt: aliqui autem qui euaſerunt ad Chriſti fidem conuerſi ſunt.

Martianus & Valentinianus regnauere annis ſeptem. Huius tempore ſynodus geritur, vbi Eutiches cum Dioſcoro Alexandrino epiſcopo condemnantur. Caput etiam Ioannis Baptiſtæ, quod duo monachi eodem Ioanne reuelante iuxta palatium Herodis Regis Hieroſolymis ſepultum inuenerant, Conſtantinopolim defertur. Hoc etiam tempore Theodoricus Rex Gotthorum cum ingenti exercitu Hiſpanias ingreditur. In Italia Boetio catholico philoſopho crudeliter interfecto.

Leo maior cum Leone minore regnauerunt annis decem & ſeptem. Ægyptus & Alexandria errore Dioſcori hæretici inſanientes contra Chalcedonenſem ſynodum canina rabie latrant. Hoc tempore Gotthi leges proprias in diſcuſſione cauſarum habere cæperunt. Tunc apparuit hæreſis Acephalorum Chalcedonenſe concilium

impugnantium: qui ideo Acephali, id eſt ſine capite nominantur, quia quis primus eam hæreſim introduxit non inuenitur. Huius hæreſis peſte plurimi hactenus Orientalium ſunt languentes.

Zenon regnauit annis decem & octo. Ab iſto Acephalorum hæreſis defenditur: & decreta Chalcedonenſis ſynodi abdicantur. Iſte Leonem Auguſtum filium ſuum interficere volens, pro eo mater eius alium figura ſimilem obtulit: ipſumque Leonem occulte clericum fecit: qui in clericatu vſque ad Iuſtiniani tempus vixit. Per idē tempus corpus Barnabæ Apoſtoli, & euangelium Matthæi eius ſtylo ſcriptum ipſo reuelante repertum eſt.

Anaſtaſius regnauit annis viginti ſeptem. Iſte Acephalorum errorem vindicans, epiſcopos Chalcedonenſis ſynodi defenſores exilio damnat. Euangelia quoque tanquam ab idiotis compoſita euangeliſtis reprehendit, & praue corrigit. Huius octauo decimo anno Gotthi ab Italia in Hiſpania per Theodoricum regnare cæperunt. Eo tempore Traſemundus Rex Vandalorum catholicas eccleſias claudit in Africa & contra catholicos ſæuit, & epiſcopos in exilium in Sardiniam mittit. Per idē tempus Carthagine Olympus quidam Arrianus in balneis ſanctam trinitatem blaſphemans tribus igneis iaculis Angelo emittente viſibiliter eſt combuſtus. Barbas quoque quidam Arrianus epiſcopus dum contra regulam fidei quendam baptizans dixiſſet: Baptiza te Barbas in nomine patris per filium in ſpiritu ſancto, ſtatim aqua, quæ fuerat ad baptizandum delata, nuſquam comparuit. Quod aſpiciens qui Baptizandus erat, ad catholicam eccleſiam venit, & iuxta morem fidei, Chriſti baptiſmum ſuſcepit.

Iuſtinus maior regnauit annis nouem. Iſte ſynodi Chalcedonenſis amator Acephalorum hæreſim abdicat. Huius tempore poſt Traſemundum Ildericus ex Valentiniani imperatoris captiua filia genitus in Vandalis regnum ſuſcepit. Qui ſacramento à Traſemundo aſtrictus, ne catholicos in regno ſuo foueret, antequam regnum ſuſciperet epiſcopos ab exilio reuerti iuſſit, eiſque proprias eccleſias reformauit. Hoc tempore Theodericus Italiæ Rex in Hiſpania regnat poſtquam Atalaricus nepos eius ſucceſſit in regnum. Benedictus Abbas virtutum gloria claruit. Athanagildus in Gotthis regnare cœpit. Iuſtinianus regnauit annis triginta nouem. Iſte Acephalorum hæreſim ſuſcipiens omnes in regno ſuo epiſcopos tria Chalcedonenſis concilii capitula damnare compellit. In Alexandria Theodoſiana & Gaiana hæreſis oritur. In Africa Vandali per Beliſarium ducem extinguuntur. In Hiſpania per Athanagildum Romanus miles ingreditur: & in Aſturiis Vandali omnino delentur. In Italia perfidus Totila Rex Gotthorum à Narſe Romano patricio ſuperatur. Per idem tempus Antonii monachi diuina reuelatione corpus repertum Alexandriam perducitur, & in eccleſia Ioannis Baptiſtæ humatur.

Iuſtinus minor regnauit annis vndecim. Narſis patricius poſtquam ſub Iuſtiniano Auguſto Totilanem Gotthorum Regem in Italia ſuperauit, Sophiæ Auguſtæ Iuſtini coniugis minis perterritus Longobardos à Pannonis inuitauit, eoſque in Italiam introduxit. Hic Iuſtinianus ea quæ aduerſus Chalcedonenſem ſynodum fuerunt edita, deſtruxit: & ſymbolum centum quinquaginta patrum, tempore ſacrificii concinendum populo præcepit. Armeni tum primum fidem Dei ſuſcipiunt. Geppides Longobardorum Rex extinguitur. Hac tempeſtate Leouildus Rex Gotthorū quaſdam Hiſpaniæ regiones ſibi rebelles, in poteſtatem ſui regni ſuperando redegit. Per idem tempus Martinus Braccarenſis Dumienſis epiſcopus apud Galleciam clarus in doctrina fidei prædicatur tempore Theodimiri Regis.

Tiberius regnauit annis ſeptem. Longobardi expulſis Romanis Italiam adeunt. Gotthi per Hermegildum Leouigildum Regis filium bifariam diuiſi mutua cæde vaſtantur.

Mauritius regnauit annis viginti vno. Gregorius Romanæ eccleſiæ Pontifex & doctor eximius habetur. Fulgentius epiſcopus Aſtigitanus in confeſſione Dei & ſcientia claruit. Eodem tempore Sueui à Leouigildo Rege Gotthorum obtenti bello, Gotthis ſubiiciuntur. Iidem quoque Gotthi per Reccaredum religioſiſſimum principem, ad fidem catholicam reuertuntur, ſanctiſſimo patre Leandro epiſcopo Hiſpalenſi virtutibus & ſcientia decorato eiſdem Gotthis ſanctæ prædicationis verbum miniſtrante.

Phocas

Phocas regnauit annis octo. Iste seditione militari imperator effectus Mauritium Augustum & multos nobilium interfecit. Huius tempore Prasini & Veneti per Orientem & Ægyptum ciuile bellum faciunt, ac sese mutua cæde prosternunt: de quo Romanum imperium magnum sustinuit detrimentum. Prælia quoque Persarum grauissima aduersus rempublicam excitantur: à quib. Romani fortiter debellati ipsam Hierosolymam amiserunt. Per idem tempus Romæ templum Pantheon eliminata spurcicia idolorum à sancto Bonifacio Papa in honorem Dei genitricis & omnium martyrum Christi consecratur.

Heraclius temporibus nostris sumpsit imperium. Hic Persas reipublicæ subdidit: & crucem Christi quam impius Rex Cosdroas asportauit, Hierosolymis restituit. Huius Heraclii anno secundo Sisebutus in Hispania regnare incipit: regnumq; octo annis catholice regit. Huius etiam anno decimo Suintila in Hispaniis regnare incipit: & totius Hispaniæ monarchiam inter Reges Gotthorum tenuit primus: qui decem annis regnauit. Fiunt ergo ab exordio mundi vsque in præsentem diem anni quinque millia octingenti septuaginta in era sexcētesima † septuagesimi prima, hoc est anno imperatoris Heraclii octauo decimo, & religiosissimi Hispaniarū Regis Suintilani vltimo. Residuum seculi tempus humanæ inuestigationi incertum est. Omnem enim de hac re quæstionem dominus Iesus Christus abstulit dicens: non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ pater posuit in sua potestate. Et alibi de die illa dominus, inquit, nemo scit neq; Angeli cęlorum, nisi solus pater. Vnusquisq; ergo de suo cogitet transitu ne in peccati operibus proruat, sicut sacra scriptura dicit: In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Quando vnusquisq; de seculo migrat, tunc illi quodammodo consummatio seculi est.

LXXXI. Non consentit hac annorum ratio neq; cum Isidoro neque cum superioribus: ac debuit potius vsque ad XVIII. annum Heraclii numerare ab orbe condito 5965. erā 676. præcise iuxta eā quam in singulis computationem ipse quidem secutus est. Onuphrius quidem annos Christi numerat 628. atq; adeo erā 666. vsq; ad eum Heraclii annum.

EXPLICIT PRIMVS LIBER CHRONICORVM BEATI ISIDORI Hispaniarum doctoris archiepiscopi Hispalensis.

LIBER SECVNDVS.

Prologus.

DECET viros virtutis præcedentium facta sæpe ad memoriā reuocare: vt in bonis præteritis discant bonis operibus † incubare, & in malis exemplum caueant reproborū. Præ cunctis malis sacrilegiū, luxuriam, & auaritiam debent principes euitare: quibus maxime præteriti principes corruerunt, adeo vt qui multarum gentium victores exstiterant, prouocato Deo sacrilegiis, luxuria & auaritia, suis subderentur miserabiliter inimicis. Cauenda est etiam summopere discordia militaris: qua non solum Romanum imperium subiit detrimentum, verum etiam fortissima gens Gotthorum sæpe gentis & patriæ sensit euersionem: vt in subscriptis libris clarius elucebit. Quis enim inuictissimam Gotthorum gentem adeo superauit, vt ipsa Gotthorum diuisio? quæ tempore Roderici Regis per Iulianum comitem & Witizam, qui Gotthi erant, Gotthorum gloriam & patriam subdidit Agarenis? Factum est etiam consimile tempore Ramiri & Veremundi Regum Gotthorum, cum Almanzor Rex Agarenus cum Gotthis militibus exulatis, qui ad se confugerunt, Legionense regnum inuasit, & euertit munitissimas ciuitates. Si quis percurrat historias diligenter, fere nunquam inueniet Gotthos præliis superatos, nisi contra ipsos manus quoq; Gotthica repugnaret. In agendis etiam bellorum negotiis est iure nobilitas sanguinis requirenda: quia vt in libro Macchabæorum sacra testatur scriptura, multi ex populo Israelitico victi ceciderunt in prælio, quia duces eorum scilicet Iosephus & Azarias non erant de genere virorum illorum per quos salus facta fuerat in Israel. Iam nunc ad gesta Regum Gotthorum manum mittimus chronicorum librum Isidori doctoris Hispaniarum secundum in opere proponentes. Tamen sciendum quod in Regum Gotthorum serie, & in Romanorum imperatorum atq; aliorum principum fere vbiq; discors annorum numerus scriptorum vel æmulorum vitio reperitur. Quapropter ego in huius operis annorum concordiam vtcumq; potui, laboraui. Corrigat tamen catholica veritas, si quid forte in his vel aliis opusculis meis me viderit deuiasse.

† incumbere

BEATI ISIDORI

Prologus.


OMINO & filio chariſſimo Siſnando Regi Gotthorum Iſidorus. Quia de origine Gotthorum, Hiſpanorum, Sueuorum, Vandalorum, & Alanorum, & qualiter rexerunt Hiſpaniam tibi fieri notitiam poſtulaſti: in huius parte duximus laborandum: atque tuæ charitati, prout poſſumus, id ſcribendo breuiter explanare. Tres filios Noe, id eſt Sem, Cham, & Iaphet ſcriptura ſacra eſſe teſtatur. Ab ipſis quippe omnium hominum genus per tripartitam mundi regionem, id eſt, Aſiam, Europam, & Africam eſt diſſeminatum. Filii Sem orietalem partem ſcilicet Aſiam cum filiis Ioniti filii Noe, qui poſt diluuium natus eſt, poſſederunt. Filii Iaphet ſeptentrionalem, ſcilicet, Europam. Filii Cham meridionalem, id eſt Libyam ſiue Africam inhabitauerunt. Sed tempore procedente terram Chanaam in Aſia violenter obtinuerūt. Nati ſunt filii Iaphet, Magog, & Tubal & alii. De Magog inde Gotthi, de Tubal vero Hiſpani & Itali orti cenſentur. Primus Rex Hiſpanorum extitit nomine Hiſpanus, qui famoſam vrbem condidit, quam ex ſuo nomine Hiſpalim nominauit: & in ea ſolium regni ſibi firmauit: à qua etiam Hiſpania nomen traxit. Dicitur & ab Ibero flumine Iberia, & ab Heſpero ſidere Heſperia. Hiſpanis tandem regnum ſuum ſegniter gubernantibus, principantibus Petreio & Afranio, Iulio Cæſari, & Romanis omnino ceſſerunt: non tamen patria ſed regni honore caruerunt. Olim pro magna parte ſui Romanis Hiſpania iam ceſſerat Bruto & Ptolemone ducibus exercitus Romanorum. Ante biennium autem Romanæ vrbis irruptionis era CCCCXLIIII. excitatæ per Stiliconem ducem Romanum gentes Alanorum, Sueuorum, Vandalorum tranſiectoque impetu ad Pyrenæum vſque perueniunt. Cuius obice per Didymum & Verinianum Romanos nobiliſſimos ac potentiſſimos fratres ab Hiſpania trib. annis repulſi per circuniacentes Galliæ prouincias vagabantur. Sed poſtquam qui priuato præſidio Pyrenæi clauſtra tuebantur, ob ſuſpicionem tyrannidis inſontes & nulla culpa obnoxii, à Conſtantio Imperatore occidentis interfecti ſunt, memoratæ gentes Hiſpaniarum prouincias diſrumpunt. Sueui à Germanis duxerunt originem, qui à flumine Sueuo nominantur. Vandali à Galliis venerunt, & à Vandalico fluuio nominantur. Alani ab Hunnis orti ſunt: & † Alanus fluuius eis nomen impoſuit. *Ianus*

Era CCCCXLVII. Alani, Sueui & Vandali Hiſpanias occupantes, neces vaſtationeſque cruentis diſcurſibus faciunt. Vrbes incendunt, ſubſtantias direptas exhauriunt: ita vt humanæ carnes in fame deuorarentur à populis. Edebāt filios ſuos matres. Beſtiæ quoque morientium gladio fame ac peſte cadaueribus aſſuetæ etiam in viuorum efferebantur interitum. Atque ita quatuor plagis per totam Hiſpaniam ſæuientibus diuinæ iracundiæ per prophetas ſcripta olim prænuntiatio adimpletur.

Era CCCCXLVIIII. poſt plagarum diram perniciem, quibus Hiſpania cæſa eſt, tādem barbari ad pacem Deo miſerante conuerſi in poſſeſſionē ſibi eius prouincias diuidunt. Galleciam enim Vandali & Sueui occupant. Alani Luſitaniam & Carthaginēſem prouinciam. Vandali autem cognomine Silingi relicta Gallecia poſtquam Tarraconēſes inſulas deprædati ſunt, regreſſi prouinciam Beticam ſortiuntur. Hiſpani autem per ciuitates & caſtella reſidua plagis afflicti barbarorum dominantium de Romanorum abſentia & tuitione plangentes, ſeſe miſerabiliter ſeruituti ſubiiciunt. Primus autem in Hiſpania Gundericus Rex Vandalorum præfuit regnans in Galleciæ partib. annis decem, & octo. Qui dum rupto fœdere Sueuorum gentem in Eruaſis mōtibus obſident, relicta obſidione Sueuorum Balearicas Tarraconenſis prouinciæ inſulas deprædatur. Deinde Carthagine Spartaria euerſa cum omnib. Vandalis ad Beticam tranſit. Hiſpalim diruit acrique cæde in direptionem mittit. Qui cum auctoritate regiæ poteſtatis irreuerenter manus in baſilicā ſancti Vincentii martyris ciuitatis ipſius extendiſſet, mox Dei iudicio in foribus templi dæmonio correptus interiit.

Era CCCCLXVII. Giſericus frater Gūderici ſuccedit in regnū annis quadraginta. Qui ex fide Catholica effectus apoſtata in Arrianam fertur primus tranſiſſe perfidiam. Hic

de Beticæ

de Beticæ prouinciæ littore cum Vandalis omnibus eorumq; familiis ad Mauritaniam & Africam relictis Hiſpanis transfretauit. Cui Valentinianus iunior occidentis imperator non valens obſiſtere pacem mittit: & partem Africæ, quam Vandali poſſederāt, tanquam pacifice dedit, conditionibus ſacramenti ab eo acceptis ne quid vltra inuaderet. Ille autem de cuius amicitia iam nihil ambigebatur, violata ſacramēti religione Carthaginem dolo pacis inuadit: omneſq; opes eius excruciatis diuerſo tormentorum genere ciuibus in ius proprium vertit. Deinde Siciliam deprædatus Panormum obſedit: & Arrianam peſtilentiam per totam Africam intromittit. Sacerdotes ab eccleſia pellit: martyres plurimos efficit, & iuxta prophetiam Danielis demutatis ſanctorū myſteriis eccleſias Chriſti hoſtibus tradidit. Nec iam diuini cultus loca, ſed ſuorum eſſe habitacula iuſſit. Aduerſus quem Theodoſius minor orientis imperator bellum parauit, quod ad effectum non venit: Hunnis enim Thraciam Illyricumq; vaſtantib. exercitus ad Vandalos miſſus, ad defendendos Thraces Illyrianoſque à Sicilia reuocatur. Maiorianus autem imperator de Italia in Hiſpaniam veniens, cū in Carthaginenſi prouincia aliquantas naues ſiue ad tranſitum aduerſus Vandalos præparaſſet, eas de littore Carthaginenſi commoniti Vandali per proditores arripiunt. Sicque Maiorianus à ſua diſpoſitione fruſtratus Italiam reuertitur, atq; à Recimiro patricio fraude circumuentus occiditur. Quo comperto Giſericus non contentus ſolis Africæ vaſtationibus, nauibus aduectus Romam ingreditur, direptiſque per quatuordecim dies opibus Romanorum relicta Vrbe vxorem Valentiniani & filias eius & multa millia captiuorum ſecum tulit. Mox Carthaginem redit: & per legatos ab Imperatore poſtulata pace, Valentiniani relictam Conſtantinopolim remittit: quarum vnam ex filiabus ſuis filio ſuo Vgnerico iure matrimonii copulauit. Sicque poſt multarum prouinciarū clades Chriſtianorumque ſpolia atq; neces moritur regni ſui anno XL.

Era DVII. poſt Giſericum Vgnericus Giſerici filius regnat annis ſeptem, menſib. quinque habens in coniugio Valentiniani filiam, quam pater eius ex Roma cum matre captiuam adduxerat, qui & ipſe Arriano ſuſcitatus furore catholicos per totam Africam atrocior patre perſequitur, eccleſias tollit, ſacerdotes & cuncti ordines clericos in exilium mittit. Monachos quoque atq; laicos quatuor circiter millia exiliis durioribus relegauit, martyres fecit, cōfeſſoribus linguas abſcidit: qui linguis abſciſſis perfecte vſque ad finem locuti ſunt. Tunc Lætus Neptenſis ciuitatis epiſcopus glorioſe martyrio coronatur. Qui dum Arriani contagii labe variis pœnis maculari non potuit, victor repente cœlos obtinuit. Vgnericus autem inter innumerabiles ſuarum impietatū ſtrages, quas in catholicos exercuerat, octauo regni ſui anno, vt Arrius pater eius interioribus cunctis effuſis miſerabiliter vitam finiuit.

Era DXIIII. Guntamundus ſuccedit regnans annos quatuordecim. Qui ſtatim eccleſiæ pacem reformans catholicos ab exilio reuocauit.

Era DXXVIII. Traſemundus ſuccedit regnans annis viginti ſeptem menſibus quatuor. Iſte Arriana inſania plenus catholicos inſectatur, eccleſias claudit, in Sardiniam exilio ex omni Africana eccleſia centum viginti epiſcopos mittit. Carthagine moritur. Cuius tempore Fulgentius Ruſpenſis epiſcopus in noſtro dogmate claruit.

Era DLV. Hildericus Hugnerici filius ex Valentiniani imperatoris filia genitus ſucceſſit regnans annis nouem menſib. tribus. Iſte ſacramento à prædeceſſore ſuo Traſemundo adſtrictus ne catholicis in regno ſuo pacem daret, aut eccleſias aperiret, aut priuilegia reſtitueret, priuſquam regnaret ne religionem ſacramenti violaret, præcepit ſacerdotes catholicos ab exilio reduci & eccleſias aperiri. Quem Gilimer ſumpta tyrannide regno priuat: & cum filiis carceris cuſtodiæ mancipat.

Era DLXIIII. Gilimer regnum tyrannide quatuor annis tenuit, multos nobilium Africæ prouinciæ crudeliter extinguens, multorumque ſubſtantias tollens. Aduerſus quem Iuſtinianus imperator, ex viſitatione viſionis nocturnæ Læti epiſcopi, qui ab Vgnerico Rege Vandalorum martyr fuerat factus, exercitum cum Beliſario magiſtro militum duce mittit. Initoq; idem Beliſarius prælio Guntemirū & Gebamundū Regis fratres primo prælio ſuperatos interficit. Deinde ipſum Gilimirum in fugam verſum Africam capit. In ipſo autem Beliſarii occurſu priuſquam congreſſio fieret Gilimer tyrannus Hildericum Regem cum quibuſdam generis eius affinibus occidit. Beliſarius autem Gilimirum tyrannum capit: eumque cum deuitiis ex rapinis prouinciarum & Africæ conquiſitis Conſtantinopolim Iuſtiniano Imperatori adducit. Sicque regnum Vandalorum cum populo atque ſtirpe deletur era DLXVIII. quod permanſit centum & quadraginta nouem annis ab anno primo Gunderici Regis vſq; ad interitū Gilimiri.

Explicit hiſtoria Vandalorum.

SVEVORVM HISTORIA.

RA CCCCXLVI. Sueui principe Hermerico cum Alanis & Vandalis simul Hispaniam ingressi sunt, atque omnem Gallecjam cum Vandalis occupauerunt. Vandalis autem Africam transeuntibus Galleciam soli Sueui sortiti sunt: quibus præfuit in Hispaniis Hermericus annis triginta duobus. Galleci autem in parte prouinciæ regno suo vtebantur. Quos Hermericus assidua vastatione deprædans tandem morbo oppressus pacem cum eis fecit & Recchilanem filium suum in regno suo substituit. Qui cum magna parte exercitus missus Andebotum Romanæ militiæ ducem cum multis copiis ad Singilium Beticæ prouinciæ fluuium inito bello prostrauit magnis eius auri argẽtique copiis occupatis. Inde Emeritam obsessam ingreditur: atque obtentam proprio regno associat. Hermericus autem pater eius per annos septem diuturno languore affectus interiit.

Era CCCCLXXVIII. Hermerico defuncto Recchila filius eius regnat annis nouem. Qui post obitum patris Hispali obtenta Beticam & Carthaginensem prouincias in suam potestatẽ reducit. Atq; inde Emeritæ sub cultu, vt fertur, gentilitatis vitam finiuit.

Era CCCCLXXXVII. Recciarius Recchilanis filius catholicus factus succedit in regnum annis nouem accepta in coniugium filia Theodoredi Regis Gotthorum. Hic in principio sui regni confortatus Vascones deprædatur: moxque ad Theodoredum socerum suum profectus, Cæsaraugustanam regionem remeans Gotthis auxiliantib. vastat. Tarraconensem prouinciam, quæ Romano imperio deseruiebat, inuadit. Carthaginenses regiones quas Recchila pater eius Romano reddiderat, in prædam mittit. Ad vltimum, dum Theudericus Rex Gotthorum in Hispaniam ingrederetur, inito prælio aduersus eum, primo fugatur, deinde captus occiditur.

Era CDXCVI. extincto Recciario, Sueui, qui remanserant in extrema parte Gallecię, Masdram Massilæ filium Regem sibi cõstituunt. Mox bifariam diuisi, pars Frantanem, pars Masdram Regem appellant. Nec mora Frantane mortuo, Sueui qui cum eo erant Recchimundum sequuntur, & cum Masdra pace inita, pariter partes Lusitaniæ deprædantur. Masdra autem tertio regni anno à suis iugulatur.

Era CDXCIX. Masdra interfecto inter Frumarium & Recchimundum oritur de regni potestate dissensio: sed Frumarius cum manu Sueuorum, quam habebat, Flauiensis vrbis conuentum graui euertit excidio. Recchimundus autem vicina sibi pariter Auriensium, & Lucensis conuentus maritima populatur. Duobus annis post Masdram regnauit Frumarius.

Era DII. Frumario mortuo Remismundus omnib. Sueuis in suam ditionem regali iure reuocatis, pacem cum Gallecis reformat, legatos fœderis ad Theudericũ Regem Gotthorum mittit, à quo etiam per legatos & arma & coniugem, quã haberet, accepit. Inde ad Lusitaniam transit. Conimbriam pace deceptam diripit. Olisbona quoq; ab eo occupatur ciue suo, qui illi præerat, tradente Lusidio. Huius tempore Aiax natione Galata effectus apostata. Arrianus inter Sueuos Regis sui auxilio, hostis catholicæ fidei, & diuinæ Trinitatis emergit, de Gallicana Gotthorum regione hoc pestiferum virus afferens & totam gentem Sueuorum lethalis perfidiæ tabe inficiens. Multis deinde Sueuorum Regibus in Arriana hæresi permanentibus, (fuerunt ex tunc Reges Sueuorum seducti nonaginta annis: quorum actus & nomina hic minime describuntur) tandem regni potestatem Era DC. Theudemirus suscepit. Qui confestim Arrianæ impietatis errore destructo Sueuos catholicæ fidei reddidit, innitente Martino monasterii Dumiensis episcopo fide & scientia claro, cuius studio & pax ecclesiæ ampliata est, & multa in ecclesiasticis disciplinis Gallecięe regionibus instituta.

Era DCVIII. Post Theudemirum Miro Sueuorum princeps efficitur, regnans annis tredecim. Hic secundo regni sui anno bellum contra † Rucones intulit. Deinde in auxilium Liuuigildo Gotthorum Regi aduersus rebellem filium expugnandũ Hispalim pergit, ibique terminum vitæ clausit.

Vascones

Huic Heboricus filius in regnum succedit anno vno, quem adolescentem Andeca, sumpta tyrannide regno priuat, & monachum factum in monasterio damnat, pro quo non diu est dilata sententia. Nam Liuuigildus Gotthorum Rex Sueuis mox bellum inferens, obtẽto eodem regno, Andecanem deiecit, atq; detonsum post regni honorem,

norem, presbyterii officio mancipauit. Sic enim oportuit, vt quod ipſe regi ſuo fecerat, rurſus idem congrua viciſſitudine pateretur. Regnum autem Sueuorum deletum in Gotthos transfertur, quod manſiſſe CLXXVII. annis ſcribitur.

Explicuit hiſtoria Sueuorum.

GOTTHORVM HISTORIA.

GOTTHORVM antiquiſſima origo de Magog Iaphet filio orti cũ Scythis vna probantur origine: vnde non longe vocabulo diſcrepant. Demutata enim ac detracta littera Getæ quaſi Scythę ſunt appellati. Hi igitur Septentrionis glacialia iuga inhabitantes, quæque ſunt ardua montium cum cæteris gentib. poſſidebant. Quib. ſedib. tempeſtatibus & impetu gentis Hunnorum pulſi Danubium trãſeuntes Romanis ſe dederunt. Sed dum iniurias eorum non ſuſtinerẽt, indignati arma ſumunt, Thraciam irruunt, Italiam vaſtant, obſeſſam vrbem Romã capiunt, Gallias aggrediuntur, patefactiſq; montib. Pyreneis Hiſpaniam vſq; perueniunt: & ibi ſedem vitæ atq; imperium locauerunt. Populi natura prompti, ingenio alacres, conſuetudine viribuſq; freti, robore corporis validi, ſtaturæ proceritate magni vel medii, geſtu habituq; conſpicui, eloquio clari, manu prõpti, duri vulnerib. ſicut ait poeta de ipſis: Mortẽ contemnunt laudato vulnere Getæ. Quib. tanta extitit magnitudo bellorũ, & tam excellens glorioſæ victoriæ virtus, vt Roma ipſa victrix omniũ populorum ſubacta captiuitatis iugo Gotthicis triumphis accederet: & domina cunctarũ gentium illis vt famula deſeruiret. Hos Europæ omnes pertimuere gentes, Alpiũ his ceſſere † obices. Vandalica & ipſo crebro opinata barbaries non tantum pręſentia eorũ exterrita, quantũ opinione fugata eſt. Gotthorum vigore Alani extincti ſunt: Sueui quoq; hactenus intra inacceſſos Hiſpaniarum angulos coarctati, etiã nunc eorum armis periculum finis experti ſunt: & regno ꝙ deſidioſo torpore tenuerunt, turpiori nunc diſpendio caruerunt: quanquã ſe tenuiſſe hucuſq; valde ſit mirum, quo ſine experimento defenſionis carere potuerunt. Sed quis poterit tantã Gothicæ gẽtis liberalitatis & viriũ dicere magnitudinem? Etenim multis gentib. non ſolũ larga munera contulerunt, ſed & magna reliquerunt gentium precib. inclinati. His tamen libertas magis de congreſſione bellica quam de petita pace contingit: atq; vbi ſe illis neceſſitas dura oppoſuit, vires eos potius adhibuiſſe q̃ preces. Porro in armorum artib. ſpectabiles ſunt: & non ſolũ haſtis ſed & iaculis equitando confligunt: nec equeſtri tantũ prelio ſed & pedeſtri incedunt. Veruntamẽ magis equitum pręceleri curſu confligunt: vnde poeta Getes, inquit, quo pergit equo. Exercere. n. ſeſe telis ac præliis præludere maxime diligunt. Ludorũ certamina vſu quotidiano gerunt. Hac ſola armorũ experientia huc vſq; carebant, ꝙ claſſica bella in mari gerere non ſtudebant. Sed poſtquã Siſebutus princeps regni ſumpſit ſceptra ad tantã felicitatis virtutem profecti ſunt, vt non ſolum terras, ſed & ipſa maria ſuis armis adeant: ſubiectuſq; ſeruiat illis Romanus miles, cui ſeruiere tot gẽtes. Eos magis Getas q̃ Gog Magog appellare cõſueuerant. Gens fortiſſima hæc à qua Iudæa terra vaſtata deſcribitur. Interpretatio namq; nominis eius in linguã noſtram recte quoq; ſignificatur fortitudo. Quia reuera nulla gens in orbe fuit, quę Romanũ imperium adeo fatigauerit vt hi. Iſti ſunt. n. quos etiam Alexander vitandos pronunciauit, Pyrrhus pertimuit, Cæſar exhorruit. Per multa quippe retro ſecula ducibus vſi ſunt, poſtea Regibus: quorum oportet tempora per ordinem curſim exponere: & quo nomine actuque regnauerint de hiſtoriis libata retexere. ¶ Anno ante eram conditã duodecimo dum pro arripiendo Reipub. imperio Magnus Pompeius & Iulius Cæſar arma ciuilia cõmouiſſent, Gotthi ad prębendũ Pompeio auxilium in Theſſaliam aduerſus Cæſarem pugnaturi venerunt. Vbi dũ in Pompeii exercitu Æthiopes, Indi, Perſæ, Medi, Græci, Armeni, Scythæ, ac reliquæ orientis gentes euocatæ aduerſus Iulium dimicaſſent, iſti præ cæteris Cæſari fortius reſtiterunt. Quorum Cæſar copia & virtute turbatus, fertur fugam meditatus eſſe, niſi nox prælio finẽ dediſſet. Tunc Cæſar ait: Nec Pompeiũ ſcire vincere, nec Cæſarem poſſe vinci. Nam ſi Pompeius vincere noſſet, hodie cũ tam aſperis viris Cæſarem ſuperaſſet. ¶ Era † CCLXXXVI. anno ſecundo imperii Valeriani & Galieni Gotthi primo deſcenſis Alpibus quib. inhabitabãt, Græciã, Macedoniã, Pontũ, Aſiam, atq; Illyricum vaſtauerũt. Ex quib. Illyricum & Macedoniam quindecim annis

duriciei

forte CCXCVI

ſere tenuerunt. Deinde à Claudio imperatore ſuperati ſedes proprias repetunt. Romani autem Claudium Auguſtum, pro eo quod tam fortiſſimam gentem à finib. reipublicæ remouiſſet, inſigni gloria honorantes in foro illi aureum clypeũ, in Capitolio auream ſtatuam collocauerunt.

CCCLXVIIII Era † cccLXII. tempore Cõſtantini Chriſtiani imperatoris Gotthi Sarmatarum regionem aggreſſi copioſiſſimis ſuper Romanos irruerunt agminibus, vehementi virtute cuncta gladio, & deprædatione vaſtantes. Aduerſus quos idem Conſtantinus aciem inſtruxit, ingentique certamine vix ſuperatos vltra Danubium expulit, de diuerſis gentibus virtutis gloria clarus, ſed de Gotthorum victoria amplius glorioſus. Quem Romani acclamante ſenatu publica laude proſequuti ſunt, quod tantam gentem vicerit, quod patriam rempublicam reformauerit.

CCCCVIII Era † cccc. anno imperii Valentis quinto primus Gotthorum gentis adminiſtrationem ſuſcepit Athanaricus regnans annos XIII. qui perſecutione crudeliſſima aduerſus fidem Chriſti commota, voluit ſe exercere contra Gotthos qui in gente ſua Chriſtiani habebantur, ex quib. plurimos, qui idolis immolare nõ acquieuerũt, martyres fecit: reliquos autem multis perſecutionibus affectos, dum pro multitudine horreret interficere, dedit licentiam, immo magis coegit de regno ſuo exire, atque in Romani ſoli migrare prouincias.

CCCCXV Era † ccccIII. anno octauo Valentis imperatoris Gotthi in Iſtrium aduerſus ſemetipſos in Athanarico & Fridigerno diuiſi ſunt, alternis ſeſe cædibus depopulantes. Sed Athanaricus Fridigernum Valentis Imperatoris ſuffragio ſuperat. Huius rei gratia legatos cum muneribus ad eundem imperatorem mittit, & doctores propter ſuſcipiendam Chriſtianæ fidei regulam poſcit. Valens autem à veritate catholicæ fidei deuius, & Arrianæ hæreſis peruerſitate detentus, miſſis hæreticis ſacerdotibus, Gotthos perſuaſione nefanda ſui erroris dogmati adgregauit, & in tam præclaram gentem virus peſtiferum ſemine pernicioſo transfudit, ſicq; errorem quem recens credulitas ebibit, tenuit diuque ſeruauit. Tunc Gulfilas eorum Gotthorum epiſcopus Gotthicas litteras condidit, & ſcripturas noui ac veteris Teſtamenti in eandem linguam conuertit. Gotthi autem ſtatim vt litteras & legem habere cæperunt, inſtruxerunt ſibi dogmatis ſui eccleſias, talia iuxta eundem Arrium de ipſa diuinitate documenta tenentes, vt crederent: Filium Patri maieſtate eſſe minorem & æternitate poſteriorem. Spiritum autem ſanctum nec Deum eſſe, neque ſubſtantiam Patris exiſtere, ſed per filium creatum eſſe, vtriuſque miniſterio deditum, & amborum obſequio ſubditum. Aliam quoque Patris ſicut perſonam ſic & naturam aſſerentes: aliam Filii, aliam denique Spiritus ſancti, vt iam non (ſecundum ſanctæ ſcripturæ traditionem) vnus Deus & dominus coleretur. Sed iuxta idolatriæ ſuperſtitionem tres dii venerarentur. Cuius blaſphemiæ
CCXIII malum per deceſſum temporum, Regumque ſucceſſum annis † ccxxIIII. tenuerunt. Qui tandem reminiſcentis ſalutis ſuæ renunciauerunt inditæ perfidiæ & per Chriſti gratiam ad vnitatem fidei catholicæ per orthodoxum patrem Leandrum Hiſpalẽſem antiſtitem peruenerunt.

CCCCXVI Era † ccccVIII. anno tertio decimo Valentis imperatoris Gotthi qui primũ Chriſtianos à terra ſua expulerant, rurſus ipſi multis acribus tempeſtatibus Dei iudicio fatigati ab Hunnis cum Rege ſuo Athanarico expulſi ſunt, tranſitoque Danubio cũ vim ferre non poſſent Valentis imperatoris, ſeſe non depoſitis armis tradunt, & Thraciam ad inhabitandum accipiunt. Sed vbi viderunt ſe opprimi à Romanis contra conſuetudinem propriæ libertatis, ad rebellandum coacti ſunt. Thraciam ferro incendiiſq; depopulantur, deiectoque Romanorum exercitu ipſum Valentem iaculo vulneratum in quadam villa fugientem ſuccenderunt, vt merito ipſe ab eis viuus temporali cremaretur incendio, qui tam pulchras animas ignibus æternis tradiderat per errorem. Inuenerunt autem eo prælio Gotthi priores Gotthos, quos dudum propter fidem à terra ſua expulerant, & voluerunt eos ſibi ad prædæ ſocietatem coniungere. Qui cum non acquieuiſſent, aliquanti interfecti ſunt. Alii montuoſa loca tenẽtes & refugia ſibi qualiacumque conſtruentes, non ſolum perſeuerauerunt Chriſtiani catholici, ſed etiam in concordia Romanorum à quibus dudum excepti fuerant permanſerũt. Tunc Gotthi contra Hungaros arma dirigentes innumerabilem ex eis multitudinem hoſtiliter necauerunt.

CCCCXIX Era † ccccXIII. anno imperii Theodoſii Hiſpani III. & Valentiniani primo Athana-

Athanaricus cum Theodosio ius amicitiamque disponens mox Constantinopolim pergit, ibique quinto decimo die postquam fuerat à Theodosio honorabiliter susceptus, interiit. Gotthi autem proprio Rege defuncto aspicientes benignitatem Theodosii imperatoris inito fœdere, Romano se imperio tradiderunt & fuerunt cum Romanis † septem annis. xxviii.

Era ccccxx. anno imperii Theodosii iv. Gotthi patrocinium Romani fœderis recusantes, Alaricum Regem sibi constituunt, indignum iudicantes Romanæ esse subditos potestati, eosque sequi, quorum iam pridem leges imperiumque respuerant, & de quorum se societate prælio triumphantes auerterant.

Era † ccccxxxvii. anno imperii Honorii & Arcadii quarto Gotthi in Alarico, & ccccxvi. Radagaiso diuisi, dum semetipsos in duabus regni partibus variis cædibus lacerarent, ob excidium Romanorum concordes effecti, consilium in commune constituunt, parique intentione ad prædandas quascunque regiones Italiæ ab inuicem diuiduntur.

Era ccccxliii. anno Honorii & Arcadii x. Rex Gotthorum Radagaisus genere Scytha cultui idolatriæ deditus, barbaricæ immanitatis feritate sæuissimus, cum ducentis armatorum millibus Italiæ partes vehementi vastatione aggreditur, spondens in contemptum Christi Romanorum sanguinem diis suis libare, si vinceret. Cuius exercitus ab Stilicone duce Romano in montuosis Thusciæ locis circunclusus fame est potius, quam ferro consumptus. Ipse postremo Rex captus & interfectus est.

Era ccccxlvi. anno imperii & Arcadii xv. extincto Radagaiso Alaricus consors regni nomine quidem Christianus, sed professione hæreticus, dolens tantam multitudinem Gotthorum à Romanis extinctam in vindictam sanguinis suorum, aduersus Romam prælium gessit, obsessamque impetu, igne gladiis irrumpit: sicq; vrbs cunctarum gentium victrix, Gotthicis triumphis victa succubuit, eisque capta subiugataque seruiuit. Tam autem Gotthi clementes ibi extiterũt, vt votum antea darent, quod si ingrederentur vrbem quicumque Romanorum in locis Christi inueniretur, in vastationem vrbis non mitteretur. Post hoc igitur votum, aggressi vrbem omnibus & mors & captiuitas indulta est, qui ad sanctorum limina confugerunt. Sed & qui extra locum martyrum erant, & nomen Christi & sanctorum nominauerunt, & ipsis simili misericordia pepercerunt. In reliquis autem, etsi præda hostium patuit, feriendi tamẽ immanitas refrænata est. Incursantibus autem in illa vastitate per vrbem Gotthis, dum quidam potens virginem consecratam ætate prouectam reperisset, eamque honeste admoneret, vt si quid apud se auri argentique esset proferret: illa fideli conscientia quod habuit protulit: cumque ille vasorum formam & pulchritudinem, ex illa antiqua Romanorum opulentia miraretur, virgo ait: Hæc vasa mihi de sacrario Petri Apostoli deposita sunt: pręsume, si audes. Ego sacra hosti dare non audeo. Gotthus ille ad nomen Apostoli magno pauore perterritus, Regi hoc per nuntium refert, qui confestim Rex reportari omnia ad sacrarium sancti Petri, per virginem illam summa cum reuerentia iussit dicens: Cum Romanis gessi bellum non cum Apostolis Dei. Rediit igitur virgo reuerentissimis officiis honorata, redeunt & cum illa omnes, qui ei se sociauerant super capita sua vasa illa aurea & argentea cum hymnis & canticis reportantes. Exercitus vndique iussu Regis ob defensionem armatorum custodientes concurrunt. Vndique ad voces canentium de latibulis agmina Christianorum. Concurrunt etiam & pagani, atque admisti inter eos, dum seruos Christi se esse fingunt, etiam & ipsi calamitatis excidium euaserunt. Hac tempestate Gotthi Placidiam Theodosii principis imperatoris filiam, Arcadii & Honorii imperatorum sororem, cum ingenti auri argentiq; thesauro Romæ capiunt. Anno ab vrbe condita mclxiiii. irruptio vrbis per Alaricum facta est: adeptisq; multis opibus Romanorum tertia die, incẽsa euersaque in partibus, vrbe discedunt. inde conscensis nauibus, cum ad Siciliam exiguo ab Italia freto diuisam post tantam victoriam maior eorum pars simul cum Alarico Rege & potentiorib. ducibus transire disponerent, infesto mari periclitati multum exercitum perdiderunt.

Quibus tanta fuit gloria de Romanæ vrbis obtentu, vt in eius comparatione nihil se mali passos tempestate illa arbitrarentur, damna naufragii euentu victoriæ compensantes. Mors Alarici confestim sequuta vigesimo octauo regni anno defunctus est in Italia.

Era † ccccxlviii. anno imperii Arcadii & Honorii xii. Alarico post ca- ccccxlviii. ptam vrbem defuncto Athaulfus à Gotthis Italiæ regno præficitur annis septem.

Iſte quinto regni anno de Italia recedens, Gallias adiit. Placidiam Theodoſii imperatoris filiam quam Romæ Gotthi ceperant, coniugem ſibi aſſumpſit. In qua prophetia Danielis à quibuſdam creditur fuiſſe completa, qui ait filiam Regis Auſtri coniungendam Regi Aquilonis, nulla tamen de germine eius ſobole ſubſiſtente. Sicut & idem in ſequentibus propheta ſubiungit dicens: Nec ſtabit ſemen eius. Nullus enim de vtero illius extitit genitus, qui patris in regno ſuccederet. Athaulfus autẽ dum relictis Galliis Hiſpanias peteret à quodam ſuorũ apud Barcinonã inter familiares fabulas iugulatur.

LV. Era CCCC.†LVI. anno imperii Honorii & Arcadii XXII. poſt obitum Athaulfi, à Gotthis Sigericus princeps electus eſt tribus annis, qui dum ad pacem cum Romanis eſſet promptiſſimus mox à ſuis eſt interfectus.

Era CCCC.LVIII. anno imperii Honorii & Theodoſii XXV. Wallia Sigerico ſuccedens, ſex annis regnum tenuit. Belli cauſa princeps à Gotthis effectus, ſed ad pacem diuina prouidentia ordinatus. Mox enim vt regnare cepit, fœdus cum imperatore Honorio pepigit: & Placidiam ſororem eius, quæ à Gotthis Romæ capta fuerat, ei honorifice reddidit promittens imperatori propter rempublicam omne certamen implendum. Itaq; ad Hiſpanias per Conſtantium patritium euocatus Romani nominis cauſa, cædes magnas crudelib. populis intulit: Vandalos, Silingos in Bætica omnes bello extinxit. Alanos qui Vandalis & Sueuis potentabantur, adeo trucidauit, vt extincto Atace Rege ipſorum, pauci qui ſuperfuerant oblito regni nomine Gunderici Regis Vandalorum, qui in Gallecia reſederat, ſe regimini ſubiugarent. Confecto igitur Wallia bello Hiſpaniæ, dum instructa nauali acie ad Africam tranſire diſponeret, in freto Gaditani maris vi grauiſſimæ tempeſtatis effractus memor etiam illius ſub Alarico naufragii, omiſſo nauigationis periculo, relictis Hiſpaniis Gallias repetit. Dataq; eſt ei ab imperatore ob meritum victoriæ ſecunda Aquitania cum quibuſdam ciuitatibus confinium prouinciarum vſq; ad Oceanum.

ſecundo Era CCCC.LXIIII. anno imperii Theodoſii minoris † nono Wallia Rege defuncto, Theuderedus ſuccedit in regno annis triginta tribus. Qui regno Aquitanico non contentus pacis Romanæ fœdus recuſat: & pleraq; municipia Romanorum vicina ſedibus ſuis occupat. Arelas nobiliſſimum Galliæ oppidum multa vi obſeſſum oppugnat. A cuius obſidione imminente virtute Aetii Romanæ militiæ ducis non impunitus abſcedit: ſed amiſſa parte ſuorum abſcedere bello coactus eſt. Remoto igitur Valentiniani imperatoris iuſſu à poteſtate militari Aetio, dum Theuderedus Narbonenſi vrbi diutina obſidione ac fame eſſet infeſtus, rurſus à Litorio Romanæ militiæ duce Hunnis auxiliantibus effugatur. Litorius autem dum primum res proſperas aduerſus Gotthos geſſiſſet, denuo dæmonum ſignis aruſpicumq; reſponſis deceptus bellum cum Gotthis imprudenter iniit: amiſſoq; Romano exercitu miſerabiliter ſuperatus interiit. Fecitq; intelligi quantum illa, quæ cum eodem periit, multitudo prodeſſe potuerit, ſi fide potius quam fallacibus dæmoniorum oſtentis vti maluiſſet. Extincto igitur Litorio pace deinde Theuderedus cum Romanis inita, denuo aduerſus Hunnos Galliarum prouincias ſæua populatione vaſtantes, atque vrbes plurimas euertentes, in campis Catalaunicis auxiliante Aetio duce Romano aperto marte conflixit: ibique præliando victor occubuit. Gotthi autem dimicante Thuriſmundo Theuderedi Regis filio adeo fortiter congreſſi ſunt, vt inter primum prælium & poſtremum trecenta fere millia hominum in eo certamine proſternerentur. Multa eodẽ tempore cæli & terræ ſigna præceſſerunt, quorum prodigiis tam crudele bellum ſignificaretur. Nam aſſiduis terræmotibus factis, à parte orientis luna contra naturalem eclypſim offuſcata eſt. A ſolis occaſu ſtella cometes apparuit: atque ingenti & inſolita magnitudine aliquandiu fulſit. Ab aquilonis plaga cælum rubens ſicut ignis aut ſanguis effectus eſt permixtis per igneum ruborem lineis clarioribus in ſpeciem haſtarum rutilantium deformatis. Nec mirum, vt tam ingens cæſorum ſtrages diuinitus tam multa ſignorum demonſtraretur oſtenſione. Hunni autem vſque ad internecionẽ pene cæſi cum Rege ſuo Athila relictis Galliis Italiam perfugiunt aliquantis ciuitatibus irruptis. Qui & ibi partim fame partim cæleſtibus plagis percuſſi interierunt. Miſſo inſuper à Martiano imperatore exercitu forti plaga cæduntur, affectique nimium ac diminuti ſedes proprias repetunt. Ad quas Rex eorum Athila mox vt remeauit, occubuit. Poſt eius obitum Hunnorum gens proprio ſe inſuper excidio deuaſtauit. ſtatimque inter filios eius de obtinendo regno magna ſunt exorta certamina. Atque ita Hunni qui tot cladibus ante diminuti fuerant, rurſus mutuis ſe gladiis conciderunt. In quibus illud mirum eſt: vt dum omne prælium detrimentum habet populorũ, iſti vice verſa cadendo proficiant.

proficiant. Sed proinde est quia in disciplinam fidelium positi sunt, sicut populi gentis
Persarum. Virga enim furoris Dei sunt, & multoties cum indignatio eius aduersus fi-
deles procedit, per eos flagellantur, vt afflictionib. emendati à seculi cupiditate & pec-
cato semetipsos coerceant, & cælestis regni hæreditatem possideant. Adeo autem hæc
gens horrida est, vt cum famem in bello fuerit passa, venam tangat equi, & sic excludat
hausto sanguine famem.

Era † CCCCLXXXVII. anno vigesimo quinto imperii Theodosii Thurismūdus filius CCCCLXXXX
Theuderedi post decessum patris prouehitur ad regnum anno vno. Qui dum in ipsis
regni sui exordiis feralis ac noxii hostilia inspiraret & multa ageret insolenter à Theo-
dorico & Frigdarico fratribus est occisus.

Era CCCCLXXXXI. anno secundo imperii Martiani Theudericus post fraternam
necem in regno succedens imperauit annis † XIII. pro eo quod imperatori Auito su- XIIII
mendi imperialis fastigii cum Gallis auxilium præbuisset, ab Aquitania in Hispaniam
cum ingenti multitudine exercitus, & cum licentia eiusdem Auiti imperatoris ingre-
ditur anno regni quinto. Cui cum magna copia Rex Sueuorum Recciarius occurrens
duodecimo ab Austuricensis vrbis milliario apud fluuium, qui Vrbicus appellatur, ini-
to mox certamine superatus est cæsis Sueuorum agminibus, aliquātis captis, plurimis-
que fugatis. Ipse postremo Rex telo saucius fugit, præsidioque suorum carens ad lo-
cum Portucale capitur. Regi Theuderico viuus offertur. Quo perempto, multis qui de
priori certamine superfuerant sese tradentibus, aliquantis nihilominus trucidatis pro
maiori parte destructum est, finitumque Sueuorum regnum. Reliqui autem Sueui,
qui remanserant in extrema parte Galleciæ, Massilæ filium nomine Masdram sibi Re-
gem constituunt, & in parte regnum reparatur Sueuorum. Occiso Recciario, Theu-
dericus de Gallecia ad Lusitaniam victor succedens, dum Emeritensem vrbē depræ-
dari moliretur, sanctæ martyris Eulaliæ ostentis perterritus, cum omni protinus exer-
citu discedit, & Gallias repetit. Mox deinde partem vnā exercitus duce Ceurila ad Be-
thicam prouinciam mittit: partem aliā sub Sigerico, & Nepotiano ducib. ad Galleciam
dirigit, qui Sueuos apud Lucum sæua deprædatione vastauerunt. In Galliis autem A-
grippinus Comes & ciuis Ægidio Comiti Romano æmulus, vt Gotthorum mereretur
auxilia, Narbonam tradidit Theuderico. Post, aliquot legati à Remismundo Masdræ
filio Rege Sueuorum missi, ad Theudericum venerunt, pacem amicitiamque poscen-
tes. Similiter Theudericus ad Remismundum remittit cum armorum adiectione, vel
munerum, directa etiam coniuge quam haberet. Sallanem quoque legatum denuo
Theudericus mittit ad Remismundum. Qui reuersus ad Gallias Theudericum ab Eu-
rico fratre suo reperit interfectum.

Era † DIIII. anno imperii Leonis IIX. Euricus pari scelere quo frater successit in re- DVIII
gnum annis decem & septem. In quo honore prouectus & crimine statim legatos pro
amicitiis ad Leonem imperatorem dirigit. Nec mora partes Lusitaniæ magno impetu
deprædatur. Exercitum inde alium mittit, qui capta inde Pampilona, & Cæsaraugu-
stam misso exercitu, capit, superiorem quoque Hispaniam in potestatem submittit.
Tarraconensis etiam prouinciæ ciuitates, quæ ei repugnauerant exercitus irruptione
euertit. In Gallias autem reuersus Arelatum vrbem, & Massiliam bellando obtinuit,
suoque regno vtrasque adiecit. Iste quodam die, congregatis in colloquio Gotthis, te-
la, quæ omnes habebant in manibus à parte ferri vel acie, alia viridi, alia roseo, alia cro-
ceo, alia nigro colore naturalem ferri speciem vidit aliquandiu habuisse mutatam. Sub
hoc Rege Gotthi legum statuta in scriptis habere cæperunt. Nam antea tantum mori-
bus & consuetudine tenebantur. Obiit Arelati Euricus Rex morte propria de-
functus.

Era DXXI. imperii Zenonis octauo Eurico mortuo, Alaricus filius eius apud Tolo-
sanam vrbem princeps Gotthorum constituitur regnans annis viginti tribus, aduersus
quem † Fluduius Francorum princeps Galliæ regnum affectans, Burgundionibus si- Fluduildus
bi auxiliantibus, bellum mouet, fusisque Gotthorum copiis ipsum postremo Regem a-
pud Pictauium superatum interficit. Theudericus autem Italiæ Rex, dum interi-
tum generi comperisset, confestim ab Italia proficiscitur, Francos proterit, par-
tem regni, quam manus hostium occupauerat, recepit, Gotthorum iuri resti-
tuit.

Era † DXLIII. anno tertio decimo imperii Anastasii Gisaleicus superioris Regis DXLVI
filius ex concubina creatus, Narbonæ princeps efficitur regnans annos quatuor, sicut
genere vilissimus, ita in felicitate & ignauia summus. Denique dum eadem

ciuitas à Gundebado Burgundinorum Rege direpta fuisset, iste cum multo sui dedecore, & cum magna suorum clade apud Barcinonam se cōtulit, ibique moratus, quousque etiam regni fascibus à Theuderico fugæ ignominia priuaretur. Inde profectus ad Africam Vandalorum suffragium poscit, quo in regnum posset restitui. Qui dum non impetrasset auxilium, mox de Africa rediens ob metum Theuderici Aquitaniam petiit, ibique anno vno delitescens in Hispaniam reuertitur, atque à Theuderici Regis duce duodecimo à Barcinona vrbe milliario, commisso prælio superatus in fugam vertitur, captusque trans fluuium Druentium Galliarum interiit, sicq; prius honorem postea vitam amisit.

DXLIX. Era † DXLVIII. anno decimo septimo imperii Anastasii Theudericus iunior cum iam dudum consul & Rex à Zenone imperatore Romæ creatus fuisset, peremptoque Odoacro Rege Ostrogotthorum, atque deuicto fratre eius Honoulfo, & trans confinia Danubii effugato decem & octo annis in Italia regnasset, rursus extincto Gisaleico Rege Gotthorum, Hispaniæ regnum quindecim annis obtinuit, quod superstiti Amalarico nepoti suo reliquit. Vxorem ex Toleto de prima Hispanorum origine duxit: cuius precibus omnes Hispanos libertate donauit: & ex ea filium nomine Seuerianum suscepit. In Italia & Hispania regnauit Theudericus annis quadraginta, Romæ etiam obtinens principatum. Deinde ab Hispania Italiam repetens aliquandiu omni cum prosperitate regnauit, per quem etiam vrbi Romæ dignitas non parua est restituta. Muros namque eius iste redintegrauit, cuius rei gratia à senatu inauratam statuam meruit.

DLXIIII. Era † DLXVIII. anno imperii Iustiniani primo regresso in Italiam Theuderico, & ibidem defuncto, Amalaricus nepos eius quinq; annis regnauit. Qui cum à Childeberto Francorum Rege apud Narbonam prælio superatus fuisset, ad Barcinonam trepidus fugit, effectusq; omnium contemptibilis ab exercitu iugulatus Narbonæ in foro interiit.

DLXIX. Era † DLXXIII. anno imperii Iustiniani sexto post Amalaricum Theudis in Hispania creatus in regnum annis decem & septem mensibus quinque, qui dum esset hęreticus, pacem tamen concessit ecclesiæ. Adeo vt licentiam catholicis episcopis daret, in vnum apud Toletanam vrbem conuenire, & quæcumque ad ecclesiæ disciplinam necessaria extiterunt libere licenterque disponere. Eo regnante dum Francorum Reges cum infinitis copiis in Hispaniam conuenissent, & Tarraconensem prouinciam bello depopularent, Gotthi duce Theudisclo obicibus Hispaniæ interclusis Francorū exercitum multa cum admiratione victoriæ prostrauerunt. Dux idem, prece atque ingēti pecunia sibi oblata, viā fugæ hostibus residuis vnius diei noctisq; spatio præbuit. Cætera infelicium turba cui transitus collati temporis non occurrit, Gotthorum perempta gladio concidit. Post tam felicis successum victoriæ trans fretum inconsulte Gotthi se gesserunt. Denique dum aduersus milites, qui Septem oppidum, pulsis Gotthis inuaserant; Oceani freta transissent, idemque castrum magna vi certaminis expugnarent: adueniente die Dominico deposuerunt arma ne diem sacrum prælio funestarent. Hac igitur occasione reperta, milites repentino incursu aggressi exercitum mari vndique terraque conclusum, ignauum atque inermem adeo prostrauerunt, vt ne vnus quidem superesset, qui tantæ cladis excidium præteriret. Nec mora præuenit mors debita principem. Vulneratur enim à quodam in palatio, qui iam dudum dementis speciem, vt Regem deciperet, simulauerat. Finxit enim arte insaniam, perfoditque principem, quo vulnere ille prostratus occubuit, & vi gladii indignantem animam exhalauit. Fertur autem inter effusionem sanguinis coniurasse ne quis interficeret percussorem dicens, se congruam meriti recepisse vicissitudinem, quod & ipse priuatus ducem suum † sollicitatus occiderat. *Salutatum*

DLXXVI. Era † DLXXVIII. anno imperii Iustiniani vndecimo interempto Theudi Theudisclus superioris Principis dux Gotthis præficitur, regnans anno vno mensibus tribus, qui dum plurimorum potentum connubia prostitutione publica macularet, & ob hæc instrueret animum ad necem multorum, præuentus coniuratorum manu Hispali inter epulas iugulatur, confossusque gladio extinguitur. Hic filius extitit sororis Totilæ, qui post multas victorias, quas gessit in terra & in mari, se contra Deum & fidem catholicam erexit: & tam Romæ quam in tota Italia monachos & clericos, ad quoscumque potuit peruenire insatiabili crudelitate occidit. Superatus autem dei iudicio à Narsi catholico regno cum vita caruit.

DLXXVII. Era † DLXXXII. imperii Iustiniani decimo quinto mortuo Theudisclo Agila Rex

Rex constituitur regnans annis quinq;. Iste aduersus Cordubensem vrbem prælium mouens, dum in contemptum catholicæ religionis beatissimi martyris Aciscli corpori iniuriam inferret, hostiumque ac iumentorum cruore sacrum sepulchri eius locum vt profanator pollueret, inito aduersus Cordubenses ciues certamine pœnas dignas sanctis inferentibus meruit. Nam belli præsentis vltione percussus & filium ibi cum copia exercitus interfectum amisit, & thesaurum omnem cum insignibus opibus perdidit. Ipse victus ac miserabili metu fugatus Emeritam se recepit. Aduersus quem interiecto aliquanto temporis spatio, Athanagildus tyrannidem regnandi cupiditate arripiens dum exercitum eius contra se Hispali missum virtute militari prostrasset: videntes Gotthi proprio se euerti excidio, & magis metuentes, ne Hispaniam milites Romani auxilii occasione inuaderent: Agilanem Emeritæ interficiunt, & Athanagildi sese regimini tradiderunt.

Era † DLXXXVII. anno imperii Iustiniani vigesimo occiso Agilane, Athanagildus DXCII regnum quod inuaserat tenuit annis quindecim. Hic cum iam dudum sumpta tyrannide, Agilanem regno priuare conaretur, militum sibi auxilia ab imperatore Iustiniano poposcerat, quos postea submouere à finibus regni sui molitus non potuit. Aduersus quos huc vsque conflictum est. Frequentibus antea præliis cæsi, nunc vero multis casibus fracti atque finiti. Fidem catholicam occulte tenuit: & Christianis valde beneuolus fuit. Decessit autem Athanagildus Toleti propria morte vacante regno mensibus quinque.

Era DCII. anno imperii Iustiniani trigesimo quinto Athanagildo adhuc viuente Liuua Narbone Gotthis præficitur, regnans in Galliis annis septem, & post in Hispania annis tribus. qui secundo anno postquam adeptus est principatum, Leuuigildum fratrem non solum successorem, sed & participem regni sibi constituit, Hispaniæque administrationi præfecit, ipse Galliæ regno contentus. Sicque regnum duos cepit, dum nulla potestas patiens consortis sit. † Vnus tantum annus in ordine temporum reputatur Liuuæ Regis, reliqui Leuuigildo fratri annumerantur. *octo tantum anni*

Era † DCX. anno imperii Iustini minoris quarto Leuuigildus regnũ obtinuit. Qui DCVI cum primo Christianus haberetur, Theodosiam filiam Seueriani ducis Carthaginensis filii Regis Theuderici duxit vxorem: ex qua Ermegildum & Reccaredum filios suscepit, regnumque bello ampliare & augere opes studuit. Studio quippe eius exercitus concordante fauore victoriarum multa præclare sortitus est. Cantabros namque iste obtinuit. Aregiam iste suscepit. Sabaria quoque tota ab eo deuicta est. Cesserunt etiam armis illius plurimæ rebelles Hispaniæ vrbes. Fudit quoque diuerso prælio Iustini milites, quos Athanagildus ad auxilium euocauerat, & quædam castra ab eis occupata dimicando recepit. Ermegildum deinde filium imperio suo resistentem, quem Christiani Regem sibi præfecerant, obsessum Hispali dolo cepit. Postremum Sueuis bellum intulit, totam Galleciam subiugauit, regnumque eorum in iura gentis suæ mira celeritate transmisit. Hispania magna potitus ex parte: nam antea gens Gotthorum angustis finibus arctabatur. Romanos milites apud Legionem bello extinxit: & ipsam eorum vrbem cepit, quam ex suo nomine Leonem nominauit. Sed offuscauit in eo error impietatis gloriam tantæ virtutis. Denique Arrianæ perfidiæ furore repletus in catholicos persecutione commota plurimos episcopos exilio relegauit, ecclesiarum redditus & priuilegia tulit. Beatum Ermegildum filium suum nefandis ritibus communicare nolentem diuersis tormentis prius excruciatum. Denique in vinculis positum dira securi interficere iussit: & dignum Deo martyrem illius feralis crudelitas consecrauit. Multos quoque terroribus in Arrianam pestilentiam impulit: plerosque sine persecutione verbis blandis terroribusque decepit. Inter cætera quoque hæresis suæ contagia, etiam rebaptizare catholicos compulit. Et non solum multos peruertit ex plebe, sed etiam ex sacerdotalis ordinis dignitate, sicut Vincentium Cæsaraugustanum de episcopo apostatam factum, & tanquam à cœlo in infernum proiectum. Extitit autem & quibusdam suorum perniciosus. Nam quoscumque nobilissimos ac potentissimos viros aut capite truncauit, aut opibus ablatis proscripsit, & proscriptos in exilium misit. Fiscum quoque primus Regum Gotthorum iste locupletauit: primusque ærarium de rapinis ciuium hostiumque spoliis repleuit. Primus etiam inter suos regali veste opertus in solio resedit: nam ante eum & habitus & consensus communis vt populo ita & Regibus erat. Condidit etiam ciuitatem in Celtiberia: quam ex nomine filii sui Reccopolim nominauit. In legibus quoque ea quæ ab Eurico inconsulte constituta videbantur, correxit, plu-

rimas leges prætermiſſas adiiciens, pleraſque ſuperfluas auferens. Regnauit autem annis decem & octo: & defunctus eſt acerrima morte Toleti. Sed antequam moreretur, præcepit filio ſuo Reccaredo, vt beatum Leandrum Archiepiſcopum Hiſpalenſem ab exilio reuocaret, & eum audiret vt patrem, & in fide Chriſti cõfirmaretur. Tunc temporis Fulgentius Aſtigitanus epiſcopus in noſtro dogmate claruit.

DCXXIIII Era †. DCXXVIII. anno imperii Mauritii quarto Leuuigildo defuncto filius eius Reccaredus, qui per Leandrum Archiepiſcopum Hiſpalenſem in fide catholica erat inſtructus, in regno eſt coronatus, cultu præditus religionis, & paternis moribus longe diſſimilis. Namque ille irreligioſus, & bello promptiſſimus, hic fide pius & pace præclarus. Ille armorum artibus gentis imperium dilatans, hic glorioſus pietate eandem gentem fidei trophæo ſublimans. In ipſis enim regni ſui exordiis catholicam fidem adeptus totius Gotthicæ gentis populos inditi erroris labe deterſa, ad cultum rectę fidei reuocat. Synodum deinde epiſcoporum ad condemnationem Arrianæ hæreſis, de diuerſis Hiſpaniæ & Galliæ prouinciis congregat. Cui concilio idem religioſiſſimus princeps interfuit, geſtaque eius præſentia ſua & ſubſcriptione firmauit, abdicans cum omnibus ſuis perfidiam, quam huc vſque Gotthorum populus Arrio docente didicerat, & prædicans trium perſonarum vnitatem in vno Deo. Filium à Patre conſubſtantialiter genitum eſſe: Spiritum ſanctum à Patre Filioque procedere, & eſſe amborum vnum ſpiritum, vnde & vnum ſunt. Interfuit tunc dignitate primas ille catholicus & orthodoxus Leander Hiſpalenſis Archiepiſcopus & Romanæ eccleſiæ legatus, ſanctitate & doctrina perſpicuus. Qui cum Arrianæ hæreſis feruorem tempore Leuuigildi ab Hiſpanis quondam confutare radicitus nequiſſet, pro confirmandis ſanctæ & immaculatæ Trinitatis capitulis ad Conſtantinopolitanum præſulum cœtum tranſmeauit. Ibi aderat beatus Gregorius doctrina & ſanctitate clariſſimus, tum Cardinalis vices Romani antiſtitis agens: cum quo ipſe Leander amicitiæ fœdus pepigit, & ab eo poſtulauit vt librum beati Iob ſibi exponeret: quod poſtea ille deuota mente compleuit. Leander vero poſtquam ad Hiſpanias rediit, Gotthis prædicando ſuaſit: vt Patrem & Filium & Spiritum ſanctum trinum ſecundum perſonarum diſtinctionem, & vnum ſecundum naturæ diuinitatem Deum eſſe crederent. Illis credentibus prior dedit præcepta & eccleſiaſtica officia quibus fruerentur. Ipſo namque tempore per eum Sueui vnda baptiſmatis loti Galleciam obtinent. Leander vero poſt multos labores, quos pro fide Chriſti pertulit, eccleſia pacem adepta ſpiritum cœlo reddidit. Doctor etiam eximius Gregorius Papa migrauit ad dominum. Egit præterea prædictus princeps bellum glorioſe aduerſus infeſtas gentes fidei ſuſcepto auxilio. Francorum enim fere ſexaginta millia armatorum, qui ad auxilium venerant hæreſis Arrianæ Gallias irruentibus, miſſo Claudio Emeritenſium duce proſtrauit: vnde glorioſo triumphauit euentu. Nunquam in Hiſpaniis Gotthorum victoria ſimilis extitit. Proſtrata ſunt enim captaque multa millia hoſtium: reſidua vero exercitus pars præter ſpem in fugam verſa Gotthis poſt tergum inſequentibus vſque in regni ſui finibus cæſa eſt. Hiſpaniæ & Galliæ regna tanta benignitate rexit, vt omnes illum patrem dulciſſimum acclamarent. Anno regni ſui ſexto Gotthicas leges compendioſe fecit abbreuiari. Sæpe miſit exercitum contra Romanorum inſolentias: eiſdem deuictis irruptionem in eorum vrbibus fecit. Tanta fuit gloria Gotthis illo tempore, vt non viderentur bella tractare pugnando, ſed quaſi in palæſtra luſibus delectari: vbique enim perſiſtebant victores. Prudens & pius erat Princeps & prouincias quas pater bello conquiſiuit, iſte pace conſeruauit, æquitate diſpoſuit, moderamine rexit. Fuit enim placidus, mitis & egregiæ bonitatis: tantamque in vultu gratiam habuit, & tantam in animo benignitatem geſſit, vt omnium mentibus influens, etiam malos ad affectum amoris ſui attraheret, adeo liberalis, vt opes priuatorum, eccleſiarum prædia, quæ paterna labes fiſco aſſociauerat, cum augmento multiplici iuri proprio reſtauraret. Adeo clemens vt populi tributa ſæpe indulgentiæ largitione laxaret. Multos etiam ditauit rebus, plurimos ſublimauit honoribus. Antiquos Hiſpanos & Romanos ſibi ſubditos vna cum Gotthis eiuſdem conditionis eſſe inſtituit, nulliuſque captiui Chriſtiani filium iugo ſeruitutis opprimi paſſus eſt. Opes ſuas in miſeris, theſauros in egenis recondens, ſciens ad hoc illi fuiſſe collatum regnum, vt eo ſalubriter frueretur. Bonis initiis & bonis mediis decoratus bonum finem adeptus eſt. Fidem enim rectæ gloriæ, quam initio regni

tio regni percepit, nouissime publica confessione pœnitentiæ cumulauit. Toleti fine pacifico transiit, qui regnauit annis quindecim.

Era † DCXLIII. anno imperii Mauritii decimo nono post Reccaredum Regem DCXXXVIIII regnat Liuua filius eius annis duobus ignobili quidem matre progenitus, sed virtutum indole insignis. Quem in primo flore adolescentiæ Vuittericus sumpta tyrannide innocuum regno deiecit præcisaque dextra occidit anno ætatis suæ † vigesimo, regni XVI secundo.

Era DCXLIIII. imperii Mauritii vigesimo extincto Liuuane Vuittericus regnum quod viuente illo inuaserat, vendicat annis septem, vir quidem strenuus in armorũ arte, sed tamen expers victoriæ. Namque aduersus militem Romanum prælium sæpe molitus nihil satis gloriose gessit præter quod milites quosdam Segonciæ per duces obtinuit. Hic in regno plurima illicita fecit, & hæresim Arrianam inducere tẽtauit. In morte autem quia gladio operatus fuerat, gladio periit. Mors quippe innocentis inulta in illo non fuit. Inter epulas enim prandii coniuratione quorundam est interfectus: & corpus eius viliter exportatum atque sepultum. Per idem tempus Romæ templum, quod ab antiquis Pantheon dicebatur, à glorioso Bonifacio Papa consecratur in honore omnium martyrum Christi.

Era † DCLI. anno Phocatis sexto Gũdemarus post Vuittericum regnat annis du- DCXLVIII obus. Hic Vascones vna expeditione vastauit: alia militem Romanum obsedit. Morte propria Toleti decessit.

Era † DCLIII. anno imperii Heraclii secundo Sisebutus post Gundemarum ad DCL regale fastigium euocatur. Regnat annis octo mensibus sex. Qui initio regni Iudæos ad fidem Christianam permouens, æmulationem quidem habuit, sed non secundum scientiam: potestate enim compulit, quos prouocare fidei ratione oportuit. Sed sicut scriptum est siue per occasionem siue per veritatem Christus annuncietur. Fuit autem eloquio nitidus, sententia iustus, scientia litterarum magna ex parte imbutus, in bellicis quoque documentis promptus, victoriis clarus. Astures etiam rebellantes misso exercitu in ditionem suam reduxit. Rucones montibus arduis vndique conseptos per duces euicit. De Romanis quoque præsens bis feliciter triumphauit: & quasdam eorum vrbes pugnando sibi subiecit. Adeo post victorias clemens fuit, vt multos ab exercitu suo hostili præda in seruitutem redactos pretio illorum dominis dato absolueret: eiusque thesauri redemptio existerent captiuorum. Ecclesiam sanctæ Leocadiæ Toleti præfatus princeps miro opere fundauit. Ipso tempore Mahomet ab Hispania turpiter fugatus, in Africa nequitiam nefariæ legis stultis populis prædicauit. Sisebutum autem alii proprio morbo, alii immoderato medicamenti haustu, alii veneno asserunt interfectum relicto Reccaredo filio paruulo: qui post patris obitum princeps paucorũ dierum morte interueniente habetur. Hic cum patre duobus annis regnauit.

Era † DCLXI. imperii Heraclii octauo gloriosissimus Suintila filius Reccaredi Re- DCLIX gis gloriosi supra nominati gratia diuina regni suscepit sceptra, qui regnauit annis decem. Iste sub Rege Sisebuto in adolescentia ducis nactus officium Romana castra perdomuit. Rucones superauit. Postquam vero apicem fastigii regalis conscendit, vrbes residuas quas in Hispaniis Romana manus detinebat, prælio conserto obtinuit: multisque triumphis gloriam præ cæteris Regibus felicitate mirabili reportauit. Totius Hispaniæ infra Oceani fretum monarchia regni primus idem potitus est, quod nulli retro principum est collatum. Auxit etiam virtutis eius titulum duorum patriciorũ obtentus, quorum alterum prudentia suum fecit, alterum virtute belli sibi subiecit. Habuit quoq; & initio regni expeditionem contra incursus Vasconum Tarraconensem prouinciam infestantium: vbi adeo montiuagi populi terrore aduentus eius percussi sunt, vt confestim quasi debita iura cognoscentes, dimissis telis, expansis ad precem manibus, supplices & colla submitterent, obsides darent, Ologitim ciuitatem Gotthorum stipendiis suis & laboribus conderent, pollicentes eius regno ditioniq; parere & quidquid eis imperaretur efficere. Præter has militaris gloriæ laudes plurimæ in eo regiæ maiestatis virtutes fulsere, fides, prudentia, industria, in iudiciis examinatio, strenua in regendo regno cura, præcipua circa omnes munificentia largus, erga indigentes & inopes misericordia satis promptus. Ita vt non solum princeps populorum, sed etiam pater pauperum vocari sit dignus. Fine proprio Toleti decessit tempore imperatoris

Heraclii relictis duobus filiis Sisenando & Chindasuintho, quos de Theodora filia Sisebuti Regis susceperat. Computatis igitur Gotthorum Regum temporibus ab exordio Athanarici Regis vsque ad quintum gloriosissimi Suintilæ principis annũ, regnum Gotthorum per annos CCLVI. Deo fauente reperitur esse porrectum. Reliquum autem tempus soli Deo cognitum est: qui sibi arcana futurorum scienda seruauit.

EXPLICIT SECVNDVS LIBER CHRONICORVM BEATI Isidori episcopi.

LIBER TERTIVS.



INCIPIT continuatio Chronicorum beati Isidori Archiepiscopi Hispalensis per beatum Illefonsum Archiepiscopũ Toletanum composita. Quoniam præclarus doctor Isidorus ætates mundi & quorundam Imperatorum & Regum historias, ab exordio mundi vsque ad tempus Sisenandi Regis Gotthorum docili compendio patefecit: nos à tempore quo ipse desiit, sumamus principium: ne præsentium heroum memoria à futurorum mentibus diluatur.

Era DCLXXI. anno imperii Heraclii decimo octauo post Suintilanum Regem Sisenandus regnat annis tribus. Iste Synoda episcoporum egit, patiens fuit, regulis Catholicis Orthodoxis stetit. Toleti finiuit vitam.

Era DCLXXIIII. anno imperii Heraclii vigesimo primo Chintilanus regnum accepit. Synoda plura Toleti cum episcopis egit: & subditum regnum in fide catholica firmauit. Regnauit annos quinque menses quatuor. Anno sexto regni Chintilani doctor & legislator Hispaniarum Isidorus stans in ecclesia, peracto sermone ad populum, & expandens manum ad cœlum, ac benedicens omnibus, Deo sibi hactenus traditum gregem commendans felicissimo somno obdormiuit in domino senio sanctissimo decoratus. Extitit quippe spiritu prophetiæ clarus, in eleemosynis largus, hospitalitate præcipuus, corde serenus, in sententia verax, in iudicio iustus, in prædicatione assiduus, in exhortatione lætus, in lucrandis Deo animabus studiosus, in expositione scripturarum cautus, in consilio prouidus, in habitu humilis, in mensa sobrius, in oratione deuotus, honestate præclarus, semper pro ecclesia ac veritatis defensione mori pronus, & in omni bonitate conspicuus. Præterea pater extitit clericorum, doctor & sustentator monachorum ac monialium, cõsolator mœrentium, tutamen pupillorum ac viduarum, leuamen oppressorum, defensor ciuium, attritor superborum, persecutor & malleus hæreticorum. Rexit archipræsulatum Hispalensis ecclesiæ quadraginta annis, diuersis fulgens miraculorum signis, primatiæ dignitate florens, & Romani Papæ in Hispaniis vices gerens. Sacerdotibus, Regibus & populis diuinas & humanas leges tradidit: & Romano antistiti humiliter obedire præcepit. Nolentibus obedire maledictionem intulit: & eos à fidelium consortio separauit. Multis librorum voluminibus Christi ecclesiam informauit & in pace quieuit era DCLXXX. Toletum ad Synodum episcopos conuocauit, & ore prophetico eis sui obitus diem & Hispaniis ventura prædixit.

Sidus honestatis, lux morum, sol probitatis
Hæc ait in Synodo Toleti vir sacer ille
Isidorus, per quem floruit alma fides.
Si seruaueritis quæ vobis præcipiuntur,
Seruabit Christus vos in amore suo,
Frumentum dabit ac oleum, dabit optima quæque,
Si pura mente complaceatis ei.
Si neglexeritis ea, non impune feretis,
Cum recte praua puniat acta Deus.
Inde cadent Gotthi bellis & barbarus hostis
Vos premet innumera clade, timore, fame.
Tunc conuertimini, tunc crimina plangite vestra,

Et statim

Et statim dominus auxiliator erit.
Gloria maior erit vobis: & gratia Christi
Extollet Gotthos vberiore bono.

De gestis eius hæc inter Regum actus annotauimus, quia ipse de præclara Regum Gotthorum stirpe, patre Seueriano Carthaginensi duce extitit procreatus. Post transitum autem eius mense vno Rex Catholicus Chintilianus Toleti decessit bono fine perfunctus. Successit beatissimo doctori Isidoro Theodisclus natione Græcus, varietate linguarum doctus, exterius locutione nitidus, interius autem, vt exitus demonstrauit, sub ouina pelle lupus voracissimus. Nam libros quosdam de naturis rerum & arte medicinæ, nec non & de arte notoria, quos pater Isidorus facundo stylo composuerat, & ne dum ad publicum venerant, in odium fidei corrupit resecans vera & inserens falsa: atque per quendam Arabum nomine Auicennam, de Latino in Arabicum transtulit. Hic in his & aliis pluribus infidelis inuentus, & erroneus in articulis fidei comprobatus, per Synodum ab Archiepiscopali dignitate degradatus est. Asserebat enim Dominum nostrum Iesum Christum cum Patre & Spiritu sancto non esse vnum Deum, sed potius adoptiuum. Hic vt dictum est, priuatus honore sacerdotii ad Arabes transiit: & sectæ pseudoprophetæ Mahometi adhæsit: & plura docuit detestanda sub imperatore Heraclio. Tunc temporis dignitas primatiæ translata est ad ecclesiam Toletanam.

Heraclius autem aduersus Cosdroam Regem Persarum gessit bellũ anno imperii sui sexto, & Sisebuti Regis Gotthorum sexto. Quo deuicto & occiso, ac Hierosolymam delata cruce domini, & viso Angelo super portas Hierusalem, inde ad propria reuersus est cum gaudio magno. Hoc tempore dedignantibus Orientis gentibus vectigalia & tributa reddere Romanis, cæperunt pro viribus rebellare. Tunc surrexit quidam iniquus concionator ortus in Arabia nomine Mahumet. Qui pessimus seductor videns inter Orientales & Romanos ortam discordiam, se cõtra Deum erexit: & Christianorum imperium, seductorie hortans genus Arabum atque dicens: Non debere alterius gentis domino subiugari: quia dominus illis esset prouisurus, de suo genere ducem beneuolum concedendo, quem haberent, vt fratrem, cum quo etiam dominus loqueretur. Hæc & his similia cum prædicaret illis verbis suasoriis, & virtutes quasdam simulatas, & miracula artibus magicis facere videretur, extemplo Ismaelitæ sicut bruta animalia, quibus non est intellectus, paulatim de bono in malum mutati, derelicta fide catholica cæperunt ei credere: & eum in tanta veneratione habere, vt eũ prophetam prædicarent à Deo missum, & sibi eligerent. Regem simulatis illius seducti miraculis & facundia decepti. Erat enim pulcher, facundus, & fortis, & magicis artibus valde imbutus. Iste Mahometus Sarracenorum & Arabum princeps, vt fertur, fuit de genere Ismael filii Abrahæ. Qui cum in adolescentia cæpisset esse mercator prouidus, pergebat frequenter cum camelis suis apud Ægyptum & Palæstinam, & morabatur cum Iudæis & Christianis, & maxime cum quodam monacho Antiocheno superstitionis amico, qui vocabatur Ioannes: à quo tam nouum quam vetus superficialiter & superstitiose didicit testamentum. Et cum hac illacque cum diuersis speciebus aromatum & diuitiarum causa lucri pergeret, contigit vt Corrozatam ingrederetur prouinciam. Cuius prouinciæ domina, quæ Cadiga vocabatur, vt vidit iuuenem, primo in illius pulchritudine & eloquentia mente capta cæpit diuersas species, quas secum Mahometa attulerat contemplari, & ei familiarius adhærere. Quam Mahomet caute incantationum suarum perstrinxit phantasmate: & astute paulatim cæpit ducere in errorem, dicens ei quod ipse esset Messias quem venturum expectabant Iudæi. Auxiliabantur ei non solum Regina Cadiga quæ ab eo decepta erat, sed etiam multi Iudæorum qui ad eum de diuersis partibus concurrebant. Omnes etiam Ismaelitæ & Arabes cateruatim confluebant ad eum attoniti tanta nouitate rei. Quibus cæpit nouas leges fingere eisque tradere adhibens ipsis nefandis legibus de vtroque testamento corrupta testimonia. Ideo diuinæ paginæ auctoritates peruertit, vt tam Christianis quam Iudæis cum Sarracenis aditum præcluderet disputandi. Dedit etiam suis edictum, vt quicumque alia quam ea, quæ ab illo acceperant, prædicaret animaduersione gladii puniretur. Huius sacrilegas traditiones Sarraceni Dei leges appellant: eumque suum legislatorem & nuncium Dei fatentur. Præfata quoque Cadiga, cum videret illum Iudæorum & Sarracenorum pariter contubernio vallatum, existimabat in illo diuinam latere sapientiam: & cum esset vidua, accepit

eum ſibi maritum: & ipſe Mahumet nomen Regis aſſumpſit ſibi impoſito diademate regni. Cæpit deinde ſe in armis gerere ſtrenue, & Regis ac prophetæ ſibi nomen & inſignia vſurpare. Poſt hæc vero cæpit cadere frequenter caduco morbo & epileptica paſſione. Quod Regina Cadiga cernens admodum triſtabatur: eo quod nupſiſſet homini, quem credebat arreptione dæmonum laborare. Ille autem aſtute leniendo decipiebat eam dicens: quia Angelum Domini Gabrielem mecum loquentem contemplor: & non ferens ſplendorem vultus eius, vtpote carnalis homo, deficio & cado. Hęc dicens quædam ſigna & miracula magicis artibus facere nitebatur. Veruntamen, vt fertur, Diabolus transfigurans ſe in angelum lucis, quædam ei prædicebat futura. Vnde eſt vt in exordio ſuæ ſubdolæ prædicationis adiret Hiſpaniam, & Cordubę ſuę perditionis ſectam doceret. Dicebat enim Ieſum Chriſtum Dominum de virgine eſſe natum, operatione Spiritus ſancti non tamen eſſe Deum. Quod cum beatiſſimo patri Iſidoro nunciatum fuiſſet, qui tunc reuertebatur à Romana curia, confeſtim miſit miniſtros, qui caperent eum. Sed Diabolus Mahumeto apparuit & quam citius fugeret imperauit. Mahumetus autem poſt fugam in Africam & Arabiam innumerabiles plebes ſeduxit: & regno adepto cum Iſmaelitis, qui credebant eum ab ore Gabrielis Archangeli leges quas ei tradebat recipere, Romanum imperium fortiter deuaſtabat.

Era DCLVI. Mahumetus cum exercitu ſuo partes Arabiæ, Syriam & Meſopotamiam hoſtiliter inuaſit, & tam ipſas quam vicinas patrias funeſta deprædatione occupauit. Quod cum nunciatum fuiſſet Theodoro fratri Heraclii, qui tunc præerat partibus Orientis, mox apud Gabatam cum magno exercitu obuiam illi præliaturus occurrit: vbi dum inter ſe acrius dimicaret, Theodorus interfectus eſt, & exercitus Chriſtianorum maxima pars occubuit diro gladio, & cæteri fuga lapſi ſunt. Tunc Agareni de Romanorum fuga validiores effecti audacius appetunt Syriam: & depopulantes patriam apud Damaſcum nobilem quondam Chriſtianorum vrbem ſibi regni ſolium firmauerunt: & dictis Mahumeti tribuebant fidem diuinam in eo latere potentiam aſſerentes. Mahumetus autem inter cætera nefanda quæ docuit, ſectam Nicolai aduenæ Antiocheni, qui vnus de ſeptem Apoſtolorum diaconis fuerat, iam per Apoſtolos emortuam ſuſcitauit: quam Dominus in Apocalypſi Angelo Epheſi eccleſiæ ſcribit, ſe odire dicens: Odiſti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi. Decimo autem regni ſui anno, quia dixerat ſe moriturum & tertia die reſurrecturum, Albimor diſcipulus eius volens experiri, vtrum vere à morte reſurgeret, callide Mahumeto efficaciſſimum venenum obtulit: quo ſtatim repentina mutatione Mahumet mortis ſuæ terminum ſenſit. Vnde quibuſdam ſibi aſtantibus dixit, quod per aquam remiſſionem acciperent peccatorum, & ſtatim mortuus eſt. Diſcipuli vero eius diligenter cuſtodiebant corpus ipſius expectantes quod reſurgeret. Sed nimio erumpente fætore, cum iam ſuſtinere non poſſent, eis abſcedentibus Albimor poſt vndecimam diem reperit corpus eius à canibus dilaniatum: & diligenter colligens oſſa illius cum magno Sarracenorum conuentu ſepeliuit eum in Medina Ruphul quæ Latine ciuitas nuntii dicitur.

Era DCLXVI. anno Heraclii decimo ſeptimo poſt Mahumet, Abubacar de cognatione eius electus in Regem Arabes fortiter rexit per triennium. Poſt hunc Homer regnauit, qui multis præliis triumphauit. Alexandriam ciuitatem metropolim ſuo imperio ſubiecit. Poſt multas victorias in mari & in terra ab ipſo factas, dum quadam die orationi vacaret, à quodam ſeruo ſuo ſagittatus interiit expletis in regno decem annis. Sicque error Sarracenorum exordium habuit, & de Romanis per diuerſas orbis partes multas obtinuerunt prouincias & victorias. Atque vt fertur, tantorum malorum cauſa Romanorum auaritia fuit: qui ſibi ſubditas nationes iugo ſeruitutis intolerabiliter opprimebant: vnde opportunitate male habita eorum dominium quam citius à ſuis ceruicibus excuſſerunt, ſe nefariis ritibus Mahumeti miſerabiliter implicantes. Hic enim fuit cauda draconis, de qua legitur in Apocalypſi, quod deiecit de cœlo tertiam partem ſtellarum. Sed iam ad Reges Gotthorum vertatur ſtylus.

Era DCLXXX. anno imperii Heraclii vigeſimo ſexto poſt Chintilanum Regem Tulga regnat annis tribus. Iſte blandus & catholicus per omnia fuit. Regna ſibi ſubdita in pace dilatauit, in iudicio rectus, & largitate ac lenitate claruit. Synoda à ſuis deceſſoribus facta firmauit. Toleti deceſſit.

Era DCLXXXII. anno imperii iunioris Heraclii primo Chindaſuinthus regnauit ſolus

ſolus quatuor annis menſibus octo: poſtea vero cum filio ſuo Recceſuintho annis aliis ſex regnauit & menſibus ſeptem. Iſte à Romano Papa obtinuit priuilegium, vt ſecundum beneplacitum pontificum Hiſpanorum, primatiæ dignitas eſſet Hiſpali, vel Toleti, & per multa ſynoda firmata cum epiſcopis erudiuit eccleſiam. Cuius tempore ab omni perturbatione quieuit Hiſpania, adeo vt nullus in ea infidelis reperiretur, vel qui rebellionis ſumeret arma. Libros ſanctorum patrum diligenter fecit perquiri, & inſtituta beati Iſidori firmiter obſeruari. Hic perfidum Theodiſclum Hiſpalenſem epiſcopum Synodalis ſententia exulauit: & dignitatem primatiæ tranſtulit ad eccleſiam Toletanam. Obiit Toleti.

Era DCLXXXVI. anno imperii Conſtantis filii Heraclii primo cum Chindaſuintho Recceſuinthus filius eius regnauit annis ſex, & poſtea ſolus annis duodecim. Hic fidem catholicam in tantum dilexit, vt ſemper perquireret viros litteratos qui frequenter coram ipſo conferrent de articulis fidei. Delectabatur enim in diuinis ſcripturis: & altaria Chriſti auro, argento, gemmis, & ſericis ſummo ſtudio decorabat. Ter Synoda cum epiſcopi Toleti peregit: & leges à prædeceſſoribus ſuis editas firmauit, atq; quaſdam addidit omnino honeſtati conuenientes. Cunctos mire dilexit, & ab omnibus valde dilectus fuit. Erat enim adeo mitis & humilis, vt inter ſubditos, quaſi vnus ex illis videretur. In pace regnum ſibi ſubditum rexit: & in villa nomine Gerticos, quæ in monte Caurienſi ſita eſt, propria morte deceſſit ſub Imperatore Conſtantino. Huc vſque beatus ſcripſit Illefonſus Hiſpaniarum primas & Archiepiſcopus Toletanus: qui tempore dicti Regis Recceſuinthi quaſi Lucifer inter ſidera, tam morum honeſtate quam ſignorum claritate fulſit in eccleſia Dei. Qui etiam donis cæleſtibus à perpetua virgine Dei genetrice Maria & Leocadia in præſenti vita meruit honorari.

Era DCCIIII. poſt Recceſuinthum Bamba regnum Gotthorum rexit nouem annis. Hic Toleti ea hora qua vnctus eſt in Regem cum quadam euaporatione viſa eſt apis, à cunctis qui aderant, ex capite eius exire & ad cœlos volare. Hoc ſignum factum eſt à Domino, vt futuras victorias nunciaret de inimicis per eum, & dulcedinem pacis, quam habuit erga ſuos. Aſtures enim & Vaſcones in finibus Cantabriæ crebro rebellantes edomuit, & ſuo imperio ſubiugauit. Ciuitatem quæ Cartua vocabatur, ampliauit: & eam Pampilonam quaſi Bambæ Lunam vocauit. Prouinciam quoque Galliæ, quæ Hiſpania citerior dicitur, ſibi rebellantem multis agminibus Francorum interemptis ſubiugauit: & Paulum perfidum Galliæ tyrannum cepit, eique oculos euellere præcepit, & ad vrbem Toletanam cum triumpho magno reuerſus, diſcordantes pontifices, eo quod alii aliorum parrochias inuadebant, ad concordiam ſtuduit reuocare. Fecit enim chronicas Regum priorum coram ſe legere, vt facilius poſſet terminos parrochiarum diuidere, ſicut antiquitas denotaret, & exigeret iuris cenſura, & iura propria quælibet eccleſia poſſideret, ſicut ſubiecta demonſtrat ſcriptura.

Primus Rex Vandalorum Gundericus regnauit in Gallecіæ & Aſturiarum partibus annis decem & octo. Iſte ædificauit ciuitatem in Aſturiis quam vocauit Luceo ſiue Lucum. Quo mortuo frater eius Giſericus regnauit pro eo. Quo mortuo Hunericus regnauit pro eo. Quo mortuo Traſemundus regnauit pro eo. Quo mortuo Hildericus regnauit pro eo. Quo mortuo Gilimer ſub quo ceſſauit regnum Vandalorum, regnauit pro eo. Iſti omnes Lucenſem eccleſiam dotauerunt: quæ auctoritate Romana permanet libera & nunquam fuit ſubdita vlli metropoli. Teneat igitur dicta Lucus totas Aſturias per Pyrenæos montes & per flumen magnum Ouæ, & per totum littus maris Oceani vſque Viſcayam, per ſummum roſtrum, per ſummum Cabrium, per portas de ſancta Agatha, per Pozazalem, per Lumbam, de Folios, vna cum campo Erbolio, Gordon, Aluam vſque ad illam arborem de Quadros, per riuulum de Vmania, Lunam, Radabiam, Paredes, Flazianam, vſque ad Pyrenæos montes, Coiancam, Villam Queixidam, per Coiamquillam, & Ventoſam, vſque ad flumen Vrbicum, in Gallecia Suarnam, Vallem longam, Veram flamoſam, totam Sarriam, Paramum vſque ad flumen Minæum, totam Lemos, Vmimzo & Veroſino, & Semiuiano & Froilano vſque ad flumen Silum, totam Luniam cum eccleſiis de Petraio quæ ædificatæ ſunt, vel fuerunt inter Arnoium flumen & Silum à termino montis Baron & per aquam Zoræ vſque in fundum Arnoiæ, & per ipſum diſcurſum vſque flumen Minæum in Veza vſque Portellam Deuanati, & eccleſias de Salar inter Arnoiam & Silum cum eccleſiis de Barrolo, Caſtellam Cuſancam, Barbantes & Amon, Aſmam, Cambam, Auiancos: ſicut dictam eccleſiam Lucenſem Reges Vandali dotauerunt.

Poſt Vandalos cæperunt regnare Sueui: quorum primus fuit Rex Hermericus, quo mortuo Recchila regnauit pro eo. Quo mortuo Recciarius regnauit pro eo, quo *Maſdra* mortuo Frumarius regnauit pro eo, quo mortuo † Remiſmundus regnauit pro eo, quo mortuo Theodemundus regnauit pro eo. Rex iſte catholicus fuit: & fecit celebrare concilium in Gallecia apud Lucenſem vrbem. Interfuit huic concilio cum cæteris epiſcopis Gallecia Adaulfus Legionenſis epiſcopus ad ſubſcriptam diuiſionem roborandam: quæ fuit prima diuiſio & facta eſt hoc modo.

Legio quam condiderunt Romanæ legiones, quæ antiquitus flos fuit vocata & per Romanum Papam gaudet perpetua libertate, & à noſtris prædeceſſoribus extat ſedes regia, atque alicui metropoli nunquam fuit ſubdita, teneat per ſuos terminos antiquos, per Pyrenæos montes & per Penam Vbeam vna cum media Leuaci, Ceruam, Petras nigras, Auiam vſque ad flumen Carrionem, per illam Sernam, per riuulum Sic- *Rubeam* cum vſque ad Villam Ardecam. Per Cereſinos vſque in Caſtro Pepe, per villam † Mannam vſque in arborem de Quadros. Infra fines etiam Galleciæ tria caſtella, Turtures, Datineum, Cancellatam, & Nauiam, ſicut eam dotauerunt Romani & Reges Sueuorum.

Metropolis Bracarenſis teneat centum cellas Gotthis millia, Lameto Giliolis Adoneſte, Aportis, Arlo, Carrandonis, Laubis, Ciliotro, Letunio Cereſis, Petroneo, Equiſis, Adſaltu, item Pago, Pannonias, Latera, Bregancia, Aſtiatico, Turego, Armego, Merobrio, Bereſe, Palantuſino Celo Senequino Vmio, familia regia de Egitanienſi tota Egitania, Mene, Cibio & Francos.

Ad ſedem Portugalenſem & in Caſtro nouo eccleſiæ quæ in vicino ſunt, Villanoua, Betaonia, Veſea, Menturio Torebio, Banuaſte, Pongoaſte, Lunibo, Neſcis, Napoli, Curmano, Magneto, Leboreto, Melga, Tongobia, Villa Gomedei, Taunaſſe. Item Paga, Lambrenton, Aliobo, Vallericia, Turlugo, Cepis & Mendolas, & Palencia ſub vno viginti quinque.

Ad Lemegum ipſum Lamegum Tuencia, Amuca, Cantabriano, Omia & Caminus ſub vno ſex. Ad Conimbrienſe, ipſam Conimbriam, Suninio, Selio, Lurbinie, inſula, Aſtuſiane & Portugale, Caſtrum antiquum, ſub vno ſeptem.

Ad Veſenſem, ipſum Veſea, Rodomiro, Subinoncia, Suberbeno, Oſania Oueliione, Tutela, Goleia, & Caliabria, qui apud Gotthos poſtea ſedes fuit ſub vno nouem.

Ad Iriam ipſam Iriam, teneat deinde vſque Cuſanea, & de Caldas de Rege vſque in oram maris Oceani.

Ad Lucenſem ipſa ciuitas cum adiacentia ſua, cum Cauroquia, Seuies, Carabairos, Mõte nigro, Parraga, Latra, Azuniana, Gogios, Tauada, Pogonti, Salauetera, Monte roſo, Dorradeca, Goleam ſub vno XIIII.

Ad Aurienſem Sedem, Veſugio, Biuiale, Teporos, Geurſos, Pinera, Caſauia, Vereganos, Sanabria, & Calabazas maiores ſub vno decem.

Ad Aſtoricam ſedem, ipſa Aſtorica, Legio, Superurbico, Berizo, Petra, Speranti, Tibris, Callellas, Murellos ſuperiore & inferiore, Semure, Frigellos, & Beſicos. Sub vno vndecim.

Ad Tudenſem, ipſa Tude cum eccleſiis, quæ in vicino ſunt, Torello, Tolobera, Ludo, Parre, id eſt, Paga, Agnoue, Sagirica, & Bilione, Cauda, Omia, & Cartaſſe. Sub vno quindecim.

Ad ſedem Bretonicam eccleſiæ quæ in vicino ſunt intra Britones, vna cum monaſterio Maximi vſque in flumen Ouæ.

Rex Bamba vt ſupra ſcriptum eſt, diuiſionibus Epantuum confirmatis, cæteras imperii ſui ſedes diuiſit, ſic dicens: Toletum metropolis, regia ſedes, inter cæteros Hiſpaniæ quandiu huic ſancto cætui placuerit, metropolitanos, teneat primatiam. Oreto teneat de Galla vſque Ecigiam. De Petra vſq; Campaniam. Beacia teneat per terminos de Oreto, & de Meteſa, & Acci. Meteſa teneat de Ega vſque Securam, Belida vſq; Puligenam. Acci de Secura vſque Montana, de Archetel vſq; Caracoie. Baſti teneat de Montana vſq; Geſtam, de Rauca vſq; Ruſicam, Vrgi teneat de Geſta vſque Carthaginem, de Gaſtri vſq; Midam. Bagaſtri teneat de Pugilla vſq; in Soloniam, de Secta vſque in Lumbam. Ilici teneat per terminos Bagaſtri, Setabi & Deniam. Setabis teneat de Cuſto vſq; ad Moletam. De Togola vſq; Vnitam. Denia teneat de Zoza vſque V- *Gul* nitam, de Sylua vſque † Gil. Valentia teneat de Sylua vſq; Muretum de mari vſq; Valerianum. Valerianum teneat de Alpont vſq; in Tarabellam. De Firzerola vſq; Innar. Secobrica de Tarabella vſque Obuiam, de Toga vſque Brecam. Ercabica teneat de

Alcont

Alcont vſque ad Obuiam, de Mora vſque Luſtram. Compluto de Alcont vſque ad Cortem. Segontia teneat de Corte vſque in Furcam, de Godol vſque in Pinnam. Oxoma teneat de Furca vſque Aslanzon quomodo currit Caminus ſancti Petri qui vadit ad ſanctum Iacobum. De Garrafe vſque Ermitas. Secobia teneat de Valle. De Alemeht vſque Mambellam. De Montel vſque Vaſadota. Palencia teneat de Mambella vſque Caltam, de Valbona, vſque Fortoſam. Hæ ſunt ſedes decem & nouem immediate ſubditæ Archiepiſcopo Toletano.

Sedes ſubditas Hiſpalenſi metropoli, quæ hactenus prima fuit, ſedes Hiſpaniarum diuidimus ſic. Italica teneat de Vlca vſque Bulſam, de Aſa vſque Lamolam. Aſſidona teneat de Buſa vſque ad Semam, de Lateſa vſque viam latam. Elepa teneat de Sema vſque Datam, de Abiſa vſque Corteſam. Malaga teneat de Data vſque Meleocam, de Tenna vſq; Sedes Campo. † Iliberri teneat de Malaca vſque Sotellam, de Alonica vſque Sedile. Aſtigi teneat de Sotella vſque Parietem, de Lueca vſque Taucam. Corduba teneat de Pariete vſque Vbetam, de Galla vſque Ronam. Egabro teneat de Vbeta vſque † Malam Saiam, de Garta vſq; Suetam. Tucci teneat de Mala Saia vſque Abalagar, de Gigera vſque Calonam. Hæ ſunt nouem ſedes epiſcopales immediate ſubditæ Archiepiſcopo Hiſpalenſi prouinciæ Beticæ.

Eliberri

Mala Saxa

Sedes Emeritenſis metropolis diuidimus ſic. Pace teneat de Balagar vſque Artam, de Olla vſque Mataual. Vliſbona teneat de Arta vſque Ambiam, de Olla vſque Matar. Elbora teneat de Sotebra vſque Petram de Rutella vſque Paratam. Oxonoba teneat de Ambia vſque Sallam, de ipſa vſque Turrem. Egitania teneat de Sala vſque Nauam, de Sena vſque Mauriellam. Conimbria teneat de Naua vſque Borgam. Viſeum teneat de Borga vſque Sortam, de Bonella vſque Ventoſam. Lamecum teneat de Sorta vſque Petram, de Tara vſque Ortoſam. Caliabria teneat de Sorta vſque Albenam, de Soro vſque Faram. Salamantica teneat de Albena vſque Sotobiam, de Ruſa vſque Siberam. Numancia, quam noſtrates Gotthi poſtea vocauerunt Zemoram, teneat per Pennam Goſendi vſque ad Tormem, ſuper illos balneos de Valle de Rege vſque ad Dorium de Vilalalle vſque ad Oterum de Fumus, ſecus riuulum Siccum, vſq; Breto, de Tauara vſque Dorium. Abula teneat de Petra vſque Villam, de Maſeo vſq; Terrero. Cauria teneat de Villa vſque Tagum, de Aſar vſq; Pumar. Hæ ſunt ſedes tredecim immediate ſubditæ Archiepiſcopo Emeritenſi prouinciæ Luſitaniæ.

Legio ciuitas ſacerdotalis & regia, & Lucus quam Vandali ædificauerunt in Aſturiis, teneant per ſuos terminos antiquos, ſicut eis diuiſit Theodemirus Rex Sueuorum, & nulli vnquam ſubdantur Archiepiſcopo vel Primati. Sedes etiam Portugaliæ permaneant in ſua diuiſione ſicut eis diuiſit Rex Theodemirus cum his quæ nos eis adiecimus.

Sedes Bracarenſis metropolis, ſicut eis ordinauit Rex Theodemirus, ita eas permanere mandamus & hos terminos eis ſuperponimus. Dumio teneat de Duria vſque Albiam, de Rumeca vſque ad Aram. Portugale teneat de Lobia vſque Loſolam, de Olmos vſque Solam. Calcidonia quam Sueui vocauerunt Tudam, teneat de Toloſa vſque Lagunam, de Monte albo vſque Fetoſam. Auria teneat de Cuſanea vſque Silam, de Vezeganos vſque Calabazas maiores. Iria teneat de Iſſum vſq; Cuſancam, de Caldas de Rege vſque in oram maris Oceani. Lugo teneat de Laguna vſque Boſam, de Monte Soto vſque Quintanam. Britonia teneat de Buſa vſq; Torrentes, de Occoba vſque Tobellam & vſq; Ouem. Rama quam Vandali vocauerunt Aſtoricam teneat de Tarrentes vſq; Samoiam, de Homania vſq; ad montem Gerod. Hæ ſunt octo ſedes epiſcopales immediate ſubditæ Archiepiſcopo Bracarenſi prouinciæ Galleciæ.

Poſt hęc diuiſit Rex Bamba ſedes Terraconæ metropolis. Terragona metropolis teneat inſulas Baleares, Maioricam ſcilicet, & Minoricam, & Formenteram, & Vzeticam. Bartinona teneat de Minoniam vſque Pagellam, de Via vſque Bordel. Exara de Bordel vſque Palladam, de Monteſa vſque Portellam. Gerunda teneat de Pallada vſque Inſtamant, de Aloſa vſque Impurias. Impurias teneat de Inſtamant vſque Brecam, de Ventoſa vſque Gilbam. Auſona teneat de Borca vſque Auratam, de Bulga vſque Menticim. Vrgello teneat de Auratam vſque Vaſanam, de Mucana vſque Valam. Lerita teneat de Vaſona vſque Fontem Salam, de Loram vſque Matham. Hictoſa teneat de Fonte Salam vſque Porrellam, de Morale vſque Tormalam. Tortoſa teneat de Porrella vſque Damam, de Termoga vſque Cathenam. Cæſarauguſta teneat de Mania vſque Splanam, de Ribas montes vſque Gordollo. Oſca de Splana teneat vſque Cobello vſque Muſtellam, de Lotica vſque Tallam, de Mu-

ſtella teneat vſque Nampiam, de Sparga vſque Oſtaual. Calaforra teneat de Mampia vſque Spargam, de Muſtela vſque Lacalam. Tiraſona de Sparſa vſque Plate[illegible]am, de Altomonte vſque Milloſam. Auca teneat de Platena vſque ad Maiam, de Villainferno vſque Pedemoram. Hæ ſunt ſedes quindecim immediate ſubditæ Archiepiſcopo Terragonæ prouinciæ Terraconenſis.

Diuiſio autem ſedium Narbonenſis metropolis hæc eſt. Beterris teneat de Scalath vſque Barcinonam, de Macay vſque Riboſora. Agathe teneat de Ruſa vſque Riberam, de Gallar vſque Nurlam. Magalona teneat de Nurla vſque Ribogar, de Caſtello vſque Sambiam. Lateua teneat de Sambia vſque Ribanal, de Anges vſque Montem Rufum, Carcaſſona teneat de Monte Rufo vſque Angeram, de Angoſa vſque Montanam. Elna teneat de Angera vſque Roſmalam, de Latorſa vſque Lamaſam. Hæ ſunt octo ſedes immediate ſubditæ Archiepiſcopo Narbonenſi prouinciæ Galliæ, vel Hiſpaniæ quæ citerior dicitur. Et fiunt ſedes harum duarum Hiſpaniarum octoginta ſub dominio Gotthorum tam Archiepiſcopales quam epiſcopales, per quas nobis miniſtratur verbum Dei, qui à Romano Papa accipiunt communionem catholicæ veritatis, vt in fide Chriſti ſecundum traditionem & doctrinam ſanctorum patrum animas ſibi commiſſas valeant gubernare. Hæc igitur noſtra diuiſio quæ de aſſenſu omnium archiepiſcoporum & epiſcoporum dictarum ſedium auctore Deo facta eſt, firma permaneat in æternum.

Hæc omnia ſupraſcripta legit glorioſus Rex Bamba in concilio Toletano: vbi omnes Archiepiſcopi & epiſcopi Hiſpaniarum conuenerunt. Quæ ſubſcriptione omnium confirmata ſunt. Quirico Toletano Archiepiſcopo & primatiæ dignitate & fide catholica conſiſtente: ſtatutum eſt præterea in dicto concilio, vt omnes clerici viuerent ſecundum regulam ſanctiſſimi patris Iſidori, prout continetur in libro eiuſdem de honeſtate clericorum. Et quicumque Archiepiſcopus, Epiſcopus, Abbas clauſtralis clericus, vel ſæcularis pro dignitate vel ordine, aut aliquo eccleſiaſtico beneficio munera daret Regi, ſiue alicui aliæ perſonæ, illum excommunicatione perpetui anathematis innodarunt.

Hæ ſunt ciuitates & oppida quorum nomina antiquitas, vel Sarraceni mutauerunt. Quæ ne generent ambiguitatem legentibus vniuſcuiuſque ciuitatis, vel oppidi nomen pro parte memoremus. Hiſpalis, id eſt Iulia Romula, Sibilia, Aſſidonia, id eſt Sidonia, † Illiberri, id eſt Granata. *Eliberri* Aſtigi, id eſt Belſa. Egabro, id eſt Cabra. Auccis id eſt, Xarez. Pace, id eſt, Badaios. Oxonoua, id eſt, Seduma. Egitania, id eſt, Lucenia. Caliabria, id eſt, Montages. Ferrezola, id eſt, Toletum. Oreto, id eſt, Calatraua. Menteſa, id eſt, Iaen. Acci, id eſt, Guadiez. Vrgi, id eſt, Almaria. Ilici, id eſt, Berga. Setabis, Xatiua. Compluto, id eſt, Guadalfaiara. Alcala etiam quondam Compluto vocabatur. Elbora, id eſt, Talauera. eſt in Portugalia ciuitas quæ dicitur Ebora. Vrſaria, id eſt, Madrit. Numancia, id eſt, Zemora. Moriana, id eſt, Caſtrum Taraph. Campus Gotthorum, id eſt, Taurus. Flos, Legio, Leo. Coranca, id eſt, Valencia. Malgrat, id eſt, Benauentum. † Duruetrũ, id eſt, Saluaterra. *Muruetrum* Rama, id eſt, Aſtorica. Ariſcoma, id eſt, Mindonedo. Domnos ſanctos, id eſt, Sanctus Facundus. Calcidonia, id eſt, Tuda. Epiſcopatus Lucenſis in Aſturiis translatus eſt ad Ouetum, & dicitur Ouetenſis. Epiſcopatus Aucenſis translatus eſt Burgis, & dicitur Burgenſis. Quem eccleſia Romana ſicut Legionenſem, vel Ouetenſem donauit perpetuæ libertati. Campus ſtellæ, id eſt, ſanctus Iacobus: ad cuius eccleſiam translatus eſt Archiepiſcopatus Emeritenſis. † Martua, id eſt, Pampilona. *Cartua* Tritio, id eſt, Naiera.

HIC INCIPIT IVLIANVS EPISCOPVS Toletanus.

SOLET virtutis eſſe animorum incitamentum triumphorum pulchra relatio animoſque nobilium ad virtutis attollere ſignum, quidquid gloriæ de præteritis fuerit prædicatum. Habet enim humani moris natura pigrum quendam internæ virtutis affectum: vnde contingit quod non tam citatior ad virtutes, quam ad vitia procliuior reperitur. Et niſi iugi exemplorum vtilium inſtructa fuerit prouocatione aſſidua, frigida remanet & torpeſcit. Hac de re vt timidis & pigris mederi poſſit, relationem præteritæ rei noſtris temporibus geſtam inducimus: per quam ad virtutem ſubſequentia ſecula prouocemus. Affuit in diebus noſtris Bamba princeps clariſſimus de regali ſanguine ortus, quem digne principari dominus voluit, quem ſacra vnctio decora-

decorauit, quem totius gentis & patriæ communio elegit, quem populorum amabilitas exquiſiuit: qui ante regni faſtigia multorum relationibus præconio celebri prædicatur. Antequam regnaret, dum decedentis Receſuinthi Regis morte exequiale funus ſolueret, inter ipſa elemẽta in vnam omnes concordiam verſi, vno affectu pariter prouocati illum ſe deſiderio habere principem clamant. Illum nec alium in Gotthis poſſe principari vnitis vocibus intonant: & cateruatim ſuis pedibus obuoluti, vt regimen regni ſuſcipiat, inſtant cum lachrymis poſtulantes. At ille cuius mentem fortitudo firmauerat, nec lachrymis cedit, nec precibus vincitur, nec voto flectitur populorum, modo ſe non ſuffecturum tot ruinis imminentibus clamans modo ſenio confectum ſeſe pronuncians. Cui acriter reluctanti vnus ex officio ducum audacter in medium proſiliit: & minaci contra eum vultu educto gladio proſpiciens dixit: Niſi conſenſurum te nobis promittas, gladii huius mucrone modo truncandum te ſcias: nec hinc tandiu exibimus, quãdiu aut expeditio noſtra te Regẽ accipiat, aut contradictionẽ cruẽtus hic hodie caſus mortis abſorbeat. Quorum non tam precibus ſuperatus, quam minis tandem ceſſit: regnumque ſuſcipiens ad ſuam omnes pacem recepit. Et tamen ne citra locum ſacræ ſedis Toletanę regni ſacram ſuſciperet vnctionem, diſtulit vſque ad nonam decimam diem, ne videretur ambitione vſurpaſſe, vel furatum eſſe regni gloriam, ſed potius ſignum tanti culminis à domino percepiſſe. Gerebantur enim iſta in villa, cui antiquitas Gerticos nomen dedit: quæ fere centum viginti milliariis ab vrbe regia diſtans in Salamanticenſi territorio ſita eſt. Ibi enim vno eodemque die, ſcilicet in Kalendis Septembris, & decedentis Regis vitalis terminus fuit, & dicti viri electio ſubſecuta. Poſtquam autem Toletanam vrbem ingreditur, & ventum eſt, quo ſanctæ vnctionis ſuſciperet ſignum, regio iam cultu conſpicuus, ante altare diuinum conſiſtẽs, ex more catholicam fidem profeſſus cum ſacramento iurandi fidem populis reddidit: & mores bonos prædeceſſorum Regum atque leges firmauit. Deinde curuatis genibus oleum benedictionis per ſacri primatis & Pontificis Quirici manus vertici eius refunditur, & benedictionis copia exhibetur. Vbi hoc ſtatim emicuit mirabile ſignum: nam mox è vertice ipſo, vbi oleum ſanctum perfuſum fuerat, euaporatio quædam fumo ſimilis in modum columnæ ſeſe erexit: & ex capite ipſo apis viſa eſt proſiliiſſe, & aeris alta petiiſſe: quæ vtique ſignum fuit ſecuturæ felicitatis. Poſt hæc quam glorioſe regnum rexerit non eſt noſtræ diſſerere valetudinis.

Conſiſtente igitur in quiete pacifica regno, Galliarum terra euerſionis ſuæ nutriuit decipulam. Etenim ſubito in ea vnus turbo infidelitatis aſſurgit: & conſenſio perfidiæ per vnum ad plurimos tranſit: atque rebellio contra Regem & patriam agitatur. Huius enim caput tyrannidis Hildericum eſſe, ſui criminis infamia refert. Qui Nemauſenſis vrbis curam ſub comitali præſidio gerens, non ſolum nomen ſed titulum & opus ſibimet infidelitatis aſſumpſit, adiungens etiam ſibi prauitatis ſuæ ſocios Gumildum Magalonenſis ſedis deteſtandum antiſtitem & Ramirum Abbatem: quorum fauore in patriam Iudæorum gentem perfidam euocauit contra conſtituta regni Gotthorum. Huius igitur criminis caput Hildericus, cum per diuerſos ignem ſuæ infidelitatis accenderet, Nemauſenſis vrbis epiſcopum vitæ beatæ Aregium ad perfidiam notam trahere nitebatur. Quem caſto ore, conſtantique corde repugnare ſuis conſiliis cernens, loci dignitate priuatum, pondere vinculorum onuſtum, in Franciæ finibus Francorum manibus tradidit illudendum: deinde in ſublati pontificis locum ſuæ perfidiæ ſocium Ramirum Abbatem intruſit epiſcopum. In cuius electione nullus ordo attenditur, nulla principis vel metropolitani definitio præſtolatur: ſed erecto ſuperbiæ faſtu, contra interdicta maiorum à duobus tantum pſeudoepiſcopis ordinatur. Peracto tempore temeritatis prouentu Hildericus, Gumildus, atque Ramirus terminos ſibimet ſuæ coniurationis ſtatuunt, & à loco vbi vocabulum dicitur mons Cameli, vſque in Nemauſum terram Galliæ diuidunt, ſuetæ coniurationi aſſociant. Ab infidelitate fidelitas ſuperatur. Collecta dein manu ciues depopulantur, labores exterminant, opes exhauriunt, & totam prouinciam Galliæ deprædantur. Cucurrit hæc fama ad principem Bambanem, qui mox ad extinguendum ſeditioſorum nomẽ, exercitum per manum Pauli ducis, qui erat de Græcorum nobili natione, in Gallias deſtinauit. Qui Paulus tepide cum exercitu gradiens a bello abſtinuit: & ſtudio quo valuit animos militum ab eo quo ardebant præliãdi furore ſubmouit: & promiſſam religioſo principi fidẽ omnimode violauit. Egit hoc arcano quodam cõſilio, vt ad affectatum perueniret faſtigiũ, allectis ſibi perfidiæ ſuæ ſociis

Ranosindo Tarraconensis prouinciæ duce, & Hildigiso sub Gardingatus adhuc officio consistere. Quod votum peruersi sui desiderii incredibili efficere celeritate intendens, collectis vndique populis simulate se pugnaturum contra seditiosos enunciat. Quod vir vitæ venerabilis Argebaudus Narbonensis antistes subtilissima quorundam relatione vt comperit, aditum illi ciuitatis intercludere nisus est. Sed nec ista opinio latuit Paulum: vnde priusquam Argebaudus quod cogitauerat, effectibus manciparet subito propero cursu Paulus cum exercitu Narbonensem vrbem ingrediẽs, portas ciuitatis sub suorum armatorum præsidio obseruari præcepit. Vbi dum circumfusa omnis exercitus multitudo collecta est, vipereum caput perfidiæ cum quibusdam sociis suis Paulus ipse medio astitit obiurgans prius episcopum, cur illi ciuitatis aditum intercludere niteretur. Post hæc tyrannidis suæ consilium proditur, & diuerso fraudis argumento fidem populorum degenerans ad irrogandas iam sancto Bambæ Regi iniurias animos singulorum inflammat. Iurat principio ipse Paulus se nullo modo illum Regem posse habere, nec in eius consistere vlterius famulatu: & etiam addidit dicẽs. Caput regiminis ex vobis ipsis eligite, cui omnis multitudo cedat, & qui in vobis appareat deuote & humiliter principari. Cui vnus ex coniuratis maligni ipsius consilii socius Ranosindus applaudens Paulum sibi Regem designat, Paulum sibi nec alterum populis Regem futurum exoptat. Ad hæc cæteri coniurationis conscii Paulum Regem acclamant, & totius populi animos ad sua vota inclinant. At vbi idem Paulus sui consilii accelerationem inspexit, consensum illico propriæ voluntatis adhibuit: & iam re sibi omnes coegit. Post hæc Paulus regnum arripuit: & nefaria temeritate coniuratorum cateruam illam, quam armorum virtute non cepit, opere perfidię ad se traxit. Nam Hildericum Comitem, & Gumildum atq; Ramirum pseudoepiscopo absq; difficultate suæ perfidiæ sociauit: & tota prouincia Galliæ subito in coniurationis arma concurrit. Nec solum Gallia sed & pars Tarraconẽsis prouinciæ coturnum rebellionis attentat. Fit tota Gallia repẽte conciliabulum perfidorum, parata mori pro defensione perfidæ prauitatis. Paulus autem dum iniquitatis suæ socios multiplicatos numero laboraret efficere, datis promissisque multis muneribus Francorum Vasconumque nimiam multitudinem in sui auxilium congregauit, & expectabat tempus opportunum, quo posset in Hispaniam pugnaturus accedere, præreptumque regni fastigium vendicare.

Cum hæc in Galliis agerentur, gloriosus Rex Bamba Vascones rebellantes debellaturus aggrediens in partibus Cantabriæ morabatur. Vbi dum de iis quæ in Galliis gerebantur, nuncium celerem recepisset, mox negotium primatibus palatii innotuit pertractandum: vtrum possent exinde in Gallias pugnaturi accedere an reuertentes ad propria, & collectis vndique viribus, cum multiplici exercitu itineris tam longinqui arriperent commeatum. In quo bicipiti consilio nutantes multos princeps aspiciens, ac omnes admonitione alloquitur dicens: Ecce iuuenes exortum malum audistis: & quo se munimine incentor seditionis huius armauerit agnouistis. Præuenire ergo hostem necesse est, vt ante præueniatur bello, quam in suo crescat incendio. Turpe sit talibus dimicaturi in occursum non ire: aut domos nostras priusquam intereant repedare. Ignominiosum nobis videri debet, vt Paulus patria proditor, qui rebelles nostros non potuit armis subiicere, tantæ gloriæ viris audeat repugnare. Et qui abiectissimam & imbellem gentem deuincere non valuit pro quiete patriæ, Gotthorum militiæ hostem audeat se præbere. Quasi effæminatos & molles nos vsquequaque diiudicans, qui vtique nullis viribus, nullis armis, nullisque consiliis eius tyrannidi resistere valeamus. Reuera animositatem & virtutem Gothicæ gentis bellorum triumphis à seculo orbis expertus est vniuersis: & quæ erit perituro illi virtus, etsi Francorum viribus nobiscum decertando confligat? vtique notissima eorum nobis neque incerta est pugna, sæpius enim à Gotthis contra hostes, defensionis auxilium magnis precibus impetrarunt. Igitur turpe sit vobis eorum acies vel ad horam expauescere: quorum nostis infirmiorem semper esse virtutem. Et siue Galli siue Franci sint, tantæ coniurationis vindicandum sentiant facinus: quia armis vltricibus gloriæ nostræ nomen vendicare debemus. Tamen non cum fœminis sed cum viris vobis certandum est, quanquam notissimum maneat, nec Francos Gotthis aliquando posse resistere nec Gallos aliquid sine illis virtutis perficere. Quod si alimentorum seu vehiculorum necessitatem apponitis, scitote quia gloriosius est triumphum in necessitatibus conquisisse, quam in abundantia bella exquisita conficere. Augustius enim semper est, quod plus tolerantia quam suffectus rei nobilitat. Exurgit etiam ad victoriæ signum nomen disperditum perfidorum. Gallorum

lorum ingratuitas veſtrum inflammet animum, quia Franci illos ſemper ſeruitute miſerabili oppreſſerunt,quos Gotthi dederunt bellicis gladiis nobiliſſimę libertati. Dum ergo calor eſt animi nulla debet eſſe remoratio properandi. Dum ira animos vrget, nulla nos debet retardatio impedire. Quin potius ſi fieri poſſet ſine intermiſſione proficiſcendi ſuſceptum iter aggredi, multo facilius poterimus hoſtium noſtrorum caſtra ſubuertere. Nam vt quidam ſapiens ait:Ira præſens valet,dilata langueſcit. Et illud: Nocuit differre paratis. Non igitur opus eſt retro verti militem,quoniam impiger acceſſus belligerandi facit eſſe victorem. Adhuc ergo Vaſconibus cladem illaturi accedamus. Deinde ad ſeditioſorum nomen extinguendum protinus feſtinemus.

Cum hæc peroraret Bamba Rex prudentiſſimus inualeſcunt animi omnium & ardenter exoptant fieri,quod iubentur,& ſtatim omnis exercitus Vaſconiæ partes ingreditur: vbi per ſeptem dies vſquequaque per patentes campos deprædatio & hoſtilitas caſtrorum domorumq; incenſio tam valide acta eſt, vt Vaſcones feritate depoſita vitam ſibi dari, datis obſidibus pacemq; largiri, non tam precibus quam muneribus exoptarent. Vnde acceptis obſidibus tributiſq; ſolitis,& pace compoſita directo itinere in Gallias profecturi accedunt per Calafurram & Oſcam tranſitum facientes. Poſt hæc Rex Bamba in tres turmas exercitum diuidit, ita vt vna pars ad caſtrum Libiæ quod eſt Aquitaniæ caput tenderet. Secunda per Auſonenſem ciuitatem Pyrenæi media peteret. Tertia vero per viam publicam iuxta ora maritima graderetur. Ipſe etiam religioſus princeps cum multiplici bellantium manu ſubſequebatur. Sed quia inſolens quorundam ex noſtris motio non ſolum prædæ inhiabat,ſed etiam cum incēſione domorum adulterii facinus perpetrabat, tanto diſciplinæ vigore iam dictis princeps de his & quibuſdam aliis vitiis ſcelus vindicabat nequiter perpetratum, vt grauiora in iis ſupplicia illum putares impendere,quam ſi hoſtiliter contra illum egiſſent. Teſtantur hæc ab illis adulteris abſciſſa membra virilia, quibus pro fornicatione hanc vltionis irrogabat iacturam. Dicebat enim. Ecce iam iudicium imminet belli & libet fornicari vt Deus ad iracundiam prouocetur. Vt credo ad examen pugnæ acceditis, videte ne in veſtris ſordibus pereatis. Nam ego ſi iſta non vindico,iam ligatus inuado. Ad hæc ergo vadam,vt iuſto Dei iudicio capiar,ſi iniquitatem populi videns ipſam nō puniam. Fruſtra enim pergit ad bellum vt vincat quem iniquitas comitatur. Exemplum vobis præbere debet, quod Heli ſacerdos ille in diuinis litteris eruditus, qui pro ſceleribus neglexit filios increpare:& ideo illos in bello didicit concidiſſe: ipſe quoque filios ſequens fractis ceruicibus expirauit. Hæc igitur nobis timenda ſunt, & ideo ſi purgati maneamus à crimine,non erit dubium quod triumphum capiamus ex hoſte. Sub iſta,vt præmiſſum eſt,diſciplina princeps Bamba exercitum glorioſe perducens, mores ſingulorum ſub diuinis tenens regulis,proſperari ſibi videbat per incrementa dierum diſpoſitum belli & victoriam præliandi. Sicut enim erat regali Gotthico clariſſimus genere,ſic erat magnanimus mente,ſic & abundans ſcientia litterali. Itaque prima ex rebellione omnium ciuitatum Barcinona in poteſtate principis religioſi adducitur,deinde Gerunda ſubiicitur. Huius ciuitatis venerabili viro Amatori epiſcopo Paulus peſtifer ſub iſto ſenſu miſerat epiſtolam ſcriptam. Audiui quod Bamba Rex cum exercitu ad nos venire diſponat. Sed cor tuum non turbetur, nec enim hæc fieri puto. Et tamen quem primum de nobis ambobus tua ſanctitas cum exercitu viderit accedentem, ipſum ſe credat habere dominum, & in eius debeat perſiſtere charitate. Hæc miſer ſcripſit neſciens, quod iuſtum contra ſe iudicium protulit. Vnde horum ſcriptorum verba Rex Bamba ſapienter coniiciens dixit. Non in his ſcriptis Paulus à ſemetipſo locutus eſt,ſed licet ignoranter,tamen illud cenſeo prophetaſſe. Egreſſus igitur poſt hæc princeps de ciuitate Gerunda belligeroſis incurſibus gradiens ad Pyrenæi montis iuga peruenit, vbi duobus diebus exercitu repauſato, per tres diuiſiones vt dictum eſt, exercitus Pyrenæi montis dorſa adiuit,& caſtra Pyrenaica quæ vocantur Caucolibeum, Vulturariam & Libiam mirabili victoriæ triumpho cepit,atque perdomuit,multam copiam in his caſtris auri & argenti reperit, quæ copioſis exercitibus in prædam ceſſit. Excuſſerat manus ſuas ab omni munere,vnde præliantium animos accendebat ad victoriam obtinendam. Caſtrum etiam quod vocatur Clauſuras, miſſis ante ſe exercitibus per duces duos facta irruptione cepit:ibique Ranoſindum Hildigiſum cum cætero agmine perfidorum,qui ad defenſionem caſtri conuenerant, exercitus capit, atq; deuinctis poſt tergū manibus eos principi repræſentat. Vuitimirus vnus ex coniuratis, qui ſe in Sordoniam clauſerat, noſtros irrupiſſe perſentiens ſtatim fugit, & tantæ cladis nuntium Paulo Narbonem perlaturus acceſſit. Quæ res grandi timore tyrannum concuſſit.

Princeps vero religiosus prædictorum castrorum exercitu subiugato, in plana post transitum Pyrenæi montis descendens duob. tantum dieb. exercitum ad vnum cōgregaturus expectat. At vbi è diuersis partib. collecta in vnū multitudo percrebuit, statim per quatuor duces electum numerum armatorum ad expugnationem Narbonæ ante faciem suam mittit, alium exercitum destinās, qui nauali prælio accederet bellaturus. Et quidem iam erant pauci dies ex quo de Narbona rebellis Paulus recesserat seruiliter fugiendo, cōperto ꝙ tam feliciori prouentu pars religiosi principis properaret. Quā ciuitatem Paulus muniuit præsidio multiplici perfidorum & Vuitimiro duci suo commisit. Quem cum nostrorum exercitus blanditer hortaretur, vt ciuitatem sine sanguinis effusione traderet, ꝓrsus renuit: obseratisq; ciuitatis portis muro, viua voce nostrorum exercitum conuitiis detestatur. In principem quoq; religiosum maledicta congeminat, minisq; conatur exercitum perturbare. Quod nostræ partis animositas nō ferēs subita cordiū accensione incanduit: & telorum iactu perfidorū ora petiuit. Immanis ab vtrisq; pugna cōseritur: & sagittis alternatim sibimet partes obsistunt. Sed vbi ab vtrisq; fortiter agitur, tātos imbres lapidū nostri intra vrbem cōiiciunt vt clamore vocū & collisione petrarū ciuitas subuerti existimaretur: vnde ab hora fere quinta diei vsq; ad octauam horā fundibulorū instantia acriter à nostris pugnatū est. Incanduit itaq; nostrorū animus victorię dilationē ferre nō valēs, & ad portas propius pugnaturus accessit. Tūc victoriosa per Deū manu portas incēdunt, & ciuitatē victores ingrediuntur. Vbi dum Vuitericus adhuc armata manu ecclesiā peteret, accessu nostrorū turbatus, post aram Dei genitricis se vindicaturū non reuerētia loci miser sed vltore gladio testabatur, dextera tenēs gladiū, & mortē minitans singulorū. Ad cuius ergo insaniæ tumorē ꝓtinus comprimendū, vnus ex nostris tabulā manu arripuit, & ferocissimo ictu se ad illū direxit, at vbi tabula nisus est eū ingenti iactu percutere, mox in terrā tremebūdus prosternitur, protinusq; capitur, & ferrū illi de manu extrahitur, viliter tractus pōdere vinculorū arctatur, verberibusq; vna cū sociis quib. vrbē nitebatur vendicare afficitur. Posthæc deuicta subiugataq; Narbona ad insequendum Paulum, qui se in Nemausum contulerat, iter dirigitur. Deinde Beterius & Agathæ ciuitates illico subiugantur. In Magalonēsi vero vrbe Gumildus loci ipsius antistes cum ad obsidionem sui circumfusum videret exercitum, vrbemq; ipsam non tam ab iis qui per terram pugnaturi accesserāt, quam ab iis cingi, qui nauale prælium acturi per mare commeauerant: huius rei clade perterritus compendii viam arripuit: Nemausumq; secum Paulo contulit. Sed cū exercitus Hispaniæ Gumildum fugisse persensit, ciuitatem mox Magalonensem nō dissimili victoria cepit: & directa acie Nemausensem vrbem debellare cōtendit. Prima per quatuor duces prælīādi facies cum electo pugnatorum agmine destinata est: quorum robusta iuuentus triginta ferme millibus principem anteibat. Hic idē nobili præcursu Nemausum, vbi cum Paulo Francorum exercitus se ad vindicandum compulerat, nostri tendentes, cum nocte tota cursum festinati itineris cōfecissent, subito cum diei lux orta prodiret, apparuere nostrorum acies armorum pariter & animorum apparatu dispositæ. Quas vt è ciuitate conspiciunt, vtpote dimicaturi cū paucis in patentes campos armis eos expetendos definiunt: sed insidiarum dolos suspicati eligunt potius intra vrbem siti de muris bellum cōficere quam extra vrbem improuisos casus & pericula sustinere: & expectare auxilium promissum gentium aliarum. Vbi aūt sol refusus est, consertum est bellum à nostris clangentib. tubis sagittisq; ac lapidib. hostes in manu valida ferientes. Resistunt perfidi & ad instar guttarum pluuiæ petras & spicula iaciūt. Acrius ab vtrisq; pugna conficitur, æquo certamine præliatur. Nec à nostris nec ab illis certamini ceditur: & tota die illa sub ancipiti sorte certatur. Sed vnus de incentorib. seditionis acriter pugnans, aspiciens è muro, nostris insultans, hæc verba commentat. Quid hic, ait, instanter pugnantes consistitis morituri? cur lares proprios non repetitis? an forte casum mortis ante tempus excipere vultis? quin potius prærupta petrarum non quęritis vbi vos abscondatis cum facies auxilii nostri apparuerit? cōdolere me credite vobis sciēs occursum solatii superuēturi nobis. Mihi res notissima manet, ꝙ multiplicia nobis auxilia prælīādi occurrant. Tertia dies est ex quo inde properās venio. Quapropter hoc sciens miserabilis pompæ vestræ occasum contristatus expecto: & principem vestrum, pro quo pugnaturi venistis, vobis ligatum ostendam. Non igitur pro eo vobis hic expedit tam superuacue decertare: quem forsan iam constat nostrorum insidiis interiisse. Et quod grauius est, dum patuerit victoria nostra, nulla erit de reliquo vobis venia. Hæc dicens nostrorum animos non solum terruit, sed acrius in præliandi furorem accendit. Propinquant ad murum. Acrius quam cæperant in bellando consistunt: acriterque consertum innouant prælium. His igitur actis per spatia totius

dici

diei nox tandem finem prælio dedit. In ipſo tamen primo feruore diei, cum adhuc noſtri infatigabili virtute in præliando perſiſterent, remandant ad principem ſibique dirigi auxilium petunt non mediocri prouiſione ſaluti propriæ conſulentes, ſcilicet, ne aut extraneæ gentis dolo præuenti, aut aliis cum quibus decertabant ſubruerent virib. fatigati. Et bene res acta eſt: nam vbi princeps cognouit cum noſtris Paulum tyrãnum decertare nulla de reliquo mora fuit: & per Vandemirum Ducem electos de exercitu decem millia viros ad auxilium pugnantibus deſtinauit: qui nocte tota peruigiles maturatum iter conficerent, & ſuperuentu ſuo non tam hoſtem frangeret, quam noſtrorum animos ſolaturi ocius peruenirent. Vbi autem auxilium ſibi miſſum noſtri aſpiciunt, nimia lætitia confortati illi vires ſumunt, & ſtatim ab omnibus pugnandi definitur occurſus. Iam aurora apparere inceperat, & ſtipata per murum hoſtilis proſpiciẽs multitudo videt per ſerenam aciem luminum multiplices, quam pridiana die viderat, excreuiſſe acies pugnaturum. Iam tunc caput perfidiæ Paulus ad tantæ rei viſionem in quondam præminenti loco conſcenſurus occurrit. Qui mox vt noſtrorum acies diſpoſitas videt, animo decidit his verbis pronunciando. Recognoſco, inquit, hoc diſpoſitum pugnæ ab æmulo meo procedere. Hic ipſe eſt nec alius puto. in ſuis enim eum diſpoſitionibus recognoſco. Hæc & his ſimilia dicens animum reuocans, verbis ſuaſoriis ſuos cæpit confortare dicens: Nolite pauore turbari. Hæc eſt tantum Gotthorum illa famoſiſſima virtus, quæ ſe venire ad ſuperandos nos ſolita temeritate iactabat. Hic principem, hic totum eius exercitum credite nunc adeſſe. Nihil eſt quod de reliquo timeatis: famoſa ſiquidem virtus Gotthorum antea fuit, & ſuis in defenſionem & aliis in timorem: nunc autem omnis in illis præliandi virtus emarcuit, omnis ſcientia pugnæ defecit. Nullus illis bellandi mos, nulla confligandi experientia ſubeſt. Quod ſi in vnum conferti prælium conſerant, ad definita ſtatim euolabunt latibula: quia degeneres eorum animi pondus prælii nequeunt ſuſtinere: ſed potius hæc quę dico cum præliari cæperitis in meis verbis actu probabitis. Nihil ergo eſt de cætero quod pauceſcere debeatis, præſertim cum Regem & totum exercitum eius hic videatis adeſſe. Ad hæc plerique ex ſuis aſtruebant, Regem ſine vexillis ſignorum nõ poſſe procedere. Ad quod ille dicebat, ideo illum bandorum ſignis abſconditis acceſſiſſe vt intellectum ſuis hoſtibus daret alium adhuc exercitum ſupereſſe cum quo ipſe poſt futurus accederet. * Sed hæc tota, dicit, illuſio, agit fraus: vt quos virtute non valet deuincere dolo conſilii humiliat ad pauorem. Nec dum Paulus hæc verba compleuerat, & ecce ſubito à noſtris bellorum concrepant tubæ, bellumque adorſi pridiani diei decertandi faciem innouant. Sed illi plus in muris quam in viribus vincendi locantes confidentiam intra vrbem per murum ſpicula iactant, & rediuiua cum noſtris iterum certamina innouant. Efferbuit itaq; ab vtraque parte incendium belli, ſed acrius à noſtris virtus patuit præliandi. Cum autem totis viribus decertarent, & hoſtem intra vrbem diuerſo genere armorum proſternerent: plerique ex iis qui erant vulnerati Gotthorum virtutem pariter ac conſtantiam admirantes, Paulum adorſi ſunt dicentes. Non illam quam dicebas, in Gotthis bellandi ſegnitiẽ cernimus: multam enim in illis audaciam & vincendi videmus conſtantiam. Hæc quæ excipimus vulnera docent, quod tam validos ictus in hoſtem proiiciunt, & ante fragor ipſe deterret, quam percuſſi vitã extinguat. Quorũ Paulus deterritus verbis multiplici deſperationis iaculo angebatur. Gotthi vero conſtantius dimicantes victoriam ſuam recraſtinari dolentes, acriori animoſitate inſurgunt, victos ſe per omnia reputantes ſi cito non vincerent. Vnde ferociori quam fuerant incenſione commoti vſq; in horam diei quintam continuis præliorum ictibus muros ciuitatis illidunt: imbres lapidum fundibularii cum ingenti fragore dimittunt, ſuppoſitoque igne portas incendunt & irrumpunt. Deinde ciuitatem glorioſe intrantes viam ſibi ferro aperiunt. At vbi feroces noſtrorum animos ſuſtinere nõ poſſunt intra arenas, quæ validiori muro antiquioris ædificii cingebantur, ſe muniendos includunt. Sed vbi noſtri hoc perſenſerunt, poſt eos fortiter inſequentes, plures eorũ antequam ſe in caſtro arenarum reciperent gladio ancipiti peremerunt. Pleriq; tamen è vulgo noſtrorum qui prædæ inhiabant gladio conciſi ſunt. Surgit & noua inter ſeditioſos ſeditio: & dum ſuſpicionem proditionis ciues ipſi vel incolæ ad ſuorum aliquos referunt, gladio vindice hos in quibus ſuſpicio vertebatur interimunt. Erat ſiquidem valida perturbatio, ita vt Paulus proprium quendam de ſuis, manibus ſuorum ante ſe iugulari proſpiciens ſuum eſſe vernulam lamentabili voce clamaret, nec ſic morituro in aliquo ſubueniret, vnde effectus exanguis & tremebundus à ſuis ipſis omnino contemnitur. Nam ſuſpectus & ipſe ab incolis cum cæteris qui de Hiſpania cum illo com-

meauerant habebatur; ne ille ad liberationem sui eorum excogitaret traditionem: Hispani vero ne irrogata incolis morte ad religiosum transiret Regem. Quid multa? fit intra vrbem miserabile spectaculum præliandi; vtrobiq; cadit perfidorum caterua, vtrobiq; prosternitur, vtrobiq; iugulatur; & qui nostrorũ gladios euadebant, armis suorum peribant. Repletur itaq; ciuitas permixto funere mortuorum cadauerib. humanorum. Miserabile etiam funus erat in domibus, & vbi domorum abdita perlustrasses, patentes mortuos reperires: per vias quoq; & plateas vrbis iacere hominum cadauera cerneres minaci quodam vultu & ferocitate immani, tãquam essent adhuc in ipsa bellorum acie positi. Erat tamen color deformis, cutis lurida, horror immanis, fætor intolerabilis. Quidam etiam de ipsis iacentibus adhuc viuis, qui exceperãt lethalia vulnera mortis, speciem mortuorum simulabant vt mortem euadere possent. Hæc & his similia Paulus fieri videns tyrannidis ferocitate deposita, magna cordis anxietate ac miseria stringebatur: cum nec hosti resistere nec suis posset in aliquo subuenire. Accessit tamen ad eum insultaturus illi vir quidam ortus ex familia sua. Quid hic ait, assistis? vbi sunt consiliarii tui qui te ad istud perduxerunt calamitatis ludibrium? quid tibi profuit contra tuos insurgere, cũ nec tibi nec tuis minime nunc valeas in tanta mortis clade prodesse? Hęc dicens insultabat illi non tam conuitiandi voto quam amaritudinis studio prouocatus: Sed cum ab illo blandis hortaretur sermonib. vt dolori eius parceret, & cõfusionem confusioni non adderet in ipsis gradib. marmoreis cõsistens, in quib. ista illi insultaturus aduenerat in oculis ipsius Pauli circumuẽtus à suis iugulatus occubuit. Paulus autem quid huic quæritis tremebundus clamabat. Meus est dicens, ne pereat: & vt reseruaretur frequenti vocum lamentatione orabat. Sed iam contemptui habitus quasi & ipse continuo moriturus audiri nõ poterat. Tunc omnimoda desperatione permotus regalia indumenta, quæ potius tyrannidis ambitione quam ordine præeunte perceperat, tabefactus deposuit. Miro occultoque Dei iudicio id agente, vt ea die perceptum tyrannidis regnum deponeret, qua religiosus princeps regnandi sceptrum à domino percepisset. Erat enim dies illa Kalend. Septemb. in qua principem nostrum constabat regale assumpsisse fastigium, in hac ergo die irruptio patuit vrbis, tyrãnus Paulus regalia deposuit indumenta, & sanguinea vltio illata est inimicis.

Tertia post hæc dies aduenerat cum Paulus post noctis suspiria vltimũ sui funus expectat: atq; cum iis cum quib. consilia suæ perditionis habuerat verbum habere cæpit: vt aut vale sibi vltimũ dicerent, aut si possent saluti suæ in aliquo consulerẽt. Tunc Argebaudus Narbonensis episcopus communi consilio ad principem mittitur: qui vitam rogaret ostensis & veniam precaretur. Qui oblatis Deo hostiis in ipsis vestimentis quib. dominici corporis & sanguinis peregerat sacramentum principẽ adiit rogaturus: & quarto fere ab vrbe milliario principi dedit occursum inæstimabili pugnatorum agmine constipato. Quem vt vidit Episcopus, de æquo prosiliit, & humo prostratus veniam precabatur. In cuius occursu princeps equum paulisper tenuit, & vt erat misericordiæ visceribus affluens, & ipse illacrymans subleuari episcopum à terra præcepit. Episcopus autem lachrymarum singultib. interclusus lamẽtabili voce dicebat: Heu peccauimus in cœlum & coram te, sacratissime princeps, non sumus digni, quib. euentus tuæ pietatis occurrat. Qui & promissam tibi maculauimus fidem, & in tãto sumus prolapsionis scelere voluti. Parcat orationi tua pietas cito, nec gladius vindex femineces reliquias nostrorum extinguat, nec plusquam cæpit mucro animas petat. Iube iam exercitum cessare à sanguine & ciuem ciuib. parcere: pauci siquidem euasimus gladiũ, sed pro paucis veniam deprecamur. Parce misericorditer nostris reliquiis, vt quia iã in cæteras nostrorũ emanauit iugulum mortis, saltem remaneant aliqui quib. miserearis. Si enim cito non peperceris, nec ipsi quidem remanebunt incolæ ad vrbis tuitionem. His auditis cõmotus religiosus princeps cum lacrymis episcopo dixit: victus precib. tuis dono tibi animas quas petisti: & non illas vltore gladio perdam, nec hodie cuiusquã sanguinem fundam: quãquam talium offensa non transeat impunita. Cui venerabilis pręsul diuitiæ insistebat, vt quorum sibi donauerat vitam, nullam in eis exerceret dãnationis iacturã. Sed princeps mox furore cõmotus inclementior redditus dixit. De cætero nobis alias conditiones non imponatis, cũ vitam vobis donasse sit satis. Tibi autem soli ex toto me pepercisse sufficiat: pro reliquis vero nihil horũ promitto. Et hæc indignans quadam animi succensione efferbuit: & concita progressione triumphũ potiturus victorię properat ad vrbem capiendam. Appropinquante aũt principe glorioso cũ incredibili exercituum multitudine, cum sol refulsisset in clypeis, gemino tamẽ ipse lumine coruscabat. Erant ibi innumera bellorũ signa terrentia, & ipsa quoq; arma radiãtia fulgorem

gorem

gorem solis solito plus augebant. Sed quid dicā? quæ ibi fuit exercitus pōpa? quis decor armorum? quæ species iuuenum? quis robur pugnatorum? quæ cōcordia animorum? singula explicare quis poterit? maxime cum manifeste diuina protectio affuerit, quod cælestibus indiciis patuit euidenter. Visus est enim Angelorum excubiis protectus noster exercitus, & ipsos angelos super castra corusca volitatione protectionis suæ signa prætendere. Sed paulisper talia sub silentio relinquentes suscepti operis ordinem prosequamur. Cumq; in vnum cōgregatum iam princeps sensisset exercitum, eminus ab vrbe fere vno stadio positus, incredibili animi accessione permotus disponit duces, ordinat plebes, diuidit acies, & quibus modis pugnā conficerent instruebat. Siquidem fama detulerat quod Franci cōueniebant ad auxilium perfidorū. Tunc electos quosq; de ducibus mittit viribus & animis præstantiores, vt Paulum cæterosque incentores seditionum à cauernis arenarum abstraherent: in quibus se mortem fugientes absconderant. Nec mora: cum iussa factis explerent, extrahitur subito Paulus cū sociis de abditis arenarum, & per murum depositus viliter contrectatur. Deinde omnis illa multitudo Gallorum atq; Francorum quæ hinc inde contra nostros pugnatura confluxerat, cum immensis thesauris capta est & detenta. Deferebatur nequissimus Paulus à duobus ducibus nostris insedentibus equis, ex vtraq; parte protensis manibus hinc inde ipsum per capillos tenentes, donec illum religioso principi præsentarent. Quo viso magnificus princeps protensis cum lacrymis in cælum manibus ait: Te Deum Regem omnium Regū, collaudo: qui humiliasti sicut vulneratū superbum: & in virtute brachii tui contriuisti aduersarios meos. Hæc & his similia fletib. interclusus princeps aiebat. Sed mox tyrannus idē erectis oculis vt faciē principis vidit, statim se humo prostrauit, sibiq; cingulū soluit & collo suo ligauit. Iam quidē exanimis, & nimio pauore turbatus, quid illi accideret nō attendēs. Spectabile quidem erat oculis, quomodo de tā sublimi licet prærepti ordinis culmine, in hac subito humiliatione Paulū reprobum deuenisse. Erat cernere magnū, quā facilis fuerat rerū ipsa mutatio: tam cito videre deiectū quem pridem viderant gloriosum: & quem præterita dies adhuc Regē tenuerat, tā præcipiti lapsu concideret in ruinam. Impleta satis est in ipso prophetia quæ dicit. Vidi impium supereleuatum & exaltatū sicut cedros Libani. Transiui & ecce non erat: quæsiui eum & non est inuentus locus eius. Quid multa? cum iam ante principis equū Paulus & cæteri huiusmodi pactionis capti iacerent gloriosus princeps dixit, Cur in tanto malo vesaniæ prorupistis, vt pro bonis mala mihi redderetis. Sed hic quid morabor? ite & estote sub custodiis deputatis, quousq; de vobis censura iudicii agitetur. Viuere. n. vobis donabo etsi non mereamini. Tunc diuisos per exercitū omnes deputatis & solicitis custodib. tradidit. Franci tamen qui capti fuerant benigne tractari iubentur. Erant. n. aliqui eorū nobilissimis parentib. geniti: qui Paulo perfido, vt à Francis ei subueniretur, erant pro obsidib. dati; sed vero ex Saxonib. erant. Post omnes in vnum munificentia regali onustos post octauam decimam diem quam capti fuerant, libere remisit ad propria; Non debere, dicens, victorem inclementem victis existere.

Primo die Kalend. Sept. contra Nemausensem vrbem à nostris inchoatū est bellum: & sequenti die ciuitatis ipsius irruptio facta est: tertia quoq; die, quæ fuit quarto Nonarū Septemb. ciuitas ipsa celebri captione deuicta est. Sed post hæc religiosi principi animus de reparatione captæ vrbis solicitus statim murorū caua reformat, incēsas portas innouat, insepultis tumulum præstat, incolis ablatā prædam restituēs & exulcerata quæq; publico ærario fouēs. Iubet tamen thesaurorū omnem quā ceperat copiam diligentiori seruare custodia: nō illectus auaritiæ quæstu, sed amore prouocatus diuino scilicet, vt res sacratæ Deo possent facilius inueniri, & cultib. diuinis restitui. Cumulauerat. n. nefandissimus Paulus peccatis peccatū, dum tyrānidi adiunxit sacrilegiū. Quia nisi sacris ecclesiis intulisset spolium, non illi esse videbatur, vnde suū floreret ærarium. Vnde factum est, vt vasa auri & argēti quamplurima de thesauris dominicis raperet; & coronam illam auream diuæ memoriæ Reccaredus Christianissimus princeps ad corpus beatissimi Felicis obtulerat, idem Paulus insano capiti suo imponeret.

Tota hæc in vnū collecta iubet princeps prout cuiq; cōpetebat ecclesiæ integræ reformari. ¶ Tertia iam post victoriā victorib. venerat dies & Paulus onustus ferro cū cæteris cōplicib. malitiæ suæ cōfidenti in throno principi exhibetur. Tunc antiquorum more, curuata spina dorsi vestigiis regalib. sua colla submittit. Deinde corā exercitib. cunctis adiudicatur cū cæteris vniuersorum iudicio, vt morte exciperet qui mortem principi præparasset. sed noluit princeps eos mortis sententia perdere, sed tantum decaluationis derisione eos præcipit onustos ferro ad præsens sustinere vindictā. Fere-

batur tunc quorundam opinio Francos & Teutonicos ad ereptionem Pauli quam totius festinare. Sed princeps non solum ob hanc causam, verum etiã ob gentis suæ præteritas iniurias vindicandas cũ Frãcis cupiebat acrius decertare, & sustinebat quotidie animo fortiori. Sed cũ nullus è Francis ad bellandũ accederet, ipse potius illis se occursurũ deuouerat, nisi fidelitatis reuocaretur cõsilio, ne pacis inter vtramq; gentẽ firmata pactio rumperetur à Gotthis. Sustinebat aũt vt dictũ est, eorum aduentum: & iã quarta dies effluxerat ex quo Paulũ ceperat: & nulla hostis præsumptio, nullus euentus, nulla prorsus hostilis conuentio mõstrabatur. Iam prçterea Franci munitissimę vrbis vltimũ sui, vt ferebatur excidium deplorabant: & ciues earum ne à nostris præuenirentur, relictis vrbibus longe lateq; incertis sedib. vagabantur, latebrosis, scilicet, vitã compendiis munientes. Nam & religiosus princeps eminus à Nemausensi vrbe in plano cum exercitu consistebat. Illic castra posuit, miraq; celeritate Nemausensem vrbem fortissimis muris & vallo instaurari fecit. Vbi cum aduentum hostium sustineret, subito percurrente nuncio audit vnum ex nobiliorib. ducib. Frãciæ nomine Lupum in Betẽrrẽsi territorio hostiliter accessisse: vnde concita velocitate egressus cum exercitu properãs celatas inimici nisus est insidias prçuenire: sed Lupus ipse iuxta villã, cui Asperiano vocabulum fertur, regressum principis audiens, ita territus fugit, vt exercitus duci & dux exercitui videretur deesse. Non. n. fugiendo vel ipse suos sustinuit, vel sui eũ vllo modo assequi potuerunt. Quippe quorũ ita pauore dissoluta fuerãt corda, vt non tã dispersis viarum aditib. quam montium præruptis elapsi: vtpote iam gladiũ suis imminere ceruicibus cernerent, de cõpendio fugæ vitã se lucrasse mõstrabant, multas prçdas hac perturbatione nostris exercitib. relinquentes tã de hominib. qui eos sequi nõ poterant, quã de iumentis siue substantijs quæ multipliciter innumerabilib. plaustris adduxerant. Et vtiq; iam lecta bellantium manus à principe destinata poterat eos belligerosis incursib. assequi, sed tam velox illorum extitit fuga & tã citato finium suorum occurrere latibula, vt quo fugerent, quo lateret atq; consisterent, nulla omnino censerentur vestigia reliquisse. Vnde cõperto princeps q; Lupus cum suis inueniri non posset, placida progressione Narboniam contendens vrbem victor ingreditur. Ibiq; quæ dirupta atq; depasta ab hostib. fuerant, iubet princeps solicite instaurare, atq; Narbonensem prouinciã regia dispositione reformat, consiliis instruit, Iudæos abiicit, clementiores rectores instituit, per quos tanti mali placaretur offensa, & constuprata tantis sordib. terra nouo cælestium institutionum baptismate depurata ad veniam admittatur. Statũ omniũ rerum mira pace cõposuit, & radices ab ea omnis rebellionis detersit: atq; fortiũ bellatorum manus ibi dimisit. Exhaustis dein princeps Galliis atq; edomitis securus directo itinere ad Hispaniam commeauit. Nullos post se Gallorum motus formidans, nullas Francorum pertimescens insidias, certo sciens neminem esse principũ vicinorum, qui secum audeat virib. decertare. Tanta. n. virtute animi atq; constantia erat fretus, vt circũpositas barbarorum gentes non solum non timeret, sed cõtemneret, vnde adhuc intra Gallias positus in loco qui Canabat nuncupatur, cuncto exercitui q; fortiter & feliciter egisset relatione gratifica satisfecit, omnesq; ab eo loco statim absoluit. Ipse quoq; Heliã veniens duorum ibi dierum moram fecit, sicq; exinde profectus in Hispaniam rediit: sedemq; sui solii sexto postquam inde commeauerat mense repetiit. Quam celebri triumpho Toletanã vrbem intrauerit de inimicis exultans explicare vel in parte necesse est, vt sicut ingentis eius gloriæ signum secula subsecuta laudabunt, ita seditiosorum ignominia non excidat à memoria futurorum. Etenim quarto fere ab vrbe Rege miliario Paulus princeps tyrannidis vel cæteri incentores seditionum eius decaluatis capitibus, abrasis barbis, pedibusq; nudatis, induti vilissimis saccis camelorũ vehiculis imponitur. Præibat à capite perfidorũ Rex ipse perditionis Paulus omni cõfusionis ignominia dignus, corona picea coronatus. Sequebatur deinde hunc Regem suũ longa deductione ordo suorum omnes, quib. relatum est vehiculis insidentes eisdemq; illusionib. acti, hinc inde astantib. & sibilantib. populis vrbem intrantibus. Nec enim ista sine dispensatione iusti iudicii Dei illis accessisse credendum est, scilicet, vt alta & sublimia confusionis eorum fastigia vehiculorum edocerentur læsione nimium proiecta. Et qui vltra humanum morem fastu mentis excelsa male petierant, excelsiores luerẽt suæ confusionis iniurias. Sint ergo hæc in secuturis reposita sęculis probis ad votũ, improbis ad exemplum, fidelibus ad gaudium, infidelibus ad tormentum; vt vtraque pars in contuitu quodam sese lectionis huius inspiciens, & quæ rectis semitis graditur, prolapsionis casus effugiat, & quæ iam cecidit, damnatam se æternis proscriptionibus recognoscat. *Huc vsque Iulianus.*

Perfido-

Perfidorum denotata transgressio ideo debet acrius percuti, quo in illicitis videtur ausibus perpetrari. Habeant ergo confusionis propriæ signum, quibus contigit sacramenti violare promissum. Reportent nomen perditionis ad posteros, quos indulgentia principalis fecit esse ingratos. Denotentur inter cuneos perfidorum, qui gentis suæ excidium parauerunt: vt reportent in progenies seculorum titulos infamiæ suæ, qui euersores facti sunt patriæ: quib. ex clementia princeps dederit viuere. Effossionem luminum non euadant, qui patriæ gloriam minuētes proditionis notam temerarie incurrerunt. Ecce prodidit sese in apertum campum infausta perfidia quę nefandorum societatem cruentis sibimet amplexibus socians ad scandalū impulit ciues, ad suorum perniciem plebem, ad euersionem patriæ gentes ad interitum principis nō solum proprias, sed externarum commouit plebium nationes: testis est horum quæ dicimus terra quæ ipsorum est exterminatione detrita. Testis etiam est cœlum sub quo nobis est attributum à Deo triumphale vexillū. Spontaneo.n.promissionis fœdere perfidus Paulus irrupto nouum sponsionis iusiurandum constituit, quo voluntaria fide promissionis discissa electum diuinitus dominum nostrum Regem Bambanem abiiceret, & maturatam illi vel patriæ perniciem exhiberet. Nam nouo ritu periurii non solum suā sed & multorum decepit animas populorum, ita vt in iis illud Prophetæ vaticinium impleretur, quo dicitur. Cadent in retia principes eorū à furore iræ Dei, & erit subsannatio eorum in omnem terram. Nec non & illud quod Isaias in talium narrat excessibus dicens: Inuenti sunt in populo meo impii insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos viros. Sicut decipula plena auib. sic domus eorum plenę dolo. Et hæc quidem necessario præmissa sufficiant. Nam cum nefandissimum Paulū serenissimus dominus noster Bamba Rex ad vendicationem Galliæ destinaret, vt diffidentes quosdam ad fidem suæ gloriæ matura dispositione colligeret, subito iniunctū sibimet negotium in contrarium mutans, non solum diffidentibus in fide persistendo non obstitit: sed ipse diffidentia sui plurimos infideles effecit. In tyrannidem.n.contra prædictum principem gentem, & patriā versus spoliauit se primo fide promissa & prauitatis textrinii sui ordiens telam, induit proditionis & periurii maculā. Deinde in gloriosum principem maledicta coniecta & multimoda detractionum atq; iniuriarū de illo conuitia protestantur. Post hæc ꝙ nefas est dici, regnum contra Dei voluntatem arripuit, & populos in hac nefaria conspiratione ciuium iurare coegit, vt contra fidem glorioso principi redditam agerent: & necem, vel deletionem principi exhiberent. Hūc præcipue ordinem in ipsa peruersarū conditionū serie seruans vt gloriosum dominū nostrū Bambanem infaustū Regem nominare auderet. Quod vtiq; nomen iuxta interpretationem sui infelicē significat esse. Qui adhuc insuper tyrannicę sortis apice prouocatus prouinciā omnem Galliæ & partē aliquā Tarraconensis prouinciæ tumultuoso sui iuris imperio subdens speciales omniū munitiones per singulas quasq; ciuitates cōstituit, defensoresq; in eis ꝓprios ordinauit. Huius rei nefariæ temeritate cōpulsi sumus arripere arma, & tot interiacentib. terris nefandorū perfidiam insectare. Vnde ad horū coniuratorū tyrannidem protinus extinguendā in Tarraconensem prouinciā, & in Gallias pugnantes accessimus, & diuina nobiscum comitante manu ad ipsas ciuitates vsq; atq; castella venientes, hos ipsos satellites defensoresq; ciuitatū & castrorum feliciter cepimus. Nā primum ad satellites repugnātes Barcinonā cum exercitu accedētes Euredū, Pompedium, Gutrifredum, Arnulfum, Diaconum & Neufredum eandē ciuitatē vindicantes cōprehendimus. Dein ad clausuras venientes castra ipsa disposito exercitu ꝑ iuga Pyrenæi mōtis intrauimus, & vendicatores eorundē castrorum cōprehendimus, Ranosindū, Hildegisum, Heliam, Carmenū, Maureconem, Vandemirū, Diagerū, Gixanem & Liubanē. Hos etiam belligerosis incursib. properantes cōprehendimus in castro caucoliberi, i. Leufredum & Gugidillū, atq; prædictorum coniuges. Castrū quoq; Libiæ ꝙ est caput Ceretaniæ, simili ordine properātes ingressi sumus quoniā Iacinthus ipse cū Arangisclo in vna cōcordantes perfidia post Pauli perfidi, vendicabant. Sed ꝗa idē Iacinthus idē castrum Libiæ vendicare nō potuit, nec ipse Deo fautore manus nostros euasit. Quorū omnium cōprehensionem, siue ingressum nostrum Gallię, cū idem Paulus perfidus per fugā Francorū, quos ad vindicādas clausuras direxerāt cōperisset, relicta & ipse ciuitate Narbona fugæ se præsidio dedit: relictis ibi etiā conseruatorib. ciuitatis ipsius, scil. Ramirū pseudoepiscopū, Victimirū, Argemundū, & Galtritionē Primiceriū. Qui etiā Ramirus viso exercitu antequā ciuitas ipsa expugnaretur petiit fugā. Sed mox in Beterrēsi territorio cōprehensus nostras nō effugit manus. Vnde cū ꝓdictos Victimirū & Argemundū Laicos siue Galtritionē, Primiceriū Narbonā vindicātes, &

contra nos acriter dimicantes cepissemus, Agatésem ciuitatem imperio gloriosi domini nostri subegimus, cõprehendentes in ea Vilesmundum Episcopũ & Arangisclum & Ranosindũ Germanum Vilesmundi episcopi. Post hæc cum diuino iudicio adiuuante ad expugnandã Magalonésem ciuitatem accederemus, cum duob. exercitibus, nauali, scilicet & terrestri, Gumildus episcopus statim eandem ciuitatẽ reliquit, & fugam petens Nemausum se cum Paulo perfido contulit. Cumq; hanc ipsam Magalonésem ciuitatem defensoresq; eius gloriosius cepissemus, statim vsq; in Nemausum post prædictum Paulum sociosq; suos pugnaturi peruenimus. Ibi se idem Paulus, non solum suorum perfidorum fretus audacia, sed etiam Francorum munitus auxilio, ad dimicãdum contulerat. Quo in loco instantissime pugnans, & in perfidiæ temeritate perdurãs, tandem diuinis iudiciis nostrisq; armis eadem ciuitate irrupta victus captusq; est Paulus. Eius & socios cõmemorare necesse est, quos & pugnantes contra nos in eadẽ ciuitate dure pertulimus, & qui tandiu eius perfidiæ instantissime adhæserunt, quãdiu cũ ipso nefandissimo caperentur, id est Gumildus episcopus, Friuscus, Frodarius, Vuitimirus, Ranemũdus, Adosindus, Adulfus, Maximus & Gotila, excepta vulgi multitudine Francorum vel Saxonum, quæ in eadem ciuitate cõprehensa est. Hic igitur sceleratissimus Paulus dum couocatis adunatisq; omnib. ibidem seniorib. cunctis & palatii Gardingis omnib. omniq; palatino officio seu etiã adstante exercitu vniuerso in conspectu Regis gloriosi nostri Domini è prædictis sociis suis iudicandus assisteret, sic prædictus princeps super præmissa coniurationis interpositione eum allocutus est dicens: Adiuro te per nomen Omnipotentis Dei, vt in hoc conuentu fratrũ nostrorum contendas mecũ iudicio: si aut te in aliquo læsi aut occasione cuiuslibet malitiæ tibi malum nutriui, per ꝙ excitatus hanc tyrãnidem sumens huius regni apicẽ suscipere attentares. Mox idem nefandissimus Paulus voce clara testatus est dicens: Per Deum quia neq; à gloria vestra sensi me esse læsum, neq; à vobis mali aliquid pertuli, sed tantum boni in me impartiri iussit clementia vestra, ꝙ percipere nullatenus merui. Ego tamẽ Diaboli instinctu prouocatus id feci. Similiter iam dicti socii sui quæsiti sunt, & omnes similiter respõderunt: vnde prolatæ sunt conditiones vbi spontanea promissione in electione gloriosi Domini nostri Bambę Regis ipse nefandissimus Paulus cum sociis suis vna pariter nobiscum consenserunt, & inuiolabiliter se illi & patrię fidem obseruaturos esse sub diuini numinis sponsione testati sunt, quas etiam sponsiones manus suæ subscriptionib. notauerũt. Quibus conditionibus perlectis, quas ipsi maligne resecuerant, ad confusionem perfidiæ ipsorum subscriptio manus eorum in ipsis conditionibus eis aspicienda ostẽditur.

Post hæc aliæ conditiones ad quas ipse perfidus Paulus populum sibi iurare fecerat, relectæ sunt. In quib. iste impietatis, & crudelitatis ordo seruatus est, vbi ipsi Paulo omnes socii sui sub isto ordine iurauerũt, vt & fideles illi essent, & vnanimes cũ eodem contra gloriosum dominum nostrum Regem Bambanem pugnarent, atq; in deiectionem eius vel periculum vsq; ad effusionẽ sanguinis dimicarent; vel contra eos qui eundem Regem defendere voluissent. Infaustum iam dictum Regẽ gloriosum Bãbanem (vt præmissum est) in ipsis conditionib. temerarie reperitur scriptum. Iis excursis atq; perlectis Canonum est prolata sententia ex Concilio Toletano qualiter debeãt puniri huiusmodi transgressores. Regnantes post hæc Domino nostro Bãbane CCLXX. nauẽs Sarracenorum Hispaniæ littus aggressæ occurrentib. eius exercitib. omnes ibi deletæ sunt & ignib. concrematæ. Hic gloriosus Rex ad confirmationem catholicæ veritatis Synoda Toleto agere ordinauit sæpius, vt in canonica sententia clarissime declaratur.

Et quia præpediente malignitatis auctore, qui ad bonorum discordiã semper tendit, tempore bonæ memoriæ Chindasuindi Regis, ex Græcia venit vir quidã nomine Ardebastus Græcorum genere nobilis; qui ab Imperatore suo expulsus in Hispaniã est aduectus, quem Chindasuindus Rex magnifice suscepit, & ei in coniugio cõsobrinam suam dedit. Ex quo coniugio natus est filius nomine Eruigius, qui cum esset in palatio Regis nutritus & honore Comitis sublimatus, elatus superbia callide aduersus Regem Bambanem excogitauit, & potionem lethiferam dedit ei, ex qua Rex officium memoriæ perdidit. Cumq; episcopus ciuitatis suæ, & optimates palatii qui erãt fideles Regi & eis potionis causa latebat, vidissent Regem iacentẽ absq; memoria, causa pietatis commoti pœnitentiam volentes illi perficere, vnctionem sancti olei & communionẽ Christi corporis obtulerunt. Sed factum est vt Rex à potione liberatus cũ persensisset quod illi extremæ vnctionis episcopus peregerit sacramentum, ad monasteriũ perrexit, ibiq; quandiu vixit, in religione permansit. Regnum feliciter rexit annis decem, & in monasterio vixit annis duodecim. Morte propria decessit.

Era

Era DCCXIIII. dictus Eruigius regnum obtinuit, quod cauſa quia erat conſanguineus Chindaſuindi tyrãnide ſumpſit. Hic ſynoda multa cum epiſcopis apud Toletum egit, leges quæ à prædeceſſoribus ſuis editæ fuerant ex parte corrupit, & ex parte correxit, & ab Iſidoro Hiſpalenſi epiſcopo Hiſpaniarum primate traditas ex nomine ſuo annotare præcepit, vel antiquas vocauit, ne nomine eccleſiæ forum iudiciale agi videretur. & Romani Pontificis aſſenſu ſtatuit, vt nullus archiepiſcopus Hiſpaniarũ ſubderetur alicui primati niſi Romano. Tamen pius & modeſtus erga ſubditos fuit, & filiã ſuam nomine †Caſilonem magno viro Egicæ conſobrino Bambæ in coniugem dedit. Cixilonam Regnauit annis octo, finiuit Toleti.

Era DCCXXI. Egica gener Eruigii regnum accepit. Sapiens quidem & patiens fuit, ſynoda generalia egit, gentes multas intra Hiſpanias rebellantes perdomuit. Cum Francis ter bellum geſſit: ſed nullum triumphum habuit, nec quidem victus fuit. Cum autem confirmatus eſſet in regno, auunculus eius Rex Bamba ei præcepit, vt coniugem dimitteret, eo quod pater eius Eruigius eum callide expuliſſet à regno. Ille quidem iuſſa compleuit, ſed filium nomine Vuitizam habuit ex ea quem idem Rex participem in regno fecit, & in ciuitate Tudenſi habitare pręcepit, vt ipſe pater teneret regnum Gotthorum & filius Sueuorum. Hic Vuitiza Faſilam ducem filium Chindaſuindi Regis, quẽ Egica Rex illuc cũ filio direxerat, vxore Vuitizę inſtigãte in capite claua percuſſit: vnde idẽ Faſila poſtea ad mortẽ venit, & in villa quæ eſt iuxta flumen Vrbicum quam duodecim manus appellant, & alii nunc Palatiũ vocant, ſepultus fuit. Rex vero Egica regnauit ſolus annis duodecim & poſtea cum filio annis quinque. Toleti vitam finiuit.

Era DCCXXXIII. Vuitiza regnum patris eo viuente obtinuit. Iſte quidem probroſus & flagitioſus fuit, & multa nefanda & horribilia flagitia per Hiſpanias ſeminauit, & ad voluptates carnis ſoluto impudicitiæ freno ſe fornicationibus multis contulit, & gentem Gotthorum ad laſciuiam luxuriam & ſuperbiam inclinauit. Namque poſtpoſita omni religione diuina ſpretiſque animarum medicamentis, cupiditas alienas res inuadendi, rapiendi & luxuriandi exercitus Gotthorum inuaſit. Sed epiſcopi & eccleſiæ miniſter aſpernabantur eccleſiaſtica officia: pro nihilo habebant ſynodalia, clauſis foribus eccleſiarum, deſpiciebantur eccleſiaſtica ſacramenta. Deſpiciuntur ſancti patris Iſidori inſtituta, deiiciuntur concilia, ſacri canones diſſoluuntur, & quidquid honeſtatis eſt extirpatur. Et ne aduerſus eum inſurgeret ſancta eccleſia, epiſcopis presbyteris, diaconibus, & cæteris eccleſiæ Chriſti miniſtris carnales vxores laſciuus Rex habere præcepit, & ne obedirent Romano Pontifici ſub mortis interminatione prohibuit. Iſtud quidem cauſa pereundi Hiſpaniæ fuit ſicut ſcriptum eſt, abundabit iniquitas, & refrigeſcet charitas multorum. Habuit præterea nefandus Vuitiza ſimiliter plures vxores & concubinas, atque ſuis ducibus vt ſimiliter agerent imperauit. Tota Gotthorum nobilitas in cõuiuiis, libidinibus & vitiis verſa, dominum ad iracundiam prouocauit, ita vt in illis impleretur quod dicitur. Impius cum venerit in profundum malorum contemnit, quod quia Reges & ſacerdotes dominum dereliquerunt, cuncta agmina Hiſpaniarum derelicta à domino perierunt. Itaq; Vuitiza datus eſt in reprobum ſenſum & muros cunctarum vrbium ſui regni ſubuertit, ne poſſent ſibi reſiſtere ciues, & vt eos ad ſua ſcelera facilius inclinaret. Muri tamen Toletanæ vrbis & Legionenſis & Aſtoricenſis integri remanſerunt propter earundem reuerentiam ciuitatum. Succenſus & malitiæ zelo Theudefredum Cordubenſem ducẽ dolo cepit priuatumq; vtroq; frontis lumine miſerabiliter palpitare fecit. Fuit enim Theudefredus ex Gotthorum regali ſtirpe progenitus, ſcilicet, filius Chindaſuindi Regis, quem pater in ætate reliquerat puerili. Cumq; ad ætatem veniſſet virilem, videns eũ Egica Rex elegantem, & recogitans ne cum Gotthis ſurgeret contra ipſum, expulit eum à regno: qui veniens Cordubam ſortitus eſt vxorem ex regali genere nomine Ricilonem: & ex ea natus eſt ei filius nomine Rodericus, qui cum ad ætatem perfectã veniſſet vir bellator extitit, & Cordubæ palatium fortiſſimum fecit. Ne igitur Theudefredus Vuitizę poſſet reſiſtere eum, vt dictũ eſt, orbauit oculis. Præterea Pelagiũ filiũ ſupra dicti ducis Faſilæ Vuitiza capere voluit, vt ſimiliter ipſum orbaret, ſed Pelagius fugit, quia voluit dominus Hiſpaniæ ſubuenire per ipſum. Exulato etiã Iuliano Toletano epiſcopo intruſit filiũ ſuũ Oppam vt eſſet Archiepiſcopus Hiſpalenſis ſimul & Toletanus contra ſacrorũ canonum inſtituta. Addidit & Vuitiza iniquitatem ſuper iniquitatẽ, & Iudæos ad Hiſpanias euocauit, atq; fractis eccleſiarũ priuilegiis Iudæis immunitatum priuilegia dedit. Deus aũt tantum facinus, tantamq; malitiam abhorrẽs hominum ruinam & ſubuerſionẽ Hiſpaniarum populis intulit. Regnauit Vuitiza annis quindecim & morte propria Toleti deceſſit.

Era DCCXLVIII. Rodericus filius Theudefredi conſilio magnatorum Gotthicæ gentis in regnum ſucceſſit vt belliger & durus & ad omne negotium expeditus, ſed vita & moribus Vuitizæ non diſſimilis. Hic anno regni ſui tertio iniuriam patris vlciſci feſtinans duos filios Vuitizæ Farmarium & Expulionem ab Hiſpaniis cum ſummo dedecore expulit. Qui ad Tingitanam prouinciam transfretantes Iuliano Comiti ipſius patrię adhæſerunt, quem Vuitiza Rex intra ſuos ſcutarios familiarem habuerat cariſſimum. Qui condolens expulſioni eorum & dedecori conſilium iniit cum eis quatenus Sarracenos euocarent, & cum eis illatas ſibi iniurias vindicarent. Ad hoc facinus peragendum incitabat Iulianum, quod Rodericus Rex filiam ipſius non per vxorem, ſed eo quod ſibi pulchra videbatur, vtebatur pro concubina, quam pro vxore à patre acceperat. Erat hic Iulianus vir ſagax & aſtutus, & callide incitauit Francos vt expugnarent Hiſpaniam citeriorem. Finxit etiam ſe eſſe amicum Regis Roderici, & callide conſuluit vt equos & arma ad Gallias mitteret & ad Africam: quia in interiori Hiſpania ipſe regnabat ſecurus, & non erat neceſſe vt haberent arma in patria quibus ſe mutuo interficerent. Tale tunc ad hoc Rodericus Rex dedit edictum, vt vbicumque arma inuenirentur vel equi fortiſſimi violenter dominis auferrentur, & in Africam vel in Gallias mitterentur. Fauebat huic proditioni Oppa primas Hiſpalenſis & Archiepiſcopus Toletanus, quem pater eius Vuitiza duabus regalibus præfecerat ciuitatibus, vt per eum poſſet catholicæ fidei ſtatum euertere. Igitur era ſeptingenteſima quinquageſima ſecunda Vlit fortiſſimus Rex barbarorum totius Africæ ducatu, Iuliani & filiorum Vuitizæ fretus auxilio, vt cognouit quod arma & equi non eſſent in Hiſpania & ciuitates eſſent abſque muris Tharich Strabonem vnum ex ducib. exercitus ſuis cum vigintiquinque millibus fortium pugnatorum ad Hiſpaniam præmiſit, vt cognita Iuliani dubia fide bellum cum Hiſpaniæ Rege inciperet. Terrebant namque barbarum Regem laquei doloſi Tingitani Comitis ſi forte adeſſent, quippe qui ipſum habuerat ſemper infeſtum & fortem viribus & conſilio ſapientem expertus didicerat. Ceperunt nunc Sarraceni Hiſpalim & circuniacentes vrbes, quia eas abſque murorum ambitu inuenerunt inermes. Rex autem Rodericus dum vidiſſet dolos Iuliani Comitis Tingitani & barbaros ſenſit adeſſe; collecto Gotthorum exercitu armatus vt potuit acer & fortis primo ſubiit pugnam, adeo vt per ſeptem continuos dies infatigabiliter dimicans ſexdecim millia & Tharich exercitu interficeret. Iulianus vero & duo filii Vuitizæ, qui erant in præſidio Maurorũ, poſtquam Regem Rodericum in prima acie certare cernunt, Chriſtianos milites pro mortuis Sarracenis & ſauciis commutando barbaros viribus roborabant.

Sed poſtquam Iuliani fides per totam Africam declaratur, Muza exercitus Africani Regis princeps cum infinita multitudine equitum peditumque ad Hiſpaniam dirigitur. Deinde renouato bello turmas vnas poſt alias ad prælium barbarus augere cæpit. Porro Rex Rodericus more ſolito prælio intentus cæpit acrius inſtare, ac propenſius in hoſtes ferire. Tandem vero inſtantibus barbaris Hiſpani milites cæperunt deficere atque per longitudinem belli fatigati, quiſq; hoſti locum dare. Terribiliter Gotthi qui erant ex parte Comitis Iuliani irruebant ſuper Hiſpanos & ad præliandum barbaros animabant. Rodericus autem vbi ſe à ſuis vidit deſtitui, per aliquot dies terga præbens paulatim pugnando vt credimus occubuit, ſed non ſcimus certum interitum eius. Regnauit annis ſeptem menſibus ſex. Rudis tamen poſtea in ciuitate Viſeo inuenta eſt lapidea ſepultura, in qua epitaphium eſt ſuperſcriptum, ſcilicet, hic requieſcit Rodericus Rex Gotthorum. Receſſerat manus domini ab Hiſpania ob inueteratam Regum malitiam ne in tempore huius ruinæ eam protegeret. Omnes deinceps Gotthorum milites fuſi fatigatiq; fere vſque ad internicionem gladio & inedia perierunt. Non ſolum modo inſecutionibus barbarorum, verum etiam Francorum armis ex parte Galliarum conſumpti ſunt.

Poſt hæc Mauri viribus Gotthicis non obſtantibus totam Hiſpaniam fere atque prouinciam Burdigalam & Pictauiam ferro, flamma, fame attritas ſuo dominio mancipatunt. Legionenſem vero ciuitatem quondam caput regni Sueuorum fame ſibi ſubiugauerunt, multis Gallecorum in defenſione ipſius vrbis viriliter obſiſtentibus hoſtili gladio trucidatis. Vrbs quoque Toletana multarum gẽtium victrix Iſmaelitis triumphis victa ſuccubuit per proditionem Iudæorum, quia fortior & rebellior fuerat. Nam dum Chriſtiani in die ramis palmarum ad eccleſiam ſanctæ Leocadiæ extra vrbem regiam ob reuerentiam tantæ ſolemnitatis ad audiendum verbum Domini cõueniſſent, Iudæi qui proditionis ſignum dederant Sarracenis, Chriſtianis claudentes portas Sar-

racenis

racenis aperuerunt. Ideo fidelis Toletanus populus inermis inuentus extra vrbem gladio deletus eſt. Poſt hæc Sarraceni præfectos per omnes prouincias Hiſpaniæ poſuerunt, & plurib. annis Babylonico Soldano perſoluerunt tributa quouſque ſibi Regem nomine Luzam elegerunt, & Cordubam vrbem patriam regnumque ſibi firmauerunt. Hiſpaniam ſiquidem abſque murorum ambitu reperientes & ſine Deo vero Domino Ieſu Chriſto quem reliquerunt Gotthi concubinali luxuriæ & ſacrilegio ſe tradentes in paucis annis vaſtauerunt, & victricem gentem proſtrauerunt, quā præterita ſecula valde pertimuerunt. Tamen reſidui Gotthi in arduis montium Pyrenæorum, Aſturiarum & Galleciæ ſe recludentes qualitercumq; euaſerunt, Sarracenis quęque plana & meliora gladio vindice obtinentibus, & in eccleſiis quibus laudabatur nomen Chriſti Mahometi nomen prophanum voce publica † proclamantes. Euerterunt præterea ciuitatum antiquarum mœnia: diruerunt quædam quæ Rex Rodericus innouauerat caſtra. Deſtruxerunt monaſteria, ſacræ legis libros ignis incendio tradiderunt, & multa perpetrarunt enormia, quia gens glorioſa Gotthorum ignominioſe præcepta domini dereliquit. *proclamantibus.*

LIBER QVARTVS.



POST tantam igitur Hiſpaniarum ruinam operæpretium eſt referre qualiter diuina pietas ſuos quos percutit ſanat. Etenim ex rediuiua radice virgultum Gotthorum gentis cœpit reſumptis virib. pullulare dum Sanctorum Patrum quærerent regulas quibus poſſent placere Deo, quas ſacerdotes & Reges Hiſpaniæ ſequentes ſuæ carnis deſideria reliquerunt, & ideo perierunt. Eodem tempore in ciuitate Aſturiēſi nomine Gegione præfectus erat Muza conſors Tharich, quia iam Sarraceni ardua montium occupabant. Ipſo Muza præfecturam agente Pelagius filius ſuprafacti ducis Fafilæ Spatarius Regis Roderici dominatione Iſmaelitarum oppreſſus cum propria ſorore Aſturias eſt ingreſſus. Muza vero videns ſororem illius pulchram accēſus libidine dolore quaſi legationis cauſa Pelagium Cordubam miſit, & eo abſente ſororem ipſius vi ſibi ſociauit. Sed Pelagius vt erat vir fortis & catholicus poſtquam rediit, nullatenus conſenſit in illicito matrimonio. Sed cum omni animoſitate, quod iam diu cogitauerat, de ſaluatione eccleſiæ Chriſti agere feſtinauit. Erat rumor per totam illam regionem quod vellet debellare Iſmaelitas cum Chriſtianis qui remanſerant per mōtana. Quod cum nunciatum fuiſſet nefandiſſimo Tarich commotus ira centum milites direxit ad præfectum Muza, qui Pelagiū comprehenderent & Cordubam ferro vinctum perducerent. Qui dum ad Aſturias perueniſſent, volentes eum fraudulenter comprehendere in vico cui nomen eſt Brete, per quendam amicum manifeſtatum eſt Pelagio conſilium Chaldæorum. Sed quia Sarracenis non poterat ad præſens reſiſtere curſu rapidiſſimo ad ripā fluminis Pioniæ venit & ad aliam ripam natando ſe tranſtulit & montem aſcendit. Eſt enim vallis cui nomen eſt Cangas. Super quam mons magnus ille Aſſeua videtur eminere; ad cuius radices montis rupis quędam diuino artificio opere munita in immenſum tendens claudit ſpeculam ab omni hoſtium machinamento ſecuram ex qua egreditur flumen Enna. Cum enim medio ſtans concaua ferme mille viros capiat ad protegendum quos recipit, nullo fere obſtaculo indiget. Ad quā Pelagius Regis Roderici Spatarius qui fugiēs oppreſſionem Maurorū in locis vagabatur incertis, dū peruenit, diuino fretus oraculo cum quibuſdā Gotthorū militib. ad expugnādos barbaros à domino corroboratus eſt.

Omnes Aſtures in vnū collecti Pelagium ſuper ſe principē erexerunt. Cęterum de robore loci & facto Pelagii vbi rumor egreditur barbarorū aures promulgādo apertius; Cordubam reuerſi milites Sarraceni Regi ſuo omnia referunt, ſcilicet, Pelagium de quo Muza ſuggeſtionē fecerat, manifeſtū eſſe rebellē. Quod Rex Tharich, vt audiuit, cōmotus væſania immenſum Iſmaelitarū exercitum vndiq; cōglomerat, atq; Alcamanem ſocium ſuum ducem ſuper eum conſtituens, Oppam quoq; Toletanū epiſcopum Vuitizani Regis filium, qui iam ſe barbaris dederat, ob cuius fraudem Gotthi perierūt, ad capiendum Pelagium cum eis direxit: quia Chriſtianorum primas & epiſcopus fuerat, & fortaſſis poſſet eum decipere. Alcaman ab imperāte præceptum acceperat, quod ſi Pelagius monitis Toletani epiſcopi obſecundare nollet, fortitudine prælii captus Cordubam vinctus catenis perduceretur.

Venientes itaque Alcamam & Oppa cum octuaginta millibus equitum & peditum fundibalorumque, Aſturias ingreſſi ſunt. Sed poſtquam ad beatam ſpeluncam ventum fuerat, & circuncirca denſa barbarorum fingerentur tentoria. Primo quaſi Chriſtianorum infortunio condolendo Oppa verbis quaſi pacificis in dolo Pelagium tentare aggreditur, quatenus poſtpoſita recuperandæ patriæ cura ſe omnemq; voluntatem ſuam ſicuti Deus permittit fieri in Chaldæorum traderet poteſtatem. Addit etiam magnis eum honoribus ſublimari ſi monitis eius præbere aſſenſum non differat. At Pelagius à bono propoſito animum reuocare abhorrens præ nimio dolore motus in ira fertur talia reſpondiſſe. Tu inquit, & fratres tui cum Iuliano Sathanæ miniſtro regnum Gotthicæ gentis ſubuertiſtis, & Chriſti eccleſiam deieciſtis, & propter ſcelera patris tui Vuitizæ, qui peccare coegit glorioſam gentem Gotthorũ, reliquit dominus eccleſiam ſuam; & quia Deo facile eſt ſaluare ſiue in paucis ſiue in multis, nos de miſericordia Domini confidentes conuertimur ad Dominum Deum noſtrum, vt fidem Catholicam conſeruemus quam vos ſpreuiſtis & pater veſter. Eſt enim eccleſia Dei ſicut Luna, quæ aliquando valde diminuta & iterum reuertitur ad plenitudinem primam. Ecce in iſta coua hodie incluſa eſt maxima pars militiæ Gotthorum, ſed egredietur ex illa dante domino ſemen quo genus Gotthicum & eccleſia Chriſti in tota Hiſpania reſtauretur, quod quia aduocatum habemus apud Deum Patrem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum totam ſpem noſtram ponentes in eo hanc multitudinem paganorum, quibus ducatum prębes, deſpicimus. Confidimus enim per interceſſionem glorioſæ Virginis Mariæ genitricis eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti ſaluari, & ipſa adiuuante, quæ mater miſericordiarum eſt, gentem Gotthorum de paucis quæ ſunt in iſta ſpelunca reſtaurari, ſicut ex paucis granis infinitæ ſegetes germinantur. Quibus dictis Pelagius, & qui cum eo erant tanto hoſte perterriti incluſerunt in ſpelunca beatæ Mariæ ſuffragia expetentes, cuius ibidem memoria veneratur, & pro recuperatione Chriſtianorum orationibus inſiſtebant.

Videns autem Oppa confidentiam quam Pelagius in domino poſuerat, conuerſus ad Iſmaelitas dixit: Properate ad ſpeluncam, & pugnate fortiter, quia vt ex verbis eius comperi niſi per gladium pacem cum eo habere non poſſumus. Alcamam illico fundibalis, ſagittariis, & vibrantibus iacula portam ſpeluncæ ferire præcepit. Tunc cerneres ſaxa intermiſſis iaculis ſicut denſiſſimas pluuias euolare contra beatam ſpeluncam, ſed in hoc turbine iaculorum & lapidum qualiter diuina manus quæ percutit & ſanat, pro Chriſtianis pugnauerit, ex eo poteſt aduerti, quod lapides & iacula à Sarracenis emiſſa contra eos retorquebantur, & maximam Sarracenorum multitudinem proſtrauerunt. Barbari autem vbi non ſolum ad peragendum negocium quod volebant ſe nihil proficere, ſed maximam ſuorum partem vident proſtratam armis ſuis, confuſi turbatique retrocedendo ſpeluncam oppugnare deſtiterunt. At Pelagius Dei gratia & fortitudine roboratus dum tantam multitudinem hoſtium proſtratam aſpicere, reliquos qui ſupererant Sarracenos egreſſus de ſpelunca cum ſuis ſtricto enſe inuadit. Ibique ſtatim Oppa captus eſt, & Alcamam cum viginti millibus Sarracenorum interfectus. Sed neq; ſexaginta millia quæ remanſerant domini vindictam euadere potuerunt. Siquidem dum per verticem montis Aſſeuæ fugam arriperent, atque per concaua petrarum, & deuia loca ad Leuanam venire vellent, quoddam ſupercilium montis dum graderentur ſecus flumen deuia à fundamento corrues in eodem flumine, diuino nutu oppreſſit eos. Vnde cum idem flumen inundatione aquarum proprium alueum excedit, multa ex eis ſigna armorum & oſſium euidenter oſtendit. Vere Deus impleuit tunc cum ſeruis ſuis illud quod Apoſtolus dicit, Fidelis, inquit, Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione, & prouentum vt poſſitis ſuſtinere. Tam glorioſe egit dominus tunc cum populo Chriſtiano, vt nec in populo Iſraelitico cum Deus cum paucis de multis dedit ſępius triumphare, talis victoria inueniatur.

Eo tempore erat in Gegione Aſturiarum maritima ciuitate præfectus quidã Maurus nomine Muza, qui cum Tharich, vt ſuperius dictũ eſt, Roderico Regi Gotthorum bellum indixerat. Hic poſtquam tantam barbarorum ſtragem audiuit timore perterritus relicta ciuitate Gegione fugam petiit. Sed ab Aſturibus interceptus in quodam vico, qui dicitur Olalies, cum ſuis interfectus eſt. Maurorum autem Rex, vbi ſe vidit fruſtratum ſpe ſua & quos ad expugnandum Pelagium miſit, didicit interfectos, Iulianum Comitem, & duos filios Vuitizæ, huius rei doloſe conſcios autumans fecit eorundem capita amputari. Cæterum Gotthorum gens velut à ſomno ſurgens cæpit

patrum

patrum ordinem paulatim requirere, & consuetudines antiquorum iurium obseruare, in bello sequi signa, in regno legitimum seruare imperium, in pace fundare ecclesias, & studio deuotissimo exornare. Primo & principaliter Deum qui eis paucissimis de multitudine hostium dederat triumphare, collaudabant toto mentis affectu. Conueniebant ad eos omnes Gotthi qui dispersi erant per Gallias, & per cæteras regiones & Chaldæos in manu validâ expugnabant. Eo tempore Adefonsus catholicus Petri Cantabriensis ducis filius, qui fortiter rebellionem parauerat Sarracenis, Hermesendã Pelagii Regis filiam accepit in coniugem. Vixit quoq; Pelagius in regno annis decem & octo & morte propria in Cangas vitam finiuit.

Era DCCLXXIIII. Fafila filius Regis Pelagii in regnum successit. Basilicam in honore sanctæ crucis opere miro construxit. Quadam occasione leuitatis à quodam vrso interfectus est, quia voluit cum eo propriis viribus decertare. Regnauit annis duobus.

Era DCCLXXVI. Adefonsus catholicus ab vniuerso populo Gotthorum in Regem eligitur. Fuerat namque Petrus ex Reccaredi serenissimi Gotthorum principis progenie ortus, qui debitum carnis exsoluens duos filios supradictum Adefonsum, scilicet, & Froylam reliquit. Sed Adefonsus cum quo Pelagii filia nupserat vix mortuo Fafila in Regem constituitur. Exercitum cum Froyla contra Tarracenos sæpius mouens quam plurimas à barbaris ciuitates oppressas bellando cæpit, id est, Lucum, Tudam, Portugalem, Anegiam, Braccaram, Viseum, Flauias, Letesmam, Salmãticam, Numantiam, quæ nunc est Zamora, Abelam, Astoricam, Legionem, Septimancas, Saldaniam, Amaiam, Secobiam, Oxomam, Septempuluicã, Arganzam, Cluniam, Maue, Aucam, Mirandam, Reuendecam, Carbonariam, Aluegiam, Cinisariam, & Alsanoo. Cepit etiam castra cum terminis suis, id est, Primorias, Trasmieram, Suportam, Carnizã, Barduliam, quæ nunc est Castella, & maritima Galleciæ, Alauam, Bizcayam, Aiconem, Orduniam, Pampiloniam & Beroziam. Omnes quoque Arabes gladio interficiens Christianos qui detinebantur captiui secum ad patriam duxit. Eo quoque tempore populauit Asturias & Leuanam & totam Castellam, Alauam & Bizcayam, & Pampilonam. Alias autem ciuitates vastauit, quia illas non potuit populare. Humilis Rex fuit, & hominibus amabilis extitit, ecclesias nefando Mahometis nomine remoto in nomine Christi consecrare fecit. Episcopos vnicuique ciuitatum quas potuit capere & retinere præposuit secundum traditionem sacrorum canonum, atque ecclesias auro, argento, lapidibus pretiosis ac sacræ legis libris studuit decorare. Habuit filios ex Hermesenda filia Pelagii Regis idem, Froylanum Vimaranũ, qui fuit pater Veremundi Regis diaconi & Adosindam. Mauregatum, post hæc habuit filium, qui fuit natus de ancilla quadam de Caso pulchra nimis post mortem Hermesendæ Reginæ. Post multa vero quæ supra feliciter successerunt obiit, & voces in eius obitu auditæ fuerũt in aere laudantium Deum & dicentium. Ecce quomodo tollitur iustus & nemo considerat; ablatus est à facie iniquitatis, & erit in pace memoria eius. Regnauit annis decem & nouem, & sepultus est vna cum vxore sua Hermesenda in territorio Cangas in ecclesia sanctæ Mariæ.

Era DCCLXXXXV. filius eius Froylanus regnauit pro eo. Iste episcopatum in Ouetum transtulit à Lucensi ciuitate, quæ in Asturiis à Vandalis ædificata fuerat. Perquisiuit etiam diligenter sacros ecclesiæ Christi canones, & prohibuit ne ministri ecclesię carnalia matrimonia vlterius sortirentur: sed in suis ordinibus secundum quod institutum est à sanctis patribus absque fœminarum manifesto coniugio ministrarent. Pro qua re quamquam in quibusdam aliis austerus fuit, quia magnum Deo exhibuit famulatum, & diuina virtus de inimicis multoties dedit triumphum. Siquidem Cordubensis barbarus Rex cum fines prouinciæ Galleciæ deuastaret, & cum manu militum armatorum obuius processit, consertoq; prælio quinquaginta millia Sarracenorum interfecit. Nec non & ducem eorum nomine Haumarinum capiens cum captiuis multis aliis trucidauit, superauit & Galleciæ populum aduersus suum imperium rebellantem. Domuit quoque Nauarros sibi rebellantes, ex quibus scilicet ex regali stémate nomine Moniam duxit vxorem ex qua genuit filium nomine Adefonsum. Fratrem suum Nimaranem ob zelum regni innocuum interfecit. Veremundum filium eius sibi adoptauit, & ipse à suis ob vindictam fratris in Cangas interfectus est. Erat enim Vimaranus valde pulcher & miles strenuus, qui propter bonitatem suam ab omnibus amabatur. Regnauit annis duodecim, & sepultus est Oueti vna cum vxore sua Munina, quam duxerat è Vasconia.

Era DCCCVII. Aurelius patruus eius ſucceſſit in regnum. Cuius tempore ſeruilis origo contra proprios dominos tyrannidem ſumpſit. Sed Regis induſtria ſuperati ſeruituti priſtinæ ſunt redditi. Prælia cum Chaldæis nunquam geſſit, ſed pacem cum eis firmauit, & quaſdam Chriſtianas nobiles mulieres Sarracenis permiſit in coniugio copulari. Suo tempore Silo de genere Regum Adoſindam Froylæ Regis ſororem coniugem accepit: per quam poſtea regnum obtinuit. Aurelius autẽ anno regni ſui ſexto vitam finiuit & ſepultus eſt in Cangas.

Era DCCCXIII. Silus regnum adeptus eſt, & cum Iſmaelitis pacem firmauit. Galleciam rebellantem in monte Ciperio ſuperauit. Dum iſte regnaret, Adefonſus Regis Froylæ filius cauſa dilectionis Adoſindæ Reginæ vices Regis ſupplebat in regno, quia Silus carebat filiis ex coniuge. Hic anno regni ſui octauo vitam finiuit, & ſepultus eſt vna cum vxore ſua Adoſinda in eccleſia ſancti Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ, quam ipſe conſtruxit.

Era DCCCXXI. Adefonſus in ſolio patrio in Regem conſtituitur. Mauregatus autem patruus eius ex ancilla natus cum exercitu Sarracenorum venit, & eum de regno expulit. Adefonſus vero fugiens Alauam petiit, ad propinquoſque matris ſuæ Muninæ ſe contulit. Et quia Mauregatus erat affabilis & benignus regnũ quod inuaſit quinque annis vendicauit. Multas nobiles puellas & etiam ignobiles ex conditione Sarracenis matrimonio dedit cum eis habens pacem. Poſt hæc mortuus eſt & ſepultus in Prauia.

Era DCCCXXVI. Veremundus Diaconus filius Nimarani in Regem eligitur. Qui Veremundus vir magnanimus fuit duobus annis regnauit & regnum ſponte dimiſit reminiſcens ordinem Diaconi ſupra ſe olim impoſitum, & Adefonſum quem Mauregatus à regno expulerat ſcilicet, ſucceſſorem in regno conſtituit, & cum eo aliis quatuor annis & menſibus ſex cariſſime vixit & in pace vitam finiuit & ſepultus eſt vna cum vxore ſua Nunilo Regina Oueti relictis ex ea filiis paruulis Ramiro & Garſia.

Era DCCCXXVIII. Adefonſus caſtus & pius filius Froylani Regis regnum ſuſcepit, multis virtutibus emicuit, ſolium ſuum pulchro & forti opere Oueto firmauit, templum Saluatoris noſtri ibidem fabricauit aulamque ſanctæ Mariæ iuxta ipſum templum ædificauit. Baſilicam quoque ſancti Tyrſi pulchro ædificio fieri fecit, omneſque has domini domos cum arcubus lapideis atque columnis marmoreis auro argentoque ornauit. Palatium regale Oueto fecit, quod picturis variis decorauit, omnem Gotthorum ordinem ſicuti Toleto fuerat tam in eccleſia quam in palatio Oueto fieri ordinauit. Cum eſſet omnino caſtus & pius & catholicus arcam quam Pelagius Rex à Toleto detulerat in Aſturias diuerſorum ſanctorum reliquiis plenam Ouetum detulit. Ædificauit & altare meridianum in vltima parte eccleſiæ ſancti Saluatoris, vnde aſcẽſio fit per gradus ad honorem ſancti Michaelis Archangeli: vbi trãſtulit glorioſiſſimam arcam cum multis aliis ſanctorum reliquiis propter loci tuitionem & ſecuritatem. Hoc factum credens eſſe ad firmitatem ſui regni & ſalutem totius populi Chriſtiani. Concurrunt ad pia ſanctorum ſuffragia ex multis partibus fideles vota cum deuotione ferentes, & auctoritate apoſtolica tertiæ partis ſuæ pœnitentiæ indulgentiam conſequentes. Quæ nimirum arca gentili terrore comminante tempore Mahometi pſeudoprophetæ ab Hieroſolymis nauigio Hiſpalim eſt delata. Deinde per annos nonaginta quinque Toleti permanſit. Rurſus cum à Mauris Toletum opprimeretur arcam Dei Pelagius rapuit, & per abdita loca ad Aſturias duxit, quam Rex Adefonſus vt dictum eſt in eccleſia Ouetenſi honorifice cum multis aliorum ſanctorum reliquiis collocauit.

Iulianus quoque quondam Archiepiſcopus Toletanus qui à nefario Vuitiza Rege ab Archiepiſcopali dignitate fuit expulſus, cum prædicta arca venit, & Oueto quieſcit. Decoratur etiam dicta Ouetenſis eccleſia angelici miraculi nouitate. Dum ei quadam die Rex Adefonſus haberet caſu coram ſe pondus auri ſplendidiſſimum & quoſdam lapides pretioſos, cogitare cœpit intra ſe, quomodo ad opus dominici altaris inde crux fieri poſſet. In eadem ſancta deuotione Rege exiſtente cum poſt auditam Miſſam à templo noſtri Saluatoris regale palatium peteret, obuios habuit duos angelos in figura peregrinorum, qui ſe aurifices eſſe dixerunt.

Rex

Rex autem Adefonſus illico tradidit eis aurum,& lapides, & iuſſit illis dare domum in qua poſſent ſine impedimento hominum operari. Sed Rex dum pranderet ad ſe reuerſus quibus perſonis dederit aurum inquirit,&ſtatim vnum poſt alium legatum miſit,vt viderent quod ignoti aurifices agerent. Iam miniſtri domini fabricæ accedebãt, cum ſubito tanta lux intra domum reſplenduit, vt non poſſent eam oculi humani aſpicere præ nimia claritate. Quod cum nunciatum Regi fuiſſet cito occurrit ad domum, & crucem ſolam ſine aurificibus reperit, quæ totam domum ſicut ſol irradiabat. Rex autem accipiens benedictam crucem conuocato omni clero cum laudibus & hymnis Deo gratias agens eandem ſimiliter in altari ſancti Saluatoris reuerenter poſuit. ad augmentum etiam ſuę felicitatis à reuerendo patre Leone tertio Romano antiſtite impetrarunt,vt Ouetenſis eccleſia Archiepiſcopali dignitate dictaretur. Anno regni ſui tertio exercitus Chaldæorum Aſturias ingreſſus eſt,qui in loco qui dicitur,Lutos ab eiuſdem piiſſimi Regis militibus præuenti † nonaginta millia cũ duce ſuo nomine Muzay ex eis proſtrata ſunt. *viginti* Multa prælia cum Sarracenis habuit dum vixit:& ſemper victor extitit. Erat Regi ſoror nomine Xemena; quam Sanctius Comes iam adamauit & ex ea filium genuit nomine Bernaldum. Rex autem Adefonſus,vt factum comperit nimium iratus Comitem Sanctium in caſtro de luna ſub iuramento perpetuo incarcerauit,& ſororem ſuam in ordine monaſtico truſit. Fecit tamẽ Bernaldum delicate nutriri,quia eo quod non habebat filium illum tenerrime diligebat. Hic Bernaldus poſtquam ad adoleſcentiam venit tanto viguit robore, vt nullus miles tunc temporis poſſet ei viribus adæquari. Erat quidem ſtatura magnus,vultu decorus,ſuauis eloquio,ingenio clarus,armis ſtrenuus,& conſilio prouidus. Per idem tempus Magnus Carolus Rex Franciæ & Imperator Romanus venerando ſenio decoratus, funeſta truncatione Iſmaeliticum populum trucidauit,&Burgundiam, Pictauiam,&Galliam vſq; ad montes Pyrenæos expulſis Sarracenis reſtituit cultui Chriſtiano. Vnde tranſiectis etiam Roſcidæ vallis montibus ſubdidit imperio ſuo Gotthos,& Hiſpanos, qui erant in Catalonia & in montibus Vaſconiæ,& in Nauarra.Tunc Carolus ſcripſit Regi Adefonſo vt ſibi eſſet ſubditus & vaſallus.Bernaldus autem hæc audiens ira commotus feſtinauit cum ſuis contra Carolum ferre auxilium Sarracenis. Carolus vero obſedit Tutelam, quam breui cepiſſet, niſi proditione cuiuſdam Galalonis ſui palatii Comitis Tutela dimiſſa Naiaram petiiſſet. Qui poſtquam cepit Naiaram & montem Iardinum , & in Franciam redire diſponeret. Marſil Rex barbarorum, qui præerat Cæſarauguſtæ ciuitati, euocatis innumerabilibus millibus Sarracenorum,& prædicto Bernaldo atque quibuſdam Nauarris ſecum aſſociatis, & cum Francis inito bello Rodlandus Britannicus præfectus, Anſelmus Comes,Egiardus menſæ Caroli præpoſitus cum aliis multis nobilibus Francis exigentibus peccatis noſtrorum occiſi ſunt.Tranſierat iam quidem Carolus in primo ſuorum agmine Alpes Roſcidæuallis dimiſſa in poſteriore parte exercitus manu robuſtorum ob cuſtodiam, qui Bernaldo (poſtpoſito Dei timore) ſuper eos cum Sarracenis acerrime incurſante interfecti ſunt. Sed iterum Chriſtianiſſimus Carolus exercitu reparato hoc factum triumphali victoria viriliter vindicauit ex Sarracenorum nobilibus innumerabilem extinguens multitudinem. Limina etiam beati Iacobi cum per deuia Alauæ veniens Chriſtianiſſimus Carolus gratia viſitaret orandi, ſaniori eius conſilio Rex Adefonſus Iriam ciuitatem deſtruxit, & ſancti Iacobi Apoſtoli eccleſiam quam ipſe conſtruxerat reuerendi patris Leonis tertii Romani pontificis aſſenſu Metropolitano ſublimauit honore, atque vt ſecundum ſancti patris Iſidori viuerent tam Iacobitani quam omnis Hiſpaniæ clerus ſtatuit, vt hoc eſſet Hiſpaniæ ſubleuatio cuius neglectus extiterat ei cauſa deiectionis. Carolus autem reuertens in Hiſpaniam ſecum eum honore magno Bernaldum detulit, & vitæ termino feliciter conſummato ad Aquiſgranũ in domino obdormiuit: vbi condigno quieſcit honore. Bernaldus vero inter Romanos & Germanos atque Gallos ſe glorioſe geſſit,& ſub imperatoribus ſcilicet Lodoico & Lotario contra hoſtes Imperii Romani fortiter dimicauit.

Anno regni Regis Adefonſi quadrageſimo ſeptimo cum fama ſuæ bonitatis apud Chriſtianos & barbaros vbique terrarum diuulgaretur,venit ad eum quidã Mauritenſis nomine Machometh, qui aduerſus Abderramam Regem Maurorum maximum arma ſumpſit, & eius deprædatus eſt prouincias, & exercitum ſæpe proſtrauit. Cumque in patria habitare nequiret, Regem Adefonſum precibus petiit promittens ſe illi ſeruare fidem. quem Rex Adefonſus benigne ſuſcipiens cum omni exercitu ſuo eum in finibus Galleciæ habitare iuſſit. Poſt annos autem duos Machumeth ſuperbia

eleuatus contra Regem conſpirare præſumpſit, atque aggregatis Maurorum copiis validiſſimis cœpit totam Galleciam hoſtiliter deuaſtare. Huius rei accepto nuncio Rex Adefonſus grauiter commotus collecto exercitu Galleciam intrat. Tamen barbarus quamuis in ſuorum numeroſitate confideret impetum exercitus Regis formidans in quodam caſtro cui nomen eſt ſancta Chriſtina ſe cum ſuis recepit. Sed Rex eum à tergo perurgens circundedit militibus caſtrum. Milites autem ſtatim muros irrumpentes primo impetu ipſum Machumeth confodiunt, caputque eius abciſſum ad Regis præſentiam deferunt. In cæteros etiam conſurgentes quinquaginta millia barbarorum trucidarunt. Rex autem cum magno captiuorum pecuniarumque numero Ouetum reuerſus eſt. Duxerat vxorem nomine Bertam ſororem Caroli Regis Francorum: quam quia nunquam vidit & abſtinuit à luxuria Rex caſtus vocatus eſt. Quinquaginta duobus annis regnauit feliciter, quamuis vndecim annis antequam ſolus regnare cœpit tempore Regum ſcilicet Sili & Mauregati & Veremundi Rex vocaretur. Sed antequam moreretur Ramirum filium Veremundi Regis diaconi ſibi regni ſucceſſorem elegit: & in ſenectute bona mortuus eſt & Oueti in eccleſia ſanctæ Mariæ feliciter tumulatus.

Era DCCCLXXX Ramirus regnare cœpit. Eo tempore abſens erat à propria ſede, quia in Barduliam, quæ nunc Caſtella dicitur, perrexerat ad accipiendam vxorem, & cum Rex Adefonſus deceſſiſſet Nepotianus quidam palatii Comes tyrannidem ſumpſit. Quod factum Ramirus vt comperit venit Galleciam, & apud ciuitatem Lucenſem exercitum congregauit. Deinde animoſus Aſturias ingreſſus iuxta Narceam fluuium armatorum equitum peditumque Nepotiani multitudinem aggreditur bello. In ipſo autem primo congreſſu Nepotianus deſtitutus à ſuis in fugam conuerſus eſt. Quem duo comites Scipio ſcilicet & Somna inſequentes apud Pianoniam ceperunt & oculis orbauerunt. Rex autē Ramirus fecit eum in ordine monaſtico dum vixit miſericorditer ſuſtentari. Iuſtus & ſtrenuus fuit Rex Ramirus in regno. Qui cum regnare cœpiſſet miſerunt ad eū Sarraceni quod daret illis annuatim quinquaginta puellas nobiles quas ſibi matrimonio copularent, & quinquaginta de plebe quæ ad ſolatiū eſſent illis, ſicut olim fecerat Rex Mauregatus. Rex autem Ramirus cum hæc audiſſet iratus eſt valde propter ſtuprum & ſacrilegium puellarum, & congregato exercitu magno terram Maurorum hoſtiliter intrauit; & cuncta quæ in agreſtibus villis & in agris reperit vſque Naiaram ferro & flamma vaſtauit. Sarraceni vero in multitudine valida congregati ei bellum intulerunt in loco qui vocatur Aluella. Exercitus autem Regis Ramiri paulatim cœpit terga præbere vſuque dum peruenerunt in collem qui Catuildum vocatur. Clauſit nox obſcuriſſima diem: & in vna mola omnes Chriſtiani congregati ſunt totam noctem in lachrymis & in orationibus peragentes. Rex autem Ramirus aliquantulum dormire cœpit, & apparens ei beatus Iacobus Apoſtolus ait illi: Dominus noſter Ieſus Chriſtus alias prouincias aliis fratribus noſtris Apoſtolis diſtribuens totam Hiſpaniam meæ tutelæ deputauit, atque mea muniuit protectione. Poſt hæc Apoſtolus manu ſua manum Regis aſtringens dixit illi. Confortare & eſto robuſtus. Ego enim ſum Iacobus Apoſtolus Chriſti & venio in auxilium tibi, & ſuperabis mane auxilio Dei Sarracenorum à quibus obſeſſus es hanc innumerabilem multitudinem. Multi tamen ex tuis quibus iam parata eſt æterna requies, ſunt in iſto prælio coronam martyrii ſuſcepturi. Et ne dubites ſuper hoc: videbitis me in equo albo deferentem maximum album vexillum. Summo igitur mane facta peccatorum veſtrorum confeſſione & accepta corporis & ſanguinis domini communione, armata manu non dubitetis inuadere caſtra barbarorum nomen domini inuocantes & meum. Pro certo enim noueris eos in ore gladii ruituros. Quibus dictis Apoſtolus diſceſſit. Rex autem Ramirus ad ſe reuerſus vocatis epiſcopis, abbatibus & magiſtratibus, eis retulit viſionem. Qui gratias agentes Deo fecerunt vt ſibi fuerat præceptum, & bellum barbaris intulerunt. Beatus autem Iacobus apparuit ſicut promiſerat Chriſtianos animando ad pugnam , & Sarracenos fortiter feriendo. Chriſtiani autem vt viderunt beatum Iacobum in domino roborati cœperunt magnis vocibus, concidendo gladiis Sarracenos clamare dicentes: Adiuua nos Deus & beate Iacobe. Tunc victi Sarraceni fugerunt & ceciderunt ex illis fere ſeptuaginta millia. Tunc cepit Rex Calagurram & quædam alia caſtra & reuerſus eſt cum gloria magna.

Rex autem Ramirus cum epiſcopis & abbatibus ſtatuerunt tunc annuatim perpetuo dare tam in terra acquiſita, quam adquirenda, quam Deus ſub nomine beati Iacobi dignaretur de Sarracenorum manibus liberare, de vnoquoque iugo boum ſingulas menſuras ad modum primitiarum, & de vino ſimiliter clericis in eccleſia beati Iacobi Apoſtoli Deo ſeruientibus. Conceſſerunt etiam ſimiliter in perpetuum quod Chriſtiani milites in ſingulis expeditionibus de eo quod à Sarracenis adquiſierint, ad menſuram portionis vnius militis beato Iacobo conferre. Præſentes erant duo Archiepiſcopi & quatuor epiſcopi cum hæc dona beato Iacobo Apoſtolo vouerentur, ſcilicet Dulcidius Cantabrienſis Archiepiſcopus Suarius Ouetenſis, Oueto Aſtoricenſis epiſcopus, Rodericus Lucenſis epiſcopus, & Petrus Irienſis epiſcopus. Præſentes quoque erant Ordonius filius Regis Ramiri & Garſias frater Regis, qui ambo Reges dicebantur. Siquidem Rex Ramirus tantæ benignitatis erat, vt fratrem tanquam ſe ipſum diligeret, & participem faceret regni. Non appoſuerunt vltra Sarraceni à Chriſtianis tributum petere puellarum, quia Rex Ramirus barbaros in manu valida expugnabat auxilio glorioſiſſimi Apoſtoli roboratus. Inclyta quoque Regina Vrraca vxor eius quam glorioſe erga eccleſiam beati Iacobi Apoſtoli ſe habuerit, ex hoc poteſt aduerti quod eam multis donis, auro, argento, gemmis & cortinis ſericis decorauit. Ouetenſem quoque eccleſiam ſancti Saluatoris multis inſigniis nobiliter ditauit: quia catholica per omnia fuit. Rex autem Ramirus blandus & clemens erat, bonis ſcilicet tractatibus & ſeuerus videbatur iniquis. Latrones eorum oculos euellendo abſtulit, magicis artibus per ignem finem impoſuit. Eius tempore Normãnorum claſſes per ſeptentrionale mare ad littus Legionis ciuitatis aduenerunt. Gens hæc crudeliſſima & in partibus noſtris antea non viſa. Quod Rex vt comperit aduerſus eos cum exercitu ſuo venit; & multitudinem eorum vicit, & ſeptuaginta naues illorum combuſſit, atque multis ditatus diuitiis ad propria incolumis reuerſus eſt. Duo etiam proceres magnatorum ſuorum aduerſus eum conſpirauerunt. Sed tanta illorum detecta væſania vni eorum nomine Aluito Rex oculos euellere præcepit. Alterum vero nomine Primolum Legali ſententia pro traditione condemnatum capitalem ſententiam cum ſeptem filiis ſuis ſubire iuſſit. Conſtruxit etiam ſanctæ Mariæ eccleſiam duobus ab Oueto milliariis remotam ex marmore opere forniceo decoratam. Ad titulum etiam Archangeli Michaelis in latere Maurantii montis nobilem & pulchram eccleſiam fabricauit. Fecit quoque ſpatio ſexaginta paſſuum ab eccleſia palatium opere miro inferius ſuperiuſque cumulatum, quod in eccleſiam poſtea verſum beata Dei genitrix virgo Maria inibi adoratur. Cæterum Ramirus Rex anno regni ſui ſexto expleto ex hoc ſeculo migrauit, & Oueti tumulatus quieſcit.

Era DCCCLXXXVI. Ordonius in regnum patris Ramiri ſucceſſit. Qui magnæ patientiæ atque modeſtiæ fuit, & in omnibus negotiis regni valde diſcretus, vxorem duxit nomine Mumadonam ex qua hos ſuſceptos filios habuit, Adefonſum, Veremundum, Nunnium, Odarium, Froylanum. Ciuitates deſertas ex quibus Adefonſus maior Chaldæos eiecerat, iſte populauit & muris muniuit, id eſt, Legionem, Aſtoricam, Tudam, Margiam, Patriciam, multaque alia caſtra. In primo anno regni ſui cum aduerſus Vaſcones rebellantes exercitum moueret, atque illorum patriam ſuo iuri ſubiugaſſet, illo ad propriam remeante nuncius aduenit, dicens: Ecce ex aduerſo exercitus Arabum adeſt. Illico Rex ferrum & acies ad illos vertit, & ſine mora eorum turbam fugauit & membratim gladio detruncauit. Eo tempore quidam Muza natione Getulus ſed ritu Machometiano cum tota gente ſibi ſubdita decepta contra Cordubenſem Regem bellauit: eiſque multas ciuitates partim gladio partim fraude inuaſit. Prius quidem Cæſarauguſtam, dein Toloſam, & Oſcam, poſtremum vero Toletum: & ibi filium ſuum nomine Lupum poſuit præfectum. Poſtea in Francos & Gallos arma conuertit: & multas ibi ſtrages & prædas fecit & nobiles Francorum quoſdam deuicit, inter quos duos Caroli Regis magnos duces vnum nomine Sanctionem & alium Oculionem fraude cepit, & eos vinctos in carcerem miſit.

Carolus vero magnus Franciæ Rex, quia multis negotiis aliis pro eccleſiæ liberatione erat præpeditus, nec ſine diſcrimine magno illis annis poterat obuiare, muneribus cæpit eum blandiri vt eius amicitiam obtineret. Igitur ob tantæ victoriæ proſperos euentus Muza tertium ſe Hiſpanorum Regem à ſuis appellari præcepit. Poſt-

hæc ex Chaldæis duos magnos tyrannos vnum nomine Hienchaza, alterum nomine Alporũ cum filio ſuo Azeth partim Muza partim filius eius Lupus præliando ceperũt. Quibus omnibus ei proſpere ſuccedentibus ſe contra Regem Ordonium in manu valida erexit. Ad cuius væſaniam comprimendam Rex Ordonius exercitum mouit: & ad ciuitatem quam ille nouiter opere miro conſtruxerat, & Albeidam vocauerat, cum exercitu venit, & munitione circumdedit. Quo nuncio Muza commotus adunatis Maurorum validiſſimis copiis ſine dilatione ad pugnam ſe præparauit, & in monte cui nomen eſt Ladurzo tentoria fixit. Rex vero Ordonius exercitum ſuum in duas partes diuiſit. Vnam partem, ſcilicet, quæ ciuitatem obſideret, & aliam quæ contra Muzam dimicaret. Initoque certamine tanta barbari cæde proſtrati ſunt, vt exceptis innumerabilibus fere militibus Chaldæorum, quorum ſanguis effuſus eſt, decẽ millia magnatorum pariter cum genere eiuſdem Muzæ nomine Garſia interempta ſint. Ipſe vero Muza ter gladio confoſſus equino curſu manus Chriſtianorum ſemiuiuus euaſit. Sed ad ciuitatem Ordonius Rex animoſus exercitum applicans poſt ſeptem dies bellando cepit eam, & vſque ad fundamenta deſtruxit. Omnes quoque bellatores barbaros gladio extinxit, & puerorum & matrum eorum magnam turbam in captiuitatem redegit, in quo bello Muza omnem fere armorum & equorum fortitudinem, ſimulque ſpolia ex diuerſis victoriis congeſta, nec non & inſignia & munera infinita quæ Carolus ei direxerat, perdidit, & nunquam poſtea effectum victoriæ habuit. Lupus vero filius eiuſdem Muzæ qui Toleto conſul præerat, dum cognouit quod pater eius taliter fuerat ſuperatus, Ordonio Regi cum omnibus ſuis ſe ſubiecit: & dum vixit ſubditus illi fuit. Poſtea vero cum eo aduerſus Chaldæos prælia multa geſſit. Multas etiam alias ciuitates Rex Ordonius præliando cepit. Idem ciuitatem Caurienſem cum Rege ſuo nomine Zeit; aliam cepit ciuitatem nomine Talamancam cũ Rege ſuo nomine Mozem & vxore ſua, & bellatores eorum omnes interfecit. Reliquum vero vulgus cum vxoribus & filiis ſub corona vendidit. Piratæ etiam Normannorum his temporibus ad noſtra littora peruenerunt, qui fugati armis Regis Ordonii per Hiſpaniam perrexerunt, omnemque maritimam gladio igneque diſſipauerunt. Exinde mari tranſuecti Nachor ciuitatem Mauritaniæ inuaſerunt, ibique multitudinem Chaldæorum gladio interfecerunt. Deinde inſulas, ſcilicet, Maioricam, Fermenteram, & Minoricam aggreſſi gladio eas depopulauerunt. Inde Græciam aduecti poſt triennium in patriam ſunt reuerſi. Ordonius autem Rex decimo ſexto anno regni ſui expleto morbo podagrico correptus Oueti eſt defunctus, & in baſilica ſanctę Mariæ tumulatus; felicia tempora duxit in regno, & nunc ſicut credimus feliciter regnat cum Chriſto.

Era DCCCCII. Adefonſus qui obeunte patre caſu à palatio aberat, poſtquam accepit nuncium quod pater eius Ordonius erat mortuus ſumma feſtinatione Ouetũ venit, & de conſenſu & fauore omnium magnatorum anno ætatis ſuæ quatuordecimo in Regem vnctus eſt: & commiſſam regni adminiſtrationem ſtrenue diſponere inchoauit. Filius autem perditionis Froyla Veremundi ex partib. Galleciæ cum magno exercitu venit ad inquirendum regnum non debitum ſibi. Rex vero Adefonſus cum eſſet ſecurus cum paucis, & inopinatum illius audiret aduentum, vt exercitum cõgregaret ſeceſſit in partibus Alauenſium. Sed nefandus Froyla dum ſe incaute gereret interfectus eſt à Senatu Ouetenſi. Quod Rex Adefonſus vt audiuit Ouetum rediit & honorifice ab Aſturibus & Gallecis ſuſceptus eſt. Exinde Legionem venit, & Sublaciam & Ceam populauit. Dum eſſet in Legione nuncius ex Alaua venit qui diceret Alauenſes ei rebellare. Rex vero cum exercitu illuc ire diſpoſuit, ſed ipſi terrore aduentus eius concuſſi iura debita cognoſcentes ſupplices colla ſubmiſerunt Regi eius ſe imperio ſubiugantes. Cepit Rex Eylonem Comitem eorum qui parauerãt rebellare, & ferro vinctum ſecum duxit Ouetum. At multo poſt vniuerſam Galleciam ſecum aſſociauit ad debellandos Sarracenos; & cepit Atentiam & multas clades ferro, flamma & fame intulit Sarracenis. Cæterum vt ab infantia Deum timere cæperat, omnes patris theſauros eccleſiis & pauperibus ſtuduit erogare, atque inter cætera regni negotia quæ ab eo legitime ac ſtrenue geſta ſunt, Maurorum infinitam multitudinem ex Toletano regno eius imperium deuaſtantem felici pugna deuicit: & quadringentos quadraginta ex eis primo impetu proſtrauit. Inſequutus etiam fugientium terga tanta cæde in eis debacchatus eſt, vt de innumerabili eorum multitudine euaderent perpauci. Habebat ſecum famoſiſſimum militem Bernaldum, qui in iſtis præliis tanquam Leo fortiſſimus ſe gerebat. Peracta hac victoria in ripa fluminis Dorii, cum

magna

magna gloria Rex Adefonſus reuerſus eſt Legionem. Prædictus autem Bernaldus in territorio Salmanticenſi caſtrum Carpium populauit. Et quia Rex Adefonſus patrem eius tenebat Comitem Sancium captum in caſtello quod dicitur Luna, quem olim Rex Caſtus ceperat Adefonſus, Bernaldus Regi rebellare cæpit. Quod videntes Sarraceni ciuitatem Legionenſem atque Aſtoricenſem, & circumiacentia ferro & flamma deuaſtare nitebantur. Rex autem Adefonſus promittens Bernaldo ſe patrem eius à vinculis ſoluere, pacem cum eo fecit; & adunatis fortiſſimorum militum copiis obuiam exire illis præparauit. Sarraceni vero præ multitudine armatorum nihil metuentes ſe in duas turmas diuiſerunt, & maior eorum pars Poluorariam venit. Glorioſiſſimus vero Rex à latere Siluæ progreſſus, irruit ſuper eos in prædicto loco Poluorariæ iuxta fluuium Vrbicum vbi barbarorum duodecim millia corruerunt. Alia quidem pars Sarracenorum Bernaldo eos inſequente Valdemora venit fugiendo. Sed Rex Adefonſus properans ad bellum, omnes ibidem Sarraceni Chriſtianorum gladiis ſunt interfecti. Nullus inde euaſit præter decem inuolutos ſanguine inter cadauera mortuorum. Rex autem cum multis ſpoliis & victoria in campos Gotthorum ſe recepit. Poſt hæc magnus exercitus Iſmaelitarum Zemoram obſedit. Quod Rex audiens eandem cum paucis ingreſſus eſt ciuitatem. Sed cum exercitu Chriſtianorum properante Bernaldo diuina clementia deleuit eos vſque ad internicionem; & Alchamam, qui eorum propheta videbatur ibidem mortuus eſt. Sarraceni autem ad Regem Adefonſum legatos miſerunt pro pace. Duxit vero Rex vxorem ex Francorum regali genere nomine Amulinam, quæ poſtea ſe fecit vocare Xemenam magni Regis Caroli conſobrinam: ex qua quatuor filios ſuſcepit & tres filias. Nomina filiorum ſunt hæc Garſeanus, Froylanus, Ordonius & Gundiſaluus qui fuit Archidiaconus eccleſiæ Ouetenſis.

Eo tempore Carolus tertius Imperator Romanorum cum exercitu magno debellaturus tam Chriſtianos quam Sarracenos ad Hiſpaniam properabat. Sed Bernaldo cum exercitu Chriſtianorum & cum Muza Rege Cæſarauguſtano illi ad clauſuras Pyrenæorum montium obuiam hoſtiliter procedente dum exercitus Caroli inordinate ſe gereret, mox in fugam verſus eſt, & multi tam ex Romanis quam ex Gallis in illo excidio, Chriſtianorum & Sarracenorum gladiis perierunt. Carolus poſtea cum Rege Adefonſo amicitiam fecit, cuius conſilio inſtituta beati Iſidori & ſanctorum patrum Rex Adefonſus in regno ſuo firmauit. Orationis etiam gratia eccleſias ſancti Saluatoris & ſancti Iacobi Carolus viſitauit: & à glorioſo Papa Ioanne obtinuit, vt vtraque eccleſia Metropolitano priuilegio frueretur, & pacifice in Franciam reuerſus eſt ſecũ deferens ſuos qui in prædicto prælio fuerant capti Rege Adefonſo hoc & alia multa dona illi largiſſime cõferente. Quibus peractis Bernaldus cum infinita multitudine ſpoliorum in patriam ſe recepit. Aduertendum eſt diligenter tres fuiſſe Carolos Imperatores Romanos. Primus fuit Carolus magnus tẽpore Adefonſi Regis Caſti ſub glorioſo Papa Leone. Secundus fuit Carolus ſub reuerendo Papa Ioanne. cui tertius iſte ſucceſſit, qui Carolus Martellus dictus eſt. Vnde ſæpius in hiſtoriis ambiguitas oritur, & vnius factum alteri attribuitur. ¶ Poſt hæc Agareni vrbem Legionenſem oppugnare venerunt cum duobus ducibus Imundar & Alcatenetel. Bernaldo cũ eis armis fortiter feriente barbarorum multa millia perierunt, & cæteri fugerunt relictis duob. ducibus ſuis, qui ferro vincti ſub cuſtodia ſunt traditi. His diebus frater Regis nomine Froylanus tractans de Regis morte captus ab eo oculis orbatus eſt cum aliis quatuor, id eſt, Nunno, Froyla, Veremundo & Odario, qui Regem interficere ſatagebant. Ipſe autem Veremundus orbatus oculis occulte exiit ex Oueto, & Aſtoricam veniens per ſeptem annos tyrannidem geſſit, ſecum habens Arabes cum quib. exercitum Graliare direxit. Rex autem Adefonſus hæc audiens obuiam illis proceſſit, & eos vſq; ad internicionem deleuit. Cæcus vero ad Sarracenos fugit. Tunc edomuit Rex Aſtoricam & Ventoſam, Conimbriam quoq; ab inimicis obſeſſam defendit, & ſuo dominio ſubiugauit. Ceſſerunt etiã armis illius plurimæ Hiſpaniæ vrbes, quæ detinebantur à Sarracenis. Eius tẽpore eccleſia ampliata eſt. Vrbes namq; id eſt, Portugalenſis, Veſenſis, Aucenſis tunc populantur ab eo, & ſecundum canonicam ſententiam epiſcopi ordinãtur & vſq; ad Tagum flumen populãdo regnũ perducitur. Sub cuius imperio dux quidam Hiſpaniæ & proconſul nomine Abohalit bello comprehenſus Regis obtutib. eſt præſentatus. Qui ſe pretio redimens centum millia ſolidorum pro redemptione ſua dedit. Vrbes deſertas ab antiquitus Rex populari fecit videlicet Septimãcas & Donnas & omnes villas in campis Gotthorum. Taurum dedit filio ſuo Garſeano ad populandum.

Eo tempore Rex congregato exercitu Toletum perrexit, & à Toletanis Mauris accepit pecuniam infinitam. Exinde reuerſus cepit Caſtellum quod dicitur Quintralubel, & partem Sarracenorum gladio detruncauit, partemque ſecum captiuam adduxit. Atque Carrionem veniens ſeruum ſuum Adamum a filiis ſuis trucidari iuſſit, eo quod cogitauerat in mortem Regis. Fecit etiam Rex Adefonſus ſuper corpus beati Iacobi eccleſiam opere miro: quam magnis honoribus ſcilicet auro, argento, ſericiſque cortinis & indumentis & lapidibus precioſis ditauit, quæ poſtea à barbaris deſtructa eſt. Ad defenſionem etiam eccleſiæ Ouetenſis caſtrum Gauzon forti opere in maritimis Aſturiarum partibus fabricauit. Timebat enim ne nauigio locum ſanctum hoſtes attingerent. Ædificauit quoque in ipſo caſtello ad honorem ſancti Saluatoris eccleſiam pulchris marmoribus decoratam, quam à tribus epiſcopis ſeruando Iacobenſi, Nauſto Conimbrienſi, & Reccaredo Lucenſi fecit honorifice conſecrari. Inter cætera ornamenta quæ contulit eccleſiæ Ouetenſi, eximiam crucem & auro puro precioſiſque gemmis contulit venerabili loco. Super atletas quoque Christi Facundum ſcilicet & Primitiuum ſumma cum deuotione Ceæ eccleſiam conſtruxit; hanc etiam Mauri eo tempore quo Iacobenſem hoſtiliter deſtruxerunt. In ciuitate etiam Zamoræ, quam ipſe fecerat populari, ad honorem ſancti Saluatoris pulchram conſtruxit eccleſiam, quam etiam glorioſe dotauit. Eo tempore mortuus eſt Bernaldus fortiſſimus miles.

Poſt mortem autem Bernaldi Regina Xemena quæ Regina de Galliis dicitur, cæpit callide cogitare qualiter poſſet virum ſuum Regem Adefonſum à regno expellere & filium ſuum Garſeanum pro eo ſubſtituere. Fabricauit caſtra in confinio Legionis ſcilicet Albam, Gordonem, Arbolium, Lunam & tradidit ea filio ſuo Garſeano occulte ſuggerens, vt tyrannizaret contra patrem. Hæc fuit mulier inhumana, & in regno poſuit malas conſuetudines, & ſeruiles conditiones. Rex autem Adefonſus vt intellexit filium ſuum Garſeanum parare rebellionem, veniens Zemoram comprehendit eum & ferro vinctum ad Gauzonem direxit. Socer autem Regis Munio de conſilio Reginæ Xemenæ cæpit contra Regem Adefonſum fortiter rebellare. Cui adhærentes omnes filii Regis inter ſe coniuratione facta patrem ſuum vi compulerunt Garſeano filio ſuo regni facere ceſſionem. Tunc Rex Adefonſus Boytes villulam vocatis regni ducibus ſe à regno depoſuit & filium ſuum Garſeanum pro ſe conſtituit Regem: atque orationis cauſa ad ſanctum Iacobum perrexit, & inde reuerſus petiuit à filio ſuo Garſeano dum eſſet in Aſtorica, vt daret ſibi vel ſemel ſubſidium ad Arabes perſequendos. Quod Garſeanus concedens multo exercitu congregato fines Sarracenorum inuaſit, & poſt multas ſtrages quas fecit Zemoram reuerſus ibidem proprio morbo poſt receptionem corporis & ſanguinis domini feliciter migrauit, & Aſtoricæ ſepultus fuit; ſed poſtea cum vxore ſua Regina Xemena translatus Ouetum in aula ſanctæ Dei genitricis quieſcit. Regnauit annis quadraginta ſeptem.

Era DCCCCXLVIIII. Garſeanus filius Regis Adefonſi in regnum patris ſucceſſit. Primo anno regni ſui maximum exercitum congregauit, & ad perſequendum Arabes properauit. Dedit illi Dominus victoriam, & multas munitiones euertit, multaſque ſtrages fecit, & ferro ac flamma vniuerſa Sarracenorum deuaſtauit ad quæ potuit deuenire. Inſuper Regem Sarracenorum nomine Ayolas cepit. Cumque reuerteretur cum præda magna in loco qui dicitur Altremulo incuria cuſtodum Ayolas fugit. Tribus annis Rex Garſeanus regnauit, & morbo proprio Zemoræ deceſſit, & Oueti cum aliis Regibus ſepultus eſt.

Era DCCCCLII. Garſia defuncto Ordonius frater eius regni ſceptra ſuſcepit. Quē profecto Ordonium inſignem militē Adefonſus magnus pater & Rex glorioſus dum viueret prouinciæ Gallecię præfecerat. Ipſe namque iuuenili flore paterna fortia facta ſequutus proſtratis totius Hiſpaniæ ſæpe publico bello robuſtiſſimis barbaris omnes eorundem ciuitates ſibi tributarias fecit. Erat enim in omni bello prouidus atque prudentiſſimus, in ciuilibus iuſtus & miſericordioſiſſimus, in pauperum & miſerorum neceſſitatibus compaſſionis viſceribus affluens, atque in vniuerſa gubernandi regnum honeſtate præclarus. Siquidem dum pater eius adhuc viueret, & ipſe dominaretur Gallecis collecto exercitu prouinciam Beticam petiit. Deinde vaſtatis circumquaque agris & villis incenſis primo impetu † Vegel ciuitatem quæ inter omnes barbarorum occidentales vrbes opulentior & fortior videbatur, pugnando cepit. Omneſque bellatores Chaldæos gladio delens cum maximo captiuorum & ſpoliorum apparatu

† Regel

apparatu ad Visensem vrbem victor reuersus est. Defuncto vero patre & fratre Garsia ei succedente Ordonius belliger rursus exercitum mouens in Elboram ciuitatem Toletani regni, quæ nunc Talauera vocatur, profectus est. Ad quam vbi accessit positis super eam in gyro castris consedit. Cui neque robur murorum neque pugnatorum valida manus profuit, quin victoriæ Ordonii fortissimi milites subiaceret. Nempe in breui facta irruptione non solum ciuitatem cepit, imo vniuersos qui ad pugnam processerant, cum duce suo interfecit, direptisque oppidanorum spoliis cum magna captiuorum turba ad propria reuersus est. Cæterum Rex Garsias postquam vltimam præsentis vitæ clausit horam, ad Ordonium Christi belligerum successio regni diuino nutu peruenit. Omnes siquidem Hispaniæ magnates, Episcopi, Comites & Barones facto conuentu solenniter generali, eum acclamando sibi Regem constituunt, impositoque illi diademate à duodecim pontificibus in solium regni Legione regia ciuitate perunctus est.

Anno igitur regni eius quarto ab expugnatione Maurorum quiescere non sustinēs aggregatis exercitibus vltra Emeritensem vrbem hostiliter profectus est. Sed cum totam prouinciam Lusitaniam horrifero impetu deuastasset, castrum Colubri cepit, qui nunc à Chaldæis Alhanza nominatur. Interfectisque quos inibi reperit barbaris eorum mulieres & paruulos cum immenso auri & argenti sericorumque ornamentorum pondere in patriam captiuauit. Cui omnes Emeritenses cum Rege de Badalyoz obuiam exeuntes, humiliter pacem petentes, multa illi munera obtulerunt. Ipse vero victor & præda onustus reuersus est in Campestrem Gotthorum prouinciam. At vero vbi venit Legionem pro tantis victoriis immensas Deo grates deferens, eius genetrici beatissimæ Mariæ virgini ex proprio palatio ecclesiam fieri fecit, cathedramque episcopalem in ea statuit, quæ prius extra murum ciuitatis perparua diœcesi in honore sancti Apostolorum principis Petri habebatur. Hanc ergo pontificalem sedem in veneratione beatæ Mariæ nouiter sancitam ampliori diœcesi magnisque honoribus regali auctoritate locupletauit. Erat tunc deserta ciuitas Legionis propter impetus barbarorum, quam Rex Ordonius eo tempore populauit. Post hæc Rex Ordonius labori cedere nescius, ne quasi per otium tempus pugnæ perdere videretur, arrepto iterum commeatu ad remanentes transacti belli Elboræ ciuitatis deuastandas accedens reliquias, omnia eiusdem vrbis suburbia igne combusta deprędatus est, Almirantem quoque Cordubensem pro defensione suorum armatum, sibi bellum inferentem, capiens ferro vinctum Legionem perduxit. Vnde conturbati totius Mauritaniæ barbari lugubri præconio vociferantes necessario ad Cordubensem Regem legationem mittunt, dicentes, impetum Christianorum se vlterius sustinere non posse. Ad quorum vociferationem barbarus animum flectens vniuersis Maurorū regibus cum omnibus copiis ad bella procedere imperat, ea conditione, vt si quis imperata contemneret capitali sententia puniretur. Ad hoc etiam pro tanto hoste expellēdo Tingitanorum præsidia Maurus rogans, immensum Ismaelitarum numerum adunauit. Comparatis igitur ex tota Mauritania validissimis copiis & à maximo barbarorum Rege omnib. magnis sumptibus datis ad expugnandos Christianorum fines innumera Sarracenorum multitudo dirigitur. Cui expeditioni Rex Cordubensis Abderamam duos magnos duces præfecit. Nomen vnius Hulittabulhabat & nomen alterius Veiuezuz. Verum barbari prout res postulabat, arrepto itinere in littore fluminis Dorii fixis innumerabilibus tentoriis apud sanctum Stephanum de Gormaz toti Christianorum regno comminabantur ruinam. Porro Ordonius Rex Christi clypeo protectus aggregato Gotthorum exercitu eis occurrit. Non aliter miserum pecudum gregem Libycus Leo quam fortissimus Rex turbam Maurorum inuadit. Tantam namque in eis stragem fecit, vt præ multitudine cadauerum modum numerus excedere videretur. Siquidem ab ipso Dorii littore, quo barbari castra metati sunt, vsque ad castrum Entenza & Paracolles omnes montes, colles syluas & agros exanimes Sarracenorum artus tegebant; adeo vt perpauci persequentium manus euaderent, qui nuncium ferrent Regi Cordubensi. Vbi inter alios quamplurimos Ismaelitarum Reges, duo nobiles ceciderunt, quorum nomina Abulmutarchas & Ibilimatel erant. Corruit etiam ibi Alcayde, nomine Ablapaz: cuius consilio princeps Sarracenorum regebatur. Rex quoq; Maximus Tingitanorum nomine Abolmotarap ibi cecidit: nec non & Hulittabulhabaz in eodē loco occubuit. Cuius caput cū apri capite pro signo celebri Rex Ordonius supra mœnia ciuitatis, q̄ illi venerant expugnare, suspendere iussit; & reuersus est cum magno triumpho ad sedem suam Legionem. Posthæc Abderamam dolens de

tanta ſuorum clade, venit per ſe cum magno exercitu ad locum qui dicitur Britonia. Cui occurrit Rex Ordonius & inter ſe dimicantes ex ambabus partibus corruerunt multi,& neuter illorum vicit,vel victus fuit,cum per totam diem vſque ad noctem fortiter dimicaſſent. Exhinc in anno tertio venit Abderamam cum innumerabili multitudine barbarorum,quam ex Babylonia & Africa conduxerat,& fixit tentoria in loco qui dicitur Mohys. Caſtellani autem Comites noluerunt venire ad præceptum Ordonii Regis. Quod Sancius Pyrenæorum vt audiuit cum exercitu magno miſit Garſeam filium ſuum ad Regem Ordonium vt adiuuaret eum contra acies Agarenorum. Rex vero perrexit cum magno præſidio contra Regem Abderamam & obuiauerunt ſibi in valle quæ dicitur Tuncaria,& peccato impediente multi corruerunt ex noſtris: & etiam duo epiſcopi Dulcidius Salmanticenſis & Ermogius Tudenſis ibidem ſunt comprehenſi & Cordubam ducti. Pro iſto Ermogio epiſcopo ingreſſus fuit ſobrinus eius ſanctus Pelagius carcerem,qui poſtea peruenit ad martyrium ſub eodem Abderamam in Corduba ciuitate. Ordonius autem Rex vt potuit dictos epiſcopos ad propria reuocauit, & cogitans qualiter poſſet iſta vindicare, iuſſit arma componi & congregato magno exercitu Gallorum & Gotthorum in eorum terra quæ dicitur Citilia ſtrages multas fecit,terram depopulauit & caſtella multa cepit. Caſtrum quoque Scarmolon, Eliph, Palmacio & Caſtelion & Magnanza funditus deſtruxit, & omnes habitatores eorum interfecit. Cepit etiam alia multa, quæ flamma & ferro deſtruxit, quorum nomina eſt longum pernotare per plures dies in terra Maurorum fuit,& in tantum hoſtiliter,profectus eſt,quod dimidii diei ſpatio ad Cordubam non acceſſit. Exinde regreſſus cum magna gloria Zemoram, inuenit vxorem ſuam Reginam dominam Geloyram defunctam; & licet multum gauderet decollato ſibi cælitus triumpho, valde triſtatus eſt de morte Reginæ, ſiquidem habuerat ex ea filios ſcilicet Adefonſum & Ramirum. Aliam quoque duxit vxorem nomine Aragontam de partib. Galleciæ, quæ poſtea fuit ab eo ſpreta: & tenuit inde pœnitentiam dignam.

Rex autem Ordonius, vt erat prouidus direxit Burgos pro Comitibus, qui tunc Caſtellam regere videbantur. Hi ſunt Nunnius Fernandi, Albomondaralbus, & filius eius Didacus & Fernandus filius Anſuri, qui noluerunt ad eum venire Legionem, ſed fecerunt cum eo iunctam in ripa fluminis Carrionis loco qui dicitur Rebulare. Et cepit eos Rex Ordonius,& catenatos duxit ad ciuitatem regiam Legionem, & in carcere illos necare iuſſit. Poſt hæc nuncii venerunt ex parte Regis Garſeani, vt illuc pergeret. Rex Ordonius ad debellandas vrbes perfidorum. Hæ ſunt Nagara & Beguera. Rex vero ſtatim perrexit cum magno exercitu & cepit prædictam Nagaram quæ ab antiquis Trucio vocabatur. Tunc accepit filiam Regis Garſiæ nomine Sanciam in vxorem quam valde dilexit,& cum magna lætitia in Legionem venit. Regnauit annis nouem menſibus ſex. Hic dum eſſet Zemoræ,& ſe ægrotare ſenſiſſet, feſtinat vt Legionem veniret,& ibi proprio morbo deceſſit atque in aula ſanctæ Mariæ virginis Legionis ſedis,vt tantum Regem decebat, honorifice ſepultus eſt.

Era DCCCCLXI. Froylanus frater eius Ordonii ſucceſſit in regnum & duxit vxorem nomine Mumadomam,ex qua hos filios habuit, Adefonſum, Ordonium, & Ramirum. Habuit etiam filium nomine Aznarem de concubina. Rex Froylanus nihil memorabile geſſit propter paucitatem dierum, niſi quod filios Olmudi nobilis ſine culpa trucidare iuſſit, & fratrem eorum Frominium Legionenſem epiſcopum ſine culpa in exilium miſit. Iuſto Dei iudicio Feſtinus regno caruit, quia innocuos occidit & Chriſtum Domini epiſcopum Frominium contriſtauit. Non audiuit Dominum per Dauid dicentem, nolite tangere Chriſtos meos, & in prophetis meis nolite malignari. Ob hoc abbreuiatum eſt regnum eius, & percuſſus lepra vitam finiuit & ſepultus eſt in Legione iuxta fratrem ſuum Regem Ordonium. Regnauit anno vno menſibus duobus. Præfatus autem epiſcopus epiſcopatum ſuum tunc recuperauit.

Rege Froylano viuente nobiles de Caſtella contra ipſum tyrannidem ſumpſerunt,eum Regem habere nolentes. Elegerunt autem ſibi duos iudices nobiles milites,id eſt Nunnum Raſoiram de Catalonia & Iainium Caluum Burgenſem, qui noluit ſuſcipere iudicatum. Nunnus vero Raſoira vt erat vir ſapiens petiuit ab omnibus Comitibus Caſtellæ, vt darent ſibi filios ſuos nutriendos. Habebat ipſe filium nomine Gundiſaluum, quem cum aliis nobilium filiis educauit. Sapienter ſe geſſit Nunnus Raſoira in iudicatu ſuo, & totam Caſtellam vſque flumen de Piſorga iudicauit dum vixit.

vixit. Tunc enim angustatum est regnum Legionense & in prædicto flumine metam fecit. Hunc simplicem militem Castellani nobiles super se iudicem erexerunt, ne si de nobilioribus suis iudicem facerent, pro Rege vellet in eis dominari. Post mortem autem Nunnii Rasoiræ nobiles ab eo nutriti filium eius Gundisaluum Nunnii, sibi iudicem fecerunt; & etiam Comitem vocauerunt, dantes ei pro vxore Xemenam nobilissimam filiam Nunnii Fernandi, ex qua filium habuit nomine Fernandum. Prædictus autem Gundisaluus Nunnii fuit sententia iustus & armis strenuus, & multa bella intulit regno Legionensium & Sarracenis. ad gesta veniamus.

Era DCCCCLXIII. mortuo Rege Froylano Adefonsus filius Regis domini Ordonii, adeptus est regnum paternum. Duxit autem nomine Xemenam ex qua genuit Ordonium malum. Huic consistenti in regno, voluntas euenit arripiendi viam confessionis, & misit nuncios pro fratre suo Ramiro qui morabatur in partibus Vesei dicens quod vellet à regno discedere & fratri suo dare. Ramirus autem vt audiuit cum exercitu magno venit Zemoram & regnum suscepit. Adefonsus vero properauit ad monasterium quod est in loco qui dicitur Domnos Sanctos in crepidine fluminis Ceiæ, & habitum monachalem suscepit. Rex autem Ramirus vt erat vir bellicosus mouit exercitum ad Arabes persequendos. Cum esset Zemoræ nuncius venit, dicens, quod frater eius Adefonsus de monasterio esset egressus, & regnum Legionis iterum adeptus. Hæc audiens Rex Ramirus ira commotus iussit intonare buccinis: & continuo reuersus cum exercitu magno obsedit fratrem suum Regem Adefonsum in Legione per annos duos vsque dum eo se tradente ad arbitrium fratris cepit eum & in ergastulo iussit retrudi. Post hæc magnates Asturiensium arte facta miserunt nuncios pro Rege Ramiro, qui Asturias ingressus cepit omnes filios Froylani fratris Ordonii Regis, id est Adefonsum, Ordonium & Ramirum: & adduxit eos secum pariterque cum fratre suo suprafato Adefonso, qui ergastulo tenebatur, ferro vinxit, & omnes simul vna die oculis orbare præcepit. Rex autem Ramirus de eo quod fecerat pœnitentia motus construxit monasterium ad honorem sancti Iuliani in ripa fluminis Durii non longe à ciuitate Legionensi, vbi fratri suo prædicto Adefonso, & prædictis filiis Froylani fecit affluenter necessaria ministrari. Adefonsus vero Rex cæcus octauo anno ex quo regnare cæpit, mortuus est, & in ipso monasterio sancti Iuliani sepultus vna cum vxore sua Regina Xemena & prædictis filiis Froylani Regis. Regnauit quinque annis & anno quinto regni sui oculis orbatus est, atque duobus annis aliis superuixit & septem mensibus. Causa vero orbationis oculorum filiorum Froylani fuit, quia contra ipsum Regem Ramirum tyrannidem gesserant, & primum eorum scilicet Adefonsum Asturiarum Regem violenter præfecerant.

Era DCCCCLXVIII. Ramirus securus regnans consilium iniit cum omnibus magnatibus regni sui, qualiter Chaldæorum terram inuaderet, vnde coadunato exercitu pergens ad ciuitatem quæ dicitur Magerita, confregit muros eius, & ipsam incendio tradidit, & multas strages fecit in Sarracenis Dei clementia adiuuante, & reuersus est in Legionem cum victoria in pace. Legione vero eo sedente cum Sancia Regina nuncius venit quod Aceyfa cum grandi exercitu Maurorum properabat ad Castellam. Quo audito Rex Ramirus immemor malorum quæ sibi fecerant nobiles Castellani cum exercitu magno obuiam Sarracenis exiuit, & in loco qui dicitur Oxoma nomen Domini inuocando acies ordinare iussit, & omnes se ad bellum parare. Dedit illi Dominus victoriam: & magnam partem ex Sarracenis interfecit, & multa millia captiuorum secum adduxit & ad propriam sedem reuersus est cum magna gloria. Tunc Castellani Ramiro Regi iura propria cognoscentes ei se subdiderunt. Tamen conditiones quasdam Rege concedente vendicauerunt ei.

Post hæc Rex Ramirus patrum suorum regno integratus congregato exercitu Cæsaraugustam Sarracenorum ciuitatem perrexit. Rex autem Cæsaraugustanus nomine Abohahya, vt concordiam Castellanorum cum Rege Ramiro vidit, perterritus valde Regi Ramiro se subdidit cum omnibus suis: & mentitus est Abderamam Regi suo, cuius nomine Cæsaraugustam regebat. Rex Ramirus vt erat fortis & potens, omnia castella quæ ad regnum Cæsaraugustanum pertinebant partim bello partim sapientia edomuit & Abohahiæ tradidit, & reuersus est Legionē cum victoria magna. Abohahia vero Regi Ramiro mentitus est, & Abderamā Regi Cordubæ

ſe ſubdidit. Poſtea idem Abderamam cum magno exercitu barbarorum Septimancas properauit ad euertendum regnum Chriſtianorum. Rex autem Catholicus Ramirus congregato exercitu Gotthorum, qui vnanimiter ad vindictam Catholicæ fidei properabat, obuiam illi exiuit. Dedit dominus victoriam Regi Catholico & populo Chriſtiano: & inito certamine ſecunda feria in feſto ſanctorum Iuſti & Paſtoris deleta ſunt octoginta millia barbarorum, etiam ipſe Abohahia Rex Cæſarauguſtæ ibidem à noſtris comprehenſus eſt. Cęteri vero fugerunt relicta noſtris multitudine ſpoliorum. Rex vero Ramirus cum exercitu ſuo non tantum ad ſpolia quãtum ad perſecutionem Arabum direxit iter; & ad vrbem quæ dicitur Albandegua peruenit: vbi omnes fere Sarracenos qui de prælio euaſerant, capta vrbe extinxit. Præfatus vero Abderamam ſemiuiuus euaſit: vnde Chriſtiani detulerunt multa ſpolia auri, argenti, & lapidum pretioſorum. Rex autem Ramirus reuertens in Legionem ſecum detulit Abohahiam ferro vinctum, & in ergaſtulo multis diebus permanſit. Poſtea Aceyfa ad ripam fluminis turmis venit & ciuitates deſertas ibidem populauit. Hæ ſunt Salmantica, ſedes antiqua caſtrorum, Leteſma, Ripas Balneos, Alphadego, Penna & alia plura. Fernandus Gundiſalui Didaco Munionis ei auxilium præbenti contra Regem tyrannidem parabat. Rex autem Ramirus bello comprehendit eos & vnum in Legione, alterũ in Gordone ferro vinctos carcere truſit. Sed multo tempore tranſacto iuramento Regi dato vt eſſent ei fideles vaſalli de carcere exierunt. Tunc Ordonius filius Regis ſortitus eſt filiam Ferdinandi in coniugio nomine Vrracam. Tunc temporis populauit Rodericus Comes Amaiam. Didacus etiam Comes populauit Burgos per Iuſſionem Regis. Populauit etiam Comes Munio Muniz Raudam & Gundiſaluus Tellit Oxomam, & Gundiſaluus Fernandi Axeam, Cluniam & ſanctum Stephanum. Populauit Fernandus Gundiſalui Septempublicam. His autem omnibus feliciter ſuccedentibus omnes prædicti barones ſe contra Regem Ramirum erexerunt. Rex autem ſtuduit eos ſapienter ad concordiam reuocare, ne tantorum virorum diſcordia Gotthorum gẽti deſtructio eueniret. Rex Ramirus omnibus pacificatis vt erat mitiſſimus, filiam ſuam Geloyram Deo dicauit, & ob gratiam eiuſdem monaſterium infra vrbem Legionenſem conſtruxit in honorem Saluatoris iuxta palatiũ Regis: vbi eam manere præcepit. Alia quidem monaſteria in honorem ſancti Andreæ & ſancti Chriſtophori ædificauit ſuper ripam fluminis Ceiæ. Aliud ſuper ripam Dorii in honore ſanctæ Mariæ conſtruxit. Aliud etiam monaſterium in ſua hęreditate propria ædificauit in honore ſancti Michaelis Archangeli in valle de Orna cuius nomen eſt Deſtriana. Adiuuabat in his ſanctis operibus vxor eius Regina Tharaſia cognomine Florentina, ex qua prædictos filios habuit, ſcilicet Sancium, & Geloyram. Nono decimo regni ſui anno exercitu aggregato, obſedit ciuitatem Agarenorum quæ nunc Talauera vocatur. Sarraceni autem obuiantes ei bello inito ceciderunt ex ipſis Agarenis duodecim millia. Aſportauit etiam Rex ſecum ſeptem millia captiuorum, & reuerſus eſt in pace. Et cum Ouetum cauſa orationis iuiſſet illic grauiter ægrotauit, & Legionem feſtinus reuerſus eſt, atque ab epiſcopis & abbatibus pœnitentiam accepit vigilia apparitionis Domini, & ipſi ex proprio regno ſeſe abſtulit dicens: Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ & nudus reuertar illuc. Dominus mihi ſit adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Poſt hæc percepto corporis & ſanguinis domini ſacrificio mortuus eſt, & ſepultus eſt in Legione in monaſterio ſancti Saluatoris quod conſtruxit filiæ ſuæ dominæ Geloyræ. Regnauit annis decem & nouem, menſibus duobus, diebus viginti quinque.

Era DCCCCLXXXVII. Ordonius filius eius adeptus eſt regnũ vir ſatis prudens, & in exercendis diſponendiſque exercitibus nimis ſapiens. Frater autem eius nomine Sancius conſilio inito cum auunculo ſuo Garſeano Rege Pampilonenſium, & Fernando Gundiſalui Burgenſium Comite, vnuſquiſque illorum cum exercitu ſuo Legionem acceſſerunt, vt Regem Ordonium à regno expellerent, & fratrem eius Sancium facerent Regem. Quo audito Rex Ordonius ſatis bene exercitatus ſtetit, ſuaſque ciuitates fortiter defendit, & regni ſceptrum viriliter vindicauit. His ſupradictis remeantibus ad propria filiam Fernandi Gundiſalui, quam ob cauſam vt pacificaret Caſtellanos & Legionenſes acceperat, reliquit nomine Vrracam, eo quod pater eius impugnabat ipſum & aliam duxit vxorem nomine Geloyram ex qua genuit Regem Veremundum, qui podagricus fuit. Galleci etiam videntes diſſenſionem inter Legionenſes & Caſtellanos, contra Regem Ordonium rebellare cæperunt. Ipſe vero Rex Ordonius magno exercitu aggregato Galleciam edomuit. Vliſbonam deprædauit & multa ſpolia ſimul cum captiuis duxit ad ſedem ſuam Legionem. Fernandus vero Gundiſalui

cuius

cuius erat studium regnum omnimodè perturbare, nolens nobiles ad Regis Ordonij seruitium præparauit, eo quod ipse Rex cum magno exercitu veniebat super Castellam, & Sarraceni propter nostrorum discordiam fines terræ Burgensium deuastabant. Sed comes Gundisaluus Fernandi accepto exercitu Legionẽsium & suorum, nimiam multitudinem Sarracenorum, qui sanctum Stephanum de Gormaz obsederant, hostiliter interfecit. Rex verò Ordonius cum super Sarracenos ire disponeret, propria morte in vrbe Zemoræ decessit, & Legione quiescit iuxta patrem suum in aula Sancti Saluatoris. Regnauit annis quinque & mensibus sex.

Era DCCCCLXXXXII. Ordonio defuncto Sancius frater eius pacificè apicem regni suscepit. Ferdinando autem Gundisalui cum omnibus militibus contra ipsum magna facta coniuratione Rex Sancius ex Legione egressus Pampiloniam venit ad auunculum suum Regem Garseanum. Erat quidem Sancius crassus nimis, ita quod non poterat sine sui maximo grauamine equitare, & de consilio auunculi sui Regis Garseani ad Abderamam Regem Cordubensem venit, vt de tanta crassitudine à Sarracenis acciperet medicinam. Omnes vero magnates regni eius inito consilio cum Fernando Gundisalui comite Burgensi, Ordonium malum eligeret in regnum filium eius Adefonsi cœci. Fernandus autem Gundisalui dedit illi filiam suam in vxorem nomine Vrracam, relictam à Rege Ordonio filio Ramiri Regis: & ipse Fernandus Gundisalui securus Castellam regere cœpit. Erat tunc in Castella & in Alaua adolescens quidam comes generosus nomine, Vela, qui contra Fernandum Gundisalui rebellare parauit, eo quod esset de nobilioribus Castellæ, & nolebat dicto Fernando Gundisalui subditus obedire. Fernandus autem comes armis eum à Castella & Alaua expulit, & ad Sarracenos ire coegit. Rex autem Sancius à Sarracenis accepit medicinam de crassitudine sua, & ad pristinam leuitatem peruenit. Et consilio inito cum Abderamam Rege Cordubensium cum innumerabili Sarracenorum exercitu venit Legionem, vt regnum acciperet, à quo fuerat eiectus. At vbi terram regni sui intrauit, & Ordonius malus hoc audiuit, vt erat muliebris, & dissolutus, nimio timore perterritus ex Legione per noctem fugit, & Asturias intrauit, & regno caruit. Ille caruit, Sancius regnum suscepit, & ingressus Legionem edomuit regnum suum. Supradictus quippe Ordonius ab Asturiis proiectus ad socerum suum venit. Comes autem Fernandus filiam suam illi abstulit, & cum duobus filiis à Castella expulit, & ad Sarracenos ire compulit. Ipsa vero Vraca alterum virum accepit. Ordonius dum vixit inter Sarracenos mansit, & exulando pœnas persoluit. Tunc præfatus Sancius Rex vxorem nomine Tharasiam duxit, ex qua filium habuit Ramirum. Post hæc salubre iniit consilium cum vxore sua & sorore Geloyra, vt nuncios mitteret Regi Cordubensi, & peteret corpus sancti Pelagij, qui tempore Regis Ordonij sub Abderama Rege martyrio fuerat coronatus. Construxerat quidem Rex Sancius infra muros Legionis monachorum monasteriũ, ad quod volebat corpus sancti Pelagij deferre. Et dum legatos vna cum Velascone Legionensi Episcopo ad Sarracenos pro pace & pro corpore Sancti Pelagij Rex Sancius misit, egressus ex Legione venit in Galleciam, & domuit eam vsque ad flumen Dorij. Quo audito Gundisaluus, qui dux erat vltra flumen illud, congregato magno exercitu venit vsque ripam ipsius fluminis. Deinde missis nunciis, & dato iuramento vt solueret tributum de ipsa terra quam tenebat, callide aduersus Regem cogitans venenum illi in pomo direxit. Quod dum gustasset, sensit cor suum immutatum, & festinus cœpit remeare Legionem, atque in ipso itinere die tertio vitam finiuit, & Legione iuxta patrem suum sepultus est in ecclesia Sancti Saluatoris. Regnauit annis duodecim.

Era MIV. Sancio Ramirus filius eius habens à natiuitate quinque annos suscepit regnum patris sui, continens se cum consilio amitæ suæ dominæ Geloyræ Deo deuotæ, & matris suæ Reginæ Tharasiæ. Firmauit pacem cum Sarracenis, & corpus Sancti Pelagij martyris ab eis accepit, & cum corporibus multorum religiosorum Episcoporum Legione tumulauit in monasterio, quod pater suus construxerat. Factum est autem vt cum Sarraceni securitatem accepissent à Rege Sancio, & à filio eius Rege Ramiro, quod non ferrent subsidium Castellanis, direxerunt arma contra Comitem Fernandum Gundisalui, & cum non possit eis dictus Comes resistere, ceperunt Sarraceni Gormaz, & Septimancas, & septem Puluicam: & multas strages & horrendas perpetrauerunt in terra Christianorum. Erat cum Sarracenis supradictus Vela nobilis Castellanus, qui propter vindictam expulsionis suæ à Castella humanitatis immemor trucidabat crudelissime Christianos. Eo tempore ceperunt Sarraceni Zemoram, & subuerterunt eam. In tanta clade se gerente terra mortuus est Fernandus Gun-

disalui Comes Burgensis morte propria, & successit ei Garseas Fernandi Comes filius eius, qui cœpit contra Sarracenos se viriliter exercere. Anno autem secundo regni Ramiri Regis centum classes Normannorum cum Rege suo Gundaredo videntes dissensiones Gotthorum ingressæ sunt Galleciam, & strages multas facientes in giro Sancti Iacobi, Episcopum loci ipsius nomine Sisnandum gladio peremerunt, & totam Galleciam deprædati sunt, vsque dum peruenirent ad Alpes montis Zebrarij. Tertio verò anno remeantibus illis ad propria post multam cædem & captiuitatem Christianorum, Comes Gundisaluus sanctionis in nomine Domini, & in honore Sancti Iacobi Apostoli, cuius terram deuastauerant, cum exercitu magno venit obuiam illis, & cœpit cum eis fortiter præliari. Dedit illi Dominus victoriam, & omnem gentem ipsam Normannorum simul cum Rege suo Gunderedo gladio interfecit, atque classes eorum igne cremauit. Rex autem Ramirus accepit vxorem nomine Vrracam, & cum esset in pueritia & modica scientia, cœpit Comites Galleciæ factis ac verbis irritare, & eis crudelis existere. Ipsi autem Comites talia ægre ferentes Regem alium nomine Veremundum filium Regis Ordonij super se erexerunt, quem in sede Sancti Iacobi Apostoli confirmauerant, era M X V I I I. Idibus Octobris. Quo audito Rex Ramirus ex Legione ad Galleciam cum exercitu properauit. Rex vero Veremundus obuiam illi exiuit, in portella de arenis, & cœperunt acriter præliari. Nullus tamen eorum alteri cedens sunt separati ad inuicem, & multi ex vtraque parte Christianorum se cæde mutua prostrauerunt. Per duos continuos annos inter Legionenses & Gallecos intestinum bellum fuit, quo ex his & illis innumerabiles corruerunt. Qua cæde valde diminuta fuit fortitudo Gotthorum. Rex vero Ramirus proprio morbo Legione decessit, & in Destriana sepultus fuit. Regnauit quindecim annis, mensibus septem.

Era M X X. mortuo Ramiro Veremundus Ordonij Regis filius, vt audiuit de morte eius, venit Legionem, & accepit regnum pacifice, quia ipse erat propinquior generi regali, ad quē spectabat sceptrum regni. Is fuit vir satis prudēs, leges factas à prædecessoribus suis Gotthorum Regibus firmauit, Canones aperire iussit, & sanctorum Patrum instituta perquisiuit. Tamē obtenebrauit leuitas mores eius bonos, quoniam leuiter susurronibus præbebat aurem. Vnde tres serui ecclesiæ sancti Iacobi Apostoli, quorum nomina hæc sunt, scilicet Zadon, Cadon, & Ansilon, accusauerunt apud eum falso dominum suum Adulphum Episcopum de criminibus pessimis, & quod promiserat Agarenis se Sarracenum futurum, & eis totam terram Galleciæ traditurum. Rex verò indiscrete credidit tribus falsis testibus, & iussit velociter Iacobensem Episcopum ad se venire Ouetum. Prouocabat Regem hoc magis credere, quia idem Episcopus filius fuerat illius Gundisalui ducis, qui Regi Sancio dederat venenū in pomo. Iussit itaq; Rex quærere taurum ferocissimum ad interficiendum dictum Episcopum. Pontifex vero in die cœnæ Domini, sicut sibi præceptum fuerat, venit Ouetum. Cui milites Regis dixerunt vt prius veniret ad Regem quam Ecclesiam intraret. Ipse autē fultus à Domino dixit: Ego prius ibo ad Regem Regum Saluatorem meum, & postea veniam ad tyrannum Regem vestrum. Illico intrauit Episcopus ecclesiam nostri Saluatoris, sciens quod futurum erat, & induit se sacris pontificalibus indumentis, & celebrato diuino mysterio sic ab ecclesia indutus exiit, & ad locum vbi erat taurus venit ante fores palatij Regis, vbi fere omnes nobiles Astures conuenerant ad tractandum in curia Regis contra Sarracenos, qui regnum Legionense deuastabant. Tunc Rex taurum dimitti præcepit. Taurus autem velociter cucurrit, & cornua in manu Episcopi dimisit, & reuersus multos derisores interfecit, & postea siluas vnde venerat, petiit. Episcopus vero ad ecclesiam reuersus, cornua quæ in manibus tenebat, ante altare nostri Saluatoris proiecit: & Cadonem & Zadonem & Ansilonem excommunicauit, & orauit voce clara dicens: Quod de semine eorum vsque in finem mundi quidam essent leprosi, alij cœci, alij claudi, & alij manci propter crimen falsum quod imposuerāt ei. Rex vero vt miraculum vidit, nimium doluit, & satisfacere Episcopo voluit. Sed Episcopus vltra Regem videre noluit. Mansit in eadem sede quatuor diebus, & secunda feria post Pascha ab Oueto cum suis exiit, & in vallem Pramarensem ad Ecclesiam sanctæ Eulaliæ venit. Quo loco percussus infirmitate corpus & sanguinē Domini sumpsit, & quarta feria illucescente die spiritum Domino tradidit. Tunc sui qui venerant cum eo feretrum fecerunt, vt eum ad Ecclesiam sancti Iacobi Apostoli deportarent. Sed Dominus tam immobilem eum fecit, vt à mille manibus hominum moueri non posset. Deinde accepto consilio sepelierunt eum in ipsa Ecclesia sanctæ virginis Eulaliæ.

Eo tem-

Eo tempore Rex Agarenus, nomine Alphagip, fecit se vocare Almanzor, & vna cum filio suo Abdameleh, & cum prædicto Vela comite Castellano, & aliis comitibus Christianis exulatis regnum Legionensium, & regnum Pampilonensium, & comitatum Burgensium fortiter deuastabat. Erat enim discordia magna inter Gotthos: & non erat qui alteri ferret subsidium. Habebat secum dictus Almanzor multitudinem Christianorum, quos ita honorabat, vt si inter Christianos aliqua oriretur seditio ad sedandum tumultum potius de barbaro quam de Christiano mortis sentētia ferebatur. Largus erat & hilaris barbarus Almanzor, & dum multis abundaret thesauris, cunctos muneribus ad suam beneuolentiam attrahebat. Iam cuncta quæ à flumine Dorij, quod tunc temporis inter Christianos & Sarracenos pro limite habebatur, vsque ad flumen Estolæ deuastauerant Sarraceni, & ad debellandam Legionensem vrbē properans Almanzor in ripa fluminis Estolæ tentoria fixit. Rex autem Veremundus cum exercitu suo hostibus armatus occurrit. Commissoq; cum eis prælio vsque ad tentoria illos magna cæde prostrauit. Porro Almanzor vbi suos fœda fuga præbere terga vidit, indignatus de solio in terram prosiliit. Fertur enim Almanzor hoc signum calumnię dum male pugnarent ostendere suis militibus, quod deposito aureo galero, quo assidue caput tegebat, humi cum calumnia resideret. Quem decaluatum videntes sui milites, alteri alteros adhortantes nostros vndiq; magno cum fremitu circumuenerunt, atque versa vice eos à tergo perurgentes per medias ciuitatis Legionensis portas intermixti irruerent, nisi ingens pluuia cum turbine hanc dirimeret litem. Barbarus attamē hoc anno propter imminentem hyemem in patriam se recepit. Sequenti vero anno obsedit Legionem, & eam fortiter oppugnabat. Rex autem Veremundus podagrica ægritudine nimium grauatus, cum nō posset barbaro obuiare, se recepit Ouetum. Dum itaque per annum integrum oppugnaretur ciuitas Legionis, facta est murorum irruptio iuxta portam occidentalem. Comes Guillelmus Gundisalui Gallecus, qui ad defensionem Christianitatis eidem se cōtulerat ciuitati, cum grauissime ægrotaret & audisset, quod erat facta irruptio, fecit se suis armis indui, & in lecto ad locum, vbi murus erat suffossus, deferri: vbi per tres dies adeo fuit fortiter dimicatum, vt multa millia Sarracenorum occumberent in eodem loco. Quarta autem die fortiter pugnantibus barbaris alia irruptio facta est iuxta portam meridionalem. Deinde irruentibus barbaris ciuitas capta est. Comes autem Guillelmus Gundisalui in eo loco, vbi iacebat, armatus à Sarracenis occisus est. Tunc Rex Almanzor iussit portas ipsius ciuitatis, quæ opere marmoreo erant constructæ, à fundamentis destrui, & turres murorum diruere præcepit. Fecit etiam destrui arcem à fundamentis iuxta portam Orientalem, quæ altissimis & fortissimis turribus lapideis erat munita. Mandauit tamen ad portam Septentrionalem vnam relinquere turrem, vt secula futura cognoscerent, quantam ipse destruxerit ciuitatem, cum omnes aliæ murorum turres fere illius fuerint altitudinis. Post hæc barbarus cepit Astoricam, & turres illius aliquantulum præcipitauit, Coyancam etiam à fundamentis destruxit, & Ecclesiam Sanctorum Facundi & Primitiui subuertit. Veruntamen Aluam, Lunam, Gordonem, & Arbolium non cepit, nec Berizum intrauit. Deinde reuersus in Castellam Almanzor cepit Atenzam, & Osmam, & Alcobam, & ab ipsis fundamentis destruxit. Venientes autem Astures Legionem tulerunt corpus sancti Pelagij, & corpora Regum, quæ erant in Astorica, transtulerunt Ouetum. Multa etiam Sanctorum corpora ex destructis Christianorum ciuitatibus Ouetum delata sunt & sepulta. Quidam etiam clerici Legionensis Episcopatus corpus sancti Froylani Episcopi transtulerunt ad loca tuta submontana, quæ dicitur Vallis cesar, & posuerunt illud super altare sancti Ioannis Apostoli. In tantum Dominus pro peccatis nostris Regi Almanzor super gentem Christianorum sæuire permisit, vt per duodecim continuos annos totidem vicibus Christianorum fines aggrederetur, & semper victor reuerteretur Cordubam. Postremo omnia loca plana sibi subiugauit, & tributaria fecit. Ea tempestate in Hispania cultus diuinus periit, & omnis gloria Gotthorum decidit, atque congesti Ecclesiarum thesauri funditus directi sunt.

Tertiodecimo vero anno Almanzor barbarus cum magno exercitu per fines Portugaliæ hostiliter intrans illius regionis omnia deuastauit. Non fuit ciuitas, nec munitio, quæ illi resistere posset, vsque dum peruenit ad partes maritimas Occidentales Hispaniæ, & ciuitatem & ecclesiam, in qua corpus beati Iacobi tumulatum est, destruxit. Ad sepulchrum vero beati Iacobi Apostoli, vt illud frangeret, audacter accedit, sed territus quadam fulguratione rediit: Ecclesias, monasteria, & palatia fregit, atque igne cremauit. Rex autem cœlestis Dominus IESVS Christus non continens in ira sua mi-

ſericordias ſuas, beati Iacobi Apoſtoli meritis vltionẽ fecit de inimicis ſuis. Miſit namque Dominus diarriam & dyſſenteriam in ventrem Agarenorum: & partim infirmitate, partim ſubitanea morte quotidie gens ipſa minuebatur, & ad nihilum veniebat. Tulit autem barbarus Almanzor campanas minores eccleſiæ ſancti Iacobi, & ob inſigne fecit eas Cordubem deduci, & in oratorio ſuo pro lampadibus ſuſpendit eas. Rex autẽ Veremundus miſit pedites agiles, & expeditos plurimos, qui adiuti auxilio beati Iacobi Apoſtoli, per montana Galleciæ Sarracenos more pecudum trucidabant.

Poſt hæc Rex Veremundus miſit nuncios ad Comitẽ Garſiam Fernandi de Caſtella, & ad Garſeanum Regem Pampilonenſium, vt auxilium præberent ad tantũ hoſtem debellãdum. Tunc Rex Garſeanus maximã partem ſui exercitus miſit, & Comes Garſias Fernandi per ſe cum omni exercitu ſuo venit. Rex autẽ Veremundus; quia eo quod podagricus erat, nullatenus poterat equitare, humeris hominũ baiulatus cum ſuo exercitu properauit. Cumq; Almanzor egreſſus de Gallecia Caſtellæ fines vellet iterum deuaſtare, occurrit ei cum magno exercitu Rex Veremũdus, & in loco qui dicitur Canatanazor, inito certamine multa Sarracenorum millia corruerunt; & niſi nox diem clauſiſſet, ipſe Almanzor fuiſſet captus. Tamen ipſa die non fuit victus, ſed de nocte arripuit fugam cum ſuis. Sequenti vero die Rex Veremundus præcepit acies ordinare, vt in ipſo diei crepuſculo contra Sarracenorum exercitum dimicarent. Sed properante exercitu ad caſtra Sarracenorum inuenerunt tantummodo tentoria fixa cum multitudine ſpoliorum. Comes autem Garſias Fernandi inſecutus Sarracenos, qui fugiebant, eorum innumerabilẽ extinxit multitudinẽ. Mirabile eſt dictu ipſa die qua in Canatanazor ſuccubuit Almanzor, quidam quaſi piſcator in ripa fluminis de Guadalquiuir quaſi plangens modo Chaldaico ſermone, modo Hiſpanico clamabat, dicens: En Canatanazor perdio Almãzor el tambor: id eſt, in Canatanazor perdidit Almanzor tympanum ſiue ſiſtrum, hoc eſt, lætitiam ſuam. Veniebant ad eum barbari Cordubenſes, & cum appropinquarent ei, euaneſcebat ab oculis eorũ, & iterum in alio loco apparens eadem plangens repetebat. hunc credimus diabolũ fuiſſe, qui Sarracenorũ plangebat deiectionem. Almanzor autem ab hac die qua ſuccubuit, noluit comedere, neque bibere, & veniens in ciuitatẽ, quæ dicitur Medinacelem, mortuus eſt, & ibidem ſepultus.

Poſt hæc Abdamelech filius eius anno ſequenti venit cum exercitu magno iterum Legionẽ, & deſtruxit denuo muros eius, ne Chriſtiani eam iterum popularent. Comes autem Garſias Fernandi cum Legionenſibus & Caſtellanis exiuit obuiam ei, & fugauit eum à regno Legionenſi. Gens vero Gotthorũ Dei miſeratione à tanto hoſte liberata, vires paulatim recepit, & in cõcordiam verſa eſt. Nam miſerunt ad Velam ſupra fatum nobilem, & ad certos comites Chriſtianos, qui erant cum Sarracenis: & tam Rex Veremundus quam Rex Garſeanus, necnon & Comes Garſias Fernandi eos reſtituerunt hæreditatibus, & directuris ſuis; & pro patria & fide Catholica fortiter dimicarunt. Rex vero Veremundus adiutus à Domino cœpit conſtruere Eccleſiam ſancti Iacobi Apoſtoli, & certa loca ſacra in melius reſtaurare. Sed dum in multis recepiſſet correctionem, tamen ſemper ſuſurrones audiuit. Nam in multis, accuſantibus quibuſdam domnum Gudeſteum Ouetenſem Epiſcopũ, cepit eum, & in caſtro quod dicitur Pinna reginę in finibus Gallecię per tres annos in vinculis tenuit. Sed mundi Saluator tantam ſiccitatẽ dedit in terra, quod nullus homo arare potuit, vnde facta eſt fames valida in tota Hiſpania. Tunc homines quidam Deum timentes dixerunt Regi: Domine Rex, quidam ſerui Dei in viſione viderunt, & dixerunt nobis, quod peccaſti in Dominum, quando cepiſti Ouetenſem Epiſcopum, & non pluet, nec fames exiet à regno tuo quouſque ſoluas eum, & reſtituas ei Epiſcopatũ ſuum. Hoc audito Rex miſit nuncios ad Aſtoricenſem Epiſcopum dominum Xemenum, cui commendauerat Ouetenſem Eccleſiam, & iuſſit abſolui prȩfatũ Ouetenſem Epiſcopum, & honorifice reſtituit eum eccleſię ſuę. Etenim Rex Veremundus quia facile deuiabat ad malum, facilius ad bonũ miſericordia flectebatur. Ab illa igitur die Dñs Ieſus Chriſtus ſuper faciem terræ dedit pluuiam, & terra dedit fructum ſuum, & expulſa fuit fames à regno Gotthorum.

Habuit duas legitimas vxores Rex Veremundus: vnam Velaſquitam quam viuentem dimiſit, & aliam nomine Geloyrã, ex qua habuit filios Adefonſum, ſcilicet & Tharaſiam. Habuit etiam duas nobiles concubinas: & ex vna genuit infantem domnũ Ordonium, & ex alia infantiſſam domnam Geloyram. Ipſe infans Ordonius ex infantiſſa Fronildi Pelagij genuit plures filios: quorum nomina hæc ſunt, Adefonſus, Pelagius, Sancius & Xemena. Ipſa vero Xemena ex comite Munione Roderici genuit Comitem Rodericum Munionis, qui poſtea mortuus fuit in lite de ſacralias. Præfatus etiam

Rex

Rex ex vna fœmina nomine Liesquita, pulcherrima genuit infantissam Christinam. Ipsa vero Christina genuit ex infante Ordonio cœco filio Ramiri Regis plures filios & filias, Adefonsum scilicet, Ordonium, Pelagiam Comitissam, & Esdonciam, quæ fuit vxor Pelagij Froylæ, qui diaconus fuit, & genuit ex eo Comitem Petrum, Ordonium, Pelagium, Munionem & matrem Suari Comitis & fratrum eius, & Tharasiam Comitissam Carrionensem, quæ ædificauit ecclesiam sancti Zoyli martyris. Isti omnes dicti fuerunt infantes de Carrione. Rex autem Veremundus maxima pedum grauatus ægritudine per manum Episcoporum & Abbatum multas eleemosynas faciens de malis commissis pœnitentiã egit, & in Berizo vitam finiuit: atque in Villa bona sepultus fuit, & post aliquantos annos à filio suo Rege Adefonso translatus est Legionem: & vna cum vxore sua Regina domna Geloyra in ecclesia sancti Ioannis Baptistæ quiescit. Regnauit attamen annis decem & septem. Post mortem Regis Ramiri cum ante duobus annis regnauerit, & mensibus septem.

Era MXXXVII. Adefonsus filius eius habens à natiuitate sua annos quinque adeptus est regnum. Hic nutritus est à Melendo Gundisalui Comite Galleciæ, & ab eius vxore Comitissa domna Maiore: & dederunt ei filiam suam in coniugem, nomine Geloyram: ex qua genuit Veremundum & Sanciam, post mortem cuius duxit aliam nomine Vrracam. Eo fere tempore cum rebellaret Sancius contra patrem suum virum strenuum Burgensium comitem Garsiam Fernandi, ipse comes Garsias mortuus est, & successit, & filius eius nomine Sancius in comitatu Burgensi vir armis strenuus, prudens in agendis, in sententia iustus, & labori cedere nescius, qui multas clades intulit Sarracenis. Tamen dum ipse rebellaret contra patrem suum, venerunt Sarraceni propter eorum discordiam, & capientes vrbem Abelam funditus destruxerunt eam. Ceperunt etiam Sanctum Stephanum & Cruniam. Comes autem Garsias Fernandi dum cum paucis vellet obuiare Sarracenis, & incaute se gerere, captus est ab eis, & post paucos dies propria morte decessit. Tunc comes Sancius filius eius collecto multo exercitu Legionensium, Pampilonensium, & suorum perrexit Toletum, vt patris iniuriam vindicaret, & multas strages circumquaque ferro & flamma faciens, acceptis multis muneribus à barbaro Toletano Rege, in Castellam victor reuersus est, & multas victorias nobiliter de Sarracenis obtinuit sæpe, ita vt vsque Cordubam hostiliter pergeret, & multas cædes Sarracenis inferret. Præfatus autem Rex Adefonsus sceptrum regni nobiliter gubernauit eo, quod sapientum se consilio rexit.

Tamen dum esset puerulus, & †Adella Rex Toletanus Legionense regnum hostiliter infestaret, initio cõsilio nobiles regni dederunt Tharasiam sororem Regis Adefonsi barbaro pro coniuge, ipsa nolente eo, quod occulte se simulabat Christianum, & auxilium contra Agarenos cæteros Regi Adefonso se præstaturum iuramento firmauit. Quæ cum esset virgo Christianissima, & Toletum perductam barbarus vellet eam cognoscere, dixit ei: Noli me tangere, quia paganus. Si vero me tetigeris, Angelus interficiet te. Tunc Rex derisit eam, & concubuit cum ea semel, & statim sicut illa prædixit, percussus est ab Angelo Domini. Ille autem vt sensit mortem propinquam adesse, sibi vocauit cubicularios suos, & præcepit eis onerare camelos auro, argento, gemmis & vestibus pretiosis, & adducere illam ad fratrem suum.

† abdella

Rex autem Adefonsus celebrauit concilium cum Episcopis, Comitibus & potestatibus suis. era MLVIII. & repopulauit Legionensem vrbem, quæ vt prædictum est à Rege Agarenorum Almanzor fuerat depopulata. Reædificauit omnes portas eiusdem ciuitatis ex luto & ligno, & dedit ei bonos foros, & mores: quos debet habere tam ciuitas, quam totum Legionense regnum à flumine Pisorga, vsque ad extremam Galleciæ partem in perpetuum. Fecit etiam ecclesiam sancti Ioannis Baptistæ in ipsa vrbe ex luto & latere, & collegit omnia ossa Regum & Episcoporum, quæ in ipsa erant ciuitate, & in ipsa ecclesia sepeliuit ea simul, & super ea ædificauit altare ad honorem sancti Martini Episcopi & Confessoris. Deinde transtulit ossa patris sui Veremundi Regis, qui sepultus fuerat in Berizo in Villa bona, & sepeliuit ea in Occidentali parte ipsius ecclesiæ in sepulchro marmoreo vna cum matre sua Regina domna Geloyra. Restauratum etiam iuxta eandem ecclesiam monasterium sancti Pelagij, quod ab Agarenis fuerat destructum. Quo loco soror eius prædicta Tharasia in monachali habitu cum virginibus Deo dicatis diu permansit, & postea Oueto obiit, & in monasterio sancti Pelagij sepulta fuit. Eo fere tempore supradicto Vela comite mortuo duo filij eius Didacus & Syluester cum Sancio duce Burgensium nollent obedire, à Castella cum magno dedecore eiecti sunt ab ipso duce. Ij venientes ad Regem Adefonsum, honorifice

sunt ab eo recepti: & dedit eis terram in submontanis. Post hæc Rex Adefonsus ordinatis sapienter per regni confinia rebus cœpit Sarracenis bella inferre, & regnum sibi subditũ nobiliter gubernare. Anno igitur regni sui vigesimooctauo aggregato magno exercitu obsedit Vescum in Portugale magnum oppidum, quod adhuc detinebatur à Sarracenis. Cumq; quadam die propter nimium feruorẽ Solis indutus, tantummodo pallio & camissia longe à muris ipsius ciuitatis equitaret, à quodam insigni baleario Sarraceno inter scapulas sagitta percussus est. Cumq; sensisset se lethaliter vulneratũ, vocauit Episcopos & Abbates, & ab eis accipiens corpus & sanguinem Domini, mortuus est, & sepultus in Legione iuxta patrem suum & matrem suam.

Era M L X V. mortuo Rege Adefonso filius eius Veremundus successit in regnum Legionensium. Qui reuera Veremundus Patricius, puer constitutus in Regem, non vt illa ætas diuersis puerilibus & lasciuis cupiditatibus astringi assolet, constrictus dignoscitur; sed in ipso teneri regni exordio ecclesias Christi gubernare, easque à prauis hominibus defendere, cœnobiorum ceu pius pater consolator existere, & pauperum tutor sedulus esse cœpit. Duxit vxorem filiam Sancij ducis Castellani nomine Tharasiam: ex qua suscepit filium Adefonsum, qui post paucos dies mortuus est. Sancius vero Burgensium dux quam gloriose se gesserit in suo comitatu, non posset noster ad plenum euoluere stylus. Dedit namque bonos foros & mores in tota Castella, & sapienter & fortiter se gessit in suo ducatu. Hic accepit à Sarracenis Gormaz, Osmam, & sanctũ Stephanum, & alia multa in Extremadura Habuit filium nomine Garseam, & filias duas: quarum vnam dedit Regi Veremundo Legionensium in vxorem: & aliam Sancio Cantabrorũ Regi: ex qua idem Sancius genuit duos filios, scilicet Garseam, & Fernandum. Obiit comes Sancius, & successit ei in ducatu Burgensium infans Garsea filius eius. Tunc Burgenses comites inito consilio miserunt ad Veremundum Regem Legionensium, vt sororem suam Sanciam comiti Garsiæ daret in coniugem, & concederet eundem Regem Castellæ vocari. Rex attamen Veremundus hoc se factur ũ promisit. Vnde factum est, vt cum esset Rex Veremundus Oueto, venerunt Burgensium nobiles cum comite suo infante Garsia in Legionem proponentes ire Ouetum, tum causa orationis, tum vt loquerentur cum Rege de matrimonio contrahendo, & Regis nomine Garsiæ duci obtinendo: sed filij Velæ comitis supradicti aggregantes exercitus in submontanis memores malorum, quæ sibi fecerat dux Sancius, ambulantes per totam noctem intrauerunt Legionem: & tertia feria illucescente die occiderunt ipsum infantem Garseam in porta ecclesiæ sancti Ioannis Baptistæ. Didacus comitis Velæ filius ipsum Garsiam in Baptismo de sacro fonte leuauerat, & propria manu occidit eum enormi sacrilegio perpetrato, & Dei timore postposito. Tunc occisi fuerunt multi tam de Castellanis, quam de Legionensibus, qui ad defensionem Garsiæ ducis confluebant. Post hæc cum iam multitudo conflueret ad vindicandam mortem Garsiæ ducis, prædicti filij Velæ, scilicet Didacus & Syluester fugientes se in montibus, locis tutissimis contulerunt. Infans vero Sancia prædicta fecit planctum magnum super ducem Garsiam, & sepeliuit eum honorifice iuxta Regem Adefonsum patrem suum in ecclesia sancti Ioannis Baptistæ. Puer fere tredecim annorum erat infans Garsias quando mortuus est.

Sancius autem Rex Cantabriensium, qui gener erat Sancij ducis Castellani, successit Garsiæ in comitatu Burgensium, & cœpit regnare in Nauarra & in Castella. Rex autem Sancius filius fuit Garseani Regis Nauarrorum, qui & ipse Garseanus genitus fuit de Sancio Rege Cantabriæ, qui de nobili Gotthorũ regali semine extitit procreatus. Hic tempore cladis Almanzor, & aliorum Agarenorum fortiter se habuit contra Sarracenos. Nam cum Agareni quæque plana Hispaniæ occupassent, Cantabri algoris & laborum pro loco & necessitudine iniurias fortiter patientes, arreptis leuioribus armis, per colles & opaca siluarum loca pedites serpendo ex improuiso castra hostium, dum aderant inuadendo sæpe conturbabant. Neque huiusmodi factum ab hostibus vsquam poterat vindicari, quia Cantabri succincti & leues, statim vt res postulabat, in diuersa rapiebantur. Itaque Maurorum rabies, quæ aliis formidolosa erat, Cantabris ludibrio habebatur. Quapropter Cantabriorum regnum propter difficultatem introitus & agilitatem incolarum pro maiori parte solidum mansit. Vnde Rex Sancius primus, cuius cognomen Auarca, cum Sarraceni tempore hyemali vrbem Pampilonam debellarent, & ipse esset in Pyrenæis montibus, vltra Alpes roscidæuallis, & ingens nix clauderet portum, fecit sibi & suis militibus de coriis crudis & ligneis viminibus rusticorũ more calceamenta, quę vulgariter, Auarcas & Baraliones vocãt, & nocte

Alpes

Alpes roscidæuallis per niues transiit, & illucescente die Agarenos iaculis & gladiis in tantum fortiter inuasit, vt perpauci Sarracenorum euaderent, qui suis facta prælij nunciarent. Post ipsum surrexit filius eius Rex Garseanus, qui nobilissimi patris fortissima facta secutus, barbaris armatus crebro occurrit: & eorum impetus, ne in finibus Christianorum more solito deuenirent, constanter compescuit. Quo defuncto Sancius filius eius paternum subiit regnum, qui victoria simili, sicut auus eius, per auarcas & baraliones, super eandem vrbem Pampilonam multa millia Sarracenorum prostrauit; quare etiam ipse Rex Auarca dictus fuit, & ad plana descendens, inimicos fidei Christianæ longius secedere compulit. Hic autem vt prælibatum est, postquam in Castella regnare cœpit, ita comitatum Burgensem ampliauit, vt iam non comitatus Castellæ, sed regnum merito diceretur. Ab ipsis namque Pyrenæis iugis vsque Naiaram, quidquid terræ infra continetur, à potestate Paganorum eripuit; & iter sancti Iacobi aperuit, quod barbarica infestatione clausum erat, & per deuia Alauæ peregrini declinabant, quos Sancius Rex absque retardationis obstaculo recta via currere fecit, & in cunctis fere victor extitit. Meruit quoque, vt dictum est, natorum contubernio diu fœliciterque perfrui: quibus viuens pater benigne regnum diuidens Garsiam primogenitum Pampilonensibus præfecit, Fernandum vero bellatrix Castella iussione patris pro Rege suscepit. Dedit etiam Ramiro, quem ex concubina habuerat, Aragonem quandam semotam regni sui particulam, ne fratribus eo quod materno genere impar erat, quasi regni hæreditarius videretur. Deinde mouens arma contra Regem Veremundum Legionense regnum valde minorauit. Tamen contra eum insurgentibus vehementer Legionensibus & Gallecis, ne hoc deueniret in patriæ destructionem, petiuit à Veremundo Rege Legionis adhuc in teneris annis constituto Sanciam sororem suam nobilissimam puellam, dari filio eius Fernando in cõiugem propter pacem Christianorum reformandam. Rex autem Veremundus largissima manu regales sororis nuptias exhibuit, & Ferdinandus Sanciam in coniugem accepit. Cæterum Rex Veremundus ab extremis finibus Galleciæ vsque ad flumen Pisorgam, quod tunc Cantabriensium regnum separabat, Rex constituitur. Porro Sancius Rex in senectute bona plenus dierum dum filius eius Garsias ob vota soluenda Romam commearet, ab hac vita decessit. Quem Fredenandus apud Oniense cœnobium magno cum honore, vt tantum patrem decebat, humari fecit. Rex vero Garsias postquam solutis Deo votis Roma rediit, & obitu patris percepto Pampilonensi prouinciæ appropinquauit, audiuit Ramirum fratrem suum ex concubina ortum, super regno sibi insidias tendere. Qui nimirum Ramirus ad hoc perficiendum adunauerat sibi quosdam Maurorum Reges, Cæsaraugustanum scilicet & Oscensem, atque Tutelanum: quorum præsidio fretus positis castris super Taphaiam fratri campale bellum indigne comminabatur. Cuius superbiam, quia animositas Garsiæ Regis ferre non sustinebat, collectis Pampilonensium fortissimorum copiis castra hostium extemplo aggreditur. Deinde maxima parte hostium trucidata, cęteri qui remanserunt, relictis tentoriis, stipendiisq; inermes fugam arripiunt. Ramirus autem nisi discalceatus super equum capistro regente tuta peteret loca, dies illa sibi vltima foret.

Post hæc ex vinculo vnitatis & dilectionis oritur inter Regem Fernandum, & Regem Veremundum sæua discordia, quæ omnium malorum seminarium bonorumque semper turbatrix fuit. Siquidem præfatus Rex Sancius pater Regis Ferdinandi post mortem Legionensis Regis Adefonsi Rege Veremundo puerilibus annis impedito, partem regni sui, videlicet à flumine Pisorga vsque Ceiam, suo domino mancipauerat, & tam in ipsa terra, quam in tota Castella eidem filio suo Fredenando Regi & Sanciæ Reginæ dominandi dederat potestatem. Veremundus autem vbi Rex Sancius expirauit paternum regnum sibi vendicare disposuit. At hoc Fredenando, cui Adefonsi Regis filia nupserat, videbat esse iniustum, si vxor eius foret omnino expers regni patris sui. His itaque repugnantibus magna inter vtrumque nascitur commotio belli: sed quoniam viribus militum impares erant, adeo quod Fredenandus ferre Veremundi impetus non valeret, auxilia fratris sui Regis Garsiæ ad expugnandum hostem obnixius poscit. Fernandus igitur & Garsias frater eius aggregatis fortissimorum militum copiis, dum ad expugnandum hostem properant, ecce Rex Veremundus cum suis transiecto Cantabriensium limite eis armatus occurrit: & iam in ripa fluminis de Pisorga super vallem Thamaron vtriusq; exercitus oppositæ acies conspiciebãt se fulgentibus armis, cum Rex Veremundus acer & imperterritus primo insignem equum suum Pelagiolũ calcaribus vrgeret: & cupiens hostem ferire, rapido cursu inter

denſiſſimum cuneum militum Cantabrorum ſtricta haſta incurrit. Sed dum ferox Garſias & Fernandus acrius inſtarent, in ipſo equi ſui rabido impetu confoditur lanceis, atque corruens in terram mortuus eſt. Multi etiam ſui milites inordinate currentes poſt ipſum, quia non potuerunt eum contingere propter equi eius nimium curſum, accelerantes tamen vt poterant, ſuper eum occubuerunt. Corpus autem Veremundi Regis delatum eſt Legionem, & cum patribus ſuis eſt ſepultum, vna cum vxore ſua regina Tharaſia. Regnauit autem annis decem.

Era MLXXV. prædictus Rex Fredenandus venit & obſedit Legionem, & cum eſſet fere abſque muris, poſt paucos dies cepit eam, & intrauit cum multitudine militum, & accepit ibi coronā regni, & factus eſt Rex in Legione & in Caſtella. Non enim ſupererat aliquis de regali ſemine, ad quem ſpectaret regnum Legionenſe iure propinquitatis, niſi Sancia Regina vxor eiuſdem Regis Fernandi. Conſecratus eſt dominus Fredenandus in Eccleſia ſanctæ Mariæ Legionenſis ſedis, & vnctus in Regem à venerandæ memoriæ Seruando eiuſdem eccleſiæ Catholico Epiſcopo decimo Kalen. Iulij. Qui poſtquam cum coniuge ſua Sancia ſceptra regni gubernandi ſuſcepit, incredibile eſt memoratu, quam breui barbarorum prouincias totius Hiſpaniæ formido eius inuaſerit. Quas in principio regni maturius depopularet, niſi ad ſedandos regni ſui tumultus, prius quorundam magnatum rebelles animos corrigere ſagaciter procuraret. Terrebantur Sarraceni cum viderent Legionem & Caſtellam in vnam concordiam conuenire, & Regem fortem & ſapientem illis imperare. Sancia vero Regina peperit ei filium, qui Sancius eſt vocatus. Deinde peperit filiam nomine Geloyram. Tertio peperit filium, quem vtrique parenti vocari placuit Adefonſum. Quarto minimus Garſias genitus eſt. Vrracam namque decore & moribus nobiliſſimam puellam priuſquam obtinuiſſet regni apicem genuerunt. Rex vero Fredenandus filios ſuos & filias ita cenſuit inſtruere, vt primo litteralibus diſciplinis, quibus & ipſe ſtudium dederat, erudirentur. Deinde vbi ætas patiebatur maſculos more Hiſpanorum equos curſare & armis & venationibus fecit filios exercere. Filias autem ne per otium torperent, ad omnem muliebrem honeſtatem erudiri fecit. Sed inimica omnium bonorum inuidia animum Garſiæ Regis Pampilonenſium fratris eius cœpit acrius ſtimulare & de Regis Fredenandi opulentia & felicitate Garſias nimium torquebatur. Rex vero Fernandus cum per omnia manſuetus & pius inueniretur, quadam naturali benignitate fratris inuidia perturbatum animum ſtudebat ad dilectionem fraternam reuocare. Igitur dum Rex Garſias apud Naiaram ægrotaret, Rex Fernandus fraternis commotus viſceribus eum viſere feſtinat. Rex autem Garſias inito conſilio iuſſit ſuis, vt caperent Regem Fredenandum. Sed Fredenandus vt hoc comperit, velociter in patriam ſe recepit. Factum eſt autem conuerſo Rege Fredenando, & ægrotante eum Rex Garſias pro tanto ſcelere mitigando & fratre placando acceſſit humiliter viſitare. Quem viſum Rex Fredenandus Ceiæ in vinculis ponere iuſſit. Sed Rex Garſias callide poſt aliquos dies euaſit, & cum quibuſdam militibus furtim præparatis ad propria remeauit. Qui deinceps Garſias acer & furibundus cœpit aperte manifeſtas occaſiones belli quærere, atque fraternum ſanguinem ſitiens Fernandi fines quouſque attingere poterat, hoſtiliter deuaſtare. Quibus auditis Rex Fredenandus collecto à finibus Galleciæ vniuerſo exercitu iniuriam regni vlciſci properat. Tamen legatos idoneos ad Regem Garſiam miſit, quatenus dimiſſis finibus ſuis vteretur pace, & cū eo mortiferis gladiis confligere nollet. Fratres enim erant; ideoq; vnumquemq; in regno ſuo deceret quiete viuere. Ad hoc etiam tantam ſuorum militū multitudinem Garſiam ſuſtinere non poſſe, illi prædicit. Porro Rex Garſias ferox & animoſus audita legatione nuncios de caſtris ſuis deſpecta pietate fratris exire imperat, & ſtatim ſubinferendo minas ipſos nuncios cum ſociis, qui pugnam ſubierint, triumphato domino more pecudum ſe rapere in patriam dicit. Præſumebat namq; Rex Garſias de iuribus ſuis eo quod tunc temporis, excepto imperio regio, præ omnibus militibus habebatur miles inſignis. Siquidē in omni bello ſtrenui militis & boni imperatoris officia nobiliter agere conſueuerat; illexerat quoque ſibi maximam turbam Maurorum, quos tumultus cauſa ſuis ad pugnam ſociauerat. Igitur Rege Fredenando, & à Rege Garſia dies & locus infœlicis pugnæ conſtituitur. Sed iam Rex Garſias in media valle de Mata Porca poſuerat caſtra, cum Fernandi Regis milites noctu deſuper imminentem præoccupant collem. Qui nimirum milites ex cognatione, vel familia Regis Veremundi fuerant, & vbi voluntatem domini ſui Regis Fredenandi auidam Regem Garſiam viuum capiendi potius quam extinctum animaduertunt, inſtinctu Sanciæ Reginæ communem

ſibi ſan-

ſibi ſanguinem vel dominum vindicare ſingulariter anhelabant. Mane itaque facto cum primo Sol refulſiſſet, vndique ordinatis aciebus ingens clamor vtrinque attollitur, inimica pila eminus iaciuntur, & mortiferis gladiis res geritur. Cohors tamen fortiſſimorum militum, quos paulò ante tetigi, laxis habenis deſuper incurſantes per medias acies ſecando omnem impetum criſpatis haſtis in Regem Garſiam inferunt, atq; confoſſum, exanimem de equo in terrã præcipitãt. In quo bello duo ex magnis militibus Garſiæ cum eo interfecti ſunt. Rex autẽ Fernandus præcepit ſuis ne fugientes Chriſtianos occiderent volens ciuibus parcere. Vnde factum eſt, vt Sarraceni, qui venerant ad pugnandum dum fugerent, maior pars illorum captiuata eſt. Corpus vero Garſiæ Regis in eccleſia B. Mariæ de Naiara ſepulturæ traditũ eſt, quã ipſe à fundamẽto deuote cõſtruxerat, atq; argẽto & auro ſericiſq; ornamẽtis pulchre ornauerat.

Rex autem Fernandus poſtquam mortuo Rege Garſia & Rege Veremundo ab vltimis finibus Galleciæ vſque Toloſam, omne regnũ ditioni ſuæ ſubactum videt, omne tempus reliquum iam ſecurus de patria in expugnãdis barbaris, & eccleſiis Chriſti decorandis agere decreuit. Igitur anno regni ſui decimoſexto de campis Gotthorũ cum exercitu magno mouens in Portugalem profectus eſt. Etenim ex Luſitania prouincia & Betica barbari erumpentes impie dominabantur in partibus illis. Rex autem Fernandus per omne vitæ ſuę tempus hoc immobili mente firmiter ſtatuerat, ſcilicet non prius ab incepto deſiſtere, aut ſemel ſuſcepto labori cedere quàm hoc ꝙ efficere conaretur, perfecto fine cõcluderet: ex qua re formido eius corda barbarorũ perterruerat. Paratis itaq; ſtipendiis omnibus primo impetu oppidum Sena cum circumiacentibus caſtellis inuaſit interfectis barbaris, & ex eis quos voluit in ſeruitutẽ ſibi ſuiſq; redegit.

Triumphato ergo oppido Sena ad debellandam Veſenſem ciuitatẽ accelerat ea ſcilicet cauſa, vt factorum ſuorum reddita vice pro Adefonſo Rege ſocero ſuo interfecto ciuitatis illius barbari ſoluerent debitas pœnas. Erat in ipſa ciuitate ſagittariorum fortiſſima manus, cuius impetũ ſi aliquando milites ad murũ cauſa dimicandi accederẽt, niſi clypeis tabulas ſuperponerẽt, aut aliqua obſtacula fortiora ferre nõ valerent, cum ſagitta ſingularẽ clypeum & loricam pertranſiret. Exploratis igitur omnibus ciuitatis ingreſſibus, poſitiſq; caſtris Rex electos & milites & balearios ad ciuitatẽ curſu tẽdere, & portas obſidere præcepit. Deinde cõmiſſo prælio per aliquot dies cũ magna fortitudine certaretur cepit eam: atq; inuento inibi ſagittario inſigni qui Adefonſum Regem interfecerat, eum manibus & oculis & altero pede priuare iuſſit. Cęteri vero Sarraceni qui gladium euaſerũt, militibus fuere præda. Inde propere mouens caſtra ad Lamecũ ciuitatẽ peruenit, & circumdato exercitu murũ magno conamine irrumpere nititur; q̃ quãuis difficultate loci inexpugnabilis videretur, oppoſitis turribus ligneis, & diuerſorũ generũ machinis, eam breui expugnauit, & Mauros inibi degentes partim gladio interfecit; partim ob diuerſa eccleſiarũ opera anſis ferreis iuſſit cõſtringi. Siquidẽ Rex Fernandus ſolerti ſemper cura prouidebat, vt de victoriarũ ſuarũ ſpoliis ad laudẽ Dei, qui eum victorẽ reddebat, melior pars per eccleſias, & Chriſti pauperes diſtribueretur. Cepit etiã caſtrum ſancti Iuſti ſuper flumen Malua ſitum & Taroca, cum aliis pluribus circumquaq; poſitis, ne in eis cõtra Chriſtianos barbari vlterius præſidia ponerent, ad ſolum vſq; detraxit. Quibus triumphatis vt Conimbria illarũ partium maxima ciuitas, quæ iſtis præfuerat, Chriſto ſubiiceretur limina B. Iacobi Apoſtoli petiit: atque in ipſa eccleſia, quæ dicti Apoſtoli corpus cõtinet, triduũ fecit, & vt gentẽ Chriſtianã dignaretur adiuuare, & Conimbriã ciuitatẽ Chriſtiano cultui ſubiugare Apoſtolus Iacobus, deuotis precibus precabatur. Dotataq; ipſa eccleſia multis muneribus Rex Fernãdus diuino fretus auxilio Conimbriã accelerat, poſitiſq; ſuper eam caſtris cõſedit. Exaudiuit Dñs preces Regis Ferdinãdi: & cũ ipſe pugnaret apud Conimbriã martiali gladio, Iacobus Apoſtolus Chriſti intercedẽdo Dñm pro eo pugnabat in cœlo. Et cum per aliquot tẽporis ſpatia infra muros Conimbriæ Sarracenos teneret incluſos, poſitis in giro machinis & arietibꝰ muros ciuitatis in parte fregerat. Quod vidẽtes barbari legatos ſupplicãdo ad Regẽ Fernandũ miſerunt, quatenus Mauris tantũmodo cõcederet vitã, & acciperet vrbẽ cum omni eorũ ſubſtantia. Rex vero Fernandus adquieſcit, & eiectis Sarracenis quadã die Dominica hora tertia ciuitatẽ cepit. Quod hęc ciuitas meritis B. Iacobi Apoſtoli à Rege Ferdinando capta fuerit, ſic manifeſte innotuit. Venerat enim ab Hieroſolymis quidã Græculus peregrinus, qui in porticu eccleſiæ B. Iacobi diu permanẽs vigiliis & orationibus inſiſtebat. Cumq; intrãtes populi laudando, beatũ Iacobum militẽ decantarent, ipſe peregrinus dicere cœpit eũ non fuiſſe militẽ, ſed piſcatorem. Cum vero pernoctaret in oratione, ſubito raptus in extaſi, ei Apoſtolus Iacobus

apparuit, & tenens quaſdam claues manu cum alacri vultu alloquens dixit. Heri, inquit, pia precantium vota deridens dicebas me militem non fuiſſe. Poſt hæc allatus eſt magnæ ſtaturæ ſplendidiſſimus equus ante fores eccleſiæ, cuius nimia claritas totam apertis ianuis eccleſiam perluſtrabat. Quem Apoſtolus aſcendens innotuit peregrino illis clauibus ſe ciuitatem Conimbriam aperiturum, & Regi Fernando in craſtinum circa tertiam diei horam ſe daturum. Quibus dictis Apoſtolus diſparuit. Facto autem mane peregrinis vocatis clericis & maioribus ciuitatis indicauit eis viſionem, & expeditionis ignarus dixit ipſa die Regem Fernandum Conimbriam habiturum. Qui denotato die legatos cum feſtinatione ad caſtra inuictiſſimi Regis dirigentes inuenerunt Conimbriam à Rege Ferdinando captam ea die & hora qua dixerat peregrinus.

Expulſa itaque de Portugali Maurorum rabie, omnes Sarracenos vltra fluuium Mondego, qui vtramq; prouinciam ſeparat, Rex Fernandus armis ire coegit. His vero ciuitatibus, quas de poteſtate paganorum eripuit Seſnandum conſiliis illuſtrem præfecit. Is namque à Benabeth Rege Beticæ prouinciæ cum alia præda ex Portugali olim raptus, multis præclaris commiſſis inter barbaros inſudãdo in tantam peruenerat claritatem, vt præ omnibus regni ſui barbaris Regi charior haberetur. Quippe cuius neque conſilium neque inceptum vllum fruſtratum fuerat opus. Cæterum vbi relicto Benabeth Seſnandus ad Regem Fredenandum profectus eſt, actis & conſilio & Chriſtianis inſignis & barbaris vſque ad extremum diem valde terribilis fuit. Rex vero Fernandus poſt triumphum limina beati Iacobi Apoſtoli cum immenſis donis deoſculans ad Legionenſem vrbem alacriter eſt reuerſus. Vbi magnatorũ ſuorum generalem habens conuētum ſtatuit barbaros qui à parte Orientis ex prouincia Carthaginenſi & Cæſaraugustano regno inundantes, munitiones & caſtella ſecus flumen Dorij ſita inhabitabant bello aggredi. Erant autem affinitate loci, confinibus Caſtellæ prædas pecudum & mancipiorum extemplo agentes.

Redeunte igitur anni congruo tempore Fernandus Rex dictas ciuitates & caſtella cum magno exercitu inuadit, captoque in breui caſtro Gormaz, vadum Regis acceſſit. Quod oppidum poſtquam ſuæ ditioni mancipauit, ciuitatem Berlangam quæ cætera circumquaq; poſita protegebat caſtra, animoſus petiit. Sarraceni autem illius ciuitatis, ne præda forent Chriſtianis, nimio terrore concuſſi antequã eos Rex interciperet, murum in diuerſa perforantes relicta turba puerorũ & mulierum fugerunt. Poſt cuius triumphum Rex oppidum Aquilera inuaſit. Caſtro quoq; ſancti Iuſti triumphato, ſanctæ Mariæ munitionem pugnando cepit. Caſtrum etiam Guermos aggrediens ad ſolum vſque deſtruxit. Poſtremum etiam deſtruxit omnes turres vigiliarũ, quæ barbarico more ſuper monte Parrantago erant eminentes; atque municipia quę in valle Porceo Rex ob tuitionem arantium & pecudum conſtruxerat. Cæterum vbi Cantabrienſium confinia à fortitudine barbarorũ ex Celtiberia prouincia, & Toletano regno eructantium fecit ſecura, compactis ex omni regno validiſſimis militum baleariorumq; copiis Carthaginenſem prouinciã Fernandus Rex expugnare intendit. Qui ſuperatis Oniæ alpibus plana etiam loca, quæ Sarraceni detinebant, ferro & flamma vaſtauit. Deinde ſecus oppidum Talamanca caſtra mouens cepit eam, & pleraque loca barbarorum armentis & pecoribus aliiſq; proſperis rebus opulentiſſima occuparunt, agros vaſtauit, multa caſtella & oppida cepit & incẽdit, Mauros maſculos interfecit, & pueros ac mulieres, & omnẽ eorum ſubſtantiam militum prædam eſſe iuſſit. Ciuitatem etiam Complutenſem pertingens depopulatis ferro & flamma vndique illius prędiis circumuenit eiuſdem mœnia caſtris. Complutenſes vero barbari poſtquam infra muros conſtricti omnes res ſuas de foris direptas murumq; arietibus feriri vident, neceſſario ad Regem Almemonem Toletanũ legatos mittunt, quatenus tantũ hoſtem vel bello propulſando, ſeu muneribus mitigãdo de ſua & regni incolumitate pertractet. Quod niſi celerius faciat, ſe Toletanũ regnum perditurum in proximo ſciat. Barbarus autem ſaniori vſus conſilio immenſam pecuniam auri & argenti & pretioſarum veſtium conglomerat, atque accepta formidinis ſecuritate ad Regis Fernandi præſentiam humiliter properans, excellentiam illius obnixius poſtulat, vt acceptis muneribus fines ſuos vaſtare deſiſtat. Ad hoc etiam & ſe & regnum ſuum poteſtati illius commiſſum dicit. Porro Fernandus Rex quamuis barbarum ficte loqui intelligebat, tamen pro tempore accepta pecunia & Sacramenti ſponſione, vt ſibi eſſet ſubditus, Carthaginenſem prouinciam expugnare deſinens, multa onuſtus præda in campos Gotthorum ſe recepit.

Cumq; iam glorioſa ſecuritate ditatus Legione in ſolio ſuo reſideret glorioſus, vt patrum ſuorum Regis Reccaredi atq; Regis Adefonſi fidem augeret, & opera ad cumulũ

ſuæ fœ-

ſuæ fœlicitatis, eum Regina Sancia blandis adit colloquiis, quatenus in ciuitate Legionenſi ſibi ſuiſq; poſteris decenter pararet ſepulturam, quam etiam Sanctorum reliquiis ad ſuam & ſuorum tam præſentis vitæ quam futuræ tuitionem decorare ſtuderet. Hæc ſuggerens Regina Sancia dicebat ei: Pollet hæc ciuitas ſitus nobilitate, eo quod ſit iucunda terris, ſalubris aere, fluminibus irrigua, pratis & hortis fæcunda, montibus & fontibus delitioſa, arboribus nemoroſa, atque religioſorum virorum habitationi aptiſſima. Decreuerat namq; Fredenandus Rex apud monaſterium Sancti Facundi, quod ſemper carum habebat, vel in Eccleſia ſancti Petri de Arlanza corpus ſuum tradere ſepulturæ. Sed victus petitionibus, ſuæ dilectiſſimæ coniugis ſtatim deputantur cæmentarij, qui aſſidue dent operam in lapidibus dolandis & Eccleſia conſtruēda tam digniſſimo labori. Tunc Rex Fernandus Legionenſium ciuium precibus inclinatus Zemoram, quæ à Sarracenis deſtructa fuerat, populauit & dedit ei perpetuo bonos foros & nobiliſſimos mores. Extiterant quippe ab antiquo Legionenſes & Zamorenſes amicitiis copulati, & Almanzor barbarus vtramq; deſtruxerat ciuitatem. Interea Rex Fernandus cum venerabili coniuge, quibus idem inerat ſanctum & firmum deſideriū, excogitans qualiter de ſanctorum Martyrum corporibus, qui fuerant in Hiſpalenſi ciuitate trucidati pro Chriſti nomine poſſet adipiſci vel vnum, ordinatis per cōfinia rebus cum primo aduenit opportunitas temporis congregato exercitu innumerabili in Beticam & Luſitaniam prouincias, quibus barbarorum Rex Benabeth præerat, hoſtiliter profectus eſt. Depopulatis itaque barbarorum agris, & pleriſq; villis incenſis eidem Benabeth Rex occurrit cum magnis muneribus, eumq; per amicitiam & regni decus obſecrat, ne ipſum regnumq; perſequi velit, ſed illum ſicut cæteros Sarracenos Hiſpaniæ Reges ſubiectum tributariū dignetur habere. Rex vero Fernandus grandæui barbari precibus flexus omnes idoneos viros, qui ex hybernis conuenerant ad bellandum pro fide vocari iubet, quorum conſilio diſponat, quem finem ſupplicationibus Regis Maurorum imponat, ſed viri prudentes ſuperni diſpenſatione conſilij conſulunt illi, vt barbarum recipiat cum muneribus, & corpus beatæ Iuſtæ martyris, quæ olim apud Hiſpalim cum corona virginitatis & martyrij perrexit ad Chriſtum, prout eius inſidebat animo expeteret ad Legionenſem vrbem transferendum, quod factum eſt petitionibus eius, vt catholicus Fredenandus voluit, aſſenſum præbuit Benabeth: & ei ſe daturum ſanctæ Iuſtæ virginis corpus promiſit. Qua ſponſione accepta poſtquam de expeditione illa glorioſe ventum fuit Legionem, conuocauit Rex miræ ſanctitatis Aluitum Legionenſem Epiſcopum, & Ordonium immutabilem fide, prudentia & largitate Aſtoricenſem antiſtitem, ſimulq; Munionem comitem, atque Fernandum & Gundiſaluum ſui palatij optimates: & cum manu militum eos ad deferendum ſupradictæ virginis corpus Hiſpalim miſit. Qui venientes cauſam ſuæ legationis Regi Benabeth patefecerunt. Rex itaq; paganus eos cum magno ſuſcipiens honore egit conſilium cum ſuis quid ſupra hoc ageret; & accepto ſuorum conſilio reſpōdit nunciis Regis Fernandi, ſe neſcire vbi eſſet prædictæ virginis & martyris corpus. Tunc beatus Aluitus Legionenſis Epiſcopus vna cum glorioſiſſimo Ordonio Aſtoricenſi Epiſcopo indixerūt triduanum ieiunium ſociis, vt Dominus eis oſtendere dignaretur corpus ſanctiſſimum quod quærebant. Tunc apparuit ambobus Epiſcopis orātibus Chriſti confeſſor Iſidorus, & oſtendit eis ſui corporis locum, præcipiens vt eum deferrēt ad ciuitatem Legionenſem decorandam. Sed cum ex licentia Regis Benabeth tumulus beatiſſimi Doctoris Hiſpaniarum Iſidori aperiretur, balſami ros de oſſibus illius exhalauit, & arbores & homines qui aderant, perfudit. Multa etiam alia miranda in ipſo loco & in itinere facta ſunt, dum duceretur Legionem. Delata ſunt beati confeſſoris Iſidori membra Legionem, & in tumulo aureo à Rege Fredenando & Sancia Regina ſuper altare ſancti Ioannis Baptiſtæ venerabiliter collocata, vbi tot miracula ad laudem Chriſti nominis quotidie declarantur, vt ſi quis peritus ea membranis traderet, non minima conficeret librorum volumina.

Poſt aduentum autem ſancti corporis Iſidori ſummi Pontificis in Legionem, quia ciuitas Abulenſis in vaſtitatē olim à Sarracenis redacta fuerat, tranſtulit ex ea Rex Fernandus corpora ſanctorum Martyrum Vincentij, Sabinæ, & Chriſtetæ. Corpus ſancti Vincentij martyris cum parte reliquiarum ipſius germanarum Rex Fernandus iuxta techam beati Iſidori Doctoris Hiſpaniarū honorifice collocauit in Legione. Corpora vero ſanctarum Sabinæ, & Chriſtetæ in eccleſia ſancti Petri de Arlanza tumulauit. Sed magnam ex eis partem Palentiæ contulit. Regina etiam Sancia poſtulante patrē ſuum Regem Sanciū à monaſterio Onienſi tranſtulit, & cū aliis Regibus Legione ſepeliuit.

Post hæc venerabilis Rex Fernandus in defendendo, ampliando simulque exornando regno inuictissimus Princeps cum in solio suo Legione resideret serenus, habito magnatum suorum concilio generali, vt filij sui, si fieri posset, post obitum eius quietam ducerent vitam, illi regnum etiam eis diuidere placuit. Dedit Domno Sancio à flumine de Pisorga totam Castellam, Naiaram, & Pampilonam cum omnibus regalibus sibi pertinentibus in montibus Pyrenæis vsque Tolosam. Dedit domno Adefonso Legionem per flumen de Pisorga, & totas Asturias de Transmera vsque ad flumen Ouæ. Astoricam etiam Campos, Zemoram, campum de Tauro, Berizum vsque in villam Vxor in monte Zebrero. Dedit domino Garsiæ totam Galleciam vna cum toto Portugali. Tradidit etiam filiabus suis Vrracæ scilicet & Geloyræ totum infantaticum cum omnibus monasteriis, quæ ipse construxerat, admonens, vt vsque ad exitum huius vitæ ipsas Ecclesias adornarent, & absque mariti copula viuerent. Religionem etiam Christianam, quam ab infantia deuotè amplexatus fuerat, summa cum deuotione custodiens, quam in Legione nouiter construxerat Ecclesiam, & in honore Sancti antistitis Isidori fecerat dedicari, plurimæ pulchritudinis auro & argento lapidibusque preciosis & cortinis sericis decorauit. Eandem Ecclesiam mane, vespere & nocturnis horis atque sacrificij tempore impigre frequentabat, & interdum cum clericis in Dei laudibus modulando in ecclesia pollenter vices cantoris explebat, quod quia beatus confessor Isidorus Doctor & Legislator Hispaniarum extiterat, Rex Fernandus statuit, vt in eius Ecclesiæ leges Gotthicæ à Legionensibus omnibus † discernerentur. Colebat etiam Rex Fernandus nimia veneratione Ouetensem Sancti Saluatoris Ecclesiam, quam multo auro & argento & lapidibus pretiosis ditauit. Ecclesiam etiam beati Iacobi Apostoli diuersis muneribus studuit exornare. Quid plura? neque Fernandus pius & excellentissimus Princeps vitæ suæ curriculo quicquam carius duxit, quàm vt regni suæ Ecclesiæ principales suis donis fulgerent, atque omnes per illum non solum quiete ac defensione, verum etiam suis laboribus ornatæ & ditatæ forent. Amabat pauperes peregrinos, & in eis suscipiendis magnam habebat curam. Ad hæc etiam vbicumque monachos, canonicos, clericos, vel mulieres Deo dicatas viuere in paupertate reperiebat, eorum penuriæ compatiens, aut per se, vt eos consolaretur venire, seu pecuniam mittere crebro consueuerat. Vnde factum est, vt quadam die ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Legionensis sedis Missam auditurus veniret, atque inspiceret subdiaconum conscissa serica tunica ministrantem. Post hæc per singulos diligenter aspiciens vidit quosdam pueros clericulos ipsius Ecclesiæ in choro nudis pedibus stantes. Qui misericordia motus plures vestes sericas ad ministerium diuinum eidem Ecclesiæ contulit, & quingentos solidos seu amplius ad opus calceamentorum Canonicorum in castro Iudæorum, quod est iuxta ciuitatem, eandem annuatim habendos perpetuo concessit.

† *seruarentur*

Post hæc cœnobium Sancti Facundi visitare misericorditer veniens, dum ibi erat monastico contentus ordine cum eisdem monachis orabat, & cum eis humiliter sumebat cibum. Cæterum quadam die ex more coram Abbatis mensa, super quam & ipse Rex recumbebat, allatum est domino Regi quoddam vitreum vas vino plenum. Quod iussu Abbatis, vt de vino pro benedictione biberet, Rex incaute accipiens, cecidit vas super mensam, & frustatim confractum est. Tunc Rex anxietate velut magni reatus percussus vocat ad se vnum de circumstantibus pueris, & vas aureum preciosis lapidibus insignitum quo ipse assidue bibebat, sibi adduci celeriter imperat. Quod sine mora defertur, & Rex eum accipiens se erexit, & fratres sic allocutus est, dicens: En domini mei pro confracto hoc beatis martyribus restituo vas. Statuit quoque per vnumquemque annum dum viueret pro vinculis peccatorum soluendis Cluniacensis Cœnobij monachis mille aureos ex proprio ærario dari. Regina autem Sancia vxor eius non minus eo consimilibus sanctis operibus insistebat, & sapientia plena ita suberat viro, vt particeps laboris fieret in regno. Dum enim ad bellandos Agarenos Rex Fernandus longe lateq; procederet, Regina Sancia in tantum ei equos, arma & omnia necessaria ministrabat, vt nihil deesset exercitibus Christianis, sed bonis abundantes viriliter persequerentur inimicos Christi. Quibus rebus benè ordinatis cum expedita manu multorum militum ad Celtiberiæ prouinciæ pagos vastandos, ac villas Maurorum diripiendas Rex Fernandus profectus est. Non enim volebant sibi Sarraceni illius prouinciæ reddere solita tributa. Cumque ibi diu moraretur, omnia quæ extra munitiones erant, ferro & igne depopulatus, Valentiam ciuitatem accessit. Quam breui expugnasset, nisi ægritudine correptus decubuisset. Omnibus tamen

Celtibe-

Celtiberiæ prouinciæ ciuitatibus & caſtellis in deditionem acceptis almus Doctor Iſidorus ei apparuit, & diem ſui exitus imminere innotuit, & in ipſa corporis valetudine menſe Decembri Legionem delatus, apud ſancti Iſidori confeſſoris Chriſti memoriam orauit. Ingreſſus eſt enim in ciuitatem nono Kalen. Ianuarij, die Sabbatho, & ex more corpora Sanctorum fixis genibus adorans, petebat, vt quia iam terribilis hora mortis ſibi imminere videbatur, ipſis cum Angelicis choris interuenientibus anima eius à poteſtate tenebrarum libera ante Chriſti tribunal ſui Redemptoris illæſa præſentaretur.

Cæterum in ipſa celebri Natiuitatis Domini nocte, cùm clerici feſtiuo more natalicium matutinum canerēt, affuit inter eos dominus Rex atque virtute qua poterat concinere cœpit vſque ad vltimum Pſalmum matutinorum. Aduenit nobis, verſus quem tunc temporis more Toletano canebant, ſuccentoribus reſpondentibus. Erudimini omnes qui iudicatis terram. Quod Fernando ſereniſſimo Regi non incongrue veniebat. Quia dum ſibi viuere licuit, regnum catholice gubernauit; & ſe ipſum preſſum pudicitiæ freno funditus eruditum reddidit. Porro illuceſcente natiuitatis filij Dei clara vniuerſo orbi die, vbi dominus Rex ſe artubus deficere proſpicit, Miſſam canere petit, ac percepta corporis & ſanguinis Chriſti participatione ad lectum manibus deducitur ſuſtentantium. In craſtinum vero luce adueniente ſciens quod futurum erat, vocauit ad ſe Epiſcopos & Abbates, & quoſque religioſos viros, & vt exitum ſuum confirmarent, vna cum eis ad eccleſiam defertur ornatus cultu regio, & corona aurea impoſita capiti. Deinde fixis genibus coram altari ſancti Ioannis Baptiſtę, & Sanctorum corporibus, ſcilicet Iſidori confeſſoris, & Vincentij martyris clara voce ad Dominũ dixit: Tua eſt potentia, tuum regnum Domine; tu es ſuper omnes Reges, tuo imperio omnia regna cœleſtia & terreſtria ſubduntur. Ideoq; regnũ quod te donante accepi, & quamdiu tuæ liberæ voluntati placuit, regi, ecce reddo tibi: tantum animam meam de voragine iſtius mundi ereptam, vt in pace ſuſcipias deprecor. Et hæc dicens exuit regalem clamidem qua induebatur corpus, & depoſuit gemmatam coronam, qua caput ambiebatur, atque, cum lachrymis ſolo proſtratus pro delictorum venia Dominum attentius exorabat. Tunc ab Epiſcopis accepta pœnitētia, & Extremę vnctionis ſacramento peracto, induitur cilicio pro indumēto regali, & aſpergitur cinere pro aureo diademate. Cui in tali pœnitentia permanenti coram prædicto altari duobus diebus à Deo viuere datur. Sequenti autem die, quæ eſt feria tertia, hora diei ſexta, in qua ſancti Ioannis Euangeliſtæ feſtum celebratur, inter manus pontificum, cœlo, vt credimus, tradidit ſpiritum. Sicque in ſenectute bona, plenus dierum, perrexit in pace, era MCIII. cuius corpus humatum eſt cum magna gloria in Eccleſia beati Iſidori ſummi Pontificis in Legione iuxta patrem ſuum Regem Sancium. Regnauit in Legione & Caſtella ſimul annis viginti & octo, menſibus ſex, diebus duodecim. In Caſtella vero priuſquam obtineret regnum Legionenſe, regnauerat fere duodecim annis. Viuente adhuc patre eius Sancio regnare cœpit in Caſtella, & completi ſunt anni regni eius feliciter quadraginta. Regina autem Sancia duobus annis ſuperuixit, & obiit ſexto Idus Nouembris, & iuxta eum quieſcit in Legione.

Poſtquam igitur bonæ memoriæ Rex Fredenandus ſuperſtitibus liberis Sancio, Adefonſo, Garſia, Vrraca & Geloyra extremum clauſit diem, quamquam adhuc viuens pater regnum eis diuiſiſſet, per ſeptem tamen continuos annos inteſtinum bellum † inſolubiliter geſſerunt extincta duobus magnis prælijs non modica Gotthorum militum parte. Tanta fuit diſcordia fratrum cupiditate dominandi, quod inter mortales ab initio factum fuiſſe nullus ambigit prudens, niſi aliquis negotiis ſecularibus occupatus, qui lectionis ſtudio nequit operam dare. Scrutare ſedulo Regum geſta, & inuenies, quia ſociis in regno fere nunquam pax diuturna fuit. Porro Hiſpanici Reges tantæ ferocitatis dicuntur fuiſſe, quod cum ex eorum ſtirpe quilibet regulus adulta ætate iam arma primo ſumpſerit, ſiue in fratres, ſeu in parentes, ſi ſuperſtites fuerint, vt ius regale ſolus obtineat, pro iuribus contendere parat.

† implacabiliter

Vrraca ſiquidem moribus nobiliſſima à patre ac matre fratri Adefonſo fuerat commendata, quem ſemper præ filiis carum habuerant. Rex autem Adefonſus ex quo Legionenſe regnũ obtinuit, obediebat ſorori Vrracæ tanquam matri. Cui propter varios imminentes caſus Zemoram vrbem contulit, in qua ſe poſſet à fratrum imminentibus cladibus tueri. Poſt hæc Rex Sancius, vt erat fortis & animoſus, cum magno exercitu ſuorum caſtra mouit cōtra Regem Adefonſum. Rex vero Adefonſus in locũ qui Plantata dicitur, occurrit ei cum exercitu ſuo. Inito autem certamine ſuccubuerũt Legio-

nenses,& ex vtraque parte multa Christianorum millia corruerunt. Deinde Rex Adefonsus maiori manu militum congregata, induxit bellum fratri suo Regi Sancio in loco qui dicitur Golpeyar in ripa fluminis Carrionis. In quo bello fortiter vtrisque instantibus tanta Christianorum mutua cæde facta est strages, vt sine gemitu excogitari non posset. Tandem victus Rex Sancius cum suis terga dedit. Rex autem Adefonsus præcepit suis, vt non insequerentur fugientes.

Sed in illis diebus surrexerat miles quidam nomine Rodericus Didaci armis strenuus, qui in omnibus suis agendis extitit victor. Hic cum iam esset magni nominis Regem Sancium adhortatus est, dicens: Ecce, inquit, Gallæci cum fratre tuo Rege Adefonso post hodiernam victoriam quiescunt securi in tentoriis nostris. Irruamus igitur super eos primo mane illucescente die, & obtinebimus ex eis victoriam. Rex Sancius acquieuit consiliis eius, & reuocato vt potuit exercitu suo, illucescente die cum quiescerent securi Legionenses, irruit super eos; & cum essent inermes cesserunt pugnæ, & captus est Rex Adefonsus in Ecclesia sanctæ Mariæ de Carrione, & in vinculis religatus. Vrraca vero nobilissima vt audiuit fratrem suum Adefonsum captum, timens ne zelo regni ipsum Rex Sancius interficeret, venit velociter & pepigit cum Rege Sancio, vt illi Adefonsus regnum Legionense dimitteret, & iret ad Sarracenos, nunquam sine sui iussione viuente Rege Sancio reuersurus. Acquieuit Rex Sancius: & accepto regno fratris Adefonsum ad Sarracenos ire permisit, Zemorenses tamen & quidam nobiles de regno Legionis noluerunt Regi Sancio subijci, sed pro Rege Adefonso & Regina Vrraca fortiter resistebant. Rex etiam Sancius fratrem suum Garsiam iuniorem cepit,& vt sibi esset subditus acceptis obsidibus,& sacramentis eum dimisit.

Erant tunc temporis in regno Legionensi tres fratres nobiles,& sapientissimi, scilicet, Petrus Ansuri, Gundisaluus Ansuri, & Fernanduss Ansuri: quos nobilis Vrraca de beneplacito Regis Sancij cum Adefonso regno priuato ad Regem Toletanum Almenonem ire fecit. Hoc autem prouida dispensatione Dei credimus factum fuisse. Cum enim Adefonsus ad Regem Toletanum Almenonem venisset, & vt tantus Rex à barbaro cum honore susciperetur, & circumuallatus globo Maurorum huc atque illuc apud Toletum circumduceretur gratia spatiandi, Adefonsus altius quam credibile est ingemiscens, quibus locis, quibusue machinamentis ciuitas illa Christianorum totius Hispaniæ olim speculum à Paganorum manibus erueretur pectoris secreto voluebat. Sed cum die quadam Adefonsus sub vna arborum quasi dormiens iaceret, & Almenon cum suis consiliariis loqueretur, si Toletum fortissima ciuitatum posset ab aliquo capi, vnus barbarorum intulit, dicens: Si, inquit, per septem annos huic ciuitati continue auferantur fruges & fructus, & in octauo hostium obsidione valletur, poterit hæc ciuitas capi. Adefonsus, qui se dormire simulabat, hæc audiens condebat in corde suo. Factum est etiam quodam die in magno festo barbarorum, vt Adefonsus Regi barbaro assisteret causa ipsum exhilarandi: & cum appropinquaret Regi Almenoni, capilli verticis Adefonsi erigebantur. Rex autem Almenon eos manu comprimens, iterum atque iterum magis erigebantur. Quapropter barbaro cum suis consilio habito consulebant ei, vt Adefonsum occideret, eo quod ipse Toletum capere deberet prognostico se erigentium capillorum. Rex vero Almenon noluit eos audire, ne fidem solitam frangere videretur; sed vocato ad se Adefonso, dixit ei: Iura, inquit, mihi per Deum tuum, vt me viuente nec mihi, neque regno meo inferas malum. Iurauit Adefonsus, & quod poscebat barbarus se facturum promisit, & etiam contra omnes hostes eius, promisit se omnimodum auxilium & obsequium præstaturum. Ex hoc factus est Adefonsus Almenoni Regi familiarior,& ipsum tenerrime diligebat. Regebatur tunc temporis Adefonsus consilio suprafati Petri Ansuri, & eum tanquam discipulus audiebat.

Dum hæc agerentur, Rex Sancius voluit capere Vrracam sororem suam,& horum ipsa præscia se Zemoræ inclusit. Sed Rex Sancius aggregato exercitu magno Legionensium, Castellanorũ & Pampilonensium Zemoram obsedit. Zemorẽses vero Adefonsi Regis domini sui non ferentes repulsam, eo tempore inuictissimi perstiterunt, & Ariam Gundisaluum, qui eandem Vrracam nutriebat, super se Principem erexerunt, sicut eis nobilis Vrraca constituerat. Et dum Sancius Rex esset in ipsa obsidione, egressus est de ipsa ciuitate magnæ audaciæ miles nomine Vellitus Arnulfi, qui ipsum Regem Sancium ex aduerso lancea inopinate percussit. Qua lancea Rex dolo perfossus vitam simul cum sanguine fudit. Idem vero miles qui eum tam audacter percussit,

cursu

cursu rapidissimi equi Zemoræ receptus est. Sed interempto Rege, tunc cerneres ex tanta exercituum audacia, tantaque lætitia, quanta dispersio, quantaque tristitia in illo tanto tamque nobili exercitu fuerit. Namque vt quisque miles per castra circumsedebat percussus horribili sonitu, quasi amens effectus relicto fere omni stipendio arripuit fugam, & non ordinate, vt exercitus armis vigiliisque munitus solitus est incedere, sed noctibus diebusque laborando, omnes in patriam rapiuntur. Cohors tamen fortissimorum militum de Castella memores sui generis ac pristinæ virtutis armis fortiter resistendo exanime domini sui corpus quantum licebat egregie detulerunt, & regio funere circumuectum apud Oniense cœnobium magno cum honore sepulturæ tradiderunt, era M C I X.

Nobilis vero Vrraca concite misit nuncios ad fratrem suum Adefonsum, vt accelararet venire, & accipere regnum suum. Egit tamen caute præcipiens nunciis, vt hæc celarent Sarracenis, timens ne forte scientes mortem Regis Sancij caperent Adefonsum. Quidam etiam falsi Christiani statim vt mortuum viderunt Regem Sancium præcurrerunt, vt Regi barbaro Almenoni mortem Regis Sancij nunciarent. Præfatus vero Petrus Ansuri cũ esset vir prudens, & lingua Arabica eruditus, egrediebatur quotidie quasi spatiando mane & vesperi extra Toletum trium milliariorũ spatio vel amplius, & aspiciebat contra Castellam, si forte veniret aliquis qui sibi rumores nunciaret. Sed factum est vespere quodam vt veniret quidam cursor, qui dum esset interrogatus ab eo, & Regis Sancij mortem sibi detulisset, adiiciẽs etiam quod hoc volebat nunciare Regi Almenoni, Petrus Ansuri duxit eum extra viam, quasi habens aliquid interrogare, & amputauit caput eius. Similiter fecit alio nuncio, qui veniebat post ipsum. Tertium vero accepit nuncium dominæ Vrracæ, & festinauit venire Toletum, & parare equitaturas, ac necessaria, quatenus Adefonsus ipsa nocte se in patriam † recepisset. [*forte recipe-ret.*] Et quia Rex Adefonsus promiserat Regi Almenoni, quod non prius ab eo discederet, nisi ei suum reditum nunciaret, Adefonsus ipsa nocte Regi Almenoni astitit, & ab eo cœpit auxilium militum Maurorum petere dicens, se velle reuerti in patriam, vt esse suis auxilio posset, sed mortem Regis Sancij barbaro nullatenus vindicauit. Barbarus autem patricij hominis iacturæ primo compassus, ne in hostiles manus rursus velit incidere monet. Ad hęc Adefonsus fortunam fratris & virtutem satis se expertum dicit. Tantum vt sibi Maurorum auxilia præberet quamuis callide, tamen instantissime supplicabat. Barbarus autem illius importunitate tędio affectus dixit ei: Recede modo, quia de hac re alias licentius loquemur. Porro Petrus Ansuri extra Toletum equitaturas caute parauerat antequam portæ ciuitatis clauderentur. Adefonsus autem postquam se à Rege Almenone quasi licentiatum vidit, scilicet dum ei dixisset, recede nunc, à suis in conticinio noctis per murum dimissus, sicut erat prouidus, per totam noctem equitando in patriam se recepit. Almenon autem cœpit cum suis conferre quare vellet ad patriam reuerti Adefonsus. Sarraceni autem barbaro dixerunt, quia fortassis de morte fratris acceperat nuncium. Tunc ex definitione consultum est, vt primo mane caperetur, ne forte esset in excidium aliquando Toletanis. Facto vero mane misit Almenon apparitores qui caperent Adefonsum, & cum non esset inuentus, atque dictum fuisset, eum de nocte fugisse, misit post eum milites plures ad capiendum ipsum, qui eo non inuento reuersi sunt.

Rex autem Adefonsus Zemoram veniens accersita sorore Vrraca aliisq; illustrissimis viris, habuit cum eis secretum colloquium. Quæ profecto Vrraca à pueritia Adefonsum præ cæteris fratribus fraterno amore tenerrime diligebat. Cum enim maior esset ætate eum loco matris alebat, induebatque. Pollebat namque Vrraca consilio & probitate. Quippe quod veritate magis quam opinione potest probari spretis carnalibus copiis periturique mariti amplexibus de foris sub laicali habitu, sed intrinsecus sub moniali obseruatione, Christo vero sponso adhęsit, ac omni vitę suę tempore in ornandis auro, argẽto, preciosisq; gemmis sacris altaribus sacerdotalibusq; studuit vestimentis. Igitur in suprafato colloquio diffinierunt qualiter nuncios per regna Hispaniæ mitterent, & sapienter se agerent in dispositione regnorum. Legionenses autem Gallæci, & Astures audientes Regis Adefonsi aduentum, ei cum magna lætitia Zemoram occurrere, sibi eum Regem ac dominum acclamantes. Rex vero Garsias frater Regis, vt vidit sui regni Gallæcos ad Regem Adefonsum properare, iratus est valde: & cœpit bellum inferre Regi Adefonso fratri suo. Rex autem Adefonsus habito consilio sororis Vrracæ & Petri Ansuri, misit ad fratrem suum Regem Garsiam, vt cum eo tractarent de pace. Garseanus autem vt nuncios fratris vidit, (& erat simplicis ingenij) venit ad

Regem Adefonſum nulla fide de ſecuritate accepta ab eo. Rex vero Adefonſus Regem cepit Garſiam fratrem ſuum, & in vinculis poſuit, cui præter licentiam imperandi omnis regius honor exhibebatur. Conſiderabat namque Adefonſus hunc poſt ſe regnaturum. Obtinuit tunc Rex Adefonſus regnum Portugaliæ & Gallæciæ fratris ſui.

Poſt hæc Caſtellani nobiles, & Pampilonenſes, cum nullus eſſet ſibi de genere regali, quem dominum poſſent habere, venientes ad Regem Adefonſum, eum Regem fecerunt, hac tamen conditione interpoſita, vt prius iuraret, quod nunquam fuerat in conſilio mortis Regis Sancij fratris ſui. Cumque nullus eſſet, qui iuramentum à Rege auderet accipere, ſuprafatus Rodericus Didaci ſtrenuus miles iuramentum à Rege accepit. Quapropter Rex Adefonſus ſemper habuit eum exoſum. Poſtquam autē Rex Adefonſus fratrum ſuorum regna obtinuit, ſapientiſſimam ſororem ſuam Vrracam Reginam fecit vocari, cuius prudenti conſilio diſponebat quæcumque erant gerenda in regno. Tam ſapienter Rex Adefonſus regni geſſit gubernacula, vt omnes poteſtates, nobiles, diuites, vel pauperes, qui erant in regno, erant in quiete, ita quod non auderet vnus contra alterum litem mouere, nec aliquid mali facere. Pater erat & defenſor omnium Eccleſiarum, & per omnia Catholicæ religionis cultor. Tam terribilis fuit omnibus male agentibus, quod nequaquam auderent apparere in conſpectu Regis. Tanta pax fuit in diebus quibus ipſe regnauit, vt vna ſola mulier portans aurum vel argentum in manu ſua per totum regnum eius, tam in mōtibus quam in campis, non inueniret qui tangeret eam, vt aliquid mali faceret ei. Negociatores & peregrini tranſeuntes per regnum eius nihil verebantur, quia non erat aliquis qui eos moleſtare auderet. Studuit etiam facere omnes pontes, qui ſunt Lucronio, vſque ad ſanctum Iacobum.

Factum eſt autem cum Rex Cordubenſis Regem Almenonem impugnaret, Rex Adefonſus congregato magno exercitu, venit verſus Toletum. Rex Almenon vt hoc audiuit, timuit valde, & miſit nuncios ad Regem Adefonſum, qui ei ad memoriam reducerent bona quæ fecerat ei barbarus Toletanus, & eum ſupplicarent pro pace. Rex Adefonſus honorifice ſuſceptis nunciis barbaris dixit eis: Reuertimini ad dominum veſtrum Almenonem, & dicite ei, quia ad auxilium eius venio contra Regem Cordubenſem. Recordetur quia dum ſecum eſſem quadam die adiurans me interrogauit, vt dicerem ei, quid facerem ſi regnum patrum meorum haberem. Ego vero reſpondi ei, quod aggregato magno exercitu properarem adiuuare ipſum contra omnes aduerſarios eius. Quod dum Almenoni hæc nunciata fuiſſent, lætatus eſt valde, & miſſis ſibi famulis ſuis, qui Toleto fuerant detenti, & muneribus magnis, perrexit cum eo contra Cordubenſes. Sed Rex Adefonſus omnia, quæ in circuitu Cordubæ erant, ferro & flamma deuaſtans, cum infinita præda Legionem reuerſus eſt. Tunc accepit vxorem nomine Conſtantiam, ex qua genuit Vrracam, quæ fuit vxor comitis Raymundi. Poſt cuius mortem duxit vxorem nomine Bertam, de Tuſcia oriundam. Quartam quoque duxit nomine Eliſabeth, filiam Ludouici Regis Franciæ, ex qua genuit Sanciam coniugem comitis Roderici & Geloyram, quam duxit Rogerius dux Siciliæ. Quintam quoque duxit nomine Beatricem, quæ poſt mortem Regis in ſuam patriam repedauit. Habuit etiam duas concubinas nobiliſſimas, priorem Xemenam Munionis, ex qua genuit Geloyram vxorem comitis Toloſani Raymundi: & Raymundus genuit ex Geloyra Adefonſum Iordani. Habuit etiam Rex Adefonſus ex prædicta Xemena Munionis filiam nomine Tharaſiam, vxorem comitis Henrici, & Henricus genuit ex ea Vrracam, Geloyram, & Adefonſum, qui fuit Rex Portugalenſium. Poſteriorem quoque Rex Adefonſus habuit nomine Zaydam filiam Benabeth Regis Sibiliæ: ex hac genuit Sancium, qui fuit mortuus in lite de Veles.

Habuit Rex Adefonſus pacem cum Almenone Rege Toletano, quamdiu ipſe barbarus vixit: & fecit ei gratiam & honorem. Poſt obitum vero Almenonis Rex Adefonſus cœpit expugnare ciuitatem Toletum, & per ſeptem continuos annos abſtulit ipſi ciuitati fructus & fruges. Anno autem octauo cum diuino adiutorio cepit ipſam ciuitatem Toletanam, quæ olim fuerat mater & gloria regni Gotthorum. Poſt hæc cepit Talaueram, Sanctam Eulaliam, Maquedam, Alphamin, Argenzam, Magenzam, Mageritam, Olmos, Canales, Caſatalipham, Talamancam, Vzedam, Godalphaiaram, Fitam, Ribas, Caracoyam, Moram, Aluede, Conſogram, Veles, Maſatrigo, Concham, Almodouar, Alaeth, & ex alia parte cepit Cauriam, Vlisbonam, Sintriam, Santarem. Populauit etiam Rex Adefonſus totam Strematuram, & totam Caſtellam,

ſtellam,

ſtellam, & ciuitates & villas, quarum nomina hæc ſunt, id eſt, Salmantica, Abula, Coca, Olmedo, Medina, Secobia, Iſcar & Colar. Perluſtrauit Rex Adefonſus omnes ciuitates Sarracenorum, & deuaſtauit & deprædatus eſt multa caſtella ipſorum, & fecit ſibi tributarios omnes Hiſpaniæ Sarracenos. Qui ad tantam deuenit gloriam, vt Imperatorem Hiſpaniæ faceret ſe vocari. Eodem tempore Rodericus Didaci miles ſtrenuus pugnauit cum Petro Rege Aragonum in campo, & cepit eum. Poſt hæc obſedit Valentiam, & cepit eam. Deinde vicit barbarorum Regem Buchar, & interfecit multa millia Sarracenorum. Rex autem ſuprafatus Garſias frater Regis Adefonſi cum eſſet in vinculis ægrotauit, & minuit ſe ſanguine. Sed cum nunciatum fuiſſet Regi Adefonſo fratrem ſuum grauiter ægrotare, doluit valde, & iuſſit eum extrahere à vinculis, & ducere Legionem. Per viginti annos tentus fuit Rex Garſias in vinculis, & cum Rex Adefonſus non haberet filium qui ſibi ſuccederet, ad hoc ſeruabat Regem Garſiam, vt regnaret poſt ipſum. Timebat tamen à vinculis eum extrahere, ne pararet rebellionem, & turbaretur regnum. Rex autem Garſias cum veniret Legionem in itinere mortuus eſt: cuius funeri ambæ ſorores, Vrraca ſcilicet & Geloyra more regio occurrentes, & Renerio Romanæ Eccleſiæ Legato, qui poſtea Papa effectus eſt, & cum Bernardo Toletano Archiepiſcopo, aliiſq; comprouincialibus Epiſcopis & Abbatibus Legione Synodum celebrabat, omnibus pro eius anima Deo ſalutarem hoſtiam offerentibus, corpus eius in eadem vrbe cum patribus ſuis ſepulturæ honorifice tradiderunt, era M C X X I X.

In prædicta vero Synodo almi Sacerdotes de fide Catholica colloquētes ſtatuerunt, vt ſecundum regulam beati Iſidori Hiſpalenſis Archiepiſcopi eccleſiaſtica officia in Hiſpania regerentur. Statuerunt etiam vt ſcriptores de cætero Gallicam litteram ſcriberent, & prætermitterent Toletanam in officiis eccleſiaſticis, vt nulla eſſet diuiſio inter miniſtros Eccleſiæ Dei. Eo tempore Rex Adefonſus offendit grauiter Comitem Caſtellanum, Garſiam de Cabrera: & cauſa placandi ipſum, dedit ei Geloyram ſororem ſuam in vxorem, & pacificauit totum regnum, quod in ſeditionem vertebatur. Videns etiam Rex ſe non habere filium qui regnaret poſt ipſum, tradidit filiam ſuam primogenitam Vrracam nobiliſſimo viro comiti Raymundo, qui erat de regali genere Gotthorum, vt de tali coniugio Regum ſemen ſuſcitaretur. Comes Raymundus de coniuge ſua Vrraca genuit primogenitam filiam Sanciam, & ſecundo Adefonſum. Tunc comes Raymundus de præcepto Regis Salamanticam populauit. Obiit glorioſa Regina Vrraca Fernandi: & Legione in eccleſia beati Iſidori ſepulta eſt. Soror quoque eius Geloyra Fernandi, obiit, & Legione iuxta ſororem ſepulta eſt.

Cum igitur Rex Adefonſus regnaret ſecurus, cum tantis proſperitatibus accepit filiam Regis Benabeth, vt præmiſſum eſt quaſi pro vxore, & genuit ex ea Sanciam. Deinde habito conſilio cum Benabeth euocauit ad Hiſpaniæ partes, barbaras, tranſmarinas gentes, quæ Almorabides ſiue Almophades vocantur. Putauerat enim Rex Adefonſus, quod prædictæ gentes pugnarent cum cæteris Sarracenis, & mutuo gladio barbari delerentur. Sed ipſi Sarraceni Almophades partim gladio, partim conſilio ipſos Hiſpaniæ Sarracenos in ſuam concordiam redegerunt: & conſtituerunt ex genere ſuo Regem, quem Miramamolinum honoris gratia vocauerunt. Facta igitur concordia inter Sarracenos, Hiſpanos, & Africanos, ipſi barbari ceperunt Regem Adefonſum grauiſſime moleſtare, & omnino illi tributa ſolita denegare. Primo Regem Benabeth occiderunt, eo quod eſſet occulte Chriſtianus, & Regi Adefonſo nimio amore coniunctus. Deinde congregato innumerabili agmine Maurorum, Chriſtianorum fines deprædari cœperunt. Comes autem Garſias & Comes Rodericus occurrerunt Sarracenis cum exercitu magno. Et finito bello in loco, qui Roda dicitur, ceſſerunt bello Chriſtiani, & multi ibi perierunt ex noſtris. Poſt Miramamolinus congregata nimia Maurorum multitudine fines Chriſtianorum intrauit. Occurrit autem ei Rex Adefonſus cum exercitu ſuo in loco, qui dicitur Barduzo, id eſt, ſacralias, commiſſo prælio innumerabilis multitudo de noſtris corruit. Rex autem Adefonſus in hoc mirabilis habebatur, quod cum victus fuiſſet, magis animabatur ad bellum. Vnde eodem anno magno exercitu congregato vſque Sibilam venit, & innumerabiles ſtrages fecit, & in pace reuerſus eſt. Erat cum Sarracenis Comes Garſias Ordonij, qui Agarenos ad prælium fortiter animabat. Cuius conſilio Rex Miramamolinus inæſtimabili ſuorum multitudine conglobata Regis Adefonſi adiit hoſtiliter regnum. Rex vero Adefonſus cum multo-

rum Chriſtianorum agmine venit illi obuiam ad caſtrum quod vocatur Ocles, & inito inter ſe prælio, cum à mane vſque ad noctem inuincibiliter dimicatum fuiſſet, tanta millia ex vtraque parte corruerunt, quod præ ſui multitudine dinumerari non poſſent. Ibi de noſtris occubuit Sancius Regis filius, & comes Garſias Fernandi, & comes domnus Martinus, & alij plures. Perquiſiuit autem Rex Adefonſus à ſapientibus, quare ſui milites non poterant laborem exercitus tolerare. Reſponſumque eſt illi: quia eo quod erant balneis dediti, & admodum delicati. Tunc Rex fecit balnea ſui regni deſtrui, & milites variis exercitiis inſudare. Poſt hæc Rex Adefonſus labori cedere neſcius congregato Gallorum & ſuorum exercitu inæſtimabili fines Maurorum inuaſit, & regem Miramamolinum Cordubæ obſedit. Rex vero Miramamolinus miſit ei legatos pro pace, promittens de omnibus ciuitatibus ſuis, quæ ſunt citra mare, Regi Adefonſo ſoluere tributa. Dum hæc agerentur, Sarracenus quidam inſignis nomine Abadella, cum manu forti barbarorum de nocte irruit ſuper caſtra Regis Adefonſi. Sed concurrentes noſtri ad arma, ipſum Abadella viuum ceperunt, & de ſuis multitudinem nimiam occiderunt. Sequenti vero die ipſum Abadella iuſſit Rex Adefonſus videntibus Mauris, qui erant ſuper murum Cordubæ, fruſtatim ſcindi, & igne cremari, quia occiderat Benabeth ſocerum Regis, de illis etiam qui capti fuerant cum illo, & erant familiares eius, igne comburi iuſſit. Vnde territi Sarraceni de ſoluendo tributo cum Rege Adefonſo firmiter pepigerunt, & illi auri, argenti, lapidum pretioſorum & ſericarum veſtium immenſos theſauros obtulerunt, & reuerſus eſt Rex in patriam cum multis opibus & gloria magna. Rex vero Miramamolinus reuerſus eſt Marrochos regalem ſedem regni ſui, & quamdiu vixit Rex Adefonſus, non appoſuit venire in Hiſpaniam.

Rex autem Adefonſus multa gloria ditatus & opibus tranſcendit Hiſpaniæ Reges, qui fuerant ante ipſum: & regnum ſibi ſubditum in pace & in fide Catholica confirmauit; & de cætero dum vixit conſtituta tributa per vnumquemque annum à Sarracenis accepit. Poſt hæc decidit in lecto, & per annum vnum & ſex menſes integros ægrotauit: & quamuis eſſet infirmus qualibet die aliquantulum equitabat iuſſu medicorum, vt aliquod corporis leuamen haberet, & ne faceret de ſua valetudine lætitiam Sarracenis. Sed octauo die antequam moreretur, fecit Deus in Legionenſi vrbe in eccleſia ſancti Iſidori prodigium magnum. In natiuitate quidem ſancti Ioannis Baptiſtæ hora ſexta, lapides qui ſunt ante altare ſancti Iſidori, vbi tenet ſacerdos pedes, quando Miſſam celebrat, non per iuncturas lapidum, ſed per medias petras cœperunt manare aquæ videntibus cunctis ciuibus tam maioribus, quam minoribus, vna cum Epiſcopis, videlicet, Petro Legionenſi, & Pelagio Ouetenſi; & hoc fuit factum tribus diebus, quinta feria, ſexta & Sabbatho. In quarta vero die, quæ erat Dominica, prædicti Epiſcopi induerunt ſe pontificalibus indumentis, & omnis eccleſiaſticus ordo ſacris veſtimentis ornatus, ſinguli cereos habentes in manibus, vna cum ciuium & populi multitudine facta proceſſione ab eccleſia ſanctæ Mariæ, vſque ad altare beati confeſſoris Iſidori, intrauerunt eccleſiam ſancti Iſidori, dantes voces cum lachrymis, laudantes mirabilia noſtri Saluatoris. Peracto itaque ſermone à prædicto Pelagio Ouetenſi Epiſcopo, & celebrata Miſſa à Petro Legionenſi Epiſcopo, acceſſerunt prædicti Epiſcopi ad locum vbi erat aqua, & ipſi Epiſcopi biberunt ex ea, & totus populus ſimul. Poſt hæc ſtatim aquæ fluere ceſſauerunt. Iuſſerunt tamen ipſi Epiſcopi, vt de illa aqua in vaſibus vitreis ſeruaretur in teſtimonium: & quamuis multi ad honorem beati Iſidori curati fuerint infirmi ex potu illius aquæ, tamen hoc ſignum tribulationes & luctus oſtendiſſe videtur, quæ poſt mortem prædicti Regis illi Eccleſiæ atque Hiſpaniæ euenerunt. Et ideo quidam ſapientes autumant, quod lapides lachrymas quaſi plorantes produxerunt. Etenim per Regem Aragonium Petrum poſtea ipſa eccleſia ſpoliata fuit, multis poſſeſſionibus & theſauris atque pars regni maxima deuaſtata. Igitur Rex Adefonſus ſeptuageſimo vitæ ſuæ anno accepto corporis & ſanguinis Domini ſacramento, obiit Toleto quadrageſimotertio, ex quo regnare cœpit. Tunc Comites ſimulque omnes populi decaluatis capitibus, ſciſſis veſtibus, ruptis mulieres faciebus, cum magno gemitu & dolore cordis dabant voces, dicentes: Cur paſtor oues deſeris? Nam commendatum tibi gregem & regnum inuadent Sarraceni & crudeles homines. Poſt viginti autem dies deduxerunt eum in territorium Ceiæ, & omnes Archiepiſcopi & Epiſcopi vna cum cæteris nobilibus regni ſepelierunt eum in Eccleſia ſanctorum Facundi & Primitiui, iuxta vxores ſuas, ſcilicet, Agnetem, & Conſtantiam. Hanc quidem eccleſiam prædictus Rex Adefonſus dum viueret, multis inſigniis ditauerat,

uerat, libertatibus donauerat, & multis prædiis ampliauerat. Regina vero Elisabeth eius vxor Ludouici Francorum Regis filia Legione in ecclesia sancti Isidori sepulta quiescit.

Era M C X L V I. Adefonsus filius comitis Raymundi & Vrracæ Reginæ filiæ Regis Adefonsi cœpit in Gallecia regnare. Eo tempore facta est perturbatio magna in Hispania, eo quod Regina Vrraca regere volebat regnum paternum sine filio Adefonso. Siquidem Pampilonenses videntes dissensionem regni, quidam milites Garsiam Ramiri super se Regem erexerunt. Erat tunc temporis in Aragonia Rex Petrus, qui amore Vrracæ Reginæ fecit se vocari Regem Adefonsum. Vrraca vero Regina habebat secum comitem Henricum, qui preerat Portugaliæ, cuius consilio misit ad Regem Aragonensem, vt properaret eam accipere in vxorem, & obtineret regnum. Venit igitur Rex Aragonum cum magna manu militum, & Reginam Vrracam accepit vxorem. Cumque Rex vellet obtinere Gallæciam, obuiauit ei cum larga manu militum, comes nomine Gomez, in loco qui dicitur, Campo de Spina. Initoque certamine captus est comes Gomez, & à comite Henrico in ipso loco occisus. Gallæci autem dolore nimio perturbati vna cum Rege suo Adefonso constituerunt diem & locum, vbi cum Rege Aragonensium dimicarent, & conuenerunt inter Astoricam & Legionem in loco, qui dicitur, via de Angos, vbi acriter præliari cœperunt, & multi tam de istis, quam de illis corruerunt. Tandem cesserunt Gallæci, & se fugæ commiserunt. Tamen Gallæci de sua iustitia confidentes, miserunt ad Regem Aragonensem, dicentes, quod volebant iterum in campo cum eo confligere. Rex autem Aragonensium erat in arcto positus, eo quod videret Gallæcos & Astures pro domino suo mori paratos, & Castellani nullum sibi ferrent subsidium. Defecerat etiam sibi census, eo quod primo largissima manu dederat militibus, & ad præsens non erat ei quod largiretur. Vnde factum est, vt de consilio comitis Henrici, & Reginæ Vrracæ quasdam nobiles ecclesias, quas Rex magnus Fernandus & filius eius Rex Adefonsus thesauris ditauerant, spoliaret: etiam ad aurum sepulchri beati Isidori mitteret manum: quod sibi & principibus suis à Deo & ab hominibus in magnum scandalum cessit. Omnes enim nobiles & ignobiles ipsum, & suos infideles, & sacrilegos conclamabant. Dum hæc agerentur venit illi nuncius, quod Sarraceni regnum Aragoniæ deuastabant. Festinauit itaque Rex eis obuiam procedere, & in loco qui dicitur Fraga, commisso prælio à Sarracenis occisus est. Tamen nec viuus nec mortuus de cætero potuit inueniri. Adefonsus autem filius Vrracæ Reginæ properauit cum exercitu magno Gallæcorum, & concordantibus cum eo Legionensibus & Castellanis obsedit matrem suam Reginam Vrracam in turribus Legionis: quæ post paucos dies filio se tradidit, & multis honoribus fuit ab eo sublimata dum vixit, & mortua est præfata Regina Vrraca, era M C L X I V. Habebat sororem nobilissimam Adefonsus nomine Sanciam, quam ea hora qua à Legionensibus & Castellanis est confirmatus in Regem, secum sedere fecit, & Reginam vocari iussit. Hæc sapientissima Regina Sancia quamdiu vixit in virginitate permansit, Christi ecclesias multis insigniis decorando, monasteria construendo, & Christi pauperes recreando. Igitur Rex Adefonsus confirmatus in Regem sancte ac catholice se & suos regere studuit. Fecit etiam congregari Episcopos & omnes Barones regni sui in Legione, & † imponere sibi coronam secundum legem Dei, & consuetudinem regum priorum. *imponi* Ab illa die vocatus est Imperator Hispaniæ, & dilexit iustitiam, & gloriose dotauit Ecclesias imperij sui. Habuit successiue vxores legitimas, scilicet Berengariam, Beatricem, & Ricam. De Berengaria genuit plures filios & filias: ex quibus quatuor remanserunt, scilicet, Sancius, Fredenandus, & Elisabeth, quam duxit Ludouicus Rex Francorum vxorem & † Beatricem, quam duxit vxorẽ Rex Sancius de Nauarra. *Menciam* Postea ex quadam domina nobilissima nomine Maria genuit Stephaniam pulcherrimam puellam. Felicia tempora imperator Adefonsus duxit dum vixit, & terras Maurorum multoties inuasit, & non fuit in Hispania qui posset resistere illi. Erat quædam nobilissima, & opulentissima ciuitas barbarorum, in maritimis mediterranei maris Almeria: quam imperator Adefonsus deprædatis omnibus aliis oppidis barbarorum obsedit, & etiam Genuenses & Venetos per mare ad obsidionem illius vrbis conuocauit. Cepit eam Imperator Catholicus in ore gladij, & omnes thesauros ipsis dedit Venetis & Genuensibus, & ciuitatem retinuit sibi. Captiuos autem Sarracenos dedit Raymundo comiti Barchilonensi, qui venerat ad obsidionem vrbis, & licet thesauri essent infiniti Imperator nihil sibi retinuit. Quippe nobilissimum animum suum in tantum largitate decorauerat, vt omnes thesauros pro nihilo duceret, & statim tri-

bueret cuncta, nisi essent sapientes sui, qui ei necessaria reseruabant. Post aliquot annos fuit ciuitas Almeria in suo dominio, atque ad vltimum funditus, destruxit eam. Obsedit etiam Cordubam ciuitatem magnam solium regni barbarorum, & egressi Sarraceni ad eum, tradiderunt ei ciuitatem, ita tamen quod ipsi Sarraceni habitarent in ea, & Christiani essent in arce ipsius ciuitatis. Sarraceni autem licet iurauerint Imperatori nostro, vt essent ei fideles vassalli & filiis eius, tamen tempore procedente mentiti sunt ei, quia nunquam Sarracenorum Reges fidelitatis pactum seruauerunt Christianis. Cepit tunc Imperator castrum fortissimum Montor, & posuit in eo præsidium fortissimorum virorum. Post hæc obsedit Baeciam, & Sarraceni ciuitatis illius fortiter resistebant. Et quia Imperator tota mente diligebat Dominum, etiam Sanctorum auxilium manifestum meruit habere, ipse dilectus à Deo. Nam cum milites sui defluxissent ab eo, & esset cum paucis, atque innumerabiles Sarraceni conglobati accederent, vt ipsum cum suis raperent, apparuit ei beatus confessor Isidorus dum dormiret, & confortauit eum dicens, se datum esse domino illi, & suo generi defensorem, & ne timeret multitudinem Sarracenorum hortabatur, sed viriliter primo mane cum Sarracenis confligeret, quia sicut fumus euanescerent à facie eius, & in ipsa die eandem caperent ciuitatem. Imperator autem tanta visione confortatus in Domino, primo mane inito certamine cum barbaris, statim terga dederunt Sarraceni nostris relicta innumerabili multitudine spoliorum, statimque Sarraceni eiusdem ciuitatis tradiderunt illi vrbem, pro vita tantummodo supplicantes. Imperator autem destruxit ipsam Baeciam, & multa castella Maurorum, & terras destruxit, & captiuauit, & occidit, vt sibi visum fuit. Post hæc reuersus Legionem cum magna gloria, statuit confraternitatem fieri in ipsa ciuitate ob memoriam tanti miraculi, & ob honorem sancti Isidori confessoris. Reparauit etiam thesauros, & hæreditates pro parte magna, quas Rex Aragonum, & comes Henricus abstulerant ab ecclesia prædicti confessoris, & eandem ecclesiam, quæ adhuc in iure consistebat regali, consecrauit Domino, tradens eam perpetuo iure Canonicis regularibus. Tantam illi Dominus gratiam & gloriam contulit, vt omnes Hispaniarum Reges & Principes Christiani, & barbari suo imperio se subderent. Etenim Rex Garsia de Nauarra & Raymundus comes Barchilonensis, qui tunc Aragonense regebat regnum, & Reges Sarracenorum scilicet Abephandil, & Zaphadola, & Rex Lupus vno & eodem tempore eius vassalli fuerunt. In tanto imperij culmine sublimatus nunquam aliquem subditum oppressit, sed multos de thesauris suis gloriose ditauit, & libertates & immunitates ecclesiis & oppressis pauperibus contulit.

Quam sedulus fuerit in iustitia facienda, & superborum audacitate, & contumacia extirpanda, ex hoc potest aduerti, quod cum quidam nobilis in Gallæciæ partibus nomine Fernandus, cuidam rustico hæreditatem suam auferens ei iniuriam intulisset, ipse Toletum ad Imperatorem properans de dicto milite querimoniam fecit. Imperator autem statim per ipsum rusticum suis litteris præcepit ei, vt visis litteris statim rustico iustitiam exhiberet, mandans maiorino terræ, vt cum rustico veniret ad militem, & videret qualiter ei iustitiam exhibebat, & hoc sibi rescriberet. Miles vero, qui erat nobilis & potens, vt rusticum vidit cum litteris Imperatoris, succensus ira cœpit rustico mortis inferre minas, nolens illi satisfacere. Reuersus est autem rusticus ad Imperatorem Toleti inferens testimoniales litteras maiorini, quod noluerit illi miles iustitiam exhibere. Imperator vt hæc audiuit, vocatis secretariis suis, præcepit eis, vt ipsum dicerent ægrotare, & nullum permitterent intrare cubiculum eius. Præcepit etiam sibi & duobus militibus tantum secrete parari equos, & diebus ac noctibus nullo alio sciente, ad Gallæciam properauit. At vbi ventum est ad locum, vbi præfatus miles erat, vocauit Imperator secrete maiorinum terræ, & diligenter ab eo, & ab aliis super facto militis & rustici perquisita veritate, fecit vocari plures, & stans ad ostium militis, misit ad eum dicens: Egredere, quia vocat te Imperator. Quod miles vt audiuit, nimio timore perterritus, intelligens quod futurum erat, fugere parauit; sed præuentus à ministris Imperatoris captus est, & eo iubente in ostio domus suæ suspensus. Tunc Imperator manifestauit se in Gallæcia, & totam patriam ipsam pacificauit. Tantus inuasit terror omnes magnates totius imperij ex hoc facto, videntes zelum & animositatem Imperatoris in iustitia facienda, vt nullus esset qui minimo vel magno inferret iniuriam, quin statim ei satisfacere festinaret.

Post hæc quidam maligni detractores cœperunt Ludouici Regis Francorum auribus instillare, quod Elisabeth vxorem eius Imperator Adefonsus genuerat de vilissima concubina. Vnde ipse Rex turbatus, simulans se causa orationis ad sanctum Iacobum ve-

bum venire, venit in Hiſpaniam cupiens experiri, vtrum verum eſſet, quod ſibi maligni dixerant detractores. Addiderant enim quod ipſe Imperator Adefonſus erat vilis perſona, & nullius momenti inter ſuos. Denegauerat etiam ei coniux eius Eliſabeth thorum coniugalem, eo quod ita Rex Ludouicus improperabat ſibi. Imperator autem Adefonſus vt audiuit aduentum generi ſui Regis Ludouici, præcepit Regi Nauarræ, & comiti Barchinonæ, vt omnem gloriam Hiſpaniæ exhiberent ei. Sed vbi Rex Ludouicus venit Legionem, occurrit ei Imperator Adefonſus cum tam glorioſo apparatu, quod ipſe Rex Ludouicus, & Franci, qui cum eo venerant, obſtupuerunt. Venit Imperator cum eo vſque ad Sanctum Iacobum, & direxit nuncios per totum imperium ſuum ad omnes nobiles Chriſtianos, & barbaros, quatenus Toletum ad eius ciuitatem & curiam conuenirent; ſed cum reuerſi à Sancto Iacobo Imperator & Rex Ludouicus, venirent Toletum, atque omnes Reges barbarorum, & Chriſtianorum Principes occurrerent Imperatori manus eius oſculantes, vltra quam credi poteſt Ludouicus admirans, dixit Imperatori: Per Deum, inquit, iuro, quod non eſt gloria ſimilis huic in toto mundo. Siquidem tantus erat apparatus holoſericarum cortinarum, & tentoriorum per agros extra vrbem Toletanam, & diuerſorum inſignium copia, quod à nullo poterant æſtimari. Tantus erat nobilium virorum conuentus, quod à nullo poterat dinumerari. Tanta offerebantur dona auri, argenti, lapidum pretioſorum, ſericarum veſtium, & equorum Regi Ludouico & ſuis, quod præ multitudine illis tædium generabant. Imperator autem conuerſus ad Regem Ludouicum, dixit ei: Certe Rex Francorum vides, & ipſe potes veritati teſtimonium perhibere, quod mentiti fuerunt, qui mihi & filiæ meæ coram te in Francia detraxerunt. Filia mea eſt quam genui ex imperatrice Berengaria, quæ filia fuit huius præſentis Barchinonenſis comitis Raymundi. Præſens erat cum multo gloriæ apparatu comes Raymundus, & dixit Ludouico Regi: Habeas in magno honore & reuerentia Eliſabeth neptem meam, alioquin cum auxilio præſentis domini mei Imperatoris Adefonſi promitto me tibi Pariſiis in paruo ponte campale inferre bellum. Rex Ludouicus dixit eis: Gratias ago Deo, & omnibus Sanctis eius, qui de nobiliſſimo ſanguine veſtro filiam veſtram mihi dignatus eſt dare vxorem, quam ſemper dum vixero modis omnibus honorabo. Multa donaria oblata fuerunt tunc nobiliſſimo Ludouico Regi Francorum, ſed nihil inde accipere voluit, niſi quendam ſmaragdum magnum, lapidem pretioſum cogente Imperatore Adefonſo, quem Rex Zafadola detulerat. Reuerſus eſt itaque Rex Ludouicus in Franciam cum honore & lætitia magna, & hunc pretioſum lapidem, quem detulerat ab Hiſpania, monaſterio beati Dionyſij contulit; vxorem quoque ſuam Eliſabeth tenerrimè dilexit, & modis quibuſcumque potuit honorauit. Hæc poſt obitum ſuum in Eccleſia beati Dionyſij eſt ſepulta, & merito ſancta Regina vocata; quia dum vixit in ſimplicitate ſpiritus & afflictione carnis, ſtuduit Domino deſeruire. Imperator autem Adefonſus cum in tanta conſiſteret gloria, & corporis ægritudine laboraret, fœdifragus populus barbarorum ſe contra illum erexit. Sed Imperator vt erat magnanimus diſſimulans ægritudinem cum manu Gotthorum maxima contra Mauros perrexit. Qui vt viderunt eum cum magno exercitu, colla ei illico ſubmiſerunt. Sed creſcente ægritudine dum ad propria rediret iuxta portum, qui vocatur Muradal, in loco qui dicitur Freſneda, Domino, vt credimus, ſpiritum tradidit anno quadrageſimo nono, ex quo regnare cœpit; ſepultuſque eſt in vrbe Regia Toletana. Priuſquam vero moreretur, diuiſit imperium ſuum duobus filiis ſuis, Sancio ſcilicet & Fernando. Sancio quidem dedit bellatricem Caſtellam, & Fernando fidelem Legionem & Gallæciam.

Era M C L X X X X V. poſt mortem Imperatoris, duo filij eius Sancius & Fernandus vnuſquiſque in parte regni, quam eis pater eorum dederat, regnare cœperunt. Sancius duxit vxorem nomine Blancam, filiam Regis Garſiæ de Nauarra adhuc viuente patre; ex qua genuit filium nomine Adefonſum. Iſte Rex Sancius Catholicus fuit, & armis ſtrenuus, bonitate perſpicuus, & omni regia honeſtate præclarus. Diligebatur ab omnibus minoribus & maioribus, quia ipſe Deo & cunctis hominibus placere ſtudebat. Regnauit anno vno, & diebus duodecim, tam parum propter peccata populi, & vitam in pace finiuit, ſepultuſque eſt iuxta tumulum patris ſui in Eccleſia Sanctæ Mariæ Toleto.

Rex autem Fernandus frater Sancij Regis tunc temporis regnabat in Legione & Gallæcia, & regebat ſe conſilio Fernandi comitis de Gallæcia, qui eum nutrierat, & mortuo fratre eius Rege Sancio maximam partem regni Caſtellæ obtinuit. Nutriebat

quidem ipſe filium fratris ſui Adefonſum puerulum, quem dedit comiti Manrico ad cuſtodiendum. Tunc regnauit Fernandus Rex in toto imperio patris ſui, vnde Rex Hiſpaniarum fuit vocatus. Sed concordantibus comite Manrico,& fratre eius comite Nunno, cum omnibus qui ad regnum Caſtellæ pertinebant, Adefonſum filium domini ſui Regis Sancij ſibi Regem conſtituerunt. Fredenandus autem Rex, vt erat pius & hilaris acceptauit quod fecerant Caſtellani. Fuit hic Rex Fernandus armis ſtrenuus, in bellis victorioſus, circa omnes pius, benignus, liberalis, & largitate præclarus, adeo quod in omni conflictu victor extitit, & nihil proprium habere voluit. Fidem Catholicam, quam à cunabulis adeptus fuerat, in tantum dilexit, vt eccleſiis & ordinibus ſacris fere omnia regalia ſua conferret. Omnibus erat communis, ita vt omnes eum potius diligerent, quam timerent. Hic piiſſimus Rex Fernandus accepit filiam Adefonſi Regis Portugaliæ nomine Vrracam, ex qua ſuſcepit filiũ nomine Adefonſum. Sed iſte Rex Portugaliȩ Adefonſus filius fuit comitis Henrici & Tharaſiæ filiæ Regis Adefonſi, qui Adefonſus filius comitis Henrici fecit ſe Regem Portugaliæ vocari, & quia ſtrenuus fuit armis & bellicoſus ampliauit terram ſuam, partem de nouo populando, partem Sarracenos occidendo, & ab eis municipia capta muniẽdo, & retinendo magnum ſibi nomẽ acquiſiuit, quia contra Chriſtianos & Sarracenos fortiſſime decertauit. Huius filiam, vt dictum eſt, Rex Fernandus accepit coniugem, vt eius poſſet habere auxilia contra impetus aduerſantium. Cœpit igitur Rex Fernandus eccleſias honorare, & regnum ſuum populationes faciendo ampliare. Populauit ſiquidẽ in Extrematura ciuitatem Roderici, & Leteſmam. In tranſerra Granatam, in territorio Zemoræ caſtrum Taraphei. In terra Legionis populauit Maioricam, Benauentũ, Manſellam, Villapandum & Coiancam. Terra Leonis dicitur per flumen de Piſorga, & per flumen Dorij, & per montes Submontanorum. Eſt autem in ipſa terra quædam ciuitas regia quæ Legio vocatur. Salmanticenſes autem eo quod Rex Fernandus in eorum termino ciuitatem Roderici populauerat, cœperunt rebellare contra Regem Fernandum, & elegerunt ſibi Regem nomine Nunnum, Serranum, & pugnauerunt cum Rege Fernando in valle de Muza. Siquidem incenderunt quendam montem, eo quod ventus veniebat ex parte ipſorum contra exercitum Regis Fernandi, vt fumo & vento Leonenſes fatigati ad bellum accederent. Sed miſericordia Dei non defuit Regi Fernando. Nam ventus & fumus, qui contra ſuum exercitum veniebant, contra Salmanticenſes & Abulenſes conuerſus eſt, & illorum obtenebrauit aſpectus. Rex autem Fernandus irruit ſuper eos, & cum victoria magna cepit Regem Nunnum viuum, & occidit eum, atque ſubdidit ſibi Salmanticam. Poſt hæc Rex Fernandus cupiens ciuitatem Aſtoricam decorare, tranſtulit corpus Ramiri, quod ſepultum fuerat in Deſtriana, & Aſtoricæ in Eccleſia cathedrali ipſum honorifice ſepeliuit.

Per idem fere tempus erat cum Sarracenis vir nobilis & potentiſſimus nomine Fernandus Roderici Caſtellanus. Hunc Sarraceni miſerunt ad euertendam populationem nouam, ſcilicet ciuitatem Roderici. Rex autem Fernandus eo tempore erat Benauenti. Beatus autem Iſidorus apparuit cuidam Canonico & theſaurario monaſterij ſui nomine Iſidoro, & mittens eum ad Regem Fernandum, ſignificauit ei aduentum Sarracenorum, dicens, quod cito Rex Fernandus obuiaret Sarracenis, & vinceret eos, eo quod ipſe beatus Iſidorus, & ſanctus Iacobus Apoſtolus in certamine illo forent cum eo. Quo audito velociter perrexit Rex Fernandus cum paucis Chriſtianorum, & inito certamine cum Sarracenis ſtatim vicit eos; & tantam ex illis proſtrauit multitudinem, quod præ numeroſitate indicibili non poterat numerari. Tranſactis paucis diebus Rex Fernandus reuocauit præditum Fernandum Roderici, & dedit ei Stephaniam ſororem ſuam in vxorem. Sed Fernandus Roderici quieſcere neſcius iniit prœlium cum comitibus Caſtellanis, & vicit eos, atque occidit comitem Oſorium, & comitem Henricum, & alios plures nobiles Caſtellanos, & cepit viuum comitem Vimirum. Hic Fernandus Roderici genuit ex infantiſſa domna Stephania Petrum Fernandi potentiſſimum virum. Eo tempore quieuit terra Leonenſium ab infeſtatione Maurorum.

Præfatus autem Adefonſus Rex Portugaliæ voluit inſurgere contra Regem Fernandum: & miſit filium ſuum Regem Sancium, quem ſibi regni conſtituerat ſucceſſorem, cum magna militum manu ad euertendam prædictam ciuitatem Roderici. Infeſtabat tunc temporis validiſſime Regem Fernandum Adefonſus Rex Caſtellæ Sancij Regis filius, & dimiſſa Rex Fernandus maiori parte ſui exercitus contra nepotem ſuum Regem Caſtellæ, obuiauit Portugalenſibus in termino ciuitatis Roderici in loco qui dicitur

dicitur Arganal, & commisso prælio deuicti sunt Portugalenses, & fugato Rege Sancio reliqui miserationi Regis Fernandi se subdiderunt. At ipse motus pietate dimisit eos redire ad propria.

Præfatus Rex Portugaliæ Adefonsus Regem Fernandum fortiter molestauerat, & occupauerat in Gallæcia totam Limiam, & totum Toroniũ. Deinde obsedit Vadalozum ciuitatem Maurorum ad Regem Fernandum de iure spectantem. Tunc Rex Fernandus aggregato suorum exercitu perrexit contra Regem Adefonsum. Ceperat iam Rex Adefonsus maiorem partem ipsius ciuitatis, & in arce concluserat Sarracenos. Commisso autem prælio cum Rege Fernando deuicti sunt Portugalenses. Rex autem Adefonsus dum fugiens equo superſederet, & egrederetur per portam ciuitatis de Badalozo casu invecte ferreo portæ impegit, & crus eius fractum est. Tunc captus est Rex Adefonsus, & Regi Fernando delatus, dixit ei Rex Adefonsus, Domine, inquit, Rex, valde peccaui in Deum, & in te: sed ecce totum regnum meum libere trado tibi. Rex autem Fernandus victus misericordia, dixit ei: Redde mihi tantummodo mea, quæ abstulisti, & regnum tuum maneat tibi. Vincebatur quidem semper Rex Fernandus precibus miserorum, qui nunquam in bello potuit vinci. Tunc Rex Adefonsus tradidit Toronium & Limiam, & in tantum debilitatus fuit de fractura cruris, quod de cætero non potuit equitare. Sarraceni autem ad Regem Fredenãdum egressi de arce se & ciuitatem tradiderunt illi. Rex autem Fernandus præcipit Sarracenis, vt habitarent in ciuitate, & essent vassalli sui. Tradidit etiam arcem cuidam magno barbaro nomine Abenhabel, accepto ab eo & ab omnibus Sarracenis iuramento, vt essent Regi perpetuo fideles vassalli, atque quandocunque ipse vellet, sibi arcem traderent, & ciuitatem. Sed sicut dicit vulgus, qui per Sarracenum credit, terram suam nunquam videbit. statim vt Rex Fredenandus recessit, ipsi Sarraceni Regi Fernando mentiti suo Miramamolino cum ipsa ciuitate se contulerant, & multas iniurias Regi Fernando postea intulerunt.

Post hæc Sarraceni videntes Adefonsum Regem Portugaliæ debilitatum, & quod in quibusdam offenderat Regem Fernandum ipsum Adefonsum in oppido qui dicitur Santarem, obsederunt. Rex autem Fernandus congregato exercitu magno ad auxilium Regis Adefonsi properauit. Sed Rex Adefonsus, vt hæc audiuit, timuit valde, credens quod Rex Fernandus ad auxiliũ Maurorum veniret, & misit ad eum nuncios supplicans pro pace. Rex autem Fernandus declarauit ei, quod ad eius auxilium properaret. Quod Sarraceni vt audierunt, arrepta fuga ab obsidione turpiter recesserunt. Post hæc Rex Fernandus dimisit vxorem suam Vrracam filiam Regis Adefonsi, eo quod erat consanguinea eius propinquo gradu, & duxit aliam nomine Tharasiam, quæ fuerat vxor Nunij comitis de Castella. Post cuius mortem duxit aliam nomine Vrracam filiam Lupi comitis de Vizcaya, ex qua genuit Sancium & Garsiam. Cæterũ Rex Fernandus regni anno quinquagesimoprimo feliciter cõsummato, obiit apud Beneuentum, & in ecclesia sancti Iacobi Apostoli circa tumulum matris suæ, & aui sui comitis Raymundi sepultus est.

Era MCCXXVI. mortuo Rege Fernãdo filius eius Adefonsus successit ei in regnum Legionense. Hic fuit pulcher, eloquens, clemens, fortis viribus, & armis strenuus, & in fide Catholica solidatus. Tamen in primordio regni sui inquietatus fuit valde à collateralibus suis scilicet ab auunculo suo Sancio Rege de Portugalia, & ab Adefonso Rege Castellæ consobrino suo. Vnde compulsus fuit ducere in vxorem Tharasiam filiam eiusdem Regis Sancij, vt ipsum Regem Sancium haberet in auxilium sui contra Adefonsum Regem Castellæ. Ex ista Tharasia genuit tres filios, scilicet Sanciam primogenitam, deinde Fernandum & nobilem infantissam Dulciam.

Præfatus autem Rex Castellæ Adefonsus Sancij Regis filius erat fere trium annorũ cum regnare cœpisset. Qui postquam venit ad ætatem adultam in tantum claruit præ cunctis Regibus nostri temporis, vt noster non posset euoluere stylus, quanta vigeret probitate. Fuit namque sapientia magnus, consilio prouidus, armis strenuus, largitate pręcipuus & fide Catholica roboratus. Duxit vxorem filiam Henrici Regis Anglię nomine Alionoram, ex qua genuit Fernandum, Henricum, & Berengariam, & Blancam, & Vrracam, & Alionoram, & Constantiam, filiam suam primogenitam Berengariam dedit Adefonso Regi Legionensi in vxorem, quæ fuit mulier prudentissima. Dedit Ludouico Regi Francorum filiam suam Blancam, & Adefonso Regi Portugaliæ tradidit Vrracam. Tempore etiam procedente Iacobus Rex Aragoniæ filiam eius Alionoram duxit vxorem. Quinta vero Constantia monachalem suscipiens habitum vir-

ginitatem ſuam Domino conſecrauit. Rex Caſtellæ Adefonſus cœpit quaſi leo fortiſſimus cum Chriſtianis & Sarracenis Regibus in circuitu regni ſui conſiſtentibus fortiter & ſapienter armis confligere, regnum ſuum defendere & ampliare, & populum ſibi ſubditum iuſte gubernare. Siquidem cum ex vno latere regni haberet fortiſſimum Legionenſem Regem Adefonſum, ex altero Sancium Regem ſtrenuum Nauarrenſium: tertio Regem ferociſſimum Petrum Aragonenſium, & quarto maximum Sarracenorum Regem Miramamolinum; tamen ipſe Rex Adefonſus cum omnibus armis & conſilio fortiter ſe gerebat: ſua defendebat, & omnium aliorum Regum multa caſtra & oppida capiebat. Populationes multas & nobiles fecit in regno ſuo, ſcilicet Placenciam, Beiaram, Moiam, & alias multas, quarum nomina longum eſt prænotare. Sed cum in tantis proſperitatibus famam virtutis & gloriæ ſuæ longe lateque ſpargeret, Miramamolinus congregato exercitu innumerabili barbarorum ſimulque nobilium militum exulum Chriſtianorum contra Regem Adefonſum in manu validiſſima properauit. Rex autem Caſtellæ cum exercitu ſuo Regi Miramamolino obuiam properauit. Veniebat quoque Adefonſus Rex Legionis in auxilium Regis Caſtellæ cum exercitu magno; ſed Rex Caſtellæ bellandi animoſitate incenſus noluit eum expectare; licet Rex Legionenſis cum exercitu ſuo properans iam eſſet Toleti. Iniit itaque Rex Caſtellæ bellum cum Rege Miramamolino: vbi tam innumerabilis erat multitudo Maurorum, quod noſtri habito reſpectu ad eos pauciſſimi videbantur. Ceſſerunt noſtri pugnæ, & Miramamolinus pro peccatis noſtris extitit victor. Erat tunc cum Rege barbaro Petrus Fernandi de Caſtella potentiſſimus miles, cuius conſilio Rex barbarus eo tempore ſe regebat. Vnde notandum eſt, Gotthos fere nunquam fuiſſe à barbaris victos, niſi Gotthorum exulum ſecum haberent conſilium & auxilium. Venit anno ſequenti Miramamolinus vſque Toletum, & cum ipſam regiam vrbem capere niteretur, Toletani fortiter reſtiterunt. Rex autem Caſtellæ ſuas ciuitates & caſtra muris excelſis cœpit fortiter munire, & filios nobilium, qui occubuerant in bello nutrire & exaltare dicens, quoniam filij vindicabunt ſanguinem patrum. Qui licet tunc fuerit victus, tamen eius animus inuincibilis perdurabat. Rex Miramamolinus reuerſus eſt ad propria, & Chriſtianis nõ nocuit ſicut voluit: quia tunc Reges Hiſpanię in vnam concordiam conuenerunt. Habuit tunc Rex Caſtellę pacem cum Chriſtianis & Sarracenis, ſed illatum ſibi à barbaris dedecus ab eius animo nõ recedebat. Tamen dum Sancius Rex Nauarræ contra ipſum moueret prælium vna cum Adefonſo Legionenſi Rege, Rex Caſtellæ fines Nauarræ inuaſit, & victoriã cepit. Ceperat iam totam terrã de Alaua, & alia plura in regno ſuo. Poſt hæc etiã habuit diſcordiam cum Rege Adefonſo Legionenſi, & cepit caſtrum Ardon & Coiancam, caſtrum viride, & quædam alia. Poſt hæc venit vſque Legionem, & cepit caſtra Iudæorũ iuxta ipſam ciuitatem. Obſedit etiam Aſtoricam, ſed non cepit eam. Acceſſit ad ſubmontanam ad caſtrum quod dicitur Alua, & cepit illud. Rex autem Legionis Adefonſus occurrit ei cum magno exercitu ad ipſum locum, vt pugnaret cum eo. Sed Petrus Fernandi de Caſtella, qui tunc erat cum Rege Legionenſi, & alij viri Deum timentes, reformauerunt pacem inter Regem Caſtellæ & Regem Legionis.

Cum autem pax eſſet inter eos, quidam inimici Dei diſcordiã ſeminantes iterum inter eos bellum concitauerunt, & per tres continuos annos inter ſe fortiſſimorũ regum exercitus horriferis gladiis confligebant. Multæ perpetrabãtur hinc inde cædes hominum: præcedebat, quod in agris erat & flammis villæ exurebantur. Duo ferociſſimi Reges quaſi duo ferociſſimi leones alter alteri cedere neſciebat. Præibat Regem Caſtellæ fortitudo & ſapientia, ſed Regem Legionis fortitudo & ſuorum exercituũ amabilitas nimia muniebat. Sed antequã inter dictos Reges tam horribile oriretur bellũ, oſtendit Dominus quoddam prodigiũ in eccleſia ſancti Stephani extra muros vrbis Legionis. Etenim quædam imago Dei genitricis cum imagine filij ſui ex ſe cœpit emittere ſanguinem, non ſine horrore & admiratione multorum, qui hoc viderunt. Tunc clerus & populus Legionis ad prædictam eccleſiã acceſſerunt pedibus nudis, & ipſam imaginẽ ad eccleſiam beati Iſidori detulerunt: & ſuper ipſius altare poſuerunt, vbi per tres dies continuos ſanguinem emanauit. Sed fuerunt quidam ſapientes interpretes, qui ex ipſo ſigno bellum futurum cruentiſſimum prædixerunt, eiuſdem monaſterij exhæredationem etiam prædicentes. Quod poſtea factum eſſe teſtatur veritas manifeſta. Etenim vt prædiximus bellũ cruentiſſimum inter Reges exortum eſt, & tradẽte Rege Legionenſi Rex Caſtellæ caſtrum de Pozolo accepit, qui iam acceperat villam Barxeni, Caparios, & alia plura ad eccleſiam beati Iſidori ſpectantia, ex quibus ſuſtentabantur clerici

clerici inibi domino ſervientes Adefonſus Rex Legionis cum eſſet Catholicus habebat ſecum clericos, qui modulatis vocibus quotidie coram ipſo divinum officium peragebant, quos ipſe nimio venerabatur affectu. Habebatque cubicularios ſuos laicos quoſdam, quibus omne conſilium ſuum committebat, & licet polleret omnimoda probitate, tamen ſuſurronibus aliquando præbebat aurem. Vnde quædam faciebat minus ſpectantia ad tam regiam maieſtatem. Rex autem Caſtellæ cum eſſet ſapientiſſimus, conſilium ſuum ſemper ſapientibus committebat. Vnde præ cæteris Hiſpaniæ Regibus feliciores habebat ſucceſſus.

Pacificatum eſt inter Reges prædictos poſt multas ſtrages & damna, ſed iterum inter eos mota diſcordia cum venirent ad pacem, dedit Rex Adefonſus Legionenſis uxori ſuæ Reginæ dominæ Berengariæ quæ tunc degebat cum patre ſuo in Caſtella Villarpandum Ardon, Rodam Arbolium, Gordonem & Lunam. Adefonſus autem Rex Caſtellæ labori cedere neſcius monuit exercitum ſuum contra Vaſcones, & cepit ſanctum Sebaſtianum, Ortes & Burgum de Ponte, Salvaterram, civitatem Aquenſem & alia plura oppida, & reverſus eſt in Caſtellam cum gloria magna. Poſt hæc cœpit excogitare de ſalute animæ ſuæ, & conſtruxit de novo nobile monaſterium Sanctæ Mariæ in Olgis Burgenſis civitatis. Hoc monaſterium multis prædiis ditavit, & miræ pulchritudinis auri, argenti, pretioſorum lapidum, oloſericarum cortinarum decoravit. Alter noſtris temporibus Salomon idem Rex iuxta prædictam domum domini ædificavit palatium Regis. Adiecit etiam, & non longe ab ipſo monaſterio in via publica beati Iacobi conſtruxit miræ pulchritudinis hoſpitale: cui tantum reditum contulit, ut cuncti pauperes peregrini tranſeuntes in eo unius diei percipiant victum. Iam prædictum monaſterium quam palatium ſuum regale, quam etiam hoſpitale cum capella ſua de lapidibus vel laterculis coctis & calce conſtructa ſunt, & auro ac variis colorib. depicta. Tunc ipſa civitas Burgenſis, civitas regia vocata eſt, & in regni ſolium ſublimata. Eo tempore Rex Adefonſus evocavit magiſtros theologicos, & aliarum artium liberalium, & Palentiæ ſcholas conſtituit procurante reverendiſſimo & nobiliſſimo viro Tellione eiuſdem civitatis Epiſcopo. Quia ut antiquitas refert, ſemper ibi viguit ſcholaſtica ſapientia, viguit & militia. Iſte Rex Adefonſus primo caſtellum armis ſuis depinxit, quamvis antiqui Reges patres ipſius Leonem depingere conſueverant, eo quod Leo interpretatur Rex vel eſt omnium beſtiarum.

Suprafatus autem Adefonſus Rex Legionenſis ex quo regnare cœpit regnum ſibi ſubditum viriliter & nobiliter vendicavit, & tam terribilis fuit malè agentibus, quod eius aſpectum non poſſent aliquatenus ſuſtinere. Vox eius in ira quaſi leo rugiens videbatur. Cum eſſet indutus armis bellicis, & equū ſuum conſcenderet, licet magnus eſſet motus corporis, quidam tamen geſtus in eo nimiæ ferocitatis fortitudinem in eius animo declarabat. Hic in bello nunquam fuit victus, ſed victor ſemper extitit, quamvis multoties cum Chriſtianis & Sarracenis pugnavit. Hanc ſuam fortitudinem tanta clementia ſequebatur, ut iram ſtatim à corde excuderet, & miſericorditer flecteretur deponens virus quod Suſurrones ſuis auribus inſtillaverant, ſi eſſet qui diceret bonum. Hic ex ſententia domini Papæ Innocentii dimiſſa uxore ſua Regina Tharaſia, duxit Berengariam prudentiſſimam filiam Adefonſi Regis Caſtellæ uxorem, & tam nobiliter eam deſponſavit ſibi, quod dedit ei pro dote turres Legionis, Aſtoricam Valenciam, & alia triginta Caſtella. Poſuit etiam in fidelitate alia decem Caſtella in manu Baronum Regis Caſtellæ, ne recederet à pactione. Genuit ex iſta Berengaria Fernandum, Adefonſum, Alionoram, primogenitam, Conſtantiam & Berengariam. Genuerat iam ex nobiliſſima fœmina Agnete Vrracam, quam tempore procedente tradidit magno viro Lupo Didaci de Vizcaya in uxorem. Berengariam etiam filiam eius duxit Ioannes Rex Hieroſolymitanus uxorem, qui poſtea cum ipſa Conſtantinopolitanum imperium rexit. Conſtantia verò in monaſterio Sanctæ Mariæ de Burgis habitum monachalem ſuſcepit. Fuit præfata Berengaria filia Regis Caſtellæ adeo ſapientiſſima, quod patris ſapientia ad eam defluxiſſe videretur. Hæc cum primo venit Legionem blandis precibus à viro ſuo Rege Adefonſo obtinuit, ut corrigeret mores & foros Legionenſis civitatis & regni, & gravamina relevaret. Ædificavit Regina Berengaria palatium regale in Legione ex lapidibus & calce iuxta monaſterium ſancti Iſidori, & turres Legionis quas Rex barbarus quondam deſtruxerat Almazor ex calce & lapidibus ſimiliter reſtauravit.

Hæc Regina ſereniſſima auro, argento, lapidibus precioſis & ſericis indumentis monaſterium beati Iſidori, & cæteras regni principales eccleſias ſtuduit decorare.

Hoc tempore ampliata eſt fides Catholica in Hiſpania, & licet multi regnum Legionenſe bellis impeterent, tamen eccleſiæ regalibus muneribus ditatæ ſunt in tantum, ut antiquæ deſtruerentur eccleſiæ, quæ magnis ſumptibus fuerant fabricatæ, & multo nobiliores & pulchriores in toto regno Legionenſi fundarentur. Tunc reverendus Epiſcopus Legionenſis Mauricius eiuſdem ſedis eccleſiam fundavit opere magno, ſed eam ad perfectionem non duxit. Tunc etiam fundata eſt eccleſia beati Iacobi Apoſtoli, quæ poſtea per reverendiſſimum patrem Petrum Iacobenſem Archiepiſcopum eſt glorioſiſſime conſecrata. Cum autem regnum Legionenſe frueretur pace & gloria multa, & ut ſuprafatum eſt, orta eſſet diſcordia inter Regem Legionenſem & Regem Caſtellæ, & omnes Hiſpaniæ Reges Chriſtiani & Sarraceni niterentur Legionenſe regnum evertere, Rex Legionis adiutus à Domino, & à beato Iacobo Apoſtolo regnum ſuum fortiter defendit. Hoc tempore Martinus presbyter doctus à Domino miraculoſe ſcientia ſcripturarum magna volumina edidit, & ſanctitate claruit & miraculis.

Rex autem Adefonſus multas populationes in regno ſuo fecit & eum valde ampliavit. Populavit namque in Gallecia Cluniam Baionam, Salvaterram, Villam novam de Sarria, Melide, tria caſtella Milmanda, & alias multas. Similiter in Aſturiis multas populationes fecit. Populavit in Berizo, Benevive, & Pontem Ferratum. Populavit in terra Legionis Rodam, Ardon, Senabriam, & alias plures. Populavit in Extrematura Mirandam, Monleon, Carpium, Montem regalem, Caliſteum, Salvaterram, Salvaleon, & alia plura oppida & caſtella. Fecit quoque pontem magnum ſuper flumen Mineum in loco qui dicitur de Caſtrello, & alios plures pontes fecit, & reſtauravit in regno ſuo. Fundavit etiam monaſterium Ciſtercienſis ordinis vallis Dei in loco qui dicebatur antiquitus Boites. Aliud in Berizo conſtruxit monaſterium in villabona. Multa gloria regnum ſuum ditavit, & muros urbium ab antiquis deſtructos honorifice reſtauravit. Circa viros religioſos & moniales, adeo miſericors fuit, ut quando illis deerat, præberet de ſuis cellariis alimenta: gregeſq; omnes pecudum, quæ illi de hoſtium præda eveniebat cunctis monaſteriis diſtribuebat. Latrones autem & ſuperbos, alios à turrib. præcipitabat, alios in mari mergebat, alios ſuſpendebat, alios igne cremabat, alios caldariis decoquebat, alios vivos excoriabat, & multis afficiebat generibus tormentorum, ut regnum in pace & iuſtitia conſervaret.

Suprafatus autem Adefonſus inclytus Rex Caſtellæ quod diu conceperat animo perducere cupiens ad effectum, ut haberet occaſionem gerendi prælium cum Sarracenis, cum quibus tunc pacem habebat, populavit quandam villam, quæ Mora dicitur in confinio barbarorum. Rex autem Miramamolinus nomine Abeniacob miſit ei nuncios dicens quod non haberet pacem cum eo ſi dictam villam popularet. Sed cū Rex Caſtellæ nollet à populatione deſiſtere, venit Rex barbarus cum tanta Sarracenorum multitudine, & cum tanto bellico apparatu, quod non poſſet aliquatenus explicari, & obſedit caſtrum, quod dicitur Salvaterra. Cumque milites Ciſtercienſis ordinis Sarracenis in ipſo caſtro fortiter reſtitiſſent, Mauri viriliter accedentes machinis fregerunt murum, multis ex illis occiſis. Cepit Rex Miramamolinus ipſum caſtrum, & propter hyemem Hiſpalim reverſus eſt. Rex autem Adefonſus cum eſſet in anguſtiis poſitus eo quod barbaris commode non poterat obviare, convocavit Regem Aragoniæ & regem Navarræ, precibus, & muneribus, ut ſecum accederent contra barbaros pro fide catholica pugnaturi. Miſit etiam idoneos nuncios ad regem Legionenſem, ut ipſe quoq; dignaretur tanto periculo ſubvenire. Sed Rex Legionenſis licet ad ſubveniendum deſideraret accedere, tamen habito cum ſuis conſilio reſpondit, quod libenter accederet, ſi Rex Caſtellæ ſibi redderet caſtra, quæ illi abſtulerat. Rex vero Caſtellæ cum eſſet erga plurima occupatus, & in arcto poſitus non potuit ad ſingula reſpondere, ſed totum animi ſui impetum direxit ad iniurias ſibi à Sarracenis illatas omnimode vindicandas.

Eo tempore Archipræſul Toletanus nomine Rodericus atque omni bonitate conſpicuus ſcientia & moribus eruditus, tactus nimio cordis dolore intrinſecus tanquam catholicæ fidei filius ſe non recuſavit ſubdere laboribus & diſcriminib. pro defenſione catholicæ veritatis. Etenim fultus auctoritate domini Papæ Innocentiæ Gallias adiit, verbum Dei aſſidue proponendo & ſuadendo populis, ut ad defenſionē fidei convenirēt, data illis remiſſione omniū peccatorū, & eos crucis ſignaculo muniendo. Tetigit dominus corda multorū qui audiebant verbum domini populorum, & contra barbaros alacriter properabāt. Sed dū hæc agerētur, filius regis Caſtellæ, qui ſperabatur

tur regnaturus post patrem nomine Fernandus morte præuentus est: cuius obitum in tãtum cunctos dolore repleuit Hispanos Christicolas, vt † se fere cuncti amisisse deflerent patrem, dominum, socium, & pastorem. Etenim non immerito, quia erat clemens, fortis, pulcher, sapiens, largus & catholicus. Hic tanto fidei catholicæ feruebat ardore, vt cum quadam die fecisset sibi exponi passionem Iesu Christi, & ex relatione didicisset, quod antiqui catholici Reges Iudæos expulerint ab Hispania, & Toletana ciuitas Iudæorum proditione tradita fuerit Sarracenis, tantum concepit odium contra ipsos, quod eorum proteruiam quibuscumque poterat persequebatur modis: & quia Iudæi timebant deleri per ipsum, vt fertur, eius mortem procurauerunt veneno, quia mundus non erat dignus tanto principe gloriari. Sepultus est Burgis in monasterio sanctæ Mariæ cum honore magno.

Rex autem Adefonsus licet esset pro morte tanti filii saucius, ex multitudine exercituum confluentium recepit consolationem. Venit namque præclarus Petrus Rex Aragonum cum multitudine populorum. Accessit fortissimus Sancius Rex Navarrensium cum robustissima manu militum. Affuerunt Portugalenses, & etiam Franci & Gallæci, qui ad prælium tanquam ad epulas properabãt. Rex Miramamolinus, ut hæc audiuit, valde pertimuit, & doluit se verbum superbiæ protulisse, scilicet quod vinceret in campo omnes adorantes crucem Christi. Vnde iam non ad præsens Christianos impetere, sed tantum se defendere satagebat. Confluebant populi multi Christianorum apud regiam ciuitatem Toletam, & cum deficerent in expensis, Rex Castellæ in tantum manu largissima de thesauris suis singulis præbuit necessaria, vt nullus posset ab exercitu victus inopia resilire. Sed cum Rex barbarus Christianis expectantibus ad bellum, ut promiserat, non accederet, nostri mouentes castra, prima fronte castellum Malagon ceperunt, cunctos illius oppidi gladio trucidantes. Deinde ceperunt Calatiavam, & Petram bonam, Benauentum, Alarcos, & Caracuel. Post hæc Francorum populus cepit murmurare victus dulcore patriæ suæ, & statuẽtes inter se quod nullus remaneret, nec futurum expectaret bellum, ad propria reuersi sunt. Quibus recedentibus suprafati Reges Christianorum turbati sunt, volẽtes eos retinere muneribus & precibus, sed nullatenus potuerunt. Sed Rex Adefonsus in Domino roboratus iussit Christianorum populum ad portum de Muradal accedere, vbi multos inuenerunt Sarracenos armatos, quos Christiani milites gladiis ferientibus fugauerunt. Et quia excelsi montes & angustæ semitæ Christianos ad Sarracenos accedere non permittebant, diuinitus affuit quidam coram Rege Adefonso quasi pastor ouium qui eis latam ostendit viam, & eo duce peruenerunt vsq; ad castra Maurorum, & nullo vidente Pastor ipse recessit. Sarraceni autem vt viderunt Christianorum exercitum, quia ventus veniebat ex parte ipsorum ignem per spinas & tribulos posuerunt, ut fumus Christianis noceret. Sed diuina gratia fumus cessit retro & in castris Maurorum se totus ingessit, & per nimium oppressit eos. Exercitus autem Christianorum sedit in monte nocte sequente, & illucescente die iussit Rex Miramamolinus Sarracenos tubis & tympanis excitare. Tunc Reges Christiani inito consilio quieuerunt ipsa die, vt se ad bellum die altera præpararent. Ordinauerunt autem inter se, vt Didacus Lupi nobilis & strenuus cum nepote suo Sancio Ferdinandi quondam Regis Legionensis filio, prima fronte exercitum præiret. Sed ubi commissum est prælium tanta fortitudine præclarus Didacus accessit cum suis, quod Sarraceni turbati in se perstiterunt. Quod videntes Christianorum exercitus animati ad prælium, Sarracenorum castra gladiis vndique feriebant. Victus est Rex Miramamolinus cum suis & tanta multitudo cecidit barbarorum, quod nullus viuens posset mortuorum cadauera numerare. Actum est hoc felicissimum bellum in loco qui dicitur, Naues de Tolosa, cui in Hispania simile bellum nunquam fuit. Post hæc ceperunt nostri Bilchis, Ferrat, Balneos, & Vbedam, in qua multa Sarracenorum millia occidere. Sed cum populus Christianorum ex labore nimio grauiter inciperet ægrotare, inclyto Rege Adefonso præcipiente in propria reuersi sunt cum multis opibus & gloria magna.

Cum autem hæc agerentur, Rex Legionensis Adefonsus habebat secum virum potentissimum Petrum Ferdinandi de Castella, qui ei nobiliter consilium, & auxiliũ impendebat, & ipso dicto Petro Ferdinandi operam dante recuperauit de illis oppidis, quæ sibi abstulerat Rex Castellæ Rodan, Ardon, Castrum terram, Villalugam, Castrum Gonzalui, Albadalista, Lunam, Gordon, Aruolium, Alion, & quædam alia. Intulit quoq; Adefonsus Rex Legionensis bellũ portugaliæ, & cepit Balsamon, Vlgosum, Fresno, & ex alia parte Lanosum, Melgazon & Contrastam quã funditus diruit. Tunc

congregati ſunt contra ipſum omnes Portugalenſes ad prælium,& licet eſſet Rex Legionenſis cum paucis, vicit eos in loco, qui dicitur Portella de Valdeuer, & cum multis ſpoliis & gloria magna reuerſus eſt. Rex autem Caſtellæ Adefonſus, qui poſt felicem victoriam timebatur venire ſuper Legionenſes in ira & brachio extento, valde humilis venit laudans Deum de victoria reddita populo Chriſtiano. Et inuitans ad pacem Regem Legionis indulſit ei omnia oppida, quę abſtulerat ſibi,& inſuper reſtituit ei Pennamfiel, Almanzam & collem in terra Legionis & in Aſturiis Mirandã de Nieua,& in territorio Salmanticæ dedit ſibi ad diruendum caſtellum de Carpio,& montem regalem. Rex etiam Legionis ex pacto Regis Caſtellæ tradidit Regi Portugaliæ omnia caſtra, quæ abſtulerat illi. Hoc Rex ſapientiſſimus Caſtellæ ideo faciebat, vt pacificatis omnibus Hiſpaniæ Regibus eos contra Sarracenos concitaret. Tunc Rex Adefonſus deſtruxit Gordonem,& Arbolium, vt Legionenſis ciuitas ſecuritate frueretur & pace. Iam olim deſtruxerat Iudæorum caſtrum iuxta Legionem, quia eidem ciuitati multa damna ſæpius inferebat. Deſtruxit etiam Mirauentum iuxta Maioricam. Et accepto à Rege Caſtellæ in auxilium ſui potentiſſimo viro Didaco Lupi, ſumpſit arma contra Sarracenos,& obſedit Alcantaram & cepit eam. Eo tempore mortuus eſt Fernãdus filius eius pulcherrimus adoleſcens, quem genuerat ex Regina Tharaſia,& ſepultus eſt in Eccleſia ſancti Iacobi Apoſtoli. De cuius morte valde doluit Legionenſis Rex & regnum eius. Eo tempore obierunt potentiſſimi viri Didacus Lupi, & Petrus Eernandi. Rex autẽ Caſtellæ Adefonſus in Domino roboratus obſedit fortiſſimum caſtrum Sarracenorum Alcharaz & cepit ipſum,& reuerſus eſt in Caſtella cũ gloria magna atque feliciter vitæ termino conſummato, obiit in termino Areuali: & vt tantum Regem decebat Burgis in monaſterio de Olgis, quod ipſe conſtruxerat, glorioſe ſepultus eſt. Regnauit annis quinquaginta quinque.

Era M CC L I I. Henricus filius eius in regno Caſtellæ cum eſſet annorum decem, regnare cœpit. Regina vero Alienor expletis poſt mortem viri ſui viginti ſeptem diebus Burgas mortua eſt,& ſepulta circa virum ſuum. Henricus autem Rex Caſtellæ cum eſſet Palenciæ quidam nobilis puer ludendo fragmen tegulæ caſu proiecit, & Regem in capite grauiter percuſſit, vnde mortuus eſt, & Burgis iuxta patrem ſuum & matrem ſepultus. Regnauit annis duobus & menſibus octo.

Era M CC LV. Fernandus filius Adefonſi Regis Legionenſis in Caſtella ei matre Berengaria tradente regnum, feliciſſime regnare cœpit. Siquidẽ Caſtellæ nobiles regnum Berengariæ Reginæ tradiderunt, eo quod erat primogenita Adefonſi Regis Caſtellæ.& ipſa vt dictum eſt tradidit regnum filio ſuo Fernãdo. Hic autem Rex Fernandus grauiſſima adoleſcentia venuſtatus, non vt illa ætas aſſolet laſciuiam amplexatus eſt mundi, ſed pius, prudens, humilis, catholicus & benignus ſenilibus ſe morib. decorauit. Etenim ita obediebat prudentiſſimæ Berengariæ Reginæ matri ſuæ, quãuis eſſet regni culmine ſublimatus, ac ſi eſſet puer humillimus ſub ferula magiſtrali. Habebat ſecum prudentiſſimos catholicos viros quibus tam ipſe quam mater totum ſuum conſilium committebant. In tantum regnum ſibi ſubditum ſuccenſus igne catholicæ veritatis ſtrenue rexit, vt inimicos fidei Chriſtianæ totis viribus perſequeretur,& quoſcumque reperiebat hæreticos flammis exureret, & ipſe vice famulorum ignẽ & ligna in eis comburendis miniſtrabat. Aderat illi in humilitate iuſta ſeueritas, qua reprobos puniebat, & in ſeueritate iuſta miſericors & clemens humilitas, qua poſtratis inimicis placebat. Eius regalis animus auaritia nũquam potuit inflammari, ſiquidem viſum eſt, quod requieuerit ſuper eum ſpiritus ſapientiæ, qui fuit in Adefonſo Rege Caſtellæ auo ſuo,& ſpiritus fortitudinis & clementiæ, qui erat in Adefonſo Rege Legionenſi patre ipſius. Quid plura? Quod de nullo Regum præcedentium legitur; omnino irreprehenſibilis fuit, quantum nobis ſcire datum eſt,& thorum coniugalem vnquam minime violauit. Duxit namq; vxorem ex imperiali genere Romanorum Deo devotiſſimam fœminam nomine Beatricem, ex qua genuit Adefonſum, Fredericum, Fernandum, Philippum, Henricum, Sancium, Emanuelem, Alienor, Berengariam,& Mariam. Omnibus etiam Eccleſiis ita omnia ſua iura ſeruauit, vt nullus eſſet, qui auderet eas vel in aliquo moleſtare. In tanta pace regnum ſibi ſubditum rexit, vt maiores vel minores in aliorum res inſurgere non auderent.

Sed cũ regnare cœpiſſet comes Aluarus de Caſtella & fratres eius Comes Fernandus,& comes Gundiſaluus contra eum rebellare cœperunt,& cũ Rex Fernandus vna cum matre ſua Berengaria cũ manu militũ iuxta caſtrũ, quod dicitur Ferrerola, trãſitum faceret, Comes Aluarus ei bellũ indixit. Fuit autẽ Dominus cũ Rege Fernãdo,& cepit

cepit ipſum comitem Aluarum, & tam ipſe Aluarus quam fratres eius, multa caſtella Regi Fernando tradiderũt: in quibus rebellabant ei, & comes Aluarus eſt tunc à vinculis liberatus. Rex autem Legionenſis Adefonſus cum exercitu ſuo quoſdam regni Caſtellę fines moleſtabat: eò quod adhuc quædam ad regnum Legionenſe ſpectãtia detinebant Caſtellani. Tunc congregati ſunt contra eum omnes nobiles de Caſtella: quia reuera filius eius rex Fernandus cum patre pugnare nolebat. Inito autem certamine prædicti nobiles Caſtellę fugati ſunt, & omnes in Caſtellon à Rege Adefonſo inclufi. Tunc mutuo colloquentes de pace vt iuſtum erat, firmauerunt pacem inter patrem & filium, & ad tantam concordiam regna Hiſpaniæ peruenerunt, vt vnanimiter conuenirent ad Arabes perſequẽdos. O quam beata tempora iſta: in quibus fides Catholica ſublimatur, hæretica prauitas trucidatur, & Sarracenorum vrbes & caſtra fidelium gladiis deuaſtantur. Pugnant Hiſpani Reges pro fide, & vbique vincunt. Epiſcopi, Abbates & Clerus Eccleſias & monaſteria conſtruũt, & ruricolæ abſque formidine agros excolunt, animalia nutriunt, pace fruuntur, & non eſt qui exterreat eos. Eo tempore reuerendiſſimus pater Rodericus Archiepiſcopus Toletanus Eccleſiam Toletanam mirabili opere fabricauit. Prudentiſſimus Mauricius Epiſcopus Burgẽſis Eccleſiam Burgenſem fortiter & pulchre conſtruxit. Et Sapientiſſimus Ioannes Regis Fernandi Cancellarius Eccleſiam Vallifoliti fundauit, & multis poſſeſſionibus glorioſe dotauit. Hic tempore procedente factus Epiſcopus Oxomenſis Eccleſiam Oxomenſem opere magno conſtruxit.

Nobilis Nũnus Aſtoricenſis Epiſcopus inter alia quæ prudenter geſſit, muros Aſtoricenſis vrbis, Epiſcopium & Eccleſiæ clauſtrum fortiter, & pulchre ſtuduit reparare. Regula iuris Laurentius Aurienſis Põtifex, eiuſdem Eccleſiam, & Epiſcopium quadris lapidibus fabricauit: & pontem in flumine Mineo iuxta eandem ciuitatem fundauit. Generoſus etiam Stephanus Tudenſis Epiſcopus eiuſdem Eccleſiam magnis lapidibus conſummauit, & ad conſecrationem vſque perduxit. Pius autem & nobilis Martinus Zamorenſis Epiſcopus in Eccleſiis conſtituendis monaſteriis reſtaurandis, pontibus & hoſpitalibus ædificandis continuo præbebat operam efficacem.

His & aliis Sanctis operibus noſtri beati inſiſtunt Pontifices & Abbates iſti: & alii quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ. Adiuuant his Sanctis operibus largiſſima manu Rex magnus Fernandus & prudentiſſima mater eius Regina Berengaria multo auro, argento, pretioſis lapidibus, & ſericis ornamentis Chriſti Eccleſias decorantes. Eo tempore per totam Hiſpaniam fratrum Prædicatorum, & fratrum Minorum conſtruũt monaſteria: & vbiq; ſine intermiſſione verbum Domini prędicatur. Huius glorioſi Regis tempore multi cruce ſignatorum Mare Mediterraneum transfretantes in Ægypto nobilem ciuitatem Damiatam de Sarracenorum manibus eruerunt. Etenim per vnum annum antequam Rex Fernandus regnare inciperet, glorioſus Papa Innocentius Romæ Synodum celebrauit: vbi fuerunt quadringenti ſeptem Epiſcopi, primates & Metropolitani ſeptuaginta vnus. affuerunt etiam duo de præcipuis Patriarchis, videlicet, Conſtantinopolitanus, Hieroſolymitanus: Antiochenus vero graui languore detentus miſit procuratorem ſuum. Alexandrinus etiam Sarracenorum dominio preſſus miſit vicarium ſuum. Interfuerũt Abbates Benedicti, & Priores conuentuales pluſquam octingenti. Procuratores Epiſcoporum, Abbatum, Imperatorum, Regum, & Principum non potuerunt numerari. In qua Synodo Eccleſiæ Chriſti columnæ, & paſtores rectiſſime de honeſtate ac fide Catholica tractauerunt, ſtatuentes vt ad liberationem terræ ſanctæ cunctus clerus ſubſidium mitteret. Tunc miſſus eſt à Sede Romana nobilis & prudens Cardinalis Pelagius, Epiſcopus Albanenſis Hiſpanus natione. qui factus Dux, Cruce ſignatorum ciuitatem Damiatam (vt ſupra dictum eſt) cũ theſauris innumerabilibus cepit. Hanc autem ciuitatem procedente tempore Sarraceni exigentib. peccatis noſtris iterum ocupauerunt. Sed iam ad noſtrorum Regum geſta veniamus.

Adefonſus Rex Legionis, vbi cum filio ſuo pacem habuit, quoſdam rebelles in regno ſuo perdomuit, Rege Fernando filio ſuo auxilium præbente: & congregato exercitu magno contra Sarracenos arma mouit: & cuncta quæ erant in circuitu de Caceres, ſcilicet arbores, vineas & ſegetes ferro & flamma vaſtauit, & ad propria reuerſus eſt. Hic ſalutari conſilio euocauit magiſtros peritiſſimos in ſacris ſcripturis: & conſtituit ſcholas fieri Salmantiæ, & ab illa die magis directa eſt Victoriæ ſalus in manu eius. Et quia Rex Portugalenſis Regem Legionenſem offendit, Rex Adefonſus obſedit caſtrum ipſius, quod dicitur S. Stephanus de Cauias, & accepit illud. Sed facta pace cum

Rege Portugaliæ misit nobilis regni sui cum duce Martino Sancii, qui de prædantes terram Maurorum, fere vsque ad Hispalim accesserunt. tunc congregata est multitudo nimia barbarorum in loco qui dicitur Teiada. Inito cum nostris prælio terga dederunt barbari, & ceciderunt ex illis maxima multitudo: & nostris cum victoria magna reuersis, Rex Adefonsus iterum cum magno exercitu terram Maurorum ingressus cuncta quæ erat in circuitu de Badaioz exterminauit. Similiter Sancius Rex Portugaliæ cum exercitu suo, omnia quæ erant circum circa Elues vastauit: & ambo Reges ad propria reuersi sunt.

Rex autem Castellæ Fernandus quam sapienter se tunc temporis gesserit, non est qui scriptis ostendere possit. Etenim reuocauit virum potentissimum Aluarum, Petri Fernandi de Castella filium, qui erat cum Sarracenis, & aggregato suorum exercitu magno, barbarorum fines inuasit: & multas strages Sarracenis inferens cepit ab eis ciuitatem Baeciam, Porcunam, Quesadam, Anduiar, Aznataraph, Garciez, Martusiahen, Capellam, & alias plures, & cum magna victoria in Castellam reuersus est.

Post hæc Reuerendissimus pater Ioannes, Cardinalis Romanus Sabiniensis Episcopus, Apostolicæ sedis legatus missus est in Hispaniam à gloriosissimo Papa Gregorio. Hic inter cætera quæ sanctè gessit Reges Hispanos contra Sarracenos studuit incitare, vnde Rex Legionẽsis Adefonsus cum exercitu suo, & parte exercitus filii sui Regis Fernandi obsedit Caceres, oppidũ fortissimũ barbarorum, & cepit ipsum. Fecit etiã largissimus Rex quoddam memoria dignum, prę Regib. qui fuerunt ante ipsum. Nam adiurauit omnes iudices regni sui, vt non acciperent ab aliquo paruum vel magnũ donum. Ipse quidem eis de suo ærario omnes abundanter faciebat expensas: ne iudices propter dona peruerterent iudicium, & iustitia haberetur venalis. Filius autẽ eius Rex Castellæ Fernãdus ingressus est terram Maurorum cũ exercitu magno, & multas strages faciens, arbores, vineas, segetes & cuncta quæ erant in circuitu Gehen ferro & flãma vastauit. Sequenti vero anno Adefonsus Rex Legionensis obsedit ciuitatem Emeritam, & cepit eam. Erat tunc temporis quidam barbarus insignis nomine Abenfuth, qui expulit Almophades ab Hispania, & factus est Rex barbarorum. Hic à suis vocabatur Rex virtutis, & congregato exercitu Maurorũ innumerabili, venit pugnaturus cũ Adefonso Rege Legionensi: qui erant Emeritæ cum paucis. Sed Rex Adefonsus, vt erat fortis, & animosus fecit exercitum suum de nocte contra Sarracenos flumen Gaudianam transire. Fixerant Sarraceni tentoria iuxta castrum Alhange, & viderunt primo mane nostrorum acies paratas ad bellum, & ipsi ordinauerunt acies suas ad prælium properantes. Fuit Dominus cum Rege Adefonso, & populo Christiano, & in congressione ipsius belli tãta Sarracenorum millia prostrata sunt, quod multa barbarorum oppida remãserunt vacua omnib. habitatorib. eorum extinctis in ipso bello. Abẽfuth autẽ Rex barbarorũ fugit grauiter vulneratus. Tunc Rex Adefonsus à victoria reuersus obsedit Badaiozum, & post paucos dies cepit ipsum. Dimiserãt Sarraceni Elues, & castra alia plura se fugæ committentes: quæ Christiani populauerunt, cum vacua repe rissent. Reuersus est Rex Adefonsus cum multis spoliis, & victoria magna laudans Deũ & beatum Iacobum, qui sibi de inimicis dedit tã nobiliter triumphare. Siquidem in ipso bello visibiliter apparuit B. Iacobus cum multitudine militum albatorum, qui Sarracenos in manu valida prosternebant. Beatus etiam Confessor Isidorus quibusdã apparuit Zemoræ ante quam Emerita caperetur & bellum fieret: & dixit eis se ad auxiliũ Adefonsi Regis cum Sanctorum exercitu properare, & quod sibi dictam traderet ciuitatem, & de Sarracenis campalem præberet triumphũ. Rex autem Adefonsus multam victualium & bellici apparatus copiam præparauit, vt statim reuerteretur ad euertendas vrbes & oppida barbarorum. Sed cum causa orationis ad Ecclesiam S. Iacobi Apostoli properaret, in Galęcia in loco, qui dicitur Villa noua de Zemos grauiter ægrotauit: & accepta ab Episcopis pœnitentia; & corporis & sanguinis Domini sacramento morte pretiosa decessit: & in Ecclesia beati Iacobi Apostoli iuxta patrem suum est honorifice tumulatus. Rexit regnum feliciter quadraginta duobus annis. Obiit era millesima ducentesima sexagesima octaua, octauo Kalendas Octobris.

Rex autem Fernandus filius eius tunc temporis erat in expeditione in terra Maurorũ, & cum audisset quod decesserat pater eius, festinauit venire Legionem, vt obtineret regnum patrum suorum. Eo tempore facta est perturbatio magna in regno Legionensi. Multi namque milites Gallæci & Astures multas populationes, quas

Rex

Rex Adefonsus fecerat absque murorum ambitu, incendio tradiderunt. Nitebantur etiam resistere Regi Fernando si possent, sed omnipotens Deus illũ mirabiliter adiuuabat. Etenim miles nobilissimus Didacus cùm esset Legione, fecit suos per palatium Regis furtiue ascendere, & turrim & Ecclesiam beati Isidori occupauit. Reuerendus autem pater Rodericus Episcopus Legionensis vir nobilis, prouidus & honestus, vt hæc vidit, Ecclesiam Legionensis Sedis armis, hominibus & bellicis apparatibus muniuit, vt ciuitas Regi Fernando seruaretur. Ciuesque turres murorum & Ecclesiarum, vt potuerunt similiter munierunt. Erat tunc in ipsa ciuitate, die ac nocte, continua vox belli, & tribulatio & angustia magna. Sed misericordia Dei non defuit: & prædictus Didacus ægritudine valida est percussus, ita vt ipse vel in eo nescio quis clamaret, quod beatus Isidorus ob auxilium Regis Fernandi volebat ipsum militem interficere, eo quod occupauerat turrim & Ecclesiam eius. Præterea à capite dicti militis oculi videbantur auelli, & à concauitate sua egredi ebantur non sine magno dolore. Vnde compulsus (cum se videret tam grauissime vexari) consilio Sanciæ Comitissæ venerabilis matris suæ, Abbati & conuentui ipsius Monasterii turrem & Ecclesiam restituit, & damna quæ illis intulerat, integrauit, dato super sancta Dei Euangelia iuramento, quod de cætero esset miles & Vassallus beati Isidori Confessoris. Illico sanitati restitutus est, & statim cum suis de ciuitate egressus. Episcopus autem Rodericus & ciues gaudentes in Domino, quod etiam sancti pro Rege Fredenando pugnabant, miserunt nuncios illi, veniret cito suam accipere ciuitatem. Venit itaque Rex Fernandus (qui vere creditur Rex virtutis, eo quod sit virtuosus) vna cum prudẽtissima Domina Berengaria matre sua, & Legionẽsem ciuitatem ingressus, cum gloria magna obtinuit regnum patrum suorum. Tunc confluentibus ad eum de singulis ciuitatibus & oppidis viris nobilissimis concessit eis bonos mores & foros antiquos, & etiam illis multa grauamina releuauit. Supererant duæ nobilissimæ sorores suæ, filiæ Regis Adefonsi, quas genuerat ex Regina Tharasia, Sancia scilicet & Dulcia, quas habuit in magna reuerentia donans illis dum viuerent, annuatim triginta millia aureorum. Deinde pacificato toto regno suo, omnes milites, qui populationes patris sui succenderant, exulauit.

Post hæc congregato Legionis, & Castellæ exercitu magno, ingressus terram Maurorum obsedit Vbedam, & cępit eam. Eo fere tempore inclytus Adefonsus frater eius, & Aluarus heros potentissimus de Castella, de mandato Regis cum nobilium exercitu deprædantes terram Maurorum, vsq; ad mare Mediterraneum hostiliter peruenerunt, quibus cum exercitu innumerabili occurrit Rex barbarus, nomine Abenfuth, iuxta ciuitatem quæ vocatur Xerez. Cõmisso certamine fugati sunt Mauri, multis millibus suorum prostratis, & Christiani reuersi sunt in patriam cum multis opibus & gloria magna. Iterum Rex Fernandus mouit exercitum; & fines Sarracenorum inuadens, cepit fortissimum castrum quod dicitur S. Stephanus, & quædam alia: & acceptis à Sarracenis thesauris multis reuersus est. Diuulgabatur fama Regis Fernandi per vniuersas regiones, & de fide, gloria, & victoriis eius loquebantur omnes gentes. Siquidem magnanimitas eius, & sapientia omnes hostes eius vehementissime deterrebat. Regina vero Berengaria mater eius in tanto sapientiæ culmine ferebatur, vt in regni administratione cuncta sapienter & nobiliter ordinaret. Quapropter secure Rex Fernandus faciebat moram in expeditione contra Sarracenos, eo quod Regina Berengaria vices eius sapienter in regno Legionis & Castellæ supplebat, & tanta securitate, & pace vtrumque regnum gaudebat, vt paruus vel magnus aliquis non auderet violenter res alterius occupare. Tantus inuaserat cunctos hæreticos terror, vt cuncti de vtroque regno fugere festinarent. Mittebat Regina Berengaria abundanter filio suo Regi Fernando dum esset in expeditione milites, equos, aurum, argentum, cibaria, & quæcunque erant necessaria exercitibus suis.

Era MCCLXXIII. Regina domina Beatrix obiit, & sepulta est Burgis in regali Cæmeterio, quod bonæ memoriæ fecerat Castellæ Rex Adefonsus. Ante paucos dies decesserat filia Regis Fernãdi & Reginę Beatricis Maria puellula, quæ Legione in monasterio Sancti Isidori est sepulta. Tunc temporis deuotissimus Rex Fernãdus coram corpore beati Isidori fixis genibus orauit, & votum faciens dixit viua voce: Adiuua me beate Cõfessor contra Sarracenos, & de his quæ acquisiero huic Ecclesiæ tuæ conferam honorabilem portionem. Eo tempore quidam Catholici viri strenui de frontaria

Maurorum, qui Almugaueres vocantur, collecta ſuorum multitudine de nocte terram Sarracenorum furtiue ingreſſi ſunt. Qui cùm veniſſent Cordubam, & cuſtodes murorum ipſius ciuitatis barbari minime vigilarent, per ſcalas & funes ciuitatem magnam Cordubam intrauerunt, & maximam obtinuerunt partem turrium & murorum; & cum aduerſus Sarracenos fortiter dimicarent, & multos ex eis occiderent, feſtinanter miſerunt nuncios ad Regem Fernandum, vt ad eorum properaret ſucurſum. Erat tunc in partibus illis heros potentiſſimus Aluarus de Caſtella, & veniens feſtinus ad ſuccurendum Chriſtianis extra Cordubam tentoria fixit. Pauciſſimi erant Chriſtiani habito reſpectu ad Saracenos: ſed quotidie de barbaris adiuuante Domino triumphabant. Quantæ autem magnanimitatis fuerit Rex Fernandus ex hoc poteſt aduerti, quod ſtatim Beneuentanis & Zemorenſibus, & aliis ſibi adſtantibus dixit: Si quis eſt mihi amicus & fidus vaſſallus ſequatur me. Erat tunc hyems valde pluuioſa, & dum non haberet ſecum centum milites, ingreſſus eſt audacter per frontariam regni Legionis, & cum paucis Cordubam venit. Magnus timor & dolor inuaſit amicos cunctos Regis Fernandi, cum peruenit ad eos, Regem ſe tanto diſcrimini contuliſſe. Accelerabant cuncti tanto domino ſubuenire, ſed reſiſtebant eis flumina inundantia & pluuiarum tempeſtas. Rex autem Fernandus ſtabat fortis & imperterritus, & Sarracenos cũ ſuis fortiter feriebat: & cũ ingreſſum ciuitatis & egreſſum nõ poſſent Chriſtiani Sarracenis prohibere, eo quòd prohibente flumine magno Guadalquibir ad aliam partẽ non poterant trãſire, & Sarraceni ingrediebãtur & egrediebãtur per pontẽ, Rex Fernandus fecit fieri balſas & nauigia de lignis & coriis, & ipſe Rex cum paucis primus tranſiuit. Tunc prohibitus eſt Sarracenis ingreſſus & egreſſus, & cepit Rex caſtrũ quod erat in ipſo ponte. Obſeſſa fuit ciuitas Cordubenſis, vndique properante Chriſtianorum exercitu; & cum quotidie ab vtraque parte gladiis mortiferis, & iaculis fortiter certaretur, tandem laboribus multis & fame victi Sarraceni Regi glorioſo Fernãdo Cordubã ciuitatem inclytam tradiderunt; & ipſi Sarraceni recedentes ſe aliis Agarenorum oppidis contulerunt. Ingreſſus eſt Rex Fernandus Cordubam cum gloria & lætitia magna, & eliminata omni ſpurcicia Mahometi, põtifices ſacri in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli ad honorem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & genitricis eius Reginę cœlorum Marię, in eadem vrbe diuina myſteria peregerunt: magnum illud Sarracenorum oratorium, genitricis Dei Mariæ nomini, decorantes. Inuentæ ſunt ibi campanæ quas ob inſigne ab Eccleſia S. Iacobi Apoſtoli Rex Cordubenſis olim detulerat Almãzor: & Rex Catholicus Fernandus fecit eas Sarracenorum humeris ad Eccleſiam S. Iacobi reportari. Capta eſt ciuitas Cordubenſis era M c c l x x i v. & reuerſus eſt inclytus Rex Fernandus Toletum cum victoria & gloria magna. O quam beatus iſte Rex qui abſtulit opprobrium Hiſpanorum, euertens ſolium barbarorum, & reſtituens Eccleſiæ S. Iacobi Apoſtoli campanas ſuas cum magno honore, quæ multo tempore fuerant Cordubæ, ob iniuriam & opprobrium nominis Chriſti. Acquiſiuit etiam Rex Fernandus Turgellum, Sanctam crucem, Alhange, & quædam alia caſtra.



CHRONICON

VICTORIS EPISCOPI TVNNVNENSIS.

AD LECTOREM.

HRONICA *hæc Victoris & Abbatis Biclarensis antehac nusquam visa, reperit in Toletana Bibliotheca Andreas Schottus, Societatis* IESV *sacerdos de litteris & antiquitate optimè meritus, qui ea ad C. V. Marcum Velserum Reipub. Augustanæ Septemvirum misit; à quo in manus meas pervenerunt, lucemq; à me iure suo postularunt; ob id magis, quòd in Victoris Chronico, crebro Iustiniani nostri mentio fiat. Sed antequam Victorem legas, amice lector, de Victore quis fuerit, docendus, & de nonnullis, quæ ipse scribit, instruendus es, ne erres. De Victore ita Isidorus*: Victor Tunnunensis Ecclesiæ Africanæ Episcopus à principio mundi, usque ad primum Iustini Iunioris Imperii annum, brevem per consules annuos bellicarum Ecclesiasticarumque rerum nobilissimam histociam promulgavit, laude & notatione illustrem, ac memoria dignam. Hic pro defensione trium Capitulorum à Iustiniano Augusto exilio in Ægyptum est transportatus; unde rursus Constantinopolim est evocatus, dum à Iustiniano Imperatore & Eutychio Constantinopolitanæ urbis Episcopo, obtrectatoribus eorundem trium Capitulorum resisteret rursus in Monasterium eiusdem civitatis mittitur custodiendus, atque in eadem damnatione, ut dicunt, permanens, moritur. *Hæc Isidorus.* *Libro de viris illustribus. cap. 25.*

Idem ferè Trithemius; nisi quod hic addat, eum scripsisse etiam libellum pro defensione trium Capitulorum. Meminit Victoris huius & Ado Viennensis, initio Chronici, & Otto Frisingensis lib. 5. cap. 6.

Quod verò Isidorus ait, hunc Victorem à principio mundi usque ad primum Iustini iunioris annum brevem quandam historiam scripsisse (cùm hunc à XIIX. Theodosii iunioris consulatu, ubi Prosper desiit, inchoâsse, palàm sit) ad ea, opinor, respicit, quæ in fine huius operis habentur; dum videlicet Victor rationem annorum à condito mundo iniens ita scribit: Colliguntur omnes anni ab Adam primo homine. &c. *Quibus verbis minimè significare voluit, se historiam ab exordio mundi texuisse, ut Isidorus existimasse videtur; sed enumerans omnes annos, qui à principio mundi effluxerunt, Chronicisq; Eusebij, Hieronymi, Prosperi, & suo comprehenduntur, asserit tot & tot annos ab Adamo protoplasto, usque ad primum Iustini iunioris annum, elapsos esse. Et qui, quæso, Victor Chronicum ab exordio mundi contexuit, cùm ipsemet fateatur, finem Prosperi sibi esse principium scribendi?*

Cæterùm inter alia, quæ hoc Chronico continentur, est Epistola Vigilij Pontificis Maximi ad hæreticos Episcopos Theodosium Alexandrinum, Anthemium Constantinopolitanum, & Severum Antiochenum; qua profitetur, se eiusdem cum illis esse sententiæ, hoc est, Eutychianæ & hæreticæ. Extat eadem Epistola apud Liberatum; nisi quod aliam habeat inscriptionem, hanc nimirum: Dominis & patribus, *seu ut alii legunt,* fratribus. *Ex qua aliqui occasionem sumpserunt affirmandi, hanc epistolam ad ipsum Iustinianum & Theodoram Augustam fuisse scriptam. Sed aliter se habere constat, ex hoc Victore nostro; ex quo etiam restitui poterit apud Liberatum integer huius commentitiæ epistolæ titulus. Commentitiam voco; quod eam commentitiam & ab hæreticis confictam esse, copiosè demonstrent Illustrissimi Cardinales Baronius & Bellarminus.* *In Breviario cap. 22.*

Si enim reverà scripsisset ista Vigilius, *inquit Baronius*, cur non ex iisdem suis scriptis conventus est, cùm de restitutione Anthimi altercatus est postea Constantinopoli cum Theodora? Rursus si isthæc ab ipso scripta sunt, cur non exprobrata eadem, cùm ipse Constantinopoli à Theodoro Episcopo Cæsariensi, & Menna Constantinopolitano durius vexaretur; cùm utrunque ipse Vigilius excommunicationi subiecit? Vel cur non id factum ab ipso Iustiniano Imperatore, cùm in ipsum furore accensus, etiam vi agendum putavit? Cur item id tacuit ipsa Quinta Synodus, in eundem Pontificem accedere renuentem, nonnihil commota? Hæc omnia publicè sunt ventilata, & publicis actis excepta, nec tamen de dicta epistola vel nutu usquam mentio. Neque *Tomo 7. anno Christi 538. Iustinia. Imp. 12.*

etiam Facundus Hermianensis Episcopus, in Vigilium ob tria capitula subinfensus, aliquid huiusmodi (sicut cætera) ipsi obiicere ausus apparet. *Hæc Baronius.* Posset etiam dici, *inquit Bellarminus*, epistolam illam Vigilii, cuius meminit Liberatus (& hic noster Victor) fuisse confictam ab hæreticis. Liberatum autem (*& hunc nostrum Victorem*) credidisse falso rumori, quem hæretici sparserant. Nam quòd hæretici confinxerint epistolam quandam Vigilii Papæ nomine ad Theodoram & Iustinianum, deprehensum fuit certis indiciis in VI. Synodo, act. 14. *Ita Bellarminus. Nec alienum hoc est à moribus hæreticorum. Nam ut olim Ruffinus sub nomine Pamphili Martyris finxit Apologiam pro Origene, cum esset Eusebij Cæsariensis, Arrianæ sectæ Coryphæi: & alium librum sub nomine Xisti Pontificis & Martyris, cùm esset Xisti Pythagorei: ita & hodiè fingere solent libros contra imagines sub specioso Caroli Magni titulo, & epistolas contra Cœlibatum sub clarissimo Augustani Præsulis Vdalrici nomine; & alia centena sub aliorum velo & tegmine. Nec igitur mirum, si olim quoq; hanc epistolam hæretici Eutychiani commenti sunt sub Vigilii nomine; præsertim cùm scirent se gratum facturos Theodoræ Augustæ alteri Iezabeli & Megæræ sui ævi. Nec mirum etiam Liberatum & Victorem nostrum Afros, ob tria capitula, Vigilio non valdè benevolos, monumentis suis figmentum hoc inservisse. Deinde, ut maximè epistola à Vigilio scripta fuisset, inde tamen non conficeretur, Summum Pontificem Petri successorem Christique Vicarium in hæresin lapsum fuisse. Nam ut rectè censet Bellarminus*, id fecit cùm adhuc viveret Sylverius Papa quo tempore Vigilius ipse, Papa non erat, sed Pseudopapa. Neque enim duo simul veri Pontifices Summi esse possunt; & constabat tunc omnibus, Sylverium verum Pontificem esse, licet in exilio degeret. *Cum multis aliis, quæ in eiusdem Vigilij excusationem, tum etiam commendationem adfert idem Bellarminus. Et hæc hactenus de Vigilii epistola quam Victor recitat.*

Bellarmin. de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 10.

Iam alleg. loco.

Idem Victor trium capitulorum perpetuus defensor fuit. Sunt autem tria capitula hæc. Primum de damnatione Theodori Mopsuesteni. Secundum de damnatione epistolæ Ibæ Episcopi Edesseni. Tertiũ, de damnatione scriptorum Theodori & Episcopi Cyri contra Cyrillum. Quia enim in Concilio Chalcedonensi Ibas & Theodoretus, qui Nestorio faverant, recepti sunt in communionem Catholicæ Ecclesiæ, actâ pœnitentiâ & repudiato Nestorio: & quia Concilium Chalcedonense Theodorum Mopsuestenum, etiam Nestorii studiosum non damnarat, sed potius probasse videbatur ob epistolam Ibæ, in qua Theodorus laudatur; ideò hæretici Eutychiani hostes Concilij Chalcedonensis, solito artificio cogitare cœperunt, quomodo non se Orthodoxis coniungere; sed Orthodoxos inter se committere, sparsis dissidiis & excitatis iurgiis, possent. Itaque Theodorus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus Eutychianus, fultus præsidio Theodoræ Augustæ, cùm Iustinianus Acephalos & Eutychianos ad observationem Concilij Chalcedonensis cogere iam statuisset; Iustiniano persuasit, non esse hoc opus, quando compendio omnes Acephalos ad suam communionem adducere posset: siquidem illi, inquit, hoc offenduntur in Synodum Chalcedonensem, quod laudes susceperit Theodorii Mopsuesteni Episcopi, epistolamque Ibæ, quæ per omnia Nestoriana cognoscitur, quam Synodus ipsa iudicio suo pronunciavit Orthodoxã. Qui Theodorus, si cum dictis suis & hac epistola anathematizaretur, tanquam retracta Synodus atque purgata, suscipietur ab eis per omnia & in omnibus, & sine pietatis vestræ labore Ecclesiæ Catholicæ sociati gaudentes, in universali Ecclesia Clementiæ vestræ laus erit sempiterna.

Liberatus cap. 24.

Hæc audiens Imperator, *inquit Liberatus*, & dolum dolosorum minimè perspiciens, sugestionem eorum libenter accepit, & facere promptissimè spopondit. Sed rursus illi callida fraude rogaverunt eum, ut dictaret librum in damnationem trium capitulorum. Quò libro eius edito, & toti mundo manifestato, dum emendare Princeps erubescit, irrevocabilis causa fieret: sciebat enim Principem solita pietate, scandalo emergente, sententiam suam posse corrigere, seseque ad periculum pervenire. Annuit his Princeps, & hoc se lætus implere promisit. Et relinquens operis sui studium, unum in damnationem trium capitulorum edidit librum; pro delictis nostris nobis omnibus notissimum. *Hæc Liberatus.*

Cum igitur damnationi horum trium capitulorum quidam ex Catholicis sese opponerent; proque iis publicè & privatim pugnarent, in duas partes Orthodoxorum animi distracti sunt: aliis damnationi trium Capitulorum subscribentibus, aliis refragantibus: Eutychianis interim effusè ob excitatum à se incendium, exultantibus. Inter eos, qui tria Capitula defenderunt fuit, initio Vigilius Pontifex, qui & Apologeticum, & quidem benè longum, quod Constitutum appellatur, pro tribus capitulis publicavit. Cui lubentes volentesque sese adiunxerunt Episcopi Africani, Itali, Provinciæ Venetiæ & Liguriæ, Epirotici, Illyrici & alii his finitimi.

Quod

Quod ægerrimè ferens Iustinianus, facti unque hoc contemptum Maiestatis suæ interpretans, parum clementer cum his Episcopis egit. Ita enim Liberatus, ut alios Scriptores taceam. Cætera quæ subsequenter in Episcopis & Catholica Ecclesia ab eodem Principe facta sunt; quomodo consentientes Episcopi in trium damnationem capitulorum muneribus ditabantur, vel non consentientes depositi, & in exilium missi sunt, vel aliqui fugâ latitantes in angustiis felicem exitum susceperunt, quoniam nota sunt omnibus, puto nunc à me silenda. *Hæc Liberatus.*

Imo ipse Vigilius iamdudum legitimus Pontifex: quippe mortuo pridem Sylverio, in exilium, Iustiniani iussu, pulsus est, ex quo prius non rediit, quam mutata sententia, tria capitula damnaret, quintamque Synodum adversus tria capitula, potissimùm Iustiniani auctoritate celebratam, comprobaret, suffragioque suo Oecumenicam efficeret. Quod Vigilius fecit, ut Ecclesiam Orientalem cum Occidentali coniungeret & schisma exortum sopiret. Factum hoc Vigilii Africanis Episcopis, inter quos noster Victor, cum aliis, tunc displicuit. Quare convocato Concilio excommunicarunt Vigilium, ut testatur noster Victor: excommunicarunt, inquam subditi Prælatum, oves Pastorem, de facto, non de iure, irrito conatu: cùm omnes successores Vigilii, nominatim S. Gregorius Magnus, & tota posteritas, id quod Vigilius pacis & concordiæ causa fecit, comprobarint, Synodumque V. in qua tria capitula damnantur, tanquam Oecumenicam receperint. neque unquam inter hanc & illam partem quæstio de fide fuit: sed tantùm de personis (ut observavit etiam sanctus Gregorius) hoc est de Theodoro Mopsuesteno, Iba Edesseno, Lib. 3. epist. 37. *& Theodoreto Cyri: quorum scripta Nestoriana, nemo Orthodoxus defendit, multo minus sacrosancta Chalcedonensis Synodus; licet hæretici vulgo iactarent Synodum, ipsam epistolam Ibæ & scripta Theodoreti contra S. Cyrillum probasse & laudasse; prout etiam Victor referre videtur. At secus res se habet. Nam Synodus personas ab errore resipiscentes, Ibam, videlicet, & Theodoretum probavit & collaudavit, non scripta. Nec potuit Vigilius aut quivis alius Orthodoxus Theodoretum & Ibam damnare, eo respectu, quo probati fuerant à Concilio Chalcedonensi, alioqui factum eiusdem Concilii improbassent. Itaque nihil egit Vigilius in præiudicium Synodi Chalcedonensis, ut putarunt Affricani, & refert Victor noster. Et tamen illa damnatione Theodoreti & Ibæ satisfactum est trium capitulorum damnatoribus. Nam de Theodoro Mopsuesteno minor est difficultas: cum in Chalcedonensi Synodo non fuerit ipse nominatim receptus, ut Ibas & Theodoretus; sed tantùm, quia in epistola Ibæ multis laudibus extollitur, visum fuit nonnullis, illum quoque à Synodo Chalcedonensi fuisse probatum; quod à veritate longè abhorret: cum Synodus non probarit epistolam Ibæ, sed Ibam ipsum Nestorio anathema dicentem.*

Quod autem Victor ait, Theodorum Mopsuestenum similiter Synodaliter gestis apud Antiochiam sub Iohanne Episcopo eiusdem Ecclesiæ, & Chalcedone laudatum fuisse: id quidem Liberatus quoque his verbis prodidit. Tunc Ioannes Antiochenus Episcopus, Synodo congregata, tres pro Theodoro Mopsuesteno dictavit epistolas: unam quidem direxit Theodosio Imperatori, aliam autem Cyrillo Alexandrino, & tertiam Proclo Cōstantinopolitano Episcopo, & eius exponens sapientiam. Ad hæc autem Imperator dirigens Sacram Ioanni, derogatores illos Theodori contra salutem propriam venire iudicavit. Cyrillus autem præscripto suo Theodorum præferens, tale de eius accusatoribus tulit iudicium, eò quod dogmate veritati contrario uterentur, interponens de Symbolo in Concilio sibi oblato tesseradecadas factas à Carisio presbytero. Nihilominus & Proclus per Menham Diaconum suum rescribens, cuius essent illa capitula, quæ Theodori dicebantur, quæsivit. Qui pro eius excusatione ignorare se dixit. Veruntamen duas memorati Ioannis epistolas, id est, primam & tertiam laudes Mopsuesteni continentes, Chalcedonensis Synodus postea per relationem suam Marciano Imperatori directam cum tomo Procli, quem ad Armenos direxit, & aliis Sanctorum Patrum epistolis suscepit & confirmavit. *Hactenus Liberatus.*

Lib. Breviar. cap. 10. Baron. Tom. 5. anno 435.

In quibus illud iterum admonendum, inquit Illustrissimus Baronius, eundem Liberatum Diaconum à nescio quo Nestoriano incautè nimis, quam narrat, esse mutuatum Historiam; qua refert probata scripta Theodori Mopsuesteni non scriptis tantùm Ioannis Antiocheni, sed & edicto Imperatoris atque etiam scriptis Cyrilli Episcopi Alexandrini, ipsum Theodorum fuisse laudatum; quin etiam (quod deterius existimari debet) dum ait, Synodum Chalcedonensem relatione ad Marcianum facta suscepisse & confirmasse Ioannis Antiocheni epistolas, quibus laudavit Theodorum Mopsuestenum; eandem S. Synodum Chalcedonensem in idem crimen adducit, quod laudes Theodori receperit, & doctrinam. Videsne, quot & quales lateant colubri sub uno

cespite falsitatus? Sed securim ad radicem admoveamus. Inprimis autem, quod ad Cyrillum spectat, quomodo potuit ipse accipere laudes, probareq́ scripta Theodori, qui eadem sapuit cum Nestorio, cùm adeo reperiatur adversatus esse Nestorio? Sed id apertius demonstremus, ex ipsius Cyrilli scriptis, postquam hæc de Theodoro Mopsuesteno in controversiam deducta sunt, editis. Lucubrationem quidem Cyrilli de expositione Nicæni Symboli elaboratam ab eo fuisse post scriptam Procli epistolam ad Armenos, sua ipsius testificatione monstratur, dum ipsam citat & laudat his verbis: Proclus ipse, qui nunc sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ thronum adornat, religiosissimus & pientissimus Pater & Coëpiscopus scripsit ad Orientales piissimos Episcopos in hæc verba: Et incarnatus quidem est, &c. inferius vero scripserunt adversarii, qui præ multa insipientia Nestorii & Theodori scripta non cavent, &c. vides igitur S. Cyrillum una eademq́ lance, æquoque pondere Theodorum expendere cum Nestorio.

Quod autem ad Chalcedonense Concilium spectat, quòd dicatur recepisse & confirmasse epistolas à Ioanne datas laudibus Theodori refertas: reddamus hîc verba ipsa, quæ in relatione Synodica ad Marcianum, citata à Liberato, scripta habentur; sic enim se habent: Si enim per epistolas Ecclesiæ dogmata declarari pro unaquaque quæstione dignum culpa iudicant, ipsum inprimis beatissimum Cyrillum quilibet poterit denotare, qui litteris suis Orientalibus, quod sentiebat, expressit: nec non & magnum Proclum huic vituperationi subiiciet, qui eisdem Orientalibus volumen ad Armenios pro fidei congruentia destinavit. Huic autem consociabitur ad culpam, & sapientissimus Ioannes Antiochenus Episcopus, qui hæreticorum maledicta repellens & Apostolicâ doctrina religiosissimum dogma declarans, totius Orientis confessionem, velut ex uno ore, sanctissimo Proclo, & ei qui per idem tempus mundi regebat gubernacula, destinavit. Hæc sancta Synodus ad Martianum Imperatorem. in quibus vides nullam de Theodoro Mopsuesteno mentionem haberi, sed istos ut magni nominis Episcopos in exemplum adduci.

Nec est quod quis adhuc instet & urgeat, laudatas à Synodo epistolas Ioannis Antiocheni, quasi hoc ipsum esset laudibus Theodori consensisse, eiusq́ scripta probasse: nam cum rectam in omnibus fidem (ut vidimus) dictis epistolis professus esset, adeo ut non potuerint eædem epistolæ à Proclo non recipi atque Cyrillo, & ipso Theodosio Imperatore, nihil virulentum ex Theodori doctrina eisdem admiscuisse, certum est. Sed quod ad Theodorum spectat, non eum laudavit Ioannes ut erroris auctorem, verùm tantummodo excusavit non esse Theodori, quæ nomine Theodori circumferrentur. Ita quidem se rem habuisse, verbis illis Liberati manifestè probatur, quæ retulimus, ubi ait: Nihilominus & Proclus per Mennam Diaconum suum ipsi Ioanni rescribens, cuius essent illa quæ Theodori dicebantur, quæsivit. Quæ pro eis excusatione ignorare se dixit.

Vides igitur negantem Ioannem fuisse à Proclo literis interpellatum, si non essent Theodori tria illa hæresum capita, quæ ab Armeniæ monachis circumferebantur, cuiusnam essent: Ioannem verò respondisse, se penitus ignorasse. Quibus planè intelligis, sic laudatum à Ioanne Theodorum, immunemq́ ab omni labe criminis hæresis redditum, eò quod putaret calumniam passum, dum sub eius nomine circumferrentur errores. Quòd igitur defensores Theodori ea ipsius scripta esse negarent, quæ diffamata per totum fuerant Orientem: inde accidisse videtur, ut prudenter Proclus in epistola ad Armenos, errores ipsos redarguens nullam penitus de Theodoro habuerit mentionem, detectis autem postea scriptis Theodori, eadem cum auctore prorsus damnata fuisse, & dictum est superiùs, & suo loco pluribus dicemus.

Hæc Illustrissimus Baronius ad Liberatum Africanum Archidiaconum: nos ad nostrum Victorem Africanum Episcopum. Atque de his hactenus disseruisse satis fuerit. Cætera quæ in Victoris Chronico declaranda vel emendanda occurrunt, erudito Lectori committimus. Nihil enim in exemplari repertum, temerè mutare voluimus, imitati eruditum illum Virum, qui varios Francorum Historicos edidit, eo prorsus stylo & scripturæ modo, quem in ipsis Autographis invenerat.

CHRO-

CHRONICON VICTORIS TVNNVNENSIS EPISCOPI.

AXIIX Consulatu Theodosii Iunioris, Victor, Episcopus Tunnunensis Ecclesiæ Africæ, historiam prosequitur, ubi Prosper reliquit.

Igitur Theodosio XIIX. & Albino Coss. Antiochenæ Ecclesiæ Episcopatum post Ioannem Diaconus suscepit.

Domnus.

Aetio III. & Symmacho.

Calipio & Ardaburio Coss. Eutyches Presbyter, & Archimandrita cuiusdam Monasterii Constantipolitani apparuit, qui sui nominis hæresin condidit. Hic etenim Dominum nostrum IESVM sic asserebat natum ex MARIA semper Virgine matre, ut nihil in eo confiteretur humanæ naturæ. Qui Synodali invitatus colloquio, Constantinopolim congregato, cui sanctus præfuit Flavianus, eiusdem urbis Episcopus, dum nollet Christum in duabus confiteri naturis, post nativitatem ex Virgine & nobis secundum carnem substantialem esse, damnationem cum proprio errore suscepit, quam Sanctus Romanus Antistes Apostolica autoritate firmavit.

Pro quo Imperatore Theodosio patrocinante; Leone Romano, Dioscoro Alexandrino*, Diacono Antiocheno, Iuvenale Hierosolymitano, & Flaviano Constantinopolitano præsulibus sedium; Postumiano & Leone Coss. Synodus generalis II. congregatur in Epheso, in qua Dioscorus Alexandrinus Episcopus sibi principatum usurpans, imperiali favore, eundem Eutychen post legitimam damnationem absolvit, & eius obtrectatores, duarum in Christo naturarum doctores, Flavianum Cõstantinopolitanum, Eusebium Dorilei, Theodoretum Cyri & Ibam Edessenum, Antistites, cæterosque alios, impia autoritate, contradicentibus etiam legatis sedis Apostolicæ, condemnavit, totamque Synodum sibi favore monachorum, seditione militariq; violentia inclinavit.

al. Donato. Domno.

Concilium Ephesinum II. potius cõciliabulum.

Asterio & Protogene Coss. Attila Rex Hunnorum, postquam est Valentiniani Augusti ducis prælio superatus, & in fugam conversus, vires recepit, & ad Italiam importabiliter pergit, cuius mala Romana Respublica pacis fœdere sopiit. Qui Attila Leonis Papæ legatione suscepta, non solum à Reipublicæ vastatione quievit, sed & trans Danubium pace data recessit.

Valentiniano VII. & Attieno Coss. Theodosius Imperator anno vitæ suæ LXII. Constantinopoli moritur.

al. Avieno.

Chrysaphius præpositus Imperatoris, amicitiis Eutychetis malè usus occiditur; & Martianus totius Reipublicæ consensu Imperator efficitur.

His diebus Gothi contra Hũnos dimicant in campis Cathalaunicis, in quo prælio, Theodoredus Rex occubuit, & Gotha victores extiterunt, dimicante Turrismundo Rego, Attila Rex Hunnorum nusquã comparuit.

Romanorum XLVII. Martianus regnat annis V. mensibus VI. qui in ipsa regni sui exordia, Ecclesiarum paci prospiciens, Chalcedone fieri Synodum, imperiali autoritate, denunciat.

Constantinopolitanæ Ecclesiæ præsulatum post Flavianum Anatolius suscepit.

Consulatu Martiani Augusti IIX. Kal. Octobris Leone Romano, Dioscoro Alexandrino, Maximo Antiocheno, Iuvenale Hierosolymitano, & Anatolio Constantinopol. præsulibus; Synodus generalis Chalcedone colligitur Episcoporum DCXXXII. ubi Ephesina II. nec dicenda Synodus, abdicatur. Eutyches cum Dioscoro patrono suo, Alexandrino Episcopo, atque Nestorio condemnatur, Antistitesque Catholici iniustè damnati, ab eodem Dioscoro in Synodo præfata Ephesina II. solvuntur, fidesq; sanctorum patrum, qui in Nicæna Constantinopolitana, & Ephesina I. convenerunt, sanctis Synodis explanatur. His itaq; definitis & subscriptionibus totius Synodi roboratis, Eusebio Dorilei, Theodoreto Cyri & Iba Edesseno propriis restitutis Ecclesiis, iis, quos pro eis Dioscorus hæreticus substituerat pulsis, omnia, quæ ad statum Ecclesiæ pertinent, disposita sunt, ratumq; terminum susceperunt.

al. XLVI.

al. VII.

Post Theodoredũ Turrismundus filius eius Gothorum regnum regit, an. 10.

DCXXX. al.

Opilione & Vincomalo Coss. Dioscoro Gangra exilio relegato, Proterius Alexandrinæ Ecclesiæ suscepit præsulatum.

Eo tempore Attila moritur, de cuius regno dum filii dimicant, Hunni vastantur, ac deinde minorantur.

Aetio & Studio Coss. Aetius patritius Valentiniani Augusti manu intra palatium primò percussus, circumstantium gladiis crudeli morte extinguitur, Boetiusq; præfectus nihilominus occiditur.

Valentiniano IIX. & Anthemio Coss. Valentinianus Imperator in campo maximo dolis Maximi patritii, & Heraclii Præpositi perimitur. Idemq; Maximus ex consule ac patritio eius sumit imperium, diebus LXVII. Hic itaq; malum, quod latebat, apparuit. Mox relictam Valentiniani Augustam viri exitum sui lugere non permittens in matrimonio sumit. Sed his malis peiora succedunt, dum adventum Genserici Vandalorum regis formidat, & cunctis volentibus urbe recedere licentiam tribuit, priusquam fugam, quam cogitabat, assumeret, occisus, membratimque concisus in Tiberim fluvium proiectus est.

al. cunctos. *al. Avitus.*

Aetio & Studio Coss. & præfectis, tertia die, postquam Maximus occiditur, Gensericus Vandalorum Rex Romanam urbem ingreditur, & per XIV. dies cunctis opibus nudat, secumque inde Valentiniani filias & uxorem ac captivorum multa millia tollit: Vt autem ab incendio tormentis & gladio abstineret, Papæ Leonis intercessio facit: huius quoque captivitatis LXXV. die Anitius vir totius simplicitatis in Gallis imperium sumit.

Ioanne & Varane Coss. Ricimirus patritius Avitum superat, cuius innocentiæ parcens Placentiæ civitatis Episcopum facit.

His temporibus Theodoricus frater Thurismundi Gothorũ regit an. IX. *al. Illuro infrà Ellurus Rectè Aelurus.* *His diebus Gothi cõtra Suevos dimicant in campo Paramo iuxta flumen Orbicũ, in quo prælio Gothi extitere victores.* *His diebus Maioranus Imp. Cæsaraugustanus venit.* *al. Salafariarius.* *Solofaciolus.* *Dagalaipho.* *al. Leone & Severo Viniano & Basilio.* *His Coss. Maioranus Imp. à Ricimero interfectus est.* *Hunericus.* *al. x.* *His diebus Theodoricus Rex Gothorum à suis gladio interfectus est; & Euricus frater eius Gothorum Rex efficitur, regnat annos XVI.* *al. Puseo.*

Constantino & Rufo Cons. Martianus Imperator Orientis Constantinopoli moritur, & pro eo Leo imperator efficitur. Romanorum XLIIX. Leo regnat annis XVI.

Alexandria & Ægyptus errore Dioscori languens decreta Chalcedonensis Synodi non recepit. Proterium Antistitem, Dioscori successorem, & Synodi Chalcedonensis decretorum custodem, populus Dioscoritanus seditione facta, Timotheo auctore, cognomento Herulo, interfecit VI. Kalen. April. VI. feria ultimæ Ieiuniorum hebdomadæ, die qua noster Salvator & Dominus à Iudæis est crucifixus. Tunc enim Pascha Dominicum quarto est Kal. Apr. celebratum. Proterio itaq; interempto, Timotheus præfatus, cognomento Herulus, Chalcedonen. Synodi obtrectator, eius Episcopatum Ecclesiamq; pervadit.

Leone Aug. Coss. Maioranus Romæ imperium sumit. Timotheus Alexand. Ecclesiæ incubator defensores Synodi Chalcedonensis insequitur.

Patritio & Ricimero Coss. Iuvenalis Hierosolymorum Episc. litteris Leonis Romani antistitis adversum errorem Eutychis, Dioscoriq; armatur.

Magno & Apollonio Coss. Timotheus Episcopus interfector Proterii Episcopi, Leonis principis præcepto, vix à sede Alexand. raptus Ecclesiæ. Chersona exilio relegatur, & post menses V. eidem Alexandrinæ Ecclesiæ alius pro eo Timotheus, cognomento Salafatiatus Synodi Chalcedonensis defensor, Episcopus ordinatur.

Gadalayfo & Severino, Leone Aug. II. Viviano V. C. Coss. Carthaginensis Ecclesiæ post Capreolum. *Quod vult Deus* Eugenius Episcopus ordinatur.

Maioranus Romæ occiditur, & Severus imperium Non. Iul. sumit.

Olybrio & Rustico Coss. Gensericus Vandalorum Rex post multarum provinciarum clades, & Christiani apud Africam populi spolia atque neces moritur, anno regni XL. post quem Vgnericus filius eius regnat annos VII. menses V. Huic Vgnerico pater Gensericus Valentiniani filiam, quam ex Roma captivam abduxerat, in coniugium tradidit.

Hermia & Basilisco Coss. Antiochenæ Ecclesiæ Episcopatum post Maximũ suscepit Alexander. Hierosolymitanæ verò Ecclesiæ post Iuvenalem præest Anastasius.

Leone Aug. III. Coss. Vgnericus Vandalorum Rex, Arriano suscitatus furore, Catholilicos per Africam plus patre persequitur, Christianorum Ecclesias tollit, & Catholicos Sacerdotes exilio mittit.

Buseo & Ioanne Coss. signum in cœlo ex nube, velut contum apparuit, per dies x. Anthemius Romæ imperium sumpsit.

Leone IV. & Anthemio II. Coss. Leo Aug. supplicationibus Ægyptiorum permotus, ut Synodus fieret, quæ de gestis Synodi Chalcedonensis iudicium ferret, ad cognoscendam singulorum fidem, Ecclesiarum præsulibus unicuiq; semotim scripsit, & à singulis epistolas, tanquam ex una collatione, consonas suscepit, id fieri nullatenus posse, sed magis ac magis in sua perpetuitate Synodi gesta Chalcedon. manere. Extant quæ ἐγκύκλια Græco eloquio vocitantur.

Leo-

Leone & Martiano Coss. Romanæ Ecclesiæ Episcopatum post Leonem Hilarius *Hilarus.* suscepit.

Ioanne & Severo Coss. Leo Aug. Patritium Asparis filium, Cæsarem facit.

Leone Aug. V. & Probino Coss. Aspar & duo filii eius Patritius Cæsar & Ardaburius Constantinopoli, præcepto Leonis, occiduntur. His Coss. Arelatum & Massilia à Gothis occupata sunt.

Leone VI. & Probino Coss. Leo Aug. Leonem nepotem suum, Zenonis uxoris suæ filiæ, filium, Cæsarem facit, & imperat an. II. Romanæ Ecclesiæ Episcopus post Hilarium Simplicius ordinatur, & post Simplicium Felix.

Constantinopolitanæ Ecclesiæ Gennadius Anatolio succedit in Episcopatu, & Gennadio Acatius.

Antiochenæ Ecclesiæ post Alexandrum Marturius, post Marturium Iulianus *Martyris.* ordinatur Episcopus. Hierosolymitanæ verò Ecclesiæ Marturius post Anastasium Episcopus aderat.

His Coss. Olybrius Romam venit, & imperium factione Ricimeri Patritii, regnante Anthemio, sumit, quo agnito, Anthemius in fugam conversus, occisus est, & post certos dies Herculanus, Orestis filius, arripiens imperium, cum patre suo occiditur, & eius regnum nepos assumit.

Leone minore August. Coss. Leo maior Aug. Constantinopoli moritur. Zenon à Leone Aug. F. in Septimo contra consuetudinem coronatur.

Romanorum XLIX. Zenon regnat annis XVII. post consulatum Leonis Iunioris Aug. Zenon Imperator quærens Leonem Aug. proprium filium occidere, & eius imperium pervadere, alium pro eo eius uxor Ariadne Augusta similem puerum ad mortẽ obtulit, & Leonem eundem Aug. occulte totondit, eumq; clericũ unius Ecclesiæ Constantinopolitanæ fecit. Qui Leo usq; ad Iustiniani tempora principis vixit.

Eodem Consulatu Basiliscus cum filio Marco imperium quam tyrannice Constantinopoli sumit.

Zenon Aug. in Isauriam, unde exortus fuerat, fugit, & eum Ariadne Aug. sub hyemis discrimine navali itinere subsecuta.

His Coss. Basiliscus Tyrannus, lege data, Chalcedonensem Synodum damnari, & Ephesinam II. præcepit absolvi & suscipi.

Timotheus Episcopus, cognomento Hellurus, Proterii successor pariter & peremtor, ab exilio Chersona redit, & fugato alio Timotheo Episcopo, *Salafatiatio*, cognomento, defensore Synodi Chalcedonensis, Alexandrinam Eccl. etiam pervadit. *al. Solafatiario.*

Basilisco Tyranno & Armato Coss. Zenon Aug. vigesimo mense, donato sibi exercitu, Constantinopolim ab Isauria redit, imperium resumit, & Basiliscum cum filiis atq; uxore exilio in *Gasemis* Cappadociæ mittit, finemq; vitæ ibi miserè facit, inter hæc *al. Sasemis.* gesta sunt; quia nullus Coss. accessit & Basiliscus Tyrannus à Consulatu recessit.

Post consulatum Armati v. c. Timotheus Hellurus Chalcedonensis Synodi obtrectator, & Proterii Episcopi interfector, moritur, & Alexandrinæ Ecclesiæ prætulatum alius Timotheus Salafatiarius Chalcedonensis Synodi defensor, resumit. Hierosolymitanæ itaq; Ecclesiæ Salustius Marturio succedit Episcopus, Antiochenæ verò Petrus, cognomẽto Fullo, post Iulianũ, qui Marturio successerat, ordinatur Episcopus. *Additur in alio Armatus præsenti anno consul remansit.*

Zenone Aug. Coss. Hunericus Vandalorum Rex persecutioni per totam Africam nimis insistens, Tibunnis, Macri & *Nippis*, aliisq; Heremi partibus Catholicos, iam *al. Nippis.* non solum sacerdotes & cuncti ordinis clericos, sed & monachos atq; laicos quatuor circiter millia exiliis durioribus relegat, & Confessores ac Martyres facit, Confessoribusq; linguas abscidit. Quos Confessores, quod linguis abscisis perfecte finem adusq; locuti sunt, urbs regia attestatur, ubi eorum corpora iacent.

Tunc Lætus, *Neptensis* Ecclesiæ Episcopus, glorioso martyrio coronatur IIX. Kal. *al. Nepotiensis.* Octob. & Eugenius Episcopus Charthaginensis Ecclesiæ post dir. Heremi exilia, plurimis afflictionibus, pœnisq; clarus habetur. *Leptensis.*

Hic itaq; Hunericus inter innumerabiles suarum impietatum strages, quas in Catholicos exercebat, octavo regni sui anno, interioribus cunctis effusis, ut Arrius pater eius, miserè finivit vitam, cui succedit Gunthamundus, regnat annis XII. qui nostros protinus de exilio revocavit.

Post consulatum Zenonis III. Timotheus, cognomento Salafatiarius, Synodi Chalcedonensis defensor moritur, & pro eo Alexandrinæ Ecclesiæ Ioannes

Tabennesiota Presbyter & Oeconomus, Synodi Chalcedoniensis defensor, Episc. ordinat. Quem Zenonis præcepto principis Petrus, qui superstite Timotheo Salafatiario Episcopo, ab hæreticis fuerat ordinatus, eiiciens, Alexand. Ecclesiam pervadit, qui confestim, favore Zenonis principis, Synodum Chalcedoniensem de pulpito, corã populis damnat. Nomina Proterii & Salafatiatii de Ecclesiasticis diptychis tollit, & Dioscori, & Helluri, qui Proteriũ interfecit, scribit, corpusq; privati Timothei Salafatiatii de Ecclesia eiiciens, in loco deserto foris civitatem proiecit.

al. præfati.

Tricundio v. c. consule Zenon Imp. Eutychiani poculo erroris sopitus, Acatium Constantinop. Episcopũ, damnatoribus Synodi Chalcedoniensis, Petro Alexandrino & Petro Antiocheno Episcopis, per Henoticum à se prolatum socians, eorum communione polluitur, & cum eis à Catholica fide recedit.

Post consulatum Tricundii v. c. Leontius Tyrannus, Hilli patritii factione, imperium in Isauria cum tyrannide sumit.

Theodorito v. c. Coss. Felix Romanæ Ecclesiæ Præsul monachis & clericis per orientem Ægyptum & Bithyniam commorantibus scribit, ut Petrum Alexandrinũ Episcopum Chalcedonensis Synodi obtrectatorem, & eius communicatores, tanquam hæreticos, vitent.

His diebus Euricus Rex moritur, & Alaricus filius eius pro eo Rex efficitur, regnat an. XXIII.

Post consulatum Theodoreti v. c. orientales Episcopi, præter paucos, per Henoticum Zenonis, communione atque consensu polluti Petri Alexandrini, Petri Antiocheni & Acatii Constantinop. Episcoporum, Synodo Chalcedoniensi renunciant.

Longino v. c. Coss. Acatius Constantinopolit. Episcopus, literis Felicis Rom. Ecclesiæ præsulis admonitus, ut à damnatorum Synodi Chalcedonensis communione atq; societate abstineat, legatos eius custodiæ mancipat.

Post consulat. Longini v. c. Acatius Constantinop. Petrus Alexandrinus, & Petrus Antiochenus Episcopi, Chalcedonensis Synodi inimici, á Felice R. E. præsule, & Synodo in Italia facta damnantur, & ipsa damnatio Acatio Constanopolim, legatis missis, per monachos Monasteriorum Achimitensium atq; dii ingeritur.

Acœmetarũ.

al. Casiliani, Basiani.

Post conf. II. Longini v. c. consulis corpus S. Barnabæ Apostoli in Cypro, & Evãgelium secundũ Matthæum, eius manu scriptum, ipso eodem revelante inventum est.

al. Leontius, Illus Patritius.

Leontius Tyrannus, & Patritius proditione Castelli capti morte turpissima pereunt. Petrus Antiochenus sub damnatione moritur, & in eius loco Calendionem ordinat. Orientales autem Episcopi, tanquam nescientes, Ioannem cognomento Codonatũ eidē Antiochenæ Ecclesiæ consecrant Episcopũ, cui Petrus succedit hæreticus.

al. Campaneum.

al. Provitus. al. Flavitas.

Eusebio v. c. Coss. Acatius Constantinop. Episcopus sub damnatione moritur, & pro eo Flavianus Episcopus ordinatur, cui tertio promotionis suæ mense mortuo, Euphemius Synodi Chalcedonensis decretorum custos, in Episcopatu succedit.

Post Consulatum Longini v. c. Petrus Alexandrinæ incubator Ecclesiæ, sub damnatione moritur, cuius Episcopatum simul & errorem suscepit Anastasius. Calendio Antiochenus Episcopus reliquias prædecessoris sui Eustachii Episcopi & confessoris ex Philippis populis Macedoniæ colligit, & Antiochiam summo cum honore producit. Hoc tempore Annianus super Euphratem fluvium oratione podagros curat, Auxentius dæmones fugat, Daniel & Anastasius, Vindimiolus, Manasse, Severus & cæteri alii, per diversa eremi loca virtutibus variis, ac præscientia claraverunt.

al. Philippopoli. Heremita.

al. Patrenota. fort. passim nota.

Olybrio v. c. Coss. Zenon Imp. Constantinop. moritur, anno vitæ suæ XLII. Ariadne Aug. Zenonis relicta, Anastasium Silentiarum Illyricianum, patre Dirrchaceno, matre Arriana, Imperatorem designat, Anastasii autem fide, immo perfidia procul iam patre nota, coactus est, Euphemio Constantinop. Episcopo insistente, scripto promittere, nihil sinistrum contra Apostolicam fidem & Synodum Chalcedonensem agere, Chirographum Euphemius Episcopus suscipit, & in Archivo Ecclesiæ reponit.

Romanorum L. regnat Anastasius annis XXVII. qui imperium sumens, violenter Chirographum suum ab Euphemio Episc. recolligit, & adversus Synodi Chalced. defensores Episcopos atrociter sævit, inter quos, mortuo Petro Antiocheno Episcopo, qui Calendione, Synodi Chalcedoniensis, defensore superstite, fuerat ab hæreticis, Zenonis temporibus Principis, ordinatus, sententiam mutat in peius, ut Calendio quidem de malis ad peiora ducatur, & pro eo Palladius ordinetur.

Anastasio & Rufo Coss. Rom. Ecclesiæ Felici succedit Gelasius, & Gelasio Anastasius. Alexandrinæ verò Athanasius præerat hæreticus, Antiochenæ etiam Ecclesiæ Palladius, Calendione superstite factus, & Hierosolymorum Salustius, Euphemius Constantinop. Episcopus, Anastasii Imperatoris calliditate prævisa, Synodum congregat, Chalcedonensis Synodi decreta confirmat.

Aste-

Aſterio & Præſidio Coſſ. Ioannes Epiſcopus Alexandrinus, à Romana Eccleſia veniens, Anaſtaſio Imp. ſupplicat, ut eum throno ſuo, pro antiqua amicitia, reddat; ſed hoc pro defenſione Chalcedonenſis Synodi, dum non impetrat, Romam furtim, unde venerat, remeavit.

His Coſſ. Sani in Hiſpaniam ingreſſi.

Victore v. c. Coſſ. Bellum Iſauricum exardeſcit Athenodorus & Longinus tyranni occiduntur. Athanaſio Alexandrino mortuo, Ioannes cognomento *Hemula*, ſuccedit, quo occumbente poſt paucos dies, ei Ioannes alius, cognomento Niceta, ſuccedit Epiſcopus.

al. Mala.

Paulo v. c. Coſſ. Anaſtaſius Imp. hæreticorum Synodum faciens Henoticum Zenonis confirmat, & Euphemium Epiſcopũ Cõſtantinop. Chalcedonenſis Synodi defenſorem deponit, quem *Euchaida*, in exilium mittens, pro eo Macedonium facit.

His Coſſ. Burdimelus in Hiſpania tyrannidem aſſumit.
al. Encadia.

Anaſtaſio Aug. Coſſ. Macedonius Conſtantinopol. Epiſcopus Synodo facta, condemnat eos, qui Chalcedonenſis decreta Synodi ſuſcipiunt, & eos, qui Neſtorii & Eutychis defendunt.

His Coſſ. Gothi intra Hiſpanias ſedes acceperunt, & Burdimelus à ſuis traditus & Toloſam directus in tauro æneo impoſitus igne crematus eſt.

Anaſtaſio Romano Epiſcopo mortuo ſuccedit Symmachus, & ex alia parte Laurentius ordinatur qui dum Noceriæ civitatis Epiſcopus nollet eſſe, *contentus*, Synodo Romæ facta, à cœtu eſt ſacerdotali proiectus.

al. contemptus.

Palladius Antiochenus moritur, & pro eo Flavianus ordinatur Epiſcopus. Alexandrinæ Eccleſiæ Ioannes, cognomento Niceta, adhuc præſidebat. Hieroſolymæ verò poſt Saluſtium Helias ſuſcepit præſulatum.

Gunthamundo Vandalorum rege Charthagine mortuo, Traſamundus regnat annis XXVII. men. IV. & hic Arriana inſania plenus, Catholicos inſectatur, Catholicorum Eccleſias claudit, & in Sardiniam exilio ex omni Africana Eccleſia CXX. Epiſcopos mittit.

Eo tempore Fulgentius, Ruſpenſis civitatis Epiſcopus, in noſtro dogmate claruit.

Ioanne Scytha & Paulo Coſſ. Olympius quidam Arrianus in balneis, quæ Heliana vocantur apud regiam urbem, ſanctam & conſubſtantialem Trinitatem blaſphemans tribus *ignis ſiclis*, angelo miniſtrante inviſibiliter, in piſcina frigidæ aquæ *perfuſus*, vitam impiè, ſimulq; prodigioſè finivit.

al. igneis ſpeculis.
al. percuſſus.

Gibbo v. c. Coſſ. Anaſtaſius Imp. Flaviano Antiocheno & Philoxeno Hieropolitano præſulibus, Conſtantinopolim Synodum congregat, & contra Diodorum Tarſenſem, Theodorum Mopſueſtenum cum ſcriptis, Theodoritum Cyri, Ibam Edeſſenum, Andream, Eucherium, Quirum & Ioannem Epiſcopos, cæteroſque alios, qui in Chriſto duas prædicabant naturas, duaſq; formas, & qui non confiterentur unum de Trinitate crucifixum, una cum Leone Epiſcopo Rom. & eius tomo, atque Chalcedonenſi Synodo inferre Anathema perſuaſit.

Patritio & Hypatio Coſſ. Barbas quidam Arriani erroris Epiſcopus, dum præſumit contra regulam ſupra baptizandum dicere, baptizat te Barbas in nomine patris, per filium, in ſpiritu ſancto, protin⁹ aqua, ex qua futurus erat baptizare hominem, nuſquã comparuit, vas verò ipſum, in quo aqua erat, confractum eſt. Quod conſiderans, qui baptizandus erat, protinus ad Catholicum currit, & Baptiſmum regulariter ſumit.

al. Palatinis.

Abieno & Pompeio Coſſ. Anaſtaſius Imp. Macedonium Conſtantinopolitanum Epiſcopum cum quibuſdã clericis, nolentem Synodi Chalcedonenſis decreta damnare, ab Eccleſia rapit & in exilium mittit, atq; pro eo Timotheum Presbyterũ Epiſcopũ facit, qui continuo damnatores Synodi Chalcedonenſis in communionem ſuſcepit.

His conſul. Cæſaraug. circus exſpectatus eſt.

Abieno Iuniore Coſſ. ingens terræ motus, cum corruſcationibus & tonitruis magnis, atq; grandine & totius cœli ac terræ commotione factus eſt.

His Coſſ. Dortoſa à Gothis ingreſſa eſt, De tyrannus interfectus eſt & caput eius Cæſarauguſtam deportatum eſt.

Cethego v. c. Coſſ. Flavianus Antiochenus Epiſcopus ſera pœnitentia Anaſtaſiũ Imperatorem deſerit, & in poſſeſſione Platani vocabulo, relicto throno ſuo, recedit. Huic Anaſtaſius Imperator Severum Chalcedonenſis Synodi inimicum ſubrogat, Eccleſiæ orientis ſcandala magna miniſtrat.

Theodoro v. c. Coſſ. Eugenius Carthaginienſis Epiſcopus confeſſor moritur. Iulianus Boſtrenus, & Ioannes Paltenſis Epiſcopi ab Eccleſiis ultro recedunt, & alii eis ſubrogantur.

His diebus pugna Gothorum & Francorum Boglodoreta. Alaricus Rex in prælio à Francis interfectus eſt. Regnum Toloſanum deſtructum eſt.

Meſala v. c. Coſſ. Conſtantinopoli, iubente Anaſtaſio Imp. ſancta Euangelia, tanquam ab idiotis Euangeliſtis compoſita, reprehenduntur & emendantur.

Venantio & Celere Coſſ. populos Alexandrinos, & totius Ægypti, ſimul puſillos & magnos, liberos ac ſervos, clericos atq; monachos, præter peregrinos, immundi ſpiritus occupant, & humana locutione privati, latrare cunctis diebus ac noctibus, ut ca-

nes,cœperunt,ita ut vinculis ferreis vincti ad Eccleſias poſtea, ut ſanitatē perciperent, traherentur. Comedebant enim ſuas manus, ſimulq; & brachia pariter omnes.

His evenientibus, Angelus in viri ſpecie quibuſdam ex populo apparuit dicens, hoc eis,pro eo,quod Anathema SynodoChalcedonenſi dederint,eveniſſe,comminatus deinceps nihil eos tale aliquid præſumere.

al. Leonis. *al. Sacerdotum.*

Venantio Iuniore v.c. Coſſ. Cannades,Rex Perſarum,*Z*umdaber caſtellum plurimis theſauris ab initio ſuæ conditionis plenum,& Dæmonum *leonibus*, mancipatum cuſtodiaq; munitum,ubi nullus unquam ingredi potuit,*Chriſtianorum* orationibus capit,& ingreſſus univerſos ex eo theſauros tulit.

al. Paraſcenenſi.

Importuno Iuniore v.c. Coſſ. Helias Epiſcopus Hieroſolymitanus Synodi Chalcedonenſis defenſor, nolens Severum Antiochenum, Apoſtolicæ fidei inimicum, in communionem, præcipiente Anaſtaſio Imp. ſuſcipere,exilio *Paraxenenſi* caſtello traditur,& pro eo Ioannes,*crucis* cuſtos Epiſcopus ordinatur,qui confeſtim & Severū Antiochenum in communionem ſuſcepit, & Synodum Chalcedonenſem damnavit.

His Coſſ. Geſalecus Goeri cum Barcinone in palatio interfecit quo anno idem Geſalecus ab Helbane Theodorici Italiæ Regis duce, ab Hiſpania fugatus Africam petit. Hyppathiū. XL. & V.

Boetio v. c. Coſſ. Vitalianus Comes patricioli F. fidei Catholicæ ſubverſionem & Synodi Chalcedonenſis damnationem, remotioneſq; orthodoxorum Epiſcoporū atq; ſucceſſiones hæreticorum cognoſcens, virorum fortium validam manum congregat,& Anaſtaſii imperio repellat.

Felice v. c. Coſſ. Vitalianus Comes, *in patritium* nepotem Anaſtaſii principis,magiſtrū Romanæ militiæ,cōgreſſione facta, LXVII. viris ex militia Romana peremptis, vivū capit,& vinculis æreis vinctū, in cuſtodiā caveæ ferreę trudit, &poſtea diſtrahit.

Paulo & Muſchiano Coſſ. Alamundarus Sarracenorum Rex, à defenſoribus Synodi Chalcedonenſis baptizatus,Theopaſchitas Epiſcopos, à Severo Antiocheno Epiſcopo ad ſe, cum litteris miſſos, barbaram mirabiliter propoſitionem concludens, atq; ſuperans, DEVM immortalem oſtendit.

Hic Barbarus ſapientia Catholica vigebat. *al. Marinus.* *His Coſſ. Geſalecus de Africa rediens ob metum Helbanis Aquitaniā petiit, ibiq; latuit annum unum.*

Probo v. c. Coſſ. Anaſtaſii Imp. præcepto, Plato civitatis præfectus & *Maximus* pulpitum Eccleſiæ S. Theodori aſcendentes,& hymno,quem Græci triſagion dicunt, ὁ σταυρωθεὶς ὑπὲρ ἡμῶν, noviter apponentes, dum per forum Conſtantini id pſallentes, ad maiorem Eccleſiam pergunt,nubes ex improviſo cinerem ſuper eos pro pluvia emiſerunt,totamq; civitatem atq; provinciam contexuerunt. Pro qua novitate Cōſtantinopolitanæ multa mala obvenerunt civitati,multiq; malè ſunt interemti, Praſinorum ſiquidem ſimulq; & Venetorum turbæ adverſum Anaſtaſium Imperatorem unitæ, inter mille iniurias atq; mala incendium in urbem miſerunt, combuſtaq; eſt civitas ἀπὸ τῆς κιλυνῆς quod vocant, uſque ad Conſtantini forum ſupra longitudinem plateæ columnarum XCIV.

Poſt Marriū Theodoricus Italiæ Rex Gothorum regis in Hiſp. an. XV. Amalalici parvuli tutelam gerens.

Senatore v. c Coſſ. Vitalianus comes cum manu valida Barbarorum Conſtantinopolim veniens, in Soſthene ſedit, qui non aliter poſtulatus, pacem Anaſtaſio Imp. promittit, niſi prius defenſores Synodi Chalcedonenſis relegatos exilio, ſedibus propriis reddat, & Romanæ Eccleſiæ cunctas orientis Eccleſias uniat.

al. Hunni.

Florentio v.c. Coſſ. Vgni Armeniam,Cappadociam & Galatiam,Pontumque atrociter vexavêre ; Eo tempore Euphemius Conſtantinopolitanus Epiſcopus apud Ancyram Galatiæ, & Ariadne Auguſta in regia urbe de hac vita tranſiere.

Petro v. c. Coſſ. univerſi Archimandritæ & monachi Heremi, trans palæſtinam & Iordanem fluvium, Anaſtaſio Imp. ſcribunt pro ſtatu Chalcedonenſis Synodi, & adverſum impietates Severi Antiocheni Epiſcopi.

Agapito v. c. Coſſ. Ioannes Alexandrinus Epiſcopus moritur,& pro eo Dioſcorus ordinatur. Timotheus Conſtantinopolitanus Epiſcopus obtrectator Synodi Chalcedonenſis. V. die menſis Aprilis occubuit, & Ioanni Cappadoci Syncello proprio atq; Presbytero Epiſcopatum tradidit. Hunc Anaſtaſius ante ordinationem ſuam, ut Synodum Chalcedonenſem prædamnaret, coegit.

Agapito II. Magno Coſſ. Anaſtaſius Imp. intra palatium ſuum tonitruorum terrore fugatus,& corruſcationis iaculo percuſſus,in cubiculo,quo abſconſus fuerat,moritur, & cum ignominia, abſq; conſuetis exequiis,ad tumulum ducitur, anno vitæ ſuæ XXCIIX.

Romanorum LI. Iuſtinus regnat annis IIX. men. IX.

Candidatā.

Illyricianus Catholicus,Synodi Chalcedonenſis amator,ſimulq; defenſor,cuius coniunx Lupicina nomine dicebatur,quam Conſtantinop. Euphemiam poſtea vocaverunt,cui nepos Iuſtinianus vocabulo fuit, *Candidati* militia functus.

Iuſtino Aug. & Heraclio Coſſ. Amantius Præpoſitus ſeditiones in populo ſuſcitans

tans, Imperator alius postulatur, qui Iustini praecepto principis una cum Andrea cubiculario occiditur, & in Rheuma iactatur.

Rustitione v.c. Coss. Ioannes, qui ante Iustinum ad imperiũ erat electus, Heracliae Thraciae Episcopus ordinatur, & Iustinianus nepos *Iustini* Aug. ex candidato Magister militum ordinarius constituitur.

Valerio & Iustiniano Coss. Alexandrinae Ecclesiae Dioscoro Episcopo mortuo, Timotheus succedit. Antiochenae verò Ecclesiae Severus princeps haeres fuit, & Hierosolymitanae Ecclesiae Ioannes.

Iustinus Imp. orientales, praeter parvos Pontifices, Acatium quondam Constantinopolitanum, Petrum Antiochenum, & Petrum Alexandrinum Episcopos pristino errore implicitos, occidẽtalibus Antistitibus sub digna satisfactione coniungit, redivivaq; facit Synodi Chalcedonensis decreta, Zenonis & Anastasii principum temporibus abdicata.

Symmacho & Doctio Coss. Vitalianus, Sacramento suscepto, Constantinopolim redit, quem Iustinus Aug. gratè suscipiens, magistrum militum facit & consulatum *dari* permittit.

al. dari.

Maximo v. c. Coss. Trasamundus Vandalorum Rex Carthagine moritur, cuius uxor Amalafrida fugiens ad barbaros, congressione facta, Capsae, iuxta Heremum capitur, & in custodia privata moritur.

Hilderix, qui ex Valentiniani Imp. filia à Giserico captivata, & Vgnerico iuncta, natus est, regnavit annis VII. Mens. III. Hic ergo Sacramento à decessore suo Trasamundo obstrictus, ne Catholicis in regno suo aut Ecclesias aperiret, aut privilegia restitueret, priusquam regnaret, ne Sacramenti terminos praeteriret, praecipit & Sacerdotes Catholicos ab exilio redire, Ecclesias aperire, & Bonifacium cum dogmatibus divinis satis strenuum, ad postulationem totius urbis Carthaginensis, Ecclesiae Episcopum consecravit.

Vitalianus Constantinopoli intra palatium, loco quem Delphicum Graeco vocabulo dicunt. Iustiniani patritii factione, dicitur interfectus fuisse.

Iustino Aug. & Apione Coss. Romanae Ecclesiae in Episcopatu, mortuo Symmacho, succedit Hormisda. Alexand. Ecclesiae adhuc Timotheus superfuit. Antiochenae Ecclesiae Severus Chalcedonensis Synodi obtrectator, cum à Iustino Imp. quaereretur ad poenas, fugit, & in eius loco substituitur Paulus. Hierosolymitanae Ecclesiae Ioannes praefuit. Constantinop. verò Ecclesiae Ioanni Epiphanius succedit Episcopus.

His consulibus Amalaricus Gothorum Rex efficitur, regnat an. V.

Post consulatum II. Iustini & Apionis, Iustinus Aug. Iustinianum nepotem suum, ad senatorum supplicationem, invitus Caesarem facit.

Philoreno & Probo & Marbotio Coss. Iustinus Imp. moritur.

Mavortio.

Romanorum LII. Iustinianus regnat annis XXXIX. Mens. VII. huic erat uxor vocabulo Theodora.

Iustiniano Aug. Coss. Orientales Ecclesiae, eiusdem principis iussione, quatuor Synodos, Constantinop. Ephesinam I. & Chalcedonensem atque sanctorum CL. patrum fidem, praesentibus sacrificiis, publica voce suscipiunt recitari.

Decio v. c. Coss. Theodorae Augustae factio unum de Trinitate passum non asserens secundum quid, sed absolutè suscipiendum cunctis generali lege imponit, & à clericis atque monachis subscriptiones violẽter exegit. Qua de causa plurimi se ab Ecclesia subtraxerunt, & monachi à propriis monasteriis recesserunt, asserentes, sufficere sibi fidem eorum, qui in praedictas quatuor Synodos convenerunt.

Lampadio & Oreste Coss. Hypatius Anastasii principis nepos, tyrannidem Constantinopoli assumens, multis hominũ millibus, in Circensi spectaculo, militari gladio caesus, capitur, & nocte cum Pompeio occiditur, atq; in Rheuma iactatur.

His diebus Stephanus Hispaniarum praefectus efficitur; qui tertio anno praefecturae suae in civitate Gerundensi in concilio discinctus est.

Post consulatum Lampadii & Orestis, Geilimer apud Africam regnum cum tyrannide sumit, & Carthaginem ingressus Hildericum regno privat, & cum filiis custodiae mancipat, atq; Oamer, Dignum, multosq; nobiliũ perimit. Post consulatum Lampadii & Orestis, anno tertio, Belisarius Magister Romanae militiae duobus superatus praeliis Thacium, mirabiliter Persicum praelium superavit.

Iustiniano Aug. III. Cos. Geilimer Tyrannus multos nobilium Africae provinciȩ crudeliter extinguit, multorumq; substantias per Bonifacium tollit.

Iustiniano IV. Cos. Iustinianus Imp. visitatione Laeti Episcopi, ab Hunerico Vandalorum Rege Martyre facti, exercitum in Aphricam Belisario Magistro militum Duce, contra Vandalos mittit, quos idem Belisarius praelio superans, Gumthimer, & Ge-

bamundum, Gardingos Regis fratres perimit, ipsoq; *Gelimer* Rege in fugam converso Aphricam capit, nonagesimo septimo Vandalorum ingressionis anno, in ipso etiam Belisarii ingressu, priusquam congressio fieret, Geilimer Tyrannus Hildericum Regem, cum quibusdam generis eius affinibus, occidit.

Belisarius Magister militum ac Patritius Geilimer Tyrannũ capit, & eum cum divitiis ex rapinis Africæ conquisitis, Constantinopolim Iustiniano Imperatori adducit.

Belisario v. c. Cos. Reparatus Charthaginensis Ecclesiæ Episcopatũ post Bonifaciũ suscipit. Hierosolymitanæ verò Ecclesiæ præsulatum Petrus, Ioanne mortuo, suscipit.

Post Consulatum Belisarii, anno secundo, Iustinianus Imp. libros de Incarnatione Dominica edidit, & Illyricianos Episcopos ad subscribendum coegit.

Post consulatum Belisarii v. c. an. III. Epiphanio Episcopo Constantinop. Ecclesiæ mortuo, qui Ioanni successerat, Anthemius Episcopus Eutychianus Trabezontensis, factione Theodoræ Aug. Constantinopolitanam pervadit Ecclesiam.

Ioanne v. c. Cos. Romanæ Ecclesiæ post Ormisdam Ioannes, post Ioannem Felix, post Felicem Bonifacius, post Bonifacium alius Ioannes, & post Ioannem Agapitus Episcopus ordinatur.

Alexandrinæ Ecclesiæ, Timotheo mortuo, qui Dioscoro minori successerat, duo, populi electione, perversi ordinantur uno die Episcopi, Theodosius scilicet & Gaianus. Quib⁹ ordinatis, Alexandria in utrisq; est Christi inimicis divisa. A Theodosio etenim Theodosiani, & à Gaiano Gaianitæ voluerunt appellari, quamvis æqualiter Synodũ Chalcedonensẽ non suscipiant, & errores Eutychetis ac Dioscori proprios faciant.

Apione v. c. Cos. Severus Antiochenus hæresis princeps, à quo Severiani vocantur, & Iulianus Halicarnasiensis Episcopi, Apostolicæ fidei & Chalcedonensis Synodi impugnatores, exilio Alexandriam, Iustiniani principis iussione, mittuntur, ubi adversus sequaces Chalcedonensis Synodi scribentes, ex duabus unam in Christo naturam esse dixerunt, quam dudum Severus corruptam, & Iulianus astruit incorruptam; Alexandria, Ægyptus & Libya in utrisq; est Christi inimicis divisa. Theodosiani enim Severum & Gaianitæ Iulianum secuti sunt. Sed à Theodosianis aliæ duæ Hæreses extiterunt, una Agnoitarum, & altera Tritheitarum: Agnoitæ siquidem perversitati, à qua exierunt, id adiiciunt, quod Christi divinitas ignoret futura, quæ sunt scripta de die & hora novissima. Tritheitæ verò, sicut tres personas in Trinitate, ita quoq; tres adstruunt Deos esse, contra illud quod scriptum est, *Audi Israel Dominus Deus tuus unus est*: & rursum, *Nullus Deus nisi unus*. *&*, *Ego sum Deus*, *& non est alius præter me*.

Iustino v. c. Cos. Agapitus Archiepiscopus Romanus Constantinopolim venit, & Anthemium Episcopum Constantinopolitanum, Ecclesiæ perversorem, Chalcedonensis Synodi inimicum, deponit. Theodoram Aug. eius patronam, cõmunione privat, & Mennam protinus Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopum facit.

al. Fugas.

al. Paulus pro eis Tabẽnensiotarum monachorũ à defensoribus Synodi Chalced. ordinatur Episc. Qui Dioscori, &c.

Hoc anno Francorũ Reges numero v. per Pampalonã Hispanias ingressi Cæsaraugustã venerunt, quã obsessam per tres dies omnẽ seu Tarraconensem provinciam depopulatione triverũt.

His diebus inguinalis plaga totam pæne contrivit Hispaniam.

Theodosius & Gaianus Alexandrini Episcopi cum suo errore damnati, exilio transportantur. Sed Theodosius Constantinopoli Sugas relegatus, totum pænè palatium, & maximam regiæ urbis partem sua perfidia maculavit. Quæ occasio cunctis pænè hæresibus licentiam tribuit, ita ut non solum Theodosianitæ, sed & Gaianitę monasteria atq; oratoria apud urbem regiam construxissent. Vixit enim Theodosius prædictus hæreticus usq; ad primum Iustini Iunioris Augusti consulatum.

Eo anno, Paulo Antiocheno Episcopo superstite, subrogatur Eufrasius.

Basilio v. c. Cos. Agapito Archiepiscopo Romano Constantinopoli mortuo, Sylverius pro eo Episcopus ordinatur. Alexandrinæ verò Ecclesiæ, Theodosio atq; Gaiano exulatis, Paulus prior pro eis Tabennensiotarum Dioscori hæretici prædecessoris sui depositionem celebrans, Palæstino concilio deponitur, & pro eo Zoilus ordinatur Episcopus.

Consulatu præfato, Stuzas apud Africam, regnum in Heremi partibus cum tyrannide assumit.

Post consulatum Basilii v. c. anno secundo, Theodoræ factione Augustæ, quæ occulta esse Synodi Chalcedonensis nunquam destitit inimica, ex quo regnare cœpit, proscriptionum insidiæ præparantur. Sylverius Rom. Episcopus exilio mittitur, & pro eo Vigilius ordinatur, à quo Theodora memorata Aug. priusquam ordinaretur, occulto chirographo elicuit, ut Papa effectus, in proscriptione Synodi Chalcedonensis tria capitula condemnaret, id est, epistolam Ibæ Edesseni Episcopi ad Marim Persam, quæ iudicio Synodi Chalcedonensis approbata, & orthodoxa iudicata est, & gestis synodalibus sociata, Theodorum dein Mopsuestenum Episcopum, synodaliter similiter gestis apud Antiochiam, sub Ioanne Episcopo, eiusdem Ecclesiæ & Chalcedone lau-

datum,& Theodoreti Cyri Episcopi dicta,cum eodem Theodoreto Synodi Chalcedonensis vocibus collaudata. Hic itaque Papa effectus ab Antoniana patricia Belisarii patritii uxore, compellitur, ut Theodosio Alexandrino, Anthemio Constantinop. & Severo Antiocheno iam pridem ab Apostolica sede damnatis, tanquam Catholicis scriberet,& ita de fide,quemadmodum & illi,sentiret,cuius Epistolæ illius tenor ita se habere probatur. *Dominus & in Christi Dei salvatoris nostri charitate cunctis fratribus Theodosio, Anthemio & Severo Episcopis, Vigilius Episcopus. Scio quidem,quæ ad sanctitatem vestram antè fidei mei credulitas, Deo iuvante pervenit, sed quia modo gloriosa Domina & filia mea Patritia & Christianissima, desideria mea facit impleri, ut fraternitati vestræ præsentia scripta transmitterem, Salutans ergo gratia, qua nos in Christo D. N. Salvatore cuniungimur, eam fidem, quã tenetis, Deo iubente, & tenuisse me, & tenere significo, scientes illud inter nos, quod prædicamus & legimus, quia anima una & cor nobis sit unum in Deo, profectus mei, qui est vester, Deo iuvante, nunciare vobis gaudia maturavi ex meo animo fraternitatem vestram, quæ optat, libenter amplectitur. Oportet ergo, ut hæc, quæ vobis scribo, nullus agnoscat, sed magis, tanquam suspectum, me sapientia vestra ante alios æstimet se habere, ut facilius possit* DEUS, *quæ cœpit operari, perficere.* Et subscriptio, *Orate pro me Domini mei fratres in Christi* DEI *nostri Salvatoris charitate connexi.* Horum exordia malorum generalis orbis terrarum mortalitas sequitur, & inguinum percussione melior pars populorum voratur. *Tiudi mortuo Teodiscl Gothos regit anno I. M. VII.*

Post cons. Basilii V.C. anno III. Stuzas tyrannus gentium multitudine ordinata, Salomoni magistro militiæ ac patritio Africæ, Duciq; Romanæ militiæ, Ducib⁹ Cilio occurrit. Ubi congressione facta peccatis Africæ Romanæ Reipub. militia superatur. Salomon utriusque........

Post consulatum Basilii v. c. an. IV. Iustinianus Imp. Acephalorum subreptionibus instigatus, Vigilium Romanum Episcopum subtiliter compellit, ut ad Urbem regiam properaret, & sub specie congregationis eorũ, qui ab Ecclesiæ sunt societate divisi, tria capitula condemnaret. *Theodi scl0 mortuo Agila Gothos regit annos V. M. VI.*

Hierosolymitanæ Ecclesiæ præsulatum post Petrum Macarius suscipit.

Post consulatum Basilii v. c. an. V. Stuza tyrannus apud Africam portu Tacea, congressione facta, Ioannis Rom. militiæ Ducis iaculo percussus est, pariq; vice & Ioannes Stuzæ, qui confestim alterutro utriq; gladio ceciderunt, & Dominico die, quo pugna facta est, moriuntur.

Post consulatum Basilii v. c. an. VI. Ferrandus Charthaginis Ecclesiæ Diaconus clarus habetur.

Guntharith Magister militum Ariobindam patritium, principemq; Romanæ apud Africam militiæ, eo tempore ab Imp. missum, Carthagine infra Palatium noctè perimit, & regnum cum tyrannide assumit. Hunc Carthaginis Dux Artabanus trigesimo sexto regni sui die prandentem interfecit.

Post consulatum Basilii v.c. an. IIX. Iustinianus Imp. per diversas provincias in regni sui finibus constitutas, instantissimè scribit, & Antistites cunctos præfata tria capitula damnare compellit. Euphemio Antiocheno Episcopo succedit Domnus.

Post consulatum Basilii v. c. an. IX. Illyriciana Synodus in defensione III. capitum, Iustiniano Aug. scribit, & Benenatum primæ Iustinianæ civitatis Episcopum, obtrectatorem eorundem trium capitum condemnat.

Theodora Augusta Chalced. Synodi inimica, cancri plaga corpore toto perfusa, vitam prodigiosè finivit.

Post Cos. Basilii v. c. an. X. Africani Antistites Vigilium Rom. Episcopum damnatorem trium capitulorum synodaliter à Catholica communione, reservato ei pœnitentiæ loco, recludunt, & pro defensione memoratorum III. capitulorum literas satis idoneas Iustiniano principi, per Olympium Magistranum, mittunt. Eo tempore VII. libri Facundi Hermaniensis Ecclesiæ Episcopi refulsere, quibus evidentissimè declaravit, tria sæpe fata capitula, in proscriptione fidei Catholicæ & Apostolicæ Chalcedonensis concilii fuisse damnata. *Isid. lib. de script. Eccles. ponit XII. libros Facundi.*

Post consulatum Basilii v. c. an. XI. Reparatus Archiepiscopus Charthaginen. Ecclesiæ, Firmus, Numidarum Episcoporum primates, & Primasius & Verecundus Concilii Binzanteni Episcopi, pro fidei causa, ad urbem regiam, eiusdem præcepto Principis, evocantur. Apollinarius Zoilo tria memorata capitula damnare nolenti Episcopus Alex. Ecclesiæ subrogatur. Agilam mortuo, Athanagildus, qui dudum tyrannidem assumpserat, Gothorum Rex efficitur. Regn. ann. XV.

Post consulatum Basilii v. c. an. XII. Reparatus Archiepiscopus ...

mniis impetitus, pro eo, quod damnationi trium capitulorum memoratorum aſſenſum non præbuit, officio ſumptibuſq; privatus, Encayda exilio relegatur, & Primoſus Diaconus apocriſarius eius, poſtquam damnavit, quæ ſunt ſynodaliter atq; univerſaliter defenſata, eo ſuperſtite, contra vota cleri ſimulq; & populi, Epiſcopus Carthaginenſis Eccleſiæ ordinatur.

Firmus concilii Numidiæ Primas, donis principis corruptus, damnationi eorundem Capitulorum aſſenſum præbuit, ſed ad propria remeans in navi, morte turpiſſima periit. Primaſius quoq; Aquimetenſis Monaſterio relegatus; ſed Boetio Primate Byzanceni concilii morte prævento, ut ei ſuccederet, memoratæ damnationi protin⁹ aſſenſit, reverſuſq; ad ſua, quæ prius defendebat, validiſſimis perſecutionibus impugnavit, fidelibuſq; calumnias generando, eorumq; ſubſtantias auferendo. ſed in quibus peccavit, latere non potuit, ſiquidem à Catholicis ſui Concilii Antiſtitibus pro ſuis prævaricationibus condemnatus infelici morte extinguitur, & quæ conquiſierat fraude, fideliter à iudicibus auferuntur. Verecundus verò Eccleſiæ Nicenſis Epiſcopus, in defenſione memoratorum perdurans capitulorum, Chalcedone urbe refugiũ fecerat; in diverſorio glorioſæ matris Euphemiæ de hac vita migravit ad Dominum. Macarius Hieroſolymitanus Epiſcopus eiicitur, & eo ſuperſtite Euſtochius ordinatur.

Poſt conſulatum Baſilii v. c. an. XIII. Conſtantinopolim Synodus Iuſtiniani principis præcepto colligitur, cui Præſules Sedium aderant, Vigilius Rom. Epiſcopus, ſuperſtite Sylverio ordinatur, Apollinarius Alexandrinus, Zoilo vivente, promotus; Antiochenus Domnus; Euſtachius, Macario remoto Hieroſolymitano Epiſcopo, Epiſcopus factus, & Eutychius Conſtantinopolitanus, qui Mennæ fuerat ſubrogatus. Ibi tria ſæpe fata Capitula, cum defendentibus ea, damnationi ſubiiciunt, ſibiq; ipſis pœnitentiæ regreſſum pœnaliter intercludunt, tali ſe perpetuo anathemate obſtringentes, ſi aliquando abſolvere tentaverint, quæ damnationis ſententiæ ſubdiderunt. Quorum decretis Ruſticus Romanæ Eccleſiæ Diaconus, & Felix Gillenſis Monaſterii provinciæ Africanæ Hegumenus contradicentes ſcripto, Thebaida in exilium cum ſuis ſociis tranſmittuntur. His itaque geſtis, terræmotus urbem regiam à fundamentis concutiens, ædificia plurima, porticuſq; deiecit, & Baſilicis conſiſtentibus altaria penè cũcta proſtravit.

Poſt Coſ. Baſilii v. c. an. XIV. Frontinus Epiſcopus ad urbem regiam evocatus, pro defenſione III. eorundem capitulorum Antinoenſi primæ Thebaidæ civitatis exilio deputatur, & pro eo ab hæreticis Petrus Salonenſi Eccleſiæ ordinatur.

Proconſularis concilii provinciæ Africanæ Sacerdotes Rufini & Vini Epiſcoporũ, Reparati Archiepiſcopi obtrectatorũ arte deluſi, tanquam defenſoribus fidei occurrunt, & Primoſi prævaricatoris, Carthaginis Eccleſiæ communione, præter pauciſſimos, polluuntur.

Dacius Mediolanenſis Epiſcopus Conſtantinopolim venit, & damnationi eorundem III. capitulorum conſentiens, eo die percuſſus occubuit.

Narſes Eunuchus ex præpoſito Patritius, Totilam Gothorum Regem prælio apud Italiam mirabiliter ſuperat ac perimit, & omnes eius divitias tollit.

Poſt Coſ. Baſilii v.c. XV. an. concilii Numidiæ Epiſcopi ad inſtar proconſulariũ Sacerdotum collecti, Charthaginem veniunt, & Primoſi eiuſdem Eccleſiæ incubatoris communioni polluti, prævaricatoreſq; effecti, ad propria redeunt.

Victor Tunnunenſis Eccleſia Epiſcop⁹, huius auctor operis, poſt cuſtodias, ſimulq; & plagas, quas in Sala eſt Valericis perpeſſus, nec non in Monaſterio de Mandra cum primo, ac ſecundo exilio Egi Mauritaniæ inſulæ, tertio Alexandrinæ, unà cum Theodoro Cebarſuſitanæ Eccleſiæ Epiſcopo, præfatorũ trium capitulorũ defenſione, exilio mittitur, & carceris caſtelli Diocletiani poſt Prætorianum carcerem truditur. *Alexandria.*

Antiochenſis Anaſtaſius Domno ſuccedit Epiſcopus.

Poſt conſ. Baſilii v.c. an. XVI. Primoſus, Charthagine, incubator Eccleſiæ, ſibi nolentes aſſenſum prębere, nunc fuſtibus, nunc cuſtodibus, nunc quoq; exiliis affligit.

Victor & Theodorus antefati Epiſcopi Africani de carcere eiiciuntur, & poſt diſputationes in prætorio continuas dierũ XV. ad aliam cuſtodiã monaſterii Tabenenſiotarum, quod eſt apud Canopum, XII. Mil. procul ab urbe Alexandria, mittuntur.

Poſt Coſ. Baſilii v.c. an. XVII. Vigilius Romanus Epiſcopus, poſtquã pręvaricat⁹ eſt ſub excõmunicatione totius Africanæ Ecc. Pontificum, in inſula Sicilia moritur.

Eo tempore Felix Hegumenus Monaſterii Gillitani, exilio apud Sinopem de hac vita migravit ad Dominum.

Poſt Conſ. Baſilii v. c. anno XIIX. Pelagius Romæ Archidiaconus III.

præfatorum defenſor capitulorum, Iuſtiniani principis perſuaſione de exilio redit,& condemnans ea, quæ dudum conſtantiſſimè defendebat, Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus à prævaricatoribus ordinatur, qui præfuit annis V.

Poſt Coſſ. Baſilii v.c. an. XIX. Illyriciani Epiſcopi,præter parva monaſteria,parvoſq; fideles,perſecutiones paſſi,conſentiunt,priſtinam fidem in irritum deducentes.

Eo tempore Vgni Armeniam graviſſimè vexaverunt.

Poſt Conſ. Baſilii v.c. an. XX.Bulgares Thraciam invadunt,& uſq; ad Sucas Cõſtantinopolim veniunt,Sergium patritium, qui dudum Africanæ fuerat Dux militiæ, capiunt,ſimulq; & diſtrahunt,ſed Patritii Beliſarii armis fortiter debellati,pariterque fugati Danubium tranſierunt.

Poſt Coſ. Baſilii v.c. an. XXI. corpus S. Antonii Heremitæ repertum cum maximo honore Alexandriam perducitur, & in Baſilica S. Ioannis Baptiſtæ honorificè collocatur.

Poſt. Coſ. Baſilii v.c. an. XXII.Frontinianus Salonenſis Epiſcopus de exilio *Antinoenſi* Ancyram Galatiæ tranſmutatur. Petrus eius incubator Eccleſiæ moritur, & pro eo Prodinus ſubſtituitur. *Supra Frontinum.*

Poſt conſulatum Baſilii v.c.an.*XXIII.*Reparatus Archiepiſcopus Charthaginenſis Eccleſiæ exilio apud Euchaidam, glorioſa confeſſione, tranſit ad Dominum, die *VII.* Idus Ianuarii.

Eo anno Iuſtinianus Princeps,legatos gentis Abarorum,unde venerant,facit. *Abbarorum.*

Anno *XXXVII.* imperii, præfati principis Iuſtiniani. Pelagius Romanus Epiſcopus ordinatur,præfuit an. *XI.*

Euſtochius Hieroſolym. Epiſcopus,qui fuerat,Macario ſuperſtite, ordinatus, eiicitur,& rurſum Macarius reformatur.

Anno *XXXIIX.* Imp. eiuſdem Muſicus, Brumaſius, Donatus, & Chriſonius Epiſcopi de Africa,& Victor ac Theodorus Epiſcopus ſimiliter: ex Ægypto,ad urbem regiam Imperiali præcepto evocantur. Qui dum eidem Iuſtiniano Principi præſentes præſenti,& poſtea Eutychio regiæ urbis Epiſcopo altercanti, novæ ſuperſtitioni reſiſtunt,ab invicem ſegregati, per Monaſteria eiuſdem urbis cuſtodiæ mittuntur.

Anno *XXXIX.* Imperii ſui Iuſtinianus Eutychium Conſtantinopolitanum Epiſcopum damnatorem trium capitulorum & Evagrii Heremitæ Diaconi, ac Didymi monachi & Confeſſoris Alexandrini,quorum laudes ſupra illuſtrium virorum ex authoritate protulimus,exilio dirigit,& pro eo Ioannem eiuſdem erroris conſimilem Epiſcopum facit. Eo anno Praſini apud regiam urbem civile bellum faciunt,multoſque Reip. viros gladio, frequenti congreſſione, proſternunt, ſed eorum atroces plurimi poſtea à Iuliano præfecto extincti ſunt. *Nihil de his ſupra Victor niſi locus exciderit. Sed cur laudat duos iſtos Origeniſtas?*

XL. Imp. ſui anno Iuſtinianus vitæ ſuſcepit finem, indictione XV. Theodorus Cebarſuſitanus Epiſcopus defenſor III. capitulorum, exilio apud urbem regiam, eo menſe & die, quo Iuſtinianus moritur, & iuxta Confeſſores, quibus Vgnericus, Vandalorum Rex, linguas abſciderat, ſepelitur.

Iuſtinus Iunior Vigilantiæ ſororis Iuſtiniani Aug. filius, patre Dulciſſimo natus, cum tranquillitate populi magna, imperii ſumit ſceptra. Huius coniunx Sophia Theodoræ Aug. neptis aſſeritur.

Colliguntur omnes anni, ab Adam primo homine uſque ad nativitatem D. N. Ieſu Chriſti ſecundum carnem, quæ facta eſt V. M. *CXCIX.* A nativitate verò D. N. Ieſu Chriſti, ſecundum carnem,quæ facta eſt *XLIII.* Auguſti Octaviani Cæſaris Imperii anno,uſq; in annum Iuſtini primũ principis Rom. qui Iuſtiniano in imperio ſucceſſit, anni *D. LXVII.* fiunt ſimul ab Adam uſq; in annum primum memorati principis Rom. anni *V. M.* DCCLXVI.

FINIS CHRONICI VICTORIS.




CHRONICON

IOANNIS PRIMVM FVNDATORIS, ET ABBATIS MONASTERII BICLARENSIS, POSTEA EPISCOPI GERVNDENSIS.

Nunc primùm in lucem editum:

AB

HENRICO CANISIO NOVIOMAGO IC. ET PROFESSORE SS. CANONVM IN alma Academia INGOLSTADIENSI.



AD LECTOREM.

DE *Auctore huius Chronici Isidorus & ex eo Illustrissimus Cardinalis Baronius.* Ioannes Gerundensis Ecclesiæ Episcopus, natione Gotthus, provinciæ Lusitaniæ Scalavitanus. Hic cum esset adolescens Constantinopolim perrexit, ibiq; græca & latina eruditione nutritus, septimo demum anno in Hispanias reversus est, eodem tempore, quo incitante Leovigildo Rege Ariana fervebat insania. Hunc supradictus Rex, cum ad nefandæ hæresis credulitatem compelleret, & hic omnino resisteret, exilio rursus Barcinona relegatus per decem annos multas insidias & persecutiones ab Arianis perpessus est, qui postea condidit monasterium, quod nunc Biclaro dicitur, ubi congregata Monachorum societate, scripsit regulam ipsi Monasterio profuturam. Sed & cunctis Deum timentibus satis necessaria omnia addidit; & in libro Chronicorum ab anno primo Iustini Iunioris principatus, usq; in annum octavum Mauritii principis Romanorum, & quartum Recaredi annum, historico compositoq; sermone valde utilem historiam, & multa alia scripsisse dicitur, quod ad nostram notitiam non pervenit. *Eadem ferè Thrithemius. Quibus lucem adferunt ea, quæ Ioannes Mariana Societatis* IESV *Sacerdos, memoriæ prodidit. Ita ergo hic:* In ea urbe (*Constantinopoli*) Ioannes Biclarensis Abbas Scalabi in Lusitania natus; decem & septem ætatis annos studiorum gratiâ, Iunior consumpserat: inde utriusque linguæ, aliarumq; artium cognitione instructus, in pâtriam ex longinqua peregrinatione redux communi Ecclesiæ tempestate iactatus, Barcinonem exilii causa missus, ad Pyrenæi montis radices, ubi hodieq; eodem nomine visitur, Biclarense Monasterium constituit, optimis legibus atq; institutis *ad D. Benedicti regulam conformatum.* Vnde Recaredo quidem Rege, ad Gerundensis Ecclesiæ procurationem: Suinthilæ autem ætate, ad cœlum morte migravit, meritis debitum præmium. Nonito successore. *Hæc Mariana, qui Biclarensis Chronicum sæpe testem laudat.*

Lib. de scriptorib. Eccl. Tom.7. annò Christi 584.

Lib. 5. de rebus Hisp. cap. 13.

Circa ipsum Chronicum nihil admonendum occurrit, nisi quod locus ille de Leovegildo Rege Ariano admodum obscurus sit. Sed ut videas, integrum adscribere placet. Leovegildus Rex in urbem Toletanam Synodum Episcoporum, sectæ Arianæ, congregat, & antiquam hæresin novello errore emendat; dicens, de Romana religione ad nostram Catholicam fidem venientes, non debere baptizari, sed tantummodo per manus impositionem & communionis præceptione ablui, & gloriam patri per filium in Spiritu sancto dare. Per hanc ergò seductionem plurimi nostrorum cupiditate potius impulsi, in Arianum dogma declinant. *Alia lectio habet,* de Ariana hæresi venientes. *Sed quomodo factum hoc multos ad Arianam fidem pertraxit? An ægrè ferentes, quod qui transibant ab Ariana hæresi non rebaptizarentur, ipsi Ariani fiebant ex indignatione? Probabilior est lectio altera. Vt Rex ille Arianus veram religionem vocet* Romanam: *& suam hæresin, Catholicam fidem; hoc enim edixit, ut qui ex Orthodoxis ad Arianismum migrarent, non rebaptizarentur, (iam enim eò impudentiæ processerant Ariani, ut qui ad Arium defecissent, rebaptizarent, tanquam non legitimè baptizatos in Ecclesia) & hac fraude multos Orthodoxos ad perfidiam Arianam pertraxit: prius enim anabaptismum metuentes, non facilè transfugiebant ad illa impietatis castra. At posteà inciso hoc retinaculo, plures invenire erat, qui Deo deserto, Arium sequerentur.* Hunc *sensum esse Biclarensis nostri, declarant cùm alia, tum illud, quod ex antiquioribus Hispaniæ monumentis scribit Mariana; Leonigildi iussu Arianorum Præsulum conventum Toleti habitum, & in eo sublatum esse rebaptizandi morem Arianis familiarem; cùm ad eorum sectam Catholici confugissent. Sed quare factum hoc Regis nominat Biclarensis* novellum errorem? *An quia aliis occasio errandi fuit? Cæterùm ut Chronicum hoc, eò melius lector intelligat, proderit evoluisse Chronicum Isidori de rebus Gotthicis, & ea quæ in sua Historia scribit Mariana, maximè libro 5.*

Lib. 5. cap. 12.

CHRONICON IOANNIS BICLARENSIS, POSTEA EPISCOPI GERVNDENSIS.

POST Euſebium Cæſarienſis Eccleſiæ Epiſcopum, Hieronymum toto orbe notum presbyterum, nec non & Proſperum virum religioſum, atque Victorem Tunnunenſis Eccleſiæ Africanæ Epiſcopum, qui hiſtoriam omnium penè gentium, ſumma brevitate & diligentia contexere viſi ſunt; & uſque ad noſtram ætatem congeriem perduxerunt annorum, & quæ acta ſunt in mundo ad agnitionem noſtram tranſmiſerunt. Nos ergo in adiutorio D. N. IESV Chriſti, quæ temporibus noſtris acta ſunt, ex parte, quod oculata fide providimus, & ex parte, quæ ex relatu fidelium didicimus, ſtuduimus ad poſteros noteſcenda brevi ſtylo tranſmittere.

Quinta decima ergo indictione, ut dictum eſt, Iuſtiniano mortuo, Iuſtinus Iunior, nepos eius, Romanorum efficitur Imperator.

Romanorum LIII. regnat Iuſtinus Iunior an. XI. qui Iuſtinus anno primo regni ſui ea, quæ contra Synodum Chalcedonenſem fuerant commentata, deſtruxit, ſymbolumq; Sanctorum CL. patrum Conſtantinopoli congregatorum, & in Synodo Chalcedonenſi laudabiliter receptum, in omni Eccleſia Catholica, à populo concinendum intromiſit, priuſquam Dominica dicatur oratio. Armeniorum gens & Iberorum, qui à prædicatione Apoſtolorum Chriſti ſuſceperunt fidem, dum à Coſdra Perſarum Imperatore, ad culturam Idolorum compellerentur, renuentes tam impiam iuſſionem, Romanis ſe, cum provinciis ſuis, tradiderunt: quæ res inter Romanos & Perſas pacis fœdera rupit.

Addeus. Anno II. memorati Principis in regia urbe Ætherius & Additus patritii, dum Iuſtino mortem vellent veneno potius, quàm ferro per medicos inferre, detecti capitali ſententia puniri iuſſi, prior à feris devoratus, ſecundus incendiis concrematus, interiit. Iuſtinus filius Germani patritii conſobrinus, Iuſtini Imp. factione Sophiæ Au-*Terminum.* guſtæ in Alexandria occiditur. His temporibus Athanaildus Rex Gothorum in Hi-*Luiva.* ſpania, vitæ finem ſuſcepit, & *Liuba* pro eo in regnum provehitur.

Anno III. Iuſtini Imp. Garamantes, per legatos paci Romanæ Reipublicæ & fidei Chriſtianæ ſociari deſiderantes, poſcunt, qui ſtatim utrumq; impetrant. Theodorus præfectus Africæ à Mauris interfectus eſt. Mauritarum gens his temporibus Chriſti fidem recipit. Huius Imperii an. III. Leonegildus Germanus Luibani Regis, ſuperſtite fratre, in regnum citerioris Hiſpaniæ conſtituitur, Goſuintham, relictam Athanaildi, in coniugium accipit, & provinciam Gothorum, quæ iam rebellione diverſorum fuerat diminuta, mirabiliter ad priſtinos revocat terminos.

Anno IV. Iuſtini Imp. qui eſt Leonegildi Regis ſecundus annus, Theoctiſtus, Magiſter militum provinciæ Africanæ, à Mauris bello ſuperatus, interiit. Leonegildus Rex loca Baſtaniæ & Malacitanæ vrbis, repulſis militibus, vaſtat, & victor ſolio redit. Iuſtinus Imp. per Tiberium excubitorum comitem, in Thracia bellum genti barbarorum ingerit, & victor Tiberius Conſtantinopolim redit. In provincia Galletiæ Miro, poſt Theodomirum, Suevorum Rex efficitur.

An. V. Iuſtini Imp. qui eſt III. Leonegildi Regis annus, Iuſtinus Imp. Armeniam & Hiberiam, repulſis Perſis, Romanas provincias facit, & bellum Perſarum Imp. per duces parcit. Amabilis Magiſter militiæ Africanæ à Mauris occiditur. Leonegildus Rex Aſinodam, fortiſſimam civitatem, proditione cuiuſdam Framidanei, nocte occupat, &, militibus interfectis, memoratam urbem ad Gothorum revocat iura. Donatus Abbas monaſterii Seruitani, mirabilium operator, clarus habetur.

Anno VI. Iuſtini Imp. qui eſt Leonegildi Regis IV. ann. Gepidarum regnum finem accepit, qui à Longobardis prælio ſuperati, Cunicmundus Rex campo occubuit, & theſauri eius per Traſaricum Arrianæ ſectæ Epiſcopum, & Reptilanem Cunicmundi nepotem, Iuſtino Imp. Conſtantinopolim ad integrum perducti ſunt. Leonegildus Rex Cordubam civitatem diu Gothis rebellem nocte occupat, & cæſis hoſtibus, propriam facit, multaſq; urbes & caſtella, interfecta ruſticorum multitudine, in Gothorum dominium revocat. Miro Suevorum Rex bellum contra Arragones movet. Domnus Helenenſis Eccleſiæ Epiſcopus clarus habetur.

Anno

Anno VII. Iustini Imp. qui est Leonegildi V. annus, *Alboinus* Longobardorum Rex, factione coniugis suæ, à suis nocte interficitur. Thesauri verò eius cum ipsa Regina in Reipub. Romanæ ditionem obveniunt, & Longobardi sine Rege & Thesauro remansere. His diebus Luiba Rex vitæ finem accepit, & Hispania omnis in regno & potestate Leonegildi, Galliaq; Narbonensis concurrit. Iustinus Imp. gravi infirmitate concutitur, quæ infirmitas ab aliis quidem cerebri motio, ab aliis dęmonum vexatio putabatur. In regia urbe mortalitas inguinalis plagæ exardescit, in qua multa millia hominum vidimus defuisse. Leonegildus Rex *Sabariam* ingressus Sapos vastat, & provinciam ipsam in suam redigit ditionem, duosq; filios suos ex amissa coniuge, Ermenegildum & Recaredum consortes regni facit. Legati gentis Macuritarum Constantinopolim veniunt, dentes Elephantinos & Camelos Pardalim Iustino principi munera afferentes, sibi cum Romanis amicitias collocant. Post Ioannem Rom. Ecclesiæ Benedictus ordinatur Episcopus, præfuit an. IV. Mausona Emeritensis Ecclesiæ Episcopus in nostro dogmate clarus habetur. Camelopardalim.

An. IIX. Iustini, qui est Leonegildi VI. an. Persæ cum Romanis pacis fœdera rũpunt, &, congressione facta, Daras civitatem fortissimam bello superant, & cæsa multitudine Romanorum, memoratam urbem ingressi, depopulati sunt.

His diebus Leonegildus Rex Cantabriam ingressus, provinciæ pervasores interficit, Amaiam occupat, opes eorum pervadit & provinciam in suam revocat ditionẽ. al. Amoyã.

Iustinus Imp. Tiberium, quem superius excubitorum Comitem diximus, Cæsarẽ facit, & non multo post imperiali fastigio provehit, & Reipub. principem designat. Huius Tiberii Cæsaris die prima, in regia urbe, inguinalis plaga sedata est.

An. IX. Iustini Imp. qui est Leonegildi Regis VII. annus, Cosdroes Persarũ Imp. cum nimia multitudine exercitus ad vastandos Romanorum terminos promovet. Cui Iustinianus Dux Romanæ militiæ, & Magister militum orientis, à Tiberio destinatus, bellum parat, & in campis, qui inter Daras & Nozinios ponuntur, forti pugna congressus, habens secum gentes fortissimas, quæ barbaro sermone Hermiam nuncupantur, memoratum Imperatorem bello superat, quo cum suo exercitu in fugam verso, castra eius pervadit, & provinciæ Persidæ fines Victor Iustinianus vastat, excubiasq; eorum pro triumpho Constantinopolim dirigit, XXIV. elephantos inter cætera, qui magnũ spectaculum Romanis in urbe regia exhibuerunt; Prædam verò de manubiis Romanorũ; Persarũ multitudo ad nimiam utilitatẽ nummo publico venundatę sunt. Locus corruptus. Fort. utilitatem.

Leonegildus Rex Aregenses montibus ingreditur, Aspidium loci seniores cum uxore & filiis captivos ducit, opesq; eius & loca in suam redegit potestatem. Aramundarus Sarracenorum Rex Constantinopolim venit, & cum sthemate suo Tiberio principi cum donis Barbariæ occurrit; qui à Tiberio benignè exceptus, & donis optimis exornatus ad patriam abire permissus est. Fort. montes. Mariana lib. 5. cap. 11. legit. Seniorem, hoc est, principem.

An. X. Iustini Imp. qui est Leonegildi Regis IIX. ann. Bandarius gener Iustini principis, à Longobardis prælio vincitur, & non multò pòst vitæ finem accipit. Romanus filius Anagasti patritii, Magister militiæ gentis Suevorum Regem vivum cœpit, quem cum suo thesauro, uxore & filiis Constantinopolim adducit, & provinciam eius in Romanorum dominium redigit. Leonigildus Rex in Gallecia Suevorum fines conturbat, & à Rege Mirone per legatos rogatus, pacem eis pro parvo tempore tribuit. Selanini in Thracia multas urbes Romanorum pervadunt, quas depopulatas vacuas reliquere. Abares littora maris captiosè obsident, & navibus littora Thraciæ navigantibus satis infesti sunt.

Post Benedictum Romanæ Ecclesiæ Pelagius Iunior ordinatur Episcopus, præest annis XI.

Anno XI. regni sui Iustinus diem clausit extremum, & Tiberius singulare obtinuit imperium.

Romanorum LIV. Tiberius regnat annis VI.

Anno ergò I. imperii Tiberii, qui est Leonegildi annus IX. Abares Thracias vastant, & regiam urbem à muro longo obsident. Leonegildus Rex Orospedam ingreditur, & civitates atq; castella eiusdem provinciæ occupat, & suam provinciam facit, & non multò pòst inibi Rustici rebellantes à Gothis opprimuntur, & post hæc integra à Gothis possidetur Orospeda.

An. II. Tiberii Imp. qui est Leonegildi Regis X. Gennadius Magister militum, in Africa Mauros vastat. Gasmulem fortissimum Regem, qui iam tres duces superius nominatos Romani exercitus interfecerat, bello superat, & ipsum regẽ gladio interfecit.

Tiberius Mauritium excubitorum Comitem, Magiſtrum militiæ Orientis inſtituit, & ad repugnandum Perſis direxit. Romani contra Longobardos in Italia lachrymabile bellum gerunt. Leonegildus Rex extinctis undique tyrannis, & pervaſoribus Hiſpaniæ ſuperatis, ſortitus requiem propriam cum plebe reſedit, & civitatem in Celtiberia ex nomine filii condidit, quæ Recopolis nuncupatur, quam miro opere, & mœnibus & ſuburbanis adornans, privilegia populo novæ urbis inſtituit. Ioannes presbyter Eccleſiæ Emeritenſis clarus habetur.

Anno III. Tiberii Imp. qui eſt Leonegildi XI. annus, Abares à finibus Thraciæ pelluntur, & partes Græciæ atque Pannonis occupant. Leonegildus Rex Hermenegildo filio ſuo filiam Sisberti Regis Francorum in matrimonium tradit, & provinciæ partem ad regnandum tribuit. Leonegildo ergo quieta pace regnante, adverſariorum ſecuritatem domeſtica rixa conturbat. Nam, eodem anno, filius eius Hermenegildus, factione Goſvinthæ reginæ, tyrannidem aſſumens in Hiſpali civitate, rebellione facta, recludit, & alias civitates atque caſtella ſecum contra patrem rebellare fecit. Quæ cauſa in provincia Hiſpaniæ tam Gothis, quàm Romanis maioris exitii, quàm adverſariorum infeſtatio fuit.....

Nonellus Complutenſis Epiſcopus clarus habetur.

Anno IV. Tyberii, qui eſt Leonegildi XII. an. Mauritius Magiſter militum Orientis contra Perſas bellum movet, & repulſa Perſarum multitudine, in Oriente hyemavit. Leonegildus Rex in urbem Toletanam, Synodum Epiſcoporum, ſectæ Arrianæ, congregat, & antiquam hæreſin novello errore emendat, dicens, *de Romana* religione ad noſtram Catholicam fidem venientes non debere baptizari, ſed tantummodo per manus impoſitionem, & communionis præceptione *pollui*, & gloriam patri per filium in Spiritu ſancto *dare.* Per hanc ergo ſeductionem, plurimi noſtrorum cupiditate potius impulſi, in Arrianum dogma declinant.

Locus obſcurus. *ab Arriana.* *ablui.* *dari.*

Anno V. Tiberii, qui eſt Leonegildi XIII. an. Longobardi in Italia Regem ſibi ex ſuo genere eligunt, vocabulo Antharich, cuius tempore & milites Romani omnino ſunt cæſi, & terminos Italiæ Longobardi ſibi occupant. Sclavinorum gens Illyricũ & Thracias vaſtant. Leonegildus Rex partem Vaſconiæ occupat, & civitatem, quæ Victoria, cum nuncupatur, condidit.

Tiberius Imp. Magiſtro militum Orientis filiam ſuam in coniugium tradit.

Anno VI. Tiberii, qui eſt Leonegildi XIV. Tiberius vitæ terminum dedit, & Mauritius pro eo Romanorum Imperator efficitur.

Romanorum LV. Mauritius regnat an. XX. Leonegildus Rex exercitum ad expugnandum tyrannum filium colligit.

Anno ergò I. Mauritii Imp. qui eſt Leonegildi Regis XV. annus, Leonegildus Rex civitatem Hiſpalenſem, congregato exercitu, obſidet, & rebellem filium, gravi obſidione concludit, in cuius ſolatio, Miro, Suevorum Rex, ad expugnandam Hiſpalim devenit, ibiq; diem clauſit extremum, cui Eburicius filius, in provincia Galletiæ in regnum ſuccedit. Interea Leonegildus Rex ſupradictam civitatem nunc fame, nunc ferro, nunc Betis concluſione omninò conturbat.

Anno II. Mauritii Imp. qui eſt Leonegildi XVI. an. Leonegildus muros Italicæ, antiquæ civitatis, reſtaurat, quæ res maximum impedimentum Hiſpalenſi populo exhibuit. His diebus Andeca in Galletia Suevorum regnum cum tyrannide aſſumit, & Siſeguntiam relictam Mironis regis in coniugium accepit. Eboricum regno privat, & Monaſterii monachum facit.

Leonegildus Rex, filio Hermenegildo ad Rempublicam commigrante, Hiſpalim pugnando ingreditur, civitates & caſtella, quas filius occupaverat, cepit, & non multò pòſt memoratum filium in Cordubenſi urbe comprehendit, & regno privatũ in exilium Valentiam mittit.

Mauritius Imp. contra Longobardos, Francos per conductelam movet, quæ res utriq; genti non parva intulit damna. Eutropius Abbas Monaſterii Servitani, diſcipulus S. Donati, clarus habetur.

Anno III. Mauritii, qui eſt Leonegildi. XVII. an. Mauritius per duces bellum infert. Leonegildus Rex Galletias vaſtat. Andecanim Regem comprehenſum regno privat. Suevorum gentem, theſaurum, & patriam, ſuam in poteſtatem redegit, & Gothorum provinciam facit: Hermenegildus in urbe Tarraconenſi à Sisberto interficitur. Franci Galliam Narbonenſem occupare cupientes, cum exercitu ingreſſi, in quorum congreſſionem Leonegildus Recaredum filium obviam mittens, & Francorum

est ab eo exercitus repulsus, & provincia *Gallatiæ* ab eorum est infestatione liberata. Gallis. Castra verò duo cum nimia hominum multitudine, unum pace, alterum bello occupat. Castrum verò, quod *Hodierno* vocatur, tutissimum valde in Ripa Rhodani fluminis ponitur, al. vgerno. quod Recaredus Rex fortissima pugna aggressus, obtinuit, & victor ad patrem, patriamq; redit. Andeca verò regno privatus tondetur, & honore Presbyteri post regnum honoratur. Non dubium, quod in Eborico Regis filio, Rege suo, fecerat, patitur, & exilio Pacensi urbe relegatur. Maluricus in Galletia Tyrannidem assumens, quasi regnare vult, qui statim à ducibus Leonegildi oppressus, comprehenditur, & Leonegildo vinctus præsentatur. Leander Hispalensis Ecclesiæ Episcopus clarus habetur.

An. IV. Mauritii Imperatoris, qui est Leonegildi Regis XIIX. Anthane Longobardorum Rex, cum Romanis congressione facta, superat, & cæsa multitudine militũ Romanorum Italiæ fines occupat. Hoc anno Leonegildus Rex diem clausit extremũ; & filius eius Recaredus in tranquillitate regni eius sumit sceptra.

An. V. Mauritii Imp. Romanorum, qui est Recaredi Regis primus feliciter annus, Mauritius Theodosium filium suum, ex filia Tiberii Imperatoris natum, Cæsarem facit. Pelagio Iuniore mortuo Romanæ Ecclesiæ Gregorius in Episcopatum succedit, præest an. XV. Romani per Francorum adiutorium Longobardos vastant, & provinciæ Italiæ partem in suam redigunt potestatem. Sisbertus interfector Hermenegildi, morte turpissima perimitur.

Recaredus primo regni sui anno, mense X. Catholicus, Deo iuvante, efficitur, & Sacerdotes sectæ Arrianæ sapienti colloquio aggressus, ratione potius, quàm imperio converti ad Catholicam fidem facit, gentemq; omnium Gothorum & Suevorum ad unitatem & pace revocat Christianæ Ecclesiæ sectę Arriana, gratia divina, in dogmate veniunt Christiano.

Desiderius Francorum Dux, Gothis satis infestus, à ducibus Recaredi Regis superatur, & cæsa Francorum multitudine, in campo moritur. Recaredus Rex aliena à prædecessoribus direpta, & fisco sociata, placabiliter restituit, Ecclesiarum & Monasteriorum conditor & ditator efficitur.

An. VI. Mauritii, qui est Recaredi secundus annus, quidã ex Arrianis Sunna Episcopus, Sunni & Segga cum quibusdam tyrannidem assumere cupientes, deteguntur; convicti Sunna exilio traditur, & Segga manibus amputatis in Galletiam *exulans* mittitur. Mauritius Theodosium filium, quem supra Cæsarem diximus, Romanorum Imperatorem facit.

An. VII. Mauritii, qui est Recaredi regis III. an. Vldila Episcopus, cum Gosuintha Vldida. regina insidiantes Recaredo manifestantur, & fidei Catholicæ communionem, quam sub specie Christiana, quasi sumentes proiiciunt, publicantur. Quod malum in cognitionem hominum deductum, Vldila exilio condemnatur. Gosuintha verò Vldida. Catholicis semper infesta, vitæ tunc terminum dedit. Francorum exercitus à Goteranno Rege transmissus, Bosone duce, in Galliam Narbonensem obveniunt, & iuxta Carcasonensem urbem castra metati sunt, cui Claudius Lusitaniæ dux à Recaredo Rege directus obviam, inibi occurrit, cum quo, congressione facta, Franci in fugam vertuntur, & direpta castra Francorum, & exercitus à Gothis cæditur. In hoc ergo certamine, gratia divina, & fides Catholica, quam Recaredus Rex in Gothis fideliter adeptus est, esse noscitur operata. Quemadmodum non est difficile, Deo nostro sive in paucis sive in multis detur victoria. Nam Claudius Dux vix cum CCC. viris LX. millia fermè Francorum noscitur infugasse, & maximam eorum partem gladio trucidasse. Non immeritò DEVS laudatur temporibus nostris in hoc prælio esse operatus, qui similiter ante multa temporum spatia per manum Ducis Gedeonis in trecentis viris multa millia Madianitarum, DEI populo infestantium, noscitur extinxisse.

Anno IIX. Mauritii Imp. qui est Recaredi Regis IV. an. sancta Synodus Episcoporum totius Hispaniæ, Galliæ, & Galletiæ in urbe Toletana, præcepto principis Recaredi congregatur, Episcoporum numero LXXII. in qua Synodo intererat memoratus Christianissimus Recaredus, ordinem Conversionis suæ, & omnium sacerdotum, vel gentis Gothicæ confessionem tomo scriptam manu sua Episcopis porrigens, & omnia, quæ ad professionem fidei Orthodoxæ pertinent, innotescens, cuius tomi ordinẽ decrevit Sancta Episcoporũ Synodus Canonicis applicare monumentis. Sũma tamẽ Synodalis negotii penes sanctũ Leandrũ Hispal. Eccl. Episc. & beatissimũ Eutropiũ monasterii Servitiani Abbatẽ fuit. Memorat⁹ v. Recaredus Rex, ut diximus,

ſancto intererat concilio renovans temporibus noſtris antiquũ principẽ Conſtantinũ magnum ſanctam Synodum Nicænam ſua illuſtraſſe potentia; nec non & Martianum Chriſtianiſſimum Imp. cuius inſtantia, Chalcedonenſis Synodi decreta formata ſunt. Siquidem & Nicæna urbe, hæreſis Arriana, & initium ſumpſit & damnationem meruit radicibus non amputatis. Chalcedone verò Neſtorius & Eutyches, unà cum Dioſcoro ipſorum patrono, & Hæreſibus propriis condemnati ſunt. In præſenti verò ſancta Toletana Synodo Arrii perfidia, poſt longas Catholicorum neces atq; innocentium ſtrages, ita radicitus amputata eſt, inſiſtente principe memorato Recaredo Rege, ut ulterius non pullulet, Catholica ubique pace data Eccleſiis. Hæc ergo nefanda hæreſis, ſecundum quod ſcriptum eſt: De domo domini exiet tentatio, ab Alexandrina Eccleſia, detegente ſancto Alexandro eiuſdem urbis Epiſcopo, per Arriũ Preſbyterum inolevit, qui in Nicæna Synodo CCCXIIX. Epiſcoporum iudicio vigeſimo Imperii Conſtantini ſenioris anno, Synodaliter damnationem, cum proprio errore ſuſcepit. Quæ poſt hæc non ſolum Orientis & Occidentis partem maculavit, ſed & Meridianam & Septentrionis plagam, & ipſas inſulas ſua perfidia irretivit. A vigeſimo ergò Conſtantini principis anno, quo tempore hæreſis Arriana initium ſumpſit, uſque in octavum annum Mauritii principis Romanorum, qui eſt Recaredi quartus regni annus, anni ſunt CCLXVI. quibus Eccleſia Catholica huius hæreſis infeſtatione laboravit, ſed favente DEO vicit, quoniam fundata eſt ſupra petram.

Eutyches.

In his ergo temporibus, quibus omnipotens DEVS, proſtrato veternoſæ hæreſis veneno, pacem ſuæ reſtituit Eccleſiæ, Imp. Perſarum Chriſti ſuſcepit fidem, & pacem cum Mauritio Imperatore firmavit. Recaredo ergò Orthodoxo quieta pace regnante, domeſticæ inſidiæ prętenduntur. Nam quidam ex cubiculo eius, etiam provinciæ Dux, nomine Argimundus adverſus Recaredum Regem Tyrannidem aſſumere cupiens, ita ut ſi poſſet, eum & regno privaret & vita: ſed nefandi eius conſilii detecta machinatione comprehenſus, & in vinculis ferreis redactus, habita diſcuſſione, ſocii eius impiam machinationem confeſſi, condigna ſunt ultione interfecti; ipſe autem Argimundus, qui regnum aſſumere cupiebat, primum verberibus interrogatus, deinde turpiter decalvatus, poſthæc dextrà amputata, exemplum omnibus in Toletana urbe aſino ſedens pompizando dedit, & docuit famulos dominii non eſſe ſuperbos.

FINIS CHRONICI BICLARENSIS.

A. SCHOT-

A. SCHOTTVS LECTORI S.

DE Chronographis antiquis, qui post Eusebium, & B. Hieronymi additamentum supplementa dederunt, præter Prosperum Aquitanum hominem Gallum: Hispani quoque enituerunt. In his Ithacius, & Isidorus, Episcopus uterq; Doctiss. mox Victor Tunnunensis & Ioan. Gerundensis, Biclariensis Abbas, sed ut ille diu desideratus est ac nondum integer exiit; sic diu, hi quidem à nobis in Hispania reperti atque eruti Ingolstadij primum lucem aspexerunt. Verumenimverò ut de nomine controversia est, sic & duo cognomines fuisse putantur, Hispanus uterq; & Episcopus, sed scriptione diversi. Alij Idacium per quartam litteram vulgo scribunt, nonnulli per τ qui forte Ithacius per θ rescribendis! Depravatum autem id nomen non raro, ut Nardacius olim in Sulpitij Chronico sit lectum. Vrsacius in Isidoro. Anicius verò in Honorii Augustodunensis Catalogo. Duos autem fuisse temporibus tamen studioque æquales & Episcopos in Lusitania hæreticorum inprimis hostes multa arguunt, quibus parum æquum fuisse Sulpitium deprehendo, forte quod à B. Martino dissentirent. Alter Idacius Emeritæ, vel, ut alii, Lamecæ, iuxta Durium fluvium civitatis in Lusitania Præsul, Hieronymi laude nobilis: Alter Ithacius Ossonobensis Episcopus (sic enim in Chronico Sulpitii emendandum esse vidit Carolus Sigonius, & Ioan. Mariana noster lib. IIII. Annalium Hispaniæ, Cap. 20. pro illo Sossubensi) florueruntque ad annum Christi, 383. ut & Sigeberti Chronico discas, qui & ipse in Catalogo Lenucæ Episcopum facit. Ille contra Varamundum Arianum scripsit, & loca S. Scripturæ de Trinitate explanavit, exstatque Tomo IIII. Bibliothecæ SS. Patrum.

Vtrius verò hæc Chronologia sit, quam damus Libro priore ex Eusebiano hausto; alterò verò eiusdem Auctario facto, iam inde à Theodosio Aug. non facile dixero, non visa enim hactenus primumque edita, sed è vitioso codice ab Henrico Canisio I. C. egregio Tomo II. Antiquarum Lectionum, & in Chronico Eusebiano à Iosep. Scaligero, sed mutila valde ac depravata exemplaris vitiò, eiusque pars duntaxat altera ad Eusebium, quid ex utriusque comparatione sim assecutus, secutus certe, æquus Lector existimabit, quod veteri verbo dicitur, hoc Catone contentus sit, dum aut melius exemplar, aut integrum opus è Democriti puteo, hoc est è tenebris, quibus delitescit, in apertam lucem proferatur. Cupio quidem certè ac spero. Nam spes illa iam decolavit, quam Allobrogibus Crispinus quidam, tabulis professus typographus, daturum se HISTORIAE MISCELLAM ex Isidoro, Idacio ceteris. Verum id genus hominibus Varroniana titulum Satyræ Memppeæ libens accino: Cras credam hodie nihil. Vale.



CHRONOGRAPHIA EX IDACIO

COLLECTORE

Quodam Caroli Magni æquali.

LIBER PRIMVS.

Regnum Aſſyriorum.



Rimus Rex Ninus regnavit annis LI. Et mulier ſua Semiramis regnavit poſt eum annis XLII. Eodem tempore natus eſt Abraham. Ninias filius Nini & Semiramis regnavit poſt eos annis XXXVIII.

De ſemine Abraham.

Abraham cum eſſet annorum LXXV. à Deo accepit repromiſſionem. De illo tempore uſq; ad egreſſionem Hebreorum de Ægypto ſupputantur anni Ccccxxx. Abraham de ancilla Agar habuit filium nomine Iſmahel: unde Iſmahelitæ & poſtea Agareni, poſtremum Sarraceni vocantur. Centenarius Abraham habuit de Sara filium nomine Iſaac. Primus omnium Prophetarum Abraham. Aſſyriorum Arrius tunc regnavit annis Xxx. Sexagenario Iſaac an. naſcuntur filii gemini, primus Eſau, ex quo gens Idumæa fuit: ſecundus Iacob, qui Iſrael appellatus eſt. Inde gens Iudæorum eſt. Vixit Abraham annis Clxxv. Centeſimo anno repromiſſionis moritur Abraham. Centeſimo ſexageſimo anno cum eſſet Iſaac, tunc Iacob deſcendit in Meſopotamiam, & ſervivit Laban annis Xiv. pro duabus filiabus, quas accepit uxores, Lia & Rachel. Anno Cc. poſt repromiſſionem mortuus eſt Iſaac annorum * octoginta. Filius eius Iacob cùm eſſet annorum Cx. adhuc vivente Iſaac, Ioſeph filius Iacob venundatus eſt in Ægyptum. Centum triginta annorum cum eſſet Iacob, iam ſecundo anno famis ingreſſus eſt cum filiis in Ægyptū. Iacob centeſimo quadrageſimo ſeptimo anno obiit, Prophetizans de Christo. Centū decem annos cum impleſſet Ioſeph moritur. Fiunt autem omnes anni, quibus Hebræi in Ægypto fuerunt, ducenti quindecim. Ob hoc ab eo tempore computantur, quo Iacob cum filiis ſuis deſcendit in Ægyptum.

** leg. 180.*

De Moyſe & captivitate Iudæorū. &c. corrig. ex Euſeb. 390. repr. an. & 40. anno Moyſis.

Trecenteſimo quinquageſimo an. repromiſſionis natus eſt Moyſes. cum eſſet annorum Lxxvi. Cecrops regnavit in Attica: à quo uſq; ad Troiæ captivitatem fiunt anni Ccclv. Trecenteſimo à quadrageſimo repromiſſionis anno Moyſes Ægyptum derelinquens eremo philoſophatur Hebræorum. Octogeſimum annum agens dux itineris ex Ægypto Hebræorum gentis efficitur, legem eis in eremo tradidit per annos Xl. Ab hoc loco uſque ad Salomonem ædificationem templi numerantur anni quadringenti octoginta. Primus apud Hebræos Aaron Pontifex fuit Hebræorum. Poſt Moyſen conſtituitur Hieſus. Hieſus ſucceſſit Moyſi. Terrā Palæſtinorum Iudææ genti ſorte diſtribuit. Iudæorum Iudex poſt Gothoniel annis Xl. Poſt Gothoniel Hebræi fuerunt ſubiecti alienigenis annis decem & octo, qui copulantur temporibus Aod. Ipſe fuit Iudex ex tribu Effraim annis octoginta. Poſt Aod Hebræos in ditionem redigunt alienigenæ annis viginti; qui copulantur temporibus Deboræ & Barac, qui iudicaverunt Iſrael annis quadraginta. Hebræorum Iudex Gedeon. Poſt Deboram in ditionem redigunt alienigenæ annis ſeptem, qui coniuncti ſunt temporibus Gedeonis ſecundum Hebræorum traditionem, Gedeon Iudex ex tribu Manaſſe. Cyrus condita ante templum Ieroſolymorum annis Ccxl. ſcripſit Ioſephus in libro tertio Hebræorum. Abimelech filius Gedeonis Iudex annis tribus. Poſt quem Tola annis Xxii. Poſt quem Iair annis Xxii. ex tribu Manaſſe. Sub Tautano rege Aſſyriorum Troia capta eſt. Hebræorum Iephte Iudex annis octo. Poſtea Hebræos in ditionem ſuam redigunt Ammonitæ annis Viii. qui cum temporibus poſteriorum Iudicum copulantur, ſecundum Iudæorum traditionē. Iephte in libro Iudicum (Poſt quem Eſebon annis Vii.) ab ætate Moyſis uſque ad ſemetipſum ait ſupputari annos Ccc. Poſt Eſebon Labaion. Viii.

Euſeb. & Iudic. 12. an. 6. Euſeb. an. 18

Hic maior codex m. l. inſertam habet importune hiſtoriam Daretis de Origine Frācorum.

In illo

In illo tempore Priamus Helenam rapuit. Troianum bellum decennale surrexit, causa mali, quod trium mulierum, de pulchritudine certantium, præmium fuit una earum, Helenam pastori iudici pollicente. Memnon & Amazones Priamo tulêre subsidium. Exinde origo Francorum fuit. Primo Priamum regem habuerunt: postea per historiam libros scriptum est, qualiter habuerunt Regem Friga. Postea parati sunt in duabus partibus. Vna pars perrexit in Macedoniam, vocati sunt Macedones, secundum populum, ad quem recepti sunt, & regem Macedoniæ, qui opprimebatur à gente vicina, invitati ab ipsis fuerunt, ut eis auxilium præberent. Per quos postea cum subiuncti in plurimam procreationem crevissent, ex ipso genere Macedones fortissimi pugnatores effecti sunt. Quòd in postremum in diebus Philippi Regis & Alexandri filii sui fama confirmat illorum fortitudo qualis fuit. Nam & illa alia pars, quæ de Friga progressa est, ab Olexo per fraudem decepti, tamen non captivati, nisi exinde deiecti per multas regiones vagantes cum uxoribus & liberis. *Vide Aimoin. de gestis Fran. lib. 1. cap. 2.*

De Francis. Electo à se Rege, Francione nomine, per quem Franci vocantur. In postremo eo, quod fortissimus ipse Francio in bello fuisse fertur, & multo tempore cum plurimis gentibus pugnam gerens, partem Asiæ vastans, in Europam dirigens, inter Renū & Danubium & mare consedit.

De Germanis. Ibiq; mortuo Francione, cum iam prælia tanta, quæ gesserat, parva ex ipsis manus remanserat, Duces ex se constituerunt. Attamen semper alterius ditione vagantes, multo post tempore cum ducibus transegerunt, usque ad tempora Pompeii Consulis, qui & cum ipsis dimicans, sicut & reliquas gentium nationes, quæ in Germania habitant, totasq; ditiones subdidit Romanis. Sed continuo Franci cum Saxonibus amicitias ineuntes, adversus Pompeium rebellantes, eiusdem renuerunt potestatem. *Saxones.* Pompeius in Hispania contra gentes dimicans plurimas morti tradidit. Post hæc nulla gens usq; in præsentem diem Francos potuit superare, qui tamen eos suæ ditioni potuisset subiugare. Ad ipsum instar & Macedones, qui ex eadem generatione fuerūt; quamvis gravibus bellis fuissent attriti, tamen semper liberi ab externa dominatione vivere conati sunt.

De Thurcis. Tertiam ex eadem origine gentem Thurcorum fuisse fama confirmat. Vt cum Franci Asiam pervagantes pluribus præliis pertransissent, ingredientes Europam, super littora Danubii fluminis inter Oceanum & Thraciam, una ex eis ibidem pars resīdet. Electum à se itaq; Regem nomine Torquoto, per quod gens Torquorum nomē accepit. Franci huius itineris gressum cum uxoribus & liberis agebant. Nec erat gens, quæ eis in prælio potuisset resistere. Sed dum plurima egerunt prælia, quando ad Renum consederunt, dum à Torquoto minuati sunt, parva ex eis manus aderat.

A captivitate Troiæ usq; ad primam Olympiadem fiunt anni CCCCVI.

De gente Hebræorum. Redeamus quo ordine Hebræorū gens fuit. Hebræorū reliqui an. L. Abdō an. octo. Post Abdō Hebræos in ditionē redigūt alienigenæ an. XL. qui copulantur temporibus Iudicum posteriorū. Post quem Samson fortissimus omnium fuit; ita ut quibusdam facta ei⁹ cum gestis Herculis computarent. Quidam ad huius memoriam cōservandā balneum .... multo post tempore adpellatus pœna. Post quem Heli sacerdos. In Hebræorum libris XL. anni inveniuntur; in septuaginta Interpretum, viginti.

De regno Latinorum. In illo tempore Tautanus regnabat in Assyrios. Tunc Troia capta est. In Hebræis Lepdon Iudex erat, & in Ægypto Dinastia rex erat. Primus Rex Latinorum tunc in ipso tempore surrexit, eo quod à Troia fugaciter exierunt, & ex ipso genere & Frigas fuerunt, nisi per ipsam captivitatem Troiæ & inundationem Assyriorum. E quorum persecutione in duas partes egressi & ipsa civitate & regione. Vnum exinde regnum Latinorum erigunt, & aliud Frigorum. Post tertio anno capta Troia, Latini, qui postea Romani nuncupati sunt, & ut quidam volunt, post octo an. regnavit Æneas. Æneas & Frigas feruntur Germani fuisse. Æneas in Latinos regnavit annis III. & Frigas in Frigia. Ante Æneam & Frigam Ianus, Saturnus, Picus, Faunus, Latinus, per quem Latini vocati sunt, & in Italia regnaverunt annis circiter CL. Roleta scribit. Palæphatus autem in incredibilium libro primo, Sirenas quoq; fuisse meretrices, quæ deceperint navigantes. Post Æneam Ascanius annis XXXVIII. Ascanius derelicto novercæ suæ regno, Latinis Albam Longam condidit, & Silvium posthumum fratrem suum, Æneæ ex Lavinia filium summa pietate educavit. Amazones illo tempore etiam templum Ephesi incenderunt. Ascanius Iulium filium procreavit, à quo familia Iuliorum orta, & propter ætatem parvuli, qui necdum regendis civibus idoneus erat, Silvium posthumum fratrem suum regni reliquit hæredem.

De primo ex tribu Iuda rege.

In illo tempore mortuo Heli sacerdote Hebræorum; Samuel prophetabat & Saul regnavit annis XL. In illo tempore Silvius Latinorum Rex Æneæ filius, à quo omnes Albanorum Reges Silvii vocati sunt. Hebræorum Rex primus ex tribu Iuda David annis XL. Hebræorum tunc Pontifex Abiathar clarus habebatur. Latinus Silvius regnavit annis L. Hebræorum filius David Salomon regnavit annis XL. Salomon templum in Ierosolymis ædificare cœpit; consummavit annis septem.

De Carthagine &c.

Carthago tempore Salomonis à Lacedæmoniis in Africa condita est à rege Zostrato & aliæ urbes plurimæ. Nam & Carthago ab Arcedone Tyrio, ut verò alii, à Dido filia eius annis CXLIV. expleta fuisse refertur.

Colligitur autem omne tempus. A Moyse & egressu Israel secundum tertium librum regnorum usque ad Salomonem & ædificationem templi computantur anni *CCCCLXXX*. A diluvio usque ad Moysen anni *III.* millia *CCCCLXXXIX*. Ab Adam usque ad diluvium anni duo millia *CCXLII*. Simul omnes anni quatuor millia *CXLIX*.

De regibus Hebræorum & Latinorum.

Salomon Rex Hebræorum regnavit annis XL. Sacerdos Sadoch tunc fuit. Post Salomonem Roboam annis XVII. Post mortem Salomonis seditione orta in gente Iudæa, regno bifariam diviso in Samaria decem tribus regnavit Ieroboam. Latinorum Alba Silvius regnavit an. XXXVIIII. Roboam filius Salomonis regnavit Hierosolymis duas tribus tantum, quæ vocantur Iudæorum, quia ex Iudæ stirpe descenderunt. Vnde & universa gens illa nomine Iudæorum est vocata. Post quem Abia annis VIII. Post quem Asa annis XLI. Latinorum Ægyptius Silvius annis XXIII. Latinorum octavus Capis Silvius annis XXVI. Hebræorum Iuda Iosaphat annis *XXV*. Prophetabant in Hebræis tunc Abdias, Hieu, Ozias; Michæas. Latinorum nonus, Carpentus Silvius annnis XIII. Hebræorum Iuda (Ioram) annis octo. Postquem Ochozias anno uno, Post quem Godolia mater annis VII. Post quam Ioas annis *XL*. Latinorum tunc post Carpentum, Tyberinus annis octo. Post xi. Agrippa Silvius annis *XL*. Ioiadæ apud Hebræos insignissimus Pontifex erat. Qui solus post Moysen vixit annis *CXXX*. Hebræorum Iuda Amasias annis xxix. Hebræorum Israel Ioas in tempore Ioram. Ipse fuit septimus in Iuda, regnavit annis viii. In cuius tempore prophetabat Elias. In tempore Ioas Regis Heliseus moritur. Zacharias propheta à Ioas Rege interficitur. Hebræorum Iuda Amasias xi. regnavit annis xxix.

hic vox in utroq; m. s. exciderat.

De regibus Latinorum.

Latinorvm duodecimus Aremolus Silvius annis xix. Post quem tertius decimus Aventinus Silvius annis xxxvi. In tempore Aremoli superioris ipse Silvius Aremolus sive Remolus Agrippæ superioris regis filius præsidium Albanorum inter montes, ubi nunc Roma est, posuit. Ab impietate postea fulminatus interiit.

Hebræis.

Hebræorum Israel secundus Nadab annis duobus. Post quem tertius Baasa annis viginti quatuor. Post quem Hela annis septem. Post quem Ambri annis duodecim. Post eum annis xxviii. In tempore Achab prophetabat Helias. Post Ioram Iehu annis xxviii. Post Iehu Achab annis xvii.

De Iulio & Assyriis.

Ivlivs proavus Iulii Proculi, qui cum Romulo Romam commigravit, fundavit Iuliam gentem. His diebus Hebræorum duodecimus Azarias, qui & Ozias annis LII. In illo tempore Thespie Ocorisonis filio Athenis regnante, Assyriorum imperium deletum est. Vsque ad id tempus fuisse Reges Assyriorum historia refert. Et fiunt simul anni mille nongenti novem. Omnes autem anni regni Assyriorum à primo anno Nini supputantur mille ducenti quadraginta. Ab arces Medus Assyriorum imperio destructo regnum in Medos transtulit. Et interim sine principibus res agebatur usque ad Antiochum regem Medorum. In medio autem tempore Chaldæi proprie prævalebant: quorum separatæ quædam regum successiones feruntur. Reliquæ quoque gentes propriis legibus utebantur.

De Romulo & Remo.

Latinorvm decimus quartus Procas annis xxxiii. Post quem Amulius Silvius annis xiv. In illo tempore Roma palilibus, qui nunc festus dicitur, est condita. Romulus & Remus ipsam condiderunt. Remus rutro pastorali à Fabio Romuli duce occisus. Ob asyli impunitatem magna Romulo multitudo coniungitur. Anno ab urbe condita III. una virginum pulcherrima, cunctorum acclamatione rapientium, Talasso duci Romuli decernitur. Vnde in nuptiarum solemnitatibus, Talasso, vulgo clamitant; cui talis nupta sit, quam Talassus meruit. In illo tempore prima capti-

ma captivitas Israel. Decem tribus à Senacherib rege Chaldæorum translatæ sunt in montes Medorum. Regnatumque est in Samaria annis CCL.

De Regibus Romanorũ.

Romanorum decimus septimus rex Romulus, annis XXXVIII. Remus & Romulus generantur Marte & Ia. Romulus apud paludem caprenus moritur. Post quem per quinos dies senatores Remp. rexerunt, atque ita unus annus expletus, quod tempus Interregnum appellatum est. Postea Pompilius regnavit annis XLI. Romulus primum milites sumpsit ex populo, & nobilissimos senes centum, ob ætatem, senatores; ob similitudinem curæ patres adpellavit: Templa quoq; & muros, Romanæ urbis extruxerunt. Sabacan Bochirum Regem captum, vivum exussit. Tullius Hostilius, annis XXXIII. Primus regum Romanorum purpura & fascibus usus est, ac deinceps cum sua domo fulmine conflagravit. Tullius Hostilius post longam pacem bella reparavit, Albanos, Veientes, Fidenates, vicit, & adiecto monte Cœlio urbem ampliavit. Romanorum quartus Ancus Martius annis XXXIII. Ancus Martius Aventinum montem & Ianiculum urbi addidit. In tempore Procatis Silvii Latinorum regis, Hebræorum tunc prophetabant Osee. Amos, Iosias, Isaias, Ionas anno LIII. quando Roma condita fuit prophetabat. Ioathan annis XVI. Post quem Iuda decimus quartus Achazitem regnavit XVI. Cuius tempore Talat Faltasar rex Assyriorum magnam partem populi Iudæorum in Assyrios transtulit. Post quem Iuda decimus quintus Sedechias annis XLIX. Post quem Iuda decimus sextus Manasses annis LX. Post quem in Iuda decimus septimus Ammon annis XII. Post quem in Iuda decimus octavus, Iosias annis XXXII. Hieremias prophetabat. Hebræorum Iuda Ioachim annis XI. Post quem iterum Ioachim alias annis XLIII.

al. annis 40.

De Nabuchodonosor.

Anno tertio Ioachim Nabuchodonosor rex Babyloniæ Iudæam capit, & in ditionem suam redactis plurimis Iudæorum, cum etiam partem vasorum templi invasit, & tributarium fecisse Ioachim fertur, victor ad patriam revertitur. Israhel (quando Roma condita fuit) Azarias: & Manaim principabat an. X. postea Vaceas annis X.

De captivitate Troiæ.

Iulius Africanus.

al. Vazea.

supra c. 14.

al. Afrone.

Anno decimo à captivitate Troiæ usque ad Olympiadẽ primam an. CCCCV. Primam Olypiadem AFRICANVS temporibus Ioatham regis Hebræorum fuisse scripsit. Post Vagea in Iudæa prophetabat annis novem. Tunc à Sanacherib Israelitæ in captivitatem ducti sunt. Memoravimus sub Arifrone rege Assyriorum regnum destructum. Sardanapalus eo tempore Tarsum atque Anchealem condidit, & in prælio victus ab Arbace Medo semet incendio concremavit. Primus, ut supra memoravimus, rex Macedonum Casanus regnavit annis XVIII. Ægyptii regem suum Osorton Herculem nominaverunt. Phidon Argivus mensuras & pondera primus invenit.

Macedonum Philippus regnavit annis XXXVIII. Numa Pompilius duos menses ad annum condidit, Ianuarium & Februarium; cum antehac menses decem tantum apud Romanos fuissent. Capitolium quoque à fundamentis ædificavit. Sibylla Samia quæ & Herophila, in Samo insignis habetur. Numa Pompilius nullum cum finitimis bellum gessit. Olda mulier apud Hebræos prophetabat. Postea Sophonias, Hieremias annis XXXII. Post quem Ioachim an. XI. Post quem Sedechias XI.

De Romanis ac captivitate Ierusalẽ.

Romanorum quintus Tarquinius Priscus annis XXXVIII. Ancus Martius Numæ nepos. Tarquinius Priscus circum Romæ ædificauit, numerum Senatorum auxit, Romanos ludos instituit, muros & cloacas ædficauit, ad extremum ab Anci filiis, regnum eius, cui ipse successerat ..... Primo anno captivitatis Ierusalem in Iudæa Nabuchodonosor Rex Chaldæorum, Ierosolymis captis, templum incendit: quod ab initio ædificationis suæ transierant anni CCCCXLII. quadragesima octava Olympiade captivitas & exterminium templi, quod fuit in Ierosolymis ann. LXX. In Babylone prophetabant Daniel & Ezechiel.

Romanæ urbis ampliatio.

Tunc Romæ Servius ancillæ, sed nobilis captivæ filius, tres montes urbi addidit; Quirinalem, Æsquilinum, & Viminalem. Fossas circa muros duxit, censum Romanorum civium ipse primus instituit, & ad extremum Tarquinii Superbi generi sui superioris regis filii scelere occisus est.

De regno Babyloniæ.

Mortuo Nabuchodonosor Babyloniorum Rege suscepit imperium Evilmerodach. Cui successit frater eius Baltasar, cuius tempore liber Danielis scribitur. Romanorum Servius sextus regnavit annis XXXIII. Capta Hierosolyma ab Assyriis ad Vafrem regem Ægypti Iudæorum reliqui transfugerunt: Hieremias quoq; Propheta

meminit. Corinthiorum monarchia destructa. Solis facta defectio; cum futuram eam Thales ante dixisset Olympiade LV. Initium regni Persarum. Cyrus Rex Medorum destruxit imperium.

De Cyro Persarum Rege. Cyrus regnavit Persis subverso Astyage rege Medorum. Persarum Cyrus regnavit annis XXX. Cyrus Hebræorum captivitate laxata, quinquaginta ferme millia hominum regredi fecit in Iudæam. Qui constructo altari, tēpli fundamēta, iecerunt. Sed cum à vicinis gentibus fabricatio impediretur imperfectum opus usq; ad Darium permansit. Cyrus Babyloniam capit.

De Prophetis, & Tarquinio. In Hebræis prophetabant Aggæus & Zacharias. quo tempore Hiesus filius Iosedech, & Zorobabel, regio genere, principes fuerunt eorum, qui regressi sunt in Iudæam. Colliguntur, omne tempus captivitatis Iudæorum, an. *LXX.* secundum quosdam à tertio anno Ioachim usque XX. an. Cyri computantur. Romanorum Tarquinius tunc regnabat annis *XXXV.* excogitavit vincla, taurea, fustes, latomias, carceres, compedes, catenas, exilia, metalla.

De Medis. Regnaverunt Medi super Assyrios annis CCCLIV. Croesus à Cyro captus est, & Lydorum regnum destructum est, quod stetit an. CCXXX.

De Holoferne. Cambyses qui & Nabuchodonosor Rex vocatus est, sub quo historia Iudith, quæ Holofernem interfecit, scribitur. Apud Hebræos Aggæus & Zacharias prophetabat. Secundo anno Darii Regis templum in Hierosolymis construitur à Zorobabel, consummatur annis quatuor remissionis captivitatis Iudæorum. Et ædificatio templi initium sub Cyro habuit, consummatur sub Dario. Regnavit Persis, Assyriis & Ægypto.

Initiū Coss. Rom. Armodius Acidius & Aristogidus Inpargum regem interfecerunt. Et Lena meretrix amica eorum, cum tormentis cogeretur, ut reos proderet, linguam suam morsibus amputavit. Pulsis urbe regibus attenuatum est valde Romanorum imperium. Romanorum reges septem à Romulo usq; ad Tarquinium Superbum imperaverunt annis CCXLIV. Romæ post exactos reges initio Consules à Bruto esse cœperunt. Deinde tribuni plebis ac dictatores & rursum consules Remp. tenuerunt per annos ferme CCCCLXIV. Censu Romæ agitato inventa sunt hominum centum viginti millia. Lapis tunc in Ænis fluvio de cœlo ruit. Persarum septimus Artabanus regnavit annis IIX. Artaxerxes annis XL. Anno ab urbe condita CCCII. tribuni plebis Romæ erecti consulibus eiectis. Neemias tunc Hebræus minister vinarius consentiente domino suo, vigesimo eiusdem regni anno de Babylone venit, & muros Hierosolymis struxit. Romani denuo consules creati sunt. Si quæsieris de hebdomadis *LXX.* quæ in libro Danielis scriptæ sunt, reperies eas esse expletas in tempore Neronis Imperatoris, quæ faciunt annos* *CCCCXL.* Secundo postea à Vespasiano anno Hierosolyma capitur, ut Daniel prophetavit. Ex Ætna monte ignis erupit. Temporibus Consulum Galli Senonaci Romam incenderunt, excepto Capitolio.

Eufeb. 490.

De Alexandro. Alexander filius Philippi & Olympiadis nascitur. Romani Gallos superant. Nectenebon rege Ægyptiorum in Æthiopiam pulso, Ægyptiorum regnum destructum est, & in Romanam ditionē redigitur. Romani Samnitas duobus præliis & reliquas vicinas gentes superant. Descriptione Romæ facta inventa sunt civium centum quadraginta duo millia hominum. Alexander adversus Illyrios & Thracas feliciter dimicans vicit. Quibus subversis in Persas arma corripuit & apud Granicum fluvium rege ducibusq; oppressis urbem Sardis capit. Romanorum Consul Torquatus filium suum, qui plures prælio hostes vicerat, virgis cæsum securi percussit. Alexander capta Tyro Iudæam invadit. Post multas pugnas triumphans Alexandriam in Ægypto septimo regni sui anno ædificavit: & tenuit omnia quæ cœperat annis XII. Alexander Hyrcanos & Medos cepit. Alexander Ornem ..... & Indum amnem transgreditur. Bellum egit Alexander, adversus Porum & Taxilononem dimicavit: & vicit Arpalus: fugit in Asiam. Alexand. XXX. ætatis suæ anno moritur in Babylone; postquam translatum est in multos eius imperium. Macedonum regnum Philippus frater Alexandri possedit.

De Romanis. Romani Samnitas diutissime adversus se pugnantes ad extremum in servitutem subiiciunt. Seleucus Consul Babyloniam & plures urbes ædificavit. Censu Romæ agitato inventa sunt civium Romanorum ducenta septuaginta millia hominum. Legati Alexandriam Ptolomæi transmissi Romanorum amicitiam petierunt. Romani Gallos superant, & Sabinorum terram sorte dividunt. Seleucus in Sicilia capto Demetrio Syriæ & Asiæ pariter imperavit. Sostratus ingressus est Alexandriam,

quam

quam Romano subdidit imperio, & Pharum magnam in Alexandria fecit. Aratus argenteos nummos primus in orbe figurari fecit. Romani Carthaginenses navali prælio superant, & centum ibi urbes capiunt. Carthaginenses Romanorum naves in Sicilia capiunt Metello Consule in fugam verso. Censu Romæ tunc agitato inventa sunt hominum ducenta sexaginta millia. Post an. quatuor Romæ templum Vestale incensum est. Post annos XIII. quadraginta fere millia Gallorum fuerunt à Romanis cæsa. Post annum septimum Caria & Rhodos terræ motu concussa est, ita ut colossus magnus rueret. Post annos item septem victi Iudæi & sexaginta millia armatorum à Romanis cæsi, Romanam redacti sunt in ditionem. Post annos tres Romani Marcello consule Syracusam capiunt.... Siciliam. Post annos septemdecim Romani Græcos liberos esse iusserunt, & universis Hebræis ita fecerunt. Postea per Antiochum regem Iudæi contra Romanos cœperũt rebellare, & ad idololatriam cogente Antiocho sunt conversi. Tunc Sacerdotes & duces Machabæi propter regem custodiendum surrexerunt, sicut scriptum est in lib. Machabæorum. Romani interfecto Seleuco rege Macedones tributarios faciunt. Descriptione Romæ facta inventa sunt hominum trecenta viginti duo millia. Oppius consul Gallos capit. Et Carthago in ditionem Romanam per Scipionem redigitur; habens, quod condita fuit annos septingentos quadraginta novem. Ptolomæus Demetrio filiam suam tradidit uxorem. Cum regnaret in Ægypto & in Ierosolymis super Iudæos, dedit Demetrio genero suo regnum quod abstulerat patri suo Antiochus rex. Antiochus rex filio Alexandro fratre Demetrii interfecto, ad extremum se interfecit. Bellum civile ortum est in illo tempore in Sicilia. Primus liber Machabæorum temporibus Antiochi scriptus est in Iudæa. Arsaces Parthus Antiochum interfecit. Servi qui in Sicilia rebellabant, obsidionis necessitate compulsi ad sua invicem cadavera devoranda conversi sunt. Arvernia tunc nobilis Galliarum urbs capta. Et rex Vetuetus iuxta Tule insulam igni est conflatus. Samariam urbem Herodes restaurans, Sebasten in honorem Augusti appellare voluit. Græci victi à Romanis subiiciuntur. In Sicilia bellum civile consurgit. Deprehenso Ptolomæo per matrem Cleopatram in Sicilia bellum civile quievit. Ptolomæus rex Cyrenæ moriens Romanos testamento reliquit hæredes. Seleucus ab Antiocho vivus exuritur. Antiochus in Parthos fugatur; Pompeio consuli se deinceps tradidit. Pompeius Syriam in ditionem redegit. Antiochus reversus de fuga regnum obtinuit. Plotius Gallus, Latinorum Rhetoricam docuit, sicut Cicero refert: pueris nobis primum latine dicere cœpisse Plotium quendam. Descriptione tunc Romæ facta, inventa sunt hominum quadringenta quadraginta quatuor millia. Voltacilius Plautus Pompei Consulis libertus doctor scholam Romæ primum invenit. Pompeius gloriosissime triumphavit.

Lucullus primus Imperator appellatus est, victa Armenia & Mesopotamia, & Nisibi cum fratre accepta Pompeius universam Hiberiam subiugavit. Lucullus *De primo Imperatore.* de Bessis triumphavit. Virgilius Maro in pago qui * Ædis dicitur, non procul à Mantua nascitur. Antiochia ab Assyriis capta. Aristobulus & Hyrcanus filii Alexandræ *Euseb. Andes.* contra se de Imperio dimicantes, occasionem præbuerunt Romanis, ut Iudæam invaderent. Pompeius Ierosolymam veniens, capta urbe & templo observato ad Sancta sanctorum accedit. Aristobulum vinctum secum adducit. Hyrcanum deinde Antipatrum Herodis Ascalonitæ filium procuratorem Palæstinæ fecit. Pompeius captis Ierosolymis, tributarios Iudæos facit. Pompeius secundus Imperator appellatur. Cæsar Lusitaniam & quasdam Insulas in Oceano capit. Cæsar Rhenum transiens Germanos & Gallos capit.

Postquam C. Iulius Cæsar primus Romanorum singulare obtinuit imperium, *De Iulio Cæsare.* Romanorum princeps appellatus est. Pompeius prælio victus fugiens, à spadonibus Alexandri regis occiditur. Ptolomæi cadauer cum lorica aurea in Nilo inuenitur. Cæsar in Ægypto regnum Cleopatræ confirmat, ob stupri gratiam. Cleopatra regio comitatu ingressa urbem, prohibet lecticis & margaritis uti. Antonius decernit Quintilem mense Iulium debere dici, quia in eo fuisset natus. C. Iulius Cæsar in Curia occiditur: corpus in rostro rumore concrematur. Romæ tres exorti Consules in eadem urbe fuerunt. Inter cætera portenta, quæ in toto orbe facta sunt, bos ad arantem in suburbano locutus, frustra se urgeri: non enim frumenta, sed homines brevi defuturos.

Romanorum secundus post Iulium singulare Octavianus assumpsit imperium, qui primum Augustus Cæsar appellatus est. regnavit annos LXII. menses *De Octaviano Cæsare.*

sex. Post quem Augusti appellati sunt reges Romanorum. Antonius adversus Cæsarem Augustum bellum movit. Falcidius tribunus plebis legem tulit, ne quis plus testamento legaret, quàm ut quarta pars hæredibus superesset. Trans Tyberim fluvium oleum terra erupit, quod tota die sine intermissione fluxit, significans Christi gratiam ex gentibus. Antonium superat Augustus Octavianus & interveniente Senatu, eum in gratiam recepit. Antonius Patritius contra Iudæos dimicans tandem occiditur, & regnum Iudæorum tunc fuit destructum. Herodes postea à Romanis constitutus princeps. Virgilius in Cappadocia moritur. Herodes à Romanis Iudæorum suscepit principatum. Cuius tempore Christi nativitate vicina, regnũ & sacerdotium Iudæi, quod prius per successionem Assamonæorum tenebatur, destructum est; completa prophetia, quæ ita per Moysen loquitur: Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux de femoribus eius, donec veniat, cui repositum est: & ipse erit expectatio gentium. In hoc loco etiam Christus, quem Danielis scriptura præfatur, accepit finem. Nam usq; ad Herodem, Christi, id est, Sacerdotes erant reges Iudæorum, qui imperare cœperunt * 165. Olympiade; & ab instauratione templi sub Dario usque ad Hyrcanum & CLXXXV. Olympiade; an. CCCCLXXXVII. in mediis an. transactis, quos Daniel significat, dicens: Et sciens & intelligens ab initio sermonem respõdendi & ædificandi Hierusalem, usq; ad Christi principatum, hebdomades VII. & hebdomades sexaginta duæ: quæ sexaginta novem hebdomadæ faciunt an. quadraginta quatuor. Herodes Antipatri filius nihil ad se pertinentem Iudæam ab Augusto & Senatu accepit: filiique eius post eum regnaverunt, usque ad novissimam Ierosolymæ captivitatem. Quæ omnia etiam Daniel propheta vaticinatur, ita dicens: Et post hebdomadas septem & sexaginta duas, peribit chrisma, & iudicium non erit in eo: & templum & sanctuarium corrumpet populus cum duce veniente: & cædentur in cataclismo belli. Et in consequentibus: Et super templum, inquit, abominatio desolationum usque ad consummationem temporis; & consummationem dabit super dissolutionem.

Gen. 49.

Dan. 50. Euseb. 95.

Dan. 9.

Dan. 7.

Herodes Ananælum quendam Pontificem Iudæorum instituit, & post exiguum temporis Aristobulum fratrem uxoris suæ, nepotem ..... successorem dedit, quo post annum unum interfecto, Ananælo reddidit sacerdotium.

Lunæ cursus tunc à Romanis inventus est.

Antonius Cleopatræ Arabiam tradit. Augusti & Antonii tertiæ dissensionis exordium fuit, quod repudiata sorore Cæsaris, Cleopatram duxit uxorem. Cleopatra & Antonius semet interficiunt, & ob hoc Ægyptus fit Romana provincia, quam primus tenuit consul Cornelius.

Tertio decimo anno imperii Octaviani, monarchiam habere meruit Cæsar Augustus; & ita appellatus est: à quo Sextilis mensis Augusti nomen accepit. Cum ingenti triumphorum pompa Augustus Romam ingressus est. Cleopatræ liberi Sol & Luna ante currum eius ducti. Augustus Romanis plurimas leges statuit. Censu Romæ agitato inuenta sunt ciuium Romanorum XLI. millia, centena & LXIV. millia. Hæc descriptio XIII. anno imperii Octaviani facta est. Augustus Calabriam & Gallos vectigales fecit. Munatius Plancus Ciceronis discipulus, orator insignis habetur: qui cum Galliam Comatam regeret, Lugdunum condidit.

De Augusto & Caio.

Anno XXIII. imperii Octaviani Tiberius, ab Augusto missus, occupauit Armeniam. Herodes ab Hierosolyma multas & magnas ædes cõstruit. Herodes Samariam olim, iam in cineribus sedentem, à fundamentis suscitans, in honorem Augusti Augustam, id est, Sebasten appellavit. Augustus Samiis libertatem dedit. In Cypro plurimæ civitatum partes terræ motu corruerunt. Germanos in arma versos Lollius superat. Augustus XXIX. anno imperii sui Caium adoptavit in filium. Tiberius Vindelicos, & eos qui Thraciarum confines erant, Romanas provincias facit. Herodes Cæsaream in nomine Cæsaris condidit. Antidonam & Antipatridam condidit: innumerabilia quoq; opera in singulis Syriarum urbibus, quas regnavit solertissime, ædificavit. Herodes Hyrcanum, qui olim sacerdos Iudæorum fuerat, de captivitate Parthica regressum, & filium eius, qui sacerdotio patris successerat, interfecit. Sororem quoq; eius uxorem suam cum duobus propriis filiis adolescentibus, & matrem uxoris occisæ socrum suam crudelissime necavit. Augustus Iuliam filiam suam in adulterio deprehensam damnat exilio. M. Tullius Tyro Ciceronis libertus, ipse primus notas commentus est. Herodes ad ea, quæ supra crudeliter gesserat, etiam hoc addidit, virum

ms. Vindeolis, & vindiculos. corrigo Vindelicos ex Euseb.

virum sororis suæ Salomæ interfecit; & cum eam alii tradidisset uxorem, etiam ipsum necat. Interpretes divinæ legis occidit.

Colliguntur omnes anni ab Abraham usq; ad Nativitatem Christi, an. duo millia quindecim. Tertullianus in eo libro, quem contra Iudæos scripsit, affirmat quadragesimo primo an. Augusti natum, & decimo quinto Tiberii esse passum. Augustus Tiberium & Agrippam in filios adoptavit. Iudas Gallilæus ad rebellandum Iudæos cohortatur. Herodes cum Christi Nativitatem Magorum indicio cognovisset, universos Bethleem parvulos iussit interfici. Herodes morbo intercutis, & scatentibus toto corpore vermibus, miserabiliter & digno moritur cruciatu. Augustus quinquagesimo quinto imperii sui anno, cum Tiberio filio suo censum Romæ agitans. Inventa sunt hominum nonaginta centena millia. Archelaus nono anno regni sui in Vienna urbe Galliarum moritur. Defectio solis facta. Augustus * septuagesimo sexto ætatis suæ anno Atellæ in Campania moritur, sepultusq; est Romæ in Campo Martio. Imperavit Tiberius annis XXIII. Germanicus Cæsar de Parthis triumphavit. Tiberius multos reges ad se per blanditias evocavit, nec remisit, quem attrahere potuit, & Archelaum Cappadocem, cuius regnum in provinciam erat versum, Agiacham novissimam civitatem Cæsaream appellare iussit. Tiberius Drusum consortem imperii fecit. Drusus Cæsar veneno periit anno XLVI. imperii Tiberii. Ioannes filius Zachariæ in deserto iuxta Iordanem fluvium prædicans Christũ filium Dei in medio eorum adesse testatur. Ipse quoq; Dominus IESVS Christus hic in principio salutarem iam adnunciat signis atq; virtutibus viam: vera comprobant esse, quæ dicerentur per Prophetas.

De Christo Salvatore nostro.
Tertull ad Iudæos cap. 8
al. nonaginta ter centena millia.

Computantur in præsenti an. id est, Tiberii Cæsaris XXXIV. à secundo anno instaurationis Templi, quæ facta est sub altero an. Darii regis Persarum, an. DXLVIII. à Salomone autem & prima ædificatione templi anni mille quadraginta. à Moyse & egressu Israel ex Ægypto anni mille octingenti novem. Ab Abraham & regno Nini & Semiramidis ann. duo millia quadraginta quatuor. à diluvio usque ad Abraham anni nongenti quadraginta duo. Ipse Christus filius Dei salutarem cunctis prædicans viam, miracula, quæ in Evangelio scripta sunt, facit. Iesus Christus filius Dei discipulos suos divino imbuens sacerdotio, ut universis gentibus conversionem ad Deum nuncient imperat. Ipse Christus filius Dei secundum Prophetas, quæ de eo fuerant prælocuti, ad Passionem venit anno Tiberii decimo quinto. Quo tempore etiam in aliis Ethnicorum commentariis hæc diversa scripta comperimus. Solis facta defectio, ita ut in tenebrosam noctem dies media converteretur; & stellæ apparerent. Bithynia terræ motu concussa est, quæ omnia his congruunt, quæ in Passione Salvatoris acciderant. Argumentum autem huius diei, quod Salvator isto anno passus sit, Evangelium præbet Ioannis, in quo scribitur XV. anno Tiberii Cæsaris tribus annis dominum prædicasse. In templo Ierosolymis subito erupit vox dicentium, Transmigremus ex his sedibus. Eodem anno Pilatus præses, secreto noctis, imaginem Cæsaris in templo statuerat. Hæc prima seditio & turbarum Iudæis causa. Ecclesiæ Ierosolymorum primus Episcopus ab Apostolis ordinatus est Iacobus frater Domini. Ex hoc considerandum, quantæ deinceps calamitates Iudæorum gentem oppresserint. Pilatus post supradictam seditionem, quæ ob Cæsaris imaginem fuit concitata, sacrum thesaurum, quem Corbonam Iudæi vocant, in aquæductum Ierosolymorum exposuit. Secunda seditio Iudæorum fuit anno XXII. imperii Tiberii. Agrippa filius Herodis regis accusator Herodis Tetrarchę Romam profectus à Tiberio in vincula mittitur. Pilatus de Christianorum dogmate refert, Tiberius senatui dicens, ut inter cætera sacra reciperent, præcepit. Tiberius per edictum accusasotibus Christianorum comminatus est mortem. Multi senatorum & equitum Romanorum interfecti. Tiberius in Campania moritur.

Quando passus sit Christus.
Confer cum Eusebio.

Romanorum 4. Caius imperavit an. 4. & menses 10. Gaius Cæsar cognomento Caligula Aggrippam vinculis liberatum, regem Iudæis fecit. Gaius semetipsum in Deos refert. Flaccus multos Iudæos calamitatibus premit, consentiente Alexandriæ populo. Gaius Mammii reguli uxorem duxit, impellens eum, ut uxoris suæ patrem esse se scriberet. Pontius Pilatus in multas incidens calamitates, propria se manu interfecit. Gaius Ierosolymam statuã suam sub nomine Iovis Maximi ponere præcepit. Plurimi nobiliũ à Gaio sunt interfecti. Gaius sorores suas, quibus stuprum intulerat, exilio condemnavit. Gaius omnes exules iussit interfici, Gaius à protectoribus suis in palatio occiditur, anno ætatis suæ 29.

de Caio Cæsare.
Mammii reguli. vel regentis exercitus. Ita enim Sueton. Calig. 25. Lolliã Paulinã C. Memio consulari, exercitus regenti nuptam &c. coniunxit sibi.

Romanorum V. CLAVDIVS imperavit annos XIV. menses IX. dies XXVIII. Iste est Claudius patruus Drusi, qui apud Moguntiam monumentum habet. Petrus Apostolorum auctor primus postquam Antiochenam Ecclesiam in Episcopatũ fui dasset;

Romam mittitur. Vbi Evangelium prædicans XXV. annis eiusdem urbis Episcopus perseverat. Marcus Evangelista interpres Petri Ægypto & Alexandriæ Christum annunciat. Primus Antiochiæ Episcopus ordinatus Euodius. Agrippa rex Iudæorum regnavit an. XXVI. post quem filius suus Agrippa à Claudio substituitur in regno. Fames ingens, quæ prædicta fuerat sub Claudio, toto orbe fuit. Claudius de Britannis triumphavit, & Orcadas insulas Romanorum subiecit imperio. Descriptio Romæ V. anno Imperii Claudii facta. Inventa sunt civium Romanorum LXIX. centena & LXIX. millia. Græcia eiusq; regna in provinciam rediguntur. Hierosolymis orta seditio, ut in portarum exitu corrueret: triginta millia Iudæorum perierunt. Claudius felicem Procuratorem in Iudæam mittit: apud quem Paulus Apostolus accusatur. Sub Felice Procuratore Paulo dicitur à tribuno, Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies congregasti & eduxisti in desertum quatuor millia virorum sicariorum? Claudius XIV. anno imperii sui in palatio, ætatis suæ LXIV. moritur.

De Nerone. Romanorum VI. regnavit Nero annos XIII. menses VII. & dies XXVIII. Huius avunculus fuit Caius Caligula. Felice regnante in Iudæa seditio in Cæsarea Palæstinorum orta est. Magna Iudæorum periit multitudo. Festus successit Felici, apud quem præsente Agrippa rege Paulus Apostolus religionis suæ rationem exponens, vinctus Romam mittitur, anno tertio Imperii Neronis. Terræ motus Romæ & solis facta est defectio. Nero Agrippinam matrem suam, & sororem matris suæ interfecit. Nero tantæ luxuriæ fuit, ut frigidis & calidis unguentis lavaretur, retibusq; aureis piscaretur, quæ purpureis funibus extrahebant. Iacobus frater Domini, quem omnes Iustum appellabant, à Iudæis lapidibus opprimitur. Cui Simeon secundus Episcopatum assumpsit. Ante mensam Neronis fulmen de cœlo cecidit. Thermæ Neronianæ ædificatæ sunt. Nero vt similidudinem Troiæ ardentis inspiceret, plurimam partem Romanæ urbis incendit. Duæ tantum provinciæ sub Nerone factæ, Pontus Ptolemaicus, & Alpes Coctiæ. Coctio rege defuncto multi nobilium à Nerone interfecti. Neroni in expensas centies centena millia, decreto Senatus, annua subministrantur. Nero cum cæteris Octaviam uxorem suam interfecit, Cornutum philosophum Persii in exilium relegat. Primus Nero super omnia scelera sua etiam persecutionem in Christianos facit. Petrus & Paulus gloriose Romæ occubuerunt: Petrus crucifigitur, & Paulus gladio capite truncatur. Iudæos tunc contra Romanos rebellantes, Vespasianus à Nerone transmissus, plurimas urbes Iudæorum capit. Nero cum à Senatu quæritur ad pœnam, à palatio fugiens ad V. urbis miliarium in suburbano liberti sui inter Salariam & Numentanam viam semetipsum interfecit, anno ætatis suæ XXXII. atq; in eo omnis Augusti familia consumpta est. *Suet. Ner. cap. 48.*

Post Neronem Galba in Iberia, Vitellius in Germania, Otto Romæ imperium administraverunt. Magister militum Fabius Quintilianus Romam à Galba perducitur. Galba VII. mense imperij sui in medio Romanæ vrbis foro capite truncatur. Vespasianus duobus præliis superat Iudæos. Otto III. regni sui mense apud* Vitriacum propria manu occubuit. Vitellius à Vespasiani ducibus occisus, in Tiberim proiicitur. *leg. Bebriacum.

Romanorum VII. imperavit Vespasianus annos novem, menses undecim, dies 22. Vespasianus apud Iudæam Imperator appellatus, & bellum Tito filio suo commendans Romam per Alexandriam proficiscitur. Tunc Iudæorum regnum finitum est. Titus Iudæam captam & Ierosolymis subversis sexcenta millia virorum interfecit, undecies centena millia fame & gladio ex eis periere: & centum millia captivorum publice sunt vendita: quia ex omni gente Iudæorum ad tempus Paschæ in urbe quasi carcere sunt reclusi. Oportuit enim in iis diebus Paschæ eos interfici, qui Salvatorem crucifixerunt. Colligitur omne tempus, in secundo anno Vespasiani & novissima eversione Hierosolymorum Ccxv. anni, Tiberii Cæsaris & ab exordio Evangelicæ prædicationis, an. XLII. à captivitate autem, quam ab Antiocho perpessi sunt, anni, CCXXXVIII. Porro à Darii secundo anno, quo rursum templum ædificatum est, anno DCLXI. A prima autem ædificatione templi, sub Salomone, usq; ad novissimam eius ruinam, quæ à Cæsare Vespasiano facta est, anno millesimo centesimo secundo. Vespasianus capitolium ædificavit. Germanos rebellantes superat, & Aventicum civitatem ædificari præcipit, à Tito filio suo postea expletur, & nobilissima in Gallia Cisalpina efficitur. In Alexandria facta est seditio. Colossus Romæ erectus habens in altitudine pedes CVII. quem in nomen & laudem victoriæ, quam in Germania fecerat, erexit. Vespasianus mortuus est profluvio ventris, in villa propria an. ætatis suæ LXIX.

Roma-

Romanorum LIX. Titus imperauit annos duos, menses duos. Titus filius Vespasiani in vtraq; lingua peritissimus fuit, & tantæ bonitatis, vt cum quadam die recordatus fuisset in cæna, nihil se cuiquam præstitisse, dixerit, Amici, hodie perdidi diē. Mons *Bibius in Asia subtus in vertice tantum eiecit incendium, vt regiones vicinas cum hominibus exureret. Titus amphitheatrum Romæ ædificauit, & in dedicatione eius quinq; millia ferarum occidit. Romæ Ecclesiæ secundus Episcopus Cletus an: XII. Titus vniuersam Galliam circuiuit, & Auentico ciuitatem, quam pater inceperat, expleuit, gloriose: & quod eam diligebat, ornauit. Titus Romam rediens morbo periit in ea villa qua pater suus.

Nomē montis huius mire variant. Georg. Cedren. Besbis. Silio Italico Vespius: alii Vesuius, Vesenus, Vesuuius. Vide Synonymiam Ortelii. De Vesuvii eruptione Sueton. Tit. cap. 8. Dio in Tito. Plin. Epist. ad Taci. De Domitiano Cæsare.

Regnauit DOMITIANVS an. XV. & menses V. Titi frater iunior fuit. Domitiani vxor Augusta appellatur. Domitianus eunuchos fieri prohibuit. plurimos Senatorū Domitianus in exilium mittit. Domitianus templum sine lignorum administratione construxit. Primus Domitianus Dominum se & Deum appellari iussit. Duos menses aliter appellari fecit; Septembrem, Germanicum; Octobrem, Domitianum. Domitianus plurimos nobiliū exilio damnauit atq; occidit. Domitianus de Dacis & Germanis triumphauit. Domitianus tantæ superbiæ fuit, vt aureas & argenteas statuas sibi in Capitolio poni iusserit. Domitianus multos nobilium perdidit, quosdam vero in exilium misit. Secundus post Neronem Domitianus Christianos persequitur: & sub eo Ioannes Apostolus in Pathmos insulam relegatus Apocalypsin scripsit. Domitianus rursus philosophos & mathematicos Romæ per edictum proscribit. Domitianus eos, qui de genere Dauid erant, interfici præcepit vt nullus Iudæorum regum reliquus esset. Domitianus in palatio occiditur, & per vespillones ignobiliter portatus sepelitur anno ætatis suæ *XXXVI.

al. 36.

Romanorum decimus regnauit Nerua an: I. menses IV. Senatus decreuit, vt omnia quæ Domitianus statuerat, irrita essent, & multi, quos iniuste eiecerat, de exilio sunt reuersi. Et Apost: Ioan: hoc tempore exilio solutus Ephe: secessit; in qua vrbe hospitiolum & amicos amantissimos habebat. Nerua morbo periit in hortis Salustianis anno ætatis suæ 72. cum iam Traianum adoptasset in filium. Traianus Agrippinæ in Galliis Imperator factus, natus in Hispania.

Romanorum vndecimus regnauit TRAIANVS annos XIX. menses VI. Decreto Senatus Nerua in Deos relatus. Ioannes Apostolus vsq; ad Traiani tempora permansit. Traianus de Dacis & Scythis triumphauit. Traianus victo rege Decibalo Daciam fecit prouinciam: Iberos, Sauromatas, *Ruinos, Arabes, Bosphoranos, Colchos in fidem accepit. Seleuciam, Ctesiphontem, Babyloniamq; occupauit. Romæ aurea domus incendio conflagrauit. Terræ motu quattuor vrbes Asiæ sunt subuersæ. Traianus aduersus Christianos persecutionē mouens, multos Christianos interfecit. Traianus Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam fecit prouincias. Traianus profluvio ventris extinctus est anno ætatis suæ *LXIV. mense IX. die IV.

al. Asriunas: quidā Croneos, quidam Hosdroenos nominant hic sunt qui Agarenos ex Dione legāt.

al. 63.

Romanorum duodecimus ADRIANVS in Hispania natus consobrinæ Traiani filius fuit. Adrianus Alexandriam subversam à Romanis, publicis restauravit expensis. Adrianus Traiani invidens gloriæ, de Assyria, Mesopotamia, & Armenia, quas ille provincias fecerat, revocavit exercitus. Adrianus Iudæos rebellantes capit. Senatus Traianum in Deos refert. Adrianus in utraq; lingua eruditus benigniter tributa urbium plurimarum relaxavit, *polepticis publicis incensis plurimos à tributis liberos fecit. Adrianus edictum dedit, sine obiectione criminum Christianos non condemnandos. Imperator Adrianus pater patriæ appellatur, & uxor eius Augusta. Adrianus bibliothecam miri operis extruxit. Iudæis rebellantibus Adrianus mittit ad reprimendum exercitum eorum: que rebellio finem accepit; & ita oppressi sunt, ut ex eo tempore etiam eis introeundi in Ierusalem sit licentia ablata. Primus ex gentibus Ierosolymis tunc constituitur Marcus Episcopus, cessantibus his qui fuerant ex Iudæis Adrianus morbo moritur sexagenarius.

al. Polemticis. Corrige tu has voces ex Dione & Spartiano qui de Syngraphis incensis multa.

Romanorum XIII. regnavit Titus, cui nomen ANTONINVS PIVS, annos XXII. menses *III. cum liberis suis Aurelio & Lucio. Antoninus pater patriæ appellatur. Antoninus Pius in villa propria XII. ab urbe milliario moritur, anno vitæ septuagesimo septimo.

al. mēses 4.

Romanorum XIV. regnavit MARCVS ANTONINVS annis XIX. mense uno: cum quo consortes fuerunt regni *Lucius Aurelius & Commodus. Hi primum æquo iure imperium administraverunt; cum usq; ad hoc tempus singuli Augusti fuerint. Lucio Cæsare Athenis sacrificante, ignis in cœlo ab oriente in occidentem ferri visus. Lucius

al. Lucius & Aurelius Commodus. Hic sollicite m.s. var. lect.

nota, propter ingentes dissensiones de nomenclatura horum Imp. de qua Baron. ann. 163.

** Capitolin. in Marco habet: in vehiculo.*

al. Pertinaci exercitu cum eo in Gothorum regione oppressus.

Cæsar de Parthis cum fratre triumphavit. Plurimi in Galliis gloriose ob Christi nomen interfecti. Lucius Imperator anno regni sui nono in Concordia apoplexia extinctus est, sedens cum fratre in * cubiculo. Pseudo prophetia quæ Cata-Phrygas nominatur, accepit exordium. Tanta undiq; tunc fuit inundatio gentium, ut totus Romanorum exercitus ad internecionem delectus fuisset. Imperator Antoninus multis adversum se nascentibus bellis sæpe ipse intererat; sæpe duces nobilissimos destinabat. Semel * pertinaciter exercitu confligebat in Gothorum regione; & oppresso pluvia divinitus missa est; cum è contrario Germanos & Sarmatas persequeretur imber. Christianis militibus fortiter deprecantibus ad extinguendam sitim illorum hoc fuit præstitum. Antoninus commodum filium suum consortem regni facit. Descriptiones iniquas in foro incendi iubet. Leges severiores integra emendatione instituit. Antoninus post victoriam in editione munerum mirificus fuit. Smyrna urbs Asiæ terræ motu ruit. Antoninus in Pannonia morbo periit.

Commodus.

Romanorum XV. regnavit COMMODVS annis XIII. Commodus de Germanis triumphavit. Commodus Imperator Colossi capite sublato suæ imagini caput iubet imponi. Commodus multos nobilium interfecit. Incendio Romæ facto, palatiũ, ædes Vestæ, plurimaq; urbis pars solo æquantur. Commodus strangulatus in domo Vestali moritur.

Romanorum XVI. Ælius regnavit menses VI. PERTINAX cognominatus: qui obsecrante uxore sua Augusta, ut filium suum Cæsarem appellaret, cõtradixit: sufficere, dicens, quod ipse regnaret invitus. Occiditur in palatio, IVLIANI iurisperiti scelere, quem postea Severus apud Milvium pontem interfecit.

Romanorum XVII. regnavit SEVERVS annos XIX. Severus Parthos & Avaros superavit. Severo imperante thermæ Severianæ Romæ factæ. Persecutio in Christianos facta. * Leonides gloriose martyrium accepit, CLAVDIO ALBINO, qui se in Gallia Cæsarem fecerat, apud Lugdunum interfecto. Severus in Britannos bellum transfert: ubi recepta maxima eiusdem provinciæ parte, murum per centum triginta quinq; millia à mari ad mare duxit. Severus moritur Eboraci in Britannia.

Romanorum XIIX. regnavit ANTONINVS cui nomen CARACALLA, Severi filius an. VII. Antoninus Romæ thermas sui nominis Antoninianas ædificavit. Tam impatiens fuit suæ libidinis, ut novercam suam Iuliam uxorem duceret. Antoninus interficitur an. ætatis suæ XLIV.

Romanorum XIX. MACRINVS regnavit anno uno. Interficitur in Archelaide.

Romanorum XX. regnavit AVRELIVS annis IV. impudicè. Romæ occiditur tumultu militari.

** Herodian. lib. 6. & Lampridius Artaxerxem vocant.*

Romanorum XXI. regnavit Alexander Mammeæ filius annis XIV. Alexander * Xerxem regem Persarum gloriosissime vicit. Thermæ Alexandrinæ Romæ ædificatæ. Alexander occiditur Mogunciæ, super Rheno fluvio, tumultu militari.

Romanorum XXII. MAXIMINVS an. quatuor. Maximinus primus ex corpore militari ab exercitu electus est Imperator. à Popione occiditur.

Romanorum XXIII. regnavit GORDIANVS. In palatio occiditur Gordianus, cùm de Parthis triumphavit, fraude Philippi Præfecti Prætorii. Philippus filium suum consortem regni fecit, primusq; omnium ex Romanis Imperatoribus Christianus fuit.

Regnante PHILIPPO millesimus an. Rom. urbis expletus est. Philippus nominis sui in Thracia urbem construit. Philippus senior Veronæ occiditur.

Romanorum XXIV. regnavit DECIVS anno uno mensibus tribus: qui in Pannonia inferiori natus fuit. Cum duos Philippos patrem & filium interfecisset, ob odium eorum, in Christianos persecutionem movet. Antonius monachus in Ægypto nascitur. Decius cum filio in Africa occiditur.

Romanorum XXV. regnavit GALLVS & VOLVSIANVS Galli filius an. I. mens. III. Gallus & Volusianus ab Æmiliano interfecti sunt.

Romanorum XXVI. regnavit VALERIANVS & GALLIENVS an. XV. Valerianus in Rhetia ab exercitu Cæsar appellatus est. Valerianus in Christianos persecutione cõmota statim à Sapore rege Persarum capitur, ibique servitute miserabili consenescit. Sapor rex Persarum Syriam, Ciliciam depopulatur Valeriano in Persas ducto. Sapor Rex, de dorso Valeriani semper equum ascendebat.

GALLIENVS firmatur in imperio. Germani Ravennam venerunt. Alamanni vastatum Aventicum pervenerunt, inæstimabili nocumento & plurimam partem Galliarum vastaverunt, indeq; in Italiam transierunt. Græci Pannoniam occupaverunt.

Germa-

Germani Hispanias obtinuerunt, etiam & Syriam incursaverunt, Francos in eorum habentes auxilio. Gallienus Mediolani occiditur.

Romanorum XXVII. regnavit CLAVDIVS annos XL. & menses* novem. Claudius Gothos, Illyricum, & Macedoniam vastantes superat. Claudius Syrmii civitate Pannoniæ moritur. *al. 8. l. frater ex Vopisco.*

QVINTILIVS Claudii* pater à Senatu Augustus appellatur. XVII. die Imperii sui occiditur.

Romanorum XXVIII. AVRELIANVS annos V. & menses II. Aurelianus, Tetrico apud Catalaunensem exercitum gubernante, Gallias recepit. Cenobia apud Emmaus non longe ab Antiochia vincitur, quæ, occiso marito suo, Orientis tenebat imperium: in qua pugna strenuissime apud eandem* pugnavit Pompeianus dux genere Francus, cuius familia usq; hodie apud Antiochiam perseverat. Cuius Pompeiani instantia maxima pars Asiæ ditioni Romanæ subiicitur: ex cuius stirpe EVAGRIVS charissim⁹ nobis presbyter descendit. Tetricus Aurelianum Romæ triumphantem & Cenobia præcesserunt. Aurelianus templum Solis ædificat, Romam firmiorib⁹ muris vallat. Aurelianus cum adversus Christianos persecutionem movisset, à fulmine occiditur.

Romanorum XXIX. regnavit TACITVS menses VII.

Quo apud Pontum occiso, obtinuit FLORIANVS imperium dies 89. qui apud Tharsum interficitur.

Romanorum XXX. regnavit PROBVS annos VI. menses IV. Probus Gallias à barbaris occupatas, ingenti virtute restituit. Probus Galliis & Pannoniis vineas habere permisit. Probus tumultu militari apud Syrmium in turri, quæ vocatur Ferrata, occiditur.

Romanorum XXXI. regnavit CARVS cum filio CARINO & NVMBRIANO. Carus fulmine est mortuus. Numerianus ob oculorum dolorem cùm lectica veheretur, insidiis Apri soceri sui occisus est, vix fœtore cadaveris post aliquot dies comperto scelere. Carinus in prælio victus apud Murgum occiditur.

Romanorum XXXII. regnavit DIOCLETIANVS an. XX. qui primò pro scelere generum suum interfecit. DIOCLETIANVS in consortio regni sui Herculium Maximianum adsumit: qui rusticorum multitudine oppressa, qui factioni suæ Baccaharidarũ nomen indiderunt, pacem Galliis reddidit. Carausius sumpta purpura Britannias occupavit. Narseus in Oriente bellum intulit. Achildis Ægyptum obtinuit. ob quæ Valerius Maximianus Cæsares assumuntur in regno. DIOCLETIANVS etiam affinitate coniungitur: & Constantius privignam Herculei Theodoram accepit, ex qua postea sex liberos Constantini fratres habuit; Gallerius filiam Diocletiani Valeriam; ambo uxores, quas habuerunt, repudiare compulsi. Carpotum & Basternorum gentes in Romanum solum translati. Primus Diocletianus adorari se ut Deum iussit: vestibus, calceamentisq; gemmas inseruit; cùm ante eum omnes Imperatores in modum iudicum salutarentur, & chlamydem tantum purpuream à privato habitu plus haberent. Post decem annos Britanniæ rebellantes, ab Asclepiodoro receptæ. Iuxta Lingonas à Cõstantio Cæsare sexaginta millia Alamannorum cæsa. Paulatim decimam illo tempore persecutionem adversus Christianos incipiens prælio Galerius superior, Narseo, uxoribus, ac liberis, sororibusq; eius captis à Diocletiano ingenti honore suscipitur. Thermæ Romæ à Diocletiano factæ. Diocletianus & Maximianus Augusti insigni pompa Romæ triumphaverunt. Nouendecim annis Diocletiano regnante quatuor* Sedum cum populo, eodem iubente subuersi sunt: secundo anno persecutionis Diocletianus & Maximianus Mediolani purpuram deposuerunt. Maximianus & Seuerus à Galerio Maximiano Cæsares facti. Constantius XVI. imperii sui anno diem obiit in Britannia.

Maximinus.

Romanorum XXXIII. regnauit CONSTANTINVS XXX. annos, menses decẽ. Constantinus Bizantium civitatem miræ magnitudinis ampliavit, & gloriose construxit: quam sui nominis Constantinopolim appellari iussit. Constantinus cum matre Helena Crucem Domini nostri Iesu Christi Hierosolymis invenit, effectusq; est Christianus ab Helena. Crux Domini Hierosolymis fabricatur & stabilitur. Constantinus per signum crucis omnes gentes superat. Severus Cæsar à Galerio Carnoti cum Galliam regeret, imperator factus. Galerius Maximianus moritur. Constantinus filius Constantini Cæsar factus. Herculius Maximianus à filia Fausta detectus, quod dolum Cõstantino viro suo pararet, Massiliam fugiens occiditur. Galerius Maximianus moritur. Crispus & Constantinus, filius Constantini & Licinius adolescens Licinii Augusti fi-

al. quem Crispus & Lactātius in erudiuit. Corrige hunc mendosum locum ex Euseb. Chron.

lius, Constantini ex sorore nepos: quem cum Crispus & Lactantius Latinis literis erudiuit, Constantinus filius Constantini Cæsaris & Liciniæ filius crudelissime interficitur. Edicto Constantini gentilium templa subversa sunt. Romani Gothos in Sarmatarum regione vicerunt. Constans filius Constantini provectus ad regnum. Constantinus cum liberis suis honorificas ad Antonium literas mittit. Constantinus extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicodemiense Episcopo baptizatus, in Arianum dogma declinat. Constantinus bellum parans in Persas in Aquiloni villa publica moritur, anno ætatis suæ LXI. post quem tres liberi eius Consules à Senatu appellantur Imperatores.

Hieronym. in Chron. Ancyrone. Vide Euseb. in vita Constant. 4. cap. 61.

Romanorum *XXXIV.* regnaverunt CONSTANTINVS CONSTANTIVS & CONSTANS annos *XXIV.* menses V, dies XIII. à quo multi nobilium sunt occisi. Sapor rex Persarum Mesopotamiam vastat: Nisibin obsidet. Dalmatius Cæsar quem patruus Constantin⁹, consortem regni filiis dereliquerat, factione Constantii patruelis & tumultu militari interimitur. Ex hoc loco impietas Ariana Constantii regis fulta est. Carceribus & variis afflictionum modis primum Athanasium Episcopum persecutus est...... iuxta Aquileam à se occiditur. Vario euentu aduersus Francos à Constante pugnatur. Multæ orientis urbes terræ motu horribili consederunt: Franci à Constante perdomiti; pax cum eis facta. Solis defectio. Bellum Persicum nocturnum apud Signera: victoriam, militum stabilitate, perdiderunt. Neq; vero ullus Cōstantium ex novem gravissimis præliis contra Persas bellasse acrius conspexit. Nam ut alia omittam, Nisibis obsessa, Nicea & Amida captæ sunt. A quatuordecim millibus militum, sexaginta millia victa & capta.

l. ge Constantinus iuxta Aquileiæ Alsam.

Ieronim. in Chron, Singarū in quo, victoriā, militum stolidi tate perdidimus.

MAGNENTIO apud Augustodunum arripiente imperium, Cōstans haud longe ab Hispania in castro cui Helenæ nomen est, interficitur an. ætatis suæ *XXX.* Quamobrem turbata rep. VETRANIO Mursæ, NEPOTIANVS Romæ Imperatores facti. Romæ populus adversus Nepotianum consurgit. Caput eius ablatum, multorumq; nobilium cædes interea fiunt. Magnentius Lugduni in palatio propria se manu interfecit. DECENTIVS frater eius quem ad tuendas Gallias Cæsar miserat, apud Senonas se laqueo suspendit.

GALLVS Cæsar sollicitatus à Constantio patruelem à quo in suspicione ob egregia facta habitus, occidit. Siluanus in Gallia res nouas molitur: xx. ix. die extinctus est. Eusebius Vercellensis Episcopus, & Lucifer ac Dionysius Caralitanæ & Mediolensis Ecclesiæ Episcopi, Pangratius Romanus presbiter à Constantio damnantur exiliis. Antonius Monachus cv. ætatis suæ anno moritur, solitus multis ad se venientibus de Paulo quodam Thebæo miræ beatitudinis viro referre: cuius exitum breui libello explicuimus. Saraceni in monasterium Beati Antonii irruerunt, Sarmatam interficiunt. Constantio Romam ingresso, ossa Andreæ Apostoli & Lucæ Evangelistæ à Cōstantinopolitanis miro favore suscepta. Paulinus Treverorum Episcopus in Phrygia exulans moritur. Gratianus qui post Imperator fuit, nascitur. Hilarius cum apud Cōstantinopolim librum pro se Constantio porrexisset, ad Gallias redit. Omnes pæne totius orbis Ecclesiæ, sub nomine pacis, & regis, Arianorum consortio polluuntur. Gallia per Hilarium perfidiæ dolos damnat. Constantius Mopsocrenis inter Ciliciam Cappadociamq; moritur, anno XLV. ætatis suæ.

Sunt verba S. Hieronymi in Chron.

Romanorum *XXXV.* regnavit IVLIANVS anno uno, mensibus octo. Iuliano ad idolorum cultum converso, blanda persecutio fuit, illiciens magis quàm impellens. Multi ex Christianis voluntate propria corruerunt. Iulianus in Persas profectus post victoriam à contrariis hostibus superatur; à suis conto ilia percussus interiit, anno ætatis suæ *XXVII.*

al. 22. quod corrigunt alii in 23.

Post quem Iovianus arripuit imperium, Romanorum xxxvi. Regnavit IOVIANVS mensibus 8. Iovianus necessitate compulsus, Nisibeum & magnam partem Mesopotamiæ Saxoni regi Persarum tradidit. Iovianus in castris moritur an. ætatis suæ xxxiii. Post quem Valentinianus tribunus scutariorum apud Niceam Augustus appellatus est; fratrem Valentem apud Constantinopolim in commune assumit regni consortium.

xxxvi. Romanorum, regnavit VALENTINIANVS VALENS ab Eudoxio Arianorum Episcopo baptizatus Christianos persequitur. Gratianus Valentiniani filius Arbianis Imperator factus. Apud Atrebates lana è cœlo pluuia mixta defluxit. Hilarius Episcopus Pictauiensis Pictauis moritur. Athanaricus Rex Gothorum in Christi persecutione commota plurimos interfecit. Eusebius Vercellensis Episcopus mo

Vale-

Valentinianus in Britannia antequam tyrannidem inuaderet oppressus est. Saxones cæsi Divione in regione Francorum consederunt qui superfuerunt.

In illo tempore Burgundionum LXXX ferè millia, quot nunquam antea nec nominabantur, ad Rhenũ descenderunt, & ibi castra posuerunt, Quasiburgo vocitauerunt, & ob hoc nomen acceperunt Burgundiones: ibiq; nihil aliud præsumebant, nisi quantum pretio ementes à Germanis eorum stipendia accipiebant. Et cum ibidem duobus annis resedissent, per legatos inuitati à Romanis vel Gallis qui Lugdunensium provinciæ & Gallia domita Cisalpina ut tributarii, publice potuissent renuere, ibiq; cum uxoribus & liberis visi sunt cõsedisse. Valentinianus subita sanguinis eruptione, quod Græci apoplexiam vocant, Brivione percussus moritur. *Vitiosus locus in vtroq; m.s.*

Post quem GRATIANVS assumpto in imperium Valentiniano fratre cum patruo Valente regnat. Valens legem dat vt monachi militarent: nolentes iussit interfici. Alamannorum XXX. circiter millia apud Argentariam oppidũ Galliarum ab exercitu Gratiani prostrata. Gens Hunnorum Gothos vastat, qui à Romanis, sine armorum congressione suscepti, per auaritiam Maximi ducis, fame ad rebellandum coacti sunt. Superatis in congressione Rom. Gothi funduntur in Thracia. Valens de Antiochia exire compulsus Christianos de exilio reuocat. Lachrimabile bellum in Thracia, in quo deserente equitum præsidio, Romanæ legiones à Gothis vsque ad internecionem cæsæ sunt. Ipse Imperator Valens cum sagitta saucius fugeret, & dolore nimio sæpe ab equo laberetur, ad cuiusdam villulæ casam deportatus est, quo persequentibus barbaris, & incensa domo, sepultura quoque caruit. Ab vrbe condita vsque ad extremũ huius operis, Anni fiunt M. XXXI. hoc modo sub regibus an. CCXL. sub consulibus anni CCCCLXIV. sub Augustis & Cæsaribus an. CCCCXVII. A XV. Tiberii anno, & prædicatione Domini nostri Iesu Christi: secundo anno Darii Regis Persarũ, quo tempore templum Hierosolymis restauratum est, anni nongenti sexaginta nouem. Ab Olympiade prima, qua ætate apud Hebræos Isaias prophetabat, anni 655. A Salomone & prima ædificatione templi, anni 1311. A Moyse & Cecrope, primo rege Atticæ, anni 1890. ab Abraham & regno Nini & Semiramidis an. 2314. A Diluuio autem vsq; ad Abraham supputantur anni 62212. & fiunt ab Adam vsque ad XIV. Valentis & Valentiniani iterum omnes anni 5588. Et quia deinceps varietatibus temporum, & incursionibus Barbarorum ita cuncta mixta sunt, gestorum veritas, quæ historiæ inseri possit, ad plenum reperiri non potest. *Recapitulatio. al. mille CXXXI. al. 427.* *al. 942.*

Idacius seruus Domini nostri Iesu Christi, vniuersis fidelibus in Domino Iesu Christo, & seruientibus sibi in veritate Salutem. *Conclusio libri.*

Probatissimorum in omnibus virorum studio, quos præcipue in fide Catholica & conuersatione perfecta testes veritatis diuini cultus docet assertio, hucusque à sancto Hieronymo, & ipso (sicute in capite istius voluminis præfatio prima declarat) cognomine Eusebio, Historia in aliquantis Hispaniarum prouinciis descripta retinetur. Cui si quid postea subdidi in locis, quibus decuit, certo styli studio declaratur. Verùm ad hæc ignarus, indignissimus omnium seruorum Dei IDACIVS seruus Iesu Christi Domini nostri, quæ sequuntur ab anno primo Theodosii Augusti, ut compareat, descripsi, brevi ante factæ præfationis indicio.

CHRONOGRAPHIÆ, EX IDACIO.

COLLECTORE QVODAM CAROLI MAGNI AEQVALI.

LIBER II.



ROMANORVM XXXVII. THEODOSIVS post Gratianum regnat annis XVII. Theodosius natione Hispanus prouinciæ Gallecię ciuitatis à Gratiano Augustus appellatur. Inter Romanos & Gothos multa certamina conseruntur...... Theodosius II. anno regni sui Augustus appellatur. III. regni Theodosii anno Athanaricus rex Gothorum Constantinopoli XV. die à quo à Theodosio fuerat receptus interiit. IV. regni Theodosii anno in fœda Romanis pace se tradunt. Martinus in Galliis Turonicæ Episcopus, & vitę meritis & patratis virtutum miraculis insignis habetur. Theodosius quinto regni sui anno ARCADIVM filium suum appellans, consortem regni sui fecit. In VI. regni Theodosii anno HONORIVS filius nascitur. VII. an. regni Theodosii Graotingorum gens à Theodosio superatur. XI. an. Theodosius regni sui Romam cum filio Honorio ingressus est, legesque Romanorum integra emendatione edidit. XIV. regni sui anno Valentinianus iunior, apud Viennam scelere Comitis Arbogastis occiditur. XVII. anno Theodosius Metropoli Mediolano defunctus est anno regni sui XVII. à Romanis in Ecclesia sancti Laurentii sepultus est.

Romanorum *XXXIIX.* Arcadius & Honorius filii Theodosii defuncto patre regnaverunt annis *XXX.* Anno octavo regni eorum Theodosius Arcadii filius nascitur. Anno undecimo regni Arcadii Martinus Episcopus Spiritu sancto plenus & vir Apostolicus transit ad Dominum carne deposita. Cuius vitam & mirabilia quæ fecit, edidit Severus, vir summus, discipulus ipsius, qui & Chronica, alia quàm hæc sunt, ab initio Genesis peritissime scripsit.

Anno *XV.* regni Arcadii & Honorii Alani, Wandali, & Svvevi Hispanias ingressi sunt tertio Idus Octobris. Honorio & Theodosio Arcadii filiis consulibus Alaricus rex Gothorum Romam ingressus. Cum intra extraq; urbem cædes agerentur, omnibus indultum est, qui ad Sanctorum limina confugerant. Opes conditas in urbe & substantiam Tyrannicus exactor diripit. Sed Placidii Theodosii filia, Honorii Imp. soror à Gothis in urbe capta est. Alaricus moritur; cui Ataulfus succedit in regno.

Anno *XVI.* imperii Honorii debachantibus per Hispanias Barbaris, pestilentiæ malo in urbe, etiam fames dira grassatur, ut humanæ carnes ab humano genere præ fame fuerint devoratæ; matres quoque necatis, & coctis natorum suorum sint pastæ corporibus. Peste occisorum, gladio, fame, pestilentia, bestiarum infestatione interimuntur homines. His quatuor plagis [ferri, famis, pestilentiæ, & infestationis bestiarum ubique in toto orbe sævientibus] prædicta à Domino per Prophetas suos annunciantes implentur. Anno XVII. Honorii regni Galliciam Wandali occupant, & Suevi in extremitate succedunt. Alani Lusitaniam & Catthaginensem provincias, Wandali cognomento Silingi Baeticas sortiuntur. Constantinus post triennium invasit tyrannidem & ab Honorii duce Constantio Narbonæ occiditur. Iovianus & Sebastianus tyranni ab Honorii duce Narbonæ interfecti.

Anno *XX.* imperii Honorii Aistulfus apud Narbonam, Placidiam duxit uxorem: in quo prophetia Danielis putatur impleta, cum ait, filiam regis Austrii sociandam regi Aquilonis, nullo tamen ex ea semine subsistente.

Anno *XXII.* imperii Honorii Ataulfus à Patritio Constantio compellitur, ut relicta Narbona, Hispanias peteret. A quodã Gotho Barcinona iugulatur: cui successit Wallia

al. Provinciæ Galliæ civitatis. Corrigo ex Zosimo lib. 4. natus Caucæ Galleciæ civitate. Scio à Marcellino in Chr. patriam eius vocari Italicam.

In fœdera Romanis paci Scalig. in Euseb. ex Chronico.

VIII. Scal.

al. Grantingorum. Groetingorum Scal.

Imo Theodosius Iun. ut Scal. observ.

al. Stere fort. austeritate ut aliqui legunt. vel authoritate Comitis Arbogastis.

XL. Scal.

XV. Sic Scal. edit.

Sunt autẽ de Martini obitu variantes sentẽtiæ. Sulpitius enim Severus in eius vita cap. 7. & 15. repugnare sibi videtur Gregorio Turonensis lib. X. Hist. Eccles. Pontio Attico & Fl. Cæsario Coss. obiisse putat. Tu vide Victorem Ciselinũ notis ad Severũ Sulpitium: vel potius D. Baroniũ Comment. in martyr. P. XI. Novemb. & Tomo 3. Eccles. Annal. an. Chr. 376. & Tomo 4. an. Chr. 402. Lectorum sedes migravit.

IIII. Id. Octob. Scal.

al. Aistulfo.

al. in Galitia occiditur. Vide Sozom. 9. cap. 13. Et Ortelii Thesaurum geograph. in Narbona.

Oros & alii Iovinum vocant.

VVallia in regno. Cum Patritio Constantio pax mox facta, Alanis & VVandalis cognomento Silingis, in Lusitania & Baetica sedentibus adversatur. Constantius Placidiam duxit uxorem. Fredibaldum, regem gentis VVandalorum, sine ullo certamine ingeniose captum, ad Imperatorem Honorium destinat.

Anno XXVI. Honorii regni, VVandali per Baeticam à VVallia plurimi sunt extincti. Alani adeò cæsi à Gothis, fortiter vallato Addacher rege ipsorum, pauci qui superfuerunt, oblito regni nomine, Gunderico rege Wandalorum, qui in Galliis residebat, se patrocinio subiugaverunt. Gothi sedentes in Aquitania Tolosam sibi sedem eligunt, à mari inter Rhenum & fluvium Rhodanum per Ligerim fluvium usq; Occanum possident. Walliæ regi eorum defuncto Theudericus succedit in regnum.

Anno XXVII. imperii Honorii inter Gundericum Wandalorum & Hermenricum Suevorum regem bellum ortum est. Suevi in Nervosis montibus à Wandalis obsessi. Valentinianus Constantii & Placidiæ filius nascitur. Wandali Suevorum obsidione dimissa, relicta Gallicia ad Baeticam transierunt. Honorius apud Ravennam Constantium consortem regni facit. Constantius Imperator Ravennæ moritur in suo tertio Consulatus anno.

An. XXVIII. imperii Honorii Castinus Magister militum magna manu in auxiliis Gothorum bellum Bæticæ Wandalis infert: quos cum ad inopiam obsidionis arctaret & tradere se pararent, inconsulto, publico certamine confligens, auxiliatorum fraude deceptus, Tarraconam victus fugit.

Trigesimo Honorius imperii an. Ravennæ moritur.

Romanorum XXXIX. Theodosivs Arcadii filius post obitum Honorii patruelis monarchiam tenens imperat tribus & decem annis. Theodosius Valentinianum amitæ suæ Placidiæ filium Constantinopoli Cæsarem facit; quem contra Ioannem Tyrannum mittit: is à ducibus suis Ravennæ occiditur. Felix Patricius coronatur. Valentinianvs Cæsar Romæ Augustus appellatur. Anno XVIII. Theodosii. Gundericus rex Wandalorum capta Hispali cùm insidias Ecclesiis intenderet, mox Dei iudicio correptus interiit.

Cui Gaisericus frater succedit in regno: an. uno regnavit. Gaisericus rex Wandalorum, cunctaq; eorum familia ex Mauritania in Africam transiit: interfecto Ermengario rege Suevorum, iniuriam Sanctæ Eulaliæ in eodem, etsi nolens, ulciscitur. Consederunt Wandali in Baetica an. LIV.

Septimo an. imperii Theodosii Aetius, Dux utriusq; militiæ. Suevi initam cum Gallis pacem libera sibi occasione conturbant.

Anno IIX. regni Theodosii Aetius, Dux utriusq; militiæ, Patricius appellatur.

Anno X. regni Theodosii Burgundiones qui rebellabant Romanis, a Duce Aetio sunt perdomiti.

Anno XIII. regni Theodosii ab Aetio Duce & Magistro militum, Burgundionū cæsa sunt viginti millia, Gothorum, qui eis auxiliaverunt, octo millia.

Anno XIV. regni Theodosii Suevi cum parte plebis cui adversabantur, pacis iura confirmant Emenricus rex Suevorum morbo oppressus Richilam filium suum substituit in regno, quem postea ad Baeticæ fluvium Gothi prostraverunt, auri argentiq; opibus occupatis. Carthago magna fraude direpta. Bellum Gothicum sub Theodorico rege apud Tolosam Litorius Dux Romanus inconsultius init, cùm auxilia Hunnorum manu magna irruerent: cæsis parte plurima suis, ipse vulneratus, à Gothis post dies paucos capitur & occiditur. Geisericus Rex Suevorum multas in sacerdotibus fecit strages. Richila Rex Suevorum qui Geiserico successerat, Emeritam ingreditur.

An. XVI. regni Theodosii, Richila Hispale obtenta Bæticam & Carthaginē capit.

An. XXIIII. regni Theodosii, Solis facta defectio. Richila Rex Suevorum Emeritæ gentilis moritur: cui mox filius suus Richarius succedit in regno. Agiulphum Gothum nobilem Hispali Cæsarius Comes iugulat. Richarius rex accepta in coniugium Theodora Gothorum regis filia, Vasconias deprædatur.

An. XXVII. regni Theodosius moritur Constantinopoli anno ætatis suæ XLIX.

Post quem XL. Martianvs à militibus [& ab exercitu, instante etiam Pulcheria sorore Theodosii, regina efficitur] & ipse sublimatur in regno, eamq; Valentinian? in coniugium assumpsit. Valentinianus & mater Placidia moriuntur Romæ. In Gallia terræ motu facto, tertia feria post Solis occasum, ab Aquilone plaga è cœlo ruens quasi ignis & sanguis efficitur.

Gens Hunnorum pace rupta in Gallias irruit: quos cum Aetius Patricius venien-

Paul. Diac. lib. 13. ponit Forū Cornelii & Ataulfus scribitur. *Dan. 11.* *Barcinone ait Oros. 7. c. 43. cum cuius chronologia noster cōvenit hic. Vide Barō tom. 5. an. 414.* *Fredidalum. Scal.* *al. vallati ad Dacher regem. Forte vallati à Dacher rege ipsorum.* *al. in Nervasis montibus obsidente à VVandalis.* *al anno 29.* *Paul. Diac. ait Romæ mortuum.* *XLI. Scal. col.* *Patrui Scal.* *An. XXIIII.* *Ioannis tyrannidem.* *De Ioanne Ravennæ occiso Socrat. 7. cap. 23.* *Ordinatur.* *Anno IV. regni Theodosii. Scal. c.* *Anno V. regnavit Gaisericus. Scal.* *NB.* *Hermericus ut Scal. & supr.* *a Richilda.* *Vide Baron. tom. 5. an. 439* *XLVIII. Scal.* *XLII. Scal.* *Commilitibus & exercitu instante etiam pulcherrimam sororem ... Reginam efficit ... Scal.* *Terræmotus ... fuerunt: Post ... occasum ad Aquilonem è cœlo rubens quasi ignis; ac ... sanguis efficitur. Sic ... edit.* *Theodoricū. Scal.*

tes comperisset, sanctum Anianum Aurelianensem Episcopum ad Theodorum regem Gothorum in legationem dirigit, petens auxiliare contra Hunos subsidium: & si superaret, mediam partem Galliæ Gothis daret. Cùm à Theodoro rege huius petitioni annuente auxilium fuisset promissum, Aetius legatos mittens ad Attilam regem Hunnorum, obviam petens auxilium contra Gothos, qui Gallias conabantur invadere: si prævalerent Hunni contra Gothos, medietatem Galliæ ab Aetio perciperent. Attila Rex cum Hunnis festinans & parcens civitatibus Germaniæ & Galliæ, contra Gothos super Ligerim fluvium, non procul ab Aurelianis confligit certamine. Cæsa sunt Gothorum ducenta millia. Theodorus rex hoc occubuit prælio. Cæsa sunt Hunnorum centum quinquaginta millia. Civitas Aurelianis orationibus beatissimi Aniani liberata est. Hunni repedantes Trecassis in Mauriacensi consederunt Campania. Thorsimodus filius Theodori, qui ei successit in regno, collecto Gothorum exercitu, patrem ulcisci desiderans, cum Attila & Hunnis Mauriaco confligit certamine, ibiq; tres dies utræq; phalanges invicē præliantes: & innumerabilis multitudo gentis occubuit. Aetius cum esset strenuissimis consiliis, per noctem ad Attilā veniens, dixit ad eum: *Optabile duxeram, ut tua virtute regionem hanc à perfidis Gothis potuissem eripere; sed nullatenus fieri potest: cum usq; nunc cum minimis pugnatoribus prælias: hac nocte Theodoricus germanus Thorsimodi cum nimia multitudine & fortissimis Gothorum pugnatoribus advenit: hæc non sustines. atq; utinam vel evadere possis.* Tunc Attila dedit Aetio decem millia solidorum, ut per suum ingenium Pannoniam repedaret. Ipsaq; nocte Aetius ad Thorsimodum perrexit, dicensq; ei causam consimilem: quod apud viles Hunnorum pugnatores usq; nunc pugnaverit; nam maxima multitudo & fortissimi pugnatores à Pannoniis ipsa nocte ad Attilam venerat, & audissent fratrem suum Theodericum maures Gothorum occupasse, regnumq; velle arripere: nisi festinus ad residendum pergeret, periculum adeò grande haberet. Acceptis idemq; Aetius à Thorsimodo XM. solidis, ut suo ingenio à persecutione Hunnorum liberati Gothi ad sedes proprias remearent: protinus abierunt. Aetius vero cum suis etiam Francos secum habens, post tergum duxerat Hunnorum, quousque Toringia à longe prosecutus est; præcepitq; suis, ut unusquisq; nocte, ubi manebat, decem sparsim focos facerent, ut immensam multitudinem simularent. Quievit hoc prælium Aetii consilio: Gallia ab adversariis liberatur. Postea cum à Thorsimodo regi & Gothis hæc factio perlata fuisset, requirente promissionem Aetii implendam; & ille renueret, per pacis iura orbiculum aureum gemmis ornatum, pensans libras quingentas, ab Aetio compositionis causa transmittitur Thorsimodo: & hæc iurgia quieverunt: quæ species devotissimè usq; in hodiernum diem Gothorum thesaurus pro ornatu veneratur & tenetur.

Thurismundus. Scal. — *Thurismundi.* — *Sustinebis. Scal.* — *Thurismundum.* — *Cum Mauris. fort. arcis Scal.* — *Periculum ad declinandum abiret. Scal. adires.* — *al. Turingia.* — *à Gothis.*

Anno tertio Principis Martiani Hunni in Italiam irruunt, eamq; deprædantur aliquantis civitatibus direptis, divinitus partim fame, partim morbo quodam, plagis cœlestibus finiuntur, iussu Martiani ab Aetio duce cæduntur, in sedes suas coacti revertuntur: & mox Attila moritur. Thersimodus Rex Gothorum à Theudorico & Friderico fratribus interficitur. Cui Theudoricus successit in regno.

al. secundo Scal. rectè.

Tertio regni Marciani Principis anno regina moritur Pulcheria. Aetius Dux & patritius fraudulenter Valentiniani Imperatoris manu propria occiditur.

Septimo regni anno Principis Martiani per duos Barbaros familiares Valentinianus occiditur. Post quem mox Maximianus ex consulibus, XLI. Romæ Augustus appellatur. Qui cum Imperator factus relictam Valentiniani sibi duxit uxorem. Maximianus quarto regni sui mense in urbe Romæ tumultu militari occiditur.

Quartò. Scal. rectè: Alii Maioranum vocant. — *Ex consulibus XLIIII.*

In ipso anno Avitus Gallus ab exercitu Gallicano, primo Tolosæ, dehinc apud Arelatum Augustus appellatus Romam pergit.

corrige: anno si de Maioriano intelligas.

Obtenta monarchia per Avitum Gallum, qui à Romanis evocatus & susceptus fuerat Imperator: Gaisericus sollicitatus [relicta Valentiniani & malam famam dispergit] priusquam Avitus Augustus fieret Romam ingreditur, ditatusq; opibus Romanorum, Carthaginem redit, relictam Valentiniani & filias duas & Aetii filium Gaudentium secum ducens. Legati à Martiano pro unanimitate mittuntur. Imperatori & sic Martianus & Avitus concordes principatu Imperii Romani utuntur. Svvevi Carthaginensium regiones quas Romanis reddiderant, deprædantur. Svvevi Tarraconensem provinciam vastant. Theudoricus rex post irritam fidem imperii in Svvevos legatos mittit, ut se à provinciis, quas invaserant, removerent. Consilio & consensu Aviti Imperatoris Theudoricus rex contra Svvevos movit exercitum & in Tarraconen-

Scio à quibusdam hic poni Maximum tyrannū, qui post duos menses peremptus: de quo fortè noster. — *Inita fide cū imperio ad Suevos leg. mittit: Scal.*

raconensem Campaniam super Vrbicam fluuium cum Richario rege Svveuorum cõfligit certamine; plurimisque Svveuis extinctis, ipse Rege placito in Gallicias fugaciter fecit adgredi, ipsoque in itinere Theudoricus cum Gothis qui in Hispania confidebat captiuitate vastauit, & multas diripit ciuitates; sanctasq; basilicas effregit. Richarius ad locum qui Portegale appellatur, profugus redit, à Theudorico captus ducitur & in custodiam redigitur. Svveui oblito regno se tradunt Theudorico, ibique Regnum eorum destructum est. Auitus Imperator legatum ad Theudoricum cum sacris muneribus mittit, nuncians in Corsica cæsa multitudine Wandalorum, Auitũ de Italia ad Gallias Arelatem secessisse. Orientalium naues Hispalim venientes per Martianum exercitum cæsum nunciant. Occiso Richario rex Theudoricus de Gallicia ad Lusitaniam venit. Svveui denuo regem Maldra sibi consecrant. Theudoricus Emeritam deprædari molitur. Auitus III. anno quam à Gothis & Gallis factus fuerat Imperator, Gothorum promissis destitutus & auxilio, caret imperio & vita. VII. anno imperii sui moritur.

ROMANORVM XLII. MAIORIANVS in Italia, & Cõstantinopoli LEO Augusti appellantur. Theudoricus aduersis sibi nunciis territus mox post dies Paschæ de Emerita egreditur, Gallias repetens; partem ex ea quam habebat multitudinem variæ nationis, cum ducibus suis ad campos Galliciæ dirigit: qui dolis & periuriis instructi, ad Svveuos, qui remanserant, iussam sibi expeditionem ingrediuntur, pace fucata solita arte perfidiæ. Nec mora: illis cedit multitudo Romanorum: sanctæ effringuntur Ecclesiæ, omnis ornatus & vsus aufertur, Episcopi & Clerici captiuantur, domus dantur incẽdiis. Agilulfus dum regnum Svveuorum sperat, Portugali moritur. Svveui in solitam perfidiam versi, Regionem Galliæ adhærentem fluuio Durio circa littora remanentes deprædantur. Gothicus exercitus duce suo Cyrola à Theudorico rege in Hispanias missus succedit ad Baetiam. Theudoricus duce suo Semnerico exercitus sui aliquantam partem ad Baeticam dirigit. Cyrola reuocatur ad Gallias. Svveui Lusitaniam cum Maldare rege & alii cum Richmundo Gallias deprædantur; Alxeroli ad Baeticam pertendentes. Maldras germanum suum nomine fratris interfecit, & Portogali castrum inuadit. Legati à Maioriano Augusto & Theudorico, pace inter se inita, ad Svveuos & Wandalos diriguntur.

Anno IV. regni Maioriani Maldras rex iugulatur mense Maio. Maiorianus Imperator Hispanias ingreditur, ad Carthaginensem prouinciam pertendens: naues ad transeundum aduersus Wandalos præparare iubet, quas Wandali subripiunt. Maiorianus Imperator sua ordinatione frustrata ad Italiam repedauit. Gothicus exercitus à Sunnerico & Nepotiano Comitib⁹ vertitur. Svveuos deprædantur. A Theudorico legati ad Svveuos veniũt: recurrunt à Theudorico legati ad gentes pace postulata, & obtenta, reuertuntur.

Anno V. Maioriani regni Gaisericus rex à Maioriano Imp. pacem per legatos postulat. Maioriano de Galliis Romam redeunte Romano imperio vel res necessarias ordinante, Richimerus Svveuorum consilio Sultus fraude interficitur.

Romanorum XLIII. SEVERVS à Senatu Romæ Augustus appellatur anno imperii Leonis quinto. Atrapenus Galliarum Comes & ciuis inuidus Ægidio insignis inimicus..... Gothorum fœderatur. Narbona traditur Theudorico. Mense Iulio in Galicia coruscatione villæ exustæ, & greges ouium concremati, carnes concisæ, pluuiæ de cœlo mixtæ cadunt: duo adolescentes carne inuicẽ solidati adhærentes sunt mortui. In Armenia prouincia Fridericus frater Theodorici regis insurgens cum his, cũ quibus fuerat, superatus occiditur. Luna XV. tunc conuersa est in sanguineam speciẽ. Luna V. Sol ab hora tertia vsque ad horam nonam obscuratus est. Vvandali per Marcellinum in Sicilia cæsi effugantur. Ægidius Comes veneno periit.

Romanorum XLIV. regnat ANTHEMIVS. Romæ Augustus appellatur. Anno octauo Leonis imperii expeditio ab Africa aduersus Vvandalos ordinatur. Per Theudoricum Salla legatus mittitur ad Remundum Regem Svveuorum; qui reuersus eum à fratre suo Theodorico nunciat esse interfectum. Gothi qui ad Vvandalos missi fuerant supradictæ expeditionis rumore perterriti reuertuntur. Conimbra ciuitas in pace decepta domibus destructis cum aliqua partem murorum, habitatores capti atque dispersi, & regio desolatur & ciuitas.

Anno II. Anthemii in medio Tolosæ ciuitatis sanguis erupit de terra, & tota die fluxit; significans Gothorum dominationem sublatam, Francorum adueniente regno. Exercitus Leonis aduersus Vvandalos cum tribus ducibus descendit. Richi-

al. Vrbeam. al. rege placato. locus corrupt⁹ est. Fertur Scal. al. Portugale. Portogale Scal. Profugus rex Scal. De Galliis. Aidra sibi constituunt. Qui à Vandalis & Gothis, & Gallis. XLIV. Se inconsulto exped. ingred. Scal. Illic ceditur Scal. Sacer ornatus Scal. al. Gallicia. Ad Theudoricum regem Scal. al. Sunerico. al. Gallicias. al. Æteli vocant; alii Verulos. Heruli Scaliger. germanũ Senomurfratrem interficiunt; & Portug. cast. invadunt. Scal. Pro pace inter se ineunda. Scal. Frustratus, Stalion repetit. Scal. Emittitur. Consilio fultas. Scal. Vide Marcellin & Cassiodor. Eũ interfecit. XLV. Alii vocant Atrabenum. Ares pennus Gallias comis & civilis. Sc. Fœdere Narbonam traderet. Th. Sc. In Gallia. Sc. Fame concisa. Scal. al. Mamonicana: Armoricana. Scal. XLVI. Scal. An. II. Leo. al. Renusmundũ. Remismundũ. Scal. al. supradicta expeditione Romanorũ. & Sc. Sed Romam ...it. Forte direpta ut supra.

Richemerus. Degradato socero ad pr. v. eum adegit, filius eius. sca.

meris gener Anthemii Imperatoris & patricius factus adfatim degradatum ad privatam vitam filio eius occiso. Aduersus Romanorum imperium conuenere Vvandali, consulentes Gothis, vt eodē tempore hostiū legatos deferentes, partē etiam Lusitaniæ deprædentur. Richimundo cum Svveuis ad Imp. transeunte. Durissimus extra solitū hoc eodem anno imber hyemis & æstatis, autumniq; fructuū mutatione diffunditur.

Gaiserici Scal. Bistoria vet. cod. Sed bifaria rectum. Hactenus editio Scaligeri. Vide deinceps Caroli Sigonii Chronica de occidentis imperio. Sequentia enim ut fabulosa magnā partē Ithacio indigna videntur. Eadem Aimo in lib. II. de gest. Franc.

Temporibus Imperatoris Honorii regnum Gothorum post captam Romam bifaria diuisione partitur; & qui in Italia consederunt, ditioni imperii se tradunt: reliqui Aquitaniæ prouinciæ, ciuitate Tolosa eligentes sedem, Regem eligunt Ataulfum: postea, vt supra gesta confirmant, à Gothis regnatum est. In his vero qui in Italia considentes, Romano pertinebant imperio, Theodoricus natione Macedo permissu Leonis Imp. principatum assumsit, sicut huius lib. gesta testantur. Nam ille alius Theudoricus Theodori regis filius natione Gothus fuit. Natiuitas Theodorici regis ex genere Macedonum ita fuit, qui in Italia Gothis & Roman. regnauit. Idacius patricius & vxor eius Eugenia cum sine liberis essent, & haberēt in ministerio creditum sibi puerum nomine Theodorum & puellam nomine Liliam: quos cum comperissent diligentes se, coniugium permiserunt copulare; erantq; ambo natione Macedones, vnde parui captiui erant adducti. Eugenia iussit puellæ cum ad viri coitum accesseris, quodcunq; eadem nocte sopore somnii visaueris, mihi in crastino narrare non sileas; quia creditur veritate subsistere, quod nubentes prima nocte visauerint. Qui cum coniugati eadem nocte fuissent, vidit puella somnium, quod nata illi fuisset arbor exiliens de vmbilico ventris tam excelsa, quod nubes penetraret. Narrauitque viro somnium, iussione dominæ suæ & visionem quam viderat: dixitq; ad eam vir suus, cum steteris in conspectu dominæ tuæ, eo quod sine liberis est, sic dices ad eam, Visaui hac nocte equum & equam, ambos pulcherrimos cunctorum & comam nimia pulchritudine habentes: sequebatur eos tertius equus paruulus eorum consimilis & ambulabant in domo dominorum meorum. Quod cum dixeris, inuenies gratiam in conspectu eius. Surgensq; Lilia, omnia sicut vir præceperat, protinus nunciavit dominæ suæ. Eugenia cum audisset viro narrat, putauerunt liberum esse futurum; repleti gaudio Theodorum & Liliam liberos esse iusserunt, & per tabularum scriptionem firmantes etiam rebus plurimis ditaverunt. Conceptum Lilia peperit filium nomine Theodoricum; qui diligenter nutritus est: Idacio & Eugeniæ præsentatur cum puero quem secum esse iusserunt, tanto eum amplectentes amore, ut ipsum sibi adoptarent in filium. Crescensq; puer decorus valde cubitum super aliorum staturam effectus est, prudens & fortis valde. Defuncto Idacio & Eugenia præcepto Imperatoris Leonis Theodoricus iussus est militare, duodecimq; an. militiam agens tantæ fortitudinis & ingenii prælia gessit, primum vt ab omnibus senatoribus palatii vehementer dil geretur. Post triennium sagaci inuidiæ morbo aduersus eum dolore fremebant, inuestigantes, quali iussu Imperatoris interiret. Ptolomæus quidam ex senatoribus huius consilii tacitus contrarius vehementer, cum Theodorico amicitias iniens, vsque diem obitus custodiuit. Gothi postquam Romam vastauerunt, & terram Italiæ possederunt, seditioni Imperatoris Leonis spontanei tradiderunt..... Vt ab Odoagro rege & Erolis & reliquis vicinis gentibus assidue vastarentur, per legatos Leonem Imperatorem postulauerunt, vt Theodoricum eis institueret patricium, vt per ipsum aduersariis resisterent. Quod Leo Imperator clementer annuens, cum consensu senatus Theodericū Romam direxit: qui à Romanis seu Gothis patriciatus honore gloriose susceptus est, & cum Herolis plurima prælia gessit. Nam quadam die cū apud Odoacrum regem & Herolos Theodoricus cum Gothis prælium concitasset, Theodericus fugiens cum suis Rauennam ingressus est: ibique mater sua Lilia obuiā veniēs increpans eum dixit, *Non est ubi fugias fili, nisi vt leuem vestimēta mea, vt ingrediaris vterum de quo natus es.* Quod ille audiens nimium confusus, cum suis quos potuerat reperire, plus mori volens quam viuere, obuiam Odoagro & Herolis exiuit. Qui cum eis imparatis & dispersis obuiasset, tandem cum paucis eos superat: resumptis viribus Gothi se colligentes persequuntur Odoacrum: quem cum vxore & liberis vinctum interfecit; gentemque & regnum Herolorum deleuit. Quod cum perlatum Leoni Imperatori fuisset, & senatus sæpius suaderet, vt Theudericum deleret, præcepit eū ad se venire: Theudoricus collectis secum vtilissimis pugnatoribus Gothorum, armatusque, vt qui nobilis erat vtrinque duodecim millibus tantum euectu nauali quasi obediens in occursum Leonis Imperatoris Constantinopolim venit. Amicus eius Ptolomæus nullo ingenio scire poterat, qualiter eidem res, quæ agebantur, narraret, nisi tantum in consilia prudentissime & subtili ordine, qui Theoderico erant contrarii

al. Postremum.

deſtruebat. Decretum Imperatoris Leonis & ſenatus erat, vt cum in palatium ingrederetur, à cunctis membratim & ſeparatus à ſuis interficeretur. Conſilio Ptolomæi amici ſui de hoc periculo liberatur; dicentis ad Imperatorem, non eſt utile gloriæ tuæ, vt homo ille ſic fraudulenter interficiatur, ne dictum ſit à ſuis qui cum eodem venerunt, quod non publice eum potuiſſetis interficere, niſi ingenioſe ſeparatum à ſuis. Sed iube eum vinctum tenere, & mittantur ſeniores Senatores ad caſtra Gothorum foris ciuitatem, narrantes eis, qui cum Theodorico venerunt offenſionem Theodorici & iram gloriæ tuæ, eo quod dignus eſt morte; ipſi decernāt vtrum capite truncetur, an beſtiis deuorandus tradatur. Cumque placuiſſet conſiliū Ptolomæi, tranſmiſſis quinque Senatoribus, qui præerant cæteris, & Ptolomæus cū ipſis hæc verba Gothis nuncianda. Ibique Ptolomæus ſecretiſſime mittens puerum, nuncians Gothis, vt cum ipſe & reliqui Senatores eis verba hæc narranda, accederent, eos Gothi cingerent & ligarent, imperatori mandantes, niſi dominum noſtrum Theodoricum viuum & ſaluum nobis redderet & ſacramentis firmaret incolumes nos cum ipſo remeare permittat, Senatores hos interficimus, & aduerſus ciuitatem hanc qua virtute poſſumus præliabimur. Quod cum conſilio Ptolomæi fuiſſet impletum, Theodoricus vinctus in palatio tenetur, & Ptolomæus cum ſociis itemq; vinctus ſub eiuſmodi ordine tenetur à Gothis. Vellet nollet Imperatorem Theodoricum ſanum Gothis reddidit. Inſuper promittens eum cum ſuis incolumem patriæ remeare. Saluatus Theodoricus conſilio Ptolomæi, regreſſus Romam Auaris bellum intulit; plurimæ ſtrages vtrinque factæ: Hunni Italiam inundantes Theodoricum & Gothos ſuperant, plurimas ciuitates Italiæ vaſtant. Tandem Theodoricus reſumptis viribus irruit ſuper Auaros, quos victos Pannoniam in fugam dirigit quos cū ſequeretur vt finibus in Pānoniæ non eſt auſus ingredi; ibiq; tum caſtra locauit, cum quatuor pueris in equis ſedentibus extra caſtra ſibi quintus egreſſus eſt, vt præuideret, ne forte Auari denuo aduerſus ipſum inſurgerent. Cum iam procul à caſtris eſſet, Auar, nomine Xerſes vtiliſſimus cunctorum ſingulis ad præuidendum Theodoricum, cum caſu ei obuiaſſet & à Theodorico conſpectus fuiſſet, miſſi à Theodorico tres viri bellatores, vt eum aut viuum caperent, aut interficerent. Quos Auar fugam fingens, ſingilatim interfecit. Denuo Theodoricus alios tres viros ad ipſum capiendum direxit, qui iterum ab ipſo interfecti ſunt. Poſtea Theodoricus ſingulare certamen cum Auaro iniuit; quem conto in brachium percuſſit: diutiſſime inuicem cum equis girantes, à Theodorico Auar ſuperatus eſt. Quem vinctum Theodoricus ſecum ducit ad caſtra: quem cum cognouiſſet fortiſſimum eſſe in bello, verbis & blanditiis ei ſuadebat, vt ſuo ſacramento fidem Theoderico promitteret, & eum poſtea multis muneribus Theodoricus ditaret. Quod Auar Xerſes nomine vehementer renuens, fidem promittere noluit, niſi ad terram ſuam cupiens remeare. poſtea minis & diuerſis afflictionibus à Theodorico coactus eſt: ſed tamen eius imperium denegans, fidem penitus promittere noluit. Cumque vehementer renueret, permiſit eum Theodoricus ad patriam remeare. Natans cum equo per fluuium Iſtrum, ait, Liberatus ſum ab dominatione tua: libero me arbitrio eſſe cognoſco: nihil ſuper me eſt tua poteſtas: reuertar ad te, eroque tibi fideliſſimus cæteris. Quem Theodoricus multis opibus ditans, cunctis dilectiſſimum habuit: & cum plura prælia cum Wandalis & Svveuis cæteriſque gentibus habebat, eum ſemper proximum & fortiſſimum præliantem ſuæ cuſtodiæ in agminibus cognoſcebat, ideoque à Theodorico vehementer dilectus eſt. Cumque vtilitas Theodorici & prælia quæ geſſerat, perlata ad aulam Imperatoris fuiſſent, Leo Imp. juſſit eum denuo venire, conſilio Senatus, vt tractatū perficerent, quem de ipſo inierant. Iuramento Senatores cōſtringit, vt huius cōſilii nullus proditor eſſet: & ſi quis agnitus eſſet, capite puniēdus eſſet. Tunc Theodoric⁹ dirigens ſecrete puerū ad Ptolomæū, inquirens quæ ſuæ utilitati proficeret; aut veniret, aut forſitā oporteret renuere. Ptolomæus his verbis ſecretiſſime dixit ad puerum, Nihil penitus Theodorico remando, hodie dies feſtus eſt, iuſſione Auguſti omnes Senatores in aula imperii diſcumbent ad prandium, tu vero ad inſtar pueri mei mihi ad dorſum obediens, diligenter attende, quod ad Senatum loquar fabulis, protinus reuertens nuncies ad eum qui te miſit. Quod cum puer ille huius eadem die obediret, diſcumbentibus Senatoribus ad prandium, dixit Ptolomæus, Lætus dies huius prandii ſit, iocundemus in fabulis. Cum eſſet Leo fortiſſimus beſtiarum, fuit electus à cunctis beſtiis rex, venientesq; cuncti in eius occurſum, cùm eſſet iam hora prandii, venit ceruus. Cum adoraſſet leonem, apprehendit cornu eius, vt ei ceruus eſſet ad pran-

Apologus de Ceruo.

dium: ille vehementer retrahens cornu amisit, cursuque veloci fugit in eremum. Iussu Leonis inter has bestias missa est vulpes, vt eum venientem subuerteret. Illa cum sit ingeniosa, artis suæ iuramentis non pauida sacramentis præuentum ceruum in conspectu Leonis adducit. Qui cum adorasset Leonem ab ipso Leone capitur, & membratim disrumpitur. Vulpes illa furtim ablatum cor eius comedit. Cor cerui ad manducandum inquirens leo & fremens vehementer: omnes bestiæ pauefactæ tremebant, eo quod cerui cor inuenire non potuissent, dixerunt, Vulpes quæ eum adduxit, ipsa proximior cunctis fuit, quando disruptus fuit, illa furata est cor eius. Apprehensa cùm esset in pœna & quæreretur ab ea, vt redderet quod furauerat, dixit, Sine culpa pœnas patior. Ceruus ille non habuit cor: nam si cor habuisset, ego ei præualere non potuissem, nec huc vnquam venisset, primum amisso cornu vix tandem euasit; quo pacto cor habens hic reuerti potuerat. Puer ille diligenter audiens memoria retinens, Theodorico velociter narravit consilium Ptolomæi: iterum Theodoricus de periculis liberatur. Post hæc remanens ditioni Imperii cum summa felicitate XXV. annis cum Gothis regnavit. Fiunt omnes anni quibus Theodoricus regnum tenuit in Italia, triginta duo. A finibus Pannoniæ vsq; ad Rhodanum fluuium: a Tyrreno mari vsq; alpes, Penninas & Isera fluuium. Vnum tantum modium plenum terræ annis singulis ærariis publicis soluebat, vt diceretur, Theodoricus rex modium plenum ærariis per singulos annos reddet publicis, decretum imperii, vt amplius ei nullo tempore quæreretur. Ciuitates vniuersas quas regebat, miri operis restaurari & muniri solertissime fecit. Palatia quoq; splendidissima Rauennæ vrbis, Veronæ & Papiæ cui Ticinum cognomentum est fabricari iussit. Tantæ prosperitatis post regnum tenuit, pacem cum gentibus habens, vt mirum fuisset. Cum filiam SIGISMVNDVS rex Burgundionum habuit vxorem.

Aimoin. modium numerum explicat lib. 1. cap. 10.

Quadam vice Clodoueus rex Francorum & Alaricus rex Gothorum, qui sedem Tolosæ habebat, post multa prælia quæ inuicem gesserunt, intercedentibus legatis cùm pacem inire cœpissent huius conuenientiæ, vt Alaricus barbam tangeret Clodouei effectus patrinus, perpetuam ad inuicem pacem seruarent, & ad huius placita conuentionis nec Francus nec Gothus armatus penitus accederet. Statuentes diem ad locum designatum ad inuicem; ibiq; legatus Clodouei Paternus nomine ad Alaricum accessit, inquirens vtrum eo habitu Gothi sine armis quod spoponderant, placitum custodirent; aut forte more solito, vt post probatum est, mendaces apparerent. Cum loqueretur Paternus cum Alarico rege, nuncians salutem Clodouei; & diligenter inquirens, quo ordine deberent coniungere, Gothi fraudulenter buxos pro baculis in manu ferentes. Apprehensum vnum ex his Paternus extrahit dicens, Mendacia tua placita sunt, rex, vt fraude coneris cum tuis Gothis dominũ meum & Francos decipere. Accepto placito cum Alarico spondens Paternus pro Francis ad iudicium Theodorici regis Italicæ, huius rei terminus fieret. Ibi legatus Alarici regis & Paternus directus à Clodoueo ad conspectum properant Theodorici. Exponens per ordinem Paternus causam Clodoueo & Francis quod legatus Alarici denegare non potuit, nisi tantum petens, vt iudicium Theodorici finiretur. Cogitans in semet ipso Theodoricus huius causæ euentum & futuris temporibus quæ oportebat obliuioni non tradens, zelum aduersus hos duos reges retinens, dicens, His legatis in crastinum, quod attentius huius rei pro pacis concordia vt iustitiæ ordo popsocerit, cum senioribus palatii pertractare potuero, fratribus meis cum integra dilectione & amore profuso mandare non sileo: tractansq; in arcano cordis quod iam olim celauerat, cupiens hos duos reges ad inuicem semper esse discordes, tale inter eos demum iudicium terminauit, vt difficile Gothis, quos Alaricus regebat huius culpa compleretur; vt veniret legatarius Francorum sedens super equum, contum erectum tenens manu ad aulam palatii Alarici, & tamdiù Alaricus & Gothi super eos solidos iactarent, quousque legatum & equum & acumen conti cum solidis cooperirent. Renunciantes legati Alarico protinus, quod Theodoricus huius rei terminasset iudicium. Et cum esset difficile hæc Alarico & Gothis supplere, volentes fraude Paternum legatum Francorum decipere, qui in solario, misso per noctem quod suppositum erat, ruens fracto brachio vix tandem euasit. Ducensq; eum Alaricus in castrum, suos ostendens thesauros, cum sacramento dicens; amplius solidos non habere, quàm ad præsens arcis plenis ostenderit. Vbi Paternus vnum solidum de pugno extrahens suo proiecit dicens, His solidis sit arrabo ad partem Domini mei Clodouei regis & Francis. Reuertens ad Clodoueum narrans per singula. Clodoueus aduersus Alaricum arma cōmouet,

al. Vxos. Aimoin. vocat ferreum ostij obicem lib. 1. cap. 20.

uiet, quem in Campagnia-Nodauensi X. ab vrbe Pictaua milliario interfecit, & maximam partem exercitus Gothorum ibi gladio trucidauit, regnumq; eius à Ligeri fluuio & Rhodano per mare Tyrrhenum & montes Pireneos vsq; Oceanum mare abstulit, quod hodieq; ditione condigna permanet ad regnum Francorum.

THEODORICVS cum Papam Romæ Apostolicum virum IOANNEM sine culpa morte damnasset, & Symmachum Patritium nullis causis existentibus itemq; trucidari fecisset, ira percussus diuina, à germano suo Gaiserico interficitur. Fertur in dialogis..... sancti Gregorii à quodam sacerdote visibiliter ab ipso Pontifice & Patricio Theodoricus vinctus trahi in Siciliam in ollam ignis. *Greg. dial. lib. 4. cap. 30.*

CROCVS rex Wandalorum cum Svveuis & Alanis egressus de sedibus Gallias appetens, consilio matris nequissimo utens, dum ei dixisset, Si nouam rem volueris facere & nomen acquirere; quæ alii ædificauerunt, cuncta destrue, & populum quem superas, totum interfice: nam nec ædificium melius à prædecessoribus facere potes neque plus magnam rem per quam nomen tuum eleues. Qui Rhenum Moguntiæ ponte ingeniose transiens, primum ipsamq; ciuitatem & populum vastauit: deinde cunctas ciuitates Germaniæ vallans, Metis peruenit, ubi muro ciuitatis diuino nutu, per noctem ruente, capta est ciuitas à Wandalis. Treuerici vero in harenam huius ciuitatis quam munierant, liberati sunt. Post hæc cunctas Gallias Crocus cum Wandalis, Svveuis, & Alanis peruagatus, alias obsidione deleuit, aliasq; ingeniose irrumpens vastauit. Nec vlla ciuitas, nec castellum ab eis in Galliis liberatum. Cumq; Arelatum obsiderent Crocus à Mario quodam milite captus & vinculis constrictus est. Qui ductus ad pœnam per vniuersas ciuitates, quas vastauerat, impiam vitam digna morte finiuit. Cui Trasemundus successit in regno. Alemanni aduersus Wandalos arma commouent. Vtrique consentientes ad singulare certamen præliandum duos miserunt. Sed ille qui à Wandalis missus est, ab eo qui ab Alemannis, superatus. Victusq; est Trasemundus & Wandali. Et secundum placitum Trasemundus cum Wandalis, Svveuis, & Alanis, Galliis prætermissis, Hispanias appetiuit, ibique multos Christianorum pro fide Catholica interfecit. Post paucum temporis mare traducto in Mauritaniam, credo diuino nutu, fera ducente cum Wandalis transuadendo transiuit, vt fertur, mare, vbi septem millia passuum latitudinem esse scimus. Mortuo in Mauritania Trasemundo Hynericus mente crudelior Wandalis successit in regnum terram totam occupans, nimias strages in Christianos exercuit, conciliante Cyrola Hæreticorum Episcopo, cuius persecutione plurimi de numero Christianorum martyrii palma sunt coronati. His diebus Eugenius & Vindemialis Episcopi miras virtutes in Christi nomine ostendebant, etiam mortuos suscitabant. Cyrola quendam hominem præuentum datis quinquaginta aureis, suasit vt se cæcum fingeret & clamaret coram Honorico rege, Cyrolæ virtutibus lumen se accipere, quo facto Cyrola cæcus efficitur. Postea oratione Eugenii lumen recepit. Instigante Cyrola ab inuidiæ morbo, Honorico iubente Eugenius capite truncatur. Longinus & Vindemialis diuersis pœnis afflicti pro Christi nomine ad æternam migrabant beatitudinem. Honoricus merito exigente propriis se morsibus laniauit, indignā vitam iusta morte finiuit. *Isid. ait Trāsimūdo successisse Hilderīcum filium Hunerici ex filia Valentiniani Imp.*

Cui Childericus successit in regno. Ipso defuncto Childemerus regnum suscepit, apud quem Belisarius fortissime dimicauit. In quo regnum Wandalorum finiuit. *Giligmerom vocant alij.*

Iustinianus priusquam temporibus Iustini Imperatoris regnum assumeret, cum esset Comes castrorum, & Belisarius Comes Stabularius, erant inuicem nimia dilectione complexi, iurantes sibi, quantum cuiusquam ex his causa proficeret, parem sibi semper fidem seruarent. Cum quadam die inter duas germanas de lupanari electas ex genere Amazonas sibi concubitum meridie sub quadam arbore in pomerio senior Antonia cum Iustiniano distribuisset, Iustiniano sopore depresso illi declinans caput eius incaluit. Veniens aquila diuino nutu eodem dormiente, calorem solis extensis alis obumbrabat. Quod cum Antoniæ vigilanti fuisset repertum, sperans hoc signo Iustinianum imperium assumere, expergefacta à somno dixit ei, Si Imperator effectus fueris, erit digna ancilla tua tui concubitu. Et ille subridens, reputans se difficile hoc esse honore dignum, dixit ad eam, Si Imperator effectus fuero, tu mihi eris Augusta. Commutatisque ad inuicem annulis ait Iustinianus ad Belisarium, Scias inter me & Antoniam placuisse, Si ego efficior Imperator, ipsa sit mihi Augusta. Annulis enim commutatis hoc fœdus iniuimus. Dixitque Antonina, Si soror mea tibi Augusta, ego Belisario matrona efficiar.


Dixitque Belisarius diuino nutu, Si Antonia Augusta efficitur, tu stratus mei matrimonio sociaberis: itemque anulis cõmutatis abierunt. Nec multo post tempore Iustinus Imperator bellum in Persas mouit; qui cum Chalcedonem transisset, morbo periit. Consensu itaque Senatus & militum eleuatus est Iustinianus in regnum, oppresso rege Persarũ, cum vinctum eum Iustinianus teneret in cathedra quasi honorifice sederet iussit, perquirens ab eo ciuitates & prouincias reip. restituendas, quo facto pactionis vinculum firmaret. Et ille respondebat, Non dabo. Iustinianus dicebat, Da eas. Ab hoc loco vbi hæc acta sunt, ciuitas nomine Darea fundata est Iustiniani iussu, & vsque in hodierum diem hoc nomine nuncupatur. Post receptas prouincias & ciuitates plurimas quæ à rege Persarum huiusmodi ordine Iustinianus suæ ditioni assumpserat omnibusque firmatis, permisit eum in Persia regnum recipere. Reuertens Iustinianus cum magno triumpho, Constantinopoli sedem tenuit imperii. Antonia sumptis secum quinque aureis, duos dedit ostiariis, à quibus permissa est introire palatium, tres vero dedit tenentibus velum, vt suam causam permitteretur suggerere Imperatori, dicens ad Iustinianũ. Clementissime Imperator, iuuenis aliquis in hac ciuitate dedit mihi annulum in sponsalem arram, & meum sibi accepit, promittens & sacramento firmans, aliam se non accepturum, sed me habiturum vxorem. Dilatatur hæc causa. Et illa, Iube, inquit, piissime Imperator, vt fiat. Dixitque Iustinianus; non licet hanc promissionem, si facta est, mutare. Tunc porrigens annulum, Dominus, inquit, cognoscat, cuius fuerit annulus iste: & quis eum mihi dederit, te latere non potuit. Cumque cognoscens Iustinianus annulum quem dederat, recordatus fuisset suæ promissionis, iubet eam in cubiculo intromitti, vestibusque indui splendidissimis, suoque stratui in nomine Augustæ sociauit. Quod cum perlatum fuisset in populo factione senatus, vulgus clamitat, Domine Imperator redde mulierem nostram. Quod Iustinianus audiens, diligenter inquirens initium factionis huius, duos ob hoc verbum Senatores interfecit. Omnes quieuerunt in posterum, nec quisquam audebat exinde verbum proferre. Accepit & Belisarius Antoninam vxorem. Cum vnico amore Iustinianus diligeret Belisarium, & eum Patricium partibus Africæ, quæ à Wandalis fuerat occupata, instituisset, eumq; multis opibus assidue ditaret, quærebant Senatores ob inuidiam, quo pacto eum perdere potuissent, dicentes Iustiniano, vnanimiter ingredientes, singilatim ad eum, Si Belisarii consiliis voluissemus succumbere, iam olim ab Imperio fuisses degradatus. Ipse disponit vt tibi succedat in regno. Quod ille audiens, tacite aduersus Belisarium zelum ducens, cum consilio senatus iubet eum ab Africa Wandalos expugnare. Ibi fortissimi viri & multæ legiones militum à Wandalis sepe fuerunt trucidati. Belisarius habuit pueros proprios XII. millia quos propriis stipendiis alebat, & viros fortes ad pręliũ & de patriciatu XIIX. millia præliatores viros qui procedebant ad bellum. His auditis Belisarius cum arbitraretur impossibile, Wandalos superare se posse graui mœrore perterritus ad propria remeauit. Cumque eum Antonina afflictum & mœrentem vidisset, & non posset cognoscere quæ hæc esset afflictio, solicite à pueris requisiuit: nec quisquã ei hanc rem indicare poterat dum omnibus illis esset incognitum. Reuertens ad ipsum, dixit, Domine mi, quare mœrore deprimeris, & more solito veniens de imperio non lætaris? ne forte aliquid sit offendiculi. Indica mihi huius causæ euentum, forsitan ancilla tua dabit tibi consilium oportunum, vt vertatur mœror in læticiam. Dixitque Belisarius ad eam; hæc caussa consilia mulierum non poscit, nec quicquam est tecum in hanc rem vtile. Illa vero cum esset Christiana narrat viro suo dicens, scriptum est: Saluabitur vir infidelis per mulierem fidelem. Indica mihi, quæ sit ista conditio. Credo de omnipotentis Dei virtute vt detur tibi consilium diuina inspiratione, vt possis dies malos euadere. Belisarius hæc audiens narrat vxori decretum Imperatoris esse, vt contra Wandalos iret ad bellum. Dixitque Antonina ad eum. Voue, te deinceps baptizandum, & Christum Dominũ & Trinitatẽ inseparabilẽ crediturũ fideliter: atq; illius virtute & solatio Wandalos superabis, & eris ob hoc gloriosior quã fuisses. Quod Belisario deuotissime se impleturũ promittẽte, dixit ad eũ Antonina. Duodecim millia puerorũ quos proprios habemus, de illis adhibe tecum quatuor millia & XIIX. patriciatus tui pugnatores adhibe tecum XII. millia. ibis cum eis terreno exercitu, & ego de pueris octo millia, & ex militibus sex millia: vado euectu nauali, & statuta die pariter vndiq; circundemus castra Wandalorum. Diuino protecti auxilio superabimus eos. Domine mi, si vsus fueris consilio ancillæ tuæ, prouidentia Dei optata perfi-

Belisarij uxorem Antoninam Vocaiam, testis Procopius.

1. Cor. 7.

perficies,qui nobiſcum in domo ſunt vt non te cognoſcant mœrentem,quid corde re tineas hilari vultu ſignifica. Cum vero tu terrenũ, & ego maris iter arripimus, ſignum daturi inuicem, noctis tempore focos tui in littore faciant, & nos lucernas in nauibus erigemus cauſa ſignificandi aduentus noſtri. Nec oportet quenquam vrgere, ſed pariter phalanges vtrinque circũdemus inimicorum. Cum fuiſſet conſilium huius rei Antoninæ vtile vterque ſic properant. Vvandali & Gildimer eorum princeps comperto exercitu terreno, naualę prælium poſt tergum penitus ignorantes, caſtra metantur ſuper litore maris, liberis & mulieribus dimiſſis contra Beliſarium procedunt ad bellum. Cum iam prope conflictum adeſſent certaminis, Antonina cum ſuis exiuit in litora, omnesque liberos & mulieres Vvandalorum deleuit, nec animal aliquod ex illis viuere permiſit. Nuncius velociſſime ad Gildimerem peruenit, vxores & liberos Vvandalorum fuiſſe deletos. Gildimer & Vvandali deſtructa phalange prælii retrorſum curſu veloci pergunt ad caſtra. Tunc Beliſarius & Antonina vndique circundatos Vvandalos trucidant, & vſque ad internecionem deleti ſunt. Gildimer rex cum paucis duodecim tantum Vvandalis in quoddam caſtrum tutiſſimum fugit, nec tamen liberatus eſt, coarctatus anguſtiis Gildimer petebat Beliſarium tantummodo non ligatum Imperatori ſe preſentari. Beliſarius promittens nec ligno, neque corrigia, nec æris ligamine eum conſtringendum. Gildimer credens à Beliſario captus eſt, regali tamen ligamine, hoc eſt cathena argentea eum conſtringit, ſocioſque ſuos interfecit: Illum tantum ſingulum Iuſtiniano præſentauit, quem Iuſtinianus in palatio habitare iuſſit ſuo. Sed à ſuis exputus aduerſis opprobriis opprimebatur grauiter, petenſque Imperatorem, Non poſſum, inquit, tanta opprobria ſuſtinere: expuunt enim me & premunt habitatores palatii tui: melius eſt mihi mori quàm viuere. Si iubeas, qui me expuunt & oppriment, duodecim ex his, & ego ſolus cum equo quem habui ante conſpectum gloriæ tuæ armati accedemus ad prælium; & cognoſces cuius ex nobis ſit virilitas an ignauia. Quod Iuſtinianus annuit & pro ſpectaculo contra duodecim iuuenes huius prælii Gildimer cum equite iuſſit confligere. Gildimer verò cùm contra eos aggreditur, fugam fingens, hos duodecim ſingilatim ſolus interfecit. Poſt hæc IVSTINIANI iuſſu Gildimer eunuchus fit, & in prouincias contra Perſas vicinas Patricius ordinatur & multa prælia & victorias contra Perſas egit. Senatus adverſus Beliſarium denuò inuidia vrente, IVSTINIANO eum faciunt odioſum, quod ille victoria ſuper WANDALOS elatus imperium vellet arripere. De Patriciatus honore degradatur, cum non potuiſſent perficere, vt interficeretur. IVSTINIANVM ab honore imperiiq; dignitate conantes eiicere factione quadam die IVSTINIANVM hortantes, vt circum expectaret & conſulatum populo daret; electum quendam nomine FLORIANVM volentes imperio ſublimare. IVSTINIANVM itaq; cuſtodia cingulum retinentes, eiuſquê corona ablata. IVSTINIANVS miſit puerum ad Beliſarium, vt eum adiuuaret. Et ille dicens, Sublimatus honoribus, quod habui & fueram, poteram adiuuari? modo nihil ei poſſum adiutorii præſtare. Ordinans ſuis pueris circum apprehendere, vbi cathedra imperii. FLORIANI parabatur, Ipſe illis partibus adoraturum ſe FLORIANVM fingens, procedit, dicens pueris ſuis, Omnes inimicos meos per circuitum cathedræ Imperatoris video: quodcunque me facientem videritis, & vos ſitis facturi. Ille fingens ſe FLORIANVM adorare, gladio eum percuſſit, omneſq; inimicos ſuos circundantes pueri interfecerunt. Corona Imperii capta, ad IVSTINIANVM veniens dixit, Adulatores tui te ab honore imperii degradati ſunt: ipſorum conſilio uſus conſecutus es humilitatem meam.

Ego vero reddam tibi bona pro malis, & non fidem retractans, ſed meam meminens promiſſionem, fidemque ſeruans illibatam impoſuit coronam capiti Iuſtiniani, eumq; imperio reſtituit Beliſarius multa prælia cum Perſis agens, eos glorioſiſſimè vicit. Ab Vcelino quodam Franco in Italia ſuperatus eſt, tantæ victoriæ nomine glorioſus, ab Vcelino victus nomen vtrumque amiſit.



IDACII LEMICENSIS IN GALLÆCIA EPISCOPI CHRONICON CONtinuans ubi Hieronymus deſinit.

Iſidorus de viris Illuſtribus. Cap. 9.



DACIVS prouinciæ Gallæciæ Epiſcopus ſecutus Chronicon Euſebii Cæſarienſis Epiſcopi, ſiue Hieronymi Presbiteri, quod vſque [hodie] in Valentis Auguſti imperium editũ declaratur: dehinc ab anno primo Theodoſii Auguſti vſq; in annum imperii Leonis octavum ſubiunctam ſequitur hiſtoriam, in qua magis barbararum gentium bella crudelia narrat, quæ premebant Hiſpaniam. Deceſſit ſub Leone principe, vltima iam penè ſenectute, ſicut etiam præfationis ſuæ demonſtratur indicio.

Sigebertus Gemblacenſis Monachus ad annum CCCCXC.

Idacius Lemicæ Hiſpaniarum vrbis Epiſcopis Chronica ſua à primo Theodoſii conſulatu inchoata hucvſque perduxit.

Idacius ſeruus Domini noſtri Ieſu Chriſti vniuerſius fidelibus in Domino noſtro Ieſu Chriſto, & ſeruientibus ei in veritate, Salutem.

Probatiſſimorũ in omnibus virorum ſtudio, quos præcipuos in fide Catholica & conuerſione perfecta teſtes veritatis diuinæ cultus docet aſſertio, hucuſque de Sancto Hieronimo, vt ipſo in capite iſtius voluminis præfatio prima declarat, cognomine Euſebii Hiſtoriam in aliquantis Hiſpaniarum provinciis conſcriptam retineri: cui ſicut poſtea ſubdidit in locis, quibus debuit, certo ſtyli ſtudio declaratur, vtrum ad hæc ignarus ego & indigniſſimus omnium ſeruorum Dei Idacius ſeruus Ieſu Chriſti & Domini noſtri, quæ ſequuntur ab anno primo Theodoſii Aug. & comperi, & deſcripſi breui ante factæ præfationis indicio.

Romanorum XXXVIII. Theodoſius poſt Gratianum regnat annos XXVII. Theodoſius natione Hiſpanus, Prouinciæ Gallæciæ ciuitatis à Gratiano Auguſtus appellatur. Inter Germanos & Gothos certamina conſeruntur. Theodoſius ſecundo anno regni ſui Auguſtus appellatur.

Tertio regni Theodoſii anno Athanarius rex Gothorũ Cõſtantinopoli, quintodecimo die, à quo à Theodoſio fuerat receptus, interiit.

Quarto regni Theodoſii anno in fœdera Romanis paci ſe tradunt. Martinus in Galliis Taronica Epiſcopus, & vitœ meritis & patratis miraculis virtutũ habetur inſignis.

Theodoſius V. regni ſui anno Arcadium filium ſuum Auguſtum appellans, conſortem regni ſui fecit eſſe.

In ſexto regni Theodoſii anno Honorius filius naſcitur: octauo anno regni ſui Romam cum filio Honorio ingreſſus eſt, legesque Romanorum integra emendatione edidit.

XIV. Regni ſui anno Valentinianus iunior apud Viennam ſcelere Comitis Arbegaſtis occiditur.

XVII. anno Theodoſius valetudine metropis Mediolani defunctus eſt. à Romanis in ſancta eccleſia Laurentii ſepultus eſt.

ROMANORVM XL. Arcadius & Honorius filii Theodoſii defuncto patre regnaverunt annos XXX.

Anno regni eorum Theodoſius Arcadii filius naſcitur.

Anno XV. regni Arcadii Martinus Epiſcopus, & vir Apoſtolicus tranſiit ad Dominium carne depoſita. cuius vitam & mirabilia, quæ fecit edidit Seuerus vir ſummus diſcipulus ipſius, qui & Chronicam aliaque ab initio Geneſis peritiſime ſcripſit.

Anno

Anno XV. regni Arcadii & Honorii, Alani, Wandali, & Sueui Hispanias ingreſsi. IIII. Id. Octob. Honorio & Theodoſio Arcadii filiis Coſſ. Alaricus Rex Gothorum Romam ingreſſus, quum intra & extra vrbem cædes aderant, omnibus indultum eſt, qui ad Sanctorum limina confugerunt, opes conditas in vrbe & ſubſtantiam tyrannicus exactor diripit. Placida Theodoſii filia, Honorii Imperatoris ſoror à Gothis in vrbe capta eſt. Alaricus moritur, cui Athaulfus ſuccedit in regno.

Anno XVI. imperii Honorii debachantibus per Hiſpanias barbaris peſtilentiæ malo fames dira graſſatur, vt humanæ carnes ab humano genere fame fuerint deuoratæ: Matres quoque necatis & coctis natorum ſuorum viſceribus, ſint paſtæ corporis beſtiæ occiſorum. Gladio, fame, peſtilentia, beſtiarum infeſtatione interimebantur homines. His IIII. plagis ubique in toto orbe ſævientibus, prædicta à domino per Prophetas ſuos adimplebantur.

Anno XVII. Honorii regni, Gallæciam Wandali occupant, & Sueui in extremitate ſuccedunt. Alani Luſitaniam & Carthaginenſes prouincias, Wandali cognomento Silingi Bæticas ſortiuntur. Conſtantinus poſt triennium inuaſit tyrannidem. Ab Honorii duce Conſtantio in Gallicia occiditur. Iouianus & Sebaſtianus Tyranni ab Honorii duce Narbonæ interfecti.

Anno XX. imperii Honorii Athaulfus ad Narbonam Placidam duxit uxorem: in quo prophetia Danielis putatur impleta, quum ait, Filiam regis Auſtri ſociandam regi Aquilonis, nullo tamen eſt ſemine ſubſiſtente.

Anno XXII. Imperii Honorii Athaulfus à patritio Conſtantio pulſatur, vt relicta Narbona Hiſpaniam peteret; à quodam Gotho, Barcinone iugulatur. Cui ſucceſſit Vallea in regno. Cum patritio Conſtantio mox pax facta. Alanis & Wandalis cognomento Silingis in Luſitania, & Bætica ſedentibus aduerſatur. Conſtantius Placidam duxit vxorem. Freditalum regem gentis Wandalorum ſuis vllo certamine ingenioſe captum ad Imperatorem Honorium deſtinat.

Anno XXVI. Honorii regni, Wandali per Bæticam à Vallea plurimi ſunt extincti. Alani adeò cæſi à Gothis, fortiter vallati. * Othacar regem ipſorum. * Pauci, qui ſuperfuerunt, oblito nomine Ganderico regi Wandalorum, qui in Galliis reſidebat, ſe patrocinio ſubiugaverunt. Gothi ſedentes in * Aetania Toloſam ſedem ſibi elegerunt, à Mari Tyrrheno, & fluuio Rhodano per Ligerim fluuium uſque Oceanum poſſident. Vallea rege eorum defuncto Theudericus ſuccedit in regnum.

*Aquitania

Anno XXVII. Imperii Honorii, inter Gandericum Wandalorum regem & Hermenricum Sueuorum regem bellum ortum eſt. Sueui in Neruaſis montibus obſidentes Wandalos: Valentinianus Conſtantii & Placidæ filius naſcitur. Wandali Sueuorum obſidione dimiſſa, relictaque Gallicia ad Bæticam tranſierunt. Honorius apud Rauennam Conſtantium conſortem regni facit. Conſtantius Imperator Rauennæ moritur in ſuo tertio conſulatu.

Anno XXVIII. imperii Honorii Caſtinus magiſter militum cum magna manu in auxiliis Gothorum bellum Bæticæ Wandalis infert: quos quum ad inopiam obſidionis arctaret, &, vt traderent ſe, pararent, inconſulto certamine publico confligens auxiliorum fraude deceptus Tarraconam victus fugit.

Anno XXX. imperii ſui Honorius Rauennæ obiit.

ROMANORVM XLI. Theodoſius Arcadii flius, poſt obitum Honorii patrui Monarchiam tenens imperat annos XXIIII.

Theodoſius Valentininianum amitæ ſuæ Placidiæ filium Conſtantinopoli Cæſarem facit: quem contra Iohannis Tyrannidem mittit. Is à ducibus ſuis Rauennæ occiditur. Felix patritius ordinatur, Valentinianus Cæſar Romæ Auguſtus appellatur.

Anno IIII. regni Theodoſii regnauit Gandericus Rex Wandalorum, capta, Iſpali. Quum inſidias Eccleſiis tenderet, mox Dei iudicio correptus interiit: cui Gaiſericus eius frater ſuccedit in regno.

Anno V. regnauit Gaiſericus Rex Wandalorum cunctaque eorum familia ex Mauritania in Africam tranſiit. Interfecto Ermengario Rege Sueuorum iniuriam Sanctæ Eulaliæ in eodem, etſi nolens, vlciſcitur. Conſederunt Wandali in Bætico annos LIIII.

Anno VII. imperii Theodoſii Aetius dux utriuſque militiæ. Sueui inita cum Galliciis pace libitam ſibi occaſionem conturbant.

Anno VIII. regni Theodoſii Aetius dux vtriuſque militiæ patritius appellatur.

Anno X. regni Theodosii, Burgundiones, qui rebellabant contra Romanos, à duce Aetio sunt perdomiti.

Anno XIII. regni Theodosii ab Aetio duce & magistro militum, Burgundionum cæsa XX. millia Gothorum, qui eis auxiliauerunt, VIII cæsa sunt.

Anno XIIII. regni Theodosii Sueui cum parte plebis, cui aduersabantur, pacis iura confirmant. Hermenricus rex Sueuorum morbo oppressus Richelam filium suum substituit in regno: quem posteà ad Bæticæ fluuium Gothi prostrauerunt, auri & argenti opibus occupatis. Carthago magna fraude direpta. Bellum Gothicum sub Theuderico Rege apud Tolosam Lidorius dux Romanus inconsultius init. Quum auxilia Hunnorum manu magna irruerent, cæsis parte plurima suis, ipse vul- 1
neratus à Gothis post dies paucos capitur & occiditur. Gaisericus Rex Sueuorum multas in sacerdotibus fecit strages. Richela Rex Sueuorum, qui Gaiserico successerat, Emeritam egreditur.

Anno XVI. regni Theodosii, Richila Ispale obtenta Bæticam & Carthaginem capit.

Anno XXIIII. regni Theodosii Solis facta defectio. Richila Rex Sueuorum in Emerita gentilis moritur: cui mox filius suus Richarius succedit in regem. Agiulfum Gothum nobilem in Ispale Cæsarius comes iugulat. Richarius rex accepta in cõiugio Theodora Gothorum regis filia Wascones deprædatur.

Anno XXVI. regni Theodosius moritur Constantinopoli, anno ætatis suæ 2
XLVIII.

Post quem XLII. MARTIANVS, commilitibus & exercitu instante, etiam Pulcheriam sororem Theodosii reginam effecit: & ipse sublimatur in regno: eamque Valentinianus in coniugium adsumsit. Valentinianus & mater Placita moriuntur Romæ. In Gallia teræmotus III. fuerunt. Post sol ab occasu ad Aquilonem è cælo rubens quasi cinis ac vt sanguis effectus. Gens Hunnorum pace rupta ruit in Gallias, quam quum Aetius Patritius venientes compressit, Sanctum Anianum Aurelianensem Episcopum ad * Theodoricum regem Gothorum legatum dirigit, petens auxilia contra Hunnos. Si præualerent resistere, mediam partem Galliæ Gothis daret. Quum à Theodorico Rege huius petitionis annuente, auxilium fuisset promissum Aetius le- 3
gatos mittens ad Attilam regem Hunnorum, petens ebrium auxilium contra Gothos, qui Gallias conabantur inuadere. Si præualerent Hunni hos contra Gothos defendere, medietatem Galliæ ab Aetio perciperent. Attila verò cum Hunnis festinans & parcens ciuitatibus Germaniæ & Galliæ contra Gothos super Ligerim fluuium nec procul ab Aurelianis confligit certamen. Cæsa sunt Gothorum CC. millia hominum. Theodoricus Rex hoc prælio occubuit. Cæsa sunt Hunnorum CL. millia. Ciuitas Aureliana oratione beati Auiani Episcopi liberata est. Hunni repetandes Tricassis in Mauriacensi confidentes Campania. Thurismundus filius Theodorici, qui ei successit in regno, collecto Gothorum exercitu, patrem vlcisci desiderans, cum Attila & Hunnis Mauriaco confligit certamen. Ibiq; tribus diebus vtraq; Phalange inuicem præli- 4
antes, innumerabilis multitudo gentium occubuit. Aetius, quum esset strenuissimus consilio, per noctem ad Attilam veniens dixit ad eum: Optabile duxeram, vt tua virtute regionem hanc à perfidis Gothis potuissem eripere. Sed nullatenus fieri potest. Vsq; nunc cum minimis pugnatoribus præliasti. Hac nocte Theodoricus Germanus Thurismundi cum * minima multitudine & fortiss. Gothorum pugnatoribus aduenit. Hæc non * sustinens. Atq; vtinam vel euadere possis. Tunc Aetio Attila decem millia solidorum, vt pro suo ingenio Pannoniam repedaret. ipsaq; nocte Aetius ad Thurismundum idemq; perrexit, ducensq; ei causam consimilem: quod apud viles Hunnorum pugnatores usq; nunc pugnauerat. Nam maxima multitudo & fortiss. pugnatores à Pannoniis ipsaq; nocte ad Attilam aduenerãt, & audissent fratrem suum Theo- 5
doricum Mauris Gothorum occupasse regnum, quod vellet arripere, nisi festinus ad resistendum pergeret, & periculum ad declinandum * abiret. Acceptis idemq; Aetius à Thurismundo decem millia solidorum, vt suo ingenio à persecutione Hunnorum liberati Gothi ad sedes proprias remearent, & protinus abierunt: Aetius verò cum suis etiam Francos secum habens post tergum direxit Hunnorum: quousque Toringia à longe persecutus est, præcepitq; suis, vt unusquisq; nocte vbi manebat. X. sparsim focos facerent, vt immensam multitudinem simularent. Quieuit hoc prælium. Aetii consilio Gallia ab aduersariis liberatur. Postea quum à Thurismundo rege & Gothis factio perlata fuisset, requirentes promissionem Aetii implendam, & ille renueret, per pacis

* in v. e. Theodori. vel infra.

* nimia.

* sustinebis.

* adiret.

pacis iura orbiculum aureum gemmis ornatum pensantem libras quingentas ab Aetio compositionis causa transmittitur Thurismundo. Et hæc iurgia quieuerunt, quæ species deuotissime usq; in hodiernum diem Gothorum thesauris pro ornatu veneratur & tenetur.

Anno II. Principis Martiani, Hunni in Italiam irrunt, namq; depredantur, aliquantis ciuitatibus irruptis. Diuinitus partim fame, partim morbo quodam plagis cœlestibus finiuntur. Iussu Martiani ab Aetio duce cæduntur. in sedibus suis coacti reuertuntur: & mox Attila moritur. Thurismundus Rex Gothorum à Theodorico & Friderico interficitur: cui Theodoricus successit in regnum. III. Regni Martiani anno Regina moritur Pulcheria. Aetius Dux & Patritius fraudulenter à Valentiniano Imperatore manu propria occiditur.

IV. Regni anno Principis Martiani à duobus Barbaris Aetii familiaribus Valentinianus Imperator occiditur. Post quem mox Maximianus* ex Cõsulibus XLIIII. Romæ Augustus appellatur: qui quum Imperator factus, relictam Valentiniani Abi duxit vxorem. Maximianus quarto regni sui mense in vrbe Roma tumultu militari occiditur. * ex consul.

In ipso anno Auitus Gallus ab exercitu Gallicano primo Tolosæ, dehinc apud Arelatum Augustus appellatus Romam pergit. Obtenta Monarchia per Auitum, qui à Romanis euocatus & susceptus fuerat Imperator, Gaisericus solicitatus, priusquã Auitus Augustus fieret, Romam ingreditur, ditatusq; opibus Romanorũ Carthaginem redit, relictam Valentiniani & filias duas Aetii, filium Gaudentium secum ducens.

Legati a Martiano pro amicitia mittuntur Imperatori, & sic Martianus & Auitus concordes principatu Imperii Romani utuntur. Sueui Carthaginensem regionem, quam Romanis reddiderant, deprædantur. Sueui Tarraconensem prouinciam vastant: Theodoricus inita fide cum imperio Sueuos legatos mittit, vt se à prouinciis, quas inuaserant amouerent. Consilio & consensu Auiti Imperatoris Theodoric⁹ Rex contra Sueuos mouet exercitum, & in Tarraconensem Campaniam super Vrbicam fluuium cum Richario rege Sueuorum confligit certamen, plurimisq; Sueuis extinctis, ipso rege placato Gallicias fugaciter fertur aggredi. ipsoq; itinere Theodoricus Gothos, qui in Spaniis consedebant, vastauit & captiuitate multas diripuit ciuitates, sanctasq; Basilicas effregit. Richarius ad locum, qui Portugalæ appellatur, profugus Rex à Theodorico captus ducitur, & in custodiam redigitur. Sueui oblito regno se tradunt Theodorico: ibiq; regnum eorum destructum est. Auitus Imperator legatũ ad Theodoricum cum sacris muneribus mittit, nuncians in Conseca cæsam multitudinem Wandalorum.

Auitus de Italia ad Gallias Arelatum secessit. Orientalium naves Ispalim venientes pro Martiano exercitum cæsum nunciant.

Occiso Richario Rex Theodoricus de Galliis ad Lusitaniam venit. Sueui denuo Regem Aldra sibi constituunt. Theodoricus Emeritam deprædari moliens.

Auitus, qui à Wandalis, Gothis & Gallis factus fuerat Imperator, Gothorum promissis destitutus auxiliis, imperio caret & vita. VII. anno imperii sui moritur.

ROMANORVM XLIV. MAIORIANVS in Italia & Constantinopoli LEO Augusti appellantur.

Theodoricus aduersis sibi nuntiis territus mox propter dies Paschæ de Emerita egreditur Gallias repetens. Partem earum, quarum habebat multitudinem, variarum nationum cum ducibus suis ad campos Galliciæ dirigit: qui dolis & periuriis instructi ad Sueuos qui remanserant, se inconsulto expeditionem ingrediuntur, pace fucata solita arte perfidiæ. Nec mora illic cæditur multitudo Romanorum: Sanctæ effringuntur Ecclesiæ: sacer omnis ornatus & usus aufertur: Episcopi & Clerici captiuantur: domus dantur incendio.

Agilulfus, dum regnum Sueuorum sperat, Portugalæ moritur. Sueui in solitam perfidiam versi regionem Galliciæ adhærentem fluuio Durio, circa littora manentes deprædantur. Gothicus exercitus à duce suo Cyrola ad Theodoricum Regem in Spanias missus succedit ad Bæticam.

Theodoricus Duce suo Sunnerico exercitus sui aliquantam partem ad Bæticam dirigit. Cyrola reuocatut ad Gallias, Sueui Lusitaniam cum Maldare Rege, & alii cum Richimundo Gallias deprædantur. Heruli ad Bæticam pertendentes Maldras germanum Senomuz fratrem interficiunt, & Portugalæ castrum inuadunt. Legati à Maioriano Augusto, & Theuderico Rege pro pace inter se ineunda ad Sueuos & Wandalos diriguntur.

Anno IIII. Regni Maioriani Maldras Rex iugulatur, mense Maio. Maiorianus imperator Hispanias ingreditur ad Carthaginensem prouinciam pertendens. Naues ad transiendum aduersus Wandalos præparari iubet, quas Wandali subripiunt. Maiorianus Imperator sua ordinatione frustratus Italiam repetit. Gothicus exercitus à Sunnerico & Nepotiano comitibus emittitur. Sueuos deprædantur. A Theodorico legati ad Sueuos veniunt, & recurrunt. Theodorici legati ad gentes pacem postulatum qui ierant, ea obtenta reuertuntur.

Maioriani V. anno Regni Gaisericus Rex à Maioriano Imperatore pacem per legatos postulat. Maioriano de Galliis Romam redeunte, Romano imperio vel res necessarias ordinante, Richimerus Sueuorum consilio fultus fraude eum interfecit.

ROMANORVM XLV. Seuerus à Senatu Romæ Augustus appellatur anno imperii Leonis V. Atrepennus Gallus comis & ciuilis inuidus Aegidio insignis inimicus Gothorum fœdere Narbonam tradebat Theodorico. Mense Iulio in Gallia coruscatione villæ exustæ, greges ouium concrematæ, fame concisæ: pluuiæ de cœlo mixtæ cadunt. Duo adolescentes carne inuicem solidata adhærentes sunt mortui. In Armenicana prouincia Fridericus frater Theodorici regis insurgens cum his cum quibus fuerat superatus occiditur. Luna XV. tunc conuersa est in sanguinem. In specie Lunæ V. Sol ab hora tertia usq; in horam nonam obscuratus est. Wandali per Marcellinum in Sicilia cæsi effugantur. Ægidii Comes veneno periit.

* tradit.

ROMANORVM XLVI. regnauit ANTHEMIVS. Romæ Augustus appellatur.

Anno Leonis imperii II. expeditio ab Africa aduersus Wandalos ordinatur. Per Theodoricum Salla legatus mittitur ad Remismundum regem Sueuorum, qui reuersus eum à fratre suo Theodorico nunciat interfectum. Gothi qui inter Wandalos missi fuerant supradicta expeditione Romam perterriti reuertuntur. Conembra ciuitas in pace decepta, domibus destructis cum aliqua parte murorum, habitatores capti atq; dispersi; & regio desolatur & ciuitas.

Anno II. Anthemii in medio Tolosæ ciuitatis sanguis erupit de terra, & tota die fluxit, significans Gothorum dominationem sublatam, Francorum adueniente regno. Exercitus Leonis aduersus Wandalos cum tribus Ducibus descendit. Richemerus gener Anthemii imperatoris ex Patritio Cæsar factus; adfatim degradato socero, ad priuatam vitam illum adegit, filio eius occiso. Aduersus Romanorum imperium conuenere Wandali consulentes Gothis, vt eodem tempore hostium legatos deferentem partem etiam Lusitaniæ deprædentur. Richemundo cum Sueuis ad Imperatorem transeunte; durissimus extra solitum hoc eodem anno hibernus hyemis, æstatis, autumni, fructuumq; mutatione diffunditur. Temporibus imperatoris Honorii regnũ Gothorum post captam Romam Gaiserici diuisione partitur. & qui in Italia consederunt, ditioni imperii se tradunt. Reliqui Aquitaniam prouinciam cum ciuitate Tolosa eligentes sedem, Regem eligunt Athaulfum. Postea, vt supra confirmant, à Gothis regnatum est.

* in v. e. *Historia.*

CHRONICI IDACII FINIS.

Descriptum ex Chirographo Friderici Lindenbruch Hamburgensis, qui Lutetiæ exscripsit ex veteri codice.

Vera scriptura huius nominis erat Ithacius Ἰθάκιος, quo nomine Episcopum memorat Hieronymus. Sed ex Ithacio Idacius factum. dictio huius scriptoris barbara est, vt apparet .... velit, magis suspicari possum quam intelligere. Errores non pauci in historia Romana, vt in obitu S. Martini Turonensis: in aliis, quæ non referam. Attribuit legum emendationem Theodosio seniori: quod erat adscribendum iuniori. Quia tamen quædam habet, quæ alibi non reperies, de Gothis & Sueuis, & præterea quia commendatur ab Isidoro: deniq; quia continuat Hieronymum, hunc scriptorem omittere nobis religio fuit.

DIVI

DIVI EVLOGII CORDVBENSIS

Martyris, Doctoris, & electi Archiepiscopi Toletani opera.

STVDIO ET DILIGENTIA ILLVSTRISSIMI ac Reuerendissimi Domini Petri Pontii Leonis à Corduba Episcopi Placentini, summiq; fidei Christianæ per regna & ditiones PHILIPPI II. Regis Catholici Inquisitoris reperta.

EIVSDEM SANCTISSIMI MARTYRIS VITA per Aluarum Cordubensem scripta. Cum aliis nonnullis Sanctorum Martyrum Cordubensium monumentis.

OMNIA AMBROSII MORALIS CORDVBENSIS Regii Historici scholiis illustrata, eiusq; cura & diligentia excussa.

Operum Catalogus sequitur post præfationes.

Opus hoc nunc ex vetustate nouum, iam olim editum à beatissimo Martyre Cordubensi Eulogio de vitis Martyrum eiusdem Patriciæ ciuitatis: nostris vero temporibus nouiter repertum, & ab innumeris mendis tineisq; vindicatum, ab Illustrissimo Domino Petro Pontio Leone Pontifice Placētino ex eadē ciuitate oriundo, Scholiis vero mirifice illustratum ab eruditissimo viro Ambrosio Morali Regio Historico, & eloquentiæ magistro olim primario in Academia Coplutensi: suscepi examinandū, de mandato præstantissimorum virorum supremi senatus Domini nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici. Mihi vero altius rem totam expendenti videtur in primis doctrinam sanctissimi Martyris Eulogii summam, & summo Martyre dignam redolere sanctitatem. Deinde vero grauissimi Episcopi Placentini labores, summā grauitatem, & de doctrinis antiquorum præclare meritam præ se ferre. Tandem tertio, in laboribus Ambrosianis admiror incredibilem eruditionem & pietatem in viro, alioqui eruditissimo & prorsus pio. Et non solum de sua patria (hoc est Corduba) sed de vniuersa Hispania, & de Hispaniarum vniuersis Martyribus, si mihi fides, immo suis præclaris lucubrationibus adhibenda est, bene merito. Atque adeo cum res salua sit, & hoc volumine munda sint omnia, poterit liber hic ad patientiam comparandam appositissimus, merito typis mandari, & in publicam vtilitatem efferri: vtpote in quo nihil fidei absonum, nihil Christianis moribus aduersum, sed summa sanctitas in Diuo Martyre, summa grauitas & solertia in huius operis repertore Placentino Prælato, summa demum eruditio, diligentia, & pietas in regio Historico Ambrosio dignissimo Scholiaste, luce clarius inueniuntur. Cuius rei gratia cum nostræ paruitatis hoc sit de tanta re vtcumque iudicium & censura, nomen nostrum necessarium duximus, in signum veritatis apponendum, in nostro Regali Cœnobio sanctæ Mariæ de Horta, sacri ordinis Cistercienses, Anno Virginei partus, orbisque reparati, M D LXXII. 15. Kalendas Nouembris.

Fr. L. Estrada, Abbas Hortæ.

Yo he visto lo que toca a las antiguedades de la ciudad de Cordoua, que se me cometio, y esta muy docta y diligentemente escrito, y assi se puede y deue imprimir, y este es mi parecer, y lo firme de mi nombre. En Madrid el primero de Hebrero. 1573.

Geronino curita.



AMBROSIVS MORALES AD LECTOREM.

DVm diui Eulogij editio post censuras Regii senatus iussu iam latas, de die in diem differtur: mors Illustrissimi Petri Pontii Episcopi Placentini interuenit: quanta cum bonarum literarum pet Hispaniam iactura, non est huius loci deplorare. Ibi me, qui orbata suo patrono sancti Martyris opera grauiter dolorem, nouum laborem subire necesse fuit: vt industria, diligentia & impensa etiam nostra excuderentur. Cum interim Deo Opt. Max. ingentes gratias agerem, qui hunc eximium laborem totum integrum nostrum esse voluerit: & illam nostram innatam penitus propensionem, qua eius munere vehementius in senectute incitamur, & plane incendimur, vt omnes Hispanos Diuos, quorum iam vitas, quantacunque potuimus diligentia perscripsimus, ad Dei gloriam, & patrium nostratium exemplum illustremus: in Diuo Eulogio plenius prouiderit exerceri & impendi. Nihil enim iam hic ferme alienum, præter inuentionem codicis (quod maximum certe fuit) superest. Quocirca nos nihil prorsus de Illustrissimi Placentini Episcopi memoria & laude volumus deperire. Præfationes, quæ antea fuerant, nostram ad ipsum epistolam, cæteraque omnia, ad eius famam & gloriam spectantia, intacta reliquimus.



EL REY.

POR quanto por parte de vos Ambrosio de Morales nuestro Coronista nos fue hecha relacion, diziendo, que por parte del reuerendo in Christo padre dom Pero Ponce de Leon Obispo que fue de Plasencia e Inquisidor general en estos nuestros reynos, se presento ante los del nuestro conseio vn libro de las obras de san Eulogio martyr de Cordoua, y se pidio licentia para lo imprimir, y se auia cometido el examen dela fray Luys de Estrada, abad que al presente es del monesterio de Huerta, y a Geronymo de corita nuestro secretario, y auian dado su aprouacio. Y estando en este estado, murio el dicho obispo, hin hazer memoria en su testamento del dicho libro, ni de su impression. Y sus testamentarios, siendo vos vno dellos, sustituido por el licentiado Andres Ponce de Leon del nuestro conseio, no querian passar adelante con la impression a costa de la hazienda del dicho obispo, por iustas causas que les mouian. Y siendo esto ansi, auiades pedido a los demas testamentarios, que atento el mucho prouecho Christiano, que de publicarse el dicho libro se esperaua, y a lo mucho que vos auia des trabajado enel, haziendole scholias, illustrandole, y annadiendole cosas dignas de su compannia: os diessen el derecho del dicho obispo, y su poder para imprimirle, por ser los dichos testamentarios los que lo podian hazer. Los quales os passaron el derecho, y dieron el dicho poder, como por vna escritura parecceria, de que hezistes presentacion, suplicandonos, os mandassemos dar licentia y priuilegio para imprimir el dicho libro, porque en ello seria seruido nuestro Sennor, o como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los dol nuestro Consejo, por quanto en el dicho licho libro se hizo la diligencia, que la prematica por nos agora nueuamente fecha sobre ello, dispone: fue acordado, que deuiamos mandar dar esta nuestra cedula en la dicha razon, e nos toui moslo por bien. Y *por la presente vos damnos licentia y facultad, para que vos o la persona, que para ello vuestro poder vuiere, y no otra persona alguna, podays hacer imprimir y vender el dicho libro, que de suso se haze mencion, en estos nuestros reynos de Castilla, por tiempo y espacio de diez annos, que corren, y se cuent an desde el dia de la fecha desta nuestra cedula. So pena que qualquiera persona personas, que sin tener para ello vuestro poder, lo imprimierē y vendieren, e hizierē imprimir y vender, pierdā tota la impressiō que hizierē y vēdirē, con los moldes y aparejos della, y mis incurran en pena de cinquēta mil marauedis por cada vez que lo contrario hizierē, la qual dicha pena sea la tercia parte para la persona que lo acusare, y la tercia parte*

cia parte para el iuez que lo sentenciare, y la otra tercia parte para la nuestra camara y fisco. Cō tanto que todas las vezes que vuieredes de hazer imprimir el dicho libro, duranto el dicho tiēpo delos dichos hiez annos, le trayays al nuestro Cosejo iūtamēte cō el original, que enel fue visto, que va rubricado cada plana y firmado al fin del de Iuan Gallo de Andrada nuestro escriuano de cāera, de los qua residen enel nuestro Consejo. para que se vea si la dicha impreßion esta conforme a el, y se os de licencia para lo poder vender, y se tasse el precio, a como ouieredes de vender cada volumen, so pena de caer e incurrir en las penas contenidas en la dicha prematica y leyes de nuesto reynos. Y mandamos a los de nuestro Consejo, y a otras qualesquier justicias destos nuestros reynos, guarden y cumplan, y executen, y hagan guardar y cumplir y executar esta nuestra cedula, y todo lo en ella contenido. Fecha enel bosque de Segouia, a treze dias del mel de Iulio de mil y quinientos y setenta y tres annos.

YO EL REY.

Por mandade de su Mageſtad.

Antonio de Eraſſo.

YO Iuan Gallo de Andrada secretaria del Consejo de su Maiestad, doy fe, que por los sennores del Consejo, fue tassado el libro intitulado, las obras del martyr sancto Eulogio, que su Magestad dio licencia para lo imprimir a Ambrosio de Morales Coronista de su Magestad, en seys reales cada volumen en papel: y a este precio, y no mas, dieron licentie que se venda el dicho libro. Y mandaron, que esta tassa se ponga al principio del. Y para que dello conste, di esta fe firmada de mi nombre, que es fecha en la villa de Madrid a diez y ocho dias del mes de Marco, de mil y quinientos y setenta y quatro annos.

Iuan Gallo de

Andrada.

PHILIPPO SECVNDO REGI CATHOLICO, REGVM OMNIVM MAXIMO, ET POTENTISSIMO,

PETRVS PONTIVS LEONIS A CORDVBA, EPISCOpus Placentinus, Summus per eius regna & ditiones fidei Christianæ Inquisitor, salutem & veram felicitatem.

INTER multas, præclaras, Christianoque principe digniſſimas virtutes, quibus Catholici cognomen & merito retines, & perpetuo tueris, Philippe Maxime, illud vnum cum ingenti lætitia & vere cœlesti gaudio Hiſpani tui ſuſpicimus, & ſemper recolimus: quod inter grauiſſimas tot regnorum regendorum curas, belli paciſque varias ſollicitudines, noſtratium ſanctorum gloriæ & venerationi ſemper ſtudes, incenſaque in ipſos deuotione, eo mira prouidentia magnoque ſumptu iugiter incumbis. Et lōgum ſit huius tuæ in Hiſpanos diuos religionis & obſeruantiæ teſtimonia celebrare. Pauca percurram. Magnificentiſſime transferendis illorum corporibus, & qua decentia ſepulti vbique ſint, quaque veneratione eorum cultus vigeat, miſſa etiam ad id ipſum legatione pientiſſima, perquirendo & intelligendo: publicam etiam inter diuos relationem ab ſummo Pontifice expetendo, hanc pietatis tuæ partem abunde teſtaris. Illud vero vnum in hoc genere præterea eſt, quod ego præſertim admiror, & publicæ vtilitatis ergo exultanter reputo. Scripta Hiſpa-

norum ſanctorum diligenter vndique conquiſita, & ex miſera obliuione extracta, vt integra, emendata, ſcholiis aucta, & debito ſuo nitori reſtituta invulgus exeant, non ſolum cupis & iubes: ſed eruditiſſimis hominibus ea cura ſemel iam demandata, Maieſtas tamen tua neque prouidentiæ, neque liberalitati interim parcit. Quæ tua in tanta Celſitudine inſignis religio & pientiſſimæ prouidentiæ voluntas, vel eo magis me delectat, & vt inde gratias Deo Opt. Max. ingentes referam, cogit: quod eodem ego iam olim deſiderio flagrauerim, ſanctorum noſtratium multa ſcripta vndique ex vetuſtis bibliothecis congregauerim, & munus tandem hoc, quod hic ſupplex offero, ſacro iſto tuæ Maieſtatis ſtudio, & ſancta propenſione digniſſimum comparauerim. Diui enim Eulogii Cordubenſis Martyris doctoris, & electi Archiepiſcopi Toletani opera nunc primum in lucem eruta tibi (Princeps ſanctorum Hiſpanorum, & hac præſertim ex parte amantiſſime) offerimus, quæ non dubito, quin futura ſint gratiſſima. Vnum enim tantummodo Martyris nomen auditum, ſcio quam Maieſtati tuæ futurũ ſit iucũdũ & venerandũ. Quid ſi pauliſper libeat recolere, Martyris ardorẽ in his ſuis ſcriptis mirifice expreſsũ? Quid ſi ipſummet rediuiuũ, loquentẽ, & docentem, adhortantem ad te venire reputes? Quid ſi delituiſſe per ſeptingentos & eo amplius annos hæc martyris opera, ſpemque omnem penè ablatam eorum reperiendorum fuiſſe cogites? Ea præterea, quæ his ſanctiſſimi Martyris ſcriptis continentur, euſmodi ſunt: vt ab quouis homine ſcripta plurimi profecto fierent, & magni cuiuſdam theſauri loco inuenta haberentur. Etenim quinquaginta ferme noſtratium Martyrum vitas & paſſiones, quorum aliunde præter nomen nihil ferme habebamus, ab Hiſpano homine, qui ipſe pene omnibus interfuerit, luculenter ſcriptas & plene traditas, quanti inter Hiſpanos fieri æquum fuerit? Martyr præterea de Martyribus, Martyrii doctor de diſcipulis Martyribus teſtis oculatus ſcripſit. Hæc vt nemo digne poſſit ęſtimare, ita te, Principem, vere Catholicum, vere auguſtiſſimum, & in hoc ipſum ſtudio & religioſa cura incũbentẽ, grato animo, vti decet, excepturũ & veneraturũ aperte intelligimus. Et reliqua quidẽ D. Eulogii, præter Martyrum hiſtoriã, opera, eiuſmodi eſſe, lector, plane intelliges: vt præterquam quod hiſtoriæ eiuſdem maxima ſunt adminicula, flagrantiſſimum Martyris pectus vndique ſpirare, & viuam quodamodo eius imaginem exprimere videat. Hic vero theſaurus ideo mihi diuina benignitate videtur oſtenſus, vt Cordubenſis ciuis, Cordubenſem Martyrem inuenirem, Maieſtatiq; tuæ oblatum, meæ ciuitati, & orbi Chriſtiano ſub tuo nomine felicius communicarem. Codicem horum operum miræ vetuſtatis, & D. Martyri, vt credi poteſt, coetaneum Gothicis literis in membrana deſcriptum ex Bibliotheca ſanctæ Ouetenſis Eccleſiæ habuimus: quo nimirum cum ſancto eiuſdem martyris corpore Corduba, non multo poſt ipſum coronatum, fuerat delatus. Quo nomine ſanctæ eidem Eccleſiæ plurimũ debet Hiſpania, cum opulentiſſimum theſaurum per ſexcentos & eo amplius annos ſeruauerit, & nunc oportuno tempore benigne mihi, & per me omnibus comunicauerit. Verum vt alia omnia Cordubenſes ciui noſtro ſanctiſſimo præſtaremus, opportune preſto fuit Ambroſius Morales Cordubenſis, tuus, Rex potentiſſime, Hiſtoricus q D. Eulogii opera omni ex parte illuſtraret, & ſcholiis plane neceſſariis locupletaret. Idem etiam quædam de aliis Cordubenſibus Martyribus paulo poſt tempore ob Chriſti fidem interfectis, noua, & nunc primum adinuenta ſuperaddidit. Accipe igitur, Philippe Regum Maxime, D. Eulogium vere tuum, in Hiſpania tua natum, edoctum, Martyrum ibidem Doctorem & inuentorem, & demum Martyrem.

Illuſtriſ-

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO D. PETRO PONTIO LEONIS A CORDVBA EPISCOPO PLACENTINO, SVMMO CHRISTIANÆ FIDEI PER REGNA ET DITIONES PHILIPPI SECVNDI REGIS CATHOlici Inquiſitori, diuinæ legis & ſacrorum canonum conſultiſſimo, humaniorum ſtudiorum amantiſſimo:

AMBROSIVS MORALES CORDVbenſis Regius Hiſtoricus, ſalutem plurimam reuerenter dicit.

*ER Multum Tibi, Præſul Illuſtriſſime, multis nominibus ſe debere Corduba noſtra ſemper fatebitur. Cùm enim eius gloria, quæ quam plurimis naturę bonis extollitur, ciuium tamen clariſſimorum multitudine & ſingulari celebritate maiorem in modum præcellit, præclara ſemper & ſublimis extiterit: amplitudo tua ſuo ſplendore, morum ſanctitate, doctrina, & celſis magnarum virtutum meritis, vt maxime hoc noſtro tempore ſit inclyta perfecit. Eum namque te ciuem præſtitiſti, qui patriæ clariſſimæ, & magnorum virorum fœcundiſſimæ eximio decori & ornamento eſſe poſſis. Vt enim nobilitatem tuam, & generis claritatem prætercam (quanquam quicquid penè claritatis in duabus magnificentiſſimis ciuitatibus Cordubenſi ſcilicet & Hiſpalenſi ſeorſum prænitet, in tuis parentibus coniunctum præfulſerit) illud quod vere tuum eſt, oculatus ab infantia penè tua teſtis proſequar. Educatus à teneris ſanctiſſimè apud D. Petrum Pontium patruum tuum Cordubenſis Eccleſiæ Primicerium & canonicum: cuius egregias virtutes vitaque probatiſſimæ exempla nunquam noſtra ciuitas deſinet cum ſancta quadam admiratione recolere: Latinæque linguæ cognitione iam imbutus, Salmanticam maioribus ſtudijs imbuendus, eiuſdem clariſſimi viri cura & ſumptu tranſmitteris. Sacrorum ibi canonum inſtituta, ſanctorumque patrum conſulta in primæua adeò ætate feliciter perdidiciſti: vt cum publica ſtudiorum tuorum experimenta & veluti ſpecimina, de gymnaſij illius more præberes, peritiam tuam omnibus admirantibus, etiam nondum confirmata ætas eſſet ſtupori. Quod etiam in magnis tuis, ſed admodum pręcocibus honoribus, magiſtratibus & dignitatibus mox contigit. Electus namque ab Imperatore Carolo. V. Cæſare in auguſtiſſimum, ac ſupremum, vti vocant, ſanctæ Inquiſitionis Senatum: cum collatum homines eum honorem merentiſſimo gratularentur, iuueni admodum contigiſſe admirabantur. Eadem virtutis, doctrinæ, ac meritorum celeritate feſtinans, Epiſcopus Ciuitatenſis crearis. Cumque in ea dignitate, in Tridentino concilio, & in cenſura Vallis Oletani conuentus, alijsque grauiſsimis Hiſpanæ reip. negotijs prudentiſsimè amplitudo tua ſe gereret: ab Philippo ſecundo Rege catholico in Placentinum epiſcopatum, maioris præmij, & amplioris in Dei Eccleſia fructus ergo euehitur. Et vt dignus tandem amplitudinis tuæ, atque præſtantiæ cumulus accreſceret: nuper in ſummum fidei catholicæ Inquiſitorem ab eodem Rege catholico delectus fuiſti. Cuius magiſtratus dignitate nihil habet Hiſpania noſtra ſanctius, magis auguſtum, aut venerandum. Hæc tuam dignitatem, Præſul clariſsime, cum magnoopere adaugeant: Cordubam pariter noſtram tali alumno iure optimo gloriantem, plurimum nobilitant. Illud verò quantum veræ gloriæ patriæ noſtræ accumulat? Quod in hac ſublimioris digni-*

tatis magnitudine, in hoc clarissimo fortunarum & splendoris fastigio, amatas olim, & diutissimè cultas bonas literas tanto studio retines, tanta assiduitate frequentas: vt si sola ea laus infimo homini, & vulgari contingeret, multum commẽdationis promeritus iure optimo videretur. Illud etiam insigne & ampliore dignum laude in tuo hoc bonarum literarum amore resplendet, quod non sui vnius commodis, aut voluptati præstantia tua vult inseruire sua studia: sed omnibus in commune prodesse cupit. Proinde cùm in conquirendis, & vndiquaque peruestigandis sanctorum Hispanorũ libris multum curæ, diligentiæ & sumptus etiam semper reposuerit: quis non videt publicæ ipsam vtilitatis causa in hoc genere tantoopere elaborare? Nam opes has auidissimè congeris, sed in omnium mox vsum profusurus. Multa hoc ipsum propediem testabuntur: nunc vnus D. Eulogius, amplitudinis tuæ industria repertus, & veluti è sepulchro in vitam reuocatus, abunde manifestat. Quamuis namque sancti huius martyris opera in publicum efferendo, typisque euulgando Cordubæ nostræ præclarum hoc munus destinaueris, eidemque vni veluti tribueris: quandam tamen inde vtilitatem tota Hispania, atque adeo exteræ nationes consequuturæ sint: pij homines, & meliorum studiorum amatores tanto Christianæ opulentiæ thesauro dites, tanti boni magnitudine fruentes, melius postmodum prædicabunt. Cum vero me tua amplitudo partem eius præclari laboris subire voluerit, cum eiusdem D. Eulogij operibus emendandis, scholijs illustrãdis, & demum ædendis praeesse iussit: eo nomine ingẽtes tibi gratias ago. Summi enim beneficij loco duco, sanctissimo martyri qualicunq; mea opera inseruire, gloriæq; Cordubensis hic aliqua ex parte veluti fabrum esse. Et tametsi neutrum nõ sine ingẽti labore possem perficere: vtrunq; cum summa iucũditate ad me recepi. Quid enim? sanctißimo martyri, martyrum etiam multorum præconi, ingenij: doctrinæ & industriæ ministerium, quod scio quam sit exiguum, sed qualecunque tamen id sit, non lætarer exhibere? Iam verò Cordubensem hinc gloriam augere, prẹclarum munus, quod ea de causa eidem comparabas, locupletare, perpolire, & aliquantisper illustrare non delectarer? Et quamuis Cordubæ nostræ causa, cui tanta hinc gloria quærebatur, iucũdissimnm mihi hoc ipsum acciderit: tũ etiam sanctæ Ecclesiæ Toletanæ (cuius maiestas primatu totius Hispaniæ sublimis, multis etiam alijs nominibus summã merito venerationem habet) dignitatem & sanctum splendorem inde præterea ignoto antea & redidiuo incremento exauctum delector. Ex iisdem enim D. Eulogij operibus intelliget, ipsummet sanctum martyrem antistitem suum fuisse, atque Vuistremiro sanctissimo archiepiscopo, & per vniuersam Hispaniam celebratissimo successisse. Horum duorum suorum præsulum, tanta gloria præcellentium, quemadmodum ante hac notitiam nullã habuerat: ita nunc habuisse magnoopere lætabitur. Ego verò vtroque nomine quicquid habui libens impendi, quicquid potui, propensius contuli, Deo in primis authore, quem in hoc ipsum supplici prece obsecraueram. Id quale fuerit, labor ipse noster indicabit: vt hic commemorare opus non sit. Tantum id ipsum Deo Optimo Max. in primis consecro, D. Eulogio, & celebratis ab illo martyribus dedico, Cordubensi gloriæ cœlestibus emolumentis hinc adauctæ offero: & præstantiæ tuæ, Antistes celeberrime, tuis auspicijs, tuo etiam beneficio cœptum laborem, quantoopere potui, cumulatum refero. Vale, Præsul Illustrissime, & hoc tuo tanto bono diutius fruere. Compluti anno Domini M. Dlxxij.

Mense Nouembri.

OPERVM INDEX.

Cum in vetusto exemplari operum series præpostera & admodum perplexa haberetur, iustis de causis in hunc modum visum est ipsam dirigere.

DE VOCABVLIS FICTIS ET NOVATIS, ET Toto D. Eulogij sermone.

Diui Eulogij ingenium quantum fuerit, quanta doctrina excultum, ipsius opera plene satis edocebunt. Insignem præterea sacrarum literarum peritiam cum multis indicijs possis in sancto martyre deprehendere, felix tamen in explicandis & ex professo exponendis testimonijs, quæ adducit, dexteritas illam inprimis declarabit. Stylus etsi pius semper & sæpe suauis, longe inferior est tanta ingenij & natiuæ etiam eloquentiæ magnitudine: eamq; sentias multoties hac ope destitui. Degenerauerat nimirum iam vbique latini sermonis præstantia & puritas, eiusq; claritatem multæ sordes obscurauerant, & nostræ clades apud nos magis obruerant. Vt potius in tam dira captiuitate & miseria, quam per centum ac quinquaginta ferme iam annos tempore D. Eulogij perpetiebamur, laude dignum sit, quod vir sanctus præstare in hoc genere potuit, quam culpæ imputandum, quod non est assequutus. Quendam etiam proprium & peculiarem stylum iam sibi illa tempora effecerant, in quo laudis & gloriæ fuit eminere. Argutiam, subtilitatem, vehementiæ nonnihil, atq; aliquem in rebus magnis sublimitatis impetum, non possis non suspicere. Sed verborum & totius sermonis neglectu egregios conatus doleas retundi & obscurari. Nos religione quadam reuerenter tacti, nihil emẽdare volumus: tantum fictorum & nouatorum verborum & phrascon catalogum hic apponere duximus necessarium.

Vna atque alia vice. Dico vobis in veritate. Hispanismi.

Monachorum vitam oblectans, pro oblectari vita monachorum. In ante. In amplius.

Consultum gerens, pro consulens, aut prospiciens. Libri series has causas innotescet, vt sit actiuũ.

Præconabile. Preconari. Paruipendulus. Gloriositer. Deicola.

Decisus, pro occisus, aut obtruncatus. Itus, pro itinere seu via. Et itum neutro genere pro incessu in Nonio Marcello reperitur.

Prophetismus, vt Christianismus. Incultio, pro ruditate seu barbarie sermonis.

Adepsit, pro adeptus est. Medie, pro mediocriter. Epistolatim, per epistolas. Lunatim, per singulos menses. Metabulum, pro spatio. Victoriare.

Pausare verbum, nam pausam pro quiete antiqui dixere. Eremititas, pro eremo seu solitudine. Officiositas, pro munere. Oramen, pro prece. Victimare, tanquam victimam offerre.

Sospitare, salutare. Deliquium, pro peccato. Optio pro occasione, item pro petitione.

Vindicium, pro vindicta.

Grassedo, pro crassitudine. Sol, pro die. Multiplicus, pro multiplex. Versibilitas, pro mutabilitate & inconstantia. Inconuulsibiliter. Combinatus, pro imbutus.

Iugitas, pro perpetuitate. Dibellio, pro rebellio. Potestatiue. Præsentialiter. Dulcoratus. Repriorans. Anticeps. Fulcimen. Noxietas.

Taxatum, pro narratum. Compactare, pro formare, & veluti fabre facere. Pusillitas, pro paruitate. Mundialis. Disertitudo. Et quædam alia ad hunc modum.

Genera confusa, casus peruersi, numeri in nominibus & verbis neglecti: & tota inde Latini sermonis structura dissipata, describentium, non authoris fuisse vitia, est manifestum. Idcirco nos omnia eiusmodi emendauimus: cum in reliquis nihil nobis permiserimus.

QVI STATVS CHRISTIANÆ RELIGIONIS CORDVBÆ SVB ARABVM IMPERIO D. Eulogij tempore fuerit.



CCVPATA Ab Sarracenis Hispania, multis de causis Barbari victores Christianis pepercerunt. Illudque eos in primis commouit, quod magnas lateque diffusas Hispaniæ prouincias accolis ipsi implere non poterant. Vt igitur essent, qui agros colerent, consueta mercimonia exercerent, & tributa principi persoluerent: Christianos in Hispania quoscunque potuerunt, conseruauere. Relictus iis fuit religionis cultus, templa multis locis intacta permanserunt: libereque permissum, vt Christiano ritu eadem frequentarent. Cordubæ vero maior Christianorum numerus relictus, maiorem etiam religionis cultum retinuit. In vniuersum namque ea ciuitas multis modis ab Mauris iam inde fuit nobilitata. Sedes regni totius, quæ Hispali paucis annis constiterat (referentibus Rasi & Ruderico Toletano Antistite in Arabum historia, quæ nondum est excussa) per Abdalazim Muçæ in Hispaniæ administratione successorem eo fuit translata. Ibi arcem, ibi templum, nunc etiam inter tot ingentia ædificia toti orbi admirandum erexerunt; scholas ibi philosophiæ, & publica doctrinæ gymnasia (vt est in Alfonsi regis historia, quam Generalem dicunt) esse voluerunt: & regni caput constitutam sublimi vndique magnitudine & maiestate extulerunt. Sed longum sit, si omnia percensere velim, quæ eo tempore ad Cordubensis ciuitatis amplitudinem & maiestatem collata sunt. Verum enimuero quanquam quicquid Barbari poterant claritatis nostræ vbi eo tempore certatim inferrent: multo tamen illam Deus Optimus Maximus maiori splendore inclytam esse voluit; cum captiuam, oppressam, & multis malis afflictam Christianorum ibi Ecclesiam religionis cultu, fideique catholicæ amore maxime fecit excellere. Vt quæ martyrum cæde iam diu antea irrogata nobilissima fidei Christianæ germina, & vberrimos fructus protulerat: nunc sacri cruoris exundantibus riuis plenius imbuta, præstantiorẽ sibi gloriæ coronam in cœlis pararet, ciuibusque suis firmum certumque apud Deum patrocinium maiori cumulo in omne æuum compararet. Id quale quantumque fuerit diuinæ largitatis beneficium, diui Eulogij libri fusius & vberius declarabunt.

Corduba Maurorum regni sedes.

ET quoniam Cordubam, cum imperij Arabici domicilio & sede ibidem constituta, summa omnia Hispaniæ iura tam sacra quam prophana immigrarunt: Christianæ religionis dignitas atque potestas, quæcunque fuerunt, eo etiam ex tota prouincia sese transtulerunt. Non quod Toletana Ecclesia, vt fuit olim, & nunc quoque est, eo tempore totius Hispaniæ primas esse desierit, caputque Christianæ apud nos religionis haberi. Non quod metropolitanum suum Hispalensem Cordubensis Ecclesia non agnosceret. Sed quia tyranni cum omnia possent, & ad sese omnia reuocarent: eo conuenire ad concilium reliquos antistites cogebant, ibique de quibuscunque cuperent rebus & consultare, & statuere volebant. Indicio suo duo concilia Cordubæ per illa tempora congregata. Alterum, cuius D. Eulogius meminit, ab omnibus Hispaniæ metropolitanis cum subditis Episcopis celebratum: alterum, cuius in Sampsonis abbatis Cordubensis, de quo suo loco dicemus, Apologetico mentio fit. Et quoniam hanc, quam dico maiorem potestatem miserabili profecto de causa habere Cordubensis Ecclesia videbatur: ideo multo plura ibidem templa, basilicæ, monasteria virorum ac fœminarum, & permansisse, & denuo exædificata fuisse D. Eulogij scripta testantur. Operæpretium fuerit ad Dei omnipotẽtis gloriam catalogum hic iam sacrorum locorum, qui Cordubæ fuere, ex D. Eulogij præsertim libris apponere. Et intra vrbem quidem hæc fuisse memorantur.

Concilia duo Cordubæ cõgregata.

Samson Cordubẽsis.

Tẽpla Christianorum Corduba.

Sancti Acisli martyris Cordubensis basilica, vbi sanctum eius corpus requiescebat.

Sancti Zoyli martyris Cordubẽsis basilica, in qua sanctum eius corpus erat tumulatũ.

Sanctorum trium martyrum Cordubensium Fausti, Ianuarij, & Martialis basilica, vbi eorundem cineres asseruabantur. Huius templi mentio etiam est in priscis annalibus, quos initio liber ille Compostellanus habuit, de quo in Dominico Sarraceno martyre dicemus. Ibi ita legitur, Era M.xxxiij. Octauo Kalendas Ianuarij captus, & lanceatus fuit Comes Garsia Fernandi à Sarracenis, inter Alcocer & Langa in riba de Dorio. Et quinta die mortuus fuit, & ductus ad Cordubam, & sepultus in Sanctos tres, & inde ductus fuit ad Caradignam.

Basilica

Basilica sancti Cypriani.
Basilica sancti Genesij martyris.
Sanctæ Eulaliæ virginis & martyris basilica, quæ ex 10. cap. lib. 3. Mem. Sanct. astrui non potest intra Cordubam fuisse.

EXTRA VRBEM.

Sancti Christophori martyris monasterium, vrbi trans flumen propinquum, in parte Meridiana.
Cuteclarense monasterium in montibus vrbi vicinis, diuæ Mariæ virgini sacrum.
Tabanense cœnobium, ipso diui Eulogij tempore constructum in iisdem montibus.
Pilemellariense monasterium sancti Saluatoris: & ipsum etiam eodem tempore iisdem in montibus conditum, cuius etiam hodie ruinæ visuntur.
Armilatense cœnobium, ad Armilatæ fluminis ripam in montibus sancto Zoylo dicatum.
Sancti Felicis martyris monasterium in oppido Froniano eorundem montium.
Monasterium sancti Martini in montibus ad locum Roiana.
Sanctorum martyrum Iusti & Pastoris cœnobium in montibus ad viculum Leiulense.
Palma oppidum, Annanellos vicus, & alia quædam oppidula, quæ nominantur, sua templa habuere, inter quæ Colubris dictus vicus sanctorum martyrum Cosmæ & Damiani habuit ecclesiam.
Fuit etiam prope Cordubam templum sancti Sebastiani.

In his, atque aliis multis templis, quæ nominare diuus Eulogius non potuit, prætetquam quod sacra fierent, docendi quoque cura & erudiendi quamplurimos consuetudo perseuerabat. Id docet multis locis diuus Eulogius, & in eiusdem vita Aluarus: vbi etiam apparet non vulgarem illum doctrinæ cultum, sed supra captiuitatis & miseriarum, in quibus degebant fideles, tempora præcellentem. Ipsa templa etiam intra vrbem suas turres, ænea sua cymbala habuere, quibus Dei plebem assidue conuocabant. Et durat adhuc Cordubæ exiguum vnum, ab illis vsque temporibus, vt suo loco referemus, conseruatum. Sacerdotes, monachi, sacræ virgines, peculiari veste, legitimoque cultu amicti, detonsi etiam in publico conspiciebantur. Quæ omnia ex diuo Eulogio atque aliis duobus eiusdem sæculi scriptoribus, sunt manifesta. Neque sine pretio tamen, & recentibus semper exactionibus, vt idem sanctus martyr & alij tradunt, concessa fuere. *Martyrij in tempore cessatio.* Vnum illud tantummodo mortis etiam in terminatione fuerat Christianis vetitum, ne pseudoprophetam eorum Mahometum maledictis incesserent, aut legi suæ cum probro detraherent. Hoc vno fideles Christi abstinerent, Arabum templa non intrarent, tributa persoluerent: tuti, & pene liberi poterant permanere. Nam & Comitum dignitas semper Cordubæ inter Moçarabes perseuerabat: *Comites Moçarabes Corduba.* vt ex Samsone Abbate, & Cypriani Cordubensis epigrammatibus, per hæc ipsa tempora scriptis constat: & quod in diuo Eulogio legimus, publico exceptorum munere iidem fungebantur Christiani, atque inter Tyrones Regios, de quibus suo loco dicemus, Regiis annonis, vt ipsis sancti martyris verbis vtar, vescebantur. Et Samson Abbas, cum de Seruando Comite initio libri secundi agit, aperte Comitatum Cordubensem nominat. *Seruandus Comes.* Vt intelligere debeamus, Gothorum more Comitem Cordubæ Moçarabibus Christianis datum, qui eis præesset. Ius inter eos diceret, & controuersias aliquas leuiores, neque ad publicam Regis maiestatem, fiscumve Regium pertinentes, decideret. Eius enim dignitatis Gothorum tempore, quod ex eorum legibus præsertim constat, hoc fuit proprium & peculiare, vt vrbes regeret: cum militiæ munia Duces imprimis obirent. *Archidiaconi & Archipresbyteri Moçarabes Corduba.* Et inter sacerdotes etiam præter abbates, qui, vt diximus, templis præerant, Archidiaconi, atque Archipresbyteri nomen & dignitas perdurabat. Cyprianus enim in illorum suorum epigrammatum titulis Archipresbyterum sedis Cordubensis se appellat. Archidiaconi mentionẽ ab eodem factam mox referemus. *Bibliotheca sancti Acisclo.* Illud etiam scitu dignum, in templis etiam nostrorum publicas Cordubę bibliothecas fuisse: vt facile quiuis possit intelligere quanto doctrinę ardore nostri flagrarent. *Adulfus Comes.* Vnam scriniis etiam insignem, quam in sancti Acisclitemplo Adulphus Comes reposuerit, idem Cyprianus Archipresbyter longo epigrammate celebrauit. *Saturninus Archidiaconus.* Alterius etiam meminit, quam ipse Saturnino Archidiacono magna ex parte perscripsit.

Sarraceni quanto opere Moçarabes deuitarent. Sed enim, cum hæc ita sint, Christianorum tamen contactum referente diuo Eulogio, tamquam in ipso contaminarentur, Sarraceni prorsus deuitabant: & ab illorum pueris nostri indigna multa in publico patiebatur. Tributa vero grauissima fuisse,

idem sanctus Martyr ingemiscit, & illud in primis, quod singulis mensibus soluebatur. Nouis etiam tributis Christiani Moçarabes onerabantur. Adeo vt de oblationibus omnium Ecclesiarum partem soluere, nouo tributo excogitato, cogerentur. Quod Samson de Seruando Christianorum Cordubæ Comite, sed nefario homine loquens, his verbis deplorat. Exinde omnes basilicas vrbis prædictæ tributarias fecit esse: & impurus hostis de purissimis oblationibus fidelium in vsus templi collatis Dominici, thesauros fisci inhiatus est ampliare. Vt spoliando mensam Christi, & ditando palatia fisci, videretur aquam sitientibus auferre, & amplissimo maris sinu infundere: sicque actum est, vt venale sacerdotium sustinentes ipsæ basilicæ, non more solito dignos recipere, & indignos queant sacerdotes repellere. Et quæ sequuntur. Hæc autem sex octove annis post diui Eulogij martyrium facta fuisse, suo loco, plenius de Samsone agentes demonstrabimus.

Moçarabes tunc Christiani dicebatur, quasi Mixtarabes, quia mixti Arabibus degeret. Rudericus Archiepiscopus Toleta. lib. 3. cap. 21.

CÆTERVM quamuis Christianorum ecclesia Cordubæ congregata diui Eulogij temporibus, vt dicebam, in dira captiuitate tot tantisq; solatiis templorum, monasteriorum, doctrinæ, & exemplorum in sanctissimis viris alleuaretur, vt non omnino capta, aut deserta videri posset: illud tamen habuit verum ac solidum de diuina benignitate solatium, illo maiori beneficio magnam persensit Dei misericordiam: quod multi ex ea martyres eo tempore prodiere, qui veram fidem in viuis sua morte confirmarent: mortui etiam viuentibus suo patrocinio Dei clementiam propitiam redderent. Qui autem, quotque fuerint, diui Eulogij libri, & quæ his nos adiunximus, latius ostendent.

AD LECTOREM.



Hvius Diui Eulogij vitæ duo habuimus exemplaria. Alterum cum sancti operibus in vetustissimo Ouetensi ad finem cohærebat. Alterum mihi benigne commodauerat Michael Ruizius Açagra, serenissimorum Bohemiæ Principum Rodulfi & Ernesti à secretis, adolescens ingenio & literis ornatissimus, & in peruestiganda omni antiquitate studij & diligentiæ singularis. Fuit is etiam codex literis Gothicis in membranis descriptus, & quod multis indiciis apparebat, itidem vetustissimus. Plura continet poemata, Dracontij nimirum de opere sex dierum libros duos, cum diui Eugenij tertij Archiepiscopi Toletani supplementis: Coryppi grammatici Africani ad Iustinum Imperatorem libros quatuor: eiusdem diui Eugenij epigrammata, & quædam alia. In fine vita hæc diui Eulogij fuit adnexa. Ouetensis codex nullum titulum habuit huic operi præfixum. Ille alter hunc præferebat, quem apposuimus. Sed Eræ computatio fuit varie in margine signata, cum abraso numero, vt apparebat, alter fuisset suprascriptus. Annus Dominicæ Incarnationis recte fuit signatus. Inde nos & ex Astronomica nostra ratione supputandi (cuius nobis opportunitatem Aluarus ad finem operis, quemadmodum ibi apparebit, præbuit) vtrumque recte signauimus, & astruximus. Nomen etiam Regis in titulo mendose fuit ascriptum. Abderrahgman enim legebatur: cum ipso mortuo, Mahomad eius filius diuum Eulogium, quod ex eiusdem libro tertio constat, martyrio coronauerit: & Aluarus etiam ipsum Regem Mahomad nominat. Ipse Aluarus nobilis admodum, & illustri genere videtur fuisse: siquidem serenissimi titulo ipsum non semel compellat Eulogius. Quod idem præceptorem suum etiam vocat, humilitatis est prorsus: cum fuerint, vt confestim legenti apparebit, condiscipuli. Quinimo & per catacrisin quandam Aluarus Doctor dicitur, homo laicus & coniugio, quantum coniicere datur, innexus, cui huiusmodi titulus minime eo tempore poterat competere.

VITA

VITA VEL PASSIO BEATISSIMI MARTYRIS EVLOGII PRESBYTERI ET DOCTORIS, QVI PASSVS EST Era DCCCXCVII. Anno Incarnationis Domini DCCCLIX. sub rege Mahomad, die quinto Idus Martij.

Authore Aluario Cordubensi.

1 BEATISSIMI Martyris & Doctoris Eulogij passionem disponens scribere, prius vitam eius putaui dirigendam in ordine, quam sui finis agonem pulcherrimum designare: vt quis vel quantus fuerit ante lectoribus innotescat: & sic deinceps adeptum ex merito palmam victoriæ, euidentissimis † elucescat indiciis. In cuius operis principio Domini fretus & Redemptoris nostri auxilio, profiteor me nō audita & dubia, sed visa & per me probata retexere, quoniam, gratia Dei cooperāte, à primæuo adolescentiæ flore charitatis dulcedine, & scripturarum amore vno vinculo concordi innexi, huius vitæ, licet non pari ordine, tamen pari affectu in cunctis quæstionibus duximus iugum. Sed ille sacerdotij ornatus munere, pennis virtutum in sublime euectus, altius euolabat: ego luxuriæ & voluptatis luto confectus, terra tenus repens hactenus trahor. Et inde est, quod non incerta, & quorumcumque hominum narratione comperta, sed mecum gesta, & per me cognita narrare disposui. Quia sicut de incertis temere referre sententiam, periculosum fore profiteor, ita de cognitis subprimere ea, quæ † nosci debent, vacuum periculis esse non reor. Est quoque & laudabilis pro exemplo prædicanda omnibus veritas, & nihilominus detestanda Rhetoricorum composita falsitas. Quoniam melius est de multis præclaris nihil facitioribus dicere, quam ex paruis bonis multa falsa differere: tutiusq; est, omnia, quæ gesta sunt, præterire, quam ea, quæ non † fuerunt, aliqua fingere. Et mitius errat, qui non malitiæ voto, sed segnitiæ fastu vera subprimit, eo, qui disserte falsa confingit. Veritas enim, si studio veritatis, & non vanæ gloriæ iactantia dicitur, dicenti coronam implodit: falsitas autem, si ab aliquo intentatur, coniectantem occidit. Et ideo sicut me veritatem dicentem remunerandum esse congaudeo, ita falsitatem si dixero, condemnandum esse non nego. Quibus ergo causis ad falsitatem retexendam insilirem, ipse non habui, qui veritatem in omnibus, non mendacium remunerare cognoui.

clarescat m. s.

Aluarius D. Eulogij admodum familiaris.

nosci debentur,

fuerint;

IGITVR beatus martyr Eulogius nobili stirpe progenitus, Cordubæ ciuitatis Patritiæ senatorum traduce natus, ecclesiæ ministerio mancipatur, sancti ac beatissimi Zoyli æde deseruiens, & in eiusdem collegio clericorum vitam deducēs, multis & clarissimis virtutibus floruit, magnis & laudabilibus operibus viguit. Ab ipsis enim incunabulis literis ecclesiasticis hærens, & quotidie per studia bonorum operum crescens, perfectionem adeptus est, ac super omnes coætaneos doctrinæ scientia clarens, & eruditionis lumine florens, magistrorum doctor est factus. Quippe qui mentem senilem paruissimo corpore gerens, vincebat etsi nō ætate certe scientia vniuersos. Erat † enim studiosissimus scripturarum scrutator, & intentissimus sententiarum inuestigator. Ita vt nihil scripturæ præponeret sanctæ, nihil magis eligeret, quam in lege Domini meditari die ac nocte. Nec contentus magisterio doctorum suorum, alios si quos forte audiret, procul positos, requirebat: & ne offenderet proprios, furtim se horis, quibus poterat, subtrahebat. Nam & abbatem bonæ recordationis & memoriæ Speraindeum * opinabilem & celebritate doctrinæ præconabilem virum sæpius inuisebat, auditorioq; more ex illius ore disertissimo dependebat. Qui ipso tempore totius Bæthicæ fines prudentiæ riuulis dulcorabat. Ibi eum primitus videre merui, ibi eius amicitiæ dulci inhæsi: ibi illi indiuidua sum nexus dulcedine. Eram namque iam dicti inlustrissimi viri auditor: & dum frequentius eius limina tererem, incultumq; ingenium acuerem, tandem respectione diuina huius tanti viri societate coniungor. Et catenatim † insolubili nexu non innector tantum, sed vnior: factique sumus auditores viri, inquisitores veri, amatores nostri. In tantum vt illa ætas indocta sibi non concessa præsumeret. Agebamus vtrique scripturarum delectabilem lusum, & scalmum in lacu nescientes

Diui Eulogij nobilitas, & educatio.

3 4 5

Sancti Zoyli templum.

D. Eulogius pusillo corpore.

(autem)

Speraindeo Abbas.

** Magnā scilicet opinionis: Hispanismus, vt paulo inferius in passione opinatissimū Eulogium dicit.*

(inadibili)

Eulogij & Aluari in studiis e… citatio.

regere, Euxini maris credebamur fragori. Nam pueriles contentiones pro doctrinis, quibus diuidebamur, non odiose, sed delectabiliter epistolatim in inuicem egimus; & rhithmicis versibus nos laudibus mulcebamus: & hoc erat exercitium nobis melle suauius, fauis iucundius, & in ante nos quotidie extendentes, multa inadibilia tentare *[in]* † in scripturis, puerilis immatura docibilitas egit. Ita vt volumina conderemus, quæ postea ætas muta abolenda, ne in posteros remanerent, decreuit.

[dum annos] SED † cum iam annos iuuentutis adtingeret Eulogius, diaconij ministerio fungitur, atque in breui merito vectus ad superos, gradu presbyterij sublimatur: moxq; magistris ordine & vitæ moribus sociatur. *[Eulogius presbyter & doctor factus.]* Quanta illi humilitas, quanta bonitas, quanta inhæserat charitas, amor omnium ostendebat. Ex hinc cœpit se acriori vitæ austeritate constringere, & modestiæ legibus in vniuersis actionibus perornare. Scripturis vacare diuinis, & corpus suum vigiliis ac ieiuniis castigare, monasteria frequentare, cœnobia inuisere, regulas fratrum componere. Hinc inde cuncta eo modo curare, quo, si fieri posset, vtrobique adesset. Ita clericatum agens proprium, vt regularem ordinem non dimitteret alienum: ita monachis adhærens, vt clericus probaretur. Ita in clero degens, vt monachus videretur, vtrobique aptus adcurrens, & vtrarumque professiones vnus sufficientissime complens, currebat sæpius ad cœnobiorum sacratissimos greges. Sed ne proprium ordinem contemnere putaretur, ad clerum iterum remeabat: in quo dum aliquod tempus persisteret, ne virtus animi curis sæcularibus eneruaretur, itidem monasteria repetebat. *[excutiendo cunctis]* Hic doctrina oris ecclesiam ornans, illic vitam propriam † excutiendo decorans, in † cunctis virtutibus positus, viam sæculi mœrens incedebat, & anxius: & quotidie ad cœlestia volare cupiens, corporea sarcina grauabatur. In tantum vt Romam ire disponeret, *[Peregrinatio Romana.]* vt adolescentiæ næuos lachrymis, & peregrinationis itinere domaret, immo domitos deleret: sed ecce omnes hinc inde insistimus, & eum magis corpore quam animo retinemus.

7 VERVM dum ista & alia referuntur, tandem Reccaffredus episcopus super ecclesias & clericos quasi turbo violentus insiluit: *[Reccaffredus Episcopus.]* omnesq; sacerdotes, quos potuit, carcerali vinculo alligauit. Inter quos vt electus aries ducitur, & cum Pōtifice suo vel aliis sacerdotibus vincitur. *[Eulogius in carcerē missus.]* In qua retrusione magis orationibus & lectionibus operam dedit, quam vinculis. Ibi sanctis virginibus Floræ & Mariæ, pro fide comprehensis, illud documentum Martyrale vno libro composuit. *[Flora & Maria Virgines & martyres.]* In quo eas ad martyrium verbis tenacissimis solidauit, easque & per se verbis & per epistolas mortem contemnere docuit. Seque, suosque socios, earum suffragiis vinculo soluendos commisit, quod & obtinere mox post sextum diem passionis earum promeruit. Nam illę octauo Calendas Decembris expleuerunt martyrium, sacerdotes vero Domini tertio Calendarum earundem
8 solutionem adepti sunt. Extat super hoc inlustriore stylo confecta, & mihi his diebus directa epistola, passionem earundem virginum, & ereptionem sacerdotum ipsarum
9 virginum meritis continentem. Ibi metricos, quos adhuc nesciebant sapientes Hispaniæ, pedes perfectissime docuit, nobisq; post egressionem suam ostendit. Inde & mihi pro libris illis, quos in defensionem martyrum dederat, epistolam facundo loquutionis genere dictatam direxit. Nam cum omnes, qui cum eo erant sacerdotes, vacarent otio & quieti, ille non noctibus, non diebus à lectione cessabat, noctes diesque ingeminans, scripturarum mella lambens, & ore & corde spiritualiter ruminans.

VERVM operæpretium reor, si paulo altius incedentes, tempore persequutionis qualiter probatus extiterit, inseramus. *[(Denique)]* † Nam dum episcopi, sacerdotes, clerus, & sapientes Cordubę in martyrio nuper exorto deuio calle incederent, *[Eulogius martyrū incentor & cultor.]* ac timoris impulsu pene fidem Christi, si non verbis, nutu tamen negarent, hic tamen inadibilis nunquam vacillare, vel tenui est visus susurro. Sed omnibus pergentibus ad agonem occurrens, vniuersorum animos roborans, cunctorumq; ossa venerans & componens, in tantum ardescebat: *[ardore martyrij, vt]* † vt dote martyrij & ipse incentor ipsis diebus videretur esse martyrum. Pro quo rectitudinis zelo multis extitit contumeliis propulsatus, magnisq; terroribus fatigatus. Nam vnus ex proceribus illum impetens, & minis exasperans, diuino iusto iudicio in reprobum sensum conuersus, fidem, quam tenens nescius impugnabat, mox miser & stultus amisit. *[Cap. 2.]* De quo plenius in libro Memoriale Sanctorum tertio iam dictus beatissimus disputauit. In quibus libris & passiones sigillatim martyrum claro fonte loquutionis explicuit, & prosequutione sufficienti quæcumq; acta sunt in martyribus domini & dicta, sequuturis generationibus propalauit. Quantus autem, vel quam excellens fuerit scientia, luce clariora eius pandent opuscula, quæ sale Attico & prosatico lepore, immo diuina inspiratione composuit.

SED

Sed redeundum est ad Reccaffredi episcopi tempora, & qua arte à sacrificio se suspenderit, ne eius glutinaretur errori, proferendum. Namque ipsis diebus cuncti ei & vi & potestate addicti, iussu regio subditi, iniquo videbantur hosti adiuncti: & qui 10 priori insurrectione aduersi & erecti contra eum steterunt, tunc terrore † conciti, quasi familiares hærebant non mente, sed corpore: nec dilectione cordis, sed compulsione terroris, & ne aditus ei nocendi daretur in amplius.† Ita quoque Rex contra nos desæuiens legibus necessitatem induxerat, & liberum arbitrium interpollans, omnes truci 11 subdiderat hosti. Cuius historiæ veritas in alio opere enucleatius differetur.

Reccaffredus Episcopus. — (concisi) — Ita quoque Regio

Nunc vero huius admirabilis viri tantum enodare sanctissimam cupimus artem.† Is enim graui instinctu doloris, dum vndique circa se dolosum cerneret ipsius episcopi grassari ingeniũ, & cæteros ei communicantes deprehẽderet, nec resistẽdi sibi copiam inesse videret, nec amouendi licentiã (vtpote fideiussoribus datis) † remanere sibi cõspiceret: cœpit se graui adterere gemitu, magnoq; intrinsecus vt diximus mactari dolore. Sed nutu Dei contigit, vt quadam die præsenti Episcopo beati Epiphanij Cipriæ 12 Salaminæ Episcopi, Ioanni Episcopo Hierosolymitano directa epistola legeretur. 13 Quam ego cuidam diacono præceperam legere: in qua idem beatissimus pontifex Origenis nenias arguens, & ordinationem cuiusdam presbyteri in monasterio iam dicti Hierosolymitani adsignato à se consecrati defendens, causam ordinationis retexuit, beatissimorumque presbyterorum Hieronymi & Vincentij continentiam sacrificãdi laudando innexuit. Quam narrationem tum iam dictus Eulogius auida mente magis arripiens, quam suscipiens, & sibi à Deo datam occasionem cognoscens, ingenti vulnere quasi percussus, ab intimo corde trahẽs suspiria, meq; intuens, conuersus Episcopo dixit: Si lucernæ Ecclesiæ, & fidei nostræ hoc egerunt columnæ, quid nobis facere cõuenit, quos delicti onera grauiter deprimunt, & affligunt? Cognoscat ergo vestra paternitas, interdictam à me ipso mihi sacrificandi licentiam. Sicque huiusmodi ingenio tempore Reccaffredi se ipse suo ligauit arbitrio. Cuius professionis licet hoc modo ordinem sumeret, delectabili tamen † vsu perfunctus, nolebat postea statum reiectum recipere. Sed Pontifex proprius in tantum eum † amissum officium sacrificandi compulit repedare, vt eum anathemate ferire non vereretur, nisi citius redire promitteret.

Eulogij prudens constãtia. — (Qui) — imminere — Epiphanij Epistola. — Vsitato — ad missum

Et erat vir ille in omnibus professionibus principaliter, & non medie decoratus, cunctis ex æquo deseruiens, & cum præiret omnes scientia, humilior certe etiam infimis videbatur. Clarus vultu & honore præcipuus, eloquentia fulgidus, & vitæ operibus luminosus. Incitator martyrum & laudator, tractator peritissimus & dictator. Quis ardorem ingenij, quis decorem eloquij, quis fulgorem scientiæ, quis affabilitatem vsualem officij, quocunque poterit prudentiæ dicere flumine? Quæ enim illi non patuere volumina? quæ potuerunt eum latere ingenia catholicorum, philosophorum, hæreticorum, necnon & gentilium? Vbi libri erant metrici, vbi prosatici, vbi historici, qui eius inuestigationem effugerent? Vbi versus, quorum ille ignoraret canora? vbi hymni, vel peregrina opuscula, quæ eius nõ percurreret pulcherrimus oculus? Quotidie enim noua & egregie admiranda quasi à ruderibus, & fossis effodiens, thesauros elucidabat inuisos. Quanta docibilitas tam pretioso munere ornatę † inesset animę, quanta & inexhausta cura solertiæ, nullus sapiens comprehendere poterat. Et ô admirabilis suauitas mentis, nunquam priuatim scire aliquid volẽs, nobis omnia præstabat. Vitiata corrigens, fracta consolidans, inusitata restaurans, antiqua repriorans, neglecta renouans, & quæque poterat ex antiquis viris gesta competere, satagebat operib. adimplere. Seueritatem Hieronymi, modestiam Augustini, lenitatem Ambrosij, patientiam Gregorij in corrigendo errores, in sustentando minores, in demulcendo maiores, in sufferendo † horrores, vnus idem se multipliciter varium exhibebat.

D. Eulogij laus. — inerat — sorores

Nec ei suffecit monasteria patriæ suę inuisere, quinpotius occasione fratrum suorum, qui ipsis diebus in Franciæ finibus exulabãt, indeptam viam arripuit, & in Pampilonensium territoria vltro progrediens, monasterium sancti Zachariæ ingressus, & aliorum cœnobia ipsarum regionum gliscenti voto percurrens, multorum patrum est amicitia dulcoratus. Quorum conuersationem in epistola, quam Episcopo Pampilonensi in carcere positus dedit, nominatim locatimue digessit. In quibus locis multa volumina librorum reperiens abstrusa, & pene à multis remota, hũc remeans, suo nobis 14 † regressu adduxit. Ibi beati Odoarij est fruitus conloquio, cui centum quinquaginta regulares monachi militabant. Inde secum librum Ciuitatis beatissimi Augustini, & Aeneidos Virgilij, siue Iuuenalis metricos itidem libros, atque Flacci † saturata poemata, seu Porphyrij depicta opuscula, vel Adhelelmi Epigrammatum opera,

Eulogij peregrinatio. — Odoarius Abbas. — (in sacratissimo pectore collocauit.) — Libri, quos D. Eulogius Cordubam attulit. — (Satyrata)

15 necnon Auienni fabulas metricas,& hymnorum catholicorum fulgida carmina,cum
16 multis minutissimarum causarum ex sanctis quæstionibus multorum ingenio congre-
17 gatis,non priuatim sibi,sed communiter studiosissimis inquisitoribus reportauit.Idem
18 præterea fulgorem operis & coruscationem ingenij resplendentibus semitis præsen-
præsentibus tialiter cunctis † sequentibus & vsualiter sequentibus, specificis semper ostentans indiciis,& luminosis deducens vestigiis,vbique lucidus gradiens,vndique fulgidus rediens, limpidus, dulcorosus, nectareus, CHRISTI coronatus emicabat omnibus famulus.

** Hoc loco aliquid deesse videtur.* NEC illud omittendum in hoc opere reor,quod post diuinæ memoriæ Vuistremiri Toletanæ sedis episcopi, * in eandem sedem ab omnibus comprouincialibus, & cõfinitimis Episcopis electus, & dignus est habitus, & pro relatu omnium comproba-
19 tus. Sed dispositio diuina, quæ eum sibi ad martyrium reseruabat,quibusdam repagulis obuiauit. Cumque iam ipsa communis electio eum sibi consecrare in episcopio adclamaret,rerum obuiantium aduersitate impediti,alium sibi eo viuente interdixerũt eligere. Qui licet argute frustraretur ab ordine, tamen non priuatus eiusdem ordinis munere.Siquidẽ episcopatum cœlestem adeptus est, dum per martyrij gloriam Christo coniunctus est.Omnes namque sancti Episcopi,non tamen omnes Episcopi sancti. Ille vero sanctitatem per cruoris fusionem inueniens, Episcopij ordine fungitur,dum cœlo † receptus,æternis promissionibus muneratur.

Vuistremirus Archiepiscopus Toletanus. Eulogius electus Toletanus Archiepiscopus. tenus,

CVMQVE his virtutibus & dogmatibus insigniretur,& omnibus quasi lucerna super candelabrum posita, ac veluti ciuitas in montis sita cacumine procul altius emicaret, & vt doctus scriba de thesauro domini sui noua & vetera vniuersis familiis præuideret, in sacerdotibus primus, in confessoribus summus, in iudicibus residens non extremus:tandem voti compos effectus, diuina sibi cooperante clementia inopinato iudicio,sed deliberatiuo studio euectus est ad superna.Et ea,quę à martyrib. fusis postulauerat lachrymis, & per tota sua opuscula more sparserat precis: obtinere meruit operibus sanctitatis. Quod verius poterit noscere,qui ipsa eius egregia opera curauerit legere. Et quoniam expedit,& dignum vobis visum est pro vtilitate legentium, & pro annuo festiuitatis suæ recursu, passionem eius breuiter explicare : ideo sequestratim, pure & synceriter agonis sui pulcherrimum induximus finem.

Ab hinc passio eiusdem.

Et Arabicũ dolum dixit in epist. ad D. Eulogiũ inf. fo.106.b Mahomad Arabum Rex.

TEmpore igitur,quo sæua dominatio Arabum calliditatis astu omnes fines Hispaniæ misere deuastabat, quo Rex Mahomad incredibili rabie & effrenata sententia Christicolum genus delere funditus cogitabat, multi terrore cruentissimi Regis mutuentes, eiusque insaniam modificare nitentes, per trucem voluntatis iniquæ officium diuersis & exquisitis occasionibus gregem Christi impetere tentauerunt.Plerique Christum negando se præcipitio commiserunt: alij duris tormentis agitati, commoti sunt. Porro alij florenti virtute stabiliti
21 sunt,& fundati.In cuius(vt diximus)tempore martyrium fidelium coruscando resplẽduit,& error negantium fluctuauit. Nonnulli enim,qui fidem Christi tantum mentibus retinebant,instinctu Dei quod celauerant,luminositer & patule proferebãt, Nul-
22 lo disquirente ad martyrium prosilientes, & coronam sibi ex tortoribus rapientes. Ex quibus, Arabs genere,B. Christophorus extitit,cuius passionis ordine in alibi digerere cogitamus.Sed & ex eorum numero B. Aurelius & sanctus extitit Felix, qui cũ vxorib. ad passionis gloriam post multa & prolixa latibula prodierunt. Ex ipsis etiam florens virtutibus Flora virgo beata,quæ contemnens sæcularem labilem pompam, æternam meruit sine fine coronam.Quorum hic noster sanctissimus Doctor agonem singillatim exposuit,& actus vitasque corusco sermone explicauit.

Ecclesia sub hoc Rege persequutio. Christophorus martyr. Aurelius & Felix martyres. Flora martyr.

Leocritia virgo. HOC tempore puella nomine Leocritia quædam genere nobilis,mente nobili-
23 or,ex Gentilium fece progenita,& ex luporum visceribus prodita, dudum per quandã
24 sibi genere proximam Christo dicatam nomine Litiosam, aquis salutaribus tincta, &
25 occulte fide Christi induta enituit, odoremque nectareũ notitiæ suæ cunctis adsparsit. Etenim cũ ad iam dictam religiosam in annis infãtię more propinquitatis recurreret, eamque quib. illa sermonibus poterat,quotidie instrueret,tandem respectione cœlesti fidẽ Christi mente suscepit:& ardore amoris susceptam pectore conseruauit. Quæ dũ ad annos sapientiæ veniret, & scientiæ contingeret lumina: fidem illam, quam tenerrimis

Litiosa Deo dicata.

Hmis institutis occulte didicerat, quotidie fomentis spiritualibus auctam in ampli-
us crescentem alebat, primum occulte, deinceps patule & aperte. Quam parentes se-
dule admonentes, & nihil omnino proficientes, conati sunt eam flagellis & verberib.
impetere, vt quam per blandimenta amouere non poterant, saltim terrorib. coerce-
rent. Sed ignis ille, quem Christus in corda fidelium misit, nullis minis cedere nouit. In
hoc conflictu dum diebus vapularet & noctibus, seque acerrimis impetendam vltio- *dira*
nibus & † duris vinculis præpeditam videret, metuens ne non propallata publice fide,
cauterio vteretur perfidiæ: per internuncios beatissimo Eulogio, opinatissimo iã mul- 26
tis talib. operib. viro, vel sorori eius Anuloni virgini Deo dicatæ causam suam innotu- *Anulo B.*
it: & quia ad tutiora loca fidelium, in quibus fidem suam posset interrita propallare, ire *Eulogij soror Deo dicata.*
vellet, exposuit. Illico beatus Eulogius solitum officium recognouit: & vt erat fautor
anhelantissimus Martyrum, hanc exire clam per eosdem internuntios ordinauit. Illa
concite artem fingens, & parentibus quasi consentiens, nostramque fidem verbis im- *ex opere*
petens, & † data opera omnia selecta ornamenta induẽs, seq; more illorũ quasi placitu-
ra & nuptura sæculo ostẽdẽs, nisa est eorũ inflectere animos, & sibi exosos comere gres- 27
sus. Cũq; sibi omnia iã tuta inesse prospiceret, ad nuptias quorumdã propinquorũ suo-
rum, quæ ipsis agebantur diebus fingens, vt eidem officio congruit, ornate procedere,
celeri cursu se beatissimo Eulogio, vel sorori eius Anuloni tutandã exhibuit. Quã mox
grato animo suscipientes, occulendam probatissimis tradiderunt amicis. At vbi pater
eius & mater expectantes filiam non viderunt, delusos se ingemiscentes, rabie inaudita
& dolore inuiso se ipsos cruciantes, cuncta disturbant, vniuersa contaminant curren-
tes per ignotos & cognitos, & potestatiue, ac iussione Præsidis, quosque impetendos
putabant, carceribus & vinculis onerabant, viros, mulieres, confessores, sacerdotes, de-
uotas, vel quos poterant flagellis & carceribus affligebant, si quo modo possent filiam
suam per hæc & ampliora recipere. Ille vero sanctus immobilis ei loca diuersa muta-
bat, & ne traderetur ouis luporum in manibus, omni intentione curabat. Illa tamen
ieiuniis & vigiliis insistens, & cilicio membra tegens, vel puluere cubans, seuere mem-
bra corporis elimabat. Sed & vir beatissimus, cum reuerentia nominandus, Eulogius, 28
nocturnas vigilias adpetens, & in basilicam sancti Zoyli terratenus prostratus orans, *Basilica S.*
noctes insomnes ducebat, auxilium Domini & fortitudinem virgini imprecans, & se *Zoyli.*
per hæc exercitia Domino consecrans.

Inter hæc virgo serenissima beati Eulogij germanã, quã ardenti desiderio diligebat,
videre voluit, & ad eorũ habitacula nocte deuenit, reuelatione Dñi prouocata, & auidi-
tate consolationis perducta, vt vno die tantũmodo cum eis moraretur, & iterũ ad soli-
ta latibula repedaret. Quib. & retulit, sibi vna & alia vice orãti liquore mellis os reple-
tũ fuisse, q † se non ausu temerario expuisse, sed inglutiisse, crassi elementi admirando *illa*
speciẽ referebat. Cui ille sanctus hoc esse præsagium, regni cœlestis dulcedinem per-
fruendam, disseruit.

Verum dum alio die redire virgo disponeret, actum est, vt comes itineris non
hora sueta, sed inlucescente aurora veniret. Nec potuit aditum exeundi habere, quip-
pe quæ nocturno tempore, pro euitandis insidiis solebat incedere. Prouisum est, vt ea-
dem die vsque dum sol metã sui luminis terræ subduceret, & nocturnę tenebrę quietu-
dinem optatam indulgerent; virgo Dei eo, quo manebat loco, persisteret. Humano
quidem consilio, sed diuino retinebatur iudicio: vt & suam sibi coronam, & beato Eu-
logio imponeret gloriæ diadema. Nam eo die, nescio cuius instinctu, quorũue insidiis
† & proditione locus præsidi latibuli indicatur, & à militib. ad hoc missis ex improui-
so omnis illa eorum habitatio circundatur. Actumque est, vt electus & prædestinatus *(Vel)*
martyr præsentialiter adfuisset. In cuius præsentia iam dictam virginem educentes, e- *Eulogius & Leocritia capti.*
umque vna pariter comprehendentes, verberantes, multisque contumeliis affligẽtes,
iniquo præsidi, & scelerato iudici præsentarunt. Quẽ mox iudex per flagella occidere
cogitans, truculento vultu & impatienti animo vehementi furore accẽsus, furiosis ver-
bis interrogat, virginemq; cur domo retinuerit minitando disquirit. Cui libẽtissime &
patiẽtissime, more loquutionis suæ, splẽdide rei veritatẽ hoc ordine pandit. Præses, or-
do nobis prædicationis iniunctus est, & nostræ hoc fidei conuenit, vt disquirentibus
à nobis lumen fidei porrigamus, nullique ad vitæ itinera properanti, quæ sancta sunt, *Eulogius ad Præsidem.*
denegemus. Hoc sacerdotibus competit, hoc religio vera deposcit, hoc etiam
Christus Dominus noster nos docuit: vt quisquis sitiens † fidei haurire flumina volue-
rit in duplo potum inueniat potius quã quem quæsiuit. Et quoniã hæc virgo fidei san- *fidem illa*
ctæ regulam à nobis inquirere visa est, necessarium extitit, vt † illi nostra eo † se liben- *sibi*

tius adplicaret intentio, quo eius in amplius incenderetur affectio. Nec decuit talia
desiderantem reiicere, præsertim illi, qui ad hoc Christi electus est munere. Vnde &, vt
posse mihi extitit, illustraui, & docui: & fidem Christi viam regni esse cœlestis exposui.
Quomodo & tibi, si me disquirendum putasses, libentissime facerem. Tunc pręses tur-
bido vultu virgas inducere iussit, eum minitans flagellis perimere. Cui sanctus dixit,
Quid istis virgis exercere cupis? Animam (inquit) tuam per has educere volo. Gladium
(ait) acue & compone, pro quo animam à vinculo corporis expeditam ei reddas, qui
dedit. Nam flagellis membra dissecare non extimes. Et mox clara inuectione & suffici-
enti eloquio falsitatem vatis sui & legis improperans, & prædicationis verbum inge-
minans, sub omni velocitate palatium ducitur, & ad regis consiliarios vsque pertrahi-
tur. Vbi vnus ex ipsis, illi familiarissime notus, compatiendo insiluit. Si stulti (inquit)
& idiotæ in hanc mortis deflendam ruinam deuecti sunt: tu sapientiæ decore præcin-
ctus, & vitæ moribus illustratus, quæ te dementia huic mortifero casui, obliterato na-
turali vitæ amore, committere compulit? Audi me obsecro, & ne præcipiti casu corru-
as rogo. Dic tantum verbo in hora huius tuę necessitatis, & postea tua, vbi vbi potueris,
29 vtere fide. Promittimus te nusquam inquirendum. Cui beatissimus martyr subridens: ô
Diui Eulogij mira cõstantia. (inquit) si scire potuisses, quanta fidei nostræ cultoribus maneant reposita: Aut si pos-
sem, quod meo retineo, tuo committere pectori: tunc iam non me à proposito reuo-
care conareris, sed libentius te ab hoc mundiali honore amouere cogitares. Et cœpit
eis Euangelij æterni verbum porrigere, & prædicationem regni constanti libertate in-
fundere. Qui illico eum nolentes audire, gladio iubent transfigi. Cumque duceretur,
vnus ex eunuchis regis alapa eum percussit. Cui ille alteram faciem præparans, obse-
cro (inquit) vt hanc iterum verberando, priori coæques. Quam cum secundo feriret,
D. Eulogius occiditur. ille patiens & mitis iterum priorem parauit. Sed impetu militum ad locum occisionis
deducitur, vbi genua in oratione curuans, & manus ad cœlos extendens, signoq; cru-
cis totum se muniens, paucis verbis intra se orans, ceruicem mucroni tetendit, & cele-
ri ictu mundum contemnens, vitam inuenit. Compleuit martyrium suum quinto Idus
30 Martij, die sabbato, hora nona. Et ô felicem & admirabilem nostro sæculo virum, qui
& præmisit in multis sui operis fructum, & reliquit in virgine se sequendum. Secum
victoriæ vexillum manibus eleuans, & manipulum laboris sui pro se Domino libans,
oblationem puram, & pacificas hostias offerens, & in se, quæ alios docuerat, Christo
Columba in diui Eulogij corpore insidet. rerum Domino repræsentans. Mox vero vt proiectum est cadauer è loco eminentiori
inductum aluei, columba miro candore niuescens, videntibus omnibus, secans aera
pennis, super corpus martyris aligerans sedit. Quam omnes missilibus petris hinc in-
de abigere conantes, & nihilominus consistentem repellere non valentes, manibus
voluerunt cominus effugare. Sed illa in circuitu corporis non volans, sed saliens, su-
per turrim corpori imminentem propius resedit, & ad corpus beatissimi viri vultum
Aliud miraculum. conuertit. Nec silendum est miraculum, quod ad laudem sui nominis Christus est su-
Astigitana ciuitas. per corpus martyris operatus. Etenim vnus Astigitanæ ciuitatis incola, dum inter ce-
teros palatinum lunatim mansionis seruitium ageret. Ibique cursum suum vigiliis ex-
31 pediret, nocte aquam potare desiderans, surrexit, & ad prominentem canalis ductum,
32 qui super illa loca producitur, peruenit, vbi vidit desuper super corpus eius, quod de-
orsum iacebat, sacerdotes miro candore niuentes, luminaria coruscantia retinentes, &
psallentium more psalmos grauiter recitantes. Qua visione perterritus, ad mansionis
tota locum magis fugiens, quam rediens, repedauit. Et socio † omnia renuntians, cum eo
iterum ad locum reuertere voluit: sed iam secundo cernere illud non valuit. Cuius be-
(Pro, altero proxime sequente. Hispanismus vulgaris.) atissimi caput † alio die curiositas Christianorum redemit, corporis vero reliquias ter-
tio die collegit, & sub vmbra beatissimi martyris Zoyli tumulauit.

Beatissima vero virgo Leocritia multis oblectationibus delinita, multisq;
promissionibus impulsata, tandem diuino munere soliditate fidei roborata, quarta
S. Zoyli templum. post eius martyrij die extitit decollata, ac in flumine Bæthis proiecta. Sed aquis nec
S. Leocritiæ martyrium. submergi potuit, nec celari, erecto enim corpore pergens, mirum omnibus visum †
(exercuit.) præbuit. Et sic à Christianis educta, in basilica sancti Genesij martyris, quæ sita est ad lo-
Basilica S. Genesij. cum Tertios, extitit tumulata. Hic fuit beatissimi doctoris Eulogij finis: iste admirabi-
Tertios vicus. lis exitus, huiusmodi plenus opere transitus.

Nunc restat in fine voluminis Regi omnium sæculorum gratias agere, qui ab
33 initio fidei suam ornans martyribus Ecclesiam, dat lassis virtutem, & de se nihil præsu-
mentes perducit ad gloriam sempiternam. Ipsi Domino nostro gloria & imperium
per infinita semper sæcula sæculorum. Amen.

At nunc

AT nunc quia sermone pedestri & inculta oratione agonem Doctoris nostri & *Aluari ad*
Martyris nostri † expleuimus: restat, vt ad eundem amicissimũ nobis patronum, quasi *diuum Eulogium obte-*
ad audientem, & precibus nostris præsentem, sermonem vertamus, & familiaritatem *statio.*
nostram ei cognitam referamus. Certe potens est audire rogantes, & patrocinari mise- *(explicuimus:)*
ris, & afflictis: si merita nos adiuuauerint propria, si delicta non obuiauerint dura, si affe-
ctio hoc postulauerit pura. Ergo martyr Dei excelse, dulcis nomine Eulogi, Aluarum
tuum clamantẽ intende: & quem hic tenuisti charitate † animi fixum, illic tibi adsocia *animo*
seruum. Non aliorum quam tuis te interueniam verbis. Certe ego sum ille, quem tecũ 34
vnitum esse dicebas, ad quem & pro quo hoc modo locutus es: vt non sit (inquis) alter
Aluarus quam Eulogius, nec alibi quam penes intima Aluari totus sit conlocatus amor 35
Eulogij. Valeat, valeat, Christe domine, hæc suauis fidelisq; inter vtrosque dilectio. Va-
leat perenni culmine sanctitatis, & quasi lux splendens procedat & crescat vsque ad *Prouerb. 4.*
perfectum diem. Ecce Domine testimonium tuum præ manibus habeo, literis aureis,
& sententiarum gemmis depictum, sed desidero patrocinij tui complementum. Iam
enim quod in terris positus oratione, vt valeret, indesinenti orabas, in cœlis translatus,
poteris in me suffragio, quod in te impletum est, obtinere. Seruat namque amor verus
(vt ipse dixisti) in absentem fideliter charitatem, & quod sibi poterat, hoc exhibet in
amantem. Ergo, martyr egregie, & amice charissime, dum licet, & adhuc misericordiæ
imminet tempus, intercessionis tuum amico porrige munus: vt sit hic mihi concessa
remelioratio morum: sint crebra munera lachrymarum, sit affectio labili menti inlata
virtutum, sit affectiua compunctio iugis, sit purus pœnitendi affectus, sit locus optabilis
rite concessus, sit opportunus aditus nullis obicibus disrumpendus. Soluantur perple-
xionum omnium vincula, resiliant impeditionum cunctarum molimina, retinaculo-
rumq; obstacula: immutatione dexteræ excelsi in obsequentũ mutentur auxilia. Ape-
riantur ianuæ cordis, ad suscipiendum regnum Dei altissimi: inclinetur ceruix super-
ba, & colla subdantur, ad ferendum iugum suauissimum Christi. Vellem adhuc poscere
maiora, sed temeritatis vereor incurrere notam. Sed tu, ô serue Dei excelse, qui vultu
Dominico satiaris, eiusq; dono perpetuo iucundaris: illud adscisce misero interuenti-
bus dignis, quo nosti millena delicta purgari. Vitam quoq; æternam desidero, & regni
cœlestis requiem sitio. Quocunque ergo tormẽto aut flagello cura, remedium impen-
dere seruo, & eo ardoris igne dilectum purgare desidera, quo hic nobiscum videbaris
nexus in terra: vt dilectio illa clariori luce nunc emicet, quando & ampliori lumine lu-
cet, & potiori suffragio prorogare quæsita valet.

EGO autem, mi dulcis Eulogi, memoriam nominis tui, quantum potui, † lustraui, 36
vitam digessi, doctrinam expressi, agonemq; pulcherrimum explicaui: & vt nominis tui *inlustraui;*
delectabilis semper in mundo memoria floreat, & perenni splẽdore, sicut in cœlo vita,
ita hic mentio rutilet: & si non enucleatissimis sermonibus, tamen euidentissimis, qui-
bus valui, nisibus dedicaui. Construxi enim ære perennius monumentum gloriæ tuæ, 37
quod nec nimbosus turbo, grandoq; lapidea destruat, nec rogus flammarum quocum-
que igne liquefaciat. Ædificaui nomini tuo memoriam ex auro obrizo & lapidibus
omnigenis pretiosis, quam nullus violentissimus valebit diruere prędonis more tyran-
nus. Composui fabricã * culminis tui, & in sublime turrim habitationis tuæ erexi, vt sis ** Vide cap. 9. libr. 3. Memo.*
speciosa pharus, cunctis † virtutibus hinc inde relucens. Ornaui titulũ decoris tui vnio- *Sanctorum.*
nibus miro candore niuentibus, & topazione fulgẽti, vt vniuersis emicet finibus terræ. *(Niantibus)*
Adsparsi cineres sanctos nectareis flosculis, nullo æstu fatiscentibus, nec indito ceden-
tibus igne. Vnxi pretiosum corpus nardi pistico pretioso, ac diuerso thymiamatum ge- 38 *
nere, amomo, balsamo, bisamoq; commiscens, vt flagrans sanctitatis tuæ suauissimus
odor diffusus, per † omnia refertus sæcula nullo fine tepescat. Impleui amicitiæ vincu- *tota resiciet*
lum, & charitatis tuæ nolui nudum sæculo dimittere nomen, vt sicut cælo vita resplen-
des & opere: ita mundo lingua † elucescas & nomine. Vt generatio subsequens te lau- *clarescat*
datum inueniat, imitandum respiciat, & quantus fueris doctrina, nostro tenui ingenio
recognoscat. Neque priscorum studio corporalibus beneficiis, speciebus & floribus 39
constipatum te ætas sequuntura mirabitur, quæ consumuntur temporum vetustate: sed *
spiritualibus donis decoratum, & immortalibus sublimatum titulis venerabitur.

TV ergo venerabilis domine, æquiparando nobis redde mercedem, vt † qui seruitio *quia*
nostro tuæ decorãtur reliquiæ, & ornantur exequiæ: illustremur deinceps respectione
felici, visitemur dono cœlesti, vt ego ille, qui per prona hactenus, & abrupta nõ liquide
fluens, ab iniquitate mea defeci, & tabidus hucusque in malis meis manens, à vultu do-
mini mei recessi, maligno adhærens hosti, præuenienti gratia illustratus, & gratuita

misericordia quocumque vitæ termino consummatus, merear ita cœlestia indisrupta communiter tecum possidere gaudia, sicut hic pari fletu & gemitu terrena maceratus angustia, traxi diuturna & longa suspiria. Vt etsi non æquali datum est mihi fulgere gloria, saltim vel delictorum meorum mihi inlata sit venia. Quatenus non pœnali doleam barathro mersus, sed in cœlesti gaudeam requie tibi, vel cæteris dominis meis sociis tuis, condonatus. Amen.

HYMNVS IN DIEM S. EVLOGII presbyteri, quinto Idus Maij.

reuehit *poliferum* 1 ALmi nunc † redeunt festa † polifera
Nostri Eulogij martyris inclyti:
Soluamus Domino carmina principi
Concentu fidei cælico munere.
Laudamus varia musico carmine,
2 Quæ non sunt Domini prædita lumine:
Hic nunc sat melius res pia panditur,
Quum Christum resonant chordulæ metricæ.
At nunc hic † Hic nunc est animus magna reuoluere:
Splendenter anhelat balsama fulgide
Gliscens egregia clangere libere,
dulcis Vt † dulci roboet musica flamine.
Bellator Domini, verbo potentior,
Doctrina & pariter fine celebrior:
Christi sic igitur gloria cingitur,
hic & Vt florens vigeat † licet in æthere.
3 Rector dum populos docte reficeret,
doceret 4 Gypsum, quum † diceret, fragmine † prodire:
perdere Turbam multiplici germine lauream
Cœlesti rutilus agmine prouehit.
5 Vstus sic Domini zelo, fidelium
Conuertens fluidos mores rebellium,
Adsciscens opibus munere nobili,
Abstractos barathro sublimat æthere.
Sed iam cum meritis digna rependere
Christus cunctipotens vellet, Leocritiam
Recte mox lepidam virginem extulit,
Quæ clarum famulum axe reconderet.
Tunc celsus solitum rite solatium
Præstant † Præstat, & placidum compte remedium,
mox Cultum † tunc fidei dogmate ingerit,
Aduersans populis iusta rebellio.
Extemplo præconans prædo peranxius
Conturbat patriam, iussuve plebium
Per cunctas plateas longe reuoluitur,
Quod princeps rabidus excitus imperat.
Regnantem tumidum respuit inclyta
Cœlestis famuli mens Deo prædita:
Tandem præcipiti & ductu notabili
Comprehensus, sonuit mox quoque libere.
Optime † Dicens, ô proceres temnite impium,
Christum æthereum credite principem,
Vatem impudicum recte repellite,
Qui tantos populos igne recondidit.
Gaudens hæc resonet culmine gnauiter,
quæstunt Necnon & alia † conquerens fortia,
Hunc mandant gladio vertice tundere,
Ne sancta valeat turba recipere.

Adest

Adest intrepidus belliger annuens,
Tundunt quem alapis, sed rogat horridum,
Extendens faciem, verbere vt alteram
Alternans, gemina palma relideret.
Tunc signo fidei pectora seruulus
Armat deifice aurea, † roseo *purpura*
Colla † lactentia sanguine prædita, *lactinea*
Incuruat Domino, instat, & obsecrat:
Sic ictu gladij sydere conditur,
Sic verbo fidei clare reuoluitur.
Adesto miseris, quæsumus affatim,
Perplexos precibus soluere concite.
Adsiste gemitis poscimus excitis,
Inflectens famulis nunc quoque numinis
Auditum placidum, † atque serenius *quonã*
Mentem, vt precibus sancte refocillet.
Vt rector deleat regna ferocia,
Conculcet validus dogmata impia,
Adspiret fidei comptæ refulsio,
Qua cœli referet culmina fulgida.
Vt torquens hæresis longe resiliat,
Vt cultus Domini altius emicet:
Rectores patriæ flore redoleant,
Aduersos cuneos libere ventilent:
Sit vita populis, sit quoque prouida
Sanctis religio periuge tempora,
Sit trino Domino gloria sedula
Æternum dominans inclyte sæcula. Amen.

¶ *Post hæc superiora in altero exemplari sequentia erant continuata.*

Translatio corporis Sancti Eulogij presbyteri.

TRanslatio facta est Sancti Eulogij Martyris & Doctoris, in basilica Sancti Zoyli titulo principali, Calendas Iunias Era DCCCXCVIII. Celebratur autem dies VII. natalis eius in supradicto coto, eo quod omni tempore in diebus quadragesimæ occurrit illius solennitas.

Epitaphium Sancti Eulogij.

HIc recubat lepidus martyr, doctorq; refulgens
Eulogius, lumen, dulce per sæcula nomen.
Qui zelo fidei rutilans, virtute † priorum *forte, piorum*
Accensit animos magno fulgore virorum.
Hic macte celeber libris præconatur & hymnis;
Et vita † rigidus, & fine sole coruscus. *rigidus,*
Qui temnens fluida, conscendit lucida cœli.
Nec morte periit, sed viuit sede perenni.
Credite quæso mihi, viuit, per sæcula, viuit;
Quisquis cœlesti lætatur gloria regni.

Oratio Aluari.

NVnc te sancte rogo, recolas vt nomen amici,
Quem tua hic tenuit dulcis amicitia fixum;
Aluari extremi, qui multa clade reati
Infectus vitiis pergit per deuia mundi.
Prex tua hunc † teneat lapsum ad pascua vitæ, *tenebat.*
Vt solite sancto digno nectatur amore,
Quo tibi coniunctus mansit per sæcula charus,
Præsta Deus deorum regnans per sæculis, Amen.

Scholia in Diui Eulogij vitam.

1 ET Doctoris.) *In Concilio Cæsaraugustano 1. cap. 7. decretum his verbis fuit scriptum. Ne quis Doctoris nomen sibi imponat præter has personas, quibus concessum est, secundum quod scriptum est. Hinc diuus Eulogius Doctor in Ecclesia Cordubensi & habitus est, & vocatus. Et paulo post Aluarus notat, Eulogium inter magistros fuisse eo etiam tempore ascitum, quo fuit presbyter factus. Ipse quoque Eulogius Præsidem alloquens, hoc ipsum non semel de se testatur. Cæsaraugustanum concilium primum notaui, quia tria in ea vrbe celebrata in vetustissimis exemplaribus habentur, quæ in regio Diui Laurentij cœnobio seruantur.*

2 Ego luxuriæ.) *Humiliter de se loquitur, cum tamen vxorem se duxisse velit indicare.*

3 Cordubæ.) *Hic & vbique non Cordubæ, sed Cordobæ fuit scriptum in vtroque exemplari, iuxta veterem illam illorum temporum veri nominis corruptelam, quæ iam, vt suo loco diximus, inoleuerat. Fuit etiam vbique scriptum, eglesia, non ecclesia, vt agnoscas hic quoque paulatim obrepentem Hispanam, quam nunc retinemus, huius nominis prolationem. Inlustratus, adsperſus, & huiusmodi alia, quemadmodum in exemplaribus fuerunt, reliquimus.*

4 Senatorum traduce.) *Quod late in nostra historia ostendimus, post Gothorum & aliarum externarum gentium in Hispaniam irruptionem, tria hominum discrimina Prouinciam totam incoluere. Antiqui Hispani: Romani, qui se illis aliquot ante sæculis immiscuerant: Gothi itidem Alani & Sueui cum reliquis: qui tamen vno nomine Gothi postea appellabantur. Hoc cum multis testimoniis pateat, legibus tamen Gothicis, quæ in foro iudicum, vt vocant, continentur, fit manifestum. Posteriores etenim Gothorum reges in legibus, Hispanorum populos in vniuersum alloquentes, trium horum hominum discrimina separatim nominant. Et apud Paulum Orosium eorundem est mentio. Cum autem nobiles, qui ex Romanorum essent stirpe volunt intelligi, Senatores eos illorum temporum scriptores appellant: Paulus Emeretensis diaconus, qui de Episcopis eius vrbis scripsit: Samson Abbas Cordubensis, & cum Aluaro noster Eulogius. Ipsum itaque hic * Patritium, & Romanorum stirpis heredo significari. Quod si quis per catacrisin nobilem tantum, non Romanæ originis Eulogium hic dici existimet: ego cum hoc non contenderim. Mater D. Eulogij Elisabeth vocabatur, vt ipse in epistola ad Pompelonensem Episcopum scribit. Auus Eulogius itidem dictus fuit, vt in Apologetico appellat.*

Tria hominum in Hispania discrimina.

** Ex gente, vel familia ordinis Senatorij intelligendum est apud Aluarũ. Eademq; vi vtitur vocabulo Traducis, ipsemet Eulogius c. 17. lib. 3. Mem. Sanct.*

Mater & auus D. Eulogij.

Sancti Zoyli æde.) *Huius templi mentio est alicubi in D. Eulogij operibus. Eidem præfuit paucis post annis Samson Abbas, de quo plura in sequentibus dici oportebit. In hoc D. Zoyli templo corpus eiusdem martyris suo tempore asseruari D. Eulogius, & idem Samson docent. De Samsone Abbate lib. 1.*
5 *de Paulo Emeretensi diacono initio libri 2. dicemus.*

6 Sperandeum.) *Huius viri meminit lib. 1. & 2. Eulogius. Eius nomen varie in exemplaribus fuit scriptum: Spera in Deum, & Sperandeum.*

7 Tandem Reccaffredus.) *Cum multa non vno loco D. Eulogius de sua ista calamitate, & in carcerem trusione commemoret, nunquam Reccaffredi huius meminit: nec quis hic fuerit tumultus plane docet. Quantum ex sequentibus & ex Eulogij dictis possumus coniicere: Reccaffredus metropolitanus fuit episcopus, cuius ministerio Habdarrahgman rex Christianos voluit compescere. Ille autem aut prauo zelo instinctus, aut infideli metu compulsus ecclesiam Cordubensem atque alias grauiter afflixit: episcopum Cordubensem, cuius nomen nusquam proditur, aliosque templorum ministros in vincula coniecit. Sed neque qua de causa liberi postmodum fuerint dimissi, memorant: neque nos aliunde possumus diuinare.*

8 Extat super hoc.) *Durat etiam adhuc hæc epistola. Ibi hæc omnia latius referuntur. Pariter & illa altera, quam è vestigio commemorat Aluarus, extat epistola.*

9 Ibi metricos pedes.) *Innuit D. Eulogium in carcere positum, hymnos iis carminum generibus scripsisse, quæ Hispanis eo tempore essent incognita. Nimirum, vt mox apparebit, Horatij Poetæ opera ipse nuper adinuenerat, & illa illectus carminum varietate, similia tentare est aggressus.*

10 Namque ipsis diebus.) *En tibi Reccaffredum iussu regio ecclesiam afflixisse. Eulogius autem ac cæteri veri Christiani ei aperte resistere, tametsi cuperent, pia causa, quam Aluarus non tacuit, commoti nolebant. Cæterum D. Eulogius, qui illum excommunicatum & ab ecclesia alienum merito existimabat, sacris abstinere toto illo tempore decreuit: ne se videlicet eius etiam labe respergeret, quo cum foris videretur consentire. Satis autem indicabat, quam non consentiret, qui ita se contineret. Neque tamen vitare omnino poterat Reccaffredum: cum fideiussoribus, quos dederat, hac ratione noceret.*

11 Cuius historiæ veritas.) *Quum Aluarus hunc, quem refert, librum scripsisset, quo plenius omnia ista digesserat: hic innuere tantummodo contentus effecit, vt tenuis & subobscura ista notitia ad nos tantum perueniret.*

12 Vtpote fideiussoribus datis.) *Apparet cauisse Reccaffredum vadium interuentu, ne ab se posset Eulogius, postquam vinculis fuerat exemptus, seiungi.*

13 Beati Epiphanij.) *Extat hæc epistola à diuo Hieronymo in Latinum sermonem conuersa, & inter eius opera excussa.*

Quin-

Quinpotius occasione fratrum suorum.) *Hæc omnia fusius in ea epistola narrantur, cuius mox Aluarus meminit. Sed temporum series diligenter est attendenda. Reuersus enim ex hac peregrinatione ab Reccaffredo in carcerem conicitur. Inde eductus, concilio Cordubensi cum aliis metropolitanis celebrato interfuit, quamquam illorum sententiæ penitus non acquieuit. Quod lib. 2. cap. 15. ipse commemorat: & tempus quidem ita digessisse, & continuasse, vt multum deinceps ad intelligenda, quæ narrat Eulogius, contulerit. Reccaffredi namque nomen ipse nunquam apposuit, modestia vere Christianæ ergo, vt ego interpretor. Vnde illa omnia hinc sunt prorsus intelligenda.* 14

Inde secum.) *Animaduertere decet, qua cupiditate & diligentia perquirendorum librorum veterum vir sanctus teneretur. Inde quanto opere Cordubæ feruerent etiam in illo rudi, & vndique Christianis miserabili sæculo studia literarum, satis apparebit.* 15

Flacci saturata poemata.) *Allusit ad Iuuenalis versum. Satur est cum dicit Horatius, ohe.* 16

Porphyrij depicta opuscula.) *Tyrius fuit Philosophus Plotini auditor, Iamblichi præceptor, Malchus seu Basylius antea dictus: sed Porphyrius deinceps cognominatus, ob purpuream vestem, qua semper propter generis nobilitatem vtebatur. Acerrimus Christianorum hostis, quique ab egregiis ecclesiæ ducibus Methodio, Eusebio, & Apollinari contra ipsum decertantibus, fuerit profligandus. Plura de illo Suidas. Picta autem eius opera referens Aluarus, ea intelligi credo, quæ ad eloquentiam spectantia Suidas recensuit.* Satyr. 7. 17 Porphyrius.

Vel Adhelelmi Epigrammatum opera.) *Intelligit plane Adhelelmum Saxonum Occidentalium episcopum, in diuinis literis clarum, sed humaniorum studiorum & Poetices studiis sui temporis clarissimum. Floruit sub Iustiniano minore annis ante D. Eulogium plus ducentis. Eius operum catalogum Abbas Tritemmius texuit: & inter cætera librum carmine scriptum de Virginitate Sanctorum, quem hic intelligi præsertim crediderim.* 18 Adhelelmus poeta.

Necnon Auienni fabulas metricas.) *Rufus Festus Auiennus seu Abydnus poeta, vt quidam volunt Hispanus, inter cætera Virgilianas fabulas, iambicis versibus descripsit: & Æsopi etiam fabellas quæ elegiaco carmine circumferuntur, huius esse auctoris multi affirmant. Aut alterutrum, aut vtrumque opus hic possumus intelligere. Qui hæc & plura de hoc auctore scire voluerit, Quartum Lilij Giraldi de Poetis Dialogum legat.* 19 Auiennus poeta.

Post diuinæ memoriæ Wistremiri.) *Cordubam ex Gallia rediens Eulogius, vt ipse in epistola ad Pompelonensem episcopum narrat, aliquandiu Toleti apud hunc sanctissimum antistitem est diuersatus. Inde haud dubie factum est, vt Toletani Mocarabes, & sanctæ ecclesiæ præsertim ministri, quibus ex hac consuetudine eius viri sanctitas & doctrina probe fuisset perspecta: ipsum Præsulem sibi optarent, & deligerent. Alterum exemplar Tolenatæ calami certe vitio, hic habuit. Est autem Toletum vrbs Hispaniæ celeberrima, non semel ab Tito Liuio nominata, & ab Plinio etiam & Ptolemæo inter cæteras connumerata. De qua, vt de Carthagine Sallustius, præstiterit hic nihil, quam pauca referre. Præsertim cum sublimis huius vrbis nostro hoc tempore magnificentia & præstantia, omnibus sit notissima.* 20 Toletum.

Pro annuo festiuitatis suæ recursu.) *Attende festiuitatem D. Eulogij, & aliorum perinde martyrum Cordubensium, iam tunc institutas fuisse, & quotannis celebratas: & translatio etiam Diui Eulogij solenni more, vt paulo post apparebit, colebatur.* 21

Rex Mahomad.) *Habdarrahgmanis huius nominis tertij fuit filius: quod ex tertij libri principio patet.* 23

Arabs genere beatus Christophorus.) *Huius martyrium cum breuiter D. Eulogius lib. 2. expedisset: Aluarus latius describere cogitabat.* 24

Ex Gentilium fece.) *Gentilium nomine semper Arabes sectæ Mahometicæ vocat Eulogius. Hoc quoque esse videtur ex illa Romanorum vocabulorum affectatione, qua Consules & fasces aliaque eiusmodi sæpius repetuntur.* 25

Christo dicata.) *Sanctimoniales nostrates variis nominibus in Conciliis Hispanis appellantur: Deuotæ, Religiosæ, Deo dicatæ, sacræ virgines, & hoc ipsum Christo dicatæ. Vtitur eisdem nominibus varie D. Eulogius, & ipse Aluarus.* 26

Nomine Elitiosa.) *Alterum exemplar Litiosa habuit: nos id sequuti hic sumus, quod cum Diui Eulogij operibus cohærebat.* 27

Vel sorori eius Anuloni.) *Præter hanc sororem alteram etiam habuit D. Eulogius nomine Niolam. Tres etiam ei fratres fuerunt, Aluarus, & Isidorus, & natu minimus Ioseph. Ex epistola ad Pompelonensem episcopum.* 28 Diui Eulogij fratres.

Comere gressos.) *Ita fuit in ambobus exemplaribus. Et sensus interim cum tota argutia est manifestus.* 29

Cum reuerentia nominandus.) *Tam in his duobus exemplaribus, quam in aliis peruetustis libris Mocarabum Christianorum literis descriptis, quos mihi videre hucusque contigit f. pro u. & u. pro f. semper cernitur appositum. Itaque hic referentia, non reuerentia fuit scriptum: & semper prouanus, non profanus. Item è conuerso. Nescio quid hoc habet ex Digamma Eolico Fabij Quintiliani.* 30 Quint. lib. 1. c. 4. & Aul. Gell. libr. 14. c. 5. & lib. 19. c. vlt.

31 Cui beatissimus martyr.) *Expressit ad viuum D. Eulogius, & vere impleuit sancti senis Eleazari exemplum. Quod quia est ipsum per sese illustrissimum, & dictante diuino spiritu facundissime perscriptum: lectu est dignissimum.*

32 Compleuit martyrium suum.) *Mensis dies signatur, Martij videlicet vndecima: Sabbatum etiam fuisse dicitur: cum Era aut annus non fuerit ab Aluaro expressus. Hinc tamen iam, licet aliunde astrui non posset passum fuisse D. Eulogium anno Domini octingentesimo quinquagesimo nono, quem in titulo apposuimus, necessario penitus probatur. Illo enim anno Martij dies vndecimus in sabbatum incidit, neque aliquot retro annis in eum hebdomadæ diem inciderat, neque aliquot sequentibus sabbatum fuit occupaturus. Neque extra hos non paucos annos pati potuit Eulogius. Nam tres quatuorve ante hunc annos ipse (quod ex suis libris patet) in viuis erat. Nostra autem hæc supputandi ratio, vbi hebdomadæ dies signatur, non vera solum, sed omnino etiam irrefragabilis, ex canonica cycli solaris conuersione, & ex ea annorum & mensium desumitur obseruatione, qua cum ab initio sancta Christi vteretur ecclesia: postea Abbatis Dionysij, vt plerique tradunt auctores, doctrina & diligentia in dilucidiorem & certiorem formam fuit disposita, & constituta. Cæterum quemadmodum inde nos ad certissimam hanc annos in historia supputandi & digerendi firmitatem, si quando hebdomadæ dies nominatur, rationem inierimus: in nostra historia, vbi ad Gothorum tempora peruenimus, late sumus præfati. Occasionem autem huius obseruationis nobis Petrus Appianus primum in suo Cæsareo astronomico, & F. Onuphrius Panuinius vno atque altero loco in Fastis, olim præbuerant. Nunc vero Gerardi Mercatoris chronicon, superiori anno euulgatum, astronomicam etiam in supputando rationem, tametsi ab nostra ista diuersam, per eclipsium nimirum, quæ apud historicos reperiuntur, notationes, videmus retinere. Et quia solenne est diuo Eulogio hebdomadæ dies in martyrum cæde notare, vnde anni plerumque asseuerationem & certitudinem demonstrabimus: ideo fusius aliquanto de toto hoc nostro inuento hic fuit differendum.*

Petrus Appianus. Onuphrius Panuinius. Gerardi Mercatoris chronicon.

33 Lunatim mansionis seruitium.) *Menstruas significat excubias, quæ in arce agerentur, cum finito mense, noui excubitores prioribus succederent. Hoc enim aduerbio temporibus illis efficto diuus etiam Eulogius aliquando vtitur, & eo præsertim loco, vbi tributum Christianis per singulos menses impositum deplorat.*

34 Et ad prominentem canalis ductum.) *Prope arcem profecto iacuit ad fluminis ripam sanctum diui Eulogij cadauer, prope turrim, quæ Arcarum nunc appellatur: siquidem excubitor longius recedere non auderet. Et propius arcem haud dubie is erat siue fons siue aquæductus, quem petebat. Alioqui potus causa in flumen, quod arcis alluit fundamenta, citissime potuit descendere. De ea autem arce loquitur, quæ nunc etiam Cordubæ perdurat. Ea enim iam fuerat ædificata, quod ex Rasis Chronico, & ex peculiari Ruderici Toletani Præsulis de Arabum rebus historia, quæ nondum est excussa, aperte constat. Illud etiam est animaduertendum, præcipitium ingens esse ab arcis platea in alueum fluminis: vt sit ab latere per cliuum descensus.*

Rasis Chronicon. Ruderici Archiepiscopi Toletani Chronicon.

35 In basilica sancti Genesij.) *Huius templi & loci mentio non semel erit in diui Eulogij libris, in Apolog. Mart. pag. 84. b.*

36 Dulcis nomine Eulogi.) *Alludit ad Græcam originem vocabuli. Eulogius enim bonus sermo interpretatur. Alioqui & amoris teneritudine, ita potuit Aluarus loqui.*

37 Vt non sit inquis.) *Scripserat hæc proculdubio verba in aliqua ad Aluarum epistola Eulogius. Sed ea intercidit.*

38 Ego autem mi dulcis Eulogi.) *Offert iam hoc suum opus diuo Eulogio: & dum attollere orationem studet, multa ingeminans, & accumulans, cacozelon non potuit euadere, & tumidum quid, magis quam sublime perfecit. Fertilitas nimirum Cordubensis soli hanc quoque vbertatem semper in ingeniis protulit.*

39 Construxi enim ære perennius monumentum.) *Horatij versum tantum dissoluit: & ex recens lecto opere aliquid affectauit inspergere. Horatij versus hi sunt in fine carminum:*

Exegi monumentum ære perennius, &c.

40 Bisamoq; commiscens.) *In altero exemplari bisamo, in altero fuit visamo. Sed neutrum quid sit reperio.*

41 Neque priscorum.) *Locus in vtroque exemplari corruptissimus, spem etiam ademit diuinandi.*

Scholia in Hymnum & Epitaphia.

1 HYmnus in diem.) *Titulos qui fuerant in veteribus Codicibus, conseruauimus. Est autem hic hymnus, quemadmodum & epitaphia ab Aluaro, vt ego existimo, compositus. Carmen est quale illud, Sanctorum meritis inclyta gaudia.*

2 Laudamus varia.) *Sensus est: Solemus carminibus varias res celebrare, quæ ad Dei gloriam non pertinent: Quanto rectius carmina diuinis laudibus, vt nunc contingit, impenduntur.*

Rector

Rector dum populos.) *Quatuor sequentes versus in vtroque exemplari fuere corruptissimi: nos quoquomodo potuimus ex coniectura & ingenio emendauimus.* 3

Gypsum.) *In antiquis libris ad hunc modum legebatur. Gypsam quum doceret fragmine prodere. Nos substituimus, Gypsum quum diceret fragmine prodite. Sic versus constat: Sic aliquis sensus elicitur, nempe iste ex allegoria. Eulogius clamabat: Legem Mahomad penitus introspicite: ipsa se cum sua deterrima turpitudine ostendet & reteget. Quasi vas terreum aut testaceum, fractum docebit, quam sit fragile.* 4

Vstus sic domini.) *Hoc ideo dicit, quia aliquos ex martyribus parum constantes, & iamiam labantes, in fide confirmauit. Quod alicubi ipse idem Eulogius testatur.* 5

Translatio corporis.) *Exemplar cum diui Eulogij operibus coniunctum, cum epitaphium solummodo haberet, nihil habuit de eius translatione. In altero Michaelis Acagræ hæc ipsa fuere. Cum autem initio in hoc eodem templo fuerit, vt est in eius vita, sepultus: intelligo nunc eleuationem solennem fuisse factam. Nam illa verba: titulo principali, non diuersum templum, quantum ego possum intelligere, innuunt, sed ab rege aliquando conditum significant. Et hoc sensu in conciliis nostratibus scribuntur. Cotum, vocabulum est ab Hispanis nostris ex Latino, cautum, deprauatum: quod vetustissima regum diplomata ostendunt, & lapides in quibus legitur: Rex fecit cotum, & fecit cautum, indifferenter. Et multa huiusmodi.* 6

Vbi corpus, aut reliquiæ ipsius Martyris requiescunt, quod patet ex cap. 1 & 5. lib. 2. Mem. Martyrum.

Illud autem operæpretium fuerit animaduertere & expendere. Cum diuus Eulogius Martyrij vndecimo die interemptus, & Iunij primo fuerit translatus: cur in Martyrologio Vsuardi, & in Romano nuperrime excusso & adaucto, vigesimo Septembris eius festum reponatur? Quin etiam Breuiarium Cordubense eodem die habet. Huius rei causam ego eam fuisse crediderim, quod cum eo ipso die, Septembris videlicet vigesimo, sancti Eulogij presbyteri (eius qui inter priscos Eremi cultores insignis fuit) obitus fuisset annotatus, in libro qui Vitæ Patrum inscribitur, & diuo Hieronymo ascribitur, & in Martyrologio Romano: quidam eundem illum & nostrum hunc Cordubensem esse credentes, veritatis alioqui ignari, eidem diei eius festum attribuerunt: & in Romano quidem vtriusque eodem die festum notatur.

Festum diui Eulogij cur Septembri apponatur.

Illud etiam animaduertendum, Vsuardum non potuisse D. Eulogij, & aliorum eiusdem sæculi martyrum Cordubensium, quorum frequens in eius Martyrologio mentio est, passiones scripsisse. Nam cum Carolo Magno suum Martyrologij opus dicauerit, quantumuis iuuenis Imperatori admodum seni scripserit, vix credibile est D. Eulogio superstitem fuisse. Restat, vt aliquis postea eius operi nostrates hos martyres superaddiderit: qui certe ex diuo Eulogio non res solum, sed ipsa etiam eius verba aliquãdo deprompsit. Romanum vero Martyrologium, siquidem diuo Hieronymo tribuitur, meminisse diui Eulogij & coætaneorum martyrum non potuit. Sed adiectitia sunt omnia, quæ de his sanctis inibi leguntur, vt est opus nouis & nouis accessionibus opportunum. Idem dicendum de Bedæ martyrologio, qui diuum Eulogium ducentis annis præcessit: & tamen Lupi & Aureliæ festum mense Octobri ibi apponitur. Ado Viennensis in Gallia Archiepiscopus legerat profecto diui Eulogij libros. Nam & omnes ferme hos Cordubenses martyres in suo Martyrologio posuit, & quæ pauca de his commemorat, hinc plane desumpta sunt. Et eius historia ad vigesimum post diui Eulogij martyrium annum protenditur.

Vsuardus nõ potuit de diuo Eulogio scribere.

Romanum martyrologium.

Martyrologium Bedæ.

Adonis martyrologium.

Hoc vero nostro tempore corpus diui Eulogij simul & Leocritiæ Oueti, in celeberrimo multorum sanctorum corporum & reliquiarum sacrario, quod Cameram sanctam vocant, decentissime asseruantur. Theca reconduntur bene magna, argento vndique obtecta, signis perbelle exornata: in cuius summitate hæ literæ argento insculptæ leguntur:

Diui Eulogij & Leocritiæ corpora Oueti seruatur.

ANNO DOMINI MCCC. QVINTO IANVARII DOMINVS FERNANDVS ALVARI OVETENSIS EPISCOPVS TRANSTVLIT. *Hic tres dictiones desunt:* M. EVLOGII ET LVCRITIÆ IN HANC CAPSAM ARGENTEAM.

Fernandus Aluari Ouetensis Episcopus.

Neque dubium tamen esse potest, quin qua parte argenti subtractio fragmentum effecit, ad hunc modum esset scriptum: CORPORA SANCTORVM MARTYRVM.

Hanc vero argenteam arcam cum sanctis corporibus, ego, etsi indignus (quod summi beneficij loco mihi à Deo Opt. Max. misericorditer tributum libentissime recolo) his meis oculis, non tam senio iam caligantibus, quam spectaculi sanctitate præstrictis, contemplatus sum: his miseris manibus, hisce immeritis vlnis venerabundus sustuli, hoc ipso anno Domini MDLXXII. cum Philippus II. Rex potentissimus, idemq; & cognomine & studio pietatis & religionis vere Catholicus, sancta me & religioso inprimis Principe dignissima legatione misisset, ad reuerẽter inuisenda Sanctorum per Legionenses, Gallæcos, & Astures corpora & reliquias: custodiam, cultum, & venerationem, si digna pro eorundem maiestate esset, diligenter perquirendum, & renuntiandum. Et vt omnem sanctæ eius legationis summam breuiter complectar: prouidentissimamque & bene gratam Regis erga suos maiores curam & sollicitudinem referam: habui etiam in mandatis, vt priscorum Hispanorum Regum sepulchra perspicerem, an digne & honorifice essent eorum tumulata corpora animaduerterem: quam plene & accurate

Sancta Philippi Regis legatio.

iis statis diebus sacris tum anniuersariis solennibus, tum etiam quotidianis parentaretur, intelligerem. Illud etiam superiniunctum, vt bibliothecis omnibus publicis diligenter perlustratis, veterum omnium exemplarium catalogum perscriberem, & vt diligenti custodia asseruarentur, monerem. Sed ad Sanctorum corpora redeo.

Rex Alfonsus. Dulcidius. Rex Mahomad. Samuel. Ermenegildus Archiepiscopus. Sancta Leocadia sacellum.

Celebrat etiam sancta Ouetensis ecclesia festum translationis horum duorum sanctorum corporum: in cuius matutinis lectionibus scriptum est, quo pacto Ouetum fuerint adducta. Rex Alfonsus (quotus fuerit non referunt) Dulcidium quendam legatum ad regem Mahomad Cordubensem misit. Is opera Samuelis cuiusdam (qui se hanc ipsam translationis historiam scripsisse testatur) adiutus, ipsa sancta corpora adeptus, Ouetum tandem pertulit. Rex vero simul cum Ermenegildo, Ouetensi tunc temporis Archiepiscopo in sanctæ Leocadiæ sacello, saxeo sepulchro subtus altare excauato, quod nunc etiam vacuum conspicitur, eadem beata corpora theca cupressina inclusa, decenter cum solenni pompa reposuit. Miraculum paulo post paralitici sanati consequutum est.

Rudericus Guterrius mirabiliter curatus. Alfonsus Magnus. Antiphona, & oratio de sanctis Eulogio, & Leocritia.

Multo vero post tempore Rudericus Guterrius Ouetensis archidiaconus, distorto ore mutus repente factus, horum sanctorum martyrum interuentu, quorum patrocinium fusis interne precibus implorauerat, sanatur. Eius miraculi occasione factum est, vt sepulchro extracti, & theca argentea denuo reconditi, in sanctam Cameram, quemadmodum retulimus, eleuarentur. Hæc ibi. Cæterum ex Ermenegildi Archiepiscopi, & Mahomad Regis, mentione intelligimus, Regem Alfonsum huius nominis tertium, cognomento Magnum, fuisse eum, ad quem Corduba sancta corpora fuere perlata. Nec grauabor carmina etiam apponere, quæ loco antiphonarum & responsoriorum in eo festo decantantur, quamuis rude quiddam & incultum sonent: cum Hispanæ eorum temporum in carminibus vetustatis expressam imaginem retineant.

> Eulogii cultus crescit per sæcula multus,
> Lucritiæ pariter festa sequuntur idem.
> Nec timet Ouetum subitum contingere lætum,
> Nam festum lætum iussit abesse metum.

Oratio.

DEus, qui per beatissimos martyres tuos Eulogium & Lucritiam Ouetensem ecclesiam adornasti: concede nobis famulis tuis veniam delictorum: vt eorum patrociniis roborati, pro tuis beneficiis gratias tibi debitas referamus. Per Dominum, &c.

Aluari opera. Sanctorum Facundi & Primitiui cœnobium. Spina monasterium. Mindoniensis ecclesiæ bibliotheca. Indiculus luminosus.

Et Lucritia sane vbique Oueti scribitur, non Leocritia. Nos vetustos codices potius sequuti sumus. Aluarus vero hic noster librum etiam scripsit Scintillarum, ipsum nos in Regio, de quo iam diximus, sanctorum Facundi & Primitiui cœnobio manuscriptum in membrana cum hoc titulo vidimus. In Christi nomine incipit liber scintillarum Aluari Cordubensis, collectus de sententiis sanctorum Patrum. In fine constat ante quadringentos annos fuisse descriptum. Eundem etiam multo vetustiorem literis Gothicis scriptum, sed lacerum: principio fineque carentem in inclyto Cistercienſi prope Vallis Oletum monasterio dicto del Espina, conspeximus. Eundem etiam habet Mindoniensis ecclesiæ in Gallæcis bibliotheca. Fuitque eius operis argumentum in illa eo tempore librorum penuria admodum necessarium, nec nunc tamen aspernandum. Etenim per locos communes de virtutibus & vitiis, multa quæ in sacris literis, multa quæ ab sanctis doctoribus dicta sunt, congesta reperiuntur. Excusum etiam Basileæ, sed mutilum, & sine nomine auctoris, circumfertur. Scripsit præterea, vt D. Episcopus Placentinus existimabat, idem Aluarus opus egregium, cui titulus est, Indiculus Luminosus. Permanet Gothicis literis in membrana descriptus Cordubæ in bibliotheca Fani maioris, sed sine auctoris nomine. Tantum notatum ab ipso auctore est, scriptum opus fuisse Cordubæ anno domini octingentesimo quinquagesimoquarto, quo, vt frequenter apparebit, & florebat, & scribebat Aluarus. Stylus etiam aut Aluari prorsus est, aut simillimus. In eo opere multa ad ea ipsa, quæ in his Diui Eulogii operibus continentur spectantia traduntur. Mentio enim fit quorundam ex his martyribus, quorum vitam & agonem scribit Eulogius: vt hinc etiam Aluari esse videatur. Vnum illud est, quod vt Aluari opus illud esse non credam, omnino persuadet; quia nimirum D. Eulogii ibi mentio nulla fit. Nec arbitror Aluarum in tanta beneuolentia continere se potuisse, quin eius eadem scribentis meminisset. Et de hoc iterum in Scholiis libri primi ad finem.

DIVI EVLOGII MARTYRIS CORDVBENSIS, DOCTORIS ET ELECTI ARCHIEPISCOPI Toletani Liber Memoriale Sanctorum, ab ipso inscriptus.

PRAEFATIO.

EGO quidem volumen hoc Memoriale Sanctorum appellans, illis tan- 1
tummodo ascysteriis commentaueram, è quibus prior ille monachorum 2
globus ad resistendum mendacissimo vati processerat. Sed postquam
ex vrbibus, viculis, oppidiculis, & castellis certatim proruere ad hoc cer-
tamen viros, ac mulieres cognoui, neque quenquam vereri præsidis tribunal compe-
ri, sed omnes pro testamento, & legibus Dei nostri mortem incunctanter elegisse con-
spexi: vniuersis illud ecclesiis supra solidissimam petram fundatis dicaui, vt tantum
haberent cuncti de triumpho eorum suæ consolationis, & gloriæ exemplum, & gau-
dium, quantum fuit illos ex diuersis locis venisse, & in exemplum totius Ecclesiæ dis-
crimina passionum subiisse. Sed reor, quod inter ipsos haud dubie principatum obti-
net sanctus Isaac monachus. Qui prior è Tabanensi cœnobio in forum descendens, 3
iudicem adiit, atque his verbis eum aggreditur: Vellem (inquit) iudex, cultor fidei stre- 4
nuus fieri, si modo tu non differres ordinem, rationemq; eius mihi exponere. Cui cum *Isaac monachus martyr.*
libenter, quasi iam tyrunculo fidei suæ credituro iuueni inflatis buccis, turgenti guttu-
re, crepitantia infra caua palati verba institutionis lingua fallax proferret, sectæ huius *Tabanense*
auctorem Mahomad fore prædixit; qui Angeli Gabrielis magisterio illustratus, ver- *monasterium.*
bum Prophetismi ab Altissimo nationibus relaturus accepit: legem instituit, Paradi-
sum disseruit, regnumq; cœlorum plenum epulis, & fluxibus fœminarum edocuit. Sed
& alia plura, quæ hic disponi perlongum est, ex ritu pro vano arbitrio prosequente, 5
protinus Ephebus ille venerabilis monachus, vt erat apprime literis Arabicis imbutus,
Arabice dans illi responsum: Mentitus, ait, est vobis, ita maledictionibus tabescat di- 6
uinis, qui tanto scelere implicatus, tantorum agmina perditorum inuasit, secumque
inferorum barathro mancipauit. Ille etenim dæmonio plenus, dæmonicis fauens præ-
stigiis lethale morbidis propinans poculum, æternæ perditionis luet interitum. Qua-
re vos scientia præditi à talibus non abdicatis periculis? Quare non renuntiantes vlcus
pestiferi dogmatis, perennem fidei Christianę Euangelicam sospitatem optatis? Hęc,
& his similia ore pudico, summis reuerentiæ auribus, viribusque lingua peracuta beato
disserente Isaac, stupore nimio iudex turbatus, ac veluti amens effectus, vbertim la-
chrymasse perhibetur: & quadam mentis hebetudine occupatus vix potuisse fertur,
exprobranti se monacho respondere: sicq; manu extensa faciem eius verberanti, con-
festim monachus dixit: Consimilem imagini Dei vultum audes ferire? vide qualem
propter hoc redditurus sis rationem. Iccirco, à consedentibus secum sapientibus de-
prehensus, arguitur, quod grauitatis Censoris oblitus leuiter per semetipsum ad cæ- *Censore nominat,*
dendum martyrem egerit: & præsertim, quia secundum legum suarum sententiam, is *quem*
qui pro crimine dignus est mori, nullius pœnæ conuitiis lacerari debet. Tunc iudex ad *prius & post*
sanctum Isaac conuersus ait: Forte madidus vino, aut frenesi captus ad ista, quæ pro- *iudicem nominauit. &*
fers, non facile potes aduertere. Nam ipsius vatis nostri, quem tu temere conuitiis im- *inf. lib. 3. cap.*
petis, sententia manet irrefragabilis, animaduerti debere in eos, quia talia de ipso non *16.*
verentur profiteri. Ad quem venerabilis Isaac intrepida responsione ait: Ego quidem,
iudex, nec vino madidus, nec quolibet morbo saucius sum, sed zelo iustitiæ conflagrãs,
quia vatem vestrum, vosq; expertes existere comperi, veritatem vobis exposui: propter
quam si mors furibunda occurrerit, libens excipiam, placidus subeam, nec ab eius casi-
bus ceruices meas auertam. Noui enim, Dominum dixisse: Beati qui persequutionem *Matth. 10.*
patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Tunc iudex car-
ceri illum tradens, protinus regi causa eius innotuit, qui tantę accusationis euentu per-
territus, illico ferocioribus animis ferox promit edictum, dicens morti vsquequaque
fieri debere obnoxium, talem in auctorem fidei suæ ferentem conuitium. Hinc Dei
seruus ad necem damnatus vertice plectitur: hinc in stipite eleuatus capite deorsum
appenditur, atque vltra amnem in spectaculum vrbis locatur, tertio Nonas Iunias, Fe-

Annus Domini DCCCLI. ria quarta, Era octingentesima, octuagesima nona. Cuius corpus post aliquot dies cum cæteris, qui eum imitando perempti sunt, igne crematum, & in fauillam conuersum, deinceps in amnem proiectum est. Sed necesse est exponere, quibus indiciis vel prodigiis hic beatus Isaac extiterit in infantia denotatus, vt ex eo diuinitus ad corona martyrij illum fuisse credamus electum, ex quo in matris vtero positus terribilem valde parentibus stuporem intulerit. *Præsagia de beato Isaac martyre.* Tribus namque vicibus vna die, paulo antequam nasceretur, visus est loqui: cuius rei nouitate perterrita mulier pene mortua vim verborum nequaquam potuit intelligere. Alio etiam tempore, cum adhuc septennis existeret, virgo quædam cernit per visionem globum luminis è cœlo descendere, & inter omniũ præstolantium turbam solus hic vlnas extendens, manibus lumen excepit, totamque eius claritatem ori suo iniectam, ebibit: felicem tunc, & vere beatum omnibus tali condignum munere nuncupantibus. Hæc sunt infantiæ eius prodigia & signa, quæ illum dignum martyrio longe antea portenderunt. *Tabanense cœnobium. Dies Iunij viij.* Nam quidam sacerdos ex cœnobio Tabanensi, ex quo idem beatus ad agonem processerat, peractis Missarum Dominico die solenniis, septimo scilicet Iduum Iuniarum, qui post quintum martyrij sui diem eu-

8 nerat, in quodam lectulo fratrum recumbens, obdormire paulum cœpit, & ecce subito per somnium vidit puerum decoris pulcherrimi à partibus Orientis venire, schedamq; miræ pulchritudinis manibus gestantem sibi adsistere. Quam ab eo accipiens, scripturam eius legere cœpit: erat enim his exarata sermonibus. *Genesis 22.* Sicut pater noster Abraham Isaac filium Deo in sacrificium obtulit, ita & nunc sanctus Isaac in conspectu Domini sacrificium pro fratribus immolauit. Et continuo quidam è ciuitate venien-

9 tes, dixerunt beatum Hieremiam martyrio cum aliis fuisse coronatum per Dominum nostrum IESVM Christum, *Hieremias martyr.* cuius exemplo nonnulli ad publicum sub eadem professione perempti sunt. *Sanctus Perfectus martyr.* Sed dudum anticeps illis beatæ memoriæ Perfectus presbyter extit, qui ob eiusmodi professionem, qua & isti, occubuit: sed non eo modo, quo ipsi deciderunt. Prædictus namque presbyter coacte ad passionem tractus, viriliter consummauit sancti certaminis cursum. Hi vero sponte sua venientes, acriter hosti resistunt, & quadam violentia per effusionem cruoris regnum cœli capessunt. Quo autem ordine idem venerabilis Perfectus presbyter passionis brauium emeruerit, principium libri secundi exponet: *Cap. 1.* ac deinceps cæterorum nomina, ætates, ortus, temporaq; allisionum edicet. Quapropter hanc præfationem in capite voluminis posui, vt inter laudes, vituperationesq; sanctorum me discurrente, interdum etiam auctori profano obuiam venientem lectores mei facilius intelligerent: precibus expiarent, orationibus adiuuarent: & tam de illis, quam de me ipsis fauente, iudicium proprium, & nunc & ante Dominum ferrent.

Incipit Liber primus.

1 ERITISSIMORVM virorum prouidum semper esse debet consultum, commoda Ecclesiæ Catholicæ non paruipendere, nec ab obuentu perfectionis eius desistere, vel si qua vitio cuiusque hebetudinis sese interserunt commenta piæ religiositati adultera, nullatenus improbo neglectu silentij in maiorem perniciem sinendum accrescere. *Ecclesia commoda inuigilandum.* Quia quantum meritis præclaræ conuersationis, seu sanctæ doctrinæ gradibus sancta Ecclesia in superna euehitur, in sublime eleuatur, vbique incremento fidei dilatatur: tantum etiam, aut eo amplius incuria negligentium deiicitur, impulsibus horum misere concutitur, & quorundam socordia ad ima proiicitur. Hinc prouenit, vt auctæ vires peruersorum detrimentum semper fidelibus ingerant, *Luca 12.* dispendiumq; gregi pusillo, cui complacuit patri dare regnum, exaggerent: dum aliquando torpenti silentio omnibus contentis, seu proniori lapsu vltimo vitiorum abyssu immersis, nullus adsit, qui redimat, *Psalm. 7. Ezechiel. 13.* neque qui saluum faciat, dicente Propheta: Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in die Domini. Illius etiam quam maxime vaticinium Prophetæ formidans, quo socordiam inutilium pastorum Dominus contestatur. *Ezechie. 34.* Ecce, inquiens, vos lac comedistis, & lanis operiebamini, oues autem meas lupi inuaserunt: & dum non procuratis pascua salubria, ab inimicis eis sunt herbæ morbidæ procuratæ.

QVA-

QVAPROPTER ne canis mutus, & non valens latrare appellarer à Domino: siue vt euaderem in futurum negligentium iudicium, conatus sum ex pauperrimo nostræ scientiæ scrinio depromere aliqua, & ex olerum ferculis, tamen Catholico studio apparatis, fidelium saturare esuriem. Eorum scilicet, qui veritatem fidei Christianæ, sicut à sanctis Patribus acceperunt, sana credulitate retentant: ne desistente procurationis nostræ salutari edulio, lethiferum ab inimicis sumerent cibum. Ideoque vrgente me diuinæ charitatis stimulo, & consultum gerens Catholicæ plebis, quam nutantem in certaminibus militum Christi cognoui: seu obuius illis studens occurrere ense verbi Dei accinctus, qui non solum eos recipere inter martyres nolunt, verumetiam ore sacrilego conuitiis, atque blasphemiis impetentes, redidiuum, si possibile est, quietis Sanctorum implodunt supplicium: seu dignis beatorum satisfacere memoriis anhelans, qui cœlo regnantes exemplaria victoriarum suarum mortalibus reliquerunt: libuit mihi pro modulo exigui ingenij talibus rebus insistere, nostroque licet rusticano sermone * paruipendulos informare; æmulis contraire, & cælo tenus acta Sanctorum extollere.

Isaia 56.
Martyrum detractores.
** Hispanismus: quos vulgo, Poco cōsiderados, & Burladores dicimus. Vtitur & in eodem sensu voce Paruipendens, inf. in orat. ad finem lib. 2. folio 52. b. & in Apolog. 77. b.*

SED nescio quo tendere rea mens poterit, cui legalis auctoritas ex voce Domini occurrit, dicens: Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Hinc silere decreueram, hinc melius ab huiusmodi intentione abducere me iudicaueram: quoniam nefas esse putabam, os nulla sanctitatis ope subnixum temere acta elucubrare sanctorum: siue quod maiestati rei gestæ nostrum imbecille ingenium consideraui posse succumbere. Quia si diuina res humanum supergreditur conatum: sic lingua terrenis incumbens, ætherea non potest mysteria loqui. Sic prædicare libere nescit, qui minus peccatis liber existit. Si abnuendum creditur dogma eiusdem, cuius vitiis infecta est vita. Sed nunquid mercedem suam coram Domino perdet mens talibus oblectata studiis? aut æternorum vacuabitur gratia munerum? Qui init, quod Deo est placitum, etsi non effectum, certe vel pium geret affectum. Aut non erit coram Domino compensandum, quod hi, qui zelo Dei armati contra hostem, publicum apertumq; gesserint bellum, in eo nos ineffabilium attollat lætitia gaudiorum? Sicut enim mihimet nescius non sum, peccatis obnoxium, sceleribus implicatum me ipsum esse: ita quoque de clementia redemptoris mei nullatenus sum diffisus, qui reprobans peccatores ab officio prædicandi, quia non licet committere cani sancta Domini, non refutat peccatorum vtilem voluntatem, in id quod sibi placet. Denique execranda sunt opera reproborum, non contemnenda vota probabilia peccatorum. Quia sicut opus sinistrum vsquequaque nos deiicit, ita pium affectum in nobis Dominus non spernit. Quapropter illico mens deiecta erigitur, Christumq; instituentem ac promittentem recolens, spe quodammodo possibilitatis animatur, qui ait: Aperi os tuum, & ego adimplebo illud. Et alibi: Dominus dabit verbum euangelizantibus in virtutibus multis. Inde voti compos effectus credo, quod idem magister verus dignabitur nobis conferre præconabile verbum ad instructionem Catholicorum honestam, ad laudem Sanctorum dignissimam, & ad expugnationem aduersariorum efficacissimam: qui præstitit animali irrationali eloqui ritu hominum. Et sicut me indignum tanto opere fateor, ita quoque sui perfectione non solum erui culpis confido, verumetiam pœnis abstractus, præstantiorem gratiam interuentu eius apud Dominum inuenire spero: vt est illud philosophicum, Hoc opus, hoc olim, forsan me subtrahet igni.

2
Psalm. 49.
Diui Eulogij humilitas.
Matth. 7.
Psalm. 80.
Psal. 67.
Num. 22.
Ouidius.

IGITVR de memoriis martyrum quidpiam me locuturo, principium orationis nostræ ad vos dirigatur, ô sancti fratres nostri, & sorores in Christo beatæ; ex quorum collegiis sacratissimo Deo libata est hostia, non verens pudorem inculti eloquij: non venustatem, leporemq; affectans liberalis studij, quod nullius instituentis magisterio traditum habui: præsertim cum & in huiuscemodi rebus magis nouerim simplicem veritatem esse obseruandam, quam tonantem musarum turgidam pompam. Loquar etiam tibi, ô vniuersalis Ecclesiæ sanctæ conuentus, vt verbum veritatis, quod ore nostro edicitur, placidis mentium vlnis amplectens, nullatenus prædicationis nostræ arcendam velis doctrinam, quæ, Apostolica affirmante auctoritate, libera ad instructionem omnium redditur: cum vnius fidei auditores vario discretos talento diuerso præceptorum accendit oraculo: & ibi acriorem spiritu patientiæ virtutem demulcet, vbi mitem viuido iubentis imperio perarmauit: vni dicens: Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina: alteri vero præcipiens: Argue cum omni imperio, nemo te contemnat. Vnde parati estote omni homini reddere rationem petere à vobis vo-

Lectores suos excitat.
1. Timot. 4.
Ad Tit. 2.

lenti, de illa, quæ in eo manet spe, ne (quod absit) stupido auditu sanæ doctrinæ dogmata respuentes illius quondam Apostolicæ imputationis sententiæ obnoxij iudicemini, *2. Timot. 4.* qua dicitur: Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Quia sicut nobis incumbit officiositas prædicandi, ita vobis subest necessitas audiendi. Nec propter hoc, quod nos inordinate degimus, turpique conuersatione deiicimur, respuendum verbi Dei documentum arbitremini: quoniã plerumque in magna domo patrisfamilias nouimus † haud ambigue *pro, haud dubie, vel, procul dubio.* conuersari asseclas deploratæ vitæ, quorum ministerio familiares dominorum interdum expediuntur necessitates. *Comparatio.* Nam & Imperatoribus mundi plumbeis adducitur cuniculis vnda: & inter sacra Domini vasa auro, argentove cõflata, pretiosorum lapidum ornamentis percompta, etiam non abiicienda habentur testacea. Solet enim peccator sorti Dei immixtꝰ quotidie in aures populi hęc dicere: Dominus ait, proclama, de transgressionibus præceptorum Dei plebem argue: de seueritate iudicij, quæ peccatorum debetur excessibus, contestare: de reddita veniæ, & spe promerendę clementiæ admone: cum tamen ille ipse nec modum sibimet in criminibus ponat, nec terrorem futuri examinis metuat: & quod aliis prædicat, moribus ipse impugnat: verbo autem eius nonnulli intenti, ab illicitis abstinent, & perfectioribus adhærent. De quibus in Euangelio dicitur: *Matthæi 23.* Omnia quæcumque dixerint vobis, obseruate, & facite: secundum opera vero illorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt: alligant onera grauia & importabilia, & imponunt ea humeris hominum, digito autem suo nolunt ea mouere. Vnde congruit, vt cum Ecclesia possidet rectorem vitæ moribus deiectum, non contemnendam eius prædicationem existimet, quamuis hanc ipse prauis actibus impugnet. Officium itaque vulgi est intendere ad concionantem, & audire dicentem, & doctoris prædicationem operando exequi; & non proprium iudicium de præpositorum meritis ferre, quos suo Dominus distringendos examini reseruauit, dicens; *Hierem. 23.* Propheta namque, & sacerdos polluti sunt, & in domo mea inueni malum eorum, ait Dominus. Iccirco via eorum erit, quasi lubricum in tenebris, impellentur enim, & corruent in ea. Afferam enim super eos mala, annum visitationis eorum. Et iterum: *Ad Rom. 12.* Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Et licet hæc, quam dudum digessi auctoritas meriti mei defensionem inquirat, & quibus modis iustorum legem euadere non possim, ostendat; plus tamen simplicem religiosorum conuentum accendere anhelat, ne sancta sanctorum, quamuis ore improbo edita, respuat.

Martyrum laus. IN horum igitur certaminibus confessorum tanto alacrioribus animis est exultandum, tantaque libertate cordis, & vocis gloriosum consummatæ victoriæ cursum ferendum, quanto his diuina vox indulgentissimæ sponsionis verum salutis confert solatium, dicens: *Matthæi 10.* Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Quoniam veraciter cognouimus non inchoantibus deberi præmium, sed perseuerantibus. Adeo illa primordialis abrenunciatio rerum, mundique contemptus præcipuis votis, & studio ardentiori ab eis exercitatus est; vt contuendi † velocius Deum, & beatorum fruendi *pro, citius.* consortio desiderium haberent, vt etiam labentis vitæ obnixe occasum appeterent; melius putantes sub vnius puncti spatio ferre sententiam hominum, quæ illico, nulla intercedente dilatione, eos ferret ad cœlum, quam per varia & longa discrimina temporum cum graui molestia sustinere versutias dæmonum. Et Dominus quidem, ad officium prædicandæ veritatis discipulos imbuens, impauida eos audacia iubet esse contentos; dicens: *Matthæi 28.* Euntes per vniuersum mundum prædicate Euangelium omni creaturæ, baptizantes eas in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur. *Matthæi 10.* Et iterum: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, quia non habent quid amplius faciant; sed potius eum timete, qui potest corpus & animam perdere, & mittere in gehennam. *Matthæi 5.* Vos estis lux mundi, non potest ciuitas abscondi super montem posita; neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quæ in aure audistis, prædicate super tecta: quod in mysterio cognouistis, apertius enarrate: quod didicistis abscondite, publice loquimini: quod vos erudiui in paruo Iudææ loco, in vniuersis vrbibus, & in toto mundo audacter dicite. Docet fiduciam prædicandi, ne Apostoli abscondantur ob metum, & sint similes lucernæ sub modio: quoniam hi, qui libertatem faciendi verbum in populis diuinitus acceperunt, nequaquam resilire à prædicatione veritatis, etiam periculis imminentibus debent, vt non lucernis sub modio, sed supra candelabrum positis comparentur.

ET LICET formidolosis facultas collata sit declinandi rabiem persequutionis, non tamen passim hoc obseruandum est à perfectis: qui iam præscia Redemptoris potentia denotati, & conscripti, quasi ab † immensis legionibus, ad exercitium præliorum Dei electi sunt. Vt si propter veritatem mors cruenta eis occurrat, non curandum est de iactura membrorum, vbi sine dubio solatium vitæ perennis acquiritur animarum, dicente Domino: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me: qui enim perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam inueniet eam. Inde sancti viri, placidis auditibus veritatem euangelicam capientes, eam totis nisibus adimplere contendunt, scilicet viam sanctæ confessionis virtutem huius præconij esse solummodo arbitrantes. Qui illico relictis vrbibus, & his quæ mundanis hærent affectibus, auida rapiendi regnum Dei cupidine conflagrantes, circuierunt in mellotis, & in pellibus caprinis: egentes, angustiis afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & in speluncis, & in cauernis terræ: expectantes Dominum, qui saluaret eos à pusillanimitate animi, & tempestate. Sed ista pro nihilo computantes, immo vero contra spiritalis nequitiæ hostem dubium quotidie agonem gerentes, nutu Dei mortificatione subita temporalis vitæ accenduntur, &, secundum Apostolum, dissolui cupiunt, & esse cum Christo: viam compendij requirentes, qua de corpore mortis huius eruti propere ad cœlestem patriam peruenirent, & pia violentia regnum Dei arriperent. Sic quoque armati lorica iustitiæ in forum prosiliunt, prædicantes Euangelium Dei principibus, & nationibus mundi. Super Christum, montem excelsum, contemplatione mentium eleuati, didicerunt confessores beati ex Psalmistæ oraculis iustitiam Domini in Ecclesia magna fore annuntiandam: & ideo perfecto odio contra aduersarios Ecclesiæ insurgentes, arguunt impios de falsidica vatis iniqui doctrina, præstigiis, sacrilegiis, & vanitatibus sæculi plena: detestantur quoque, & maledictionibus auctorem tantæ peruersitatis impugnant, eundemq; cœtum talibus inseruientem culturis perenni anathemate damnant: & ita interriti contra hostem publicum apertū veritatis erigentes vexillum, vtpote ante fores Prætorij, & in ipso accessu palatij proferentes testimonium in ducem perditionis, confusionis, & ignominiæ: non verentes, quod suppliciorum pro eadem veritate subirent tormentum, aut qualibus periculis vitæ huius haberent occasum. Quippe quos immensus vrgebat ardor migrandi ad cœlum, festinantes videre faciem eius, cui seruierunt. Stimulatur zelo vltionis cohors iniqua gentilium, celerisq; animaduersionis emergit vindicium in obtrectatores sectæ suæ. Nescientes quia illi, vt hunc † præcocem, obitum exciperent, liberis vocibus inimico iustitiæ, & aduersario Ecclesiæ Dei progressu vltroneo restiterunt: loquentes de testimoniis Domini in conspectu regum, & nihil verentes: quia nihil aliud mortem suam, quam vitam perpetuam existimantes, sponte interitum carnis exoptant, voluntarium Deo animarum suarum sacrificium offerentes. Quibus recte prophetica voce cantatur: Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Dominum. Ac per hoc veri imitatores Pauli Apostoli mihi esse videntur, qui ait: Si quis vobis euangelizauerit præter quod accepistis, anathema sit. Cuius testimonij informati oraculis prosiliunt contra angelum Sathanæ, & præuium Antichristi, patule ea quæ sancta sunt 3 confitentes, quæ nunc etiam omnis Ecclesia Hispaniæ, quanquam clandestinis, vt oppressa, prædicat vocibus.

Fugere persequutionē quo pacto liceat.
(pro, numerosis)
Matth.16.
Hebr.11.
Psalm.34.
Philip.1.
Psalm.39.
Tribunal in arce fuit.
quasi ante temporariū; præmaturū;
Psal. 118.
Iudicum 5.
Galat.1.
Hispaniæ Ecclesia.

NAM idem peruersi dogmatis auctor, & multarum animarum perniciosus euersor, inter cæteros post ascensionem Domini hæresum institutores, solus nouæ superstitionis sectam instinctu diaboli condens, procul ab vnione Catholicæ Ecclesiæ separatur. Prophetarum vaticinia respuens, & Apostolorum doctrinam infamans: sancti quoque Euangelij veritatem conculcans, piorumque Doctorum dogmata abnegans, & ridiculum potius quiddam, quam rerum necessariarum causas per eandem sectam suam insinuans, docuit Christum Dei verbum esse, & prophetam quidem magnum, nulla tamen potentia diuinitatis subnixum, cæteris hominibus similem, sed non Deo Patri æqualem. Comessationes quoque in Paradiso, & carnis proposuit voluptates. Quam quæstionem vir disertissimus, magnum temporibus nostris Ecclesiæ lumen, Speraindeo Abbas, cum contra nugas huius nefandi stylum admoueret, & 4 vno opusculo ex eius deliramentis nonnulla niteretur arguere in sexto ipsius libelli capitulo, quasi ex voce cultorum eius obiectionem inducens: ac deinceps suam proponens sententiam, ita disseruit, dicens: Futuro aiunt in sæculo cuncti ouantes asportabimur in Paradisum: ibi namque nobis à Deo erunt mulieres concessæ pulchræ, &

Mahometi abominādā peruersitas.

supra hominum naturam speciosissimæ, atque nobis in voluptatem præparatæ. R. Nequaquam ergo vestri in Paradiso beatitudinis obtinebunt statum, si eorum vterque sexus vacauerit exercitio fluxæ libidinis. Hoc non erit Paradisus, sed lupanar, & locus obscœnissimus: cum Dominus sciscitantibus Pharisæis, cuius in resurrectione illa mulier coniux existeret, quæ septem fratres secundum legem Moysi acceperat ad suscitandum proximi semen, responderit: Erratis, nescientes scripturas, nec virtutem Dei. Filij huius sæculi nubent, & tradentur ad nuptias: in resurrectione autem nec nubent, nec tradentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Taceam sacrilegium illud, & totis Catholicorum auditibus immane facinus respuendum, quod de beatissima Virgine, mundi Regina, sancta & venerabili Domini, & Saluatoris nostri genitrice Maria, canis impurus dicere ausus est. Protestatus enim est (salua loquor reuerentia tantæ Virginis) quod eius foret in sæculo venturo ab se violanda virginitas. O vacuum cerebro caput, & † priuilegio Sathanæ occupata præcordia. O vas perditum, & habitaculum spirituum immundorum. O frustatim præscindendam ense bicipiti linguam. O organum dæmoniorum, & symphoniam zabuli. Quis furor, quæue dementia tantis te blasphemiis inquinari compulerunt? Quis te, ô sordium cloaca, laqueus perditionum, gurges iniquitatum, & omnium vitiorum sentina sensibus priuauit humanis, vt non modo tibi sat fuerit tot nationibus inferre interitum, quibus præstigiosum documentum suasisti, & totis nisibus nunc, & in futuro luxuriarum obscœnitatibus inseruire: sed etiam in Creatore scelus operari aggressus es: impius temerator, asserens cœleste hospitium, & receptaculum Spiritus sancti incontaminatum, incoinquinatum, purum, sanctum, & mundum sacrilegiis immunditiæ tuæ in futuro sæculo contaminandum? Quæ nutu superno, verbum Deitatis vtero suo excipiens, carne sua Creatorem vestiuit, saluoque pudore ipsum verbum ad redimendam in morte creaturam præcipitem edidit? Quæ omnis tactus, aspectusq; expers virilis expauit salutationem Angelicam: & licet sine viro nullam fœtari posse cognosceret, tamen superno credula numini, se ad huiusmodi inusitatum conceptũ electam Deo reuelante sciens, consentit, & dicit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. De cuius gloriosa parturitione olim Dominus per Ezechielem prædicare dignatus est, dicens: Conuerti me ad viam portæ sanctuarij, quæ respiciebat ad Orientem, & erat clausa; & dixit Dominus ad me: Porta hæc, quam vides clausam, non aperitur, & vir non transit per eam, quoniam Dominus Deus Israel egredietur per eam, & erit clausa.

Marci 12. *pro, imperio* *Lucæ 1.* *Ezechie. 43.*

MVLTA denique alia inaudita vanitatis figmenta scelerosus idem instinctu maligni spiritus, à quo obsidebatur, transfigurando se illi in angelum lucis Gabrielẽ componens, delubra in quibus pessimum dogma coleretur, extruxit. Cuius quidem erroris insaniam, prædicationis deliramenta, & impiæ nouitatis præcepta nonnulli nostro-
5 rum philosophorum zelo Dei armati, commentariis, & voluminibus exponentes, iustitiæ arietibus illiserunt. At vero confessores beati, non leuiter spurcitiam eius ferentes, præstantius illum, eiusque sectam patulis assertionum congressibus expugnarunt. Quia nimirum nouerant, quod propter eandem veritatem, quam de ipso cœcorum duce proferrent, gladio vindice protinus erant ruituri.

Perfectus presbyter.

ET licet primo sanctus Perfectus presbyter exemplar detestandi fidei hostem omnibus exhibuerit, metumq; moriendi pro veritate robur confessionis eius à multis excluserit: de quo in libro secundo nos plenius loquuturos, propitio Deo, spondemus:
6 non tamen paruipendenda est inuictissimi illius Ioannis constantia præconabilis; qui inter sæua ac dira flagella forti animo durans, plurimos documento suo ad martyrium incitauerit. Super quem inimici Dei viuentis falsum coram iudice testimonium proferentes, huiuscemodi contra eum crimen deponunt. Nouimus hunc, ô iudex, in subsannationem Doctoris nostri semper insistere, eumque maledicis verbis irreuerenter impetere. Ita vt cum forte negocium mercimonij sui in nundinis velit exercere, non alias illicere potest ementes, nisi cum sacramentum nostrum dictis paruipendulis subtilissimus irrisor proposuerit. Cuius rei nos testes sumus, & in veritate dignum hunc morte confitemur. Verum quia minus idoneorum accusatione testium impetebatur, nec poterat reis mortem inferre obiectio testationis eorum, damnatur Dei seruus acrioribus flagris: & crudeli verbere laceratus cogebatur Christum negare. Ille vero non se talibus obnoxium criminationibus solummodo confitebatur: sed etiam neque vsque ad mortem religionem Crucifixi deserturum clamabat. Cuius obstinatione iudex vehementi furore commotus, quingentis, & eo amplius hunc macerandum tradens flagellis, tamdiu verberibus iussit insistere, quousque exanimis

Ioannes confessor.

nimis inter cædentium manus in solum proruerer. Sicq; semiuiuum vix palpitantem, retrorsus asello impositum, totam circuire vrbem, ac plateam fecit, præcedente sacrilega præconis voce, dicentis: Hæc merebitur exprobrator vatis nostri, cultusq; irrisor perferre. Postquam vero ad vindictam sui Doctoris talia exercuerunt, ad vltimum grauissimo ferri onere coarctatum ergastulo deputarunt. Quem nos ibidem religatum, adhuc dorso eius vigentibus plagis, inuenimus: nostroq; contubernio per idem tempus, quo detrusi sumus, acciuimus. Nam beatissimus Perfectus presbyter, cui Ioannes (de quo supra meminimus) ad vincula, & cædes successit, violenter ad passionem tractus, postea quam carcerem adiit, diuinitus illustratus, ad præliandum armatus est. Ita vt necessitatem in voluntatem conuertens, vim illam cœlesti quodam respectu esse considerans, quo martyrio dignus haberetur, totus in superna erigitur, alienatur præsentibus, futurorum commoda præstolatur, & totius mundani expers affectus, ad ea, quæ diligentibus Deum promissa sunt, futurus martyr aptatur. Hinc sæculo mortuus, & Deo viuens, quod primo se dixisse negauerat, postmodum vltroneus confessor, & athleta fortissimus coram iudice asserebat. Magis eligens mori pro veritate, occasione inde sumpta proferendi iustitiam Dei gentibus, ac detestandi aduersarium fidei, quam negando veritatem tanto se præmio abstrahere.

Perfectus martyr.

HORVM igitur duorum & spontaneus, & violentus ad passionem cursus cæteros in vnum eundemque consensum dimicandi vltro venire coegit. Quia non erant de corona ambigui, qui nouerant etiam vi protractos regni perpetui coronam percepisse. Quapropter ordine, quo in præfatione voluminis huius digestum est, omnis turba sanctorum ad palestram certaminis currens dat repudium aduersario Dei, & inimico iustitiæ. Omnes summo ore Christum laudantes, cuius tanta virtute subnixi in certamine claruerunt, vt in nullo penitus terrenum formidarent supplicium, qui summi Redemptoris gratia illustrati, plus nouerant æternum metuere tormentum. Quod ideo in principio libri exposui, vt non deesset cognitionibus posterorum, quæ res confessoribus nostris obtulerit obitum: & cuius rei odio in molestissimam iracundiam excitata gentilitas, totum immanitatis furorem ad perniciem talia profitentium admouerit. Inde etiam prudentissimi lectores facile poterunt aduertere, quam merito hoc opusculum in beatorum laudibus laboret, repagula opponens diffidentibus & dubitantibus, qui eos loco martyrum renuunt coli debere.

Martyrum Cordubensium turba.

CÆTERVM eorundem Sanctorum corpora, qui primo conflictu occisi sunt, equuleis versis vestigiis affigentes gentiles, post sextum diem allisionis eorum, id est, pridie Idus Iunias, inopinato scelere crudelitatis, cuncta iam putredine resoluta, atrocibus incendiis deputant. Quin etiam, ne virtutum emolumenta præstarent Christicolis, deformes cineres, quos legere e camino quiuerant, minacis aluei vltimo conduntur abysso.

Crudelitas in martyrũ cadauera. Dies 12.

INSTABAT quoque vniuersitas ethnicorum resultando, pietatis exprobrans cultum, quod in suorũ vltione nullum aduersariis daret opprobrium. Lætabatur namque, quod in vindictam sui Doctoris tot contemptorum corpora prostrauisset, nulla nouitate prodigiorum obstante, quæ horrorem posset scelerosis incutere. Dicebatque; Si vere Deus est, in cuius nomine tantæ vos calamitati submittitis, & verum hoc esse martyrium creditis: vel si nulla veritate prophetiæ hic noster vates succinctus est: (qui, vt idem docuit, Angelo instituente Gabriele gentibus, totiq; orbi verbum Dei prædicare permissus est, lex quam cultores eius meditarent, documento ipsius Angeli promulgata est. Cuius vocabulum rudis protoplastus, cum adhuc olim Paradisum incoleret, adnotatum in supernis, globoque micantis claritatis immixtum contemplans, quæ esset illa lux cæteris præstantior in centro micans, quæ fulgoribus Dominum expiaret, fertur Creatorem Adæ interrogasse, illumq; respondisse: Hic verus Propheta est futurus in mundo, qui ex semine tuo oriens, ipso quem radiare nomine obstupescis, Mahomad appellabitur, cuius quoque meritis tu creatus subsistere meruisti) quare non satellitibus qualecumque prodigiorum infertis terrorem, vel quibuslibet astanti vulgo signaculis coruscatis? quia dum vos improuisæ morti ob quandam assertionem superfluam destinatis, neque vlla virtute miraculorum, quæ sententiam nostram in vestrum latam excidium infringere possit, præcellitis: cum partem vestram minime adiuuetis, nullum etiam cœtui nostro infertis dispendium.

Sarraceni vnde martyres contemnerent.

ET ob hoc ipsum plerisque nostrorum paruipendulis verum non esse videbatur martyrium, quod non ad confusionem incredulorum, vel roborationem fidelium aliquod ostentaret miraculum. Nescientes quia in fine sæculi, vt sanctus Gregorius refert

Christianorũ aduersus martyres obtrectatio. Gregorius.

Miracula non mirum si cessent. lib. Moral. Aberunt de Ecclesia signa virtutum, terribili quippe, ait, ordine dispositionis occultæ, prius quam leuiatan in illo damnato homine, quem assumet, appareat, à sancta Ecclesia virtutum signa subtrahentur. Nam prophetia absconditur, curationum gratia aufertur, prolixioris abstinentiæ virtus imminuitur, doctrinæ verba conticescunt, miraculorum prodigia tolluntur. Quæ quidem nequaquam superna dispensatio funditus subtrahit, sed non hæc, sicut prioribus temporibus, aperte ac multipliciter ostenduntur. Quod tamen mira dispensatione agitur, vt vna ex re diuina simul pietas, & iustitia compleatur. Dum enim subtractis signorum virtutibus sancta Ecclesia, velut abiectior apparet, & bonorum præmium crescit, qui illam pro spe cœlestium, & non propter præsentia signa venerantur, & malorum mens cōtra illam citius ostenditur, qui sequi inuisibilia, quæ promittit, negligunt, dum signis visibilibus non tenentur. Signa namque virtutum nec omnibus data, nec passim quocunque tempore sunt exercenda. Quia & hi, qui hoc munus diuinitus acceperunt, nisi spe, & fide probatis, *Matthai 13.* nequeunt erogare, Euangelista narrante: & non poterat IESVS inter eos facere vir- *Luca 4.* tutes propter incredulitatem illorum. Et Veritas per semetipsum multi, inquit, leprosi erant in Israel sub Eliseo Propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naman Syrus. Desistente enim fide quærentium, largitas erogantium quassatur. Nam cum idem *Matthai 7.* Dominus ardentissimis persæpe multorum votis consolator occurrat, dicens: Ite in pace, fides vestra vos saluos fecit; tamen deficiente fide, virtus nihil proficit. Quam plerumque, exigente fide languentium, etiam homines reprobi, & mente corrupti impertiuntur. Sicuti de illis in Euangelio legitur, qui in futuro ante fores Domini que- *Ibidem.* sturi sunt, dicentes: Domine, Domine, nonne in tuo nomine prophetauimus? & in tuo nomine dæmonia eiecimus? & in tuo nomine virtutes multas fecimus? Quibus vtique dicturus est Dominus: Non noui vos, discedite à me operarij iniquitatis. Et ite- *Matthai 24.* rum: Exurgent pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodi- *Exodi 7.* gia: ita vt in errorem inducant, si fieri potest, electos. Et in Exodo: Fecerunt & malefici per incantationes sicut & Moyses. Miraculorum vero signa ideo olim per seruos suos Dominus congruenti tempore præstabat mundo, quoniam præscia diuinitate proficere nihilominus præstolantibus ea sciebat; nec in vanum currere operarios virtutum cognouerat: Vt saltem prodigiorum nouitatibus cederent, qui sacræ legis præcepta salutaria respuebant. Eratq; temporibus illis satis congruum Dei martyres signis coruscare virtutum, quoniam rudem diffusum Christianismum nunc instructione verborum, nunc exhortatione scripturarum, nunc ostensione signorum, nunc etiam trophœis inclytis passionum conabantur solidis radicibus fieri firmum in cordibus credentium populorum. Nam quia non omni tempore (vt supra relatum est) signorum exercitium congruat, neque omnes cœlestium contemplatione virtutum digni existunt, facile aduerti potest ex comparatione eorum, quæ gesta sunt ab Apostolis. *Actuum 16.* Qui cum vellent bonum nuntium Asianis prædicare, prohibiti sunt à Spiritu sancto: & *Marci vlt.* qui pridem adnuntiare Euangelium omni creaturæ præceperat, sciens in Asia nullum existere dignum percipiendi euangelicam veritatem, præsaga diuinitatis auctoritate discipulos ab eorum salute inhibuit. Vtpote qui verbum vitæ arroganti spiritu erant reiecturi, neque audirent, quoniam spernerent.

MIRACVLA denique dum aut propter fidem credentium, aut propter futuram credulitatem astantium Dei prouidentia operatur, non tam nos in eorum admiratione debemus stupere, quam prouida compensatione intueri, si eorundem effectores signorum expulsis vitiis morum honestate præcellant: si sæculo mortui, Deo viuant: si propter illam veram charitatem, quæ cuncta carismatum dona exuperat, omnes affectiones mundi pro nihilo pensant: si acceptā virtutem non ad suam gloriam, sed ad beneficium referunt collatoris: si attentis auribus cordis veri magistri admoni- *Luca 10.* tione percepta, non quia dæmonia eis subiiciantur, tripudiant, sed quia nomina sua scripta sunt in cœlis exultant. Et iccirco hæc dinumeratio virtutum in illis prodigiorū auctoribus potius, quā ipse signorū effectus, est admirandus: &, quod sit magis præuium ** Miraculorū auctores.* specimen eundi ad regnum, querendū, non vero quod* signiferos ac notabiles nos vulgo ostentet. Quia sanctitas & timor Domini, cultusq; regni cœlestis non nisi ab idoneis & perfectis procedunt. Signa vero, atq; prodigia & sancti & reprobi faciunt. Quæ nihil aliud, quam notitiam vanam etiam aliquando hominum conferunt. Hinc prouenit, vt qui fuerit hominibus notus, nisi fuerit iustus, ad æterna supplicia perueniat condemnandus. Ille autem, qui cœlesti gratia inlustratus sub notitia sui creatoris vixerit sanctus, etsi mortalibus sit ignotus, in futuris tamen sanctorum gaudiis erit annumerādus.

NEC nos, ista prosequentes, miraculorum penitus abdicamus insignia, cœlesti *Miraculorū præstantia.*
dono quibusdam collata, & congruenti tempore per Dei dispensationem nationibus
ordinata: sed latratibus rabidorum canum obuiam venimus, qui martyrum nostro-
rum intentionem exinanire attentant, dum eos de miraculis redarguere sperāt. Quid
potius generaliter sequendum sit cunctis ex auctoritate diuinorum librorum, vel di-
ctis sanctorum Patrum ostendimus: Non (quod absit) funditus charismata cælestium
munerum extirpamus.

RADIX itaque, ac fundamentum omnium virtutum, signumque victoriæ fides *Abac. 2.*
est: per quam iusti viuunt, per quam Sancti omnes regna vicerunt, operati sunt iusti- *Hebr. 11.*
tiam, adepti sunt repromissiones, obturauerūt ora leonum, extinxerunt impetū ignis,
effugauerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello. Quo-
rum vestigia hi Sancti veraciter prosequentes intrepida confessione Deum, & Domi-
num IESVM Christum in concilio principum profitentes. Omnem quoque, quam
Euangelica auctoritas non recipit, prophetiam, vt furum & latronum detestantes, ac
maledicētes abiiciunt: Ob quam causam inauditis sæuitiæ furoribus illa frendens tur-
ba Gentilium cunctos animaduersione gladij præmittit ad cœlum, presbyteros, leui-
tas, confessores, virginesq; beatas. Et quoscumq; confessio talis haberet, vt publice eo- 8
rum subsannādo prophetam, cultum eius deriderent, mox amputatis ceruicibus fue-
rent. Ac ne sibi quidpiam inesse humanitatis ostenderent nonnullos, quos gladio vin-
dice huius vitæ limen sub testimonio veritatis excedere coegerant, præ foribus palatij
inhumatos relinquentes canibus iusserunt exponi, adhibitis simul custodiis, ne quis
Catholicorum intuitu pietatis carnibus etiam spoliata cadauera sepeliret. Quasi senti- 9
rent persequutores supplicium, quorum animæ paradisi requie fruebantur: aut obesset *Sarraceni martyres prohibent sepeliri.*
animabus cœlo regnantibus temporalium pœna tormentorum illata corporibus. Vel
de inhumatis curare poterant membris hi, qui vere sciebant, quod sicut nihil commo-
dius foret impiis sepultura, auctis reuerentiæ studiis solenniter præparata: ita beatis & *Carmen hoc citat Isido. c. 25. lib. 16. Etymolog. sine auctoris nomine, cū sit Lucani libr. 7. extra.*
sanctis nequaquam officere posset vilem, aut nullam sepulturam adipisci. Licuit etiam
de hoc poetis plausibiliter ludere, cœlo tegitur qui non habet vrnam.

SVNT autem plerique fidelium, & (heu proh dolor) etiam sacerdotum, temere
horum confessorum gloriam adimere non verentes, qui iubent eos non recipi in cata-
logo Sanctorum, inusitatum scilicet, atque prophanum asserentes huiusmodi marty- *Obiectio Christianorum aduersus suos martyres secūda.*
rium. Quippe quos nulla violentia præsidalis fidem suam negare compulit, nec à cultu
sanctæ piæq; religionis amouit; sed propria se voluntate discrimini offerentes, ob su-
perbiam suam, (ita dicunt) quæ initium est omnis peccati, interempti, suarum parrici-
dæ effecti sunt animarum. Præceptis etiam Euangelicis eos arguendos esse credunt, *1. Timoth. 6.*
quibus dicitur: Diligite inimicos vestros; benefacite his, qui oderunt vos; & orate pro *Matth. 5.*
persequentibus & calumniantibus vobis, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est. Et ite-
rum: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis. Et Dominus quidem, cum *Lucæ 3.*
malediceretur non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur; tradebat autem *1. Pet. 2.*
se iudici iniuste iudicanti. Illud præterea obiiciunt de Apostolo: Neque maledici re- *1. Corin. 6.*
gnum Dei possidebunt.

HÆC, & his similia ore pestifero contra Dei milites proferentes multorum cor-
da peruertunt: quia verba hæreticorum vt cancer serpunt in mentes humilium, & mo- *2. Timot. 2.*
dico fermento sceleris facilius ingens massa panis corrumpitur, exturbatq; quam pro- *1. Corint. 5.*
pere filios Dei lethalis assertio zabuli. De quibus beatus Apostolus dicit: Quidam *1. Timot. 1.*
enim aberrantes conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse legis Doctores, nescien-
tes quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Et iterum: Docuerunt linguam suam *Hierem. 9.*
loqui mendacium, vt inique agerent laborauerunt, non verentes derogare gloriæ for-
tium, qui iam coram rege suo haud dubie extollunt victoriæ suæ vexillum. Nec con-
tenti sunt scripturas sano sensu intelligere, sed eas pro suo libitu exponentes, dum in
superficie literarum quasi concordantia suæ vesaniæ repererint testimonia, non modo
Christiano more simpliciter eis vtuntur, vel ab eruditioribus virtutem sensus earum
explorant, sed quasi inauditæ rei nuntij, & alicuius nouitatis scioli per forum, per pla-
teas, per vulgus, per nundinas obdurata fronte easdem in summitate linguarum pro-
mendo, recensendo, atque cantando vehunt sententias. Et vt facilius agnoscantur cu-
ius partis sint defensores, per deuios intelligentiæ suæ calles veritatem scripturæ tor-
quentes, lineam sanæ doctrinæ proprio electionis iudicio derelinquunt. Vt quandoq;
illis ad interitum animarū suarum proueniant, quod non sine grauissima indignatione
Propheta infert, dicens: Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malū, ponentes tene- *Isaiæ 5.*

bras lucem,& lucem tenebras: ponentes amarum dulce, & dulce amarum: id est, claritatem sacræ legis prauo errore nescientiæ interpollantes: eiusq; suauitatem, non recte coniiciendo, in fellis amaritudinem conuertentes. Quod bonum & pium est, maliuolis coniecturis inficiunt; expertes nos arbitrantes ab illorum intelligentia testimoniorum, quibus victoriosissimam extenuare intentionem sanctorum Martyrum arbitrantur: vel nostram de eis sententiam (quæ semper in laude ipsorum exultauit) eneruare conantur. Quippe qui iam nos euidentioribus indiciis eorum passionibus communicare credamus, dum causa professionis eorum & carceres, & vincula insuper & damna rerum perpessi, ad vltimum gratia intercessionis eorum propitio Deo euaserimus.

Respondet obiectis. IPSI denique Sancti, qui hanc corporis cladem cælitus compuncti propter veritatis professionem aggressi sunt, in nullo à prædictorum custodia mandatorum se auertunt. *Matthæi 5.* Quia & propter Deum inimicos diligentes, de salute eorum valde solliciti, ne diutius labyrintho impietatis detinerentur, arguere non destiterunt. Et benefacientes his qui oderant Christum, melius visi sunt per effusionem sanguinis vecordiam eorum, quam per doctrinæ verba instruere; vt relicta vanitate superstitionis, non solum Christum credere, verumetiam vsque ad mortem propter illum decertare contenderent. Sine dubio precibus & obsecrationibus etiam apud Dominum animarum impetrantes salutem illorum, qui sæpe, & incessanter Ecclesiæ membra calumniantur. *1. Petri 2.* Quapropter exemplo veri magistri educati, cum ad passionem traherentur, maledicti non remaledicebant, flagellati non murmurabant, comminati silentium obseruabant: hoc solummodo exprobrantes (quod Deo conuitium infert, & quod maiestatem tremendam impugnat) *Mahometi impia scelera.* Sacrilegum scilicet illius vanissimi ac perditi homunculi prophetismum, qui non veritus est spiritu diabolico perarmatus se loco prophetarum inserere, sanctisque prædicatoribus, vt deificus euangelizator, adiicere. Et cum toto pene orbe euangelica præcelleret veritas, nec deesset lux fidei Christianæ à notitia gentium, quia in omnem terram sonus eius exiuit, *Psalm. 18.* parentibus iam domui Dauid, & habitantibus Hierusalem tinctionis gurgitibus in ablutionem peccatoris & menstruatæ, maxime in Oriente, quo mysterium Incarnationis Christi speciali effectu quodammodo operatum est. Vbi quoque & hic sceleratissimus ac peruersus vates exortus, & enutritus est, nescio qua præreptus insania, clarentibus iam in mundo lucernis, tanto se perditionis laqueo dare præcipitem non extimuit, tantarumque animarum irreuerenter parricidam se fieri non expauit. *Sapient. 1.* Cum scriptum sit: Os quod mentitur, occidit animam. *Zacharia 13.* De quo olim Zacharias Propheta loquutus est, dicens: In die illa dicit Dominus exercituum, disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltra: & pseudoprophetas, & spiritum immundum auferam de terra, & erit cum prophetauerit quispiam vltra, dicent ei pater eius, & mater eius, qui genuerunt eum, Non viues, quia mendacium loquutus es in nomine Domini, & confringent eum genitores eius, cum prophetauerit. Iccirco huic perdito, atque spurcissimo vati resistere, virtus mactæ coronæ est: summumque trophæum tanti derisoris cultum euertere: adeo vt si illum ætas nostra superstitem haberet, nequaqnam ab eius esset interitu Christicolis resiliendum, quanto magis non sit dignum eius hodie dogma venenosum infringere, maledicere sectam, detestari sententiam, qui tantæ multitudinis perditionem inducens, perenni eam dedicarit barathro. Foretq; (vt reor) tunc melius pœnitudinem vnius occisi homunculi gerere, quam tot nationum luere perniciem: congrue vniuerso gregi consulendum arbitrantes, dum vnius pecudis è medio conati fuissent auellere contagium. Quoniam quemadmodum sine culpa non est, maledicere iustos, pios persequi, aduersitatem parare electis: ita magni meriti esse credo, subuertere impios, Ecclesiæ hostibus contraire, bellum parare incredulis, & *Psalm. 118.* framea verbi Dei concidere aduersarios fidei, vt secundum Psalmistam, contra Deo inuidentes perfecto armati odio exurgentes, non curemus de inimicitia eorum, quibus est amica impietas. Neque enim sine culpa patitur fieri Patrum doctrina eos, qui improbo silentio erga dogmata torpent hæreticorum: & † è regione hostibus fidei non occurrunt, aut zelo Creatoris vindictam in hæreticos non exercent. *† è contrario* Quod bene *Arnobius.* Arnobius Rhetor, dum centesimum tricesimumnonum Psalmum interpretaretur, dicit: Qui pepercerit hæresiarchis, aut prædicatoribus falsitatis, & non eos gladio fidei suæ iugulauerit, hoc ei euenire, quod euenit Sauli, quis ambigat? aut qui misericordiam suam putauerit se in hæresi permanentibus exhibere, quis neget similiter à regno Dei excludi, sicut Saul à regno humano probatur exclusus? qui vana miseratione Amalecitis parcens, subito semetipsum Dei benedictione, & regni sceptro priuatum inge-

ingemuit? Et si hoc iis qui contradictoribus veritatis non resistunt, promittitur, quod, vel quale erit vltionis discrimen iis, qui derogant electis? quia non solum expugnare hæreticos nolunt, verumetiam expugnantibus maledictionum armis accincti occurrunt.

Aivnt præterea, non debere esse martyres, aut haberi, qui non violenter tracti *Tertia aduersus martyres obiectio.*
sunt ad martyrium: sed sponte sua venientes, his conuitium intulerunt, qui eos in nullo molestia affecerint. Nullam opinantes esse molestiam diruptiones basilicarum, opprobria sacerdotum, & quod lunariter soluimus cum graui mœrore tributum: adeo vt *Christianorum sub Sarracenis miseria.*
expedibilius nobis sit compendium mortis, quam egentissimæ vitæ laboriosum discrimen. Si ergo exosum Deo est maledicere diabolo, & eius ministro, frustra vtique Ecclesia contra omnem diabolicum incursum vtitur exorcismis. An quia domesticis fi- 12
dei maledicere inhibitum est, nullumque oportet pusillanimem de membris Ecclesiæ scandalizare: iccirco hospitem diaboli, & habitaculum Sathanæ non necesse est maledicere? & vbi est quod scriptum est? Maledicti omnes qui spernunt te Hierusa- *Tobiæ 13.*
lem, & omnes qui blasphemant te: maledicti omnes qui oderunt te, & omnes qui dixerunt in te verbum durum, &c? quod dictum esse pro Ecclesia nullus ambigit. Et quis inter cunctos persequutores fidelium cruentius, quam hic infandus, Ecclesiam insequutus est? Quis tanta in euersionem Catholicorum, quanta idem exaggerauit infaustus? quia (vt ita dixerim) nemo nostrum inter eos securus ingreditur, nemo quietus per-
meat, nemo septum eorũ nisi dehonestatus pertransit. Etenim, cum nos cuiuslibet rei *Vide inf. lib. 3. c. 17. & in Apol. Marti. pag. 81. b.*
familiaris necessitas ire in publicum coegerit, & instante domestica necessitate, ex angulo tugurij nostri in forum prosilire contigerit; mox vt stigmata in nobis ordinis sacri aduertunt, acclamatione derisionis vt amentes, & fatuos impetunt, præter illa puero- 13
rum quotidiana ludubria: quibus non satis est inferre linguæ conuitium, turpia exaggerare scurrilitatum: verumetiam tergo nos lapidibus insectari non desinunt. Quid illud memorem, quod in cõtumeliam signi venerabilis proferunt, quod cum forte competens tempus psallendi signum fidelibus dare compulerit, & imminens hora obsecra- *Templorum sacrorum cymbala.*
tionis indicium populis facere consuetum poposcerit: mox vt illectũm superstitionẽ mendaci vulgus clangorem tinnientis metalli aure captauerit, in omnem maledictionem & spurcitiam linguam admouere nõ differt. Ergo non incongrue maledicuntur, qui tanto odio aduersus Dei sortem sequipedas suos informant. Sæpe ab eis, & incessanter calumniamur: causaq; religionis eorum sæuitiam vbique perpetimur. Adeo, vt *Sarraceni tactum Mozarabum vitabant.*
multi ex eis tactu indumentorum suorum nos indignos diiudicent, propiusq; sibimet accedere execrentur. Magnam scilicet coinquinationem existimantes, si in aliquo rerum suarum admisceamur. Cum vtique milites Dei veritatem coram eis magis confessi fuerint, quam maledicta iniecerint, veri magistri præcepta seruantes, quibus olim discipulos informauerat, dicens: Qui enim me confessus fuerit, & verba mea in gene- *Matth. 10.*
ratione ista adultera, & peccatrice: hunc & filius hominis confitebitur, cum venerit in gloria Patris sui, & sanctorum Angelorum: Quis ille tam vecors est, qui laudibus deroget beatorum obuiantium pro defensione iustitiæ cultoribus impietatis? Dictum sane fuerat eis: Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum: estote ergo prudentes sic- *Ibidem.*
ut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cuius præcepti sensum hunc esse arbitror, quod immixta gentibus caterua fideli, quasi innocentia prædita ouium, truculentiam ferre cogeretur luporum. Ac, ne segnitiei dediti facilius versutiis succumberent inimici, congrue diuinitus admonentur. Vt essent cum aduersariis fidei oportuna semper cautela subnixi, & contra astutias hostium erecti vbique & prouidi. Ne prauæ doctrinæ verbis illecti protinus corrumperentur sensus eorum, & discederent ab æquitate. Porro etiam Christiani admonentur. Con fratribus vestris & domesticis fidei exhi- *2. Corint. 6.*
bete vosmetipsos, vt Dei ministros in multa patientia, in longanimitate, in benignitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei: per arma iustitiæ à dextris & sinistris: per gloriam & ignobilitatem: per infamiam & bonam famam: vt seductores, & veraces: sicut ignorati, & cogniti: tanquam morientes, & ecce viuimus. Et iterum: Estote autem inuicem benigni, misericordes, donantes in- *Ephes. 4.*
uicem, sicut & Deus in Christo donauit nobis: vt vere columbarũ sectantes simplicitatem, eodem intuitu quo vestram, proximorum quoque affectetis salutem. De quorum constantia, simplicitate & fortitudine, discretione, & prudentia Eusebius Cæsarien- *Eusebius.*
sis Episcopus rerum Ecclesiasticarum historiam texens, ait: Erant ergo martyres Christi inter fratres humiles, inter persequutores elati, suis mites, aduersariis terribiles, Christo subiecti, diabolo erecti. Sed & Arnobius (de quo supra memoraui- *Arnobius.*

mus) aliquid huic simile in eodem Psalmo disseruit, dicens: Age ergo, & cum pugnantibus pugna: & si auxilium poscis à rege, repugnantem te ostende. Linguæ contra te pugnant, quas acuunt hæretici, sicut serpetes: his & tu esto sicut serpens astutus, & te simplicem vt columbam esse ciuibus tuis, id est, Catholicis solis ostende: cæteris hæreticis, & cunctis contra veritatem venientibus, ipsis serpentibus, esto astutior: noli timere: iussum tibi est à Domino tuo. Tam bona est astutia contra malitiam, quam benigna simplicitas circa iustitiam. Occide hæreticos, & Domini tui spirituali gladio interfice inimicos.

14 SIC nimirum beati martyres Emeterius, & Celedonius, cum tradere pro Domino animas anhelarent, tali sese inuicem ad passionem astantes hortatu impellunt: Feriat vbique hostem missilibus suis vibrata confessio, & latentem fidei inimicum, vbicumque fuerit, inquiramus. O incomparabilis magnanimitas, & fortitudo admiranda, laudanda, atque imitanda Sanctorum? Qua, etiam si torpeat inimicus, ac persequi Ecclesiam Dei sinat, irrumpere tamen latebram eius, & incitare ipsum ad bellum iubemur. Vt hostem frigidum strenuus agonotheta accendat, proferat latentem, erigatque ad conferenda certamina desidem. Et quamquã effuso cruore consternatis membris succumbat, feret tamen ad sedem patris captum ex hoste triumphum, spiritus belliger victoriæ laurea potiturus. Quia in eo vires militis comprobantur egregiæ, quo non requisitus vltro se obtulerit palestræ martyrij, sancta Scriptura testante: Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Dominum. Si ergo qui zelo charitatis nostræ aduersariis nostris fidelis expugnator occurreret, arma sumeret, ensibus desæuiret, animam ponere contenderet, nequaquam eum immunem condignis pateremur donariis, eiusque liberalitatem largo munificandam beneficio censeremus: quanto potioris gloriæ honore ferendi sunt, qui obtentu capessendi gratiam Regis æterni, vigore aucti iustitiæ, ad obitum quoque resistentes infensis, crudeli morte perempti sunt? Ille denique Angelus veritatis, & præco iustitiæ, Redemptoris præcursor, & nuntius pacis Baptista Ioannes, cum regem iniquum de stupro Herodiadis commoneret, cumque adulterino incestu thorum violare fraternum inhiberet, ergastulo propter veritatis professionem detruditur, ibique absque vlla fidei persequutione truncatur. Nec tali succumbere recusauit dispendio, qui sine dubio nouerat, diuino reuelante spiritu, tantundem esse propter iustitiam mori, quam pro fidei confessione prosterni. Vnde & Dominus, vitalia discipulis doctrinæ ministrans præcepta, sic eos de monte alloquitur: Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Et quid aliud ad omnia beatitudinis præmia, quam cœlorum affectandum est regnum?

Emeterius, & Celedonius.

Iudicum 5.

Matthæi 12.

Matthæi 5.

15 CALVMNIANTVR etiam inimici vltroneum ad mortem eorum progressum, quos * passim liberalitas regis suum incoli iusserat Christianismum. Sed præcessit hoc reor exemplum in illis septem fratribus, quos gesta beati Iuliani commemorant. Qui ideo, quod Augustalibus præpollebant natalibus, ex decreto principum libere exercebant religionis Catholicæ cultum. Sed tamen in agone sudantem beatum Iulianum cernentes, illico ad bellum prosiliunt, & amore martyrij voluntarium obitum expetunt. Legitur quoque de Domino in Euangeliis: Obfirmauit faciem suam, vt iret in Hierusalem. Quod ita sanctus exponit Hieronymus: Obfirmatione enim & fortitudine opus est ad passionem sponte properanti. Vnde & Ezechiel, cui dixerat Deus: Fili hominis in medio scorpionũ tu habitas, ne timeas: obfirma (inquit) faciem tuam: & dedi faciem tuam æneam, & frontem tuam ferream. Vt, si forte surrexissent contra eum malleus vniuersæ terræ, quasi incude durissima resisteret, malleumq; contereret. De quo scriptum est: Quomodo confractus est, & contritus est malleus vniuersæ terræ? Idem quoque Doctor in supradicto opere quandam Euangelij sententiam exponens ait: Non est delicata in Deum, & secura confessio: qui in me credit, debet suum sanguinem fundere. Qui enim perdiderit animam suam in præsenti, lucrifaciet eam in futuro. Denique Agabus Propheta, cum venisset ad Apostolos, tollens zonam Pauli, alligauit sibi pedes & manus, & ait: Hæc dicit Spiritus sanctus: virum, cuius est zona hæc, sic alligabunt in Hierusalem Iudæi, & tradent in manus gentilium. Quod cum audissent Apostoli, & qui loci illius erant, ne ascenderet Hierosolymam, cum lachrymis precabantur. Tunc respondens Paulus, dixit: Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? ego enim non solum alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum propter nomen Domini IESV Christi. Et cum ei suadere non possent, quieuerunt, dicentes: Domini voluntas fuit, fiat.

Quarta aduersus martyres obiectio.
** publice & palam.*
Septem fratres martyres, qui cum Iuliano, & Basilissa passi sunt.
Lucæ 9.
D. Hieronymus.
Ezechiel. 2.
Hierem. 50.
Hieronymus
Actuum 21.

SIC

Sic namque & feliciſſimus Felix, cum fideli relatu perſequutionem Catholico- 16
rum, quæ apud Gerundam Hiſpaniæ vrbem confinem Galliæ gerebatur, comperiret, *Felix martyr Gerundenſis.*
crudeliterq; Eccleſiam Dei ibidem à paganis infeſtari cognoſceret; extemplo literatu-
ræ liberalis ſtudium derelinquens, quod in Cæſarea Mauritaniæ poſitus excolebat, *Cæſarea Mauritaniæ vrbs.*
præpeti nauigatione æquore tranſmiſſo prædictum oppidum adiit: ibique martyrium,
quod patriæ ſuæ deerat, deuotus miles Chriſti triumphabiliter conſummauit. Sic ſan- 17 18
ctus Sebaſtianus, ſic beatiſſimus Thyrſus, ſic electus Adrianus, ſic Iuſtus & Paſtor, ſic *Sebaſtianus.*
Eulalia virgo Barchinonenſis, ſic Babilas pontifex, multiq; alij ſponte ſe obtulerunt, & *Thyrſus. Adrianus.*
coronati ſunt. Et iccirco, vt quidam ſapientium meminit, inter primas dignitates re- *Iuſtus & Paſtor.*
gnorum cœleſtium ſunt ponendi, qui ad paſſionem venerunt non quæſiti: & excellen-
tis voti eſt inter tormenta proſilire, vbi non eſt criminis latuiſſe. 19

Sed in veritate crimen eſſe fatendum eſt, latitare, ſi virtus excellentis meriti eſt, *Eulalia Barchinonenſis.*
vltro procedere: quando fidei noſtræ confeſſio prædicationem exigit, & teſtimonium *Babilas presbyter.*
poſtulat. Nam ſi, audito verbo veritatis, fidem incredulus non accommodet, magiſq;
exprobret euangelizanti, quam credat: cum ſit ante cognitam veritatem inculpabi- 20
lis, ſit poſtmodum ſanctæ prædicationi obnoxius. Quia non poterit de ignorantia ſe
excuſare, vbi veritas elucubrata reſponderit, Domino & magiſtro teſtante. Memen- *Ioan. 15.*
tote ſermonis mei, quem ego dixi vobis, non eſt ſeruus maior domino ſuo: ſi me perſe-
quuti ſunt, & vos perſequentur: ſi ſermonem meum ſeruauerunt, & veſtrum ſerua-
bunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia neſciunt eum, qui mi-
ſit me. Si non veniſſem, & loquutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent: nunc au-
tem excuſationem non habent de peccato ſuo.

Obiiciunt etiam aduerſarij corporum eorundem corruptionem. Sed quæ- *Quintum, quod martyribus obiiciebatur.*
ſo reſpondeant, quid obeſt cœleſti iam præmio coronatis, quaſi illi carnis affectarint
honorem, qui vere nouerant perlatam olim mortalibus legem, quia dictum eſt Adæ:
Puluis es, & in puluerem redigeris; aut per ſupplicia tyrannorum, quibus datum eſt
corpus occidere, quandoque finem accipere: Quia omnis caro fœnum, & omnis glo- *Iſaia 40.*
ria eius quaſi flos agri: & cum omnem dicit, nullius carnem ex humano ſemine orien-
tem reliquit, (& licet audenter, dicam tamen) non Patriarcharum, non Prophetarum,
non Apoſtolorum, nō Martyrum. Legant Apoſtolorum actus, qui iſta ſomniant, & in-
uenient, teſtante Petro, Dauid illum à Deo electum, & ſecundum cor ſuum fideliſſimū
ſeruum, ſepulturæ corruptionem eſſe perpeſſum, iis verbis Apoſtolo diſſerente: Viri *Act. 2.*
fratres, licet audenter dicam de patriarcha Dauid, quia & defunctus eſt, & ſepultus eſt:
& ſepulchrum eius eſt apud nos vſque in hodiernum diem: & caro eius vidit corruptio-
nem. Conſiderent patriarcham Iob vermibus ſcatentem: & Lazarum Euangelicum
vlceroſum præ foribus purpurati diuitis mendicantem. Percurrant cæterorum San-
ctorum ad inſtar ſyderum cœli diuerſarum victoriarum fulgentia geſta; & inſultet (ſi
audet ſacrilegus) eorum putrida membra doloribus tormentorum, pœniſq; conſum-
pta. Sed hæc temporalis corruptio corporum in nullo detrimentum infert animabus
ſanctorum, quæ tamen incolumis materies carnis prodeſſe non poterit in futuro ini-
quis. Nam cur vana ſolicitudine de corporum integritate diſtenderentur, qui vere no-
uerant omnem temporalem ſalutem etiam cum ipſo mundo perire: & illam protopla-
ſto Adę ſententiam mortis collatam, generaliter cunctis mortalibus congruere: Puluis
es, & in puluerē reuerteris? Sancti etenim, qui expertes eius legis non ſunt, quod in ter-
ra ſua, id eſt Hieruſalem cœleſti, duplicia nacturi ſunt præmia, non magnopere corpo-
ralem penſant iacturam. Quam veraciter in illa generali hominum reſurrectione de
quibuſcumq; labefactationibus, locis, antris, & ſpeluncis, ſeu ex aliorum elemētorum
abditiſſimo ſinu, quo dilapſa cadauera perierint, in temporis puncto reddenda, & rein-
tegranda ex legali auctoritate cognoſcunt, & credunt: vt ipſi quidem ſancti duplici
præmio congaudentes, bina confuſione conterant impios, ac peccatores.

Vnde obſecro vos, ô ſancti fratres noſtri, & ſorores in Chriſto beatæ, ne ſtulto-
rum aſſertionibus exturbemini, aut coniecturis creduli neſcientium aliquo ſaltim ſcru-
pulo (quod abſit) contra Dei milites moueamini. Hi ſunt enim qui piæ religionis ar-
dore non compunguntur: & iccirco non ſolum veritati fauere non poſſunt, verumet-
iam fidem ſanctā, quam leuiter, & non alto credulitatis fundamento cordibus gerunt,
defendere nequeūt, magis derogantes, ſi propter illam quis vltroneus moriatur: quam
dolentes, ſi ab ea plures recedendo laqueū præuaricationis incurrant. Et hinc ad ſacri-
legium impietatis facile prolabuntur, dum quod à Deo iuſtificatum eſt, iſti condemna-
re non vereantur. Plebs ſine diſciplina, de quibus ſcriptū eſt: Et impie agent impij, ne- *Dan. 2.*

quę intelligent omnes impij, qui vt sal infatuatus à cœtu Catholicorum foris proiiciendi, & ab omnibus conculcandi, ac velut nemus infructuosum securi euangelica præscindendi, igni perpetuo deputandi sunt.

PENSANDVM est, fratres, cui dispendio subiacebit, qui tantæ victoriæ laudem infamare non metuit: qui tot virorum triumphis obuius venit. Illi quidem, prædicationis Apostolicæ non immemores, non erubuerunt testimonium Domini nostri IESV Christi, & veritatem sancti Euangelij ad confusionem impij doctoris, & cultorum eius palam proferre. Quem vnum, & magnum ex pseudoprophetis ore Dominico olim per Euangelium denotatis, esse cognouerant: dum cauta circumspectione Apostolos intentos fore iuberet, dicens: Videte, ne quis vos seducat, multi enim pseudoprophetæ venient in nomine meo, & seducet multos: & nos formidine amittendi temporalem honorem, quos martyres nō colimus, hæreticos protestamur. Væ illis, qui ista sectantur: væ eis, qui bonum putantes malum, & lucem conuertentes in tenebras, quod patulis refutarunt blasphemiis, occultis etiam cōuitiis insequuntur, ne inter martyres habeantur, ne debita eis reuerentia exhibeatur: qui contumaciori spiritu contra inimicum fidei ore blasphemo venientes digna vltione consumpti sunt. Ac ne cæteri ad huiusmodi palestram discurrant, schedulis anathematum per loca varia damnari iubentur. Si ergo ab iis Dominus abstrahit præmium, eo quod apertum, & spontaneum aduersus hostem religionis gesserint bellum, quanto longius aberunt ab æterni Regis consortio, qui id occultis murmurationibus timore carnis depressi quotidie agunt? nunquid ori nostro hæc prædicatio deest? nunquid vacua est Catholicorum professio tali præconio.

Matthæi 24. Marci 13.

21 (margin, beside "micum fidei ore blasphemo…")

RESISTENDVM est igitur omnino iustitiæ aduersariis, & nullatenus pro defensione veritatis corporalis interitus differendus. Merito namque hoc ab illis exercitatur, qui aucta virtute magnanimitatis diuinitus illustrati sunt, vberioremq; pensant certaminis fructum, quam securæ confessionis profectum. Non interim penitus imbecillia contemnentes Ecclesiæ membra. Quia scriptum est: Spiritus quidem promptus,
22 caro autem infirma. Nec violenter ad hoc stadium pertrahendi sunt, qui cœlitus non compuncti sunt: scriptum est enim: Qui potest capere, capiat. Et iterum: Eligentur, & dealbabuntur, & quasi igne probabuntur multi, non omnes. Quamobrem terminis donorum, quæ Deo dispensante vnusquisque sibi inesse cognoscit, contentus sit, nec supra mensuram collati muneris quisquam temere conatum extendat. Hic congruit, vt qui se destitutum viribus ad præliandum non ignorat, & minus posse proprio iudicio considerans, aciem hosti non paret: e regione sponte præparantibus non resistat. Vt quem non habent certamina expeditum, pauorq; bellandi efficit timidum, hunc iusta non inueniat detractionis vltio puniendum. Quoniam scriptum est: Omne verbum ociosum quod loquuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij. Quod si omnis vaniloquus condemnandus veniet in iudicium, qua sententia punietur infamator Sanctorum? Qui enim sui non imperitus grandia non exequitur, gradientibus ad celsiora non aduersetur: hæreatq; imis, & solo procliuibus, qui nequit meditari sublimia. Vt est illud apud Salomonem: Altiora te non inuestigaueris, & profundiora ne ex-
23 quisieris. Et consequenter Cato infert Philosophus: Quod potes, id tenta, operis ne pondere pressus Succumbat labor, & frustra tentata relinquas.

Matthæi 19. Daniel. 11. Matthæi 12. Eccles. 3.

CERTE si quosdam palam quæ sancta sunt profitentes, infernus tenet, multo magis qui in abscondito veritatem prædicant, claustra possident inferorum. Quia si oberit palestricum luctamen iustitiæ assertoribus, profecto nihil proderit clam veritatem fatentibus. Et quæ mens religiosa hanc insaniam credat, vt ex eo in opprobrium veniat veritas, reprobans malum, ex quo non violenter trahimur ad gentilitium malum? & inde ipsa iustitia martyriale non habeat præmium, quæ in auctorem sceleris patulum infert conuitium? Vnde libenter à cultoribus eiusdem vatis, inter regni eorum priuilegia fidei Christianæ sinimur gestare vexillum. Quasi eorum patientiæ sit deputandum, quod inter ipsos sine molestia fidei degimus, & non potius diuinæ dispensationi sit referendum: quæ Patriarchas, Prophetas, & Apostolos suos inter feritates gentium conseruauit, honoribus extulit, dignitatibus sublimauit. Qui etiam pia promissionum spe discipulos consolans ait: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Quapropter non huius impiæ gentis beneficio, in cuius ditione nostro compellente facinore, sceptrum Hispaniæ post excidium, & euulsionem regni Gothorum translatum est, (quod felicissimo fidei Christianę pridem cultu pollebat, venerabilium sacerdotum dignitate florebat, & admirabili basilicarum constru-

Matthæi 28.

Hispania excidium propter hominū peccata.

constructione fulgebat) sed gratia Redemptoris sui, & eius assiduo comitatu Ecclesia custodiri meretur, qui dixit: Sicut lilia inter spinas, sic amica mea inter filias. Et iterum: In medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo. *Ad Phil. 2.*

SED nouerint ipsi, qui hæc obstinata mente de martyribus Dei sentiunt, impurisque linguis gloriam Sanctorum mutilare non verentur, quod cum eisdem Sanctis causas in futuro examine sunt acturi, & nisi fructuosa præcesserit satisfactio, rationem ante tribunal Domini reddituri. *Martyres sui erunt victores.* Nam qua fronte clarificatum gloria passionis tunc vultum eorum aspiciet, in contubernio Regis æterni ob meritum constantiæ glomeratorum, quos hic tantis impetiit blasphemiis, tantis lacerauit opprobriis, tantisque affecit iniuriis? Tunc vtique, cum iusti in magna constantia aduersum eos adstiterint, *Sapient. 5.* qui se angustiauerunt, & gloriam martyrij eorum non coluerunt, & qui abstulerunt labores eorum: reor, videntes turbabuntur terrore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentque inter se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum inuenta est.

VELLEM responderent mihi Christi militum derisores, vtrum amor mortis eos 24
ad mortem perduxerit, an non magis oblectatio Paradisi, vt æternæ mortis euaderent incendia, ad supplicium ire coegerit? *Martyrum votum, & finis.* Quantum reor, nullus responderet, quod intuitu moriendi obitum expetierint sancti: sed vt per temporalem interitum ignes euitarent perpetui lethi. Quapropter eos incunctanter eadem remuneratio nihilominus consequetur, quæ fuit causa moriendi, non quæ extitit voluntas moriendi. Vnusquisque ergo eorum quod vult credat, dicat, vel sentiat: me tamen ea pars firmum obtinet defensorem, quæ cum summa reuerentia eorum cultum veneratur, & extollit honorem. Ibique fidelem sub testimonio Domini nostri IESV Christi dono assensum, vbi eorum præcipuis titulis sublimatur trophæum. Quapropter in posterorum notitiam hunc decreui manere tractatum, vt qualem de dominorum meorum tulerim agone iudicium, & ætatis nostræ vulgus nouerit, & futurum.

VOS autem, viri fratres, credite mecum, immo cum omnibus pie, religioseque beatorum certamina venerantibus, credite beatos esse martyres talia exequentes, & feliciores animas sub eorum testimonio morientes. Armate crudelitate fidei pectora vestra, soluite diuinis laudibus ora, summique Redemptoris beneficia extollentes, præconate & dicite: Moriantur animæ nostræ morte istorum, & fiant nouissima nostra horum similia. Qui dat lassis virtutem, & iis, quibus nullæ suppetunt vires, potentiam potenti dextera roborat in certamine; det mihi, vt vsque ad mortem pro eo fortiori animo cum his militem, qui perfecto desiderio in eius amorem exæstuant. Quia non erit immunis coram Domino intentio, quæ pro veritate exeritur: neque vllatenus repudianda mors, quæ pro iustitia irrogatur. In tali igitur conflictu laudatur Christus, detestatus remanet hostis iniquus; atque sub eadem professione necem excipit furibundam miles strenuus.

IDEOQVE non solum ij, qui talia confitendo sub ictu gladij ceciderunt, digno præconio celebrandi sunt, verumetiam illi digna laude efferendi, qui talium laudibus oblectantur. *Sanctos venerantium præmium.* Quia cum martyrum gloriæ passionibus acquisitæ recoluntur, & beatorum certamina edita referantur, debitus honor martyribus redditur: ac piæ mentes exemplorum incentiuis armantur. Et si martyrium nequeant adipisci, vt participium tamen merebuntur honorandorum præmiorum promoueri. Vt quorum ascribi triumphis cupiunt conscientiæ voluntate, non imparem sumant ex deuotione mercedem. Nam si pessimis factis animum accommodare peruersitatis est, quomodo optimis communicare, non est virtutis? Et cum Deus omnipotens iudicem se non solum factorum, sed etiam votorum insinuet, cur piissimum in martyribus semper votum intentum non conciliet gaudia beatorum? sancto Dauid approbante: Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus. *Psalm. 138.* Et iterum: Qui vos diligit, me diligit: & qui vos recipit, me recipit. *Matth. 10.*

IPSI denique Sancti, corpora sua gladiis offerentes, perennem animarum incolumitatem capessunt: & acquiretes sibi in regno Christi electorum consortium, relinquunt, nihilominus persequutoribus æternæ pœnalitatis incendium. Quia licet scriptum sit, posuerunt mortalia seruorum tuorum escam volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ: effuderunt sanguinem eorum velut aquam in circuitu *Psalm. 78.*

Locum corruptissimum.

Hierusalem, & non erat qui sepeliret: tamen ad puniendum sæuitiam eorum occurrent, qui ista fecerunt, non ad derogationem virtutum proueniet eorum, qui talia sustinuerunt, vt ea ipsa crudelitas cumulum perditionis lictoribus augeat: martyribus vero sanctis præmium sempiternæ felicitatis acquirat. Nam quamuis hæc obtutibus hominum dira & aspera videantur, tamen pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum eius.

Psalm. 115.

Vos autem fratres, & sanctæ in Domino Iesv Christo sorores, gaudete, & exultate, quod manipulos messis vestræ in horreum Domini recondendos iam præmisistis. Iam fructus seminis vestri Syon illa beata ciuitas habet, illa pacis visio Hierusalem cœlestis domesticos cognationis vestræ in pace suscepit. Pergite securi: properate exultantes. Itui vestro nullus aduersari quibit, nullus contradictor assistet, peruenientesq; ad patriam procedet in occursum vestrum, non solum illa cohors sanctorum, qui nuper coronati sunt, verumetiam cætera turba electorum, quorum consortio isti nouitij martyres adnumerati sunt.

Ergo libet mihi, fratres, paululum iucundantis more loqui vobiscum: & pro charitate sufferte verbosum, quem ex dilectione Christi cernitis in laudibus versari sanctorum. Quoniam vt meritorum meorum euaderem debitum, & beatorum adipiscerer intercessionis suffragium, hoc opus victoriis dedicans martyrum, decreui appellare Memoriale Sanctorum, vt ex quo vinctis compatimur, & Dei amicos veneramur, saltim eorum patrociniis adiuuemur. Dicitur enim in Psalmo: Mihi autem honorificati sunt amici tui Deus, quis valde confortatus est principatus eorum. Quamobrem, fratres charissimi, & sorores beatæ, iubete me vestris admitti tripudiis, quem non sinit abesse talibus gaudiis huius confessio operis. Nec inuida affectatione vobismet solummodo vindicetis sanctorum patrocinia martyrum, quos nostis pro totius Ecclesiæ membris subiisse discrimina passionum. Sed quare ego diutius his gaudiis immorari delector? quasi vestrum sit nostro satisfacere optatui? Certe vt saltim non sine consultu vestro adsint nobis Dei testes in tribulatione quæsiti, qui generaliter pro grege Catholico coram patre, & angelis eis manent solliciti. Itaque & vestri & nostri sunt. Ex vobis, carne prodierunt, sed nobiscum, vno baptismatis fonte renati sunt. Nihil est quod de eorum gloria vobis priuatim vindicetis, quia omnes in Christo vnum sumus.

Tituli ratio. *Psalm. 138.*

25 Nam & nos quosdam ex illis ad prælium incitauimus: & si ipsi pugnare desiuimus, arma tamen quibus militarent, suggessimus. Quosdam vero ex consanguineis inter ipsos martyres in cœlum præmisimus. Paulum loquor leuitam egregium carne nobis connexum, & Sanctium auditorem nostrum, qui secundo conflictu post beatum Isaac perrexit ad Christum. Sed nunquid soli de perfectione eorum gloriabimur? quia quos informauimus, quos fratres habuimus, vicisse videmus. Sit commune omnibus gaudium: sint cunctis indiscrete fruenda felicium monumenta virorum. Misceamus vtrique vota, & paribus studiis laudum Deo persoluamus libamina: cuius dono reddita sunt nobis inoliti temporis felicia sæcula. Quibus olim, tempestatibus persequutionum crebrissimis, Christiana Ecclesia lapides in illius cœlestis Hierusalem coaptabat digniter structuram ad Dei gloriam, cuius munere pugnant Sancti, & vincunt: oppetunt mortem, & viuunt. Cuius gratia roboratur constantia martyrum: cuius virtute quicquid sæuitia protulit impiorum, virili animo prægrediuntur. Quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in eis. Nec pendunt, quo mortis genere hanc vitam amittant, quandoquidem per huius defectum perennis regni felicitatem expectant.

Paulus martyr. Sanctius martyr. Isaac martyr. Non meminit hoc loco Hludouici fratris Pauli, quod fortassis quo tempore D. Eulogius hæc commentabatur, ipse Hludouicus nondum martyrium passus fuerat: de quo infra cap. 13. lib. 3. *Ad Rom. 8.*

Vervm quia semper laudabilis est mediocritas, faciliusque lectorem oblectat succincta breuitas, quam fastidiosa prolixitas: ideo finali claudendus est limite liber. Ne præter vnam, & summam incultionis suæ absurditatem, alium parturiat meditantibus ex longa verbositate laborem. Hinc vos instanti iam voluminis termino, ô corona sanctorum, ego ipse licet indignus vestri laudator Eulogius postulo, vt hoc opus vobismetipsis probatum efficiatis, acceptum sanctificetis: sanctificatum, Deo libetis, neque inordinatam narrationis eius seriem pensetis. Sed velle meum potius, quam posse considerantes, voluntatis votum, non impossibilitatis remuneremini defectum.

D. Eulogius ad martyres.

26 Quia ideo primitias huius commentarij præ omnibus philosophis patriæ nostræ vobis offerre curaui, vt eius obtentu vestrum habeam patrocinium, vestroque interuentu omni caream vitio. Quo Dominum contra me pro peccatis offensum merear, &
27 nunc & in æternum inuenire propitiũ. Et licet inde grauioris culpę me obnoxium conscientia mea remordeat, quia res præconabili stylo ad posterorũ notitiam ordinandas

temere

temere infecerit eloquij mei inculta barbaries: tamen ex eo tanti † deliquij remedium *pro criminis* adipisci spero, ex quo omnem vim suam breuitas ingenij nostri in laudem vestram expenderit. Sed & susurrationibus maledicorum obuius veniens, acies perfidorum prostrauit, fundamenta subuertit, vires confregit. Ac veluti canes, qui ardentissimo zelo *Coparatio.* pro dominis suis sæpe rixare non desinunt, eo amplius in importunis latratibus exacerbantur, quo forte impugnatoris fuerint verbere lacerati: ita nos licet asperrimi tẽporis angustia coarctemur, & imminentibus periculis obruamur, nullatenus tamen linguam de vestris laudibus abstraximus, aut de perfidorum insectatione cessauimus. Hæc nos quadam spe cogunt lætos existere, & de clementia boni parentis cõfisos manere. Et idcirco non me desperare faciet oratio inculta, & vilis oblatio muneris huius de obtentu gratiæ redemptoris. Quia plus coram ipso votiuum noui valere affectum, quam segnem affluentiam munerum. Quapropter iterata supplicatione vos quæso, milites Dei, bellatores egregij, testes idonei, martyres Christi, consortes regni perpetui: vt me hic fideli seruitute Deo iungatis, & post debitam pro sceleribus in futuro examine vltionis sententiam à me auferatis. Vt qui liber Memoriale Sanctorum à nobis appellatus, vestrorum actuum gloriosam memoriam præconatur, memoriam meam corã tribunali futuri iudicis fauore suæ acceptionis in sortem ouium præscribat. Quo à læua in partem dexteram demutatus, pij redemptoris aspectibus sine confusione merear perfrui, nulloque præpediente reatu, illi cœtui connumerari promerear, cui idem redemptor pia voce dicturus est: Venite benedicti patris mei, percipite paratum vobis *Matth. 25.* regnum à constitutione mundi.

Scholia in operis præfationem.

EGo quidem) *Instituti sui reddit rationem: & gustum, quantum credi potest, futuri operis in ipso vestibulo præbiturus, Isaac martyris vitam & interitum memorat.* 1

Ascysteriis). *Græcum verbum, vnde hoc nomen deriuatur, mentem in rerum diuinarum contemplatione exercere significat. Inde ascysteria monasteria dicuntur. Vsus est eo vocabulo imperator Iustinianus in l. omnia. 33. C. de Episc. & cler. Iterũ etiam id ipsum D. Eulogius vsurpat, & D. Basilius, D. Gregorius Nazianzenus eo frequenter vtuntur.* 2

Qui prior). *Præcesserunt haud dubie multis annis Adulphus & Ioannes, vt lib. 2. ca. 8. apparebit. Sed enim de his tantum nunc loquitur, qui per tres hos aut quatuor annos martyrio coronati sunt. Et quamuis nunc etiam Perfectus presbyter præcessisset, ipse tamen Eulogius paulo post rationem est redditurus, cur ipso priorem Isaac referat.* 3

E Tabanensi cœnobio.) *Monasterij huius crebra mentio deinceps occurret. Eo autem potissimum sese receperat S. Isaac, quia patruelem Hieremiam, mox martyrem, inibi habebat, qui cum vxore Elisabeth monasterium ipsum construxerat: in quo ipse etiam monachus factus, vt suo loco apparebit, degebat.* 4

Ephebus ille.) *Viginti septem annorum fuisse in Vsuardi martyrologio memoratur. Eulogius in 2. lib. hoc ipsum eius martyrium repetens, cum primæuos adolescentiæ annos ingrederetur, monachum factum, & post triennium martyrium subijsse scribit.* 5

Ita maledictionibus tabescat.) *Imprecatio est, Hispanis nostris quam Latinis inter loquendum hac forma vsitatior. Diuersa enim sunt illa.* 6

Dij talem terris auertite pestem. *Virgilius.*

Item illud eiusdem.

Quod Dij prius omen in ipsum Conuertant.

Feria quarta.) *Annus Domini octingentesimus quinquagesimus primus, dies Iunij tertius notatur. Et recte prorsus: incidit enim is eius mensis dies illo anno in feriam quartam. Habuit enim literam, vt vocant, dominicalem D.* 7

Eo porro ipso die in Vsuardi martyrologio festum eius apponitur: quod etiam Romanum nuper locupletatum, & Venetijs apud Iuntas excussum, inde transtulisse videtur. Cordubensis Ecclesia eundem diem eidem sancto martyri dicatum celebrat.

Qui post quintum.) *Inclusiue, vti aiunt, computat.* 8

Hieremiam martyrio.) *De his lib. 2. cap. 4. Item de Perfecto presbytero cap. 1. Cuius ideo hic mentionem inseruit, vt qua ratione eidem tempore Isaac anteferret, demonstraret.* 9

Scholia in librum primum.

1 PEritissimorum virorum.) *Sancta Ecclesia vt fuit, eritque semper (quemadmodum ab eius auctore IESV Christo Domino nostro prædictum est) sagena, bonis & malis promiscue piscibus oppleta: ita in ipsis etiam Christianis prauos quosdam habere nunquam destitit, qui ipsam importune conturbarent: & zelo quodam improuido instigati affligerent. Quod etiam D. Eulogij tempore contigit. Non satis erat Hispanam Ecclesiam captiuã in misera & truculenta seruitute versari, & ab immanissimis tyrãnis infanda mala assiduè perpeti: quod vnum Christianis in tot calamitatib. insigne solatiũ esse poterat: nimirum non deesse, qui fortiter mortẽ pro Christo oppeterent: & constantia sua alios instimulantes, Dei Ecclesiam exhilararent: hoc ipsum tot malorũ leuamen, impij quidam, & insipienter prouidi eripere illi nitebantur. Martyres criminabantur, eo nomine indignos iudicabant, & obesse potius in commune Ecclesiæ Hispanæ, quam prodesse affirmabant. Eis respondere hoc 1. lib. D. Eulogius voluit, vt martyrum, de quibus deinceps esset acturus, famæ consuleret, contra calũniantes defenderet, veramq; & solidam illorũ gloriam initio astrueret. Nihilosecius tamen destinato in hoc ipsum opere Apologetico, idem postea argumentũ plenius tractauit. Nec solus tamen martyres ita defendit. Quisquis enim fuit auctor Indiculi Luminosi (de quo in D. Eulogij vita, de Aluaro loquentes, diximus) totum illud opus ad eorundem martyrũ defensionem conscripsit: vt Apologeticum prorsus posset iure optimo appellare. Et neque hoc D. Eulogij sæculo solũ martyrum fuere detractores, sed priscis etiã Ecclesiæ temporibus. Concilium. n. Carthaginense primum sub Syluestro primo, huiusmodi martyrum obtrectatores canone secundo grauiter compescuit.*

2 Sed nescio quo tædere.) *Insignis vbiq; apparet in D. Eulog. modestia atq; eo profecto magis cõspicua, quo homo, vt illa tẽpora ferebãt, doctissimus, nullã habet de ingenio & literis, nullã probatissimus de virtute fiduciam.*

3 Ecclesia Hispaniæ.) *Corruperant iam hæc secula multa in proprijs præsertim nominibus vocabula: vt in hunc, quem nunc habemus, Hispanum sermonem paulatim transformarent. In Spaniam, non Hispaniam: Cordobam: non Cordubam. eglesiam, non Ecclesiam, proferebant: Neq; recẽs post Arabum in Hispaniam ingressum ea fuit corruptela: sed retro ab Gothorũ temporibus deriuata, quod ex nũmis iam in D. Eulogij vita ostendimus. Scribebant autẽ, quemadmodũ & pronuntiabant. Itaque eglesia, non ecclesia, fuit semper in veteri scriptum. Nos tamen in excudendo latini sermonis proprietatem in Hispaniæ, & ecclesiæ, quemadmodum in Cordubæ nomine retinuimus.*

4 Comessationes quoq;.) *Late in hoc loco D. Eulogius quæ pessime de Christo saluatore, & sacratissima eius matre Mahometus tradidit, ex nefando Alcorano prosequebatur. Verum nos lineas aliquot iustis de causis dẽpsimus. Nã quæ illo tẽpore ad detegendã sectæ abominandæ turpitudinẽ erant necessaria, nunc piorũ aures poterãt offendere. Et prouidentissimis sanctæ Inquisitionis decretis cautũ est, ne Alcorani nefaria dogmata passim legatur. Neq; nos tamẽ pro libito quippiã de S. Martyris opere, q̃ digne suspicimus, & reuerẽter attingimus, adimere voluimus: quin potius id ipsum de sapiẽtissimorũ virorũ consilio fecimus. Hæc ideo hic annotare voluimus, vt si quis in D. Eulogij exẽplar inciderit, cur hic paucula quædã desint, intelligat. Et quantũ ego existimo. Speraindeo abbatis verba sunt vsq; ad illa, & erit clausa. Hic enim vehementioris orationis impetus, nescio quid commotius, & ab cæteris in hoc opere diuersum dignũque facundiori artifice molitur.*

5 Nonnulli nostrorum philosophorum.) *Christianos, qui doctrina præstarent, quiue doctores in Ecclesia essent, philosophos vocat. Habetq; catacrisis nonnullam ex similitudine rationem.*

6 Inuictissimi illius Ioãnis.) *Auctor Indiculi Luminosi Ioãnis huius suppliciũ late descripsit. Et quoniã liber nondũ est typis excussus, operæpretiũ fuerit, ipsa eius verba hic apponere. Post martyriũ igitur Perfecti presbyteri ita inquit. Pergamus secũdi iterũ exponere casũ. Post anni reuolutionẽ, aut aliquid amplius, ille liuoris gentiliũ oculus nõ quieuit: sed vt solitũ est illis Christianismũ irridere, & nobis omnib. Christicolis insultare: hũc Ioãnẽ, quẽ multo tẽpore carceris retinuere claustra, negotiationẽ & mercimonia nũdinãdi in eo exaggerare conati sunt, & ipsũ vexare: & ob gratiã mercimonij liuore vsti, multa exprobrãdo ingerere, dicẽtes. Paruipẽdẽs nostrũ prophetã, semper eius nomẽ in derisione frequẽtas, & mendaciũ tuum per iuramẽta, vt ibi videtur, nostræ religionis falsa aurib. te ignorantiũ Christianũ esse, sæpe confirmas. Ad quos ille confidenter, & nihil ergà se doli suspicans, cum se immunem ab ipsis, quæ contra eum opponebantur, vellet ostendere: furor crepitans, & præceps ira, eadem repetens, inculcans, & replicans crebrius, quæ sæpe dixerat, intentauit. Tunc ille non ferens, ex hac generationum talium nube stomachabundus, & faceta satis vrbanitate accinctus, eleganti mente respondit elatus: Maledictus sit à Deo, qui prophetam vestrum nominare desiderat. Illico clamor ingens factus, & perditorum cuneus constipatus iniquitatis ex ore conuentus, velut apes in vnum perfidiæ aggerem congregati, vnius massæ cumulo, malitiæ conspiratione respersi, semiuiuũ ad iudicem perduxerunt. Et testibus minus idoneis: ab ipsa perfidorũ massa surgentibus, præsentatis, potiora & maiora contra ipsum testatione propria intentarunt. Quæ ille tota negauit, & æmulationẽ inuidiæ ipsorũ aperto in se sermone retexuit. Sed iudex iniquitatis quadringentis eũ ictib. verberat flagellorũ, & per omniũ ædes sanctorũ sub voce præconia fecit discurrere: Talia pati debere, qui prophetæ derogãt Dei. Ac deinde carcerali mãcipat arcta custodia, minitando illi inferre maiora. De hoc Ioanne iterũ etiã D. Eulogius lib. 2. c. 10. In vetusto vero Michaelis Ruizij Acagræ codice epi-*

epigrammata etiam Cypriani Cordubensis Ecclesiæ Archipresbyteri fuerunt: & inter cætera hoc quoque distichon cum hoc titulo.

Cyprianus archipresbyter Cordubensis.

Item super tumulum S. Ioannis confessoris.

Carceres, & dira Ioannes ferrea vincla
Christi amore tulit. Hac functus in aula quiescit.

Hunc eundem Ioannem esse credo, quem D. Eulogius commemorat. Quamquam pauciora epitaphium, quam potuit, ac debuit, retulit. Sed eiusmodi erant tempora, vt versum quoquomodo clausisse, magnum etiam haberetur. Vixit autem & scripsit Cyprianus hic, quod ex alijs eius epigrammatis apparet quadraginta aut paulo amplius post D. Eulogij mortem annis.

Qui vt idem docuit.) *Longa admodum est parenthesis, & traiectione etiam (quod Fabius* 7
damnat) plusquam tarda. Sed nos nihil immutare hic ausi sumus.

Et quoscunque confessio.) *Iam hinc est animaduertendum Christianos per totam Hispani-* 8
am, & Cordubæ præsertim, ea lege, quemadmodum initio scripsimus, fuisse relictos & toleratos, vt Mahometi sectæ non detraherent. De hoc ipso in Indiculo Luminoso legimus ad hunc modum. Ecce lex publica pendet, & legalia iussa per omne regnum eorum discurrunt, vt qui blasphemauerit, flagelletur, & qui percusserit, occidatur. Et ecce quotidie horis diurnis & nocturnis in turribus suis & montibus caligosis Dominum maledicunt, dum vatem impudicum, periurum, rabidum & iniquum vna cum Domino testimonij voce extollunt. De cæteris vero quæ ab Sarracenis paterentur Christiani, hic ab Eulogio commemoratis: auctor ille in hunc modum. Quotidie opprobrijs, & mille contumeliarum fascibus obruti, persequutionem nos dicimus nō habere? Nam vt alia taceam, certe dum defunctorum corpora à sacerdotibus vident, vt mos est Ecclesiasticus, humanda portare, nonne apertis vocibus, & impurissimis gemitibus dicunt, Deus non miserearis illis? & lapidibus sacerdotes Domini impetentes, ignominiosis verbis populum Domini denotantes, spurcitiarum fimo Christicolas transeuntes pedore infando aspergunt, maiora minitando ringentes. Et paulo post. Sic itidem, & cum sacerdotes Dei casu quopiam cuiquam obuiauerint per viam, lapides coram ipsis cumulantes, testasque aridissimas ante vestigia eorum reuoluentes, ac improperioso & infami nomine derogantes, vulgari prouerbio & cantico inhonesto sugillant, & fidei signum opprobrioso elogio detruncant. Sed cum basilicæ signum, hoc est tinnientis æris sonitum, qui pro conuentu Ecclesiæ adunando horis omnibus canonicis percutitur, audiunt: derisione & cōtemptu inhiātes, mouentes capita, infanda iterando congeminant, & omnem sexum, omnemque ætatem, totiusque Christi Domini gregem non vniformi subsannio, sed milleno contumeliarum infamio impetunt, & derident. Nunquid non isti sunt, qui Hierusalem maledicunt, & muros sanctæ Sion destruunt, & succendunt? De quibus dicitur: Maledicti omnes, qui spernunt te, & omnes qui blasphemant te. Maledicti omnes qui destruunt muros tuos, & omnes qui subuertunt turres tuas, & omnes qui succedunt habitationes tuas. Et licet hæc omnia ab illis per contemptum vel derisionem, vel odium, vt diximus, impleantur: tamen etiam carnaliter in habitationes Domini, & in sanctuarij ædes quotidie perpetrantur: dum Ecclesiæ Dei destruuntur, & antiqua soliditate templa firmata, terra tenus coæquantur.

Opprobria Sarracenorum in Christianos.

Carnibus etiam spoliata.) *Hic paulisper oportet immorari, vt melius quid hic lege cautum* 9
dicat sanctus martyr intelligamus. Viuebat Cordubæ, hocque ipso tempore presbyter, Abbas postea S. Zoyli fuit, Samson nomine, vir doctus & subtili ingenio, in Philosophiæ & sacrarū literarum studijs versatus. Id abunde declarat eius Apologeticum opus, quod tribus libris distinctum scripsit contra Hostigesiū Malacitanum episcopum, qui ipsum in concilio Cordubensi hæreticum cum conuitio dixerat: quemadmodum ipse in præfatione li. 2. late commemorat. Ibi se abbatem Ecclesiæ S. Zoyli martyris Era nongentesima prima, hoc est anno Domini octingentesimo sexagesimo tertio factum ostendit. Is autem annus est post Eulogij martyrium 3. aut 4. Me etiam iuuene in montibus Cordubensibus, decimo ab vrbe milliario, non admodum longe ab oppido, quod Trasierra vocant, in eo agro, qui Comitatus de Espiel dicitur, dum vetustum puteum rustici repurgant: cimbalum æreum paruum, pedis ferme altitudine extraxerūt. Id nunc etiam in D. Hieronymi cœnobio adseruatur. Forma est ab cæteris, quibus nunc vtimur, longe diuersa. Literas sequentes non fusiles, sed celte excauatas in orbem habet: sed tot nexibus inter se colligatas, & alijs alias inclusas, vt typis eorum species exprimi nequeat.

Samson Abbas. Hostigesius Malacitanus Episcopus. Concilium Cordubense. Trassierra oppidum. Espiel. Cimbalum vetustissimum.

OFFERT HOC MVNVS SAMSON ABBATIS IN
DOMVM S. SEBASTIANI MARTYRIS CHRISTI.
ERA DCCCC ET XIII.

Fidelissime transcriptum.

Est autem hic annus Domini octingentesimus septuagesimus quintus. Obijt autem idem Samson anno postea octingentesimo nonagesimo. Quod ex eius epitaphio constat, ab Cypriano archipresbytero cōposito, & inter reliqua eiusdem epigrammata in eodem illo Azagræ codice reperto, cum hoc titulo.

Cyprianus archipresbyter Cordubensis.

Epitaphium, quod idem in sepulchro Domini
Samsonis edidit, metro heroico.

Quis, quantusue fuit Samson clarissimus Abba,
Cuius in vrna manent hæc sacra membra sub aula:

Personat Hesperia, illius famine fota.
Flecte Deum precibus, lector, nunc flecte peroro,
Athera vti culpis valeat conscendere tersis.
Discessit longe notus, plenusque dierum,
Sextilis namque mensis die vicesima prima.
Sextilis namque mensis primo & vicesimo sole.

Era DCCCCXXVIIj

S. Ecclesiæ Toletanæ bibliotheca.

Seruandus Comes.

Era ad hunc modum fuit infrà scripta. Illud autem eius opus Apologeticum Toleti in S. Ecclesiæ bibliotheca Gothicis literis descriptum, in peruetusto codice habetur. Hæc omnia satis indicāt Samsonē hunc D. Eulogij temporibus floruisse. Quod nos exquisitius astruere voluimus, quia de hoc ipso periculo, quod martyres sanctos sepeliendo imminebat, in præfatione libri secundi de Seruando Comite Christiano, sed nefario homine, ita inquit, postquam multa mala, quæ Christianis viuentibus intulerat, recensuit. Deinde viuorum mortibus non contentus, quiescentium, quorum animabus impedire requiem non potuit, ne vel ipsis parcere videretur: corpora, vt fuerant sub areis Dei posita, è suis loculis insignis vespilo traxit, & fidelibus regis, vt fuerant ancipiti ense truncata, monstrauit: vt hoc facto animos regios in nostrorum perniciem excitaret. Quatenus probarentur apud eum, debito mortis obnoxij, qui ausi essent humare illius prostratos pugione. Hucusque Samson. Nec dubium credo alicui esse possit, quin de S. martyribus, superioribus annis interemptis, loquatur.

10 Quippe iam nos.) *De se ipso loquitur Eulogius, qui vt Aluarus scripsit, ipsequemet postea non semel narrabit, in carcerem missus fuerat. Inde autē sanctarum virginum & martyrum Floræ, & Mariæ precibus, vt ipsæ contestatæ ante martyrium fuerant, cum cæteris Christianis est eductus. Hoc innuit. Attende autem scripsisse D. Eulogium hunc librum, post suam illam liberationem.*

11 Vbi quoque & hic.) *Nemo nescit Mahometum in felici Arabia genitum.*

Leouigildus presbyter Cordubēsis.

12 Lunariter soluimus.) *Lunariter, quemadmodum & lunatim, aduerbia sunt illis temporibus nouata. Significant autem per singulos menses. Huius menstrui tributi meminit etiā Leouigildus presbyter Cordubensis, qui hoc ipso etiam sæculo vixit, & de habitu clericorum opusculum scripsit. Causas autem cur scriberet reddens, ita inquit: Vt qui ex nobis ad remanentes doctores imbecillitate corporis præpediente dirigere gressus nequiuerit, aut quem inquisitio vel census, vel vectigalis, quod omni lunari mēse pro Christi nomine soluere cogimur, retinuerit: saltem nocturno tempore inter Ecclesiastica munia, qui necessarium duxerit, legat. Meminit huius Leouigildi Samson Abbas. Est autem peracerbum & lachrymis dignum, miseriam Christianorū, qui tot, tantaque ludibria & detrimēta paterentur, reminisci.*

Ad Gal. 6.

13 Stigmata in nobis.) *Sacram tonsuram intelligit. Stygmatum autem vocabulum, quod alioqui in seruis solummodo erat proprium, D. Paulus eo vsus, fecit Christianis etiam venerabile.*

14 Emeterius & Celedonius.) *Prudentius poeta in horum sanctorum hymno, spontaneam eorum ad oppetendam mortem satis indicat voluntatem, cum ita loquentes inducit.*

Sit satis, quod capta primo
Vita sub chyrographo
Debitum persoluit omne,
Functa rebus Cæsaris.
Tempus est Deo rependi
Quicquid est proprium Dei.
Ite signorum magistri,
Et vos tribuni absistite:
Aureos auferte torques,
Sauciorum præmia,
Clara nos hinc angelorum
Iam vocant stipendia.
Christus illic candidatis
Præsidet cohortibus:
Et throno regnans ab alto,
Damnat infames Deos,
Vosque, qui ridenda nobis
Monstra diuos fingitis.

Codex sanctoralis Toletanus.

Cæterum sancta Toletana Ecclesia peruetustum codicem habet, quo vitæ nostratium martyrum continentur. Ibi in Emeterij & Celedonij historia, hæc ipsa verba, quæ paulo post adducit Eulogius habentur. Sunt autem Celedonij Emeterio adhortanti, vt ad iudicem procederent, respondentis. Et olim profectò sancta Toletana Ecclesia hanc ipsam historiam in matutinis legere consueuerat, & nonnullæ hodie per Hispaniam legunt. Et magnopere est animaduertendum, quam sit antiqua illa historia, quæ tempore

etiam

etiam Eulogij iam fuerat conscripta.

In illis septem fratribus.) *Hoc ipsum ijsdem verbis in vulgata sanctorũ Iuliani & Basilissæ* 15
historia legimus in Episcopo Equilino, in sanctoralibus vetustissimis, & vbicunque est plene descripta. Ecclesiæ enim ferme omnes in matutinis breuitatis auidæ indidem multa præcidere. Quod in omnibus etiam fere sanctorũ historijs accidisse dolemus. Hinc autem præstiterit intelligere, quanta sit in multis sanctorum historiis auctoritas, quanta esse debeat ex antiquitate veneratio. Quis crederet has S. Iuliani & Basilissæ, Emeterij & Celedonij historias, ante octingẽtos annos fuisse scriptas: nisi hic cerneret ab D. Eulogio citari? Nos vero passim multa eiuscemodi contemnimus, & tanquam noua inuenta superbe fastidimus.

Felicissimus Felix.) *Hæc omnia in huius martyris, qui S. Cucufatis fuit frater, in matutinis* 16
per omnes fere Hispaniæ Ecclesias leguntur. Est autem Gerunda in extremis Hispaniæ finibus, qua per Pyrenæos cum Narbonensi Gallia coniungitur, in Ausetanis sita. Non omnino deleto nomine Gironam nunc vulgo nuncupamus. Paruam eam vrbem Prudentius appellauit, cum in hymno Cæsaraugustanorum martyrum Felicis etiam meminisset. Mauritaniæ vero Cæsarea eadem esse putatur, cuius nunc ruinæ ingentes cum nomine perseuerant.

Sic S. Sebastianus.) *Exempla SS. Martyrũ sunt, qui se sua spõte non quæsiti, martyrio tradide-* 17
runt. Longum esset persequi singula. Satis sunt nota horum omnium sanctorum gesta, vt quiuis vel quid Eulogius innuat, intelligat: vel eorum legere possit historias.

Sic Eulalia virgo Barchinonensis.) *Iam hinc facile intelligas, Emeretensem Eulaliam non* 18
sponte sua ad confessionem fidei Christianæ processisse, sed iudicis imperio fuisse abductam. Alioqui & eius etiam exemplum Eulogius protulisset. Sunt porro qui aliter narrẽt. Et qui vnam eãdemque esse volunt vtramque Eulaliam. Iam hinc D. Eulogij testimonio refelluntur. Barchinonensis vero vrbis tanta est celebritas, vt de ipsa hic plura dicere non sit necessarium.

Vt quidam sapientissimum meminit.) *Verba sunt ex eadem illa historia Emeterii & Ce-* 19
ledonij desumpta.

Sed in veritate.) *Acute satis testimonium quod adduxerat, expendit, & quo pacto sit intelligẽ-* 20
dum, demonstrat. Quod est frequenter in D. Eulogio eximium, ingenij que & iudicij ipsius egregium indicium. Est autem Hispanismus, eadem phrasi ad hæc vsque tempora conseruatus. Frequẽter enim quippiam asseuerantes incipimus: En verdad.

Ac ne cæteri.) *Zelus ille quorundam Episcoporum insipiens hucusque processerat. Nam Episco-* 21
pos etiam ad hunc modum commotos fuisse in Apologetico postea ostendit.

Nec violenter.) *Prudentissime & cum ingenti circunspectione omnia S. Martyr pertractat.* 22
Ideo quod in commune statuerat, adhibito necessario temperamento comprimit, & veluti coercet.

Cato infert Philosophus.) *In tanta Hispanæ Ecclesiæ calamitate & misera seruitute, magna* 23
etiam doctores Christiani librorum penuria laborabant. Inde cogitur Eulogius non admodum nobilis auctoris carmina, grauia alioqui & veræ sapientiæ plena præceptis, interserere.

Sors illorum inuenta est.) *Quanquam in vetusto codice vacuæ membranæ hic aliquantulũ* 24
fuit relictum, quod octo decemue lineas posset recipere: veruntamẽ nihil prorsus defuit. Nam totum illud folium laxe admodum exaratum, & multo paucioribus quam cætera lineis distributum, aperte demonstrat, descriptoris, occupare totũ foliũ satagentis, anxietatẽ. Quod cum assequi plene non posset, & sequentia nouum haberent initium, dignaque folij principio viderentur: satis habuit, oppleta vna pagina, alteram occœpisse, & aliquot lineis continuasse. 25

Paulum loquor.) *De his lib. 2. ca. 3. & 6. scribit.* 26

Præ omnibus philosophis patriæ nostræ.) *Iterum philosophos doctos viros nominat, eadem, quam supra docuimus, catacrisi. Et cum anno Domini 851. scriberet, tribus annis ante auctorem Indiculi Luminosi scribebat. Quod ipsum argumento esse possit, illud opus Aluari non esse, qui post Eulogiũ profecto non fuit scripturus.*

Et licet inde.) *Iterum ad insignem suam modestiam redit Eulogius. Humilitatis suæ seipsum* 27
diutius non sinit obliuisci. In SS. Martyrum laudibus tripudianti, & sanctissimis gaudijs seque, & pios omnes cœlitus exhilaranti, humilitatis subit cogitatio, memoria occursat, cœlestique fruentem lætitia sistit, & quasi indignum eo iubilo reuocat. Omnia pectus spirant vere Deo dicatum, omnia futurum martyrem iam redolent.

HVcusque in D. Eulogij emendatione & illustratione processeram, cum post insignem illam victoriã, qua Ioannes Austrius, serenissimus princeps, Turcarum classem inclyto triumpho deleuit, accepit captiuam, mensis Octobris superioris die 7. natus est Fernandus princeps, Philippi secundi regis Catholici & Annæ Austriæ reginæ filius. Natus vero est Madriti 3. fer. die. 4. Decemb. ante aurorã, hoc anno Domini 1571. Nos vero, qui maximo Christianæ Reipublicæ bono natũ hunc principem de Dei benignitate speramus, in communi Hispaniæ & totius Christiani orbis lætitia, scripto hoc epigrammate exultatimus.

AD FERNANDVM PRINCIPEM PHILIPPI II. CATHOLICI REGIS FILIVM, IN MAXIMA CHRISTIANI ORBIS LÆTITIA, & Turcarum mœrore natum.

NAsceris, ô magni proles Fernande Philippi,
Ingentis veniens tempore lætitiæ.
Nasceris en læto Christiani nominis orbe,
Turcarumque venis orbe gemente puer.
Et natus vix dum est hostili terror in aure,
Omine qui magnus incipis esse puer.
Græcia te in cunis, atque Asia tota tremiscit:
Illa subacta gemit, hæc superanda pauet.
Fata tibi & Syriam, & Solymos iam certa loquuntur,
Christus fatorum spondet & hinc Dominus.
Magne puer, Christi tibi se monumenta reseruant,
Per te victrici mox liberanda manu.
Interea lato patruus tibi calle Ioannes,
Per maria & terras strauerit ante viam.

DIVI EVLOGII CORDVBENSIS, MARTYRIS, DOCTORIS, ET ELECTI ARCHIEPISCOPI TOLETANI, MEMORIALIS SANCTORUM liber secundus.

PRÆFATIO.

CONTIGVA Huius secundi operis breuitas, martyrum tantummodo beatorum gesta exponens, nomina, ætates, ortus, diesque allisionum fideli proferet relatione: quo prudens lector perpaululum prioris libelli seriem protelatam compensans, quos præconio suo extulerit, siue è contra quos zelo Dei armatus incesserit, facilius possit coniicere. Nam quod ille vario disputationis ambitu obuolute disponit, iste enucleatim compendiosa differit breuitate. Quem per capitula ideo digessimus, vt vniuscuiusque martyrum agonis principia liberius se meditantibus exhiberent.

De Perfecto presbytero Cordubensi martyre. Cap. I.

Annus Domini DcccL.

IN nomine Domini. Regnante in perpetuum Domino nostro IESV Chri-
1 sto, anno Incarnationis eius 850. Era 888. consulatus autem Habdarrahg-
man. 29. Cuius temporibus rebus & dignitate gens Arabum in Hispaniis
aucta, totam pene Hiberiam diro priuilegio occupauit: Cordubam verò,
2 quæ olim Patritia dicebatur, nunc sessione sua vrbem regiam appellatam, summo api-
ce extulit, honorib. sublimauit, gloria dilatauit, diuitiis cumulauit, cunctarumq; deli-
3 ciarū mundi affluentia (vltra quā credi, vel dici fas est) vehementius ampliauit: ita vt in
omni pompa sæculari prædecessores generis sui reges excederet, superaret, & vinceret. Dumque sub eius grauissimo iugo Ecclesia orthodoxorum gemēs, vsque ad inter-
4 itum vapularet: venerabilis memoriæ Perfectus presbyter Cordubæ natus, & sub pædagogis basilicæ S. Aciscli clara eruditione nutritus, plenissime Ecclesiasticis disciplinis imbutus, & viuaci educatione literaria captus, necnō ex parte linguæ Arabicæ co-
5 gnitus, totam pene iuuentutem in prædicto transegit cœnobio.

Habdarrahgman. *Arabū rex.* *Corduba colonia Patritia.* *Perfectus presbyter martyr.* *Basilica S. Aciscli.*

QVODAM vero die dum ob rei familiaris necessitatem iter perageret, & rerum
6 domesticarum commodis consulens, per vrbem ingrederetur, quorundam gentilium sciscitationib. de fide catholica exploratur: suumq; coram eis de Christo, & propheta Maho-

Mahomat teſtimonium proferre iubetur. Qui continuo diffuſo ore Diuinitatis Chriſti potentiam profitens, & eſſe Deum ſuper omnia benedictum in ſæcula præconans: Vatem (inquit) veſtrum, qualiter apud catholicos habeatur, exponere non audeo, quia graui moleſtia propter hoc vos vulnerari non ambigo. Verum ſi fœdus interceſſerit amicabile, & pacificam fidei pactionem accommodatis, dicam quo Euangelij teſtimonio denotetur, vel qua veneratione à chriſticolis excolatur. Illico fraudulenter fidē ſpondent, & quicquid de illo apud religioſos tenetur, omni pulſa formidine enarrare compellunt. Ad hæc prudens ſacerdos Arabice illos reciprocans, pſeudoprophetam illum, & falſiſſimum dogmatiſtam, quia plures ſeduxerit, ex Euangelio protulit, dicēs: Multi pſeudoprophetæ venient in nomine meo, & multos ſeducent, & dabunt ſigna *Marc. 13.* magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. E quibus inter cæteros ſummus hic propheta veſter hoſtis antiqui præſtigiis occupatus, dæmoniorum figmentis illectus, maleficiorum ſacrilegiis deditus, multorum paruipendentium corda lethali veneno corrumpens, æternæ perditionis laqueis mancipauit. *Mahometi nefaria ſcelera.* Sic nulla ſpiritali diſcretus prudentia, principi Sathanæ eorum fidem accommodat, cum quo ipſe aſperrima inferorum luiturus tormenta, vos quoque ſequipedas ſecum arſuros, inextinguibilis camini deputauit incendiis. Nam quo pacto inter prophetas reputabitur, aut quare non maledictione cœleſti plectetur, qui Zeinab vxorem vernaculi *Pſal. 31.* ſui Zaid, ſpecie decoris eius obcæcatus, iure barbarico auferens, ſicut equus & mulus, in quibus non eſt intellectus, adulterina ſibi copula nexuit, ſeſeque ex iuſſu angeli hoc egiſſe prædixit. Multa deinde beatus Perfectus de fœditatibus, & libidinibus, quæ lege 7 Mahometica præcipiuntur, ſuperaddidit, & tandem finem his verbis fecit. Sic fautor immunditiæ, & libidinum voluptatibus ſeruiens, omnes vos perennis luxuriæ impuritatibus dedicauit. Alia etiam plura, prout nouerat, de ipſius nefandiſſima doctrina eis exponens multaque auditui exoſa coram omnibus denuntians, licet non tunc illū ſuperbo oculo impetierint, accenſum tamen vltionis furorem in corde ad perniciem eius reponunt.

PERFICIT Dei famulus ſibi hinc neceſſariæ rei vtilitatem, & expleto ſui itineris curſu, propriæ quietis cellulam repetens, ſecurus aliquamdiu permanſit. Cæterum poſt non longam digreſſionem temporis, dum occaſio familiaris neceſſitatis eum aliquo ire compelleret, caſu per eoſdem cum quibus dudum conflictum geſſerat, habuit commeatum. Quem æmuli venientem ab eminus contuentes, æternum aduerſus eum ſub pectore vulnus ſeruatum, in apertum produnt incendium, & in vindictam ſui vatis 8 circum aſtantium hoc modo horrantur conuentum. Ecce, quem temeraria pridē impellente inſania, tanta coram nobis aduerſus vatem (pſallat Deus ſuper eum, & ſaluet eum) maledictionis verba protulit, quanta nullus veſtrorum auditus poteſt perferre. Hoc autem genere benedictionis ſemper ad honorem eius vtūtur, Zalla, Allah, Halla, Anabi. V. A. Zallen. *Perfectus accuſatus & captus.* Quod latine dicitur, Pſallat Deus ſuper prophetam, & ſaluēt eum. Et ita quaſi apes ſtimulatæ, tota illa cohors perditionis in eum furibunda conſurgens, apprehenſum ſub omni celeritate iudici, vix plantis ſolum tangentem, offerunt, atq; huiuſmodi de eo teſtimonium proferunt. Hunc, quem tuis reuerentiſſimis tribunalib. iudex, attraximus, maledixiſſe prophetam noſtrum, eiuſque cultoribus exprobraſſe comperimus. Quæ vero ſententia tales auſus compeſcat, furiamque retundat, melius tua nouit prudentia cogitare. Tunc iudex iniquitatis ergaſtulis futurum Dei martyrem tradit: ferroque vinctum importabili pondere vinculorum coarctans, victimandum in eo die differt, quo profanis ritibus feſtiuum *paſchæ gaudium apud eos excolitur. *Hinc, inueſtigatio die Paſcha apud Mahometanos, dies detentionis Perfecti in carcerem aſtrui poteſt.* Vadit miles Chriſti exultantibus animis abdita carceris petēs, lætuſque illū reorum ſpecum quaſi ad epulas inuitatus, ingreditur. Vbi ſumma timoris, & ſanctimoniæ reuerentia præditus, vigiliis, orationibus, atque ieiuniis inſeruiens, fertur ſuam ſententiam, quam dudum ante iudicem formidine mortis negauerat, fortiori mente in virtute S. Spiritus confirmaſſe. Et priuſquam foro plectendus educeretur, tradunt prophetico vegetatum ſpiritu de quodam eunucho vocabulo Nazar Clauiculario procōſule (qui eo tempore totius rei in Hiſpaniis adminiſtrationem gerebat) dixiſſe: *Nazar regis eunuchum.* Hunc quem hodie ſuper omnes Hiberiæ primates faſtus principatus extollit, & cœlo tenus glorioſa poteſtas in hac parte occidua ſublimauit, reuoluto vetuti anni curriculo ipſū, quo me proſterni die decreuerit, non attinget. Quod ita diuina virtus, vt cōfeſſori ſuo iam quidem per ſqualores carceris elimato reuelauerat, implere non diſtulit.

EXACTIS igitur non multis in carcere menſibus, poſt expleta ieiuniorum ſuorū tricena diecula, in quibus gaſtrimargiæ crapulis, & fluxu libidinis, ſicuti in * primo li-

** Hac inde reſecata ſunt*

runt ab Ambrosio Morales io, quare locus subobscurus.

bro digestum est, propensius solito insistunt: illucescit martyri cæteris temporib. glo-
riosior dies: Ille, ille scilicet, quem solenni veneratione summoque tripudio ritu vanæ
legis gerunt dicatum. In quo se magnum Deo suo præstaturi arbitrantes obsequium,
eductum ex antro gladio vindice trucidarunt confitentem Christum in gloria Deita-

D. Perfectus martyrio coronatur.

tis manentem, & Ecclesiæ catholicæ inimicum liberis vocib. exprobrantem atque di-
centem: prophetam vestrum & maledixi, & maledico, virum * dæmoniorũ, magum,

Forte dæmoniosum. Ita enim inf. Apolog. 79. b. & 91. a. dæmoniosum homunculũ appellat. Vtroque autẽ modo Hispanismum vulgarem sonat hombre endiablado, aut Hõbre de los diablos.

adulterum, & mendacem: sicuti professus sum, & profiteor. Profanationes sectæ vestrę
commenta diaboli esse denuntio. Vos quoque cum ipso duce tenebrarum, æterna lui-
turos tormenta protestor. Turba gentilium, quæ intuitu tantæ festiuitatis in campum
vltra pontem fluminis, in parte ab vrbe Australi situm, latissima planicie ad exorãdum
processerat, ouans præpeti regressu ad necem martyris contemplandam sese diuertit.
Quæ iam prostratum ante fores prætorij, suoque se volutantem sanguine cernens, in-
litis quoque & ipso extincti sacerdotis cruore vestigiis, aucta iucunditate, ad exoluen-
dum sacrilegium voti compos regreditur. Nihilominus commoda se facilius potitura
confidens, quæ tanti hostis sanguine combinatis gressibus incedebat.

Sed ad propositum redeamus, & quod ad laudem sui martyris ipso die, quo deci-
dit, diuina pietas fuerit operata, sicut plurimorum fideli relatione comperimus, rete-
ramus. Nam celerem ad vindicium sui militis vltionem effundens, nonnullos de pessi-
morum caterua gurgite fluuiali immersit. Regredienti namque vulgo à loco orationis,
9 quo ritu sacrilegio irrita vota persoluerat, plerique ascensis nauib. dorso vectantur æ-
10 quoreo: sectoque carinis & præpeti nauigio amne, domum reuertunt. Inter quos vna
fluctuatione vndarum euersa nauicula, que octonis homunculis vehiculum inter flu-

Arabes duo submersi.
Esaia. 53.

ctus præstabat, gremio interioris abyssi recõditur. Vix inde nando sex euadentibus, bi-
ni naufragio perierunt. Vt non esset vacua scriptura, quæ dicit: Ego Dñs dabo impios
pro morte tua, & diuites pro sepultura tua. Vnum enim in cœlum crudelitas persequẽ-
11 tis præmisit, & duos inferis sæua tempestas fluminis dedicauit. Corpus autem S. mar-

S. Aciscli corpus.

tyris piis religiosorum officijs, dignoque præsulis & sacerdotum obsequio in basilica
beati Aciscli, in eo titulo, quo felicia eius membra quiescunt, humatur. Illudque pro-
12 phetismum diuinitus ore eius prolatum de procõsule eunucho clauiculario Nazar, ita

Nazaris miser interitus.

(Deo dispensante) impletum est, vt carcere adhuc religatus conuinctis prædixerat, Nã
priusquam in anno altero profanæ solennitatis paschale gaudium perituris occurre-
ret, multis ante diebus eunuchus idem occubuit. Ignita namque febre intrinsecus vi-
scera eius adusta, & (vt nonnulli ferunt) toxica potione corrupta, ante obitum dum vr-
gente corporali necessitate, ad purgandum aluum secretius cubiculum peteret, disco

Arrius hæreticus.

effusa sunt, & interiit. Sicuti quidam poeta christicola Arrij finem describens, heroice
lusit, dicens, Visceribus fusis vacuus quoque ventre remansit. Sic namque Dominus v-
13 troque miraculo militem suum glorificans, magnæ spei solatiis fidelium vota corrobo-
rat, impiorumque sacrilegam vanitatem stupore vehementi exturbat. Hæc nos per
pauca ex gestis beati martyris dixisse sufficiat, quæ viris catholicis referẽtibus, qui eius
contuberniis à principio in vinculis adhæserunt: sed & ipsorum ethnicorum relati-

D. Eulogius in carcerem missus.

one vera esse cognouimus, dum nos tempore compeditionis nostræ omnes, cum quib.
ille martyr futurus morabatur, vix paucos solutos reperimus. Consummauit autem
vir Dei cursum agonis sui in pace quartodecimo. Cal. Maias, die 6. feria, Era qua supra
14 adnotatum est.

Annus Domini Deccl. dies Aprilis. 18.

Res vero tanti facinoris in sacerdote commissi, multos, ocio securæ confessio-
nis per deserta montium, & nemora solitudinum in Dei contemplatione fruentes, ad
sponte & publice detestandum, & maledicendum sceleratum vatẽ exilire coegit: ma-
iorisque ardoris fomitem moriendi pro iustitia cũctis ministrauit. Et quod ab isto vno
infida persequutorum executio primitus violẽter extorsit, & quod in hunc calida cir-
cumuentione suadendo vlciscitur, postmodum in plurimos vltro se tali discrimini of-

Sarracenorum perturbatio.

ferentes exhorruit. Adeo namque terrore nimio ethnicorum vniuersitas in horũ pro-
gressu concussa est, vt perditionem reip. regnique sui excidium iam imminere arbitra-
15 retur, ac nostros athletas ab huiusmodi intentionibus inhiberi suppliciter exoraret.
Sed nos, sicut huius voluminis præfatio continet, nostrorum agonistarum ætates, or-
tus, temporaque decisionis fideli prosequamur stylo, vt quod diuino munere nobis,
nostræque ætati coniunctum est, propriis scilicet obtutibus sanctorum contemplari a-
gonem, venturis etiam sæculis pura libelli series innotescat. Vt nostri quoque gaudij
futura generatio particeps fiat, dum mente credula vera esse non abnuat, quæ sibi ca-
tholicorum mandasse industria lectitat.

De Isaac monacho martyre. Cap. II.

BEATVS itaque Isaac ex ciuibus Cordubensium nobilibus,& locupletioribus parentibus natus, dum primæuos adolescentiæ annos ingrederetur, atque inter opes bonaque genitorum tenerrime degeret, adeo vt peritus & doctus lingua Arabica exceptoris reipublicę officio fungeretur, ex improuiso spiritali flagrans ardore, monachorum vitam optans, Tabanos viculum petiit, qui in partibus Aquilonis inter prærupta montium, & condensa syluarum septennis ab vrbe milliaribus distans, formosissimis in exercitatione vitæ monasticæ virorum, atque ancillarum Dei rumoribus decoratur. Siquidem in eodem cœnobio virum summa timoris Dei reuerentia pręditum Hieremiam patruelem habebat: qui etiam inclytus opibus, rebusq; abundans, & coniux eius venerabilis Elisabet, ac liberi, totaque pene cognatio sumptu proprio fundamenta ipsius cœnobij iacentes, diuinarum legum perenni adhæsuri obsequio, pridem sese eo contulerant. Ibi per triennium B. Isaac sub regularib. disciplinis, seu sub reuerentissimo Abbate Martino prædictæ fœminæ fratre, in sancto proposito militans, extemplo diuinitus illustratus, forum adiens iudicem petiit, & ordine quo in præfatione libri disposui, felici obitu sub testimonio Domini nostri IESV Christi in eadẽ regia vrbe, 3. nonas Iunias, fer. 4. Era octingentesima octuagesima nona occubuit. Cuius corpus equuleo suspẽsum, post aliquot dierum cum cæteris, qui eum imitãdo decisi sunt, rapacissimo igni commissum, vsq; ad vltimam fauillam minutum est, ac deinceps amni perdendum immersum est.

*1 2 Tabanos oppidum. Tabanense monasteriũ. Hieremias monachus martyr, Isaac martyris patruelis. Elisabeth Hieremiæ quondã vxor. Abbas Martinus. 3 4 Annus Domini Dccclj dies Iunij. iij. Albense oppidum. 1 2 3 Annus Domini Dccclj dies Iunij. v. 1 Petrus Astigitanus martyr. 2 Vualabonsus martyr. 3 Eleplensis ciuitas quam oppidum appellat in f. ca. 8. fol. 40. a Frugellus abbas. Cuteclarense cœnobiũ. Cuteclara vicus. 4 Vicus Fronianus. quem oppidum inf. appellat pag. 40. a. 5 * i. Literis incumbendi. Ita. n. inf. cap. 10. Meditationem pro studio D. Eulogius vsurpat. Vuistremundus martyr. 6 Monasteriũ Armilata S. Zoilo dicatum. 7 Armilata fluuius. Habentius monachus martyr. 8 S. Christoph. monasteriũ.*

De Sanctio Martyre. Cap. III.

SANCTVS vero Sanctius auditor noster, laicus, adolescens, & Albensi oppido Galliæ comatæ olim captiuatus, nunc autem inter militares regis pueros liber præscriptus, & regalibus annonis nutritus, in eadem vrbe regia sub eadem professione, nonas Iunias, Era qua supra, feria sexta, prostratus est, & affixus.

De Petro, Vualabonson, Vuistremundo, Habentio, & Hieremia martyribus. Cap. IV.

VENIAMVS nunc ad illum mysterij senarij sacratissimum martyrum globum, qui vno die, vnaque hora sub ictu sęuiẽtis mucronis ob testimonium veritatis occisi sunt.

E Quibus Petrus sacerdos in vrbe Astigitana progenitus, & S. Walabonsus diaconus ab Elephensi ciuitate exortus, vtrique prioribus coæui martyribus, Cordubam studio * meditanti adeuntes, liberalibus disciplinis traditi sunt. Sed Deo fautore scientia, & doctrina scripturarum pollentes, sub Frugello abbate monasterio sanctæ & gloriosæ virginis Mariæ præficiuntur. Quod in vico Cuteclara, non longe ab vrbe in parte Occidentali, præclaro ancillarum Dei proposito enitescit. Sanctus quoque Sabinianus ex vico Froniano montanæ Cordubensis, iam plenæ iuuentutis monachus, ortus. Et Wistremundus ex Astigia adolescens strenuus, è cœnobio sancti Zoili Armilatensi, quo dudum sub regula, vel abbate se dederunt: vnus à tempore longo in castris Domini militans. Wistremundus vero nuper se in idem cœnobium conferens, ad martyrium ambo discurrunt. Qui locus, pene à Corduba in parte Septẽtrionis triginta & amplius milliaribus distans, vastissimam horret inter deserta montium solitudinem: ad cuius collis radices, quo idem situm est, flumen Armilata discurrens, magno pisciculorum solatio inediam refouet monachorum. Ex quo etiam Armilatense cœnobium appellatur.

BEATISSIMVS vero Habentius virili iam ætate perfectus, è ciuib. Cordubensibus monachorum vitam oblectans, S. Christophori monasterium incoluit, quod situm est in spectaculum vrbis, in parte Australi super crepidinem vlteriorem Bætis. Ibique seculo mortuus, Christo autem sub arctissima regula degens, vt pote spontaneo carceri se tradens, altis maceriarum sæpibus circumclusus, ferreisque laminis intus

ad carnem obſæptus, per feneſtras ſe aduentantibus exhibebat viſendum. Iſte talis ac tantus cum beato ſene Hieremia, de quo ſupra affati ſumus, quique etiam inter cæteros Dei ſeruos, acrioribus ſtimulatus flagris, occubuit. Hi ſex viri fortiſſimi, & præclariſſimi ſimul ad expugnandum hoſtem improbum deſcendentes, omnes quaſi ex vno ore clamauerunt, dicentes. Et nos ſub eadem profeſſione, ô iudex, manemus, qua pridem confratres noſtri ſanctiſſimi Iſaac, & Sanctius deciderunt: exerce ſententiam, crudelitatem exaggera, & in vltionem tui vatis totis exardeſce furoribus. Quoniam Chriſtum Deum veraciter confitentes, præuium Antichriſti, & authorem profani dogmatis vatem veſtrum eſſe profitemur. Vosq; lethali ſucco prophetiſmi eius infectos, & virulento prædicamine Zabuli propinatos, æterna poſtmodum luituros tormenta ſcientes dolemus: veſtramque orbitatem, & ignorantiam ſatis deflemus. Hæc cum animoſo Spiritu ſancti Dei profeſſi ſunt, ſtatim decollari iubentur. Prius tamē beatum ſenem Hieremiam, neſcio ob quam aſſertionem flagellis grauiter cæſum, & inter ipſa verbera (vt ferunt) emortuum, vix hærentem greſſibus foras traxerunt. Qui martyres dum ad locum mactationis accederēt, inuicem ſeſe quaſi ad epulas inuitarunt. Et primo quidem reuerentiſſimi Dei miniſtri Petrus, & Walabonſus ruentes, cæteri deinceps ſub eodem iugulantur momento, ſeptimo ſcilicet idus Iunias, feria prima, Era qua ſupra. Quorum corpora ſtipitibus defigentes, poſt aliquot dierum vaſtiſſimo conſummarunt incendio, eorumque cineres perdendos flumini tradiderunt.

In præfatione Lib. 1. Et hoc 2. cap. 2.

Hieremias flagris cæſus.

Annus Domini Dccclj. dies Iunij viij.

❡ De Siſenando leuita martyre. Cap. V.

1 ENIQVE leuita ſanctiſſimus Siſenandus ex Pacenſi oppido ortus Cordubam intuitu diſcendi auectus eſt, ibique apud beatiſſimi Aciſcli baſilicam, qua corpus eiuſdem martyris requieſcit, digniter enutritus, vt ipſe familiaribus retulit inuitantibus ſe beatiſſimis Petro, & Walabonſo, iam cœlo martyribus collocatis, martyrium quoque & ipſe aggreſſus eſt. Qui dum in carcere religatus maneret, tradunt, quod prophetico illuſtratus ſpiritu patibuli ſui horam præſcius nuntiauerit. Nam quodam die cum reſponſum cuidam amico ſe interroganti aptaret, eique reciprocationis ſchedam ſcriberet, tribus aut quatuor iam digeſtis verſiculis, ſubito nimia hilaritate perfuſus, cœleſti quodammodo gaudio vegetatus, è loco ſeſſionis ſuæ conſurgens, aſtanti puero ſchedulæ portitori, cui miles Chriſti reciprocari intendebat, ſemiſcriptam vt erat accomodans, multis audiētibus ait. Recede modo fili, ne impetu ſatellitum opprimaris, quoniam iam poteſtas tenebrarum vinculis me extrahere præcipiens, nunc decollandum ſibimet exhibebit. Poſt hanc prophetiā immobili ſemper greſſu ipſo perſiſtente eodem momento vociferantes lictores adue-
2 niunt, eumque præcipiti furore ad locum, quo martyrium erat conſummaturus, pugnis, alapiſque cædentes perducunt. Pergit Dei famulus lætantibus animis de corona victoriæ certus, qui ad cœleſte conuiuium exhortantibus ſanctis fuerat inuitatus. Sic namque iudici præſentatus, eâdem qua prius conſtantia in ſancta confeſſione perdurans, delicatus ephebus glorioſa morte peremptus eſt, atque inhumatus præ forib. palatij derelictus eſt, ſeptimo decimo Kal. Aug. feria quinta, Era qua ſupra. Cuius oſſa poſt multos dies donante Deo à quibuſdam mulieribus inuenta inter lapillos aluei, in prædicti martyris Aciſcli aulam deportata reconduntur.

Pacenſe oppidum. S. Aciſcli baſilica.

Annus Dccclj. Iulij dies. 16.

Sanguine, aut cognatione affinis, cum lib. 1. carne ipſum ſibi connexū dixerit, fratremque 2. Ludouicum, eodem modo poſtea contribulem nominarit lib. 3. c. 13.

❡ Pauli diaconi Cordubenſis, & Theodemiri monachi martyrium. Cap. VI.

1 ANCTVS vero Paulus * contribulis noſter, & hic leuita digniſſimus, cū primo adoleſcentiæ flore venuſtaretur, è ciuibus Cordubenſibus progenitus, ſimplex affatim, obediens, & humanus, ſemper carceratis opem miſerationis impēdens, apud baſilicam, quæ corporis beati martyris Zoili præſentia illuſtratur, ſpiritalibus enutritus eſt diſciplinis. Qui exemplo ſanctiſſimi Siſenandi, verboque inſtructus, principibus, & conſulibus adſiſtere non extimuit, eoſque de vanitate culturæ ſuæ, & ſceleroſi vatis inſania arguens, Chriſtum quoque Deū veraciter confitendo, peremptus eſt. Fertur tamen, cum adhuc carcere detineretur, implo-

** i. S. Zoili baſilica, & eius corpus. Idem etiam conſtat ex c. 17. eiuſdem lib. 3. cum de Aurea à ſuis ut contribula inuiſitur.*

imploratus à Tiberino Pacensi presbytero qui ei ita dicebat, Obtine solutionem meā coram Domino, beate minister, & digno interuentu tuo, dum coronatus Christo perueneris, longæuum à me carceris squalorem amoue. Erat enim idem sacerdos pene viginti annos ergastulo mancipatus, nescio ob quod crimen accusatus ab inimicis corā rege. Qui presbyter florentissima adhuc iuuentute præpollens, ac virili prędi tus venustate, illi subterraneo specui deputatus, pene decrepitus, & senio confectus inde eductus, publicis demum carceribus mancipatur. In his martyres Christi vsque in horam mortis degebant. In his parricidarum, homicidarum, latronum, & scortatorum improbi ausus, & execranda temeritas, ac diuersorum criminum rei sub arctissima macerabantur custodia. In his positus prædictus sacerdos, causam sui carceris beato Paulo commisit. Cui martyr sanctus de corona victoriæ confisus, satisfacere optioni eius promittens, non post multos dies martyrij sui fidelis sponsor eum carcere absolutum, Deo fautore, propriæ vrbi restituit. Consummauit autem Dei seruus martyrium suum in pace 13. Cal. Aug. fer. 2. Era qua supra.

Tiberinus Pacensis.

Annus DCCCLj. dies Iulij. xx.

CVIVS cadauer inhumatum, & ante fores palatij derelictum, post nonnullos dies, quorundam fidelium curiositate clam sublatum, cum beati Theodemiri Carmonensis monachi corpore, apud sanctuarium prædicti martyris Zoili conditum est. Qui & ipse iuuenis post sexta die qua sanctus decidit Paulus, idest 8. Cal. August. fer. 7. Era qua supra occubuit, regnante Domino nostro IESV Christo, qui sanctos suos adiuuit, & coronauit in pace in sæcula sæculorum, Amen. 4 5

Theodemirus Carmonensis martyr.

Annus DCCCLj. Iulij dies. xxv.

❡ Nunilo, & Alodia virgines & martyres. Cap. VII.

HVCVSQVE finem libri secundi esse decreueram, hucusque terminum sanctorum ad huiusmodi palestram currentium esse putaueram: Nec quemquam post tot discrimina Ecclesiarum, nostrumque carcerem talia certamina opinatus sum aggressurum. Verum quia sanctorum numerum præsaga diuinitas adhuc disponebat augeri talium professione, ideo postmodum quorundā mentes multiplici ardore inflammans, plures prioribus ad illud destinauit certamen. Et simili quidem voto ac magnanimitate cæteros imbuens, viros, mulieres, & paruulos ad exercitium præliorum suorum armauit (Nec quisquam ad talem, tantamq; præscriptus militiam resilire à certamine poterat. Cuius vocabulum cœlestis liber notatū à principio sæculi retinebat, suasque vires ad huiusmodi palestram diuinis ausibus crescere cernebat.) Quorum nomina, ætates, gestaque bellorum suo loco ac tēpore disponenda sunt. Prius autem illa sanctorum trophæa elucubranda sunt, quæ ratio & cursus 1
mensium ordinatim vt acta fuerūt, adducit, licet in aliis regionib. gesta extiterint, Sed quia vna est confessio quæ vtrosque coronauit, idemque tempus quod vtrosque per feralem impietatem in cœlum præmisit: reor absurdum non esse, quod competens annotatio nostra sanctorum agminibus eos inseruit, & coelectorum cœtui adunauit. Vt pari magnificentia laudis à nobis attollerentur in terris, qui vno sunt adnotati codice in supernis. Hac de re actum est, vt breuitas succincta huius opusculi modum promissæ cōtiguitatis excederet. Et liber qui dudum parcius se loquuturum sperabat, aliis supercrescentibus ex improuiso rebus, in longam deuolueretur seriem scripturæ.

IGITVR referente viro sanctissimo, ac venerandæ paternitatis Venerio Complutensi Episcopo didicimus, in vrbe Bosca, apud oppidum Barbitanum duas sorores 2
virgines fuisse (quarū vna Nunilo, altera vocabatur Alodia) patre quidē gentili, matre vero Christiana progenitas. Quæ, dum post mortē impij parentis, mater earū secundū, & * gentiliū iniret connubiū, nec libere possent fidem Christi tenere, obstante ceruicoso vitrici paganismo (iam .n. animi puellarum à pio Christi fonte irrigabātur) spreto materno cubili nutritione materteræ suæ fidelissime refouentur. Illico earum sancta 3
infantia Christo Domino cœpit fideliter adhærere, & paterni oblitæ ritus, crucifixi religionem tenerrimis, & sanctificatis mentib. reponentes, illibate custodire. Et quoniā 4
nataliū infulis præpollebant, summisq; dignitatum fascibus enitescebant, non potuit delitescere vrbi illarum propositum, redolente, ac relucente conuersatione sanctæ fidei, quam gerebant. Siquidem primæuum adolescentiæ florem iam attigerant, & to- 5

Venerius Complutensis Episcopus.

Bosca Vrbs.

** i. Cum Mahometano marito.*

Barbitanū oppidum.

tam pene prouinciam rumor sanctitatis earum impleuerat. Cunctique stupebant geminum rosarum prosiliisse decorem ex vepribus. Hinc zelotypus hostis antiquus suorum membrorum dolens iacturam, dum per terrores præsidum inuido arbitratu posse immutari iam præsignatas ad thalamum sponsi æterni confidit, dilatum præmium per mortes asperas accelerando, virginibus sacris adducit. Ideoque sanctarum virginum causam instantia satellitum suorum præfecto vrbis insinuat, qui illico suis eas assistere obtutibus iubet. Quas vana promissione munerum illicere tentans, ac perinde de rerũ copiis, & clarissimorum iuuenũ connubiis adhortatur, si ab hac religione Christi animos auocassent, propriis vtiq; natalibus redditę, insuper multarũ diuitiarũ affluentia ditarentur. Si vero pertinaciori spiritu consultum pręsidis conculcassent, in vltimo die excruciatione tormentorum addictæ, ad vltimum gladio vindice interirent. Cui beatę virgines sancto spiritu animatæ, constantes & intrepidæ, sub vna confessione dixerũt. Quomodo nos præses, à pietate Dei iubes auertere, quas pietas sancta suo lumine perlustrando fecit cognoscere, nihil esse Christo diuitius? nihil fide Christiana felicius? per quam iusti viuunt, per quam sancti regna vicerunt. Sine quo vita nulla est: sine quo mors perpetua viget. Cum quo manere, & in quo viuere solatium verum est. A quo recedere æterna perditio est, à cuius consortio iam nos in hac vita nullatenus discedemus. Quia ipsi integritatem nostram credentes, eius quandoque thalamis speramus admittendas. Nam rerum labentium commoda, quibus nos illicere autumas, pro nihilo reputantes, eo intuitu spernimus, quia cognouimus omnia vana esse sub sole. Nec de pœnarum comminatione turbamur, quã ad modicum valere cognoscimus, quinimo ipsam mortem, quam vltimo terrore proponis, eo gratissimo exoptamus affectu, quo credimus nos per illam incunctanter ad cœlum ascendere, Christum adire, eiusq; inconuulsibiliter inhærere amplexibus. Quarum constantiam fidei præses, virtutemq; professionis aduertens, quibusdam mulierculis profani ritus peritia præditis, sigillatim eas instruendas commendat, & terroribus quibus potest, ne alternis, aut cuiuslibet fidelium fulciantur colloquiis, admonet. Mulierculæ vero suscipientes virgines Christi, sacrilegi cultus quotidie venenosum dogma eis exponunt, ac peruigili cura cœlesti iam manna refectis cloacæ putrientis poculum propinantes, casso consumuntur labore. Sed hanc illarum pertinaciam præsidi referentibus mulierculis, post nõnullos dies virgines in forum eductæ, in spectaculum publicum constituuntur, & Christum confitentes, & hostem fidei detestantes, sub ictu gladij corruunt vndecimo Calendas Nouembris, Era qua supra. Quarum corpora loco, quo deciderant, derelicta summo militum obseruantur studio, ne Christiani ad emolumentum patrocinationis furtim eas surriperent, & reconderent. Ferunt tamen, quod illa virginalia cadauera in loco, quo

Annus Dccclj. dies Octobris. xxij.

6 ab ethnicis altis scrobibus magis abscondita, quam humata sunt, signis & miraculis
7 coruscant, & gloriam emeritæ consolationis virtutum efficientia tam fidelib. quam
8 gentilibus ostentant, per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, qui viuit cum patre & spiritu sancto vnus Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Vita & passio sanctarum virginum Floræ & Mariæ. Cap. VIII.

CVm ad laudem CHRISTI pertineat cultus reuerentiæ, qui martyribus exhibetur, respondet tamen fidelibus in remedium animarum, quicquid religiositer in festiuitatib. agitur beatorum, præsertim cum per hoc, & per ipsorum patrocinia, martyrum & summi Redemptoris acquiritur præmiũ, in cuius honorem virtutem recolunt sanctorum. Ergo nostrarum virginum Floræ & Mariæ trophæa digesturi insignia, non facundiæ lepôri, non tonantibus euphoniis verborum seruiamus, sed quod fidelibus simpliciter rei gestæ veritatem insinuet, obseruemus: quia sufficere nostris credimus veritatem pura simplicitate digestam, quam vano infulatam cultu fallaciam. Et sat nobis est fideliter referre quod fuit, quia non congruit sub venustate sermonis rem, quæ non extiterit, adhibere. Illibata namque veritas, quoquomodo proferatur, firmiori gressu consistit, & ornatissime fictum mendacium paululum perseuerat. Nec patitur Christus assertorem iustitiæ immunem esse benedictionis præmio, cum tamen reatu homicidij astringatur prolator mendacij.

Harum

Harvm igitur vocationem virginum, quæ dispari solo progenitæ, & pari mortis occasu cœlestibus adunatæ sunt, sigillatim exponi necesse est: & quibus modis vnaquæque earum prædestinatæ sanctificationis culmen attigerit, Deo fautore, saltim exili digeramus stylo.

Primvm igitur specie decoris, & venustate corporis nimium florens virgo sanctissima Flora, sed interiori habitu florentissima, matrem Christianam habens ex vico 1 Ausinianos, qui ex parte Occidentali milliaribus octo à Corduba distat, purissimis & *Ausiniano: oppidum.* nobilibus (vt ita dixerim) perfunctam natalibus, patrem vero gentilem ex oppido habuit Hispalensi. Hi, nescio qua occasione propriis locis exules, Cordubam degendi *Hispalensis ciuitas.* gratia accesserunt. Qui ex vltimo partu suo hanc infantulam procrearunt, & sublato per mortem genitore, fidelissimæ genitricis tutela sponsa Christi nutritur. Quam pia mater sacræ religionis legibus imbuens, docuit fideli credulitate colere Christum Deum, qui per vterum Virginis Mariæ ad nos vltimo tempore veniens, & per assumptam humanitatem hominibus proximus factus, per ineffabilem quoque Deitatem suam inuisibilis, incomprehensibilis, & inæstimabilis semper extitit. Venerabilis namque puella tenerrimis annis fidei pietatem ebibens, cœpit intra mentis recessum altare sanctum construere, quo placita operum bonorum holocaustomata Christo semper offerret. Quæ ab ipsis rudimentis infantiæ cunctis se vanitatibus sæculi priuans, totum quod illa ætas (vtpote plenitudine scientiæ expers) pueriliter affectat, superno iam delibuta rore conculcat. Nam quodam tempore cum genitricem eius adirem causa dignoscendi principium huius puellæ conuersationis, ipsa genitrix inquit. In verita- 2 te vobis loquor, quod ab ineuntibus annis Christi amorem pectore suo recondens filia *Flora mater ad diuum Eulogium.* mea, sæcularium oblectationum cultum vsquequaque spreuerit, ac semper quæ Dei sunt, corde meditari studuit: semper opera sancta adimplere non distulit. Adeo vt in infantia sua, cum diebus quadragesimæ paruitati eius consulens, siue vt illa ætas conti- *Quadragesima obseruatio.* gua robustius conualesceret esu quotidiano, competenti prandij hora cibum ei porrigerem: illa in virtute Domini positum habens cor, egentibus eum ministrans, furtim beatum exercebat ieiunium. Sicq; diebus singulis ipsa agente, pene maximum abstinentiæ tempus elapsum erat, cum clandestina infantis deuotio vix quibusdam reuelatur indiciis. Quam talibus inhibere votis ipsa obnitens, ne priusquam illud tenerrimũ corpus adolesceret, marcore abstinentiæ quassaretur, conata sum iam ad epulum suadere diurnum. Eam tamen non potui prouocare ad vescendum, nisi sero, & comminatione continua: perfecit tamen votum suum electa Christi sponsa.

Ex eo tempore mater solerti vigilantia sobolis mores procurans, eamque in omnibus rebus Christo assignatam esse considerans, nullatenus deinceps contraire piis puellæ affectibus audet. Venerabilis vero puella Deo duntaxat placere studens, prouida obseruatrix Euangelij attendebat Christo monenti, & dicenti: Si quis diligit *Ioannis 14.* me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Ita purissimum cœlestis executione præcepti introrsus præparans habitaculum, nihilominus sanctæ & indiuiduæ Trinitatis quotidiano frui meretur aduentu.

Vervm dum exercitio sanctitatis id, quod clam meditabatur, vberius in amorem Christi proficeret, lætareturque se Christo per eandem religionem perennius esse ascitam: nec tamen passim fidelium interesse conuentibus auderet, eo quod fra- *Floræ frater impius.* trem pestiferi dogmatis perfidum haberet cultorem, qui eius assidue conuersationem exploraret: vt ipsa erat natura prudens, & callens ingenio, didicit à sapientibus nihil proficere obscuratam credulitatem, & celatam confessionem Trinitatis, præsertim cum scriptum sit: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Et *Ad Rom. 10.* iterum in Euangelio: Omnis qui confitetur me coram hominibus, confitebor & ego *Matth. 10.* eum coram Patre meo, qui est in cœlis: & qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui est in cœlis. Igitur instructa vtiliter quomodo se in confessione nominis Christi haberet, sciensq; non leue esse discrimen latenter credere Christum, & publice existere vexillo Sathanæ denotatam, matre hinc incon- *Flora domo fugit.* sulta domum relinquens, clam cum sorore sua fugam iniit. Seseque tutioribus locis inter Christicolas collocantibus, sæuissima insectatione frater earum (quem supra meminimus) propter illas Dei lacerat Ecclesiam: adeo vt nonnullos clericorum carceri tradens, conuentum vbique religiosarum fœminarum persequeretur. Et cum agnoscerent infestationem, quæ erga sortem Domini grassabatur, indignum diiudicantes se esse tutas, & Ecclesiam Dei vapulare: illico sancta Flora, quæ se nouerat ad tale *Domum reuertitur.*

3 prælium diuinitus fuiſſe electam, publico regreſſu in domum reuertens, ait: En ego,
quam quæritis, adſum, in medio veſtri, pro qua Dei ſortem inſectamini: adſiſto intre-
pida, Chriſto credula, religioni fauens Catholicæ, ſtigmata crucis gerens, & omnium,
quæ cultum pietatis inſinuant, affectatrix. Vos modo (ſi poteſtis) hanc eneruare con-
feſſionem: ſatagite crudelioribus tormentis fidem meam euincere: & (quod fieri om-
nino dubito) à Chriſto me ſeparari contendite: pro cuius amore quicquid ad ſuppli-
cium meum ſæuus imploderit arbiter, gratiſſimis decreui animis ſupportare. Credo
probabitis me inter pœnas fortioris pertinacia, quam nunc in prima congreſſione,
Chriſtum IESVM confiteri.

Frater impius Floram accuſat.

FRATER autem eius ille peruerſus hæc audiens, cædibus ac minis interdum, & blandis eam nitebatur reuocare ſermonibus. Sed cum cerneret nihil conatum ſuum proficere, quinimo ſe quaſſo aſpiciens labore conſumi, ad iudicem eam pertrahit, dicens: Hanc mihi ſororem, ô iudex, vltimus partus matris eiecit, quæ ſimul mecum ceremonias legis venerabiliter excolens, debitum ſemper erga cultum fidei noſtræ obſequium exhibebat: ſed Chriſtiani crebro eam vrgentes inſtinctu, vatem noſtrum abnegare, ritumque deteſtari fecerunt, & quadam lenocinatione Chriſtum eſſe Deum credere illexerunt. Quam iudex vtrum ſe ſic haberet illa delatoris germani quæſtio ſciſcitatur. Extemplo ipſa fratrem impium abnegat, cultumque Mahometanum ſe nullatenus nouiſſe teſtatur: & adiungit: Chriſtum ab infantia mea noui: ipſius documentis inſtructa ſum: ipſum habere Deum decreui, ipſique integritatem corporis mei, eius olim thalamis oblectanda, promiſi. Hæc vbi virgo ſanctiſſima protulit, mox ſacrilegum pectus iudicis furor immanis exagitat, & in cædem martyris iram admouens, inter vtrumque ſatellitem apprehenſis manibus eam extendi præcepit, diroque verbere caput eius pertundens, tamdiu flagris inſiſtit, quouſque deciſa cum cæſarie cute, os verticis nudum pateret. Perdurat nihilominus adoleſcens martyr & virgo in ſua confeſſione. Tunc iudex ſemiuiuam, & pene exanimem impio fratri eam delegans, admonet, vt confota medicamine, & verbo legis inſtructa ſibi demum, niſi ſe conuerterit, præſentetur.

Flora in capite pro Chriſti confeſſione percutitur.

PERDVCTAM deinde in domum ſuam Chriſti virginem hoſtis, non frater, ille
iniquus, domeſticis eam fœminis demulcendam fomento, & verbo committit, ma-
4 gnis ſolummodo trabibus catenarum feras manſionis obtrudens. Quia ingenti ma-
ceria totius prædioli ambitus præmunitus, omnino de nulla euadendi ſollicitudine
quemquam arguebat. Ideoque non poſt multos dies, vulneribus expiata fortis Flora,
5 cum ſe ſoſpitem eſſe ſentiret, quadam nocte, per contiguum infra cortem domui hæ-
rens tugurium, celſum parietem iuuante Domino ſcandens, inde ſe foris plateali ſolo
proiecit. Quæ nullo ſtimulata dolore, cœpit per tenebras noctis angelico comitante
ducatu, quo Dominus vellet ingredi: ſicque cuiuſdam fidelis inter illud chaos noctur-
num hoſpitio recreata, cum aliquandiu ibidem commaneret, deinceps præclarum
6 7 Tuccitanæ vrbis viculum Oſſariam intuitu latendi petens, ibi cum * ſorore ſua vſque
ad tempus, quo martyrium conſummauit, delituit. Et ego, ego ille peccator, ego diues
iniquitatum, qui à principio martyrij ſui amicitia eius fruitus ſum, combinatis mani-
bus meis cicatrices reuerentiſſimi & delicati illius verticis attrectaui, quum ictibus fla-
gellorum virginalis coma elapſa fuiſſet.

Tuccitana Vrbs.

Oſſaria Viculus.

** Baldegotone ſine dubio: ad quam poſt Floræ martyrium ipſe D. Eulogius epiſtolã dedit, infra pag. 104.*

VERVM quia Deo fautore beatæ virginis Floræ auſpicium conuerſationis ac martyrij adnotatum eſt, operæpretium reor, ſi itidem ſanctæ virginis Mariæ & martyris proceſſum natiuitatis, primordiaque religionis ediſſeram. Vt quibus par fuit conſenſio præliandi, idemque aſſenſus pro iuſtitia moriendi, conſimilis extet in relatu vocationis etiam huius virginis intentio calami. Huius pater ex oppido Eleplenſi non infimus proſapia, Chriſtianus tamen huc aduentaſſe perhibetur. Qui ex genere Arabum coniugem ducens, totius impietatis errore eam emundans, Chriſti fidei conſignauit. Quapropter cum eadem coniuge proprium incolere aruum non valens, per diuerſa profugus agitur, quouſque diuino gubernaculo ad oppidum Froniano peruenit, qui in montana Cordubenſi in parte Occidentali duodecim ab vrbe milliaribus diſtat, vtroque pignore comitãte, quod ex ea ſuſceperat, Vualabonſo ſcilicet, & Maria. Ibi vitam ſuam pro viribus ſuſtentarunt. Ibi mulier illa luporum erepta faucibus, in fide Chriſti perſeuerans, poſt nonnullum tempus in Domino requieuit. Ibi ſuperſtes vir gradu confeſſionis potitus, arctiſſimum vitæ perennis callem gaudiis oblectandus cœleſtibus ingreditur. Sed puerum eccleſiaſticis regulis educandum, ſortique Domini admiſcendum piæ memoriæ Saluatori preſbytero tradidit, qui tunc præclaro regimi-
ne ſan-

Maria martyr.

Eleplenſe oppidum; quod ſup. fol. 35. ciuitatem appellauit.

Froniano oppidum, quod ſupra vicum dixit.

Vualabõſus poſtea martyr.

Saluator presbyter.

ne sancti Felicis monasterium, quod in eo loco fundatum est, gubernabat. Sanctam vero hanc virginem Deo deuouens, Cuteclarensi cœnobio, quod gloriosæ & semper Virginis sanctæ Mariæ genitricis Domini fulget memoria, consignauit, constituens eam apud quandam summæ sanctimoniæ fœminam Artemiam nomine. Quæ & ipsa 8
geminum pignus per martyrialem obitum olim cœlo promiserat, Adulphum scilicet & Ioannem, qui in primordio regni principis huius viriliter de hoste triumpharunt. Quorum instar syderum cœli gesta micantia ad emolumentum Ecclesiæ sanctæ, & exemplum debilium, senex & magister noster, atque illustrissimus Doctor (de quo in libro primo meminimus) beatæ recordationis & memoriæ Speraindeo Abbas stylo latiori composuit. Artemia igitur gratia sanctitatis, prouectæq; ætatis, seu obtentu martyrum filiorum, cæteris in eodem cœnobio commanentibus fœminis antecellens, totius monasterij virginalis conuentus iussu authoritatis eius intendebatur. Docuit autem puellam, sicut ipsa nouerat Deo seruire, in omni humilitate, castitate & obedientia, & timore Domini animum eius exercens. At non post multum tempus prædicto sacerdote Saluatore mundo recedente, puerum etiam ad se nutriendum pater reduxit. Qui duo futuri martyres gratia Spiritus sancti in Dei timore magnopere proficiunt. Tandem vero per gradus ecclesiasticos adolescens ille Vualabonsus succrescens, honore diaconij fungitur: pollente nihilominus in omni honestate religionis sanctimoniali puella: cum se nimia charitate diligerent, & alternanti germanitatis dulcedine in omni dilectione spiritali sibimet inuicem obedirent. Quia vero præcedebat ætate virgo sanctissima adolescentem germanum, loco genitricis soror ab eo excolitur, & in prolis affectum commutauit fraternum amorem.

Sancti Felicis monasterium.
Cuteclarēse cœnobium.
Artemia Adulphi & Ioannis martyrū mater.
Speraindeo Abbas.
Saluator presbyter moritur.
Vualabonsus diaconus factus.

Igitvr dum inter eos hæc assidue gererentur, dispensante Deo, leuita dignissimus Vualabonsus cum beato Petro presbytero, seu cum cæteris confessoribus (sicut superius comprehensum est) martyrio coronatur. Et qui æuo vltimus erat sorori, fit primus electione martyrij. Denique remanet destituta præsentiali solatio fratris Christi ancilla, quæ ante mundi constitutionem ad martyrium prædestinata, intus extraque semper tuebatur intercessione fraterna.

Vualabonsus martyr.

Et (vt se habet conditio fragilis) cum crebrius fraternum suspiraret obtutum, cuius in proximo fruitura erat consortio, per quietem quandam sanctus martyr, quandam admonet religiosam, vt iam soror Maria pro se plorare desisteret, quoniam vicino tempore ad eum in supernis esset ventura. Ex eo die vritur cor virginis amore martyrij, & quæ fratris obitum impatienter lugebat, subito diuinitus illustrata, impatienti ardore ad martyrium anhelat. Quodam igitur die, inuitante (vt credo) Christo monasterium derelinquens, forum petitura descendit, quo sicut cæteri martyres, qui iam cœlesti præmio oblectabantur, hæc quoque virgo Christum confitendo, & fidei sanctæ aduersarium repellendo, corona martyrij potiretur. Quæ dum ecclesiam beati Acisc1i martyris, in ipso adhuc itinere positā, intuitu Dominum obsecrandi intrasset, Dei nutu ibidē sanctam Florā in suffragio suo preces martyrū aduocantem inuenit. Quæ & ipsa Christo dicenti sibi, iterum venio crucifigi, rediuiuo præliandi studio calens, olim cœ- 9
pti martyrij palmā è loco latibuli sui alacris inuentura descenderat. Tunc, se inuicē datis osculis salutātes, alterno consultu explorant se. Et cum vnum idemq; votū suum existere mutua proderet cōfessio, dimidiante Christo qui dixerat: Vbicūq; fuerint duo, vel tres, in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorū: illico indissolubili fœdere charitatis nectuntur, nulla se ab inuicem occasione diuellendæ, nulla intercedēte fortuna deciscendæ, nullisq; ab alterutro, quamuis sæuissimis imminentibus casibus, disparandæ, qui ad interitum earum pro confessione veritatis exaggerarentur, quousque & ista Christum, & illa in cœlestibus fratrē adiret Vualabonsum. Sicq; in ipso impetu iudicibus assistentes, ita firmiori alloquutione prima (vt reor) sanctissima Flora eos aggreditur, dicens: En ego illa sum, quæ pro eo quod gentilitio semine procreata Christo adhæserim, dudum à vobis, vt eum abnegarem, diro verbere lacerata sum. Quæ hactenus infirmitate carnis* huc illucq; profuga delitescens, nunc iam in virtute Dei mei subnixa, vestris adstare non verens prætoriis, eādem, quā primū, constantia Christū Deum in veritate profiteor: scelerosumq; dogmatistam vestrum pseudoprophetam, adulterum, magum, & maleficum esse protestor. Tunc deinde virgo venerabilis Maria diffusione cœlestium gratiarum sanctificato protulit ore. Et ego iudex, olim inter illos confessores magnificos habens germanum, qui non leui subsannatione vatem vestrum infamantes occubuerunt: similiq; audacia Christum esse in veritate Deum asserens, ritum vestrum legisq; ceremonias dæmoniorum figmenta esse profiteor. Extemplo sæ-

Sancti Acisc1i eccl. sia.
Matth. 18.
Florā & Maria iudicibus spōte se offerunt.
**per integrū sexen. nium à fuga suā tempore, vt cōstat ex documēto Martyriali, pag. 92. b.*

uissimus arbiter vesano concitatus furore, sub voce illa terribili frendens, virginale propositum asperrimo deterret boatu: minis exprobrat: clamoribus arguit, adiiciens carceris squalorem, & contubernium scortorum.

Svscipivnt denique abdita carceris sponsarum Christi membra tuenda magis, quam eliminanda, quæ semper pudico honestata decore ab ipsis cunabulis actu sanctimoniæ præpollentes, præcipua virtutum gratia reluxerunt. In quibus aliquandiu sanctæ virgines permanentes, insistunt ieiunio, orationi incumbunt, totumq; illum
10 horrorem ergastuli cœlestium meditatione hymnorum expediunt. Tunc nos etiam ex antro deducti, cum isti carceri deputarentur, Deo fauente ad instructionem illarum librum, documentum martyrij, condimus. Eisque iam pene à proposito suasione quorundam latentibus, in solatium meditandi & consummandi prælia inchoata, dicauimus. Connectentes in finem opusculi orationem suo certamini, omnique ecclesiæ congruentem.

D. Eulogius in carcere positus scribit ad sanctas Virgines.

Igitvr permanentes in laudibus Dei, & sacratissimæ virginis, post tertiam admonitionem prosternendæ in forum eductæ sunt. Taceam iudicis sciscitationem vicibus allatam eis, vel vna, vel sigillatim ad beatissimam Floram, sicuti iam alibi digessi-
11 mus. Et intuitu mediocritatis aliquid silentes, ne fastidium protractus sermo legentibus generet, mors virginum pretiosa stylum competenti fine coarctat. Inde præcipiti ducatu ad locum decollationis ductæ, sacra signacula vultibus imprimunt. Et sic extensis collis, post beatam Floram, sancta Maria prosternitur. Quorum corpora canibus deuoranda, ac volucribus discerpenda ibidem relinquentes, alio die in flumen proiecerunt. E quibus cadauer sanctæ Mariæ virginis & martyris, cœnobio Cuteclarensi, à quo ad martyrium descenderat, donante Deo reponitur. Cum tamen corpus beatissimæ virginis & martyris Floræ, quo situ Dominus reposuerit, penitus ignoretur. Capita vero illarum in basilica sancti Aciscli martyris reconduntur, quo præsentiali corporis sui fauore populos Christianos tuetur.

Cuteclarēse cœnobium.

Basilica sancti Aciscli, et eius corpus.

Vltimo tantummodo historiæ loco insinuare curamus, quod priusquam virgines beatæ deciderēt, quibusdam consororibus promiserunt, quod eo ipso, quo Christo coronatori suo assisterent, obtentu adeptæ gratiæ sponsum precantes, nos vinculis liberarent: quod ita Deo fautore peractum est. Nam ille octauo calendarum Decembris martyrium consummantes, nos tertio earundem calendarum compedibus resolutos, ab squalore carceris eruerunt. Era qua supra, per Christum Dominum nostrum, qui viuit cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

Dies Nouembris 24.
D. Eulogius carcere eductus.
Annus Domini Dccclj. Nouembris, dies 29.

¶ Gumesindus Toletanus, & seruus Dei, Corduba passi. Cap. IX.

Toletum.



1 Anctus Gumesindus presbyter ex oppido Toletano olim cum vtroque parente puer adhuc paruulus Cordubam veniens, votiuo genitorum affectu per sacrum clericatus ordinem cœlesti ascriptus militiæ apud basilicam sanctorum trium, qua Faustus, Ianuarius, & Martialis martyres præsentialibus corporum suorum fauillis quiescunt, digna pædagogorum educatione in Dei timore clarescit. Vbi post aliquod tempus in sancto diaconij ministerio consecratus, de-
2 mum cuiusdam Campaniȩ Cordubensis ecclesiæ sacerdos adolescens præficitur. Inde ad vrbem descendens cum beato Seruo Dei monacho, qui tunc in supradicto sanctuario adhuc iuuenis cum Paulo presbytero reclusus manebat, principibus, & iudicibus ambo assistentes, sub confessione cæterorum occubuere, idibus Ianuarij, Era octingen-
3 tesima nonagesima. Quorum corpora furtim à Christianis sublata, in basilica sancti Christophori martyris, quæ est vltra amnem in parte meridiana, religioso cultu extant recondita.
4

Faustus, Ianuarius, & Martialis: et eorum basilica.

Campania Cordubēsis, & eius Ecclesia.

Seruus Dei.

Paulus presbyter.

Annus Domini Dccclij. dies Ianuarij 13.

Sancti Christophori martyris basilica.

¶ De sanctis martyribus Aurelio, Felice, Georgio, Sabigothone, & Liliosa. Cap. X.



Vit prȩterea quidam iuuenis nomine Aurelius, natalibus, & rebus plurimis antecellens. Hic in infantia matre Christiana, & patre gentili orbatus, tutela amitȩ suæ fidelissime vsque in annos adolescentiæ fouebatur, doceba-
1 turque Christum veraciter credere Deum: nec præter Ecclesiam salutis viam, & iter regni cœlestis alibi posse reperiri, imbuitur. Quod documentum venerabilis

rabilis puer apprime ebibit, ita vt licet Arabica erudiendus literatura traderetur cogentibus affinibus: insontibus tamen præfixam cœlitus animis fidei sanctæ notitiam nulla vanitatis figmenta immutare quiuerunt: sed corde semper Christianismum suum retentans, cum ad solam derisionem * meditationi periturarum insisteret literarum, eo amplius in amorem Christianæ fidei exardescebat, quo liquidius deliramenta peruersi dogmatis probans, subtilem dæmoniosi illius fallaciam aduertebat. Et cum non posset publice cultum fidei gerere, vbique tamen Dei sacerdotibus sese commendans, pro se efficacius exorari poscebat.

*studio, sup. cap. 4. pag. 35. b.

INTEREA prouehitur in annis iuuenilibus strenuus adolescens, & florentibus genis virili facies exornatur decore. Hinc adhortatione affinium condignum suæ nobilitati connubium appetere cogitur. 2. Hinc vnusquisque suorum, prout nouerat, illius, vel illius optimam esse sobolem asserebat: ipse autem interius aliter ruminans, Christo sui connubij negotium committebat, crebris interuenientibus precum cœleste numen exorans, vt talibus præpollens votis coniux sibi daretur, quæ secretum suum in melius proficere contenderet, faueretq; mente & corpore cultori latenti. Cuius fauore tandem adiutus reperit honesto germine virginem constipatam, rebus inclytam, moribus comptam, specieque pulcherrimam. Quæ cum præcipuo venustatis habitu extrinsecus decoraretur, præstantius tamen introrsus spiritali enitebat decore. Quia omnis gloria filiæ regis ab intus, id est in penetralibus mentis. Ibi enim sanctitate, in fimbriis aureis varietate scilicet amicta virtutum Christo regi placitum exhibebat famulatum. Hæc namque puella parentibus paganis progenita, adhuc cunabulis incubans, patre orbata est. Cuius genitrix alium virum ducens, qui fidem Christi occulte retinebat, coniugem impietatis errore extirpans, priuignam Christo assignare studuit, eamque ex sacramento Baptismatis Sabigotho appellans: licet publice paganis admiscerentur, gestabant vero animo firmiori vtrique pietatis religionem. Hanc sibi puellam venerabilis iuuenis iure coniugalitatis asciscens, completis sponsalium titulis, arrarumq; pignore alternanti in inuicem exhibitione contradita legitima, ad vltimũ ministerio sacerdotum ex more sacrantur, sicq; pari commercio aliquo tempore clancule fidem Christi gerentes, non omnibus arcanum suæ fidei reuelabant carnis infirmitate depressi, non diminutione vtique voti.

Psalm. 44. ibidem. — *Matrimonium inter virum & vxorem alterius religionis, sup. 37. b.* — *Sabigotho Aurelij vxor.*

FVIT autem beato Aurelio proximus genere vir quidam nomine Felix, sancta insuper eidem dilectione connexus, qui occasione diaboli in fide vacillans, cum postea lapsum præuaricationis suæ altius suspiraret, vltra non potuit patulo congressu religionem Christi exercere. Qui & ipse filiam occultorum Christianorum nomine Liliosam in coniugem ducens, Christum in abditis tectius excolebat. Quapropter inconuulsibiliter inuicem adhærentes, semper vnam habuere familiaritatem, eandem gesserunt dulcedinem, nec prosperis, nec aduersis casibus se disparantes, idem illis extitit affectus: tantaque illa pietatis necessitas in vtroque fratre perfectionem contulit charitatis, vt nec vita, nec morte diuiderentur, quos par religionis occasio glomerauerat, de quibus merito enarrandum est: Sancti, amabiles, & decori, quomodo in vita sua dilexerunt se inuicem, ita & in morte non sunt diuisi.

Felix Aurelij propinquus. — *Liliosa Felicis vxor.* — *2. Regum 1.*

EXACTIS igitur non plurimis annis accidit, vt eo die in forum proficisceretur Aurelius venerabilis, quo Ioannes ille (cuius in priori libro meminimus) odio nominis Christi vsque ad necem verberibus cruentatus, retrorsum asello euectus, immensoque vinculorum pondere coarctatus, vt in parte stramentum reclinaretur iumenti, qua eius crura pendebant, præcedentibus illusorum præconibus, totam circumeundo vrbem satellitum ministerio ad spectaculum vulgi pertractus est. Et cum hinc inde voces exprobrantium resultarent dicentes, nullatenus dignam sui sceleris pœnam eundem adhuc persoluisse, quippe quem tantæ reuerentiæ vatem subsannatione impetere non verentem, plectendum potius morte turpissima congruebat: extemplo futurus belliger amore compunctus martyrij, cœlesti quodammodo flamine aspiratur, vt illud pro se fieri spectaculum crederet, causaq; admonitionis sibi fuisse ostensum, ne scilicet formidare deberet eos, qui corpora trucidant, cum nihil anxietatis animabus possint inferre, sed illum potius pertimesceret, qui potest corpus & animam perdere, & mittere in gehennam. Cuius fidei stabilitatem admirans: vere, inquit, super angelicam petram tabernaculum credulitatis huius viri fundatum est, quod tanta vis tormentorum non impulit, nec labilium pœnarum aura concussit. Quod si qui vexillum Christi reuelatis gerit aspectibus, tot seria cruciamenta zelo Redemptoris sustinuit, cum vtique cladem illius supplicij præuaricando posset euadere: & melius carnis suæ iacturam,

Ioannes confessor. — *Matth. 10.* — *Aurelius de Ioanne confessore.*

quam perniciem animæ iudicans, non se passus est sub vnius vocis articulo à Christi religione abstrahere: quibus me ego dignum conuitiis credam erudiendum, vel quo me arguendum supplicio debeo tradere, vt vigorem illius damnati, quem hodie intuitus sum, capiam, fruarq; constantia?

HÆC, dum crebrescentibus supernis iam vocationis suspiriis, ruminare animo cœpisset, regressus domum retulit piæ sodali cuncta, quę viderat, lætoque spiritu addit. *Aurelius ad Vxorem.* Tu semper dulcissima coniux, cum ego mihimet viuerem, & Deo mortuus essem, sedulo me adhortata ad confessionem trahebas: instabas quotidie me sæculi voluptatibus nitens auellere: tenebrosis mundi affectibus felicitatem æterni regni præferebas, labentia cuncta, & omne quod fine arctatur, suadebas relinquere: prædicabas monachos, mundum renuntiantes laudabas, religiosarumq; conuersationem oblectans, vitam sæpius suspirabas sanctorum. Sed ego necdum supernæ gratiæ compunctione lustratus, omnino salutaribus non poteram acquiescere hortamentis, aut forte correctionis meæ præfinitam à Deo patre nondum insistens admonitionem, differebam *2.Corinth.6.* operibus exequi, quod, licet tenuiter, animo meditabar. Ecce iam nunc, charissima, tempus acceptabile venit: adsunt dies salutis, in quibus à retroactis, & exterioribus resilientes, in id quod inante est, nos extendamus. Et primo omnium munditiæ, & continentiæ perfectius studentes, vacemus orationi, quo facilius ad reliqua sanctitatis industria properemus. Fiat nunc soror, quæ extitit coniux: in affectu germanitatis thorus nostræ coniunctionis pertranseat: proficiant soboles animarum: subcrescat spiritualium generatio, & spreta glutinatione membrorum cœnosa, nouerit mens pręstantius (adempta carnis delectatione) perpetuæ incolumitatis producere germina. Vt quoquo modo condigni martyrij præmio habeamur talium meditatione laborum.

SVSCIPIT lætantibus animis venerabilis mulier pium viri consultum, gaudensq; *Sapient.5.* multipliciter in subitatione insperatæ salutis, hæc est (ait) immutatio dexteræ altissimi: hæc sunt iam nostræ vocationis auspicia: hæc sunt, quæ semper optabam, æterni regis commercia: vt carne morientes, viuamus spiritu, quo illi facilius vniamur, *Ioan.4.* de quo scriptum est: Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Quamobrem, Domine mi, quia hoc tibi non humanitus reuelatum est, sed pater cœlestis te olim ad æternum pręscriptum militiam, concitis vult iam gressibus properare: cunctis nos vinculis absoluamur, excutiamur à puluere, desiderio vitæ perennis surgamus.

FIT itaque vtrorumque communis in Dei seruitute assensus. Diuiduntur cubilibus: votis conciliantur. Præfulgent lectuli fulcra vestium, colorumq; varietate, qua suam conuersationem vulgo celarent. Illi autem in interioribus angulis tabernaculi super structum * crudo latere thorum hispidis tantummodo instructum ciliciis * dispares incubabant. ** Hispanismus, pro, nullo stragulo, aut veste strato. * seorsum, alter ab altero.* Ieiunabant sæpe: sine intermissione orabant, & quoscunque nouerant psalmos, noctu meditabantur. Vincebant tenebrarum chaos interiecto vigiliarũ labore, omnemque dæmoniorum fraudem talibus euincebant studiis. Ministrabant egenis: curam pauperum omnino gerebant. Et quoniam adhuc iam dictus Ioannes carcere detinebatur, nos quoque ex antro educti his vinculis detinebamur: vtraque etiam virgo, Maria scilicet & Flora, tunc fœminarum latibulis causa fidei incolebant: aderat frequens eorum erga compeditos discursus, ex eo videlicet tempore quo beatus Isaac monachus, seu cæteri sancti, qui præditam veritatis præconio linguam, principibus, & iudicibus confessuri, quæ vera sunt, astiterant, & propter eandem veritatem occubuerant. *Ioannes confessor. Maria & Flora. Isaac martyr.* Quorum constantia perdurabili, multiplici virtutum robore horum auctæ sunt vires. Nam ille viros perlustrans, illa suis retentas claustris fœminas requirebat.

Eulogius Aurelio docet. IBI ego eum agnoui: ibi amicitiam eius adeptus sum, ibique se à nobis instituì deprecatur, quid agi deberet tam de rebus, quam de gemino pignore, quod Deo donante acceperat. Si liceret tales destitui, quas vtique post necem suam profano tradendas ritui altius condolebat: vel si illam diuitiarum copiam protinus fisco agglomerandam, inordinatam relinquere congruebat. Cui cum omnia intuitu regni cœlestis, & causa retributionis æternæ non solum relinquenda, verumetiam fugienda fore censerem, potissimumq; suarum potius animarum, quam liberorum esse commodis consulendum, quibus vtique Christus vindex pater, & tutor est, nihilque prorsus rerum temporalium præponi debere desiderio Redemptoris, seu fruendi sanctorum consortio docerem, confestim subiunxi: Si prouida facilitas suppetit, qua hæc omnia magistra intercedente discretione, ordinentur: vtile primo iudicamus sobolem tutiori loco

ri loco transponi, vbi Christo liberius assignetur: rebus quoque iuxta mandatum Domini venditis pauperibus erogari, quo expeditior vobis pateat deinceps post Christum ingressus. Sic denique veritas sancta sciscitanti se iuueni quatenus vitam æternam possideret: Si vis (inquit) perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & veni sequere me, & habebis thesaurum in cœlis. Sed etsi pars aliqua in * stipendium relinquatur infantium, culpabile esse non poterit, quod multa patrum insinuant documenta. Ideoque si ad hanc dispensationem potestis attingere, optima res, & perfectius opus est: quod vos omnibus expeditis negotiis securius ad militiam cœli ire compellet. Sin vero quorundam difficultatum repagulis oblatrantibus, hæc dispensatio reuellitur, & nulla interest libertas, qua hæc indulgentissime suppleantur, (præsertim cum magis ex aliquo perturbationes emergere formidatis, quæ vestræ intentioni obsistant) non cunctandum est spernere patrimonium, quod multo melius & latius in cœlo, quo vos nitimini proficisci, reperitur. Non filiarum affectus societati sanctorum est præponendus, cum & illas potest Deus in sæculo enutrire, qui compactauit in vtero, siquidem ei prouida de omnibus cura est. Non omnes paruuli parentum industria refouentur, nec cunctæ proles nutritio educantur labore. Nascitur homo, orbatur in cunabulis solatio genitoris, non tamen Creatoris gubernaculo destituitur, qui est pater orphanorum, & iudex viduarum. O quam multi paruuli, nutricum cura delicatius educati, in deteriora deueniunt? quam plures pupilli ab horribili egestate in magnarum affluentiam opum excrescunt, & fiunt multarum domini rerum, qui vix pauperrimo pane prouecti sunt? Multi ex Christianis progeniti, præpediente deliquio, ecclesiæ membro priuantur. Et nonnulli filij paganorum, præueniente gratia Domini, ad redemptionem fidei salutaris recurrunt. Nec istis sacrilegium obest parentum, nec illis prodest religiositas genitorum. Cum & hi à fide recedentes, Deo alienantur, & illi credentes in Christum (per quem iusti viuunt) eripiuntur diabolo, perenniter Deo cohærentes. Cuius rei testis est Dominus, qui in Euangelio proteruam Iudæorum arguens vanitatem ait: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à futura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentia, & ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham: dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Et iterum: Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum: filij autem regni proiicientur in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium.

Matth. 19. — ** pro, victu cotidiano, inf. 46. b.* — *Matth. 3.* — *Matth. 7.*

INSTRVCTVS igitur venerabilis iuuenis quomodo processum martyrialis prælij meditaretur, vinctorum se precibus solatiandum implorans, animo lętiori in pace discessit. Et cum nos sæpius idem, quamdiu illa horribilium claustra carcerum habuere, non desisteret visitare: frequenter tamen prudentissima Sabigotho latibulum illud fœminarum, quo sacratissimæ virgines Flora & Maria detinebantur, noctu quasi vna è compeditis incoluit, vt vel consolaretur certantes, vel se affectui commendaret certantium. Imo potius vt pugnandi pro Christo rege vsibus imbueretur, haberetque consuetudinem præliandi. Instabat precibus, obsecrationibus laborabat, vt memores sui existerent, adepto post triumphum sponsi consortio, quo saltim effuso cruore cœlum ingredi mererentur. Dant illico fiduciam hoc præstandi beneficium sanctæ virgines, quæ suas nouerant in nullo repugnari post victoriam preces, nec poterant commilitonibus quicquam negare, quæ se non dubitabant audiri.

Sabigothonis pietas. Flora & Maria.

DVM ergo ancilla Domini Sabigotho proxime post martyrium virginum infra domesticos parietes Christo seruitutem minus suspecta persolueret, fessoque exercitatione vigiliarum corpori consulens paulułum quieuisset, ferunt vtramq; virginem, Mariam scilicet & Floram, niueis amictas cicladibus, diuersarum ligustrium manibus gestantes manipulos, cum choro sanctorum phialas palmis gerentium, (quibus, vt puto, orationes eorum, qui ad prælium venerant informari, in conspectum Domini ferrent) omnes cœlestium luminariorum claritate fulgentes, eidem per somnium astitisse. Quas cum illa, vt arbitrabatur, sediliis se reclinari humillima supplicatione optaret, territa maiestate cœlicolum, vix tenui alloquutione aggreditur, dicens: Quam fiduciam olim præmissæ obsecrationis vobis in carcere, ô sacratissimæ virgines, me habere iubetis? Et si votorum meorum commodis potitura sum, gratissimis deflorate responsis, ne frustra currentes, in vacuum decidamus: ne vires nostri conatus vano consumantur labore, dum aliud intentio quærat, aliud merita expetant. Quia cum Deus plus meritis, quam precibus faueat, nouit tamen idem abdicare congeminatione precaminum, quam non iuuat dignitas meritorum. Idcirco, dominæ meæ sponsæ Chri-

Flora & Maria Sabigothoni in somnis apparent. — *Sabigotho ad martyres.*

sti, si hactenus sustinendi præmium sponsionis vestræ spes nobis fida subsistit, enarrare iubete: quo promptius ad superna tendamus, quo validius in certamine roboremur. Tunc eam sanctæ virgines cœlestium diffusione gratiarum affatibus præditis demulcentes: commoda (inquiunt) vestri laboris in æthereis reposita, tempore necessario vobis metienda, seruata sunt. Nec labetur præscriptorum merces ad prælium, quod cogit athletas inuictissimos ire ad regnum. Martyrium denique vobis à constitutione mundi diuinitus præfixum, & prædestinatum est. Quod vos post paululum impleturas, congruit felicioribus solito sanctitatis studiis insistere. Quapropter libamina sacerdotum laboribus vestris adsciscite: suffragia implorate Sanctorum: vbique vos precibus seruientium Christo committite: votiuo veneranda Dei sanctuaria discursu incolite, & omnium religiosorum inquirite obsecrationes. Quia, quamlibet præscripta vobis quandoque futura sint præmia, per hanc tamen industriam veluti quibusdam gradibus innitentes, tantæ bonitatis arcem vos verum est posse contingere: nostrumq; sermonem huiuscemodi certum esse indicio contestantes, instanti vobis certamine, adhæsurum contuberniis vestris * cœnobitam nostrum mittemus, qui vobiscum palma potiturus martyrij cœlitus ordinatus est.

Sanctæ martyres ad Sabigothonem.

** Georgium monachum intelligit.*

POST hanc visionem oculis intuentis abductam, vehementius tantæ rei miraculo beata Sabigotho ad perficienda bella Domini concitatur. Quæ mox hilariore somno exurgens, auget opera sanctitatis, fragilem ad pugnam erigit sexum, supernoque munere vires ad certandum corroborat. Hinc iam fiduciata, spe firmiori virum informans, omnino terrenis exui edocet, quoniam à principio mundi cœlestibus dedicati militiis, continuo post victoriam cœlicolis admiscerentur.

HINC magis, magisq; fruendi Redemptore & collegis sanctis ignito desiderio conflagrati, natorum postponentes affectum, spernunt quicquid mundialis peritura species continet. Omnia distrahunt, venditant vniuersa, quo liberiores in assequendo Christum existerent. Ex quo pretio quicquam infantulis relinquentes, totum aliud stipendiis applicant egenorum. Virorum ac mulierum visitant monasteria, præcipue tamen Tabanense cœnobium, de quo sæpius memorauimus, quia summis monasticæ regulis disciplinæ cunctum honestæ famæ rumoribus illustrabat Occiduum. Inde athletæ fortissimi hauriunt documentum: inde instituta percipiunt: ibi sepoculo vitæ perennis ingurgitant. Ibi sanctissima Sabigotho frequenter cum ancillis Dei moratur: discit ibi totius sancti timoris industriam. Ibi geminum pignus sub beatarum tutela constituunt.

Tabanense cœnobium.

O STVPENDA mundi renunciatio, & admirabilis ardor diuinus, quo filiorum affectus respuitur: quo opum affluentiæ repugnatur: quo proximorum dulcedo refellitur: quo mors pro vita eligitur: quo labentia cuncta contemnuntur: quo intuitu æternæ felicitatis vincla, cædes, cruces, carceres, verbera, & tormenta pro summis habentur deliciis. Vna siquidem filiarum octennio, lustro altera ducebatur. E quibus ego post necem parentum minorem reperiens, vix tenerrimo ore facundiam exprimens, me infantissime adhortatur, vt genitorum gesta scriberem, proderem actus, elucubrarem trophæa. Et cum propter hoc quid ab ea beneficij præstolarer, exquirerem (mira dicturus sum, tantillam ætatem talia quiuisse in promptu aduertere, nisi forte credendum sit, quod ab illo imbuebatur interius, qui ex ore infantium, & lactentium perficit laudem suam) impetrabo (inquit) pater tibi à Domino Paradisum.

Aurelij filiæ infantes.

Psalm. 8.

Diuinũ infantulæ ad D. Eulogium responsum.

VERVM quia competenti occasione gratia differendi paruitatem infantularum, paululum ab ordine directo recessimus, quo rem scilicet post nouenum martyrij eorum mensem patratam subiungeremus: nunc ærumnosæ & sub mundanis adhuc molestiis laboranti inseruimus historiæ. Non nos obinde fraterna infamare debet reprehensio, vnde culpabiles argui non veremur à Domino. Nec obstat vltimo, an priori, mediove loco veritas differatur, quandoquidem veritatis assertor nullatenus benedictione priuatur. Iccirco è vestigio repedantes, ad reliqua beatorum studiosius gesta referenda curramus.

CVM ergo intenti cœlestibus, omni tempore vigiliis, orationibus, eleemosynis, & ieiuniis incumberent: (frequenter tamen superno sydere in cubiculo suo, quo ista meditabantur, resperси sunt, adeo vt illapsum iubar æthereum omnem præsentis speciem luminaris interpollans, horridum esse chaos sui comparatione autumari compelleret) diuinis sæpe reuelationibus erigūtur: fruuntur colloquiis Angelorum: lætitia cœlicolis mente & spiritu adunati, non sine graui molestia corporale onus ferebant. Quodam namque die, cum atrium serenissimi præceptoris nostri Aluari, to-

Aluarũ adit Aurelius.

4 uari, toto in scripturarum scientia Occiduo laudati, gratia * collationis mutuæ, nostraque alternanti propositione mentem erudiendi in scripturarum problematibus, petiuissem: reperi coram eo militem Christi Aurelium, consultum agonizandi quærentem, & quatenus arriperet martyriale auspicium implorantem. Quem idem Doctor egregius, & temporis nostri fons sapientiæ profluus, Patrum exemplis instituens, iubet primo constantiæ vires perpendere, secretum suum aduertere: considerare arcanum: & vtrum imminentia magis nosset ferre, quam declinare supplicia, vltimo excepturus delicatis ceruicibus gladium. Et si magis merita martyrum adipisci, quam vocari martyr contenderet. Et si magis terris ignotus florentibus cœlo meritis catalogo electorum sese affectaret describi, quam in supernis diminuto præmio, famosum temporalis martyrij anhelaret nomen habere. Tunc ille, se vsque ad mortem dimicaturum spondens, nulla prorsus vi tormentorum intentionem suam superandam esse fatetur. Mihi, mihi, inquit, maximum vitæ solatium Christus est, & mori lucrum. Cui terrena conuersatio teterrimæ noctis caligo est, & memoria transitus mundialis perpetuæ lucis odorem aspirat. Fit commune deinceps gaudium causa nostri aduentus: de alterno admodum intuitu lætamur. Credimus interesse concilio nostro verbum Patris altissimi, qui vbique nomini suo dicato collegio se illabi testatus est, dicens: Vbicunque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum. Et cum plura suo agoni competentia referremus, idemq; gratissimis animis nostrum excipere documentum: satis, vt reor, collatione nostra iuuatus, continuo bella Domini initurus, ad propria regreditur.

** Pro, colloquio, aut conuersatione.*

Ad Philipp. 10.

Matth. 18.

Beata vero Sabigotho nonnullis ante passionem diebus dum sola domo resideret, Christumq; ob perfectionem martyrij sui, quibus posset * questibus obsecraretur: subito astare sibi miræ pulchritudinis virginem cernit, angelico vegetatam decore, primum, vt putabatur, adolescentiæ florem gerentem. Cui cum illa diceret: Tu quis es filia? & si è vicino accedis, causas tui aduentus edisce. Protinus spectabilis virgo, soboles, inquit, amici vestri Montesis sum, quam tu mundialibus ærumnis scis olim exemptam, quamque eadem hora, qua supremis vexabatur angustiis, priusquam propius visitares, reperisti exanimem. Et cum te ego sæculo pene eliminata non nouissem, ipso tamen obitus mei momento quis esses Domino reuelante agnoui: & nunc eo mittente præuia nunciatrix palmæ tuæ accessi. Instat namque iam vobis tempus exequendæ victoriæ: adsunt dies publice profitendi fidem Catholicam, hostemque repellendi teterrimum. Quibus sedatis litibus cœlorum penetralia vos coronandos adsument, perpetua deinceps pace fundatos. Igitur scrutans cor suum venerabilis fœmina, secumque meditans eloquium adsistentis, confestim reuoluta memoria, rem gestam agnoscit, & priusquam grates euangelizanti sibi puellæ referret, labitur à conspectu eius illa virginalis species ætheris nuncia, & præco sui martyrij. Fit læta tali præconio: animatur cœlesti oraculo, & tanto spe firmiori ad prælium excitatur, quanto sese patratæ actionis veritate cernit informari.

** pro, lamentationibus, aut querelis; vnde vulgare nostrũ nomen, Quexa tractum videtur. Vide & inf. pag. 82.*

Montesis filia Sabigothoni apparuit.

Verum vt magis magisq; scopo prædestinationis suæ intenderent, essentq; non dubij de mercede reposita, siue vt sanctarum virginum impleretur edictum: octonis ante suam captionem diebus, dudum promissus ille confessor contuberniis eorum adsciscitur, & inconuulsibiliter his quodammodo alligatus, felici martyrio omnes sub vno momento pariter coronantur. Idcirco congruum iudicauimus, eiusdem monachi rationem, quia optio intercessit, exponere, & quod vehementi admiratione ætatem nostram eius causa concussit, succiduis quoque generationibus opere dignum relegenda mandari: vt in eo Catholicorum religiositas incremento fidei augeatur, in quo sui Redemptoris oraculum speciali quodammodo cernit esse veritate impletum. Prædixerat quippe magister noster & Dominus, quod multi ab Oriente & Occidente venientes, recumberent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum. Quod testimonium reuelatis contuemur effectibus in ipso monacho, atque leuita Georgio omnino perfectum.

Matth. 7.

Georgius monachus.

Hvic rus Bethleemiticum ortum, & incolatum æthereum peregrina littora contulerunt: hic, inquam, vir vltra maria procreatus, ab adolescentia seruitute Dei oblectatur. 5 Viginti & septem annos apud monasterium sancti Sabbæ, quod ab Hierosolyma in parte Australi octo milliaribus distat, cum quingentis, (vt ipse nobis ore suo professus est,) qui in eodem cœnobio morabantur fratribus adunatus, sub regulari magisterio deguit. Quem venerabilis Abbas Dauid, eius ascisterij tunc procurator, ob * stipendium monachorum Africam mittens, is nullo modo tot interiacentia ter-

Sancti Sabbæ monasterium.

Dauid Abbas.

** Victum, & eleemosynã, sup. pa. 44. a.*

rarum, mariumq; distulit subire discrimina, quibus vtique incunctanter commodum summæ virtutis obedientiæ nouerat promereri. Sed cum ibidem vapulare asperius Dei Ecclesiam incursatione tyrannorum reperisset, Hispaniam quoque eorum, quibus missus fuerat, consultu aggreditur. Erat enim, vt ipsi de eo certissime approbauimus, summæ humilitatis, magnæq; abstinentiæ vir. In omni eloquio suo, dicto, atque responso timor Domini resonabat: ocius semper de puro cordis fonte charitatem exhauriens, fauum dilectionis promebat. Prædicabat cœlestis desiderij requirendam esse compunctionem: mortificare cum vitiis & concupiscentiis membra iubebat, vt in aduentum Domini recidiuo virtutum animata vigore, gloriosiora cum ipso apparerent. Ita sobria præditus sanctitate, iustus videri, vel dici nimium recusabat, iucundus admodum, hilaris, modestus, & abstinens sic vtebatur mundo, tanquam non vteretur. Et cum forte, fraterna impetrante charitate, cibum sumere cogeretur, epulabatur parcius: bibebat sobrie, vt magis abstinentem iudicares, quam vescentem. Merum aqua tamdiu temperabat, vsque dum color inficeretur, sapor abesset. Insipidus namque ille gustus, (ita referebat) nec bibere nimium, nec temulari conuiuam patitur. Crebrius ad exorandum currebat: vigilabat attentius: sæpius corde diuinum carmen meditabatur, dicebatque: Benedicam Domino in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Et cum variis linguis peritus existeret, Græca scilicet, Latina, atque Arabica: nec qualemcumque saltem propter has gloriam affectauit. A die qua monasterium petiit, & cohortibus monachorum ascitus est vsque ad coronam martyrij sui, (vt ipse quibusdam secretius retulit) nec lotus aqua, nec balneis vsus est. Quamdiu nobiscum conuersatus est, nulli omnino ordinem suum reuelauit, nisi cum iam carcere detineretur.

Africa Ecclesia D. Eulogij tempore afflictissima.

Psalm. 33.

6 COMMENTATVS est fratribus, ac propinquis suis, cunctisq; patriæ suæ ciuibus martyrij sui breuiarium: quod mihi causa expoliendi transmisit: ne incultior sermo fidem rei gestæ, quibus mittebatur, adimeret. Ibi in principio dictionis suæ monachum se, atque leuitam fore testatus est. Verum quid opus est sermonem in longum protrahere? Quasi non summam reuerentiam vitæ hominis Dei martyrialis cruor adhibeat, præsertim cum quantus, & qualis extiterit effusus propter iustitiam Dei ipse eius martyrialis cruor insinuet, & quod peregrinus mundo peregrinam non renuens sepulturam, omnem penitus genitalis soli, affiniumq; affectionem repulerit. Aut quæ potius laus militem Christi extollet, quam pro Domino mortem, pro vita animã, pro crucifixo cruorem dedisse? vt ipsum esset redhibitio famuli, quod extitit victoria crucifixi. Quomodo autem beatus minister cœtui sanctorum agglomeratus fuerit, melius ore ipsius sancti Georgij credimus posse innotescere, quo vel nostræ dictionis series, interposito martyris eloquio, quasi desuper benedictionis sale condiatur: vel præstantius commercium suæ connexionis cum cæteris sanctis eodem narrante addiscatur. Nam & ipsis diebus, quibus vna cum sanctis habuit conuersationem, sua ac prædictorum martyrum gesta breui satis stylo exponens, vltimo nobis comprobanda direxit. Ex cuius dictis ea huic operi inserenda curauimus, quæ ad insinuandam eorum coniunctionem satis esse præuidimus. Cætera vero, quæ post defectum sermonum serui Dei sequuntur, nos obtentu, quo cœpimus, indagauimus. Inquit autem hoc modo.

Georgius de se ipso scripsit.

IN nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Vniuersæ Catholicæ Ecclesiæ à me indigno & peccatore Georgio monacho, necnon & diacono fratre, & collega seruorum Dei filiorum sancti Sabbæ quingentorum virorum, perfectam in Domino IESV Christo salutem. Cognoscite, ô fratres charissimi, introitum meum in Hispaniam nihil aliud fuisse, nisi gratia stipendij vestri requirendi, qui sub arctissima regula, & regimine sancti patris Dauid Hierosolymis degitis. A quibus Africam missus, deinceps in Hispanias commigraui. Sed hanc ipsam * insulam nimis afflictam reperiens, cœpi cogitationibus variis æstuare, vt aut proprium solum reuiserem, aut regna Christianorum, id est, Franciam peterem. Et cum proximos, & charissimos super hac re consulerem, nonnulli peragrare iubebant, plerique ad cœnobium meum reuertere cogebant. Hinc velut dubius, diuerso præpeditus tractatu, cui me primo cogitationi submitterem, nesciebam. Pergens autem de Corduba ad Tabanense cœnobium, quo fratrum & sororum benedictio iter meum comitaretur, dixit mihi Abbas ille Martinus, & soror eius domina Elisabeth. Veni frater, & accipe benedictionem ancillæ Dei Sabigothonis. Quæ mox vt me intuita est, promissus (inquit) nostri certaminis comes, & collega, hic monachus erit. Ego vero agnita causa eius, & ratione comperta, illico pedibus eius aduolutus pro me Dominum exorare rogaui, vt forsitan Spiritus sancti respectu illustratus, ad ea, quæ illa præstolabatur, peruenire meruissem. Et illa: Vnde hoc no-

Georgij monachi epistola.

** Quod per mare ex Africa in eam traiecerit, ita vocat.*

Tabanense monasteriu.

hoc nobis (inquit) pater, vt tu cum peccatoribus pergas? Cumq; eadem nocte ibidem
mansissem, apparuit mihi in visione noctis ipsa venerabilis mulier Sabigotho, & nescio
quod genus odoramenti pretiosissimi ligni accommodans, referebat. Ditior ex hoc
mihi thesaurus est. Mane autem facto, descendimus ambo in ciuitatem ad virum suum
Aurelium, prostrauiq; me pedibus eius, petens ab eo, vt oraret pro me, quod illis in mar-
tyrio socius essem. Qui statim præbens assensum, exarsit in me ignis cœlestis per ora-
tiones eorum, & factus sum vnus ex illis: & ex tunc non sum ab eis separatus, sed omnes
pariter in domo sancti Aurelij congregati, reddimus Domino cum iucunditate vota
laudationis. Ibi apud illos reperi beatum Felicem cum coniuge sanctissima Liliosa,
qui & ipsi iam omnia sua vendiderant, & locis sanctis, seu pauperibus erogauerant, pa-
rati omne genus tormentorum propter filium Dei, & dilectionem eius suscipere. Ea-
dem hora exiui ab eis, & causas, quibus præpediebar, in omni festinatione composui.
Et sic demum valde iam roboratus, ad eos reuerti. Qui læti & exultantes de reditu no-
stro, gratias Deo referunt, dicentes: Scimus, frater charissime, quia Dominus te mi-
sit ad nos. Post hæc omnes in communi cœpimus cogitare, quomodo ad desideratam
perueniremus coronam, & ita Domino dispensante visum est nobis, vt pergerent so- 8
rores nostræ reuelatis vultibus ad ecclesiam, si forte nos alligandi daretur occasio, &
ita factum est. Nam reuertentibus de ecclesia mulieribus, quidam præpositus obuius 9
adstans, cum causam religionis agnosceret in fœminis, illico viros interrogat, quid
sibi vellet ille recursus fœminarum ad sanctuaria Christianorum? Qui responderunt:
fidelium mos est ecclesias visitare, & atria venerabilium martyrum pio deuotionis
affectu requirere. Vnde quia Christiani sumus, ideo nos ipsius fidei gestare vexillum
profitemur. Statimq; iudici delator accedens, omnem rationem nostram coram eo
dolosis linguis proponit. Post hæc vadit dominus Aurelius filias visitare, quibus pa-
cis osculo vale dicens, cœlesti virtute armatus ad prælium festinauit. Sed hic iam san-
ctus Georgius stylum compescens, nos quæ restant, vt occepimus, prosequamur.

Aurelius ante martyrium Eulogium inuisit.

IPSO postea die, quo se beatus Aurelius nouerat comprehendi, priusquam au-
roræ crepusculum respiraret, domo nos gratia valedicendi reuisens, precatur pro se
Dominum exorare, suique agonis fautorem per nos fraternam fieri charitatem expo-
stulat. Ibi nos illi commendauimus. Ibi patrocinium suum pro nobis, & pro omni ec- 10
clesia fieri, osculatis manibus eius, impetrauimus. Post hæc, datis inuicem osculis, sepa-
ramur in pace.

Antiquus Hispanorum inde osculandis manibus mos.

IGITVR, cum prolatam aduersum Dei sanctos iudex quæstionem intenderet,
sciretque authorem huius rei esse Aurelium: grauiter ex hoc interius vulneratus præ-
cepit eos quam propere suis conspectibus exhiberi. Tunc milites rapido cursu do-
mum beati Aurelij occupantes, qua omnes sancti collecti manebant, præ foribus cla-
mare cœperunt: Exite miseri: exite cominus morituri, quibus vita præsens tædium
est, & mors pro gloria computatur. En iudex vocat, instat decretum vltionis effun-
dere: conterere vult recedentes à cultu, rebellia paratus colla præscindere: pergite
vos modo iam debitum mortis exoluere, & commissæ præuaricationis pendentem
sententiam. Ex hinc viri cum mulieribus suis quasi ad epulas inuitati procedunt: va-
dunt ouantes: læti prosiliunt; putares eos iam apud iudicem sua inuenturos dona-
ria, qui nihil aliud habere poterant, quam tormenta. Et cum se Georgius sanctus
à militibus cerneret non teneri, illico sancta fretus audacia in exprobrationem li-
ctorum conuersus. Quare (inquit) priuilegium hoc fidelibus irrogatis, & vanum
colere violenter cogitis numen, quos sancta fides proprios hactenus vendicauit?
Vt quid alieni à Deo vero perditioni vestræ agglomerare nitimini prædestinatos ad
vitam? An non poteritis vos infernalia claustra adire, nisi nos comites habeatis?
Nunquid sine nobis æterna vos cruciamina non adurent? Vos abite, vos illuc per-
gite perituri, quo simul cum duce vestro inferorum deliciis perfruamini. Nam
quid nobis cum tartaro, quem CHRISTVS Deus noster penetrauit, absorpsit,
expoliauit, & vicit: vt non iam auderet fideles addicere, qui pridem consueue-
rat priuilegio suo Sanctos diripere? Vix ille sermonem compleuerat, & iam furens
dextra satellitum in iniuriam monachi laborabat. Quem diuersis laceratum sti-
mulis solo allidentes, calcibus etiam, pugnisque acerrime tundunt. Cui cum san-
cta Sabigotho (iam emortuum putans) surge, frater, eamus, clamaret: ille, quasi ni-
hil mali esset perpessus, respondit. Hæc omnia, soror, meritorum commodis pro-
sunt, augentque coronam. Et ita, seminecem à terra leuantes, pari cum sanctis duca-
tu iudici astare fecerunt. Quibus oblatis, cum primum ab eis blando affatu requi-

Aurelius cum cæteris comprehensus.

Georgius capitur, & misere pulsatur.

reret, cuius rei causa à cultu suo recederent? viuere recusarent? niterenturque perdere temporalium commodum multiplici deliciarum flore vernans? quos vtique postmodum in futuro non solum muliebris oblectatio admirabilis, verumetiam dignitatum, & ferculorum copia demulcendos expectaret: protinus quasi ex vno ore, Nulla (inquiunt) ô arbiter temporis, affluentia lucris comparatur æternis, quorum gratia hanc vitam despicientes per fidem IESV Christi, qua omnis sanctitatis operator iustificatur, eius denique in futurum benedictionis requie, quæ sanctis promissa est, nos potituros confidimus. Omnem vero cultum, qui à Christi diuinitate dissentit, nec profitetur sanctæ Trinitatis essentiam, refutat baptismum, infamat Christicolas, sacerdotio derogat, omnino reprobum iudicamus, pro nihilo rerum labentia computantes, quæ non diu subsistunt: quæ autem diligentibus se Christus promisit, cum sint ineffabilia, semper tamen indefessa iugitate perdurant, & nec oculis contemplantur, nec aure captantur, nec corde perpenduntur. Verum, vt credo, quiddam etiam aliud religiosius diffuso ore sanctis ante iudicem asserentibus, sectamque impiorum fortiter expugnantibus, in furore maximo concitatur iudex: rapido tractu eos carceri applicandos insinuans, importabilium vinculorum onere aggrauari decreuit.

Sancti in carcerem missi.

CONTINVO exultantibus animis beati martyres ergastulum adeuntes, gaudent auspicio passionis, paruipendunt supplicium, perstrepunt hymnos, insonant laudes; psalmos persoluunt; insistunt orationi, qua fauente Domino victoriam adipisci præualeant. Visitantur ab Angelis; miraculis illustrantur; dissiliunt vincla; & non audent restringere, quos Christus absoluerat. Ibi etiam, quam cœlis sortem haberent, reuelante Deo agnoscunt. Hinc de palma securi manentes, & Christum, cui fideliter seruierunt, cernere festinius anhelantes, dilatant vsque in quintum diem mor-
11 tem suam, serumque putant se diutius elongari ab illa suauitate regni cœlorum, quam crebris iam corporeis † vsibus ferme intuebantur.

† forte, visibus

Georgius denuo se offert martyrio.

AT CVM iam in forum prosternendi educerentur, venerabilis Sabigotho armare virum sanctis alloquiis cœpit, confortat, instruit, & confirmat. Introducuntur palatio, consulibus adsistunt, adhibentur opes, exhibentur fasces, quibus, si crederent, fruerentur. Sed his oppido in professione sua demorantibus lictoribus perimendos instituunt consules: sospitem abire sanctum Georgium decernentes, pro eo quod iidem ipsi optimates & priores palatij nihil conuitiorum proferentem eum aduersus vatem suum audiissent. Ille vero minister egregius protinus, vt se comperit derelinqui, nec sub vno cum sociis ictu mucronis perimendum institui: cur ait, ô principes de professione mea, quam coram vobis non protuli, dubitatis? aut putatis me de discipulo Sathanæ quidquam prosperum cogitare? Ego enim, vt verius agnoscatis illum angelum, qui eidem præceptori vestro, transfigurando se in spiritum lucis, apparuit; dæmonem credo fuisse, & hunc cunctis abiectiorem hominibus adiudico, vtpote diaboli credulum, Antichristi ministrum, & vitiorum omnium labyrinthum: qui non solum se voragini barathri immerserit, verum & nos sequipedas sua per inania instituta æternis dedicarit incendiis. Tunc, in insaniam proceres concitati præualidam, vna simul cum cæteris sententia necandum præcipiunt. Ac sic primo beatum Felicem,
12 deinde sanctum Georgium trucidantes, post venerabilem Liliosam, vltimo egregios Agonistas Aurelium & Sabigothonem interimunt, 6. Kalendas Augustas, Era DCCCXC.

Annus Domini Dccclii. dies Iulij 27.

Pilemelariense monasterium.

Sancti Christophori monasterium.

Basilica sanctorum Fausti, Ianuarij, & Martialis.

13 QVORVM corpora nostri Christiani furantes diuersis locis recondunt. Georgius namque cum sancto Aurelio Pilemelariensi cœnobio seruantur. Beatus Felix sancti Christophori, quæ vltra flumen est, aulam tuetur. Sancta Sabigotho sanctorum trium cineribus adunata est. Requiescit apud Genesium martyrem venerabilis Liliosa. Capita vero Georgij & Sabigothonis incolunt. * * * *

Sancti Genesij basilica.

HI SVNT qui propter testimonium Dei, & fidem IESV Christi, vsque ad mortem certantes, nihil amori eius præposuerunt, non filios, non parentes, non affines, non proximos, non amicos, non res, non vicos, non possessiones, non prædia. Sed omnia post tergum abiicientes, mortificatis cum vitiis, & concupiscen-
14 tiis corporibus, ad æternam immortalitatem producti sunt.

Regnante Domino nostro IESV Christo
in sæcula sæculorum.
Amen.

Christo-

¶ *Christophorus, & Leouigildus monachi martyres. Cap. XI.*

DEINDE Christophorus monachus contribulis noster, ephebus adolescẽs, 1
Cordubæ natus, & à pueritia nostri auditor, qui post nostrũ magisterium *S. Martini*
cœnobium S. Martini, quod est in montana Cordubensi, loco, qui appel- *monasteriũ Roiana di-*
latur Roiana, ingressus magnum pie volentibus conuersari specimẽ san- *ctum.*
ctitatis ostendit. Hic àgnita præcedentium nece sanctorum concito gressu in vrbem 2
descendens, mox obuiare iudici non extimuit: & reddẽs coram eo testimonium ve-
ritatis adnuntiat Euangelium, sancta Domini prædicat, prophanationibus deditum
vulgus exhortatur, arguit male credulos, luituros cum authore falsario æternum pro-
fert incendium. Quem continuo iudex sæuo commotus furore carceri deputat: arcti-
oribus macerandum vinculis commendat.

TVNC etiam Leouigildus monachus Eliberi progenitus, plenæ iuuentutis, vir 3
sanctus, iustus, & timoratus ex cœnobio sanctorum Iusti & Pastoris, quod est in interio- *Eliberi Vrbs.*
ri montana Cordubensi, loco qui dicitur Fraga inter cliuosa montium & condensa syl- *Sanctorum Iusti & Pastoris mona-*
uarum, confini viculi Leiulensis, qui à Corduba distat quinque milliarios lustros, quo *sterium.*
se nuper moraturus contulerat, martyrio potiturus aduenit. Et priusquam forum in- *Fraga.*
traret, instituẽdi se gratia nos inquirens, obsecratur, precatur, exoptat, vt conatus suos *Leiulensis*
nos precib. iuuaremus, eiq; benedictionem consummandi agonem traderemus, pro- *vicus.*
mittens se nostri curam gerere ante Dñm. Cumque à nobis firmatus in pace discede- 4
ret, mox coram iudice suam relaturus professionem adsistens, dat testimonium fidei *Leouigildus Eulogium adit.*
secundum cæterorum constantiam: qui cæsus alapis, conuitiisque distentus illico a-
pud sæuos carceres traditur alligandus. Ibi se famuli Dei alterno fouent consultu, ro-
borantur in inuicem: sicque pari voto connexi, cum iam mactationis hora instaret, prę
ire S. Christophorus B. Leouigildum reuerentia ætatis exoptat, postmodum ipse ruitu-
rus. Et ita hoc ordine vterque interiit, 13. Kal. Septemb. Era qua supra. Quorum corpo- 5
ra suppositis adusta incendiis, antequam penitus vrerentur, fidelium cura erepta apud *Annus Domini Dccclij.*
basilicam Sancti Zoili sepulta sunt. *dies August. 20.*
S. Zoili basilica.

¶ *Emila, & Hieremias martyris. Cap. XII.*

POst non longo iterum interuallo, duo adolescẽtis illustres ex ciuibus Cor- 1
dubensib. nobili familia procreati, ad palestram martyrij cucurrerũt. Emi-
la scilicet, & Hieremias, qui ab infantia sua apud basilicam S Cypriani lite- *Basilica S. Cypriani.*
ras edocẽtes, vnus ad ministerium diaconij consecratus, alter in habitu lai-
cali degebat simpliciter. Et quoniam vterq; Arabico insigniter præpollebat eloquio,
ferũt tanta per eandem linguã in eorum vatem volubilitate egregium Emilam exagge-
rasse opprobria, vt præcedentium martyrum conuitia obliuiscerentur, cernentes ho-
rum prosequutiones contra suum dogmatistam acrius inualere. Et idcirco nõ iam so- *Sarracenorum perturbatio.*
lummodò de mortib. resistentium sibi excogitare cœperunt, verumetiam totam ex-
tirpare Ecclesiam ruminarũt. Quoniam nimio terrore tot hominum recurrentium ad
martyrium concussa gentilitas, regni sui arbitrabatur excidium imminere: cum tali et-
iam virtute pręcinctos paruulos præuideret. Quos per carcerem maceratos, postremũ
gladio vindice peremerunt. Et cum totus ille dies clara esset serenitate lustratus, subi-
to eadem hora quã decollati sunt, vehemens tonitruorum fragor exurgens mundo in-
cutitur: spargit radiãtia lampadum fulgura æther superos auelli cardines existimares.
Armatur nube grandinum axis: fuscatur dies: turbinibusque inficitur aër: pios cecidis-
se athletas elementa fatentur. Quorum corpora equuleis suspendentes, vltra amnem 2
statuunt, 17. Kalendas Octob. Era qua supra. *Annus Domini Dccclij dies Septẽb. 15.*

¶ *De Rogello, & Seruio Deo martyribus. Cap. XIII.*

CVm adhuc præfatos martyres ergastula haberent, ecce alij duo superuene- 1
runt eandem quam cæteri professionem tenentes, eodemq; voto hostẽ fi-
dei expugnãtes. Quorum vnus Eliberi progenitus, ex vico qui dicitur Pa- *Eliberi Vrbs.*
rapanda, monachus & eunuchus, iam senex prouectæq; ætatis nomine Ro- 2
gellius aduenit. Alter, Seruio Deo vocatus, spado adhuc iuuenis ante paucos annos ab *Parapanda vicus.*

Orientis partibus vltra maria in prædictam vrbem habitaturus peregrinus accessit. Hi vero pari se fœdere colligantes, vnum propter iustitiam Dei vsque ad mortem certandi votum gesserunt, nullo casu ab inuicem recessuri, quousq; cœlestia sanguine mercarētur. Ideoque fanum illud sacrilegorum petentes, in quo exceptum vulgus abominabiles ritus sæpius reddere conuenit, transcendunt limina, turmis se ingerunt, prædicant Euangelium, sectam impietatis subsannant, arguunt cœtum. Appropinquasse regnum cœlorum fidelib. infidelib. autem gehennæ proponunt interitum, quem proculdubio ipsi incurrerent, nisi ad vitam recurrerent. His, & huiuscemodi verbis populū exhortātes, necdum ab ore eorum sermo recesserat, & ecce, quasi crepitans in sentibus rogus cohors malignantium aduersus Dei famulos exardescēs cędit, lacerat, percutit, obruit, nititurq; perimere sanctos, qui delubrum suum intrare præsumpserant (quod apud illos quoq; grande facinus reputant) & nisi iudex adesset, qui quodā priuilegio potestatis insanientis populi murmur compescuit, tunc iā vitę spiraminib. priuarentur. Quos ereptos cædentium manib. carceri deputans astringi ferro grauius iubet, furibusq; admiscet. Ibi etiam adhuc prædicant, prophetizant, instare mortem tyranno annuntiāt, laudant religionē, vanitatem refellunt. Et cum penitus vigor mēbris deesset, qui ferret supplicium: non tamen destitit lingua vsq; ad mortem à præconando veritatis oraculo. At vero pro eo quod templū suum Euangelizando intrassent, decernunt eos tyrāni & consules, prius manib. pedibusq; abscissis, decollari postremo. Gaudēt tali decreto famuli Christi: exhilarantur oppido huiusce mortis sententiā excepturi. Instat ferocissimus carnifex, clamat, frendet, minatur, festinare ad pœnam iubet electos, quos vtique cernebat maiorem migrandi habere affectum, quā idem inferendi interitū gerebat. Quis illius horæ, fratres charissimi crudelitatem exponat? quis referat clades? quis cruces adnuntiet? quis deniq; admirabilem sanctorum enarret constantiam? Cum & ipsa gentilitas, tali spectaculo stupefacta, nescio quid de Christianismo indulgentius *Martyres ante obtruncationem discerpti.* sentiebat. Igitur statuti in loco decollationis martyres facti, antequam lictor admoneret, palmas extendunt, lacertos parant: iniectumq; iugulum vlnis excipientes, in diuersa manus dissiliunt. Deinde crurib. amputatis, nulla compuncti tristitia abscissis denuo
4 *Annus Domini Dccclij. dies Septembris.16.* collis corruerunt. Quorum cadauera, vt erant truncata, patibulis affigentes, vltra fluuium crucibus cæterorum adsciscunt, 16. Kal. Octob. Era qua supra.

¶ *Consilium Christianos disperdendi, quod rex cum proceribus iniyt. Cap. XIV.*

PRÆTEREA Martyrum causa Ethnici conturbati, ipseque rex in furorem maximum concitatus, varia corde præmeditatur, quibus posset intentionē sanctorum reprimere. Sciscitatur etiam sapientes, explorat philosophos, regniq; sui consules super hac re percontatur. Qui omnes vnanimiter in perniciem conspirantes fidelium, cōprehēdi Christianos, & vinculari sub arctissimos car-
1 ceres decreuerunt. Tunc iam proculdubio enecandi eos difficultas fuit adepta, si quis-*Christianorum dispersio.* quā vatis sui temerari* exprobrator vltra occurreret. Hac nos miseri opinione cōperta, diffugimus, abimus, euagamur, delitescimus, timidoq; discursu & habitu demutato nocturna silentia carpimus: Decidente folio exturbamur, crebro māsiones mutamus, tutiora loca requirimus, ac tremebundi vndiquaq; dilabimur, mori formidantes per gla-*Martyrium Dei est donū. Ad Rom. 8.* diū, quandoq; morituri per debitum. Qui ideo forte martyriū fugimus, nōquia timemus mortē, quæ quandoq; ventura est: sed quia indigni sumus martyrio, quod quibusdam, & non omnibus datum est. Qui .n. nunc martyrizantur, & martyrizandi sunt, ab
2 initio mundi præscripti sunt, dicente Apostolo: Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, illos & glorificauit.

¶ *Christianorum perturbatio, & eorundem varia sententia in concilio Episcoporum Cordubæ congregato. Cap. XV.*

Matth.13. MVLTI Igitur horreo inutiles Dominico, eiecti foras de rete apostolica, ab eo, qui non vt bonos vasis recondere: sed potius vt stipula, inex-
1 tinguibili meruerunt incendio deputari, nobiscum vel fugere, vel compati, vel etiam delitescere recusantes; pietatem relinquunt, fidem præua-

præuaricantur, abdicant religionem, crucifixum deteſtantur. Seſe (proh dolor) impietati tradentes, ſubmittunt colla dæmonibus, blaſphemant, detrahunt, ſubuertuntque chriſticolas. 2 Plurimi etiam, qui pridem nobiſcum ſano ſenſu victorias martyrum prædicabant, conſtantiam efferebant, laudabant trophæa: extollebant agonem: tam ex ſacerdotibus, quam ex laicis ſententias mutant, aliter ſentiunt, iudicant indiſcretos, quos hactenus feliciſſimos aſſerebant, pro eo quod ipſi ſancti infirmioribus nolentes compati, ſuæ potius tranquillitatis, & pacis commoda, quæ in cœleſtib. ſanguine mercari fidebant, quam nutanti Eccleſiæ inter ſcopulos perfidorum conſulere ſtuduerũt; quibuſdam ex lege ſententiolis, immutationem oris ſui, ac linguæ verſibilitatem quaſi roborare nitentes. Non perpendentes, quod nullus tantæ præſcriptus militiæ, & cœleſti curiæ adnumerandus, inſtante hora vocationis, nexibus retineri poſſet mortalibus: cum quotidie in ſcripturis ſacris nobiſcum perlegant, quod nec vita, nec ſæua pericula, nec ipſa etiam mors ſanctos à charitate Domini noſtri IESV Chriſti auellere vnquam præualeant.

Chriſtianorum varia ſententia de martyribus. *Ad Rom. 8.*

ILLI autem, qui ab initio actus non deſtiterunt infamare ſanctorum, fœdaque ſuſurratione eorum conati ſunt intentionem euertere, bellum quod militibus glorioſis nequiuerunt inferre, in nos crudeliter vertunt: noſque authores huius rei exiſtere aſſerentes, noſtro inſtinctu illa omnia perpetrata fuiſſe accuſant. 3 Adeo vt quidam illius temporis publicæ rei exceptor, præpotens vitiis & diuitiis, ſolo Chriſtianiſmi nomine denotatus, operibus autem Deo & angelis eius ignotus, à principio certaminibus beatorum infenſus, detractor, derogator & infamator eorum, iniquus, tumidus, elatus, ſuperbus & improbus, quodam die præſenti concilio Epiſcoporum multas aduerſum me, linguam commouens, exaggerauerit contumelias. 4 Anathematizare ſanctos decernit talia meditantes, maledicere imperat, perſequi ſtylo iubet electos. Verens infeliciſſimus omnium, ne iacturam honoris patiatur. Qui non ſolum nullam reuerentiam ſanctis exhibere ſtuduit, verum etiam prædicare ſiniſtrum eſſe, quod agunt in populis, præcepit.

Eulogium Chriſtiani calumniatur. *Exceptor Chriſtianis martyrum inſectator.*

Et quanquam metu compulſi, ſeu metropolitanorum iudicio, qui ob eandem cauſam tunc è diuerſis prouinciis à rege fuerant adunati, aliquid cõmentaremur, quod ipſius tyranni ac populorum ſerperet aures: inhibitum eſſe martyrium, nec licere cuiquam deinceps ad paleſtram profeſſionis diſcurrere, præmiſſo pontificali decreto ipſæ 5 literæ nuntiarunt. Eademque ſchæda minime decedentium agonem impugnans, ꝙ futuros laudabiliter extolleret milites percipitur: verumtamen allegoricæ ædita, niſi à 6 prudentibus aduerti non poterat. Non tamen inculpabile illud fuiſſe putamus ſimulationis conſultum: quod aliud geſtans, & aliud ſonans, quaſi à diſcurſu martyriali plebẽ 7 compeſcere videbatur. Quinimo niſi legitima ſatisfactione, ſaltem pro plebe nullatenus remittendum eſſe confitemur.

Concilium rationale Corduba cõgregatum. *Concilij ſubtile decretũ.*

Habdarrahgman rex ſubito moritur, filius eius Mahomad in regno ſuccedit. Cap. XVI.

DEnique cum ex omni parte Chriſtianis immineret interitus, ardenſque immani furore comminatio principis multos electorum errare compelleret: pleriqué nobis illam exprobrationem Iſraeliticam, cum ſe grauius opprimi cernerent, inferebant, dicẽtes. Videat Dominus, & iudicet, quoniam fœtere feciſtis ſudorem noſtrum coram hoc tyranno, & ſeruis eius, & præbuiſtis eis gladium, vt occiderent nos. Creſcente etenim numero martyrum, creſcebat in maius iracundia principis, augebaturque fidelibus conturbatio, vt pene caſus noſtri olim Pharaoniticis contra Iſrael perſequutionibus computarentur. Qui ſicut ob interuentum Moyſis ad Pharaonem pro populo Dei acrius Ægyptij deſæuiunt, & operum grauiſſimorum importabili calamitate ſubditos opprimunt: ita quoque & nos ex eo, quo ſancti ad prælium deſcenderunt, vt loquerentur ex nomine Domini noſtri IESV Chriſti coram rege, & profiterentur conſulibus & iudicibus Euangelicam veritatem, proderétque falſitatem vatis iniqui: ſolito aſperius euertimur, & funditus à miniſtris dæmoniorum perdendi inſequimur. 1 Cumque tanta coarctati anguſtia crebrius gememus, & latentibus ac vagantibus nobis, denuo Pontifex horribili carcerum ſpecui traderetur, nullúſque nobilium laicorum ingredi fores auderet, futurum in perendie er-

Exod. 5. *Exod. eodẽ.* *Epiſcopus in carcerem ducitur.*

gastulum metuentes: cœpit rex alta ædium petere, scanditque sublime solarium, oppi-
3 da lustraturus, confestimque è regione pendentia stipitibus sanctorum corpora intue-
tur. Continuo suppositis ignibus cremari ea præcepit. Quorum cineres Deo fautore,
per loca sancta repositi sunt. Et, ô, ad miranda potentia saluatoris, & stupenda virtus
Domini nostri Iesu Christi, qui semper quæsitus in tribulatione adsistit, pulsatus aperit,
inuocatus exaudit. Nam os illud, quod sanctos Dei comburi præcepit, repente eadem
hora diuinitus obstruitur, lingua vero angelo percutiente repressa, suo hærens palato,
vltra fari non potuit. Sicque portantium manibus in stratum reductus, quadam noctis
4 ipsius hora spiritum reddens, priusquam rogus sanctorum cadauerum extingueretur,
idem vita exemptus, æterno clibano deputatus est, relinquēs successorem imperij Ma-
homad primogenitum, hostem Ecclesiæ Dei, & Christianorum maliuolum persequu-
torem. Qui ingenito quodam odio sæpius quæstionem aduersus fideles proponens,
non illo inferior esse meritis apparuit, cuius nomine insignitus ostenditur. Nam ipso
die, quo sceptrum regni adeptus est, Christianos abdicari Palatio iussit, dignitate pri-
uauit, honore destituit, multa postmodum in nos mala irrogari disponens, si regni feli-
citate & prosperis potiretur euentibus. Nos autem, instanti fine opusculi, spem nostræ
incolumitatis in Domino collocantes, non timeamus quid nobis faciat homo. Cre-
dentes nos vbique aduocati nostri Domini Iesu Christi interpellatione saluari, qui di-
5 xit: Ecce ego vobiscum sum omnibus dieb. vsq; ad consummationem sæculi. Amen.

Habdarrahman regis miser obitus.

Mahomad Rex.

Hæc vberius à D. Eulogio explicantur post li. 3. cap. 1.

Christiani Palatinis muneribus priuati.

Matth. 38.

Sic fuit in exemplari hic titulus, quemadmodum & ille sequentis precationis.

Explicit feliciter opus memoriale sanctorum.

DEO GRATIAS.

OBSECRATIO AD CHRISTVM EIVSDEM EVLOGII IN COMPLEMENTVM LIBELLI, SIVE PRO OMNI LAPSV, QVI IN HOC OPERE commissus est.

Apocaly. 1.



Ecce Domine Deus meus Alpha, &. O. principium & finis, Verus Emanuel noster, initium vitæ meæ, plenitudo animæ meæ, perfectio salutis meæ, zelo tuo accensus, amore sanctorum tuorum compulsus, fratrum charitate coactus, paruipendentium mutationi compassus, odio inimicorum tuorum commotus, tantillus scientia, ingenio parcus, exilis intellectu: spectamine bonitatis, ac misericordiæ tuæ magnanimus, fretus pietate, clementia roboratus, aggressum opus te adiuuante perfeci, atque conclusi, sicut potui, non sicut debui, imo sicut tu mihi posse dedisti. Aperui os meum Domine, & loquutus sum, quia tu iussisti, & quantum voluisti, implesti, atque ad enarrandum iustorum tuorum actus iustissimos cor iniquitate deiectum coegisti. Armasti ad præconandum laudes tuas impeditam sceleribus linguam: & os meum, quod fera vitiorum diu obstruxerat, subito quadam præditum agonia, ad tua elucubranda fidelia testamenta reserasti. Verebar, Domine Deus meus, opera mea, & sollicitus de proprio manens facinore, licet emendationis differrem remedium, meditabar tamen de iniquitatibus meis penes memetipsum probatum sæpius testimonium, perpendebam iudicium, debitum mei reatus cogitabam vindicium. Et cum apud te notitiam facti sui mens consternata deliquiis manere cognosceret, vix cœlum audebat intendere. Tu vero linguā meam quasi ministeriis tuis aptam ad sacramenta cœlestia ordinanda dignaris impellere. Nam quod exiguis meis meritis materiam tanti meriti construere intentaui, & quod immundus munda disserui, & quod sordidus sancta sanctorum disposui: non superbiæ tumore subnixus, sed humilis & abiectus, gratia acquirendorum præmiorum, & patrocinio potiendi sanctorū, hoc egi, vel certe, vt penes te ingratus non essem talēti collati. Aut etiā ne res cœlo dignæ, nullo adstipulante, obliuioni traderentur perenni.

Ecclesi. 51.

Iob. 9.

Tu Domine Deus meus scisti affectum meum, penetrasti intentionem, votum intellexisti, & causam talia commentandi non ignorasti. Tu paruulo instinctum dedisti, miserrimum adiuuisti conatum, erexisti ad grandia imbecillem, & inualidum animosum fecisti. Neque enim Domine Deus meus, ad tanta me præelectum fieri opinatus sum, vt ego tandem essem elucubrator gestorum sanctorū, qui erā grauiū operator peccaminum. Nunquid si ego mentior, tu testis non es? Si falsum astruo, nonne vides?

Si aliter

Si aliter quam fuit affirmo, tu poteris ignorare? Si non profero veritatem, non latere te potest, qui omnia nosti. Certe tu cuncta consideras, penetras vniuersa, secretum intelligis, vides profundum, omneque tibi patet arcanum, & totum in præsenti tibi manens, præteritum & futurum in tuo cuncta volumine ascribentur. Et quod inspiratione tua mens prouocata ruminauit, & quod prædita cœlestium gratiarum virtute elicuit, & quod vanæ laudis stimulata compunctionibus affectauit, & quod ibidem lapsu linguæ nolens incurrit, apud te reposita manent, vniuersaque tuis examinationum libris exarata sunt.

HINC ad te Domine Deus meus, vario corruptus facinore rediens, multiplicus scelere, iniquitate prælargus, quæso, peto, imploro, vt de illa ineffabilium clementiarum sede beata obsecrantem intendas, aspicias consternatum, adsis roganti, vt prius abdita cordis mei emundans, liberum in confitendo te semper statuas. Purgesq; deinde satum opusculi huius, si quid zizaniæ praui sensus subtilis circumuentio tentatoris in ea me non volente, aspersit: si quod loliorum deuiæ prosequutionis, ignorante me, seminauit. Quicquid ibidem erroris casu respirat, quicquid resonat impolitum, quicquid à te alienum est, quicquid à te procul est, omne quod te ignorat, cuncta quæ tibi obstant, tuamque voluntatem refellunt, & nesciunt pietatem. Tu cuncta, omnipotes Deus meus, erudera, ablue vniuersa, totaque purificado sanctifica, vt tam sit Domino Deo meo hoc opus acceptũ, quam S. Angelis tuis gratiosissimum. Impetret mihi gratiam tuam, sanctorum hauriat benedictionem, obtineat pacem Ecclesiarum. Deferat tibi articulum temporis huius, recenseat coram te populi tui calamitates, teque super latibulum meum, quo ista dicto, respectu miserandi conuertens, diluat omne facinus, ad quod me tentatoris versutia ritu priori, cedente fragilitate, illexit. Sit custos coronę meæ, sit tutor vitæ meæ, sit mei prouector ad præmia sempiterna, vt idem per te sanctificatus, Memoriale sanctorum dicatur, & me inter memorias electorum tuorum sua conscribas obsecratione. Per te Dominum nostrum, qui cum Patre & Spiritu sancto vnus, sempiternus & immortalis es Deus in sæcula sæculorum, Amen.

Scholia in librum secundum.

¶ Cap. primum.



HAbdarrahgman vicesimo nono.) *Libri nostratium historicorum Abderramē semper scriptum habent, vbicunque & hic, & alij reges cognomines nominantur. Ego veram hanc, quæ in vtroq; fuit exemplari, huius nominis prolationem esse existimo. Nam Arabicũ quiddam prorsus stridet, & illa altera ad Hispani sermonis dulcedinem videtur lenita. Est autem hic Habdarraghman huius nominis tertius, vt ex Rasis Mauri, & ex peculiari Roderici Toletani Archiepiscopi de rebus Arabum historia constat.* 1

Habdarraghman rex.

CÆTERVM cum multa sint, eademque sanctissima horum D. Eulogij librorum commoda, quæ sanctorum martyrum rebus gestis commemorandis exhibentur: tum etiam illud non vulgaris eruditionis & vtilitatis hinc comparatur: quod clara & ferme indubitata ratio annorum in Hispana historia, ab tempore regis Pelagij, ad Ordonium primum Ramiri primi filium, ex hoc loco, & ex libri tertij principio certissime digeritur. Quo pacto id fiat, non est huius loci disserere. Quanti autem momenti sit in annorum ratione & omni Chronologia certum aliquid & fixum, tanquam cardinem, in quo cætera vertantur, inuenisse: hi nosse solummodo possunt, qui in hac re sese aliquantulum defatigarunt. De quo nos initio Gothicæ historiæ, in nostro Chronico late disseruimus.

Temporum ratio in Hispanorum regum historia.

Consulatus.) *Et hoc etiam ex illa est Latini sermonis licentia, de qua superius diximus. Regnum consulatum, summos regni magistratus consules, honores etiam & dignitates fasces vocat. Idem facit Sāson abbas Cordubensis, de quo antea diximus.* 2

Cordubam vero.) *Rasis non Cordubam seorsum, sed omnem Hispaniam, huius regis inclytis operibus scribit fuisse nobilitatam. Hic (inquit) aquas ex montibus in vrbes inuexit, templa exædificauit, & textrinas panni pretiosioris auro intertexti per Hispaniam instituit. Toletanus narrat, Cordubenses plateas lapideo stramento ab hoc rege fuisse munitas: item aquam ex vicinis montibus in templum, arcem & alia celebriora vrbis loca plumbeis fistulis fuisse perductam. Influit adhuc in hæc ipsa loca aqua, sed nō magna copia. Vnde cōstat diuersum fuisse hunc aquæductũ, quo nunc eo aqua perducitur, ab illo altero stupendæ structuræ, qui plurimis locis interruptus conspicitur. Per hunc multo maior aquæ vis in vrbem dimanabat, decimo ferme milliario procul perducta. Parum est toto hoc itinere montes amplissi-* 3

Aquaductus Cordubæ stupēdus.

mos fuisse perfossos, profundasque valles pontibus æquatas. Ipsa montium incredibilis moles, ne pondere suo subterraneum opus deprimeret, crebris turribus, quæ ex ipso vasto canali, tanquam castella excitantur, & in sublime montium emicant, sustentatur. Et cum recta in arcem & templum breui itinere posset is aquæductus peruenire, longo circuitu per eum agrum, cui ab Ranarum cantu nomen est, incuruatur: vt superioribus etiam vrbis partibus aqua impertiretur. Hoc opus huius esse regis ego semper credidi. Neque enim vllus alius author memoratur. Et illa arcis & templi aqua, quæ nunc perdurat, exigua est: hæc vero ingens profecto fuit, & tanta scriptorum celebritate digna.

4 Quæ olim patritia.) *De vtroque vrbis nomine multa iam diximus. Itidem de regni Arabici sede ibidem collocata.*

5 Necnon ex parte linguæ Arabicæ cognitus.) *Hispanismus plane est. Non enim significat beatum Perfectum mediocriter linguæ Arabicæ fuisse peritum. Significat profecto Hispana phrasi, insignē Arabicæ linguæ cognitionem, qua pollebat, caussam extitisse, vt notus Mauris esset, & in pretio habitus. Ita frequenter loquimur: Por parte de su virtud era muy bien querido. Huiusmodi autem nonnullos alios Hispanismos iam antea annotauimus.*

6 In prædicto transegit cœnobio.) *Quam basilicam antea nominarat, nunc cœnobium vocat. Ecclesiæ nimirum tunc omnes, monasteria etiam promiscue & erant pene, & dicebantur. Ab Gothorum temporibus manserat, vt ex concilijs, & ex Pauli Emeretensis historia præsertim intelligimus. Habebant insignia quæque templa suos abbates, qui præessent, gregemque diaconorum, & aliorum, qui in minoribus ecclesiæ gradibus constituti, interdiu noctuque inibi ministrarent. Hoc semel dictum oportuit, ne quempiam sæpius obuium conturbaret. Paulus hic Emeretensis diaconus, cuius mentionem alicubi fecimus, cum Emeretensis ecclesiæ & antistitum eius historiam scripsisset, tum etiam de aliis sanctis viris quædam adiunxit. Extat etiam eiusdem confessio catholica. Quæ duo opera manuscripta non parum antiqua in S. Ecclesiæ Toletanæ bibliotheca habentur. Eadem multo vetustiora in nonnullis alijs bibliothecis conspeximus.*

Paulus Emeretensis diaconus.

7 Egisse prædixit.) *Eodem consilio, quo in primo libro quædam de obscenitatibus legis Mahometicæ dempsimus: eodem hic quoque pauca quædam omisimus, ijsdem pene verbis iterum repetita. Et ipse etiam diuus Eulogius: quædam se hic subticere profitetur, quæ horrorem piis auribus possent præbere.*

8 Psallat Deus.) *De imprecationibus nostratibus diximus in primi libri præfationem. Ad eundem modum è conuerso vota quoque prospera & honorifica concipiuntur. Tale illud est in comoediis. Dij meliora. Et quædam eiuscemodi. Sed nos Hispani & frequentius & apertius, ad hunc modum medio sermone, bene ominamur.*

9 In campum vltra pontem.) *Ea nunc planities Veritatis campus appellatur.*

Veritatis cāpus Corduba.

SCRIPSIT de hoc martyre Perfecto etiam quisquis fuit Indiculi Luminosi author. Eius autem verba apponam, vt, quantopere cum D. Eulogij narratione consentiant, appareat. Et primum sacerdotem intueamur Perfectum gentilitio zelo peremptum, fidei constantia decoratum, martyriali gloria infulatum, & vere in electorum numero aggregatum: & quo pacto ad occisionem venerit sinceriter proferamus. Nempe ad aliud pergentem, aliisq́; sæcularibus operibus intendentem, nihilque, de quo gestum est pertractantem, dæmonicolarum incursionibus impulsatur. A quibus ille caute & circunspecte, vt istis videtur, vt vero mihi, timide fidem petit: & ne ex responsionibus proprijs impediretur, orauit dicens. Multa erant mihi, ex quibus abundantissime vestras poteram confringere nænias, vel destruere aniles historiæ fabulas, si vestræ vltionis non vererer vltrici gladio currentes vltro citroque incurrere sententias. Cui cum fidem dedissent, & e:, vt quæ sibi videbantur exponeret, iuramento antepósito imperarent: ille accepta dicendi fiducia, & eorum pro vero iuramento sumens mendacia: post multa & varia sententiarum certamina, prophetæ eorum voluptuosam lasciuiam, & lenocinationis luxuriam sermone, quo potuit, exprobrauit, & oratione splendida comprobauit. At illi, aliqua super eius meretricationis subsanium, vel coniugatorum adulterij colludium habita conflictatione verborum, frendentes dentibus, & caninis sæuientes rictibus, ore vipereo sibilantes, & leonum ferocitate frementes, abire eum, propter datum nouiter iuramentum permiserunt illæsum. Sed post aliquod temporis cursum, dolorum semper pectoribus retinentes venenum, & quasi vetustate temporis reputantes abolitum prius illi iniectum infidum pactum, dolo eum circunuenientes apprehensum iudici sæuissime mendacio inhiantes, quasi destruentem fidei illorum ritum impie protulerunt: eumque maledicentem eorum vatem suo testimonio vilissimi homunculi firmauerunt. Ille inopinato casu perterritus, & inusitata circunuentione perplexus, illorum fraudulenta ignorans consilia, quæ contra eum instruxerat commentatio fraudulenta: se hoc penitus non dixisse, in firma satis prosequutione retexuit. At vbi in carcerem missus in se extat conuersus, audaci proposito & virili congressu cœpit ipsorum totam legem infringere, & non solum quod pridie dixerat, quæ super eum imperitiæ factio asserebat, verum etiam alia potiora ingerere, mortisque magis gloriam, quam interitum expectare. Tunc eductum in ipsum diei sui horrendum pascha, quo soliti sunt pascua frui carnalia, & ventri libidinique alimenta ministrare satura, gladio vindice peremerunt. Et quasi victoriam hostium

Eos notat, aduersus quos scribit, martyrum detractores.

hostium potiti, ad orationis conuenticulum, obsequium Deo se præstasse credentes, elati, & innocentis cruore perfusi, ritum suum perficiendum, vt soliti sunt annue peruenerunt.

Accensis nauibus.) *Fluuiales lintres naues per abusionem quandam vocat.* 10

Dignoque præsulis.) *Cum Cordubensis Episcopi, qui suo tempore Ecclesiæ præerat, alicubi D. Eulogius meminerit: nunquam tamen nomen eius scriptum reliquit. Id qua ratione fecerit, non possum intelligere.* 11

In eo titulo, quo.) *Possumus hinc suspicari, non vnum D. Acisclі templum tantummodo tunc Cordubæ fuisse. Nunc duo priscæ etiam recordationis visuntur. Exiguum delubrum vnum, in quo educatus sanctus martyr cum sorore Victoria fuerit: alterum ad flumen vetustissimæ in vestibulo structuræ, vbi sepulti ambo fuisse creduntur. Inde id templum magna veneratione colitur, & paucis antea annis fratribus ordinis S. Dominici tributum, cœnobium ibidem instituerunt.* 12 S. Acisclі templum.

Sicut quidam poeta.) *Versus est Cœlij Sedulij. li. 1. Carm. Paschal.* 13

Quarto decimo Cal. Maias.) *Dies est Aprilis decimus octauus: qui quidem eo anno octingentesimo quinquagesimo in sextam vtique feriam incidit. Fuit enim is annus cycli solaris trigesimi primi decimus nonus, post bissextum secundus. Inde constat literam dominicalem E. habuisse. Recte igitur sibi omnia consonant.* 14

Regnique sui excidium.) *Latius de hac regis formidine libro primo, & alibi sæpe. Et alius est terror ille, de quo in fine libri huius secundi, quod ex capitis septimi principio hoc ipso libro manifestum est. Sed nos interim Dei virtutem, Christianæ veritatis robur, vim legis Euangelicæ reuerenter suspiciamus. Consumit, disperdit, mactat Christianos impius tyrannus: sed pusillus grex, cui complacuit patri dare regnum dispersus & trucidatus validior insurgit, ingentemque regiæ potentiæ terrorem immittit. Hinc nimirum ignem, quem Christus venit mittere in terram, nihil malens, quam vt ardeat, si velis extinguere, maior inde flamma erumpit: & frumenti grana emortua in terram cadentia, ingentem fructum semper in Ecclesia attulerunt.* 15

¶ Caput secundum.

EXceptoris reip.) *Scribas publicos hoc nomine intelligi debere Budæus in prioribus in Pandectas annotationibus docuit.* 1 Isidorus lib. 11. Etymol. c. 4. Exceptor.

Tabanos viculum.) *Huius oppidi nullum manet vestigium: neque est vnde coniecturam eius situs capere possimus. Id postea cœnobium ab Mauris est dirutum: ac monachi intra vrbem confugerunt: vt lib. 3. cap. 11. Eulogius scribit. Fuit autem sancta Columba, vt ibi refertur, eodem consanguinitatis gradu quo Martinus & Elisabeth cum S. Martyre Isaac coniuncta. Cætera vero huius martyris gesta, plenius in lib. 1. præfatione narrauerat.* 2 Tabanos oppidum. S. Columba.

In regia vrbe.) *Hoc cognomen olim post Constantinum Constantinopoli, quod ex illorum temporum authoribus patet, fuerat tributum. Inde videntur Gothi Toletanæ vrbi, postquam inibi regni sedem & veluti caput statuerunt, idipsum dedisse. Eadem prorsus ratione Corduba regni in Hispania Arabici caput, regia etiam vrbs simili antonomasia D. Eulogij tempore appellabatur. Et hoc ipsum in huius lib. 2. principio S. martyr retulit.* 3

Tertio nonas Iunias fer. 4.) *Annus & eo amplius inter Perfectum martyre, & Isaac transierat. Tertius enim Iunij dies anni 851. hic notatur. Recte porro feriam quartam fuisse memoratur. Habuit namque is annus cycli solaris vicesimus, D. literam dominicalem. Quæ omnia ex superioris capitis supputatione astruuntur. Et lib. 1. hoc ipsum confirmatur, cum quintus post hoc martyrium dies dominicus fuisse scribitur. Inclusiue enim vtrinque computatur.* 4

At vero de Isaac martyre, ita in Indiculo Luminoso. Ad nostros spontaneos martyres properemus. Zelo Dei Isaac religiosus non humana instigatione, sed diuina commotus, nec vsitatum callem nostris temporibus, sed obliteratum incendens, antiquum persequutionis fumum non sufferens animo, iudicem adijt: & ea quæ alter flagello diro vexatus negabat, quæ inter verbera se non dixisse iactator debilis personabat: athleta fortis, belliger miles, abundantiori prosequutione firmauit, potiori prælio intentauit, & ingenua mente inchoauit, ingenua morte peregit, consummauit, impleuit. Vt ostenderet hominibus fidei se zelo commotum, non timore necessitatis præuentum, vt constanti fiducia Ecclesia prælians bella aperte proferret, & patule, quod quibusdam indicijs super comprehensum satagebant firmare. Vt etiam produceret Dominus athletarum suorum mundo victoriam, & militum suorum rudi sæculo propalaret constantiam: & ostenderet, quod in nouissimis temporibus etiam victores haberet, qui bella Domini & instinctu, quo primi intentauerant, præliarentur.

Caput tertium.

Albense oppidum.

1 EX Alabensi oppido.) *Albensi libentius lego ex Plinio & Strabone: cum Alabense fuerit in exemplari.*

Tyrones pueri. Ioseph Eulogij frater.

2 Inter militares.) *Hos pueros nobiles Tyrones vocat author vitæ & martyrij S. Pelagij. Quod opusculum suo loco apponetur. Et Ioseph D. Eulogij frater natu minimus, vt ego existimo, inter hos palatij Tyrones regi inseruiebat. Hoc postea apparebit.*

Nonas Iunias.) *Duobus tantum post Isaac diebus patitur Sanctius die Iunij quinta. Feria igi-*
3 *tur sexta, recte signatur. De eius sancto cadauere aut sepultura nihil tradit Eulogius: quoniam cum sequentibus martyribus igne fuit concrematum.*

Caput quartum.

Astigi Vrbs. Singilis fluuius.

1 IN vrbe Astigitana.) *Nobilis Romanorum tempore colonia, Iulia Firma post Iulij Cæsaris tempora nominata, conuentum habuit iuridicum. Priscum illud nomen Astigi ex sono ipso nomine Romano, magnam eius astruit antiquitatem. Singili flumine alluitur: qui post Bætim tota Bætica est amplior. Vrbs ipsa & fluuius prisca, sed nonnihil immutata retinet nomina. Ecija enim & Xenil appellantur. Ager eius vrbis, non magnus alioqui, feracitate tamen ditat magno opere accolas. Insignis est olei opulentia. Gossypium magna copia seritur. Horti cum fructuum omnis generis exuberantia vtiles, amœnissimum præterea totum tractum reddunt. Episcopum olim habuit, quod ex concilijs Toletanis & Hispalensibus constat. Distat à Corduba triginta duobus milliaribus, ab Hispali paulò pluribus. Eius Plinius, Pomponius Mela & Ptolomæus inter alios meminerunt.*

Maria martyr.

2 Et S. Walabonsus.) *Erat hic Mariæ martyris, quæ vna cum Flora passa est, frater, vt capite octauo apparebit.*

Ilipa oppidum.

3 Eleplensi.) *Cum Ilipa, aut Ilipula (nam authores variant) verum sit nomen vrbis, indeque Ilipense & Ilipulense exoriatur: nummum tamen peruetustum vidi, in quo MVN. ELEPLA. Erat scriptum. Ilipulæ autem duæ fuerunt, quod ex Plinio & Strabone & Liuio constat: in Lusitania altera, altera in Bætica. Ego de hac postrema hic puto intelligi. Eam vero eo loco sitam fuisse, quo nunc non admodum magnum oppidum Pennaflor dictum, medio ferme inter Cordubam & Hispalim itinere videmus, longa disputatione in Hispaniæ antiquitatibus, chronico nostro adiunctis, probauimus. Inde qui velit petat. Hic locus plura non postulat.*

Pennaflor oppidum.

4 In vico Cuteclara.) *Hoc oppidulum & in eo cœnobium latius ca. viij. describitur.*

Cuteclara vicus.

Ex vico Froniano) *Et huius vici postea cap. 8. mentio cum maiori explicatione fiet.*

Fronianus vicus.

5 Sancti Zoili.) *Suus quoque peculiaris locus de hoc diuo dicendi in D. Eulogij ad Pompelonensem Episcopum epistola interueniet.*

S. Zoili templum.

6 Flumen Armilata.) *Paululum immutato nomine nunc, Almellato, appellatur: & super addita Sarracenorum more in principio Arabica voce, Guad, quæ fluuium significat, integrum fit nomẽ Guad Almellato. Ex montibus progressus hic fluuius, duodecimo ferme supra Cordubam milliario Bætim intrat. Triginta autem & eo amplius milliaria, quæ D. Eulogius memorat, plane docent situm hoc monasterium fuisse non lõge supra insigne illud, quod nunc videmus & veneramur, Franciscanorum cœnobium, cui S. Franciscus de Monte nomen est. Nempe vicesimo quarto & eo amplius milliario ab nostra vrbe ad ripam ferme huius fluminis loco edito, ad Septentrionem est collocatum.*

Armilata flumen. S. Franciscus de mõte.

7

8 S. Christophori.) *S. Iuliani templum operis peruetusti, ex aduerso ferme vrbis nunc conspicitur. Potuit id nomen immutasse. Certe nullius alterius apparent vestigia.*

S. Iuliani tẽplum.

9 De quo supra affati sumus.) *Hinc plane apparet hunc Hieremiam martyrẽ eundem esse, qui supra ca. 2. Tabanensis monasterij conditor dicitur. Eius etiam mentio est libro primo, & libro tertio, cap. decimo.*

Hieremias martyr.

10 Septimo scilicet Idus.) *Apparet quanto tunc sancti Cordubenses feruerent amore martyrij: siquidem tam frequenter paterentur. Duo tantum dies sabbatum & dominica inter Sanctium & hos sex martyres intercesserunt. Hic namque dies Iunij octauus notatur. Libro autem primo pridie idus Iunias sexto post martyrium die cremata, in flumen etiam proiectis cineribus, fuisse eorum cadauera tradidit. Horum sex sanctorum martyrium in Vsuardo, sed præcedenti die apponitur. Sunt & apud Equilinum libri vndecimi cap. vltimo.*

Caput quintum.

EX Pacensi oppido.) *Colonia Pacensis in Lusitania olim, quod ex Plinio constat, etiam iuridico conuentu nobilitata, Arabum Hispaniam occupatium vastatione, ad parui oppidi formam, vt nunc conspicimus, fuit redacta. Pertinet ad Portugaliæ regnum, Beiaque nuncupatur. De eius nomine, situ, & antiquitate multa egregie, vt semper solet, Andreas Resendius ad Vasæum scribens. Eius vrbis excidium Rasis prosequitur.* 1 *Colonia Pacensis.*

Septimo decimo Cal.) *Is est Iulij dies decimus sextus, qui eo anno feriam quintam occupauit, quod ex superioribus iam quiuis poterit deprehendere. Quadraginta enim & eo amplius dies, sine martyrio processere.* 2

Caput sextum.

QVæ corpore.) *De hac S. Zoili Basilica tunc erit dicendum, cum de ipso martyre in epistolam ad Pompelonensem Episcopum scribemus.* 1

Illi subterraneo specui.) *Maurorum fuit mos subterraneos specus in putei fere vastioris formam excauatos, tanquam ergastula ad seruitia noctu concludenda, reosque asseruandos habere: quales per omnem Bæticam in arcibus præsertim conspicimus. Mazmorras proprio eius gentis vocabulo nos etiam nunc appellamus. Cordubæ in summi templi compluuio duo eiusmodi putei hodie quoque ostenduntur, & in carceris huiusmodi vsum fabrefactos ab Mauris, omnes affirmant: sed illos ego ad continendam, & diutius asseruandam aquam fluminis potius crediderim fabrefactos. Nam vt erant Arabes eius templi superstitiosi veneratores, crederent profecto, reis, captiuis, eorumque fœditate & pædore contaminari. In arce, aut alicubi fuisse hunc subterraneum carcerem crediderim. Ductus est mos ab Græcis & Romanis, qui huiusmodi subterraneos carceres & habuerunt, & vsitato vocabulo Putealia vocitarunt. Et de Puteali, quod Romani Cordubæ habuerunt, iam suo loco diximus. De vtriusq; etiam carceris discrimine alicubi præterea meminit D. Eulogius.* 2 *Subterranei carceres.*

Tertio decimo Cal.) *Dies erat Iulij vicesimus, qui eo anno reuera in secundam feriam inciderat. Habuit Paulus fratrem Hludouicum nomine, qui & ipse martyrio postea fuit coronatus. Libro sequenti, cap. 14.* 3 *Hludouicus martyr.*

Carmonensis monachi.) *Carmona etiam nunc eidem oppido nomen est. Romanorum temporibus Carmo tantummodo appellabatur. Id veteres nummi testantur, in quibus atergo inscriptum est, CARMO inter duas spicas, agri feracitatem proculdubio denotantes. Est præterea munitissimi situs ergo ab Iulio Cæsare lib. 2. commentariorum ea vrbs commẽdata. Eius etiam mentionem apud Strabonem & Ptolemæum reperies. Sed in hoc autore Carmoniam perperam legitur. Sita est Carmo vicesimo quarto ab Hispali milliario, eo itinere quod ad Astigitanam vrbem ducit, ab qua milliaribus triginta sex distat.* 4 *Carmo oppidum.*

Octauo Cal.) *Omnia prorsus concordant. Is enim dies Iulij vicesimus quintus, ex superioribus liquet, sabbatum necessario fuit: quem septimam feriam D. Eulogius vocat, qui inclusiue (ita dicunt) ab Pauli martyrio dies computat.* 5

Caput septimum.

ET Cursus mensium.) *Hinc iam apparet D. Eulogium existimasse, eodem anno quo superiores martyres, octingentesimo videlicet quinquagesimo primo, has duas virgines passas fuisse. Id in fine huius capitis manifestius patebit. Quod tamen necesse fuit iam hinc ad rectam computationẽ, quæ mox ineunda est, annotare.* 1

Igitur referente.) *Quoniam D. Eulogius hic aperte scribit, hoc anno octingentesimo quinquagesimo primo Nunilonem & Alodiam martyrium subijsse: & re vera decennio antea occisæ pro Christo fuerant: vt quo pacto cohærere hæc possint intelligamus, necesse fuerit, diligenter hic & exquisite temporũ rationem, seriemque inire.* 2 *Temporis ratio.*

Cum igitur D. Eulogius hoc ipso anno passas fuisse has duas virgines scribat, & Venerij relatu de earundem martyrio se certiorem factum dicat: illud in primis compertum est, hoc ipsum non eo tempore intellexisse, quo apud hunc Episcopum Cæsaraugusta rediens (quod suo loco videbimus) fuit. Manifestum enim est ante vndecim annos diuum Eulogium Compluti apud Venerium fuisse. His adde quod cum Eulogius sanctorum sui temporis martyrum studiosissimus semper fuerit, & Pompelone, & in Legerensi sancti Saluatoris monasterio immoratus aliquantulum fuerit: si passæ iam eo tempore hæ virgines fuissent, audisset vtique de earum martyrio, vel ab Pompelonensi Episcopo, vel ab abbate monachisque Legerensibus. Nam & non longe ab Vuerbetano oppido & Bosca *Legerense cœnobium.*

aberant, & consequuta postea sunt, docent, magnam vtrobique harum martyrum rationem semper habitam fuisse. Restat ergo, vt post D. Eulogij reditum passæ sint, & venerius ad ipsum de his scripserit, non coram retulerit. Iam vero paulo antequam hæc de his sacris virginibus scriberet Eulogius, epistolam Venerij peruenisse, fit profecto ex ipsis authoris verbis verisimile. Primum ex prima & secunda huius capitis periodo. Nam pene manifeste indicat, se nihil antea de harum duarum virginum martyrio intellexisse. Deinde ex illis verbis paulo post. Prius tamen illa sanctorum trophæa elucubranda sunt, quæ ratio & cursus mensium ordinatim, vt acta fuerunt adducit, licet in alijs regionibus gesta extiterint. Sequitur illud etiam, quod multum iuuat hanc coniecturam. Sed quia vna est confessio, quæ vtrosque coronauit, idemque tempus, quod vtrosque per feralem impietatem in cælum præmisit, & cætera. Non idem tempus diceret, si annis antea aliquibus passas fuisse intellexisset. Hoc igitur ipso anno apparet Venerium Episcopum ad Eulogium de his duabus martyribus scripsisse. Et idem episcopus longe ab Vrbeuetano oppido positus (quinquaginta enim ferme Hispanis leucis Complutum inde distat) Sarracenorum præsertim truculentia Christianorum præpediente discursus & itinera, temporis in quo interfectæ fuerant ignarus: superiori anno occisas fortasse scripserat. Aut si nihil scripserat de tempore: Diuus Eulogius, qui nunc tandem cognosset proximum annum his dedit, ratus in eo perijsse. Et illa D. Eulogij postrema verba: ferunt tamen, quod illa virginalia cadauera in loco, quo ab ethnicis altis scrobibus magis abscondita, quam humata sunt, signis & miraculis coruscant, & gloriam emeritæ consolationis virtutum efficientia tam fidelibus quam gentilibus ostentant: hæc inquam verba aperte indicant Eulogium & Venerium pauca, sub obscura & incerta de his virginibus comperisse, qui hoc tempore ibi sepultas credant, neque intelligant octo iam antea annos, quod mox videbimus, inde fuisse translatas. Hæc ita coniectari & rimari cogimur, vt D. Eulogium excusare possimus, cum constet has sanctas virgines ante annos decem pro Christo interemptas. Anno namque Domini octingentesimo quadragesimo secundo, Iunij mensis die decimo octauo, ipsarum corpora in Legerense monasterium S. Saluatoris translata sunt. Id ex diplomate regis Innigui Aristæ constat: quod Stephanus Garibayus in suo diligenti satis rerum Nauarricarum chronico apposuit. Et cum de tempore martyrij earundem virginum praue sentientium opiniones opportune idem author ibidem confutauerit: annum tamen ipse astruere non potuit. Neque ego tamen possum: sed coniecturis non leuibus ducor, vt credam anno octingentesimo quadragesimo, pro Christo occubuisse. Etenim D. Eulogius, vt suo loco ostendemus, Pompelone, & in Legerensi monasterio anno Domini octingentesimo trigesimo nono fuerat: & (quod paulo ante probauimus) nondum martyrium subierant. Et tamen anno 42. post 800. earum corpora transferuntur. Paulo post etiam ex astronomica supputatione multo euidentius hoc ipsum confirmabimus.

Translatio sanctarum virginum. Legerense cœnobium. Stephanus Garibayus.

3 Nunilo & Alodia.) *Elodia fuit in veteri. Nos Alodiam substituimus, vulgata consuetudine multarum per Hispaniam Ecclesiarum, quæ festum harum sanctarum martyrum celebrant, earundemque historiam in matutinis legunt.*

Najara Vrbs. Castrum Vetus.

4 In vrbe Bosca.) *Mira est breuiariorum, vt vocant, in nominandis his oppidis varietas. Illud constat passas has duas virgines fuisse non longe ab Naiara vrbe, in oppido, qui nunc appellatur Castro viejo. Quod Latine Castrum vetus redditur. Ibi sepulchrum sanctarum martyrum ostenditur, ibidem alia sunt priscæ recordationis vestigia, & ibidem tanquam alumnæ & indigenæ summa totius regionis veneratione coluntur. Hoc omnino compertum & indubitatum possum affirmare. Nomina illa Berbetanum seu Vrbeuetanum & Castro Bigeti, quæ in breuiarijs nostratibus leguntur, ex Castro veteri videntur corrupta. Bosca quæ vrbs fuerit, non possum explicare. In veteri exemplari Osca non Bosca fuit, ego vsitatum magis nomen reposui. Nam Oscam remotam admodum in Aragonensibus vrbem, non credo fuisse traductas sanctas virgines.*

5 Materteræ nutritione.) *Longe diuersum narrant matutinales per Hispaniam lectiones, & sanctoralia, quæ vocant, manuscripta. Orbas nimirum propinquum quendam tutandas suscepisse: cumque is Mahometico errore teneretur, neque Christi fide sanctas virgines posset auertere: ab eodem delatas, & ad præsidem ductas.*

6 Sub ictu gladij corruerunt.) *Lectiones in breuiarijs plura eademque pientissima de cæde & sepultura sanctarum, sigillatim commemorant. Et in manuscriptis præsertim, vt vocant, sanctoralibus latius continentur. Inde nos apponemus, quia scitu sunt dignissima: & non plene assequutum D. Eulogiũ historiam harum virginum confirmant.*

TVNC præcepit rex lictori dicens: Percute gladio, & abscinde earum capita. At lictor tertio regem interrogat an feriret? Et vt feriret tertio cum audisset: dixit maiori: Extende ceruicem. Tunc sancta Nunilo dixit ad sororem suam minorem. Vide, germana, ne aliter facias, quam ego factura sum. Cui S. Alodia respondit. Nihil dubites, germana, quod ego aliter faciam. Statimque S. Nunilo alacri animo prosiliens, apprehẽsis crinibus caput sibi circunligans, dicit ad lictorem. Feri velociter. Ille eleuatum in altum gladium deposuit super eam: non in medium ceruicis locum, sed in mandibulas illud deponens: vnde nec penitus caput eius abscidit. Cadenteque in terram corpore, paululum crura eius nudata sunt. Quod cernens soror eius, festinans, protracta veste contexit. Quo facto multitudo hominum miratur. Fideles gaudebant,

debant, infideles tabescebant. Dixitq; iniquus rex carnifici. Sine modo ne ferias. Tunc ad sanctam Alodiā dixit. Quid proderit tibi, si moriaris? Consenti nobis, & viues nobiscum cum multo honore. Quibus martyr respondit. Non consentiam. Festina, percute me, ne sola pergam. Et eleuans oculos vidit animam sororis suæ in columbæ specie angelis circundatam, & dicebat. Expecta me germana, expecta me modicum. O mira virtus Altissimi, puella, quæ gladium non longe micantem cauere non poterat, in propriam ceruicem descensurum, non pertimuit: sed apprehensam syndonem, qua vestiebatur, sibi in crure alligauit, & capillis suis faciem suam extersit. Inde flexis genibus super corpus sororis suæ præbuit se percussori, qui vno ictu caput eius amputauit. Sicque martyres vna die, vna hora martyrium suum victrices consummauerunt in pace quinta feria, duodecimo Calen. Nouemb. Hæc nos ex vetustissimo sanctorali codice ante sexcentos annos Gothicis literis in membrana descripto transcripsimus. Is fuit inclyti cœnobij S. Petri de Cardenna Benedictinorum, nunc in regio S. Laurentij Hieronymianorum seruatur. Ibi in titulo scriptum fuit, passas fuisse sanctas virgines sub Zumahil præside, Era tamen aut annus signatus non fuit. Sed cum Octob. dies vigesimus primus ibi signetur, & in quintam feriam eo anno incidisse sit superadditum: ex consueta nostra astronomica computatione constat, anno Domini 840. sanctas virgines in Christi confessione fuisse coronatas. Is enim annus post triginta integras cycli solaris conuersiones, nonus fuit in trigesima prima. Fuit autem bissextus, habuitque literas dominicales D. C. Et cum. C. mensi Octob. deseruiret, dies 21. in 5. feriam incidit.

Cœnobium S. Petri de Cardenna. *Zumahil præses.*

Vndecimo Cal.) *Cum D. Eulogius in anno, vt ostendimus, aberrasset, inde etiam diem non potest recte signare. Et in Vsuardi quidem martyrologio 22. Octob. diem festum harum sanctarum virginum occupat, quod & in breuiarijs nostratibus seruatur: sed regum diplomata, vt mox apparebit, diem 21. astruunt. Et omnes ferme Hispaniæ Ecclesiæ earundem virginum festum concelebrant, tanta fuit in eisdem martyrij præstantia & illustris claritas.* 7

Quarum corpora.) *Hinc postea educta in Legerense S. Saluatoris cœnobium, quod non procul admodum distat (vt diximus) sunt translata. Et quanquam vno illo Inigui Aristæ regis, quod supra retulimus, diplomate satis hæc sit testata translatio: libet tamen duo alia apponere, quæ ex eodem Legerensi monasterio descripta cum multis alijs habuimus. Ex quorum altero constare poterit 21. Octob. non 22. sanctas virgines occubuisse.* 8

ERA millesima sexagesima die duodecimo Kal. Nou. Sanctius maior rex Nauarræ, & Castellæ, & Aragoniæ facit ad corroborationem ordinis S. Benedicti Domino & magistro suo Sanctio Episcopo donationem de Legerensi cœnobio, quod est fundatum in honore S. Saluatoris, & continet membra virginum & martyrum Christi Nunilionis & Alodiæ cum innumerabilibus sanctorum reliquiis. Considerans enim semper de inimicis suis triumphasse, & omnes illos per circuitum suum sibi subiugasse: videns etiam, quod post Maurorum inuasionem laici, sæcularisque ordo Ecclesias totius Hispaniæ habuerunt, eas Ecclesiasticis viris tradere decreuit. Et audiens beati Benedicti doctrinam vbique rutilare: cogitauit qualiter in regionibus suis eam posset transplantare. Et mittens ad Cluniacense cœnobium, euocauit inde abbatem Paternum, & cū illo gregem monachorum, quos in ascysterio S. Ioannis Baptistæ constituit. Nunc vero prædictus rex Sanctius prædicto Domino & magistro suo Sancio Episcopo deuota mente commendat, & concedit prædictum monasterium Lejerense, cum possessionibus, quas antecessores reges ei dederunt, & alij quatenus in eo ordinem monachorum constituat, vbi corpora parentum regis requiescant. Facta charta vt supra in præsentia multorum, qui venerant adorare Deum, & celebrare festiuitatem sanctarum martyrū in prædicto monasterio, regnante clarissimo rege præfato Sancio in castella, in Pampilonia, in Alaua, in Aragone, in Suprarbi, in Ripacorcia, in cuncta Gasconia, in Leyeut. Testes.

Anno Domini M. 22. dies Octobris 21. *D. Benedicti ordo quando primum in Hispania.*

Eximena regina mater regis.
Regina dona Munia Maior Garsia.
Ranimirus Gundissaluus.
Bernardus Mattus Aragonensis Episcopus.
Sancius abbas Lejerensis, & Episcopus Pampilonensis.
Paternus abbas S. Ioannis.
Eneco abbas Homiensis.
Senior Exemeno Garces.
Senior Garcia Lopeiz, & Fortunio Sainz, & Acenat Fortunionis, & Fortunio Ossuaz, & Garcia Fortunionis, & Lope Sainz.

ANNO etiam millesimo trigesimo secundo, idem rex eidem monasterio huiusmodi diploma concessit.

Annus Domini M. 32. dies Octob. 26.

Era 1077. Cal. Ianuar. fer. 3. Ego Sancius gratia Dei rex, dono vobis Domino & præsuli sanctissimo Domino Sancio, vel omni collegio monachorum cœnobio Leierensi, sub aula S. Saluatoris, vbi sunt corpora beatissimarum virginum & martyrum Nunilonis & Alodiæ, necnon reliquiæ apostolorum & martyrum, quæ ibi reconditæ sunt: Dono, inquam, vobis in valle de Ostella, prope villam quæ dicitur Portiella, monasterium, quod dicunt S. Ioannis cum suis terminis: & in Pampilonia parrochiam de S. Cæcilia: & in valle de Garonio monasterium, quod dicitur Zeyazahassa.

Ego rex Sancius serenissimus, regnans in Pampilonia & Aragonia, in Suprarbi, & in Ripacorcia, & in omni Gasconia, atq; in cuncta Castella, & Legione, siue in Astorica, confirmo.

Munia Mayor regina, conf.
Ranimirus proles regis, confirmo.
Garsia frater eius, confirmo.
Gundissaluus frater eius, conf.
Fernandus germanus eius, conf.
Martinus Aragonensis Episcopus, conf.
Sancius Pampilonensis Episcopus.
Arnolfus Ripa Corciensis Episcopus.
Munio Alauensis Episcopus.
Iulianus Episcopus Castellensis.
Pontius Episcopus Ouetensis.
Fortunius Sancij dominator Caparroso.
Fortunius Sancij dominator Falces.
Acenarius Fortunionis dominator Vgarte.
Garsia Fortunionis dominator Funes.
Lope Eneconis Dominator Arruesta.
Fortunio Vxuaz Cantabriensis.
Don Petro sub imperio regis imperans Naiara.

Valassius Fenestella ex palatio regis exaraui, & accepi pretium propter hanc scripturã quinque modios tritici.

Exemena regina Vetula ancilla Dei, degens in Reperus, confirmo.

Paucis post martyrium harum sanctarum virginum annis, regina fuit Hispaniæ, quæ alterius nomine Nunilo vocaretur. Id cum in nostris historijs non sit scriptum, Oueti in camera sancta, de qua iam diximus, video esse testatum. Ibi namque inter prisca regum nostrorum donaria arca etiam est duorum pedum longitudine, tabellis pretiosissimis achaticis lapidis auro circunclusis coagmentata & fabrefacta, gemmis etiam vndique diues. In fundo, qui est argenteus, hanc habet inscriptionem, quam ipse fidelissime transcripsi.

SVSCEPTVM PLACIDE MANET HOC IN HONORE DEI, QVOD OFFERVNT FAMVLI CHRISTI FROYLA, ET NVNILO COGNOMENTO SCEMENA. HOC OPVS PERFECTVM EST ET CONCESSVM EST SANCTO SALVATORI OVETENSIS. QVIS QVIS AVFERRE HOC DONARIA NOSTRA PRÆSVMPSERIT, FVLMINE DIVINO INTEREAT IPSE. OPERATVM EST, ERA DCCCCXLIX.

NEQVE dubium esse potest quin donum sit Froilæ regis secundi. Nam præter opulentiam, quæ regia plane est: multa sunt alia, quæ id aperte testentur.

CORPORA harum sanctarum virginum hinc postea Bononiam fuisse translata Vasæus scripsit. Sed nemo dubitat nunc etiam in eodem S. Saluatoris Legerensi cœnobio asseruari.

¶ Caput octauum.

1 Ex vico Ausinianos.) *Meminit huius oppidi etiã alibi, nullibi tamen plenius. Nos quod de eo præterea dicere possumus, nihil prorsus habemus. Multa autem seorsum de Floræ martyrio in epistola ad Aluarum secunda commemorat.*

2 In veritate.) *Hispanismus merus.*

3 Quam quæritis.) *Virgilij est hemistichium, quod sciens volensque Eulogius, sicut alia huiusmodi interseruit.*

4 Trabibus catenarum.) *Catena aliquando in vsum pessuli deseruit.*

Infra

Infra cortem.) *Latinum vocabulum probatis authoribus notum, regum nostratium vetustiora diplomata frequenter vsurpant. Significat autem illud patentis loci in domo spatium longius ab habitatione semotum, quod gallinis alendis & aliis huiusmodi vsibus septur.* 5

Cort.

Tuccitanæ vrbis.) *Non pauca Romanorum monumenta, inscriptique lapides, qui in oppido, quod nunc Martos in Bætica, non longe ab vrbe Iaen vulgo dicta vocamus, plane docent Tuccitanam olim coloniam inibi fuisse: quemadmodum in Hispaniæ antiquitatibus plene docuimus.* 6

Tucci Vrbs. Martos oppidum.

Ossaria.) *Hoc oppidum, quanquam præclarum dicatur, nullam sui memoriam reliquit.*

Iaen Vrbs.

Artemiam nomine.) *Præter hos duos filios, habuit etiam Artemia filiam nomine Auream,* 7 *& ipsam quoque martyrem: de qua in fine libri tertij. Adulphi vero & Ioannis martyrium multis modis est celebratissimum. Multæ per Hispaniam Ecclesiæ eorum festum diem celebrant. Is est Septembris vicesimus septimus. Vsuardi martyrologium eodem die Cordubæ passos fuisse memorat. Inde in Romano nuper ab Maurolico abbate exauctum, videtur traductum. Ado Vienensis in Gallia præsul eosdem etiam eodem die in suo martyrologio posuit: vnde Equilinus Episcopus in suo catalogo retulit. Manifestum autem hic ex D. Eulogio est, eos viginti annos & eo amplius hos omnes martyres præcessisse: siquidem initio huius regis passos commemorat.* 8

Iterum venio crucifigi.) *Verba sunt Christi ad Petrum apostolum, Romam, cum ibi crucis supplicium passus est, venientem: vt in martyrij eius historia legitur. Quam hinc iam intelligimus esse vetustissimam. Et sacellum hodie etiam Romæ visitur, eo ipso in loco, quo Christus hæc dicens D. Petro apparuit.* 9

Tunc nos etiam ex antro.) *Diximus iam de vtriusque carceris Cordubensis discrimine.* 10

Sicuti iam alibi.) *In epistola ad Aluarum, quæ suo loco reddetur, ibi latius hæc omnia perscribuntur. Ibi etiam die vicesimo quarto Septembris occisas fuisse tradit. Annus vero facile astruitur, ex epistola ad Pompelonensem Episcopum. Cordubensis Ecclesia eodem die festum harum sanctarum celebrat. Vsuardus, Romanum exauctum, & Adonis martyrologia, Equilini etiam antistitis catalogus earundem meminerunt. Sed desiit hic iam Eulogius hebdomadæ dies nominare, vnde indubitata certitudo temporis poterat sequentibus adhiberi. Sed satis ad fidem & historiæ veritatem est, sanctum martyrem hæc retulisse.* 11

❡ Caput nonum.

QVa Faustus.) *De inclyta Toletana vrbe iam diximus. De sacris his tribus martyribus Cordubensibus celeberrima est in omnibus Hispaniæ Ecclesiis memoria, insigni festiuitate consecrata: & copiosa historia in lectionibus matutinis repetita. Martyrologia omnia, & quicunque de sanctis scripserunt, eorum insignem habent mentionem. Sed variat alicubi festus dies, Alibi vicesimus octauus Septembris: alibi Octobris tertius decimus signatur. Vbique leguntur exusti. Illud diligenter est animaduertendum horum sanctorum martyrũ cineres ad hæc vsque D. Eulogij tempora Cordubæ asseruatos fuisse.* 1

Faustus & socij martyres Cordubenses.

Campaniæ Cordubensis.) *Campaniæ nomen peculiariter ab Romanis olim ei Italiæ regioni fuit attributum, quæ Neapolim, Capuam aliasque vicinas vrbes habebat: & quod campestris tota esset & plana, ita est appellata. Alioqui Campania pari ratione quæcunque similis regio dici potest. Nos certe Hispani id nomen in plana quæque transtulimus. Nam planities illa in Vaccæis, quæ longo tractu protensa Campos nunc, olim Campi Gothorum, vt est apud Rudericum Toletanum, nuncupabatur: Campaniam vocatam in Compostellana historia, ante quadringentos annos scripta reperio. Sed peculiare magis fuisse videtur, vt Cordubensis planities, tantopere ab Strabone fertilitatis nomine commendata, Campania diceretur. Nomen adhuc paululum immutatum, cum Campinnam vocemus, perdurat.* 2

In supra dicto sanctuario.) *Sanctorum trium Fausti & comitum templum intelligit.* 3

Era 890. *Hoc loco in vetusto codice, ad signandum numerum nonagesimum, nota quædam fuit & literarum colligatio peregrina, nobisque Hispanis penitus ignota: vt Gothicam fuisse appareat. Ea fuit huiusmodi. L. litera, quinquagesimi numeri nota vulgaris, fuit posita. Inde. X. adiuncta, sed cui minutula altera. L. superiori ex parte superioris apicis cohæreret: ita vt quadragesimi numeri hæc vulgaris nota XL. compleretur: & ex notis vtriusque, quinquagesimi & quadragesimi numeri, integer nonagenarius esset perfectus. Eam ego notam ad eum modum innexam in vetustis quatuor sacrorum conciliorum codicibus, quos habent sancta Ecclesia Toletana & Regium D. Laurentij monasterium ordinis S. Hieronymi ad oppidum Escurial vocatum, iam antea obseruaueram, & quæ esset liquido deprehenderam. Quæ omnia mihi hic sigillatim demonstranda fuerunt. vt si quis in vetustum D. Eulogij codicem incidisset, minime hæreret, aut dubitaret: sed manifestam veritatem illico intelligeret, sequentiaque omnia prope digesta conspiceret.* 4

❧ : ❧

Caput decimum.

1 FVit præterea.) *Ex satis humili exordio sublimiori postmodum oratione diuus Eulogius insurgit: vt iuxta Horatij præceptum, fulgorem ex fumo proferret. Voluit enim plenius stylo grandiori horum martyrum historiam continuare: & spiritus vere Christiani, vere ad martyrium anhelantis ardorem dicendo proferre. Id non sine pia animorum commotione, pij lectores non vno loco animaduertent.*

F. Laurentius Surius diui Eulogij fragmētum vidit.

Videtur F. Laurentius Surius Carthusiensis in fragmentum diui Eulogij incidisse. Tomo enim quarto de probatis Sanctorum historiis totum hoc caput cum nomine authoris inseruit. Ibi semper Natalia non Sabigotho Aurelij vxor nominatur. Surius autem more suo dictionem hic quoque & sancti martyris stylum limauit. Id monuisse oportuit, vt nemo miretur, nimium illa orationis filo ab his discordare, quæ nos religiose admodum nihil prorsus immutando, vt erant in exemplari conseruauimus. Si quæ autem diuersa in Surio referuntur, suis hic nos locis annotauimus.

2 Illius vel illius.) *Hispanismus.*

3 Vt in parte stramentum.) *Obscure significat, pondere catenarum asini clitellas subuersas & deiectas, ita vt in caudam defluerent: eo enim crura retrorsum à sello insidentis inclinata fuisse videntur: In Laurentio Surio longe diuersa hæc referuntur, vt paulo post cœlestis per somnium visiones adnectuntur. Ego nihil prorsus in nostro exemplari deesse video: vt hæc superaddita olim ab aliquo existimem. Postmodum etiam filiarum Aurelij nomina Felicitas & Maria apponuntur. Desunt vero quæ de consulto Aluaro Eulogius prosequitur. In supplicio tamen Sabigothonis plura referuntur.*

4 Serenissimi præceptoris.) *Diximus, qua modestiæ ratione Aluarum, qui condiscipulus fuisset, præceptorem suum vocet Eulogius. Serenissimi etiam titulum additum, nobilitatem in Aluaro astruere demonstrauimus.*

Aluarus.

5 Monasterium sancti Sabbæ.) *Celebratur in libris de sanctorum Patrum vitis hoc cœnobium: & ipse sanctus Sabba, vbicumque de sanctis eremi cultoribus agitur, est notissimus.*

Monasteriū S.Sabbæ.

6 Martyrij sui breuiarium.) *Hac voce Plinius & Suetonius vtentes docent, quodcumque opus, & in historia præsertim, summatim, & per compendium scriptum sit, ita solere appellari.*

Breuiariū.

7 Insulam.) *Catacrisis illorum temporum est, quales aliæ pleræque.*

8 Reuelatis vultibus.) *Apparet profecto Christiani moris tunc ex Pauli Apostoli doctrina fuisse, vt non in Ecclesia solum, sed in itinere ad ecclesiam caput fœminæ velarent. Poterant etiam honestatis causa, & ne ab Sarracenis pulsarentur, velatis capitibus fœminæ Christianæ misero illo captiuitatis tempore incedere.*

9 Illico viros interrogat.) *Aurelium profecto & Felicem, qui cum vxoribus processerant.*

10 Osculatis manibus eius.) *Cum sacerdos non esset, reuerentiæ tamen ergo, ab martyre futuro veluti benedictionem sacerdos etiam Eulogius petebat. Nisi credas iam tunc hunc morem hodiernum cœpisse, vt nos Hispani osculari manus & dicamus, & facere aggrediamur.*

11 Visibus.) *Quasi dicat quibusdam veluti experimentis.*

12 Sexto Calend.) *Multis locis apparet Adonem Archiepiscopum hos diui Eulogij libros legisse: & in horum martyrum mentione præsertim: siquidem quamuis sub compendio, omnia tamen digniora retulit, quæ hic ab Eulogio commemorantur. Cæterum referente Equilino Episcopo, non Sabigothonem, sed Nataliam eius loco nominat. Sed neque Ado, neque Surij fragmentum recte diem aut mensem notarunt, qui Augusti vicesimum septimum his martyribus tribuerunt.*

13 Pilemelariensi cœnobio.) *Cum iterum fusius huius cœnobij mentio occurrerit: tunc nos de eius situ, quæ oportet dicemus: id erit libri tertij cap. duodecimo. In Surio prædictum ab Aurelio refertur, se ibi sepeliendum.*

14 Apud Genesium martyrem.) *Metonymia, qualis illa Horatij: Scripta palatinus quæcumque recepit Apolo. Et multa huiusmodi, quibus Christiani frequenter vtimur.*

15 Et Sabigothonis incolunt.) *Locus hic in veteri codice fuit mutilus, & linea integra cum dimidia vacua relicta, vt si quando posset suppleri. In Surio neque capitum saltem mentio est.*

Caput vndecimum.

1 2 COntribulis noster.) *Tum hic, tum etiam superius hac voce vsus Eulogius, indicat plane habitationis tantummodo vicinitatem.*

Fortaßis Rojana eadē, quæ Regiana apud Antoninum nō longe ab Vrbe Astigitana.

Rojana.) * *Neque hic quid dicam, tametsi exquisierim, reperio. Eodem quoque silentio Fraga locum & Leiulensem vicum, qui paulo post nominantur, præteribo.*

Eliberi.) *Corruperant nomen huius vrbis Gothica tempora: cum Iliberi Romani protulissent. Ex illa corruptela maiorem postea Arabes inuexerant, Elberiam nominantes: vnde nos tandem nunc Eluiram pronuntiamus. Fuit enim vrbs hæc non longe ab inclyta vrbe Granata, in colle, qui nunc Eluiræ*

3 *mons appellatur: cum vrbis etiam porta, quæ eo ducit, Eluiræ nominetur. Illud animaduersione dignum, vero si-*

vero simillimum videri, Ili prisca Hispanorũ lingua oppidum significauisse. Inde tot vrbium, sed in Bæticæ præsertim, nomina id in principio retinebant. Iliturgi, Iliberi, Ilipula, Ilipa: & alia huiusmodi. De quo nos in Hispaniæ antiquitatibus.

Quinque milliarios lustros.) † Viginti longo circuitu significat. 4

Viginti quinque potius censendi sunt.

Tertiodecimo Calen.) Dies in Vsuardo, Adone, Equilino, & Cordubensi breuiario concordat. 5 Is est Augusti vigesimus.

Caput duodecimum.

SAncti Cypriani.) In sancti Pelagij historia huius etiam basilicæ mentio erit.

Decimoseptimo Cal.) Dies est Septembris quintus decimus, qui aperte in veteri exemplari 1 notatur. Vsuardus, breuiarium Cordubense, Ado & Equilinus paucis diebus variant. In Adone & E- 2 quilino Emilianus, non Emila scriptum legitur. Et recte sane non longo interuallo post Christophorum & Leouigildum hos duos martyres coronatos scripsit Eulogius.

Caput decimumtertium.

CVm adhuc.) Notat hic quoque modicum temporis interuallum. Et nullus equidem dies in- 1 tercessit.

Parapanda.) Ignotus nunc vicus. 2

Fanum illud.) Templum hoc Cordubense intelligit Arabicæ structuræ, quod hodie perdurat, ma- 3 iorisque ecclesiæ dignitatem obtinet: & sua magnitudine, columnarum multitudine, marmorum præstantia, operis subtilitate, & multis aliis sui partibus admirationem, atque adeo stuporem spectantibus præbet. Iam enim fuerat ædificatum ab rege Habdarrahgman secundo, & Issen eius filio. Authores sunt Rasis & Rudericus Toletanus antistes in Arabum historia.

Templum Cordubense.

Decimosexto Cal.) Insequenti post Emilam & Hieremiam die hi martyres perimuntur: quos 4 nullum breuiarium commemorat.

Caput decimumquartum.

TVnc iam proculdubio.) Aut significat neminem deinceps tam ex Christianis, quam ex Sar- 1 racenis ausum fuisse non deferre ad iudices quemcunque audisset pseudoprophetæ Mahometo maledicentem: aut certe permissum Sarracenis fuisse, vt quem Christianum ita maledicentem audirent, ipsi protinus, non expectata publica damnatione, impune interimerent.

Quod quibusdam.) Docent ad hunc modum sacri Theologi martyrium donum Dei esse, qui- 2 busdam peculiariter à Deo tributum. Illud autem est animaduertendum diuersam hanc esse ecclesiæ Hispanorum persequutionem, ab illa Cordubensi, in qua captus est diuus Eulogius. Tempora id docent euidenter. Et libri primi cap. primo nos exquisitius docuimus.

Caput decimumquintum.

NObiscum vel fugere.) Hoc namque erat imbecillioribus, & qui martyrio impares erant, per- 1 missum diuinæ legis indulgentia.

Plurimi etiam.) Contra hos tum primo libro, tum etiam in Apologetico diuus Eulogius fusius 2 disputat.

Nos quoque authores.) Hanc grauissimam insectationem pertulit diuus Eulogius, quasi futu- 3 ri martyrij præludium. Vt non subito gladij ictu tantummodo mactaretur: sed carnifices quoque eius ipsi Christiani, ipsi fratres existerent, quotidiano conuicio illum proscindentes.

Præsenti concilio Episcoporum.) In tanta calamitate, & dira Ecclesiæ persequutione conue- 4 nerant prælati, vt de remedio, si possent, quoquo modo prouiderent. Et Rex etiam iusserat vndique metropolitanos, quod mox apparet, conuenire. Nationale ergo, vti vocant, concilium hoc fuit: nisi conciliabulum tali authore congregante malis appellare. De hoc exceptore postea lib. 3. cap. 3.

Concilium Cordubense.

Inhibitum esse martyrium.) Hæc quæ sequuntur, ad finem vsque periodi decretum ab concilio 5 editum continent, subobscure tamen. Consilium enim præsulum in concilio fuit, (vt misere laboranti & periclitanti ecclesiæ hac ratione prospicerent) edicere quidem & præcipere, quod regi, quod proceribus placere posset leuiter intuentibus. Cæterum cum vererentur quippiam, quod Dei summi maiestatem & Christianam religionem offenderet, constituere: ita decreti verba attemperarunt, & consulto quasi fabrefecerunt: vt nihil impium, si quis penitius rimaretur, assererent. Hoc est quod in sequentibus prosequitur diuus Eulogius. Et multo quidem erant omnia in exemplari obscuriora: & quæ multo cum labore, adhibito etiam sapientissimorum hominum iudicio & lima, fuerunt dilucidiora aliquanto, vna, aut altera voce tantummodo adiecta, reddenda.

Inculpabile.) Hoc est culpa prorsus non caruit. Sententiam enim suam iam hic profert diuus 6 Eulogius. Et de hoc ipso edicto libellis etiam & schedis euulgato loquutus videtur libro primo ad finem.

Quanquam manifestum est de altera diuersa ab hac Sarracenorum perturbatione initio libri huius capite primo scribere: vt ipsius sancti verba tum hoc, tum etiam illo loco, & initio septimi capitis aperte declarant.

7 Quinimo nisi legitima satisfactione.) *Hoc ait. Necesse fuit profecto imbecillibus satisfacere: ne edicto scandalizarentur, si forte id tantummodo, quod ab Sarracenis volebat concilium intelligi, ipsi etiam intelligerent. Oportuit ergo, vt iis, imbecillibus inquam & pusillis, satisfieret: tum legitima interpretatione ad eos & propter eos adhibita, tum etiam causis explicatis, quæ ad eum modum edictum conformare compulissent.*

¶ Caput decimumsextum.

1 DEnuo pontifex.) *Cordubensem Episcopum intelligo, quem nusquam proprio nomine designat. Apparet autem iterum antea hunc ipsum præsulem in vincula fuisse coniectum: Reccaffredi tumultu, vt ego existimo.*

2 Ingredi foris.) *Hoc est, domi se continerent nobiles Christiani, pedem inde referre non audentes.*

3 Pendentia stipitibus.) *Quatuor martyrum Emilæ & Hieremiæ, Rogelli, & Serui Dei, qui postremi passi sunt, intelligi necesse est. Cæterorum namque, vt ex superioribus liquet, non supererant, exusta partim, partim sepulta. Quod ad sequentem temporis peruestigationem hic iam annotasse oportuit.*

4 Nos autem.) *Hinc apparet diuum Eulogium, hunc librum secundum hoc ipso tempore, quo Mahomad regnare cœpit, scripsisse. Nondum enim sequentia, quæ tertio libro prosequitur, gesta fuerant. Quod plenius etiam superaddita hoc loco oratio demonstrat: in qua præterea latere se dicit, cum scriberet.*

¶ In orationem.

MOs *fuit ab Gothorum temporibus ductus, vt Hispani scriptores, opera sua oratione ad Deum fusa, aut inciperent, aut clauderent. Id in diui Illefonsi opere de laude virginitatis sacratissimæ Virginis Mariæ, & in sancti Iuliani Archiepiscopi Toletani libris apparet.*

DIVI EVLOGII CORDVBENSIS, MARTYRIS, DOCTORIS, ET ELECTI ARCHIEPISCOPI TOLETANI, MEMORIALIS SANCTORVM, Liber Tertius.

PRAEFATIO.



Vm igitur præcedentium voluminum series affatim impiorum crudelitatem, quæ diu inexpugnabilium virorum constantiam, enisa est fatigare, digesserit, veroque assertionis gressu ortus, ætates, actusque belligeros percurrat Sanctorum: plus aliquid reor sæuitiæ in nos commissum tertius hic liber non sine ingenti vulnere pandet. Nec me quidem supercilio arrogandi hac occasione vti intendant, quod tantæ materiæ parui admodum, & (vt ita dixerim) vilissimi ingenioli fulcimen adhibuerim, aut forte non res veras nos elucubrasse condemnent. Qui eo intuitu operis huius concinnauimus structuram, quo nimirum omnia æquitate districti iudicis in futuro nouimus diiudicanda. Quem nec fallere abdita cogitationum, nec qualitas operum potest. Nam ego, qui scio suo quemque oneri coram Domino subiacere, cur propriis diu grauatam substantiam meam molibus, externo pondere deprimere vellem? aut quid commodi compicto mendacio mihi conferri sperarem, ex omni postmodum verbo rationem pensurus? Sed hinc agitatur tenuis scientiæ venulis mens contenta, quod rem, non dicam magni fluminis tantummodo, verumetiam immensi æquoris affluentia necessario irrigandam attentat: quæ vix paruissimi stillicidij sudorem irrorans, quasi quasdam coactitij, *Comparatio.* & extorti liquoris guttulas profluit. Nec ab re fessi viatoris comparatione impetiar, qui vigore virium eneruatus, sæpius in itinere sedens, eo vehementius conlassatur, quo crebrius per loca varia compausatur. Ita & nos, totius vbertatis expertes scientiæ, quasi

tiæ, quasi debilitato gradu per inuia loquutionis residemus, pigroque (vt ita dixerim) gressu vix opusculorum limitem contingentes, vbique finem loquendi optamus. Et tunc magis magisque debilis viator quassatur, cum se iam de peruentione itineris gaudere sperans, denuo ex improuiso emergere sibi adhuc inopinatum conficiendum cernit spatium. Vnde & nos, qui iam finisse opusculum credebamus, ac veluti procellosum mare in naufragio transmissum remigio lætabamur, & optati portus salui fruebamur quiete, nunc aliud fortuito contuemur superuenisse, quod operæpretium præmissis opusculis sit addendum. Tendimus igitur parcitatæ facundiæ coarctatis tendimus imminentium persequutionum casibus occupati: & quasi in contrarium vento surgente, in altum nos demum deuolutos pelagus, inhorrescimus. Confidimus autem eius nos incunctanter bonitatis iuuamine prosperari, qui dignos nos eorum visu, & amicitia diiudicauit, vt quorum fruebamur dulcedine, etiam trophæis imbueremur.

Initium regni Mahomad regis. Cap. I.

CÆterum, vt in fine secundi operis annotatum est, adepto Mahomad patris imperio, confestim in promptum odium contra nos prorumpens, ipso die, quo fascibus infulatus, solium regnaturus conscendit, Christianos omnes palatio abdicans, indignos aulæ principali ministerio promulgauit. Quos iterum post non longo interuallo sub tributario censu præscribens, plures præmio regali priuauit, qui dudum militaribus vescebantur annonis. Et quia scriptum est: Secundum iudicem populi, sic & ministri eius; ipsis per idem tempus gubernacula vrbis committit, qui consimili zelo controuersiæ aduersum Dei populum laborantes, eum vbique affligerent, euerterent, & opprimerent: vt non solum vatem suum nullatenus infamari præsumerent, verumetiam terroribus compulsi abominabilem confiterentur culturam. Sic quoque mœror importabilis & persequutio truculenta vndique nobis obuians, plerosque præuaricationis laqueo immergebat.

Christiani palatio eiecti.

Ecclesiast. 10.

Præuaricatio illius exceptoris, qui pridem sanctos anathematizari compulerat. Cap. II.

MVlti autem, sua se sponte à Christo diuertentes adhærebant iniquis, sectamque diaboli summo colebant affectu, sicuti ille spurius, & sanctorum benedictione indignus, de quo in libro secundo meminimus, agit. Qui sæcularis reuerentiæ pompam rebus præponens cœlestibus, inauditaque libidine pro Deo officium venerans, post biseno mense, quo sanctos anathematizari decreuerat, nosque fœdis conuitiis impetierat, honore deiectus est. Gratia itaque disertudinis linguæ Arabicæ, qua nimium præditus erat, solus è Christianis à consulibus in officio exceptoris detentus, post aliquos menses & palatio, & ministerio est abdicatus. Quod factum non leuiter ferens, cum se deiectum aspiceret, priuatumque tanta dignitate altius suspiraret, præstantius Deo mori, quam non viuere sæculo eligens, continuo fidem sanctæ Trinitatis spernens, cedit sectæ peruersitatis, & nequaquam se Christianum vult iam vltra videri. Quapropter in deteriora conuersus, qui nusquam simplicia meditatus fuerat, exul Christianis effectus, adunatus gentilibus, crebroque discursu illud impietatis delubrum, quasi vnus è ministris diaboli frequenter ingreditur, expulsus de templo Domini, quod dum adhuc fidelis existeret, sera ac pigra visitatione incoluit. Scriptum est enim: Non habitabit in medio domus meæ faciens superbiam, & qui iniqua loquitur, non direxit in conspectu oculorum meorum. Idem vero post negationem in honorem pristinum restitutus, palatio reformatur: quo pædica & hamus cæteros illiciendi existens, foret aliis in præuaricationis scandalum, qui causa gloriæ temporalis sibi fuerat laqueus.

Lib. 2. c. 15.

Exceptor impius Christum abnegat.

Psalm. 100.

Destructio basilicarum. Cap. III.

INterea cum ſæpius contra Dei cateruam ſæua principis conſpiratio inoleſceret, affligeretque vbique Chriſticolas, & nec ſic omnes generali dilapſu, vt fidebat ad ritum ſuum prorueřent, iubet eccleſias nuper ſtructas diruere, & quicquid nouo cultu in antiquis baſilicis ſplendebat, fueratque temporibus Arabum rudi formatione adiectum elidere. Qua occaſione ſatrapæ tenebrarum inde capta, etiam ea templorum culmina ſubruunt, quæ à tempore pacis ſtudio & induſtria patrum erecta, pene trecentorum, à diebus conditionis ſuæ numerum excedebant annorum.

De ſeditione prouinciarum. Cap. IV.

1 ET quia vndique dibellionum inſurgentia bella magnam ei moleſtiam inferebant, (nam libere in cunctis Hiſpaniæ vrbibus, quas vigore poteſtatis, & egregij potentia intellectus, largoque munere præmiorum pater ſuus acquirendo domauerat, & obſederat, hic priuilegium dominandi gerebat)

2 Præſertim cum & ex aliquibus locis cæſum & fugatum exercitum ſuum cernens, vbique imminui, vbique ſe gemeret in deteriora conuerti. Iccirco contra nos diu meditatum in futurum differebat perditionis interitum, tardoque ac pigro impetu eccleſiarum operabatur ruinas. Nam nullos credo Chriſtianorum (niſi iſta difficultatis obſtarent repagula) ſecum pateretur morari. Quinimo, vt iam alibi præmiſſum eſt, ſi commodam regnandi haberet licentiam, Iudæos etiam à ſe repelli compelleret. Quo ſolius gentis ſuæ comitatu vallatus, his præeſſe ſolummodo mereretur, cum quibus inextricabilia æterni barathri lueret tormenta, nec alterius diuerſitate religionis vnitas damnabilis culturæ ſcinderetur. Ex qua, Deo vocante, & per ſplendentia fidei ſanctæ myſteria compungente, plures admodum recedentes, & pietati adhærentes, mortemq; ſpe firmiori propter Chriſtum excipientes, idem ingemiſcebat: præter eos, qui nimia carnis impediti formidine, ardua cordis contritione Chriſto regi ſub clamide adhuc militant.

De odio ſuorum aduerſum regem, & de ipſius auaritia, & de tributis Chriſtianis impoſitis. Cap. V.

CVmque Eccleſiam Dei flammis inuidiæ inurendo, interno cogitamine corroſus tabeſceret, & ſuorum pacem affectaret, hæc & huiuſmodi cõtra nos exercere diſponeret: in nullo tamen diuinam diſpenſationem humana procacitas præualet immutare. Quæ eum cunctis odibilem, vniuerſis exoſum, omnibuſq; execrabilem reddens, etiam domeſtico, & vt ferunt pellicum ſuarum odio, vel maledicto impetitur. Verum vt ſcriptum eſt: Rex iuſtus erigit terram, vir autem auarus deſtruit eam, hic idem inauditis cupiditatum faſcibus ardens, militum annonas demutilat: tribunorum coarctat donaria, lunaremque præmiorum diſcurſum imminuit. Et cum ſibi vilia admodum, & pene exigua à vicinioribus locis reddi vectigalia cerneret (quia videlicet, ſi culpa vulgi is ad ſceptrum Deo diſpenſante admotus eſt, tamen huius meritorum improbitate vrbes ac nationes in ſtimulum recalcitrationis inductæ, non ad integrum tributis prouinciarum eum perfrui patiuntur) ideo in nos arma diſtrictionis conuertens, & vt lutum platearum dominij planctu contribulat: quorundam Chriſtianorum eius optioni fauente nequitia, (ſi tamen Chriſtiani, & non magis operarij iniquitatis appellandi ſint) qui vt priuilegium chirographa exigendi obtineant, ſortem Domini fideliumque conuentum ſuo vadimonio vel crimine à rege mercantes, importabili cenſus onere colla aggrauant miſerorum, quotidie plebem Domini peſſimantes. Illa proculdubio plectendi in futurum ſententia, quæ talium condemnans exceſſus, ait: Et qui peſſimant plebem tuam, inueniant perditionem. Quibus vtique ſecundum veritatis edictum felicius erat grauatis molarum põdere collibus profundo mergi, quam tanto puſillanimes perturbari ſcandalo, aut tantam vim gregi paruo inferre, cui patri dare regnum complacuit. In quorum con-

Marginal notes: Prouerb. 29. — 1 (beside "nonas demutilat") — Chriſtiani quidã Chriſtianorum perſequutores. — 2 (beside "tidie plebem Domini") — Eccleſ. 36. — Matthæi 18. — Lucæ 12.

rum conſpectu Deus non eſt, & à quorum intuitu iudicia Dei ſublata ſunt. Semper inuidi, ſemper iniqui, vbique malitioſi, in alterutrum iracundi, in aliorum euerſione pacifici, in confœderationibus infidi, in conſpirationibus conciti, in circumuetione verſuti, in apparatu noxietatis aptiſſimi. Pro ſe inuicem diſparati, ad perdendum cæteros adunati, ad decipiendum excitati, ad miſerendum pigri. In inceſſu tumidi, in aſſertione ſuperbi, in promiſſione dubij, in datione auari, in largitione parci, in acceptione auidi. Id promittentes, quod dari nequeat, id conferentes, quo frui non liceat. Qui non dormiunt, niſi malefecerint, & conſurgere ad iniquitatem feſtinant. Qui lætantur, cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis. Et cum ſe Chriſtianos eſſe pronuntient, Chriſtum quotidie in membris eius crucifigunt, Iudæ proditoris documenta ſectantes, qui præceptorem venaliter diſtrahendo, pecunias crucifigens, ſibi quidem laqueum perditionis effodit, mundo autem libertatem debitam contulit. Hi vero ſe eidem incorporantes, cum redemptos eius crudeli accuſatione affligunt, & (quod non ſine graui cordis mei vulnere profero) quos tueri debuerāt, quia ſumus inuicem membra Chriſti, eum (proh dolor) negare compellunt.

Prouerb. 2.

De inſultatione Procerum contra martyres. Cap. VI.

HIs interim imminentibus malis, & huiuſcemodi ærumnis Eccleſia vapulante, ferunt ob hoc regem ingenti crapulatum lætitia, ampliora fidelibus ſcandala irrogaturum ſe promittere: &, vt alibi taxatum eſt, dira incurſatione, moleſtiaq́; contriturum, ſi commodum regnandi ſucceſſum diutius obtineret: adeo vt plerique procerum olim decedentium martyrum ſubſannantes conſtantiam, nobis referrent: quo nunc abiit illa veſtrorum virtus agoniſtarum? quo aufugit magnanimitas? qua abſorpta temeritas deliteſcit? vbi ſe eneruata fortitudo abduxit? qui dudum cōcitis greſſibus certatim ad expugnandum dogmatiſtem noſtrum occurrentes, debita vltione perempti ſunt? Nunc adſint, nunc veniant, modo properent, ſi diuinitus inſpirati illud in veritate conſeruant certamen.

Cap. primo.

De Fandila martyre. Cap. VII.

DVm ergo in nos huiuſcemodi irriſionibus inſultarent, & hoc deludio noſtram pene conſummatam cladibus fatigarent miſeriam: adoleſcens quidam Fandila ephebus, aſpectu decorus, honeſtate vitæ probabilis ſanctus, & timoratus presbyter inter has cędes, ſæuaq́; diſcrimina, oſtium aditumq́; primus exercendi martyrium ſub huius tyranni priuilegio *patefecit. Hic itaque ex vrbe Accitana progenitus Cordubam diſcendi gratia veniens totam pene pubertatem ibidem ſub pædagogi traditione peragens, confeſtim vt adoleſcentiam adiit, monaſtica oblectatus conuerſatione, illico monachis ſe Deo iugiter militaturus admiſcuit. Qui aliquibus locis peragratis ac demutatis, in quibus ardens deuota mens requieſcere non poterat, vltimo ſe in Tabanenſe cœnobium contulit. Ibi aliquandiu ſub regulari diſciplina, vel regimine Abbatis Martini demorans, perfectius in timore Domini claruit. Et quoniam ſummæ humilitatis magnæque obedientiæ erat, iccirco gratia ſanctitatis, qua cœlitus refulgebat, diu implorantibus ac rogantibus monachis cœnobij ſancti Saluatoris, quod haud procul à ciuitate Cordubæ in parte Septentrionis ad radicem mellaris pinaculi ſitum eſt, ad officium ſacerdotale prælectus inuite, & (vt ita dixerim) violenter inſtantia vel præiudicio Abbatis ſui ſanctum miniſterium ſuſcipit, & nihilominus ieiuniorum, vigiliarum, orationumque ſolito propenſius labores adaugens, ambulat de virtute in virtutem, viſurus Dominum in Sion ſcalis meritorum euectus. Cuius venerabilem vitam, cunctiſque neceſſario imitabilem conuerſationem, cum affatim digno laudum præconio eorundem fratrum atque ſororum, quibus præerat, relatione pandatur, eo tamen magnificentius declaratur, quo florentiſſimam iuuentutem animo robuſtiore tranſgrediens, gladio martyriali non cunctatus fuerit ſubdere. Igitur comitante ipſum perfectione timoris Domini, cum omnia terrena deſpiciens mentem cœlo ſuſpenderet, cuperetque diſſolui melius, & cum CHRISTO manere, quam rebus hærere caducis, quodam die obfirmato vultu iudici aſtans, prædicat Euangelium, impudicum exprobrat vatem; cætumque

** regno, aut imperio, sup. 1*

Accitana vrbs.

Tabanenſe cœnobium. 2

Abbas Martinus.

Sancti Saluatoris monaſterium.

Pinna Mellaria.

Pſalm. 83.


noxiæ combinatum culturæ pædoribus (nisi resipiscens pietatis fidem apprehendat) vltricibus luiturum pœnarum incendiis protestatur. Hinc carcere trusus, & vinculis coarctatus, latronum mansionibus alligatur, principali postmodum sententia decollandus. Quod factum iudex regio intimari auditui non differens, accenditur igne furoris immensi, & quodam hebetatus horrore miratur stupidus, quæ esset illa victrix audacia, quæ tantæ gloriæ non expauerit regem, tamque sublime vanitate & superbia caput, atque (vt se putabat) super omnia excellens talibus non reuerentiæ ausibus propulsaret.

Episcopus Cordubensis in carcerem duci iubetur causa edicti violati, de quo sup. lib. 2. cap. 15. Graue Christianorum periculum.

Quamobrem eodem momento sub voce terribili episcopum comprehendi decernit. Sed ipse fugæ præuentus remedio saluatur. Nam ferunt iam tunc eum nulla intercedente dilatione punire decreuerat. Iusserat etiam omnes Christianos generali sententia perdere, fœminasq; publico distractu dispergere, præter eos qui spreta religione ad cultum suum diuerterent. Et nisi hoc edictum consultu satrapum quassaretur, qui pro eo quod nullus sapiens, nemo vrbanus, nullusq; procerum Christianorum huiuscemodi rem perpetrasset, iccirco non debere vniuersos perimere asserebant, quos non præit personalis dux ad prælium. Et hinc credo iam funditus Chri-
3 stianismum nostrum partim gladio, partim præuaricatione extingueret. Fortissimum vero athletam gladio interficiens patibulo vltra amnem suspendi præcepit.

Gesta Anastasii, Felicis, & Dignæ martyrum. Cap. VIII.

Sancti Acisceli basilica.

1 Vem sequens alio die Anastasius presbyter, qui ab ineunte ætate apud basilicam sancti Acisceli Cordubensis disciplinis, & literis eruditus vsque ad plenam iuuentutem ibidem in diaconatus officio degens, post monastica
2 vita, qua dudum fuerat spreto ministerio oblectatus incenibus egerat, de-
3 mum sacerdotio applicatur. Concito gressu palatium petens adstat consulibus, hostemq; fidei veridicis assertionum stimulis feriens gladio confestim abscissus suspenditur. Cum quo & Felix monachus ex oppido Complutensi progenitus natione Ge-
4 tulus, & quadam occasione in Asturias deuolutus, vbi & fidem Catholicam, & religio-
5 nem monasticam didicit, eodem die hac professione decissus affigitur.

Oppidum Complutense. Asturia.

Cvm qve dies illa maximum cursus sui explens metabulum, iam pene in ho-
6 ram nonam diuergeret: virgo quædam adolescentula merito, & nomine Digna, ex collegio venerabilis Elisabeth, cuius rationem liber secundus edisserit, Deo reuelante & confortante ad palmam processit. Paulò namque ante martyrium suum assistere sibi per somnium videt puellam habitu & specie percomptam angelico, rosas ac lilia manu gestantem. Quam cum de nomine, causaque sui exploraret aduentus. Ego sum (inquit) Agatha, olim propter Christum diris attrita suppliciis, & nunc veni partem tibi purpurei muneris huius conferre. Accipe libens donarium, & viriliter age in Domino, nam reliquias rosarum & liliorum, quas in manibus seruo, post te ex hoc loco datura sum migraturis. Tali denique virgo sacratissima visu ac munere illustrata, cum è dextera colloquentis rosam susciperet, auris admixta cœlestibus ab oculis intuentis eleuabatur. Hæc autem puella cum pro summa humilitate, atque obedientia inter conuirginales vltima se iudicaret, essetq; incomparabili apparatu obsecundatrix, nun-
7 quam tamen appellari se Dignam patiebatur, dicebatque cum lachrymis: Nolite me Dignam vocare, sed magis indignam, quia cuius meriti sum etiam nomine debeo insigniri. Et cum à die reuelationis suæ amore compuncta martyrij tacito cogitamine, quibus ad id posset indiciis aspirare, sæpius ruminare cœpisset, fit affatim lætior horum instructa martyrio, quo quasi his præcedentibus hæc firmiori gressu succederet ad coronam. Ideoque apertis silenter cœnobij claustris, cum iam beatos pendere comperisset martyres: concito gradu iudicem petens cur fratres suos præcones iustitiæ trucidauerit assertione intrepida percontatur. An quia (inquit) Dei cultores existimus, sanctamq; fideliter colimus Trinitatē Patrem, & Filium, & Spiritū sanctum vnum, & verum Deum fatentes, & omne q; ab hac credulitate dissentit, non solū negamus, verumetiam detestamur, maledicimus, & cōfundimus, idcirco confodimur? Hæc & his similia sancto, & immaculato ore disserēte puella, nihil cunctatus arbiter lictoribus decollandam cōmittit, qui mox delicatis inferunt iugulum collibus. Nec mora consternatis corruens membris equuleo deorsum versa suspenditur, cęterisq; trans flumen adsciscitur. Hoc namq; ordine hi tres vocati, Anastasius scilicet presbyter, Felix monachus, & Digna virgo beata eodem die dispariter ceciderunt, 18. Calendas Iulij, Era DCCCXCI.

Elisabeth Abbatissa. Agatha Digna apparuit. Digna humilitas. Anno Domini DCCCLIII. dies Iunij 14.

Benildis

Benildis matrona martyr. Cap. IX.

Enique hos sequens Benildis, fœmina ætate iam prouecta, & vt ferunt non †medie timorata, sub professione cæterorum occubuit 17. Calendas Iulij, Era qua supra. Quorum cadauera post aliquot dies ingenti concremata incendio, ad vltimum fluuij proiectu dispersa sunt. *pro, mediocriter* 1 *Annus Domini Decc. lij. dies Iunij 15.*

Sancta Columba martyr. Cap. X.

Ogimur vel numerositate certantium, vel debita sponsione votorum, in longam dictionis seriem stylum protendere. Hinc est quod, vltra quam putabamus, in magnum codicem materies aucta opusculi, pene modum mediocritatis excesserit. Quia post tot funera, & importabilium ærumnarum discrimina, nullum prorsus talia opinaremur aggressurum. Nos tamen ab inchoatis nullatenus reticemus, quo cunctorum rationes, vt promisimus, enarremus.

INTEREA fuit virgo quædam nobilis & decora Columba nomine, ex oppido Cordubensi progenita, præfati Abbatis Martini, & Elisabeth, de quibus in præcedentibus memorauimus, soror. *Martinus & Elisabeth.* Quæ cum inter bona parentum tenerrime in annis puellaribus degens propositum Elisabeth sororis suæ, quod cum viro suo Hieremia, adhuc *1 Hieremias martyr.* vulgo admixti gerebant; agnosceret, qui longe antequam monasterium peterent, multis se Christo religionibus inter conuentus populi consecrarunt: persæpe genitorum relicto consortio, domum sororis frequentius visitans, talibus se consignandam votis exoptat, anhelaque huius propositi verna cupit existere. Confestim itaque terrena omnia spernere desiderat: 2 sed aduersatur puellæ intentioni genitrix repugnatura. Quæ etiam contra sobolem Elisabeth eiusque virum fœdis iracundiæ motibus excitata, grauiter conqueritur, quod ita adolescentis illiceret animum: quod sicut se, & istam disperderet, mundumq; flore suo vernantem dissipato matrimonio relinquentes, in solatio exterorum id cuperent congerere.

INTER hanc autem conflictationem (vt vulgi mos est) disquiritur ad copulam nuptialem puella: crebrisque interpellationibus sæcularitate inuoluere exoptant, cœlestium thalamorum nuptiis diuinitus assignatam. Et cum nec illa consentiret, nec mater desisteret, quo nihilominus nuptui traderetur: ipsa mater (Dei prouidentia) ex improuiso molestia ægritudinis occupata, sub celeri vocatione mundo exempta recessit. Remanet Dei famula, non tam matris obitu contristata, quam lætior gratia suæ deuotionis sine cuiusquam præiudicio adimplendæ.

VERVM nonnullo tempore in sancta religione apud vrbem vtrisque sororibus versantibus, continuo expleto iam propriis (vt diximus) sumptibus Tabanensi cœnobio, eo se viri cum mulieribus Christo militaturi conferunt. *Tabanense monasterium.* Ibi sancta virgo, terrenis se exuens, hæret cœlestibus, & mentem ad studium scripturarum conuertens, fit admodum eruditior inuestigandi, ac differendi sententiarum obscura. Crescit beatæ virginis sanctimonia, & late diffusa cœnobij fama, etiam procul sitarum ad se vrbium discursus inuitat, quo talium exemplorum magisteriis imbuerentur. Hæc autem virgo, sub fratris sui Martini, & Elisabeth regimine manens, præcellit meritis, & gratia honestatis omnibus præit. *Martinus & Elisabeth.* In conuersatione laudabilis, in humilitate sublimis, in castitate perfecta, in charitate firma, in exorando attenta, ad obediendum apta, ad miserandum clemens, ad indulgendum facilis, ad prædicandum diserta, ad instruendum prompta. *Sancta Columba laus.* His quoque virtutibus clarens cunctorum in se prouocabat affectum, omnibus norma speculumq; sanctitatis existens. Et quia crebro aduersarij tentationibus propulsabatur, ideo frequentioribus se coram Domino flectibus mactat: verens ne diu congesta laborum vilissimi prædonis irruptione perirent. Hinc ad maiorem sanctitatis cautelam erigitur, metuque hostis adacta, solertius ad summam virtutum districtiori vita contendit. Hanc sæpe ægrimoniis tentator macerat, immittit fastidium, speciem virorum prætendit, longum astruit victum, diuersisq; fatigat phantasiis. Quibus horribili metu compulsa luget immaniter, ne lapsu mortis à consortio dirimatur sponsi, cuius tanto se ardore charitatis asserebat interitus esse conflagratam, vt quasi excisæ carnis cicatrice pro eius desiderio mente vulnerata existens, nisi solo eius intuitu in cœlis nullo modo se perhibebat posse sanare. Nullum vnquam peccatorem quamuis gra-

uioribus oppressum peccatis sermone suo læsit, de nullius actibus iudicauit, de nullius desperauit salute, nec quemquam licet fœdis infamatum despexit rumoribus. Scio (referebat) versutias dæmonum, scio insolentias hominum, qui interdum ipsum maledictionis subsannatione impetunt, quem probatum dignioribus meritis habet omnipotens. Multa sunt enim iudicio condemnata humano, quæ diuino sunt probata, & sanctificata consilio. Et plerumque opinationibus suis transgrediuntur homines diuinam sententiam: dum cuius meriti apud illum quisque permaneat, nesciant. Et tamen iam quasi præsagi occultorum, vel dignum prædicent, vel reprobum infament. Cum vtique inculpabilius, si ad se reuerterent, iudicarent: etsi quanto, vel quali oneri vnusquisque subiaceat, vel quo sit debito reus intenderent, nullatenus culpabiliter de incognitis disputarent. Sed agunt nonnulli hæc, quo in veritate exprobratio diuina contra nos olim prolata firmetur, quæ ait: Attendite, & auscultate. Nemo quod bonum est loquitur, nullus est, qui agat pœnitentiam propter peccatum suum, dicens: Quid feci? Qui proprij facinoris trabe neglecta, de festucis aliorum solliciti permanentes, quod leui susurrationis aure captauerint, verum nihilominus, & nullatenus incredibile esse affirmant. Numquam autem virgo clementissima sine causa iram admouit, nisi cum forte aut infantulis, aut aliquam è sororibus negligentem aspiceret, quas solo intuitu oculorum redarguebat humiliter. Numquam aliquando in cuiusquam prorupit contumeliam, nunquam os eius vaniloquio est occupatum, nusquam aniles & otiosas fabulas suis passa est admitti auditibus. Christum corde, Christum ore sæpius meditans, illam frequentius cum omni affectu canebat antiphonam, quam in laudem Sanctorum beati patres suaui cantu aptauerunt, Aperi mihi Domine Paradisi ianuam, vt ad illam patriam reuertar, vbi mors non est, vbi dulce gaudium perseuerat. Cum his colloqui delectabatur, quorum mens spiritali virtute succincta, mortificata cum vitiis, & concupiscentiis membra gerebant, nec cuiquam se, nisi forte spiritualibus viris, & id perrarum, ac serius visendi præstabat accessum. Quia claustra fœminarum à cellulis monachorum altis interiectis disparata maceriis, licet vnius patris gubernaculo regerentur, hæ tamen sequestratis se mansiunculis retrudētes, nulli omnino contuendi se facultatem præbebant. Sed, si subinde aut fratribus congrua instaret necessitas, aut hospitum pia impetraret humanitas, sola venerabilis Elisabeth per fenestram se exhibebat cernendam, quæ prior, & totius erat mater vera monasterij.

Hierem. 8.

Elisabeth prior inter religiosas vocata tam tempore D. Eulogij.

Recludit se sancta Columba.

QVODAM igitur tempore petiit à consororibus Columba, vt inter ipsa claustra in quodam angulo cellula sibi daretur, quo secum sola demorans immunis à cæterarum strepitu fieret. Annuunt pro rogatu sanctæ sorores, præbentque adminiculum suo consensu augendi virginis sanctitatem, quæ aliquam etiam inde percipere confidebant mercedem. Vt enim præmio dignum est sanctæ conuersationis studium, ita & erga pie viuentes religiosus affectus. Nec distat à factis bona consensio, quæ non virtute animi, sed virium quassatur defectu: vt cum forte non fuerit vigor corporis talia exercendi, sit mentis intentio similibus delectandi. Communia sunt enim operis sancti commercia, & eo fiunt Christo gratissima, quo simpliciter in charitate perfecta ad nostrum referimus commodum fraternæ sanctitatis studium.

DENIQVE indepta benedictione sororum, exors omni cœnobialium actione curarum virgo venerabilis, in contemplatione Dei, & meditatione scripturarum multum temporis perseuerans, post crebra suspiria, & fletus immensos, in quibus speciali munere supra plurimos cœlitus eminebat, denuo ad instruendos diuinis pastibus conuirginalium animos reuertitur ad cœtum. Ferunt namque illam persæpe ternas, & quaternas horas, necnon vsque in medium diem in oratione decumbere, & cum nulla resonarent suspiria, nulloque singultu membra incuterentur, in magno tamen silentio
5 fletum promebat. Adeo vt subtus matta, in qua illa prostrato corpore exorabat, humectum lachrymis pauimentum ostenderetur. Maximum etiam in obsecrationibus stando expendens curriculum, in tantam subito ferebatur theoriam, vt geminatus ex
4 vtroque oculo riuulus lachrymarum ad mentum descendens, in vnum cōuersus meatum, crebra stillatione guttatim quasi è tecto in humum influeret.

Tabanensis cœnobij euersio.

INTEREA, cum furor persequutionis, qui in excidium ecclesiarum fremebat, hanc fœminarum collectam vrbi admoueret, in prædiolum, quod dudum sibi in confi-
5 nio basilicæ sancti Cypriani extruxerant, sese conferunt retrudendæ. Hic iam constituta beatissima virgo incomparabiliter flebat, lugebatque vbertim, & suam quietem, quam gerebat in montibus, & tumultus quos in vrbe incurrerat. Semper tamen, &
3 corde & lingua clamabat: Tu nosti Domine, quia diem hominis non concupiui super terram,

Basilica S. Cypriani. Tebia.

terram. Semper prædicabat, semper orabat, semper psalmos canebat, semper in ore eius laus, & benedictio Domini resonabat. Et quia virginum mansio præfati sanctuarij parietibus cohærebat, tantúmque obiectu maceriæ à vestibulo altaris dirimebatur, si quem forte cantum sanctorum laudibus resonantem per natalitia martyrum audisset à clericis psallentibus, confestim quadam iucunditate cœlestium desideriorum compuncta prorumpebat in lachrymas: vt non minus illam introrsus crederes proclamare: Sitiuit anima mea ad Deum viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei, fuerunt mihi lachrymæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus. *Psalm. 41.* Ipsis etenim nexibus corporis, quibus in hac peregrinatione mens sancti cuiusque retenta, ab illa ineffabili claritate sanctorum cum magna supernorum desideriorum siti exusta se iungitur, velut obstantibus murorum repagulis ne ad ciuitatem viuentium concito, quo vult, gressu pertingat: quasi è regione onus membrorum sibi credens resistere plorat & dicit: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, *Ibidem.* dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus. Cum illo vtique esse desiderat, cum quo Apostolus resoluta iam mortalitate cupiens permanere, dicebat: dissolui & esse cum *Philip. 1.* Christo melius est.

VERVM indesinenter his votis sancta Columba insistens, cum plus aliquid, vt reor, in semetipsam cruciatus, ipsa inferret, quam furens imploderet carnifex, vigiliarum, ieiuniorum, atque orationum scilicet continuando labores: quasi parua essent ista omnia, proprio & vltroneo in se voto illata tormenta, velut de suis etiam meritis, etsi maiora exerceret, non confidebat. Ac metuens ne centesimum virginitatis suæ fructum vacuum apud patrem commodi reperiret: ad ineffabile martyrij indubia lucrum aspirat, quod peccatores etiam directo tramite in regnum mittit cœlorum, dicente Euangelio: Regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. *Matth. 11.* Hinc iam ardentius in amore Christi succensa, concitis ad eum gressibus, cui fideliter seruierat, anhelans peruenire, quibusdam etiam reuelationibus ad id frequenter impulsa: *Sancta Columba ad martyrium properat.* quodam die irrupto latibulo, reseratis tacite foribus in forum digrediens, licet † incognita viarum vrbis existeret, prouido tamen exploratu, quo iudex moraretur, addiscit. *(pro, ignara)* Ibi cum peruenisset, eiusque astaret obtutibus, dat professionem Catholicæ fidei, profert euangelicam veritatem, iniquum dogma retundit, auctoremque magni esse sceleris talia præsumentem annuncians, ipsum denuo arbitrum quare se talibus sacrilegiis combinaret, blandis admodum verbis hortatur. Cuius speciem verbaque miratus, illico eam in palatium ducens, satrapum concilio repræsentat, ibi adhuc profitetur, prædicat, admonet, omnes suæ potius debere saluti consulere, quam vanis insistere deceptionibus, quibus eam transuertere conabantur. Dicebat etiam, non talem Christus habet sponsam, quæ immutari de pristina compactione arrarum eius præualeat. Nam quis ditior illo est, vt vos me copiis rerum credatis illicere? *Psalm. 44.* Quis pulchrior eo est, cuius speciei forma præ filiis hominum claret, vt vos me nuptu terreno arbitremini oblectandam? Quis cultus vel secta euangelicæ fidei veritate sanctior est, quæ per totum orbem Apostolorum vocibus promulgata, æternæ spei credentibus præmium repromittens, omne prophetismum, quod ab illa dissentit, anathema esse in veritate non dubium est. Quamobrem relicta vanitate, verum euangelij ducem requirite, quo melius filij lucis, quam genimina tenebrarum, mortisq; soboles appellemini. Ille etenim dixit: Qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, & omnis qui viuit, *Ioan. 8.* & credit in me, non morietur in æternum.

IGITVR cum fortissimam virginis constantiam consules vniuersi aduerterent, & neque immutari posse talibus imbutam oraculis cernerent, neque hortatum assertionis eius ferre valerent; continuo ante fores palatij eam trucidari præcipiunt. Quam 6 *Sancta Columba iugulatur.* cum summa reuerentia foro constituentes, non se prius decollari permisit, quam præ- 7 mio lictorem virgo sacratissima honoraret. Sicque pronior ceruicem inclinans, in 8 lapsu iuguli delicatum corpus sternitur. Nec mora, vt erat lineis indutum, cadauer sporta immissum alueo proiici principes mandauerunt, nec sicut cætera occisorum cadauera, aut pro foribus neglexerunt, aut equuleo suspenderunt 15. Calend. Octob. *Anno Domini DCCCLIIJ. dies Septembris 17.* Era DCCCXCI. Quod post sextum diem illæsum & integrum quorundam solertia monachorum diuinitus nobis allatum est, dignoque officio in basilica sanctæ Eulaliæ virginis & martyris, quæ in vico Fragellas constituta est, honorabilem meruit sepulturam. *Sancta Eulalia basilica.* Hoc nobis ad fidem de ea relatum est. Cæterum tu sacratissima, quæ vtiliter Ecclesiam Catholicam & viuens conuersationis exemplo, & moriens celso meritorum 9 10 instituis patrocinio: esto memor cultoris tui, erue me laqueis mundi, abstrahe pertur- *Fragellas vicus.*

bationibus sæculi, & confer post mortem requiem paradisi. Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui viuit cum patre & Spiritu sancto, vnus & immortalis Deus, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

¶ Pompa virgo & martyr. Cap. XI.



Monasteriū sancti Saluatoris.
Pinna Mellaria.
Fandila martyr.

IGitur cum ad multorum notitiam ipso die rumor consummati martyrij prædictæ virginis peruenisset, & non solum totam ciuitatem, verum etiā viciniora loca inserperet: virgo quædam venerabilis, nomine Pomposa, ex cœnobio S. Saluatoris, quod ad radicem Pinnæ Mellarisæ constitutum est, quo dudum se cum parentibus, fratribus & cognatis Christo militatura contulerat: ex quo antea beatissimus Fandila eiusdem loci sacerdos olim descenderat: mox vt il-
1 lud martyrium à dicentibus comperit, alio die cita occurrit. Hæc namque virgo beata
2 parentum, & propinquorum sanctam conuersationem, quam gerebant in Corduba (ex qua erant progeniti) cernens, confestim auida mente tali se voto assignans, cum his simul mundum spernit, labentia deserit, integritatem promittit, mansuraque perēniter toto nititur conatu appetere. Quapropter parentes eius, distracto patrimonio, præfatum cœnobium construentes in eo loco, qui ex eo quia ab antiquitus congestos

Pinna Mellaria vnde dicta.

3 in illa cęlsiori rupe apum industria fauos, qui vsque hodie permanent, maiores nostri viderunt, Pinna Mellaria vocatus est. Ibidem autem se ad exercitium vitæ monasticæ collocantes, tradunt beatam hanc virginem inter illum suorum conuentum pulchriorem gratia sanctitatis floruisse: & quæ vltimum per ætatem gradum tenebat, fit cæteris excellentiori culmine innocentiæ ac simplicitatis merito sublimata. Tantoque in scripturarum meditatione fortissima permanebat, vt si fieri posset, non diebus, non noctibus à lectione vacaret, nisi quarundam ingruentium tempestatum impediretur
4 procellis. Si quid forte ad suam exaggeratum sentiret iniuriam, illa quæ macte humilitatis gratia prominebat, cuncta patienti animo sustinebat. Instabat vigilijs, ieiunijs, & orationibus crebrius incubabat, quibus fauente Domino inuiolabiliter votum posset conseruare promissum. Plura sunt quæ de eius sanctitate referente nobis famulo Christi Felice monacho, eiusdem cœnobii Abbate, cognouimus, quæ obtentu euitandi fastidium relinquentes, ad illud, quod eam sine dubio cœlo præmisit, quam propere festinamus. Cum enim summæ sanctimoniæ studium gereret, seruiretque Deo fideliter, mox vt beatæ Columbæ martyrium comperit, illicò interius igne conflagrata martyrii, fit admodum lætior tali nuntio recreata. Et quibus ad id posset pertingere passibus, tacito & singulari cogitamine ruminat. Et ô miram vocationem Domini, & supernæ dispositionis aditum patefactum, quo nullus prædestinatus martyrij gloria defraudatur: quo nemo cœtui sanctorum ascriptus, humana potest illaqueatione teneri. Fuerūt namque quod multo satis ante hoc tempus hæc virgo ad martyrium conuolasset, nisi quibusdam suorum impediretur repagulis, qui eam, causa sæuientium persequutionū, alta seruabāt custodia. Sed quid in se potest habere custodiæ conditio miserabilis? quādo, sicut scriptum est, nisi Dominus custodierit, in vanum vigilant, qui humaniter se quippiam custodire arbitrantur. Etenim ipsa superueniente nocte, cōsummata in Dei laudibus nocturna vigilia, vnus è fratribus suis cęteris quiescendi gratia regredientibus ad cubile, quasi diuinitus moneretur, & certe non sine prouidentia Domini, arrepta claue, portam monasterij inconsuetus aperuit, minimoq; tātummodo clauo superposito retrusit. Ad quam illa silenter accedens, & clam ostium reserans, vadit per tene-
5 bras noctis cœlesti lumine illustrata. Totumque illud iter vasta horridum solitudine ante lucis crepusculum transiens, clarescente mane vrbem ingreditur, seseque obtutibus iudicis præsentari non differt. Ad quem sanctæ fidei rationem proponens, vatemque impudicum simplici exhortatione confundens, confestim ille gladio trucidandam decernit, sicque ante fores palatij constituta exempto capite consterna-
6 tur 13. Calend. Octob. Era Dccccxcj. Cuius cadauer in flumen proiicientes, quorundam
7 mercenariorum studio in quadam fouea congestum desuper multo puluere tumulatur. Ex quo iterum, Christo fauente, post dies pene viginti, industria quorundam monachorum inde abstractum, ad prædictum beatæ virginis Eulaliæ sanctuarium reportantes, digno ibidem sacerdotum & religiosorum ministerio, ad pedes sanctæ Columbæ humatum est. Quod nihilominus diuina credimus dispensatione peractum, vt quæ se in vita

Felix Abbas Pilæ Mellariensis.

Psal. 126.

Annus Dcccliij. dies Septemb. 16. S. Eulaliæ basilica.

se in vita sua tanta charitate dilexerant, morte etiam ab sepultura indiuisæ manerent, regnante domino Iesu Christo in secula seculorum.

Abundius Presbyter & Martyr. Cap. XII.

EX hoc autem tempore, decem mensibus interiectis, quidam presbyter Abundius nomine, de vico Ananellos, qui est in montana Cordubensi, exortus, ibidemque sacerdotium suum peragens, *ferunt*, quorundam commento, vel fraude gentilium, ad martyrium fuisse *pertractum*. Sed ille Dei famulus cùm se quadam vocatione in sacrificium verum cælitus aptari conspiceret, quo nolens ducebatur, grato animo adiit. Ac sic interrogatus à iudice, intrepida responsione rationem fidei pandes, vltimo scelerosum dogmatistem, eiusq; cultores veridicis assertionum obiectis inculcat. Ideoque sub celeri indignatione peremptus, canibus & bestiis deuorandus exponitur V. Idus Iulii. Era DCCCXCII.

Ananellos vicos. *Hæc Latinius emendada; aut legendum: fertur pertractus.* *Annus Domini 853. dies Iulii 11.*

Martyrium sanctorum Amatoris, Petri, & Hludouici. Cap. XIII.

SVCCEDENTI deniq; tempore, quidam presbyter adolescens, nomine Amator, qui olim ex oppido Tuccitano cum genitore & fratribus suis Cordubam discendi gratia aduentarat, & Petrus monachus, ac Hludouicus contribulis noster, & frater Pauli Diaconi, cuius Martyrium liber secundus exponit, ex ciuibus Cordubensibus orti, vno se fœdere colligantes, ad prædicandam Euangelicam veritatem aptarunt, ideoque celeriter sub præcedentium professione perempti sunt. II. Calen. Maias, Era DCCCXCIII. Quorum corpora fluuialibus immersa gurgitibus, Deo fautore, post aliquot dies littori exponuntur, & cùm penitus nullam suæ quietis sanctus sacerdos notitiam dederit, manent tamen cæteri sancti venerabiliter in præcognitis locis repositi. Nam beatus Petrus in Pinnæ Mellariensis cœnobio tumulatur, Hludouicus in vico Italicensis prouinciæ nomine Palma, quæ Singilio flumine præsidet, digniter requiescit.

Tucitanum oppidum. *Hludouicus Pauli martyris frater.* *Annus 855. dies Aprilis. 30.* *Pilemellariense Cœnobiũ Italicẽsis prouincia.* *Palma oppidum.*

De Witesindo Martyre. Cap. XIV.

EA tempestate Witesindus quidam vir ætate iam plenus, ex prouincia Egabrensi, qui nescio ob quam persequutionem dudum fidei sanctæ lapsum incurrerat, dum ad exercitium nuper indepti cultus adhortaretur, abnegat se eiusmodi sacrilegio manere infectum: quod vel carnis infirmitate, vel circunuentione diaboli, subito sibi susceptum est: Illo momento cum talia fateretur, sub celeri indignatione peremptus est, Era qua supra.

Egabrum. *Annus Domini 855.*

Heliæ presbyteri, Pauli, & Isidori monachorum Martyrum. Cap. XV.

PRÆTEREA Helias presbyter iam senex ex prouincia Lusitania, cum Paulo & Isidoro monachis adhuc iuuenili ætate florentibus, sub priorum professione perempti sunt XV. Calen. Maii, Era DCCCXCIV. Quorum corpora patibulis eleuata, post multos dies Bætico sinu conduntur.

Prouintia Lusitania. *Annus Domini 857 dies April. 17.*

De Argimiro Monacho, & Martyre. Cap. XVI.

INDE præterea Argimirus quidam Confessor vir nobilis & ætate iam plenus ex oppido Egabrensi cognationem ducebat, & quodam tempore Cordubæ patritiæ Censor à rege præfectus extiterat, cùm se motus ab administratione iudicii, otium cœnobii incoleret quietus, quorundam ethnicorum dolo vel odio circunuentus, accusatur coram iudice de subsanio vatis sui, & exprobratur de professione diuinitatis filii Dei, quodque isto omnipotentiorem nullum alium fateatur, & illum vanitatis auctorem, ducemque asserat perditorum. Continuo Dei seruus sub grandi & ferocissimo iudicis motu coniectus ergastulis, arctius coarctatur. Quem coram se post aliquot dies iubens adsistere, dum suis adhortationibus & *lenocinijs quoddam verborum*, profano ritui mancipare studet, nec præualet: pertinacem in sancto proposito militem Christi equuleo viuentem imposuit, ensequé transfossum peremit IV. Calendas Iulias, Era DCCCXCIV. Cuius corpus cùm post multos dies ex præcepto iudicis de patibulo deponeretur, cuiusdam religiosi solertia sancti Aciscli basilicæ deportatur, ac digno sacerdotum ministerio prope tumulum prædicti Martyris, & sancti Perfecti humatū est.

Egabrum. *Corduba patritia.* *Censoris munus.* *Forte; lenocinio quodã: aut lenocinijs quibusdã: aut lenocinijs quorundã verborum.* *Annus Domini 856. dies Iunii 28.* *Sancti Aciscli basilica.* *Sanctus Perfectus martyr.*

De Aurea virgine, & Martyre. Cap. XVII.

Adulphus & Ioannes Martyres. Cuteclarense monasterium.

EA tempestate virgo quædam nobilis, nomine Aurea, sanctorum Adulphi, & Ioannis Martyrum, de quibus in præcedentibus memorauimus, soror, quæ à tempore collisionis eorum deuotionis præmio fungebatur, cùm reuelatis sacræ religionis studiis in cœnobio Cuteclariensi, quod antiquitus sanctæ & gloriosæ virginis Mariæ nomini dedicatum est, cōmaneret per annos ferme triginta, & amplius, cunctis fidei suæ notitiam donans, nec vllis adumbrata pauoribus, conuersationem Christianismi sui patulo gerebat congressu. Et quia erat stemmatis ortu præcincta, grandique fastu Arabicæ traducis exornabatur, nullus exterorum virginis fidem incursare audebat, donec quidam suorum ex prouintia Hispalensi, vnde genus trahebat, diuinitus vt arbitror concitati, quo iam debita ante mundi constitutionem virgini corona martyrii pararetur, & præstantius in cælestibus de cōsummato lætaretur triumpho, causa explorandi ad se perlati rumoris fidem, ac propositum virginis venientes, callide contribulam suam gratia hospitandi sese inuisere mentiuntur. Quam non solum Christianam, verum etiam sacræ deuotionis insignitam stigmate contuentes, confestim de ea iudici referunt quæstionem. Qui & ipse iure natiuitatis eidem virgini concretis adhærebat prosapiis. Tali ergo stimulatus relatione, suis eam assistere iubens obtutibus, quare se tam nobiliter auctam famulatu fidei Christianæ degenerem reddiderit, vilique proposito tam præcelsi generis infecerit infulam clementi admodum exhortatu compellat. Sed poteris (inquit) quam propere totis absolui pædoribus, debitamq; interpolatæ originis recipere claritatem, si tui gerens consultum fidei nostræ cultibus intimis te votis admittendam elegeris, summisq; nobis affectibus parens, quod sequimur sequaris, & quo ducimur ire contenderis. Si verò & contemptos nos, & etiam quæ colimus abrogaueris, & illos quos hactenus æmulata es, intuitu fidei sectare decreueris: post varia diræ cruciationis tormenta, post multiplicium dolorum immensa supplicia, quæ merito tanti criminis rea rependens, postremò turpissimæ mortis suppliciū incurres. Ferunt eodem momento virginem sub iudicis obiurgatione cessisse, & omne sibi imperatum libenter exequendum polliceri. Et quia melius de rebus non expertis silendum est, quā procaciter incognita ventilare, cuius rei obtentu hæc ipsa negatio Martyrem futuram subrepserit, vtrum formidine carnis, an causa disponendi rem familiarem, incompertus testificare non audeo, nisi forte ex subsequutis euentibus, quibus postmodum obstinanter in professione perdurans, promeritā adepta est laureā, vt sese cōiectura arbitratus humani habet, carnis illam infirmitate non subcubuisse credam⁹.

Prouintia Hispalensis.

Iudex Aureæ consanguineus.

Aurea fidem abnegat.

Igitur post auditam iudex oris eius professionem, qua iuxta omnes ritus legis suæ degere spoponderat: illico abeundi, quocunq; vult, sibimet libertate collata, è vestigio domum regreditur. Ac sicut prius militans Christo nullatenus à proposito sanctæ fidei desueuit, nec à fidelium contubernio se passa est disgregari, quin potius illorum persæpe se cœtibus conferens, quos pietatis religio perlustrabat, condignis fletibus affectuq; interno lapsum linguæ deplorans, spei suæ veram fiduciam ad redemptoris alligat indulgentiam, si forte reatu præuaricationis obnoxiam famulam non repellat, qui adulteram ab exitio lapidationis eripiens, Petrum à maris fluctibus incubantem Apostolico functurum primatu receptat, furemq; patricidio coinquinatum suo comitatui paradisum lustraturus admittit. Nec obesse fidebat prælargæ, & incomparabili Domini pietati inutilis famulæ momentaneum crimen, apud quem multimoda miseratio, & redemptio copiosa & exuberans, præuenit gratiæ dono indignus, & quibus strenui laboris stipendia nulla suppeditant, cōsulta pietate iustificat. Auget præterea virgo sancta compunctionem, studium lamentationis multiplicat, votis vota cōgeminat, & duplicato mœrore affectuq; mentē perurgens, ne supremo examine aut de scelere cōdemnata, æterno mancipetur supplicio, aut à consortio fratrum suorum Adulphi scilicet, & Ioannis Martyrum beatorum congruis meritorum repagulis detrudatur, felicibus votis adnititur.

Aurea pœnitentia.

Exin claro intrepidoq; processu frequenter Ecclesiam adiens, iam iamq; in virtute Domini roborata, terrenis abstracta contagiis: & cælesti curiæ anhelat ascribenda: si fortè cuiusquam recidiuò contestationis euentu in ius denuo mitteretur. Sed hæc callidus veterator non leuiter ferens, cùm fideliori conciliatu nuper elapsam, creatori suo nunc quàm antea militare intelligit, nec in aliquo penitus profuisse circonuentionis suæ præstigium contuetur, quin iniecto stupore nescio cuius habitudinis transuersam virginis linguā à professione veritatis leuiter & perfūctorie cōcitauerat ore, non corde fuisse sublatam aduertens: haud dubie condęmonibus de externato cursu

Reciduco vel redidiuo.

to cursu conqueritur dicens. Hæc celebs pridem me labiis fortuitu honorans, modo cor eius præcinctum virtute superna, grandi obiectu à meis disparatur illecebris. Et iccirco quendam in persequutionem Beatæ Virginis, pruritans denuò, ad perquirendam tyronem fidei suæ compulit.

Nonnulli interea gentilium eius explorantes conuersationem, nihilominus iuxta priorem habitum Christi famulam reperientes, illico de ea coram iudice questum deponunt, crimen asserunt, dolosque prætendunt, & vt tanti abusus presumptioni vindex occurrat, talesque ausus legali auctoritate percellat, peruersis linguis contendunt. Qui protinus vehementi ira comotus, ferocium truculento satellitum ministerio suis eam attrahere conspectibus iubens, illico exhibitam de contemptu nuper adepti cultus redarguit, de neglectu promissi comminatur propositi, & cur tanti iuri decretum non reuerita sit horrisonis percontatur clamoribus. Tum virgo, quæ se nouerat ad tale iam diuinitus electam certamen, vt erat prudentioribus diserta facundiis, sancto iam perlustrata respectu, iudici refert. Nunquam à Christo Deo meo separata sum, nunquam à religione pietatis eius discessi: nunquam prophanationibus vestris vel ad momentum inhæsi, licet dudum coram te, lapsu quoddam sermonis, lingua succubuerit. Erat autem cor meum fiduciam habens in Domino, qui me suarum promissionum introrsus adminiculis erigebat dicens, Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit viuet. Inde quamuis verbotenus laqueum præuaricationis incurrerim, viuido tamen sanctæ credulitatis tenore cor præmunitum gerebam. Nam statim quo à te digressa sum, & votis & affectibus lachrymosis, quem ab infantia mea didiceram cultum exercui, fidem seruaui, propositum gessi. Restat ergo iam nunc, vt secundum profanationis vestræ ritum, aut gladio vindice puniar, aut si inultum præterire factum huiuscemodi potest, de reliquo tota me libertate ad cohærendum Christo domino prætermitte. Tunc immanissimus arbiter virginis assertione succensus facturus de ea regi relationem ergastulis mancipauit, ingentique vinculorum onere coarctauit. Quam alio die per decretum principis gladio trucidans, confestim exanime corpus eius cuiusdam homicidæ patibulo, qui ante paucos dies affixus fuerat capite deorsum suspendi præcepit: cuius beatum cadauer cum cæteris furum membris, qui tunc ob flagitium interempti sunt Bæticis immersum gurgitibus nullum hactenus comparendi vestigium præbuit. Christus autem Deus, & Dominus noster qui est adiutor bellantium, & Martyrum coronator, qui dat lassis virtutem, se quoque requirendi affectum insinuans, prouidam pulsandi ianuam misericordiæ suæ confert, intentionem, multimodo rerum effectu secundum placitam sibi dispensationem præscitam, & prædestinatam ante mundi principium, ad coronam Martyrii famulam suam in pace suscepit. Cui est honor & gloria, virtus, & potestas in secula seculorum. Amen. Coronata est hæc virgo XIV. Calendas Augusti, Era qua supra.

Aurea iterũ accusatur.

Ioann. 11.

Aurea iugulatur.

Annus Domini 856. dies Iulii 19.

FINIS LIBRI TERTII.

Scholia In Librvm Tertivm.

Caput primum.

Militaribus vescebantur] In Sancio Martyre de his Christianis nobilibus Sarraceni regis tyronibus iam dictum est.

Caput quartum.

Et quia vndique.] Rasis Omarum Hacanis filium contra hunc Mahometum regem rebellasse scribit, ipsumque ab regis exercitu in prælio interemptum. Vixit deinceps, eodem authore, quietus in regno. Rudericus, Toletanos aduersum regem insurrexisse, in Arabum historia scripsit. Victi sunt, & magna strage deleti Toletani, cum rege Ordonio, qui suppetias eis ferebat. Crediderim Omarū Toletanorū ducem fuisse.

Cæsum, & fugatum.] Ego diuo Eulogio magis crediderim, quam Rasi, qui omnia ei pacata & prospera vbiq; euenisse commemorat. Quanquam cùm primo prælio fusus eius exercitus fuisset: potuit deinde & ipse vincere, & rebelles domare.

Caput quintum.

Lunaremq; præmiorum.] Stipendium intelligo, quod singulis mensibus militibus persoluebatur. Ego non solui stipendia per omnes anni menses intelligerem maxime quibus domi milites agerent: cum iam prius ipsis annonis demutilatas dicit Eulogius.

Chirographa exigendi.] Hoc est, vt tributis per chirographa exigendis pręficerentur. De chirographo vide Docum. Mart. pag. 91. ad finem.

Caput septimum.

Ex vrbe Accitana.] Vrbs hæc nunc Guadix in Granatæ regno vocatur. Nec est huius loci causas, & testimonia afferre, quæ in Hispaniæ antiquitatibus cōgessimus, vt eādem esse Gaudixiensem vrbem, & Accitanā Romanorum olim coloniā probaremus.

Accitana Colonia.

Se Tabanensi.] De hoc monasterio, de isto etiā altero sancti Saluatoris, superius crebra fuit mentio. Pinnæ Mellariæ retro quoq; meminit, sed suus adhuc erit locus de illa dicendi capite. XII.

Fortissimum vero athletam.) Diem & annum hic prætermisit Eulogius. Ex Vsuardo, Adone, & Equilino Idus Iunii fuere, hoc est tertius decimus eius mensis. Et siquidem die insequenti Anastasius est passus, vt proximo capite scribitur: planum etiam ex Eulogio fit, tertiodecimo Iunii sanctum Fandilam fuisse trucidatum.

Ratio temporis.

Caput octauum.

Quem sequens alio die.] Insequentem nullo interiecto diem, hoc est crastinum intelligi debere, ex die cædis sancti Fandilæ indicatur.

Spreto ministerio.] Diaconii ordinis, cuius est præsertim, vt vocabulum ipsum Græcis sonat, in Ecclesia ministrare.

In cenibus egerat.] Locus, quantum ego capere possum est corruptus. Nam neque cenibus vocabulum quid significet reperio: neq; tamen quo pacto emendare possim, succurrit. Et in veteri ita plane fuit scriptum. Nisi forte quis legendum credat scenicus per S. & tabernacula velit intelligi, vnde & Scenitæ Arabes dicuntur.

Ego Encanibus pro Encaenis, quasi noua dedicatione legere, & paullo sup. in textu, monasticam vitam.

Natione Getulus.] Getulia Africæ pars est. Hinc autem opinio illa ortum habuit, vt ex Sarracenorum progenie editum hunc diuum credatur. Potuit profectò ex parentibus Christianis nasci. Erant enim in Africa, tametsi ab Sarracenis occupata, Christiani, quemadmodum in Hispania Mocarabes.

In asturias deuolutus.] Hinc quidam hunc nomine & re ipsa Felicem Martyrem in Asturiis passum scripsere.

In horam nonam.) Computatio est Romanorum, in sacris etiam Euangeliis vsitata. Huius autem sancti Martyris festum nonnullæ Hispaniæ Ecclesiæ celebrant totumq; hoc de Dignæ virginis insomnio iisdem pene verbis in lectionibus referunt. Vnde cōstat diui Eulogii libros legisse, quicunq; ei festiuitati historiam compararunt. Et nos etiam quædam in libro de sanctis Martyribus Iusto & Pastore scripsimus: sed cùm nōdum diui Eulogii scripta vidissemus.

Nolite me Dignam.) Vera humilitas ex sui cognitione deiecta, in cœlum tamen vsq; ad Dei cognitionē effertur. Multa sunt autem, quæ perfectam nobis nostri cognitionē præstare possint. Sed illud vnum est, quod ad eam ipsam me sæpe perducit. Nunquam me totum mihi plenè cognoscendum offerro: introspicere me vndiq; omni ex parte non sustineo: & aliquid incompertū reliquisse, me ipsum misere fallens, penè exulto. Hoc, qualis sim, demum mihi ostendit. Hic miserabilis pudor me conspiciendi, memet ipsum mihi plene conspicuum facit. Hoc ipsum olim miseriā nostram deplorantes, hoc Epigrammate complexi sumus.

Si quando interno me totum lumine lustrem,
Vestigansque animum cernere me cupiam:
Conscia mens qualem sit me ostensura, veretur;
Aque mei partem subtrahit illa mihi.
Cum delusa tamen me me ocultasse putabat:
Me miserum tunc me plenius aspicio.

In cōmune autem ad sui cognitionem mentem etiam tetrasticho olim excitauimus, ex illa Sponsi in canticis adhortatione: Nisi te noueris, o pulcherima mulierum: egredere post vestigia gregum tuorum, pasce hædos tuos. *Canti. 1.*

Tu nisi te agnoscas (mens o pulcherrima rerum)
Quas toto pulchras condidit orbe Deus,
Pro desiderio, quod tete ad sydera tollet,
Turpis terrarum sollicitabit amor.

Caput nonum.

Ouorum cadauera.) In sancti Zoyli, apud Carrionē nobile oppidū, monasterio ordinis sancti Benedicti corpus sancti Martyris Felicis Cōplutensis in argentea theca seruatur, & magna religione colitur. Eo fuit cum Sancti etiam Zoyli corpore translatum, quod in vetustis cœnobii monumentis, quæ ego ibidem legi, traditur. Et tamē hic videmus eius cadauer per ignem & aquam fuisse dissipatum. Potuit tamen pia Christianorum diligentia ossa non penitus incendio consumpta, de flumine extrahere. Id vtiq; fuit facile cum igne desiccata supernatarent. *Sancti Zoyli monasteriū.*

Caput decimum.

Cum viro suo Hieremia.) Libro 2. cap. 4. aperte ostendimus hunc eundem esse Hieremiam, qui Martyr eo capite scribitur. Vide quæ ibi apposuimus.

Huius præpositi verna.) Hoc est: cupiebat relictis parentibus in monasterium Hieremiæ transmigrare, & tanquam vernacula ancilla ei adhærescere.

Vt subtus matta.) Intextum ex sparto seu iunco stramentum. Inde apud Ouidium in fastis, *Scirpea matta.*

Theoriam.] Græcum est vocabulum: qua si tu dicas contemplationem.

Sancti Cipriani.) Et hæc basilica intra vrbem fuit.

Foro constituentes.) Manifestum hinc est forum ante fores palatii extitisse: vt id plateæ fuerit, quod arcis muris obseptū, ante tamē quam ipsam arcem ingrediamur, cùm fluminis prospectu expanditur. Aut illud forte vacui soli, quod inter turrim, quam Leonū vocant, & Episcopalis domus hortos interiacet, forum fuit. Sed illud alterum vero propius est. *TurisLeonū.*

Cum summa reuerentia.) Intellige sanctam Martyrem cum summa grauitate & modesta vultus constantia ad Martyrium vadentem, ministros & carnifices traxisse. In quibus quæ potuit esse reuerentia?

Non se prius.) Tanquam quæ summum in morte pro Christi fide obeunda beneficium esse intelligeret, etiam carnifici, quanquam immerenti, aliquid eidem largiendo, voluit gratificari. Hoc innuit: nec tamen quid ei dederit explicuit.

Sanctæ Eulaliæ.) Duas habuit olim Hispania hoc nomine Martyres, Emeretensem alteram, alteram Barchinonensem. Neq; enim audiendi sunt, qui vnam ex vtrisq; facere voluerunt. Contra quos in nostra historia fuse disputauimus. Neq; tamen vtrius fuerit basilica, indicauit. Neq; de oppidulo Fragellas habeo, quod dicam. *Eulaliæ duæ.*

Cæterum tu sacratissima.) Quemadmodum sanctę huius Martyris vitam, & cædem copiosius, atq; etiam facundius diuus Eulogius perscripserat, ita etiam pia prece hic in fine voluit ipsam compellare. Et vtroq; quidem fuit virgo dignissima. Vt enim eius vita eximiis sanctitatis exemplis plena, constantiaq; in morte admiranda, maiorem historię seriem, præstantiorisq; styli splendorem promerebantur: ita quoq; ingentem in cælis dignitatē adepta, præsentius & maius suis ferre patrocinium apud Deum poterat, quod auide deberet exposci. Et hæc profecto insignis vitæ mortisq; in hac virgine præstantia, hæc digna eius inuocatio, cui principiū iam hinc fecerat Eulogius: faciunt vt credam, hanc nostratem Cordubensem Columbam, non illam alteram ex Sennonibus Gallicanam, esse, quam tanto opere vbiq; insigni cum religione Hispania tota concelebret. Et sunt præterea plures etiam aliæ causæ quæ me permoueant, cum nulla sit, quæ contrarium possit persuadere. Quæ enim, rogo, causa nos potuit incitare, vt Gallicanā Martyrem longe ex Senonibus, hoc est ex remotissima Galliæ, quantum ad Hispaniam pertinet, regione solummodo auditam, tanto cum cultu veneraremur? Celebritas cre- *Sanctā Columbam Hispanam, Hispani colimus.*

do Martyrii ei⁹, cui⁹ martyrologia vno penè verbo meminerint, Equlinus paucula scripserit: cùm breuiaria nostratia minimè in lectionib⁹, aut in die festiuitatis eius cócordent. Fuit profectò Sennonica Columba virgo sanctissima, Martyr strenua: sed ipsa in cælis residens, inde nos nunc libenter audiens, optat nos veritatē inuenire, & cõfirmare: & illū legitimum cultū, qui vt ab Hispanis Hispaniç Diuæ debetur, eidē asserere. Is verò cultus tantus est. & tanto opere insignis, ac penè singularis, vt non alienigenæ, sed alumnæ tributus debeat videri. Delubra sunt in agris per Hispaniā quā plurima, Sanctæ Colūbæ nomine sacrata, quæ populorū eximia veneratione statis diebus solenni ritu frequētantur. Parentes, deuotione in hanc diuā permoti, eius nomē filiabus imponūt. Burgensis Ecclesia inter dignitates, vt dicūt, habet sanctæ Columbe Abbatē. Habet eōdē nomine & honore primariæ dignitatis sacerdotē Ecclesia Segōcina. Sacellū quoq; huius diuæ ibidē in summo templo est structura nobile, cultu eximiū, & prouentib⁹ insigniter locuples. Quanquā vtrobiq; corrupto iam nomine Sancta Coloma, non Colūba vocetur. Hæc tanta veneratio, tam varius cultus relligionis, plurimorū tot signis testata deuotio, tot testimoniis declarata, & tam pia animorū propensione semper exaucta: cur externæ, & non patriæ, cur alienigenæ, & non ciui, cur peregrinæ, & non domesticæ & penè tutelari diui tribueretur? Indigenā habeam⁹, quæreremus externam? Propria aderat, alienā aduocaremus? Nostratē profectò nos colimus, Hispanā Martyrē veneramur, & vernaculū in ea, iureq; quodā cōmunis patriæ nobis debitū patrociniū merito exquirimus legitima relligione. Sed dies, inquis, quo sanctæ Colūbæ festiuitas in Hispania celebratur, Decēbris nimirū vltimus, sanctæ Colūbæ Senonensis est natalitius, non Cordubēsis, quæ si coleretur, 17. Sept. debuit occupare. Dicam equidē ꝙ sentio. Primū variant hic breuiaria. Segoncinū nanq; 8. Ianua. die, Caurienſe 3. April. sanctā Columbā habent. Sed ego credo, cùm sanctā Columbā Cordubensē nostratiū aliqui celebrare vellent, nec diē, quo passa Martyriū, scirent, & vlt. Decemb. Colūbā coli cernerent: Cordubensē arbitrati, eum diē ei sine discrimine attribuerūt. At lectiones Senonensis martyriū referunt. Nimirū quemadmodū dies natalitius nostratis diuæ erat incognitus, ita etiā vita & passio, quæ non passim in diui Eulogii libris legebatur. Inde ꝙ ad manum erat, nomenq; idem veluti propriū dabat, arripuerunt. Hoc ipsū in sancta Marina nostrati, hoc est Galliciensi, factum videmus. Nihil erat proprium, quod legerent, diuæ Margaritæ historiam ex parte ei accommodarunt. Hæc habui, quæ de nostræ huius sanctæ Columbæ cultu dicerem: liberum interim iudicium eis relinquens, qui aliter sentire maluerint.

Refutantur obiectiones.

Caput vndecimum.

Alio die cita occurrit.) Hinc planè deprehendimus, cùm alium diem, vt capite nono Eulogius nominat, crastinum debere intelligi.

Hæc nanq; sacra virgo.) Hæc omnia vsq; ad studia & sacrarum scripturarum meditationē tanto opere in veteri exemplari fuere corrupta: vt nullus penè sensus eliceretur. Nos quoquomodo potuimus emendauimus, vnum atq; alterū verbū superaddentes.

Qui vsq; hodie permanent.) Permanent etiam vsq; in hoc tempus, in quo hæc scribimus. Neq; enim dubiū est, quin de eo sublimiore colle & rupe diuus Eulogius intelligat, quæ quarto ab vrbe milliario in vicinorū montium vertice supereminet, supra nobilē fundū, qui dicitur el Albayda. Saxum ipsum Sancii Mirandæ rupes appellatur. Ibi apes in petræ foraminibus quotannis mellificant. Ad culminis eius radices fons dimanat permagnus, qui vicinos hortos citriorum omnis generis arboribus consitos rigat. Situs est monasterio admodū opportunus, & vestigia ædificiorū cum ruinis, non vno loco apparent. Meminisse autem oportet cap. 8. diuū Eulogiū hoc monasteriū haud procul ab vrbe cōstituisse. Ideo hanc rupē ipsum signare credendū est. Alioqui insignē locū ad Guadiati fluminis ripas intelligere potuim⁹, ꝙ ab apū per rupes mella cōficientiū multitudine, Apiaria vulgo nōminatur. Sed locus 20. ferme ab Corduba distat milliario.

Albayda.

Rupes Sancij de Miranda.

Gaudiatus fluuius.

Macte humilitatis.) Libenter hac voce cum Liuio vtitur.

Vasta horridum solitudine.) Et cōfragoso etiam per cliuos & saxa itinere præruptum.

Sicq; ante fores palatii.) Vides iterum, forum ad arcem ipsam extitisse.

Era DCCCXCVII.) Ita apertè fuit in vetusto codice, sed describentis vitio manifesto. Siquidem sanctæ Columbæ Martyrium Pomposam eodem ipso die concitauit. Et capite etiam sequenti is scriptoris lapsus planè conuincitur.

Caput duodecimum.

Decem mensibus interiectis.) Annus insequens iam nunc denotatur. Is fuit 854.

Ananellos.) Frustra, quid de hoc viculo dicere possim, inquiram.

V. Id. Iulii.) Is est dies eius mensis vndecimus. Perendie celebratur huius Martyris

feſtum: quia nimirum ſuperiores dies aliis erant ſanctorum feſtiuitatibus impediti. Vſuardi martyrologium anteuertit, & Iunii octauo repoſuit.

Caput decimum tertium.

Ex Tuccitano oppido.) De hoc oppido retro dictum iam eſt.

Hludouicus.) Aſpiratione habuit ſemper in exẽplari hoc nomẽ. Et ita ex diplomatib. imperatorũ, qui hoc nomine fuere, ſcribit ſemper F. Onuphrius Panuinius in Cęſarib⁹.

Italicenſis prouinciæ.) Longum eſſet referre, quibus rationibus probari poſſit, Italicam vrbem eo ipſo olim ſitu extitiſſe, qui nunc cum magnis ruinis Hiſpalis vetus appellatur, & ex aduerſo penè ei vrbi trans flumen opponitur. In noſtris Hiſpaniæ antiquitatibus, quicquid ad id ipſum inuenire potuimus, congeſſimus. *Italica.*

Palma.) Retinet hoc ipſum nomẽ id oppidũ, quod Comitatus caput, & emporiũ eſt admodum celebre. Illud etiam ad celebritatem & ſingularem in primis amœnitatẽ habet inſigne, ꝙ interamniũ eſt, Singili fluuio Bætim ab altero eius oppidi latere intrante. Diſtat a Corduba milliaribus triginta duobus. Palmã autẽ prouinciæ Italicenſis, hoc eſt diœceſis, fuiſſe intellige. Nam Epiſcopum eo tempore quemadmodũ ſuperioribus retro ſeculis habebat. Sic capite ſequenti Egabrenſem diœceſim prouinciam appellat. *Palma.*

Caput decimum quartum.

Egabrenſi.) Ægas Grece capra dicitur. Latini olim Græcũ huius vrbis nomen retinebant. Nam quo loco Plin. lib. 3. c. 1. oppida Cordubæ viciniora cõmemorat, pro Bæbro emendatiores codices, antiquis adiuuantibus exemplaribus, Ægabro habent. Nos Hiſpani Græcũ vocabulũ interpretati, Cabra nunc id oppidũ nominam⁹. Penè namq; manifeſtis teſtimoniis in præfato de Hiſpaniæ antiquitatibus opere oſtendimus, Ægabrũ priſcum, idipſum, ꝙ nunc Cabra eſt, oppidũ fuiſſe. Diſtat à Corduba milliarib⁹ 36. Inſigne eſt oppidũ, ꝙ Comitatus nomen & titulũ præbeat, ꝙ ſitus amœnitate præcellat, ꝙ celebratiſſimã illã voraginẽ propè habeat, quam nos Simam appellamus: q̃ inter reſqua & rupes hians, nullũ vulgo fundũ habere creditur. Itaq; in prouerbiũ iam abiit. Montes huic oppido vicinos Raſis florũ & odoris cauſa magnopere celebrat. Et ea ſuaueolẽtia hodie quoq; iucundiſſima verno tempore perſentitur. Epiſcopũ olim habuit. *Egabrum.*

Caput decimum quintum.

XV. Cal.) Is eſt dies Aprilis 17. quo eodem eorum meminit Vſuardus: apud quem Helæus, non Helias legitur. Adonis martyrologiũ eodẽ die habet: item Romanũ nup ab Maurolico exauctũ. Meminit etiam libri vndecimi vltimo capite Equilinus.

Caput decimum ſextum.

Confeſſor vir nobilis.) Apparet Argimirũ, publicè aliquãdo ante martyrii tẽpus Chriſtianã fidẽ, & Mahometi pſeudoprophetę falſitatẽ profeſſũ fuiſſe: vnde cõfeſſoris nomen & gloriam iam retulerat. Nam confeſſores, vt notum eſt, nomine à primæuis naſcentis Eccleſiæ temporibus viſitato dicebantur, qui ita ſeſe apud iudices geſſiſſent, nec tamen mortem ſubiiſſent, quamuis ſuppliciis eſſent grauibus affecti. *Confeſſor.*

Cenſor.) Qui fuerit apud Arabes hic magiſtratus, ignoramus. Vmbrã aliquã ſaltem Romanæ cenſuræ fortè habuit, ex ciuium cenſu: vnde hoc ei nomen potuit diuus Eulogius accõmodare. Iudicẽ apparet fuiſſe ex eodem cap. cum ſemotus Argimirus ab adminiſtratione iudicii dicatur. Tum etiam ex præfat. lib. 1.

Caput decimum ſeptimum.

Sanctorum Adulphi.) Artemiæ igitur, de qua libro ſecundo capite octauo, filiã.

Per annos ferè triginta.) Probè omnia conſonant. Initio enim regni Habdar rahgmanis paſſos Adulfum & Ioannem retulerat, & nunc poſt eorum Martyrium conſecraſſe ſe Deo Auream in monaſterio memorat.

Inſignitã ſtygmate.) De ſtigmatis metaphora iam diximus libri primi capite primo. Erat autem ſacrarũ virginum inſigne, vt alibi etiam diximus, velum capitis, aut nigrũ, aut rubeum, vt ex conciliis Toletanis conſtat. Nigrum nunc geſtant: triſtitiam videlicet de morte domini noſtri Ieſu Chriſti teſtantes. Rubeus color ſanguinis etiam eius pretioſiſſimi, quo redempti ſumus, memoriam potuit reſpicere.

Non expertis.) In veteri expertis tantummodo fuit: ſed deſcriptoris haud dubie vitio. Cum ſenſui apertè refragaretur. Ideo nos negationem adiecimus.

Prætermitte.) Conniuendo ſinito.

XIV. Cal. Aug.) Iulii dies 21. anni 856, in quem vſq; diem diuus Eulogius produxit hiſtoriam. Eam videtur poſtea continuaſſe, cùm in Apologetico ſanctos Martyres Salomonem & Rudericũ adiecit, qui anno inſequenti quinquageſimo ſeptimo menſe Martio paſſi fuere. Inde totis duobus annis, quos diuus Eulogius ſuperuixit, nullum Martyrem fuiſſe crediderim. Neq; enim ſcribere de his prætermiſiſſet. *Salomon & Rudericus Martyres.*

FINIS SCHOLIORVM LIBRI TERTII.

ARGVMENTVM OPERIS SEQVENTIS.



ECREVERAT diuus Eulogius in hoc opere vitam & Martyrum sanctorum Ruderici & Salomonis tantummodo scribere. Id enim initio iam indicat, & tandem in fine operis apparet. Verum quia instabant ad huc pusillanimes quidam Christiani, qui propter imbecilles zelo quodam, sed non secundum scientiam, commoti, martyribus vltro sese iudicibus passionis caussa offerentibus detrahebant: iterum aduersus eos hoc opere insurgit, tanquam non satis haberet in primo libro contra hos valide pugnasse. Tractat autem locos quosdam ex his quibus iam responderat, & denuo alia refutat argumenta. Erat autem misere corruptum exemplar, lassato nimirum iam descriptore, & negligentius omnia excipiente. Hinc fuit hic multo magis in emendando sudandum. Neq; tamen nobis permisimus, nisi vnum aut alterum verbum addere, permutare, transponere. Diximus autem iam, authorem indiculi luminosi id opus in defensionem Martyrum scripsisse iisdem rationibus dilutis.

Titulus hic fuit in veteri

IN NOMINE DOMINI INCIPIT LIBER APOLOGETICUS *Sanctorum Martyrum Eulogij Presbyteri.*

PROLOGVS.



VM Studio promendi Martyrum gesta operis huius breuitatem extruere intentarem, meumq; exilem in indagatione præliorum Sanctorum stylum immitterem: confestim oblatrantium stolidorum opiniones recolens, qui proprium de eo pro captu scientiæ ferentes iudicium, non vt prioribus, his quoq; reuerentiam Martyribus exhibendam esse decernunt: nisus sum in exordio operis aduersus eos respondere. Quo contigit, vt in vigorem Apologetici gestorum pertransiret materies. Et licet suprema pars Commentarii Martyrum gestet agonem: & qualiter trophæis victoriarum, milites Dei, claruerint penultima series libelli exponat, pro eo tamen quod in principio delatorum maledictis occurri, potius Apologeticus sanctorum, quam gesta solummodo Martyrum appellare decreui: vt totum pro parte designans, mox limen lectionis recessum aperiret voluminis, ne pro toto nominans partem, in aliud, quod non existimaret, prudēs lector impingeret, foretq; tunc facilis detrahendi infensis occasio, dum aliud nomen, aliud proderet volumen. Percurrant ergo lectores mei simpliciter, quod fidelis deuotio nostra in defensione Martyrum pio redemptori dicauit: nec ritu belluino laborem nostrum maliuola intentione subsanuent, quoniam scriptum est: Omnis detractor eradicabitur. Licet enim opus nostrum reprehensionibus dignū sit, Deo tamen, non inuidis, arguendi nos manet iudiciū: cui cùm velle suppetit indulgendi, protinus subest facilitas exequendi.

Incipit textus Opusculi.

Et hoc etiam fuit in exemplari.



GRECIA beatorum certamina Martyrum feliciumq; monumenta virorum, qui Deo fautore totius vanitatis respuentes affectū, specimen belligerandi præcipuum mortalibus reliquerunt, licet à prudentioribus timoratis indagare sit congruum, & iure à iustificatis quodam priuilegio sanctimoniæ exponi sit ratum, non tamen abnuenda est vox peccatorū vera promentium, quandoquidem non solum alienigenarum, vt Hietro & Hiram consultum intenditur, dum & ab vno Moyses expositā iudicii formam custodit, & ab alio Salomon in ædificatione templi industriam accipit verum etiam in rationabili animali humaniter facundiam exercitare conceditur. Quare ergo culpabilis iudicetur talia præsumens, cùm in veritate dignus sit præmio benedictionis, veritatē enarrās? Etsi sanctitas remunerat iustum, dignūq; efficit concionari sancta sanctorū: quare non tueatur pietatē peccator magnificans iustū, dummodo ad multorū profectū studet patefacere victorias beatorū; quæ, si fuerint obliteratæ silētio, nullum poterunt fidelibus piæ conuersationis exhibere exemplum, vt elucubratis electorum trophæis, tam possint desides excitare ad prælium quàm certantes informare, perfectionis intēdere terminū. Nam cum omnes Sancti terreno non egeāt laudationis præconio, qui iam cælestiū exuberāt munerib⁹ præmiorū, necessario tamē eorū meritis applicatur, quicquid bonitatis suorum gratia exemplarium mortalibus operatur.

Exod. 18. 3. Reg. 5. Num. 21.

Promam igitur dominorum meorum gesta victricia, &, in quantum posse cælitus mihi collatum est, in talibus rebus conatus meos expendam, quia non dubii de clementia redemptoris, non solum culparū talibus studiis remediū speramus, verūetiam eorum, quos votiuo celebramus stylo, consortium adipisci confidimus, dicente Do-

mino, Qui vos diligit, me diligit: & qui vos recipit, me recipit: & qui recipit Prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetę accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet: *[Matth. 10.]* & iterum in psalmis, Mihi autem honorificati sunt amici tui Deus. *[Psal. 138.]*

Sed priusquam eorum exequar trophæa insignia, operę pretium resistere credidi imperitis, qui ore blasphemo horum temporum Martyribus derogantes, non esse illos consimiles prioribus Martyribus, volunt. *[Prima aduersariorum obiectio.]* Illa denique (aiunt) gentilitas olim simulacrorum cultibus dedita, variisq; imaginum sacrilegiis occupata, milleno extitit idolorum portento subacta, & quot mundi alium mirata est species rerum, tot sibi instituit formas Deorum: putans non alias obtineri posse temporarium commodum, ob quod suum miserabilem summis viribus expendebat conatum; nisi haberet numerosam obseruantiam numinum. Cuius errore decepta, crudeli persequutione resistentem, ac aduersantem sibi Christianam vexabat militiam conuitiis, lacerationibus, flagris, equuleis, incendiis, bestiis, fluctibus, ac diuersis generibus tormentorum: sperans à cultu religionis reuocari posse suppliciis animas, quas spiritali conflictu introrsus iam eruditas, nouerant etiam facillimè materiales debellantium euincere pugnas. Sic hebes, dum inuictissimam fortissimorum militum virtutem admiratur, de immensis quoq; miraculorum ostensis obstupescens, insultat: dæmonicis deputando præstigiis, quæ cęcata mente pietatis nequibat effectum aduertere. *[Aliæ obiectiones.]* Erantq; vt apud plurima legimus exemplaria, beatorum occasiones conuertendi ad Christũ, prodigia ipsa signorum. Nam isti tyrones, & nostrorum temporum confessores ab ictu mucronis celerem tantummodo excipientes interitum, nullam furentium acerbitatem perpessi tortorum, non sub diuturnum desudarunt stimulum. Præsertim cùm ab hominibus Deum colentibus, & cælestia iura fatentibus compendiosa morte perempti sint. Vnde sat eis est, si præteritorũ curationem adepti sunt criminum, quod non tersit cathenarũ stridor, ferri onus, squalor carceris, nec diuersa pœnalitas persequutis.

Igitur hæc vana paruipendentium adinuentio congrua necesse est legum auctoritate retundatur: & in quantum Dominus iuuerit, veridico assertionum ariete impellatur. Vt mens religiosorum sacratissimis imbuta oraculis, discat ex veritate nouicios, sicuti priscos venerari patronos, quos generali deuotione per mortem gloriosam ire cernit ad cœlos.

Quid enim celere militibus sanctis excidium officit, per quod ad id cursim peruenit, quò per varia & aspera tormenta olim catalogus beatorum accessit? *[Respondet vltimæ obiectioni.]* Aut quid interest, quo mortis genere ex hac vita mortis excedat: quando, vt scriptum est, Iustus quacunq; morte præoccupatus fuerit, anima eius in refrigerio? *[Sapientiæ 4.]* Aut quid obest, vtrum per longa cruciamina, an subitaneo decedat: quando vna eademque res est, quæ vtrosque coronat, zelus scilicet Dei, & amor regni perpetui? An non perfecti exequutores præceptorum Christi censendi sunt, qui subitanea mortificatione accesi, rerum oblectamenta spernentes etiam parentum, filiorum, coniugum, fratrum, cunctorumque affectiones affinium ad punctum temporis abnegarunt? & quid inter vniuersa supplicia cruentius morte est? Quid terribilius, quàm micantem ante oculos cernere gladium, ceruicibus confitentium protinus illapsurum? Aut quid per longa certamina nisi mors sanctis Martyribus quæritur? Illa vtiq; mors de qua Psalmista canit & dicit, Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. *[Psal. 115.]* Non enim diu patienti, sed vincenti corona promittitur. Et feliciori pertinacia beati agonis terminum præstolans, de spe salutis æternæ quodammodo magis animatur, dicente Domino: Qui perseuerauit vsq; in finem, hic saluus erit. *[Matth. 10.]* Siue autem dilationibus, siue fortuitis casibus passionum strenuis militibus propter Christum pugnantibus propera seu tarda mors occurrat, hoc solummodo aduertendum est, si causa fidei passiones excipiant, si propter Christum coronatorem Martyrum, vt in æternum saluentur, animas perdere anhelant, sicut scriptũ est, Si quis voluerit animam suam saluam facere perdet eam, & qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam custodiet eam. *[Matth. 10.]* Nam etsi culpis obnoxii maneant, & ex qualibet sorde vitiorũ infecti ad Martyriũ veniant: nihil impedit: cum omnibus martyriali trophæo deletis ad Christũ coronandi accedant. Idẽ enim est per multa tormenta in nomine crucifixi animã in morte tradere, & semel vno ictu propter ipsum occumbere, qui dixit: Si quis perdiderit animam suam propter me, in vitam æternã inueniet eam. Et licet scriptum sit, quòd per multas tribulationes oporteat nos conscendere ad regnum; *[Actor. 14.]* vtiq; cum suppetunt, sustinendũ est vsq; ad obitum. Sin verò celeritas persequentis intercidens, expeditam confessoribus

Christi intulerit mortem, & in hoc nullatenus gloria eorum mutilanda est, quia perseuerauerunt vsque in finem.

Comparatio. Frustra ergo zelo Dei accensus ad brauium festinaret miles egregius, & casso conatu in primordiali exercitatione vires suas expenderet, si ab Imperatore emeritæ victoriæ triumphis defraudaretur, pro eo, quod in procinctu & in ipso belli auspicio palmam de tyranno obtinuit, neque eam diutina, & laboriosa conflictatione conquisiuit, aut per multimodum concertationis discursum adepsit. Illis vtique laboriosis vexationibus, & non expeditæ victoriæ corona deberetur, si magis prolixitas pugnæ, quàm festinatum trophæum pensaretur. Qualitas itaque, non quantitas intentionis obseruanda est discurrentis ad præmium; cum quo quomodo rei desideratæ capiatur effectus; vnus tamen idemq; est rex æternus, pro cuius amore temporalibus se passionibus sancti omnes submittunt. *Latro in cruce cum Christo pendens.* Quid enim latroni Euangelico obstitit, quod fraterno cruore illitis manibus crucem ascendit? Aut qualibus inter ipsa mortis dispendia miraculis coruscauit, qui (vt ita dixerim) totius vitæ suæ metam latrociniis, rapinis, prædisq; exegit? Et tamē sub vnius cōfessione momenti tanto scelere non solū eruitur, verum etiam dignus comitatu Redemptoris primus paradisi possessor habetur, dicente Domino, Hodie mecum eris in paradiso. *Lucæ 23. Ioan. 15.* Et si nemo maiorem habet dilectionem, quam qui animam suam pro amicis suis ponit, quanto excellentiori charitate ferendus est qui pro Deo suo decertat vsque ad mortem? *Matth. 20.* Nam & paterfamliâs, non vna hora colonis in vineam missis æquam mercedem dispensans, non magnopere de temporis curat diuersitate, quia in exercitatione laboris non expertem à priorum intentione vltimorum mercenariorum operam compensat. Multi autem erunt nouissimi primi, & primi nouissimi, & multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum. *Matth. 8.*

Secundæ obiectioni respondet. MIRACVLORVM verò insignia ideo olim inter supplicia per eosdem athletas Dei virtus mundo præstabat, vt prodigiorum virtutibus mitigaret furentium insaniā, quæ beatorum constantiam fatigabat, vel incredulum genus ab infidelitatis errore conuerteret, qui cælestium iura scripturarū obduratis præcordiis respuebat. *Miracula initio nascentis fidei necessaria.* Eratque illo tempore multoties necessarium Dei testes signis coruscare virtutum, quoniam rudem per æuum diffusum Christianismum nunc instructione verborum, nunc exercitatione scripturarum, nunc ostensione signorum, nunc etiam trophæis inclytis passionum conabantur radicitus fieri firmum in cordibus credentium populorum, sicut scriptum est: *Marc. 16.* Euntes per vniuersum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Illi autem profecti, prædicauerunt vbique Domino coöperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. & iterum, *Matth 10.* Euntes prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum cęlorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eiicite; gratis accepistis, gratis date. Hæc prima fidei nostræ rudimenta fuerunt, harum exercitatione virtutum, quasi lactantium paruulorum auspicia, teneritudo eius & confota est & nutrita; vt ministerio signorum vel augeretur multitudo fidelium, vel roboraretur fides credentium, ac veluti quædam instrumenta ferramentorum fuerunt, per quæ ornamenta ex auro argentoue, torques scilicet, monilia, regumque diademata componenda, aptanda, & compingenda, formata sunt.

Miracula per fidem fiunt. ITAQVE gratia confirmationis Catholicæ fidei, in primordio sui portenta atque miracula Christo cooperante profusius esse ostensa videmus: & ideo non miracula fidem præcedunt, aut fides miraculis cedit: ad quorum efficientiam nisi per fidem non peruenitur. Sic Moyses legifer sanctus, alternatione diuini colloquii dignus, fide grandis effectus est. Sic Deo credulus Abraham iustificari promeruit, dicente scriptura, *Iacob. 2.* Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est. *Ad Heb. 11.* Sic iusti ex fide viuunt, & omnes sancti per fidem regna vicerunt, operati sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, fugauerunt aciem gladii, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello.

Alloquitur aduersarios Eulogius. Vides ne (ô tu quisquis ille es, qui contra assurgis) quod hæc omnia instrumenta fidei sunt, & quasi clientulo famulatu piæ religioni subiecta, vt ex hoc nunc iam te in veritate credere oporteat, non prodigiis atque portentis, sed integritate fidei, & professionis constantia excellentiores fieri martyres: illudque tantummodo in eis sit admiran-

admirandum, quod animo fortiori mortem exceperunt propter Christum. Qui dixit: Qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam inveniet eam. Sanè omnium virtutum radix ac fundamentum fides est, quæ certantes adiuuat, vincentes coronat, & cœlesti dono quosdam defectu signorum remunerat. Nihil est enim quod syncerae fidei denegetur: quia nec aliud à nobis Deus, quàm fidem exigit. Hanc diligit, hanc requirit, huic cuncta promittit & tribuit. Fides (inquit) tua te saluum fecit: & esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Nihil ergo fidei subtraxit, nihil ei impossibile esse depromit.

Matth. 16.

Viuidam nimirum & operibus plenam, intelligit Diuus Euangelista, quæ de Martyrum fide loquitur, qua viuidiorem nullam reperies: siquidem per ingentẽ charitatem operatur. Illam enim maiorem charitatem esse Christus astruxit, cũ animã suam ponat quis pro amicis suis.

Nec magnopere de prodigiorum insignibus confidendum est, quæ plerunque ab infidelibus exeruntur, vt in Exod. scribitur. Fecerunt & malefici per incantationes sicut & Moyses. De qua quæstione sufficienter, vt opinor, in illo Memoriali sanctorũ opere disputatum est. Siue enim Dei testes, miraculis emicent, siue absque prodigiis beatum certamen expediant, nihil interest, cùm ab eis hoc cælestis auctor solummodo expetat, vt vsque ad finem constantiam spei suæ non deserentes, viriliter agonem consument, quo in æternum catalogis adunati sanctorum, de perpetuitate salutis exultent: dicente Domino, Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

Matth. 10.

Simplex profectò dispositio nostra extiterat, vt victorum victorias depromentes, compendiosæ breuitati studeremus, sed repagulis insolentium præpeditus, nisus sum hoc apologeticum incertis assertoribus dare, & ideò fortè, vltra quam debui, modum excessi historiæ. Contra quorum prauitates paulisper adhuc veniendum est, quo fidelis conuentus discat, votis ardentioribus plus amare quod credit, dum ex auctoritate sacræ legis & veritatem religionis, & errorem impiæ nouitatis compererit.

Dicunt enim, quod ab hominibus Deum, & legem colentibus passi sunt, nec ad sacrilegia idolorum, sed ad cultum veri Dei inuitati perempti sunt, & ideo non vt piorum Martyrum, horum Martyria veneranda sunt. Deum ergo & legem isti vanitatis cultores vllo modo habere credendi sunt, qui euangelicæ institutionis per totum orbem vitalia diffusa præcepta non solum non credunt, verumetiam omni zelo peruersitatis magnum discrimen ea fatentibus ingerunt, exosum & iniquum putantes Christum verum Deum, & verum hominem credere? Ac sic, irrisione nefaria quotidie Dei sortem infamantes, ritum sacræ religionis vbiq; lacessunt, irrident, & maledicunt: spem credulitatis & fidei suæ in cuiusdam pestilentiosi ac dæmoniosi homunculi diuinationibus collocantes. Qui ab spiritu immundo præreptus iniquitatis mysterium vt verus antichristi præcursor exercens, nescio quam nouitatis legem pro suo libito, & instinctu dæmoniorum perdito vulgo instituit. De quorum impietate beatus Paulus Apostolus patulis prophetismi oraculis, sancto reuelante spiritu, Thessalonicensib⁹ dicit. Pro eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent, ideo mittit illis Deus spiritum erroris, vt credant mendacio, & iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati in omni seductione. Idem quoq; ad Romanos refert, Reuelabitur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatẽ, & iniustitiã hominum eorum, qui veritatem in iniustitia detinent, qui quod notum est Dei, manifestũ est in illis, & cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & seruierunt vanitati, potius quã creatori, qui est Deus benedictus in secula. Propter quod tradidit eos in reprobũ sensum, vt faciant quæ non conueniunt: repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia: plenos inuidia, homicidiis, contentione, dolo, malignitate: susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorũ, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absq; fœdere, sine misericordia. Qui, cùm iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt: quoniã qui talia agunt, digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed & qui consentiunt facientib⁹. Nam & beatus Petrus princeps Apostolorum, firmissimum Ecclesiæ Catholicæ fundamentũ, vtpotè cui ab ipso redemptore dictum est: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: ita in suis epistolis ait. Fratres, habemus firmiorem propheticum sermonẽ, cui benefacitis intendentes, quasi lucerna lucenti in caliginoso loco, donec dies lucescat, & lucifer oriatur in cordibus nostris. Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia scripturæ, propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed spiritu sancto inspirante loquuti sunt sancti Dei homines. Fuerunt verò & pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui subintroducent se-

Tertia obiectio.

Diluit obiecta.

Machometis abominanda peruersitas.

1. ad Thessa. 2.

Ad Rom. 1.

Matth. 16,

2. Petri. 1.

Ibidem. 2.

ctas perditionis, & eum, qui emit eos, dominatorem abnegantes, superducent sibi celerem perditionem, & multi sequentur eorum luxurias: per quos via veritatis blasphemabitur, & in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. Quibus iudicium iam olim non cessat, perditio eorum non dormitat.

Quæ omnia, sicut hæc beata apostolorum annuntiatio continet, non soli in eidem pseudoprophetæ, sed & illis, qui eum reuerenter accipiunt, conuenire, multi peritissimorum mecum intelligunt, nec nos tanta de sanctis scripturis contra eum, eiusque sequipedas frustrà congessisse aduertunt. *Matth. 24.* Quippe quem iam vident sacræ legis præconio prædictum, ac veri magistri docentis oraculo denotatum. Multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos. Nihil certè de nostra in eum exprobratione arguerent, quem tot patrum auctoritate impugnari cernerent.

Quapropter hoc in loco non mihi absurdum esse videtur, si præcedentium de eo doctorum testimonium proferam, vt quomodo eum tunc ecclesiastici viri diiudicauerint, & qualiter illum fide & professione coluerint, quantusq; & qualis apud nostros extiterit, melius ex eorum dictis agnoscant, qui nunc cum non sano sensu legem illum adduxisse, aut Deum in veritate coluisse asseuerant.

Pompelonensis ciuitas. *Legerēse monasterium.* Cum essem olim in Pampilonensi oppido positus, & apud Legerense cœnobium demorarer, cunctaque volumina, quæ ibi erant, gratia dignoscendi incomperta, reuoluerem: subitò in quadam parte cuiusdam opusculi hanc de nefando vate historiolam absq; auctoris nomine reperi.

Annus 618. *Diuus Isidorus.* *Sisebutus rex.* *Templum Sancti Euphrasii.* *Iliturgi ciuitas.* *Sancta Leocadia templum.* Exortus est namque Mahomet hæresiarches tempore Heraclii Imperatoris, anno imperii eius septimo, currente Era DCVI. In hoc tempore Isidorus Hispalensis Episcopus in Catholico dogmate claruit, & Sisebutus Toleti regale culmen obtinuit. Ecclesia beati Euphrasii apud Iliturgi vrbem super tumulum eius ædificatur. Toleti quoque beatæ Leocadiæ aula miro opere, iubente prædicto principe, culmine alto extenditur. Obtinuitque prædictus Mahomet nefandus propheta principatum annis decem, quibus expletis mortuus est, & sepultus in inferno. Exordia verò eius fuerunt talia. Cum esset pupillus, factus est cuiusdam viduæ subditus. Cumq; in negotiis cupidus fœnerator discurreret, cœpit Christianorum conuenticulis assidue interesse: & vt erat astutior tenebræ filius, cœpit nonnullas collationes Christianorum memoriæ commendare, & inter suos brutos Arabes cunctis sapientior esse. Libidinis verò suæ succensus fomite, cum patrona sua iure barbarico in ira congressus est. Moxque erroris spiritus in speciem vulturis ei apparens, os aureum sibi ostendens, Angelum Gabrielem esse se dixit, & vt propheta appareret, impetrauit. Cumq; repletus esset tumore superbiæ, cœpit inaudita brutis animalibus prædicare, & quasi ratione quadam, vt ab idolorum cultu recederent, & Deum incorporeum in cœlis adorarent, insinuauit. Arma sibi credentibus assumere iubet, & quasi nouo fidei zelo, vt aduersarios gladio trucidarent, instituit. *Aba. 1.* Occulto quoque Deus iudicio (qui olim per Prophetam dixerat: Ecce ego suscitabo super vos Chaldæos, gentem amaram & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, vt possideat tabernacula non sua. Cuius equi velociores lupis vespertinis, & facies eorum vt ventus vrens, ad arguendos fideles, & terram in solitudinem redigendam) nocere eos permisit. Primum nanque fratrem Imperatoris, qui illius terræ ditionem tenebat, interimunt, & ouantes de triumpho victoriæ, gloriosi *Mahometis delirantia scripta.* effecti, apud Damascum Syriæ vrbem regni principium fundauerunt. Psalmos denique idem pseudopropheta in ore insensibilium animalium composuit, vitulæ scilicet rubræ memoriam faciens. Araneæ quoque muscipulæ ad capiendas muscas historiam texuit. Vpupæ præterea & ranæ cantus quosdam composuit: vt fœtor vnius ex eius ore eructaret: garrulitas verò alterius in eius labiis non desineret. Alios quoque ad condimentum sui erroris in honorem Ioseph, Zachariæ, siue etiam genetricis Domini Mariæ stylo suo digessit. Cumq; in tanto vaticinii sui errore duraret, vxorem vicini sui nomine Zeid concupiuit, & suæ libidini subiugauit. Quod scelus maritus eius sentiens, exhorruit, eamq; prophetæ suo, cui contradicere non valebat, permisit. Ille verò quasi ex voce Dominica in lege sua illud annotauit, dicens. Cumque mulier illa displicuit in oculis Zeid, & eam repudiasset, sociauimus eam prophetæ nostro in coniugium, quod cæteris in exemplum, & posteris fidelibus id agere cupientibus, non sit *Mahometis mors.* in peccatum. Post cuius tanti sceleris factum mors animæ, & corporis illius simul appropinquauit. At ille interitum sibimet imminere persentiens, quia propria virtute se resurrecturum nullo modo sciebat, per Angelum Gabrielem, qui ei in specie vulturis apparere (vt ipse aiebat,) solitus erat, resuscitaturum se tertia die prædixit. Cumq; animum

mum inferis tradidiſſet, ſolliciti de miraculo, quod eis pollicitus fuerat, ardua vigilia cadauer eius cuſtodire iuſſerunt. Quem cum tertia die fœtentem vidiſſent, & reſurgentem nullo modo cernerent, angelos ideo non adeſſe dixerunt, quia præſentia ſuorum terrerentur. Inuento igitur ſalubri (vt putabant) conſilio, priuatum cuſtodia cadauer eius reliquerunt, ſtatimque vice angelica ad eius fœtorem canes ingreſſi, latus eius deuorauerunt. Quod reperientes factum reſiduum cadaueris eius humo dederunt. Et ob eius vindicandam iniuriam, annis ſingulis canes occidere decreuerunt: vt merito cum eo habeant illic participium, qui pro eo dignum meruerunt ſubire martyriũ. Digne ei quidem accidit vt canum ventrem tantus ac talis propheta repleret; qui non ſolum ſuam, ſed multorum animas inferis tradidiſſet. Multa quidem & alia ſcelera operatus eſt, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc: hoc tantum ſcriptum eſt, vt legentes quantus hic fuerit agnoſcant.

Ecce qualibus pręſtigiis deditum vulgus, quantæque impietatis ducem pleriq; non metuunt ſub nomine piæ religionis cenſeri. Aſſerentes, quod ab hominibus Deũ colentibus, & legẽ habentibus, iſti tyrones noſtrorum temporum milites occiſi fuere: nulla diſcreti prudentia, vt ſaltim prouido cogitamine aduertant, quia ſi talium cultus aut lex vera dicenda eſt, pro certo vigor Chriſtianæ religionis infirmabitur.

Etſi, quod in veritate fatendum eſt, notitia ſanctæ fidei totius mundi compita penetrauit, cunctas nationes terræ peragrans; nullam iam partem orbis expertem luminis eius fore confidimus. Præſertim quia in omnem terram exiuit ſonus Apoſtolorũ, & in fines orbis terræ verba illorum. & omne aliud Euangelium præter quod Apoſtoli gentibus tradiderunt, anathema magis eſſe, quam verbum ſalutis fatemur, ſicut dicit Apoſtolus. *Ad Gal. 1.* Si quis vobis euangelizauerit præter quod accepiſtis, anathema ſit. Et veritas ore ſuo diſcipulos conteſtatur, dicens, Multi pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos, *Matth. 24.* & dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. Et iterum, Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt. *1. Ioan. 4.* Qua conſequentia credendum eſt, dæmonioſum & mendacio plenum veritatem proferre? fallaciis obuolutum legem donare? nemus peruerſum fructus bonos exhibere? Ille interim nefandus de malo cordis ſuo theſauro proferens malum, & vulgo inſipienti ducatum impietatis miniſtrans, vterq; præcipitium in chaos æternum pœnas luiturus incurrit. De quo atq; eius ſimilibus dominus per Oſeam loquitur dicens, *Oſea 8.* Ipſi regnauerunt, & non ex me principes extiterunt, & non cognoui.

Deniq;, inter cæteros poſt aſcenſionem Domini hæreſum auctores, ſolus hic infauſtus nouæ ſuperſtitionis ſectam inſtinctu Diaboli condens procul ab Eccleſiæ ſanctæ conuentu deciſcitur, auctoritatem priſcæ legis infamans, prophetarum vaticinia reſpuens, ſancti Euangelii veritatem conculcans, & Apoſtolorũ doctrinam deteſtans, qui ridiculum potius quàm rerum neceſſariarum cauſas per eandem ſectam ſuam inſinuans, ore blaſphemo docuit: Chriſtum Dei verbum eſſe, & ſpiritum eius, & prophetam quidem magnũ, nulla vero Deitatis potentia præditum, Adæ ſimilem, non Deo patri æqualem. *Mahometis de Chriſto ſeruatore noſtro nefariũ iudicium.* Qui ob meritum ſanctitatis ſancto repletus ſpiritu, per virtutem Dei miraculis claruit ſignis, atque portentis enituit, nihil ex propria maieſtate, aut Deitate præualens, ſed vt vir iuſtus & pia ſeruitute Deo cohærens, votis ſupplicibus ab omnipotente multa impetrare promeruit. Sed & alia inaudita vanitatis ſcelera prædicans: adinuentione verſipellis, à quo obſidebatur inuenta, qui ſe eidem transfigurauit in angelum lucis, delubra in quibus peſſimum dogma ſuum coleretur extruxit, *Maurorum templa.* conſtituens in vltimo idolatriæ ſitu turrem, altiori pinnaculo cæteris ædib⁹ prominẽte, ex qua populis veneno nequitiæ ſuæ illectis ſacrilegi furoris concionaretur decretum. Quod hodie ſuæ impietatis ſacerdotes ab illo edocti obſeruant. Ita vt more aſelli diſſutis mandibulis, impuriſque patentibus labiis horrendum præconium non prius emittant, quam obſeratis vtroq; digito auribus, quod aliis exequendum annuntiant, quaſi quoddam edictum ſceleris, idem ipſe eorum propheta audire non patitur. *Maurorũ ſacerdotes de turribus proclamantes.* Quem impietatis ruditum dum Diuæ memoriæ auus meus Eulogius aure captaret, ferunt continuo vexillo crucis frontem præmuniens, cum gemitu, hunc pſalmum ſolitum fuiſſe cantare. *Eulogius Diui Eulogij auus.* Deus, quis ſimilis tibi? ne taceas neq; ſileas Deus, quoniam ecce inimici tui Domine ſonuerunt, & qui te oderunt, leuauerunt caput. *Pſal. 82.* Nos autem mox vt fallentis vocem præconis audimus, confeſtim oramus. Salua nos Domine ab auditu malo, & nunc & in æternum. Et iterum, Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulacris ſuis. *Pſal. 96.*

Cuius quidem erroris inſaniam prædicationis deliramenta, & impiæ nouitatis

precepta quisquis Catholicorum cognoscere cupit; euidentius ab eiusdem sectæ cultoribus perscrutando aduertet. Quoniam sacrum se quippiam tenere, & credere autumantes, non modo priuatis, sed apertis vocibus vatis sui dogmata prędicant. Multa etiam apud quosdam nostrorum scriptorum inueniet, qui zelo Dei armati aduersus ipsum vatē impudicum prudenti exarserunt stylo. Sed & nos in illo memoriali sanctorum opusculo huius sectæ errores ex parte digessimus, refutauimus, & confodimus.

Restat iam nunc expeditis Apologeticis beatorum, vt aliquid de victoriis eorū ad æmulationem catholicę plebis pandamus. Beatus igitur Rudericus presbyter ex quodam * vico Egabrensi progenitus, in eadem vrbe sanctæ legis doctrinam, gradumque sacerdotalem promeruit. Huic duo fratres fuerunt, sed ex his vnus fidem Christi rectius tenens, alter gentilico deprauatus errore, Catholicam spreuit religionem. Qui sicut discors à fide sancta manebat, ita semper discordanti conflictatione ob diuersarum rerum occasiones cum fratre Catholico mouebatur. Nam quadam nocte, nescio qua occasione tumultuaria in alterutrum litigatione se conferentibus, & in sese inuicem fœda simultate bachantibus sanctus sacerdos litem medius sedaturus interuenit. Qui omnes nimio iam furore accensi, cæca indignatione sacerdotem inuoluunt, & magis nescientes, quàm volentes, eum vsq; ad necem lacessunt. Ex qua * cęde valde contritus, dum omni destitutus vigore, confracta membra lectulo reponeret; profanus ille frater feretro illum imponens, per vicos & vicinia quæq; vehentium humeris duci, ac reduci fecit, & vt verus imitator diaboli fraudulenta machinatione super exanimem sacerdotem testimonium iniquitatis composuit, dicens. Hic frater meus presbyter visitatione Dei compunctus, fidei nostræ cultum elegit, & sicut cernitis, iam in vltimis agens, noluit prius mundo discedere, quam vobis id notum existeret. Ita cum eo loca diuersa peragrans, hæc & his similia criminosis de eo verbis narrabat. Nesciente ipso prorsus, imo nec sentiente, quid contra se vir ille iniquus aptabat. Dei verò dispensatione post nonnullos dies molestiis ægritudinis sacerdos erutus, ac viribus reformatus; cum subdola nefandi fratris molimina cognouisset; exemplo Domini, qui ad informandos nos insidias declinauit Herodis: siue sancti Euangelii non surdus auditor, quod de ciuitate in ciuitatem, caussa vitandæ persequutionis, delitescere iubemur; relicto proprio rure, alibi se Christo libere contulit seruiturus. Quasi posset temporale euadere supplicium, cui diuinitus à constitutione mundi prædestinatum parabatur Martyrium: aut sicut ad tempus sese occulendo insequutorem fefellit profanū, ita quoq; abesse posset oculis pii Redemptoris, & vocatoris sui ad regnum. Per idem ergo tempus grauiter in nos præsidialis grassabatur insania, ita vt nonnullas apud Cordubam olim patritiam, nunc autem florentissimum regni Arabici vrbem basilicarum turres euerteret, templorum arces dirueret, & excelsa pinnaculorum prosterneret, quæ signorum pestamina erant, ad conuentum canonicum quotidie Christicolis innuendum. Deniq; cum exoptatum patris sui libitum progenies iniqua cognosceret, vt quibuscunq; modis ac viribus posset, Dei Ecclesiam infestaret: omnem crudelitatis adnisum erga filios lucis tenebrosa proles alacriori voto exercet: minusq; se putat adipisci meritum, nisi summo furore exarserit in euersionem fidelium. Prędixerat quippe hoc veritas sancta auditoribus suis dicens: Absq; synagogis facient vos, & omnis qui interficit vos, arbitrabitur se obsequium præstare Deo. Et iterum, Hæc loquutus sum vobis, vt in me pacem habeatis, in mundo autem pressuram habebitis.

** Ex hoc loco maxime patet vicum apud D. Eulogium idem esse quod nos modo Hispana lingua Aldeam appellamus. Idem constat ex cap. 13. lib. 2. Mem. Sāct.*

** His è contra videtur aduersari locus statim sequens per vicos & vicinia ciuis: & alius D. M. pag. 9.. b.*

Rudericus presbyter martyr. Egabrensis ciuitas.

Matth. 2.

Matth. 10.

Corduba regum Sarracenorum sedes.

Turres templorum & cymbala.

Ioann. 16.

Ibidem.

Igitur dum ob rei familiaris necessitatem ex interiori montana Cordubensi, quo se pridem beatus sacerdos intuitu latendi contulerat, in nundinas descendisset, in quibus rerum distractio exercebatur: ab iniquo fratre obuius agnoscitur. Quem vt cernit stigmata piæ relligionis ferentem, non mediis lacessitum iniuriis ad vicem exquisiti muneris iudici offert, deponens aduersus eum coram arbitro questum præuaricationis sectæ Mahometianæ, quam se dudum veraciter coliturum, fuerat confessus. Dei verò miles cælesti iam munere illustratus, non sicut olim aduersariis tergum exponit, sed magna præditus fortitudine, nunquam se à Christo fuisse decisum, nunquā peruerso dogmati aliquando consensisse, iudici refert: seseque non solum Christianum, verumetiam Christi fatetur esse ministrum. Quem primò iudex blandis reuocare affatibus putans, poteris (inquit) rerum affluentiis, & dignitatum fascibus honorari, &, quæ tibi imminet, sententiā mortis euadere, si te pristinis votis rediuiuo ardore reformans, missum ab omnipotente in veritate prophetā nostrū credideris, Christumq; testaueris Deum non esse. Cui beatus sacerdos ait, Illis inquam, iudex, hæc obseruanda

Montana Cordubensia.

Rudericus ab fratre impio accusatus.

pro

propone, qui forte legibus vestris dediti, ritibusq; profanis immersi, potiori intuitu cōmodum temporale, quam æternum affectant honorem. Nobis autem quibus viuere *Philipp.1.* Christus est, & mori lucrum, cui sanctus ille clauicularius regni futuri dicebat, Do- *Ioann.6.* mine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes? qui discipulum in carcere commo- *11* nebat, dicens, Beatus qui non fuerit scandalizatus in me: vt quid perennis fontis pocu *Matth.11.* lum relinquemus, hausturi gurgitem cœno mendacii ac vitiorum sordibus turbulentum? aut qua vltione procacitas punienda est filiorum, qui pia parentum iura spernentes, iniustum victrici contubernium expetunt? His verbis iudex vehementi furore commotus, applicari martyrem ergastulis iubens: abeat, inquit, cum damnatorum custodia; horrida marcerādum antra carcerum excipiant, parricidarum & furum solatio fruatur, & omni penitus solatio destituta, vel sic peruicax elidatur temeritas.

Adit Dei famulus hilari vultu exultantibus animis specum illum reorum, qui vere sciebat auctorem suæ salutis vbique inuocatum adesse, nec aliquo posse abesse situ: cuius dominatio omnem penetrat locum: qui etiam potenti diuinitatis imperio olim sectatoribus suis fidele promissum dederat dicens, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consumationem seculi. Hæ sunt, diabole, minaces sæuitiæ tuæ leges: hi sunt exquisiti terrores. Sed dictum est nobis, nolite timere eos qui occidunt corpus, quia non habent quid amplius faciant, sed potius eum timete, qui potest corpus & animam perdere, & mittere in gehennam. Et iterum tradent vos in conciliis, & in syganogis suis flagellabunt vos, & ad præsides & Reges ducemini propter me in testimonium illis, & gentibus. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Si ergo potest concredere aduersus animam, & pertinacem in cōfessione sua spiritum, supera: videbis me magis per tormenta proficere: & cum tu plus exarseris, plus semper deficies, & feliciorem me facies peruenire ad gloriam.

Reperit vero in carcere Rudericus beatum Salomonem, quem ob cōfessionem nominis Christi dudum crudelitas persequentium ibidem religauerat. Simili quippe *Salomon Martyr.* & ipse crimine impediebatur, eo quod sanctæ religionis cultum spernens, aliquo tempore sectæ Mahometanæ adhæsisset. Extemplo indiuiduo voto nectuntur, ac sibimet inuicem consolationis suffragia ministrantes, ab alterutro se ad peragendum agonem armantur; id in commune statuentes, vt calcatis mundi affectibus, pia quotidie seruitute Deo inhæreant. Fit concors in Dei timore vtrorumque assensus, macerantur membra ieiuniis, fatigantur vigiliis, limantur ciliciis, meditationibus compunguntur *Ad Philipp.1* orationibus refouentur, sicque ardore quodam cælestis patriæ conflagrati, dissolui cupiunt, & esse cum Christo, festinantes faciem eius videre, cui seruierunt. cuius amore defectum temporis non verentes vitam hanc, vt quoddam discrimen immane, refugiunt.

Igitur permanentibus sanctis in exercitio officiorum cælestium, & reddentibus quotidie pio Redemptori ceremonias laudum, pro summis deliciis antrum illud habebant. Quapropter zelo ductus iniquissimo iudex, ferali edicto custodes carceris arguit, eosq; ab inuicem diuelli præcepit, & ne à quoquā visitationis gratia illustrentur totis vesaniæ suę furoribus iussit. Sed in nullo te iuuas diabole, quando per hoc dissidiū constantiam putas fatigari sanctorum, quibus vnum idemque pro Christo moriendi manet indissolubile votum. Nam hi confessores beati ordine & natione dissimiles, charitate non impares diuerso licet tempore certaminis campum aggressi, vno tamen eodemque fidei ardore flammati, specimē beatæ passionis egregium orbi instituunt.

Interea non post multos dies obtutibus suis iudex eos exhiberi præcipiens, illico ad ritum suum inuitat, ac de rerum copiis dignitate honorum suadendos attentat, quos ante mundi constitutionem electos & prædestinatos in adoptione filiorum Dei diuinitas sancta perscripserat. Quorum pertinaciam in Dei professione considerans, *Ruderici & Salomonis sollicita humilitas.* post secundā & tertiam exhortationem ex decreto regis fore plectendos statuit. Prius tamen quàm egrederentur ad publicum, coniunctorum se pedibus aduoluentes rogant, vt continuis obsecrationibus iuuarentur, ne tentatione humana prærepti, retrorsum respicerent, & ab intuitu percipiendi vexillum victoriæ turbarentur. Ita pacis osculo reconciliati, qui nunquam fuerant litigio separati, omnes præ gaudio lachrymantes sanctorum se fauoribus tueri exorant. Sicque vrgentibus ministris voto alacriori prosiliunt, celerius properantes ad locum quo passionem consumarent. Et cum iam hora decisionis instraret, iterum à iudice blandius exhortantur cum specie diuitiarum, honorumque sublimium, quibus vtiq; fruerentur, si reuerterentur.

Abnuunt ſancti, ſicuti à principio iudicis optionem, ita vt ſanctiſſimus Rudericus quadam vegetatus animoſitate ſuperno iam munere perluſtratus, audacter ei reſponderet, dicens. Quomodo nos cogis relicta pietate declinare in deuium, qui ſanctæ fidei ſacramentis inſtructi, fortiter ignorantiam veſtram deflemus, quos tanto videmus errore infectos? Nam nos adeò hanc ſectam detrectabilem iudicamus, vt ne noſtris quidem eam incolendam canibus pateremur, quantò magis noſmetipſos fallaciſſimis eius figmentis ſubdamus. Aut quare copiis rerum aut dignitate honorum labentium oblectemur, in ipſo forſitan oblectationis momento intercidente morte protinus omnia amiſſuri. qui nouimus apud Chriſtum coronatorem noſtrum rerum ineffabilium opes manere, quas oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendunt, ſe diligentibus repromiſſas? Ideoque celeriter crudelitatis tuæ in nos exere vltionem, quos cernis nullatenus à confeſſione Chriſti deſiſtere vſque ad mortem, vt & quę debentur hoſtibus Dei, tibi accreſcant in cumulum, & diu nobis dilatum cito proueniat præmium.

Sancti martyres trucidantur. Hinc acrioribus frendens ſceleroſus iudex clamoribus, vltimam ſuæ crudelitatis ſententiam promens, perduellium, inquit lictoribus, properate abſcindere colla, & debitam in capite contemptorum celerius retorquete vindictam. Sic ſuper crepidinem aluei conſtituti, crucis ſignaculo ſe præmuniunt, & ſic denuo enſe proſtrantur. E quibus prior Dei ſacerdos occumbens, præuius triumphator cœlum intrauit. Quod ideo iudex fieri voluit, vt ſi fortè horrore deciſi cadaueris beati Salomonis animus flecteretur: quem poſt varias deceptionum illecebras conſtantem & fortiſſimum comprobans, vltimo gladio vindice trucidari præcepit. Hæſit tamen ſuo collo non funditus vertex inciſus, quia expeditiorem beato Ruderico, quam huic Salomoni framea intulit obitum.

Sed quia cœlorum regna adeuntibus animabus nequit obſiſtere callidus ſerpens, adhuc contra exanimata corpora bellum exſuſcitat. *Ingens in occiſos Sanctos ſæuitia* Quaſi mortua ſuperare poſſet cadauera, cùm iam nullus eſſet ſpiritus, qui potius irrideret, quàm ſentiret tormenta: aut quaſi aliquis titulus putaretur victoriæ, cum defunctis bellum inire. Vt ergo paſſionibus Chriſti communicarent Martyres, inſtinctu ferocitatis à diabolo præſes armatus, ſub cuius dira crudelitate totius dignitas Cordubenſis tunc grauiter vexabatur, iubet corpora martyriali cruore perfuſa veſtigiis inverſis configi, ac deinceps fluuiali abyſſu recondi. Eadem nocte ingenti lapidum onere alligata, ſeparatim vaſtiſſimo gurgiti immerguntur. Sperabat miſer elementis imperare vndarum, quæ præſtantius intendere nouerant creatoris imperium, vt creditas ſibi opes martyriales non ſolum à belluis conſeruarent, verumetiam erepta ſaxorum pondere membra placido remigio fluctuum ad locum quietis veherent.

Diui Eulogii pientiſſima audacia. Ego interim peccator Eulogius, qui geſta beatorum meo elucubranda ſtylo dudum decreueram, cum rumor conſummatæ paſſionis eorum vbique diſcurreret, expletis miſſarum ſolenniis, ipſorum inuiſenda corpora quadam vegetatus audacia adii, ac propius quam cætera ſpectantium turba accedere non veritus ſum. Et teſtis eſt redemptor meus, qui hoc commentarium diſcuſſurus eſt, quia non mentior, quod tanta decoris pulchritudine deciſſa illa cadauera fulgebant, vt crederes, ſi à quodam ſciſcitarentur, protinus loquutura.

Nonnulli etiam è turba gentilium venientes ſumebant lapillos fluminis, qui cruore Martyrum erant aſperſi, & lymphis abluentes proiiciebant in pelago, ne Chriſtianis in emolumentum exiſterent lipſanorum, neſcientes quod nihil obeſſet *Inuentio ſanctorum corporum* ab his partem adimere, quibus totam decreuerat Dominus paſſionem donare. Nam credita algarum latibulis membra, & altis abyſſorum gremiis deputata, quæ tam celanda, quàm pabula piſcibus miniſtranda ſuſceperant illico diuinitus ad ſuperos reuocata, non ſolum nequeunt retineri, verumetiam leniori ſpiramine reciprocanti fluctuum alternatione, quæ diſperſa tenebantur, incolumia littoribus exponuntur. Sanè beati ſacerdotis ſuis non hæſerat ceruicibus caput, quia ſemel illud vno ictu ſatelles auulſerat. Et ideo alibi vertex, & alibi corpus iactatum, vnoque in loco ſabulo opertum ab accolis viculi, quo vehentibus vndis expoſitum fuerat, reperitur.

Tertios vicus Sancti Geneſii monaſterium Interea dum ſitus quietis ſanctorum notitia pene dierum viginti tempus excederet, nec vllum apparendi darent indicium: quorundam ex improuiſo relatione gentilium proditur, referentibus hoc cuidam presbytero, apud viculum Tertios commanenti, quo Monaſterium ſancti Geneſii fundatum eſt. *Funus ſancti Ruderici.* Quo nuncio idem ſacerdos compulſus beatum cadauer ſuæ depordandum eccleſiæ pergit. Cui redeunti ingens fidelium

fidelium turba occurrit, vtpote summo triumphatori debitum honorem dependere anhelans, qui talia pro Deo suo in exemplum Catholicorum non contempserit sustinere, & quia defectu solis crassum tenebrarum chaos illabebatur, totumque mundi aspectum nox cæca mutauerat, ministerio obuiantium populorum multimoda lampadum face tenebrosus horror expellitur, adeò vt nimio splendore omnia illustrante, rediuiuum ostentauerit nox illa diem emergere. Flebant omnes præ gaudio, miscebatur tripudiis luctus, & nulla contrahente mœstitia vultum, pium refundebat pupilla lamentum. Adest & venerabilis pontifex, felicium stipatus agmine clericorum, votis ardentioribus talibus interesse festinantes exequiis, qui mox sanctas reliquias adeunt, & inclitus Papa detegit, & osculis sancta membra demulcet. Redolent secreta cubiculi, quo prius beatum corpus sacerdos intulerat, miro suauitatis odore, cunctaq; cellullæ pauimenta etiam ablato puluere ferunt aliquandiu suauissimi odoris olfactũ respirasse. Fit omnibus in stuporem, quod inhumatum corpus nulla putredo insumpserit, nulla pestis infecerit, nulla tabes corruperit, nulla bestiarum altiliumue rabida fames discerpserit, nec propriæ cutis qualitatem tot dierum interiecta capedo degenerans immutauerit. Sicq; sacerdotum & religiosorum officio sanctum corpus è cellula sacerdotis humandum Ecclesiæ inferentes, dant cuncti hymnorum cælestium clamorem egregium, resonant ora fidelium congruenti carmine melos, præstrepunt omnes diuinæ cantionis euphoniam, implentur atria Domini murmure sancto psalmorum, feliciumq; laudum odam omnes quasi ex vno ore persoluunt; & suaui concentu omnibus percrepantibus, largoq; fomite luminum totius aulæ penetralibus relucentibus, regem Christum militia comitante cælicolum ad spectaculum illud, exequiis innuebat interesse sanctorum.

Expleta igitur functione sanctissimi Ruderici, fit ardentior cunctis intentio requirendi beati Salomonis corpusculum, quod relatione multorum impetu fluminis salo credebatur esse transmissum. Nam hæc opinio prouidum magis Christicolarum ausum inhibuerat, quam furens conspiratio præsidis, quæ acrioribus vlciscendum legibus exploratorem reliquiarum promiserat. Etenim cum nullum latentis corporis instaret indicium, moueretque omnes spes beneficientiæ Dei, qui reuelare abstrusa, & aperta condere cõsueuit, prærogatiua quodammodo diuinitatis potentia, qua in cœlo & in terra, in mari & in abyssis omnia quæcunq; vult, ordinat, disponit, & facit: subitò per quietem, quo situ corpus martyris delitescat, prædictum admonet sacerdotem. Cumq; sacerdos monentem de loco sui latibuli sciscitaretur, seseq; instrui quæreret, quod explorandi tenere debuisset indicium; in illa, inquit, ripa fluminis, quæ vico Nymphiano adsciscitur, ibi à commeantibus inter fructeta tamaricum proiectus, cespitis limosi perfruor vili sepulchro. Pergit securus ad locum sibimet diuinitus demonstratum ille sacerdos, nec aliter, quàm quod ei reuelatione ostensum est, reperit. Quod illico summis reuerentiæ, obsequiis comptum ad vicum Colubris deportans, venerabilium Dei sacerdotum officio in basilica sanctorum Cosmæ & Damiani honorifice tumulatur. Consummauerunt autem beati Martyres agonem suum tertio Idus Martias, Era DCCCXCV. regnante domino nostro Iesu Christo in secula seculorum. Amen.

Sancti Salomonis Martyris corpus inuentum.

Vicus Nymphianus.

Vicus Colubris.

Basilica sanctorum Cosmæ & Damiani.

Annus Domini 857. dies Martii 13.

Ecce patroni mei Reuerendissimi, milites Christi, testes idonei, bellatores egregii, victores potissimi, tutores gregis catholici, detractoribus vestris obuius veniens, eisq; pro vigore virium mearum resistens, gesta quoq; victoriarum vestrarum ad exemplũ fidelium ordinaui, vt tam proficeret cupientibus ire ad regnum, quàm mihi occurreret ad expiationem facinorum. Quia non displicere vobis, quæ de vobis vera disposui, existimo: quinimo grata vobis, Christoque digna obtentu vestro futura credidi cuncta, quæ in hoc opere edidi. Vnde obsecro vos ego peccator Eulogius, pauper meritis exiguus sanctitate, & culpa multimodus, vt digna intercessio vestra tuitionem mihi, & inter ingruentia mundi scandala præbeat, & inter supplicia inferorum, quæ pro meritis expauesco, defensionem exhibeat: sanctificando me gratia huius opusculi, dignũq; efficiendo, quod sordidus sordidaui. Et si fortassis error contrarius fidei in qualibet parte libelli emersit, Dominus vestro interuentu mihi parcat, vos quæso, quibus innocentia cordis mei non latet. Præsertim cùm non nesciam, prudentes plerunq; incurrere sermonis lapsum, vbi animus non gerit errandi affectum.

EXPLICIT DEO FAVTORE LIBER APOLOgeticus, pro gestis sanctorum Eulogii peccatoris.

Ita fuit in exemplari.

SCHOLIA IN APOLOGETICVM SANCTORVM MARTYRVM.



Vod fraterno cruore.) Aduerte receptam illorum temporum fuiſſe opinionem, ſanctum latronem fratrem interemiſſe. Nam aliis etiam locis hoc ipſum diuus Eulogius innuit, cap. 17. lib. 3. Mem. Sanct. pag. 71. patricidam appellat.

Et apud Legerenſe cœnobium.) Huius Monaſterii meminit etiam Epiſtola ad Pompelonenſem Epiſcopum, vbi nos de ipſo, & de vrbe, plura dicemus: perdurat enim adhuc incolume.

Mahometis initium.

Exortus eſt nanque Mahomet.) Annus Heraclii Imperatoris ſeptimus, idem fuit Ieſu Chriſti domini noſtri ſexcenteſimus decimus ſeptimus. Annus Eræ hic notatus annum vnum ſuperadiicit. Neq; vlla tamen eſt repugnantia. Nam vnius anni diſcrimen inde potuit prouenire, quod vnus Heraclii annos emergentes, vt aiunt, alius cōputet vſuales. Sed non eſt huius loci hæc exquiſitius rimari. Hæc autem, quæ de Mahometis initiis, progreſſibus & fine ex eo codice Legerenſis cœnobii Eulogius ſe refert habuiſſe: iiſdem verbis leguntur in paruulo, eodemq; vetuſtiſſimo codice literis Gothicis in membrana deſcripto, qui eſt in bibliotheca huius noſtræ Academiæ Cōplutenſis. Quanquam abſciſſum folium aliquot lineas in principio abſtulit. Exemplar etiam conciliorum ante ſexcentos annos ſcriptum, quod ex Monaſterio ſancti Emiliani de la Cogolla in Regium Diui Laurentii del Eſcurial aduectum eſt, eandem hanc habet hiſtoriam.

Septem primi Hiſpaniæ Epiſcopi.

Eccleſia beati Euphraſii.) Diuus Euphraſius vnus ex ſeptem Epiſcopis fuit, quos primos Petrus & Paulus Apoſtoli Roma in Hiſpaniam miſerunt. Multi Diui Iacobi Zebedæi Apoſtoli diſcipulos fuiſſe tradunt. Ego in hoc ex probatis authoribus nihil compertum habeo. Quod potui in noſtra hiſtoria peruestigaui. Illud omnes affirmant Hiſpanorumq; Eccleſiæ ferme omnes in matutinis legunt, Diuum Euphraſium Iliturgi & prædicaſſe, & obiiſſe. Fuit autem Iliturgi oppidum ad Bætim fluuium ſupra Cordubam, cuius Liuius, Polybius, Strabo, Plinius, & Ptolomæus meminerunt. Eo autem loco ſitum fuiſſe Plinius memorat, vt credi rectè poſſit, eodem ſitu, aut non longè collocatum fuiſſe, quo vrbem nunc, Anduiar dictam, eſſe videmus. De quo latius nos in noſtris Hiſpaniæ antiquitatibus diſſeruimus. Illud hic operæ pretium fuit aduertere: tempore etiam Gothorum huius Diui beatum corpus, cum templo eidem dicato ibidem permanſiſſe. Nunc nec aliqua ſaltem in ea ciuitate eius memoria retinetur. Iuxta opulentum illud Diui Benedicti cœnobium Samos appellatum, de quo plura in Cordubenſibus dicemus antiquitatibus: huius Diui corpus in oppidulo dicitur aſſeruari: & ſepulchrum quidem magna relligione vidimus ab accolis venerari.

Iliturgi.

Toleto quoq;.) Rudericus Toletanus, & Lucas Tudenſis, atq; alii rerum noſtratium authores huius templi ſtructuram ab hoc rege cœptam, & miro opere, ita enim ſcribunt, perfectam celebrant. Et ſequentibus deinceps temporibus, neq; antea vnquam, concilia in eo templo celebrata fuiſſe videmus. Creditur autem hoc ipſum eſſe templum ſanctæ Leocadiæ, quod extra vrbem hodie perdurat non longè ab flumine Tago. Nam duo alia eius Diuæ intra vrbem viſuntur.

Qui ridiculum potius.) Iiſdem verbis libro primo vſus Diuus Eulogius fuerat. De illo autem Sarracenorū ex turribus clamore, de quo paulò poſt Diuus Eulogius, mentionem etiam, Indiculi Luminoſi author, fecit.

Ruderici regis aureus nummus.

Igitur beatus Rudericus.) Rudericus verum eſt nomen, quod in Rodrigui nos Hiſpani corrupimus. Nam nummum aureum Ruderici, vltimi Gothorum regis, vidi, qui cum eius vultu has in orbem literas habuit inſcriptas. IN DEI NOMINE RVDERICVS REX. Et parte auerſa circum crucem. EGITANIA PIVS, in antiquiſſimis libris manu ſcriptis ſemper Rudericus legitur. Et Ruderici Archiepiſcopi Toletani ſubſcriptiones authographas nonnullas in publicis archiuis per totam hanc metropolitanam Toleti ditionem vidimus, vbi Rudericum ſe, non Rodericum nominat.

Quæ ſignorum geſtamina erant.) Mirum eſt Arabes huiuſmodi ænea cymbala in templis Chriſtianorum ante hanc direptionem permiſiſſe, qui alia multo magis impietati ſuę tolerabiliora, vt apud hunc auctorem cernimus, vetarent. Pretio antea redemptum

ptum hoc ipsum, & tributo imposito donatum crediderim: nunc verò impietatem cum auaritia certantem vicisse. Et de cymbalo eius temporis, quod hodie perdurat, suo loco diximus.

Deniq; cùm exoptatum.) Habdarrahgman patrem, & Mahomad eius filius reges intelligit.

Ad vicem exquisiti muneris.) Hæc verba quem sensum habere possint, nec diuinando assequi possum, nec quomodo emendari possint succurrit.

Qui discipulum in carcere.) Hoc ideo dicit, quia Diuus Ioannes Baptista cùm iam in vinculis positus discipulos suos ad dominum Iesum misisset: hæc ipsa verba eidem, quem hic discipulum appellat, nuntiare iubentur.

Hæc sunt diabole.) Verba esse videntur Ruderici, dæmoni insultantis. Deesse verò aliquid videtur, quo hæc ab illo dici significaretur. Alioqui prosopopœia subitò irrumpens, constare non potuit.

Ordine & natione dissimiles.) Non dubito, quin desint etiam aliqua, quę de patria, & vitæ instituto Salomonis tradiderat. Nam qui potuit nunc Eulogius hæc referre, nisi securus se iam necessaria, vt hæc intelligi possent, retulisse.

Et super crepidinem aluei.) Hinc perspicuè intelligitur, forum ad Bætis littus fuisse. Nam cùm in forum essent hi duo martyres, vt occiderentur, deducti, ad ripam decollantur. Et Diui Eulogii cadauer in alueum fluminis præcipitatum non longè ab arce, vt in eius vita annotauimus, iacuit. Ante arcem platea haud dubie forum habuit, & tribunal, vt ibidem dictum est.

Ac propius quam cætera turba.) hęc erat sancta diui Eulogii audacia: hæc digna futuro martyre magnanimitas. Cum cæteri Christiani infidelibus immixti se continerēt ne mortis periculum adirent, si ad contemplanda martyrum cadauera propius accederent, ipse vnus contemto mortis metu, Deum in sanctis suis laudaturus, turba se eximens, ad patibulum ferme ipsum progreditur. Satis verò apparet quantum discrimē illa eius adirent fortia vestigia: quum Arabes adstarent, nomini Christiano & martyrum glorię tantopere infensi, vt quod sequitur etiam minutulis eorum sanguinis guttis irascerentur.

In pelago) Ita fuit in veteri, & quamuis credam fluuii aquam qualencunque significari: non tamen tacebo, quod ea Bætis pars, quæ à solis porta aut paulo superius, *Bætis pelagus.* ad pontem aut paulo inferius, hoc est ad arcem, veteris vrbis mœnia, vt suo loco dicemus, alluit, peculiari nomine nunc vocatur Pelagus. Et cum ex re ipsa hoc nomen inditum, aut potius adaptatum fuerit: quia nimirum toto eo tractu flumen ipsum laxius stagnet, & in pelagi formam protendatur: credi facile potest, eodem etiam tempore ita fuisse nuncupatam, proprioque nomine hic diuum Eulogium vsum fuisse

Libsanorum.) Libenter diuus Eulogius Græcis nominibus vtitur: Græce idem est quod apud Latinos reliquiæ.


Ab accolis Viculi.) Deesse nomen proprium oppiduli existimo. Numquam enim ipsum author solet prætermittere.

Apud viculum Tertios.) & vici & monasterii meminit Aluarus in diui Eulogii vita: & idem diuus alibi non semel. Sunt autem Genesii duo martyres ambo in Dei ecclesia percelebres, Romanus alter, alter Arelatensis. Vtriusque Martyrium vno eodemque die hoc est Augusti XXV. recolitur.

Et quia defectu solis.) Assurgere tentat hoc loco oratio. Et pectus illud diui Eulogii Deo plenum, & sanctorum goriæ cupidissimum, interna deuotione instinctum, feruentius prorumpit. Nec deest eloquentiæ natiua vis, sed verbis, quod fuit temporis, destituitur, & modo quod fuit regionis caret.

Et inclitus Papa.) Aliquot etiam retro seculis Papæ nomen, quod patrem significat, Episcopis quibusque iam commune fuerat. Prudentius ad Valerianum episcopū scribens in Hippoliti martyris passione. Rorantes saxorum apices vidi, optime Papa. Et multæ Sidonii Apollinaris epistolæ episcopis scriptæ, hunc titulum præferunt. Postea vsus tenuit, vt hoc nomen summo Pontifici Romano totius ecclesiæ Christianæ capiti solummodo. per antonomasiam quandam, tribueretur

Era DCCCXCV.) LXXXV. fuit in veteri: sed perperam profectò. Era enim nonagesima quinta fuit notanda: quandoquidem Machomad rege regnante, quod supra dixerat, interfecti sunt hi duo martyres: qui postremi omnium passi hoc tempore ante Eulogium videntur, anno Domini octingentesimo quinquagesimo septimo.



IN NOMINE DOMINI INCIPIT LIBER, DOCVMENTVM MARTYRII EVlogii presbyteri, quod in carcere positus, virginibus Christi, Florae, & Mariae ergastulo mancipatis, dicauit.

Titulos qui in exemplari fuerunt omnes reliquimus.

PROOEMIVM OPERIS SVBSEQVENTIS.



Vi copiis rerum, & multiplici quaestu pecuniarum exuberant, quicquid in rebus terrenis affectant, facile consequuntur. Sed multo aliter est penuria & fame vexatis, qui vix quotidianum victum operoso sudore capessunt. Diues enim cogitauit & fecit, pauper cogitando defecit. Ast ego illis longe inferior egestate scientiae laborantibus: & eorum, qui exigua literarum parcitate subnixi sunt, nimium vltimus, hoc opus abiecto satis (ita dixerim) stylo sensuque digestum, ex eo Documentum Martyrii appellaui, ex quo quorundam virginum animos reorum mancipatarum specui ad consumandũ cursum certaminis imbui: seu quia profuturum fore caeteris talia exquirentibus credidi. Non igitur facundiae nitore, quae mihi oppido deest, materiam libri succinxi, non leporem venusti sermonis in extructione eius intendi. Sed quomodo per huius instrumenti virtutem Deum possem propitiari, meoque me reatu absoluere: quoniam scriptum est, Qui conuerti fecerit peccatorem, saluat animam eius, & suorum cooperit multitudinem peccatorum. Et iterum, Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt sicut stellae in perpetuas aeternitates. Inde hoc prooemiũ & praesentibus & futuris precem humilem defert lectoribus, vt simplici studeant percurrere animo, quod simplexque dictauit intentio. Et si fortassis in aliquibus sanae doctrinae sententiam meam obstare repererint, nescientiae id, non voluntario errori ascribant: meliusque emendando indulgeant, quam reprehendendo derogationibus vacent, quia non erit ad culpę meae titulum coram Domino referendum crimen, quod non est vltroneo lapsu commissum.

Iacobi cap. 5.

Danielis. 12.

EVLOGIVS SERVVS CHRISTI VIRGINIBVS SAcris Florae, & Mariae carcere compeditis, salutem.



Aruum hoc opus instructioni vestrae, vt reor, necessarium, Sanctae in Domino Iesu Christo Sorores, operae pretium condere visus sum, quod Deo fautore vobis fiet proficuum, mihique & nunc, & in futuro examine surget in testimonium. Vel quia ipsius dono, & sancti illustratione spiritus organũ linguae meae pręconio veritatis repleri confido: vel quia coeptũ voluminis huius labore ab eo & perfici & sanctificari spero: vel quia fecisse vos magna & laudabilia verbis prędico, sensibus admiror, literis effero: superasse vos viros, superasse clericos fateor. Excessit virtus vestra pręclara monumenta virorum, & in excelsis elatum laboris vestri vexillum dat omnibus pię operationis documentum. Incitando desides ad triumphum, imbecilles armando ad praelium, debiles roborando ad bellum, tergiuersantes hortando spe vincendi rediuiuum ad castra pugnatorũ facere reditum, & vniuersae ecclesiae specimen pro veritate moriendi exhibendo signiferum. Propterea non discedet laus vestra de ore hominum vsque in seculum. Siquidem praeconabilis est virorum victoria, excellentior tamen foeminarum extollitur palma: & cum magnum sit in viris victoriae signum, plerunque gloriose efferuntur mares triumpho adorearum. Maioris vero est admirationis laude colendum foeminas rem fecisse virorum, quippe quae sexus sui fragilitatem oblitae, celsa virtutum appetere non verentur. In qua subinde fortiũ vigor lassatur. Denique hac magnanimitatis virtute olim legales foeminę Esther & Iudith subnixae fuerunt, quae propter saluationẽ populi Dei hostium sese periculis iniecerunt. Nam vna earum Aman in perniciem Israel nefaria machinantem persuasit regi crucifigendum. Altera sopitum quiete vitiorum Holofernem saluo pudore peremit. Et sic cum excellenti victoria medias pugnatorum acies scindens, suum reuisura populum voti compos regreditur. Vnde vos quęso, Sorores meae, vt harum exemplo succinctae in excidiũ aduersarii Dei animosũ spiritum

spiritum erigatis: & vt tam vos quàm cateruam fidelium à perditionis æternæ laqueis eruatis. Est enim angusta & arcta semita: sed compendiosa celeritate vos sub vnius horæ spacio ad sponsi vestri peruenire faciet gaudiū. Non desit sacrario pectoris vestri primęuus ardor bellandi, quin potius quotidianis incrementis intra mentium vestrarum recessus sit adauctus, solenniter crepitans, Quasi ex vno ore ambæ clamatæ. Mihi *[Ad Gal. 7.]* autem absit gloriari nisi in cruce domini mei Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

Non vos, sorores meæ, seculi blandimenta decipiant, qui Christum dominum ore Apostolico audistis dicentem, Nolite diligere mundum, non est charitas patris in eo. *[1. Ioan. 2.]* Quia omne quod in mundo est, concupiscentia oculorum carnis & concupiscentia oculorum est: & superbia vitæ quæ non ex patre, sed ex mundo est: et mundus transiet & concupiscentia eius. Non vos copia rerum illiciat, quia scriptum est: Nolite sperare in iniquitatibus, & in rapinis: nolite concupiscere diuitias: si affluant, nolite cor apponere. *[Psal. 61.]* Et iterum, Nolite sperare in incerto diuitiarum. *[2. ad Tim. 6.]* Non vos carceris squalidus horror auertat, quæ verè scitis Prophetas, Apostolos & beatos Martyres per carceralia vincula ad cælestem patriam peruenisse. Multisq; secreta mysteriorum in antro positis reuelata sunt. Non vos contubernium scortorum exturbet, quoniam scriptum est: Sicut lilia inter spinas, sic amica mea inter filias: *[Cant. 2.]* & Dominus quidem cum iniquis deputatus est, & inter vtrunq; latronem affixus est. Non vos furentis iudicii terror immutet, quoniam nec capillus de capite vestro sine iussu patris vestri auelletur. Non vos conuitia iniuriarum deterreant, quoniam scriptum est, Nolite timore opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis, sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis: Et sicut lana, sic deflorabit eos tinea. *[Esai. 51.]* Non vos supplicia illata pœnarum marcescant: non immanitas dolorum exuperet: non vulneribus tormentorum vigor fidei vestræ succumbat, quia scriptum est, Nolite timere eos qui occidunt corpus, *[Matth. 10.]* animæ vero in nullo possunt nocere: sed potius eum timete, qui potest corpus & animam perdere, & mittere in gehennam. Dominus & magister vester hoc iubet, sorores meæ, & ex eius deifico ore ista prolata sunt. Iam non est vltra, quod metuas pusillus grex quoniam complacuit patri vestro dare vobis regnum. *[Luc. 12.]* Roboretur prorsus vehementius humana fragilitas, & exerta manu in certamine pro Deo suo exerceat pugnans. Ipse dabit auxilium, ipse victoriandi conferet meritum, qui tale auditoribus indixit præceptum. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consumationem seculi. *[Matth. 28.]*

Comminatur certè hostis publica vos venalitate dimittendas, foroque imponendas, & nefariis vulgarium prostituendas obscœnitatibus, crudeli exequutione nundinaliter distrahendas. Sed neque huiuscemodi obsecro cedatis furoribus, quia non derelinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, *[Psal. 124.]* vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas: ipse enim vos prouidus scrutator secretorum vestrorū, vestrique vigoris collator, propulsari tentationum molestiis nōn sinet. Quibus probari, & non succumbere posse vestrum spiritum sperat. Quod si (quod absit) persequutoris voluptas improba intercesserit, & vim corporibus inferens, dicata Deo membra libidinose inuitas oppresserit: procul sit tantum ab appetitu animi perniciosa consensio, quia non polluet mentē aliena corruptio, quā non fœdat propria delectatio. Quapropter in harum tentationum discrimine, quarum graui conflictatione hinc inde prominentibus bellis imbecillitas humana vexatur, dum corporis integritatem amittere veretur, vel perditā periisse dolet, etiam coram Domino præmia integritatis suæ meretur. Nec (dum inter homines vim perpessa iam caro turpis notam infamiæ subiisse verecundatur) crimen est: sed id potius intuendum, idque omnibus modis affectandum est, quod nos Deo inculpabiles reddat, non autem metuendum quod vulgus de nobis iudicium feret. Quoniam non vacuabitur mercede incoruptionis mens, etiam carnis integritate adempta: dummodo permaneat sub testimonio sui opificis castitas interioris hominis illibata. Nam quantumlibet aduersariis cedat infirmitas carnis, quibus datum est corpora trucidare, tormentis affligere, stupris coinquinare pœnisque diuersis addicere: in nullo tamen animabus sanctitatis propositum conseruantibus possunt nocere. Quia vt beatus ait Hieronymus, corpus sanctorum mulierum non vis maculat, sed voluptas. *[Hieronymus.]* Et iterum sanctissimus Augustinus. *[Augustinus.]* Non amittit corpus sanctitatem, manente animi sanctitate, etiam corpore oppresso: sicut amittitur corporis sanctitas, violata animi sanctitate, etiam corpore intacto. Sic Ioseph, sic Hieremias, sic Daniel, & tres pueri multique Hebræorum fideliter Deum

colentium illa tempeſtate venundati ſunt: & tamen à verbo Dei non receſſerunt. Quia nullum in ſtatum deuenerunt, quo Deum ſuum non inuenirent, illum vtique ipſum, cuius in mente & intentione paſſionem ferentes, & dum cæderentur, & dum ſecarentur, & dum lapidarentur & dum venderentur: Chriſti paſſionem cogitabant, qui impio poſt multa ſecula proditoris diſcipuli diſtrahendus erat cōmercio. Deniq; Ionas propheta Dei nutu ponto de naui proiectus, belluinis faucibus raptus, ex improuiſo carceri horrifico mancipatur. Sed tamen expers omnis rationis monſtrum illud rationabiliter creatori ſuo obſequens, myſtice tantummodo conſeruandum ſibi vatē creditum fore intellexit, & inde non demoliendam perniciter alui ſui ſpecubus reuerendam prædam repoſuit. Vt quæ erat prophetæ cauſſa periculi, fieret poſtea nationibus credituris in ſacramentum myſterii: & ex eo infractus viſceribus, & incolumis permaneret, ex quo triduani temporis ſepulturam mortis portendebat Dominicæ, quod abrogans Dei ſui mandatis parere, Tarſum maluit nauigare. Sic Malchus Monachus in captiuitate, victrici dextera caſtitatem tuetur, crudeliumque Dominorum iugo exuitur, dum pro eo, intercedente pudicitia, armata vngula ſeruit, immani feritate impium conterens Dominum, qui pudicum in antro ſuo immunem reliquerat Malchum. Sic Paulinus Nolanæ vrbis Epiſcopus vir eximiæ ſanctitatis, & incomparabilis meriti, propter vnicum viduæ filium ſponte ſubiit ſeruitutem, exemplo veri magiſtri comotus: qui dum liberum & coæternum frueretur cum patre & ſpiritu ſancto cuncta diſponendi imperium, nec præiret genitoris poteſtas maieſtatem prolis coæuę (quia natura diuinitatis indiuiſibiliter perſiſtente, diuerſitas perſonarum inconfuſa manebat, vna eademque patris filii & ſpiritus ſancti ſubſtantia exiſtente) nō rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniens, formam ſerui accepit, humiliauit ſe vſque ad mortem, mortem autem crucis.

Ioha. 2. — *Malchus Monachus.* — *Sanctus Paulinus.* — *Ad Philip. 2.*

Quapropter ſorores meę, hoc Dominicæ paſſionis exemplar ante oculos cordis ſtatuentes, & eius veſtigia iugi meditatione ſequentes, omne temporale ſupplicium pro nihilo reputate. Quia licet ſit aſperum & amarum, breue tamen eſt atque fini contiguum, & ſub vnius momenti ſpatio aut qui infert perit, aut ſuſtinens deficit. Quia pœnæ ſi acriores ſunt, citò ingerunt patiendi defectum, ſi verò leuiores ſunt, facilius tolerantur. In vtroque ſemper gloriandi vobis manet trophęum: in vtroque ſemper felicitatis cumulatur profectus, dum per multimodam excruciationem veluti aurum igne probatum, puriores animæ veſtræ decidentibus ſcoriis vitiorum redduntur, & acrius pœna graſſante, maturum laureandis vobis infert interitum: incunctanter vos nihilominus ad verum præmittens ſolatium, de quo per prophetam dicitur: Dabo eis ſolatium verum, pacem ſuper pacem.

In huius igitur vitæ corruptione, quantalibet quiſq; noſtrorum tranquillitate fruatur, commodis vegetetur, proſperitate feratur: ex eo tamen quia peregrinamur à Domino, magis deſolationem eſſe, quam pacem in veritate fatendum eſt. Quia cuncta, quæ temporalibus rebus hærent, & vario mundi lumine perluſtrantur, nihilominus vanitati corruptioniq; ſuccumbunt, & facilè à ſtatu ſuo labuntur, dicente Salomone, Omnia vana ſub ſole.

Eccles. 1.

Hinc vehementius piis Deo affectibus ſupplicandum eſt, ſanctiſq; frequenter ſtudiis inſiſtendū, & quaſi lucerna in caliginoſo loco lucente diuinarum ſcripturarū pręcepta ſanctorumq; iura verborum è tenebris noſtrę peregrinationis, quibus à Domino, & beatorum conſortio ſeparamur, contemplanda ſunt, & ſeruanda donec dies luceſcat, Lucifer oriatur in cordibus noſtris. Vnde, ſi libero aſpectu Deum cernere anhelamus, prius fide corda purificanda ſunt, operibus conſecranda, & muro charitatis hinc inde vallanda, quibus profecto illius ſacri Euangelii ſponſione incunctanter condigni habeamur, qua dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Inde quęſo vos beatæ virgines, ne perdatis coronam vobis paratam, nec vos è charitate Chriſti cuiuſquam rei mundialis oblectatio ſegreget, ſed æquo animo cum Apoſtolo prædicate dicentes: Quis enim nos ſeparabit à charitate Dei? tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculū, an gladius? Sicut ſcriptum eſt, quoniā propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus vt ouis occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus, propter eum, qui dilexit nos. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque fortitudo, neque altitudo, neq; profundum, neque inſtantia, neque futura, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Quin potius iſta omnia propter æternam retributionem alacrioribus animis votiſque ardentioribus & querenda ſunt

1. Petri. 1. — *Math. 5.* — *Ad Ro. 8.*

ſunt, & ferenda. Manet enim vnicuique apud Dominum repoſita laboris ſui corona: & pro qualitate certaminis repenſabit ille fructum mercedis.

Equidem nec nos diuino beneficio extorres fieri credimus, nec expertes, aut ingratos cæleſti munere ſperamus: quia licet inuiti, tamen pro nomine ſuo ſumus deuincti, & alto ergaſtulorũ laqueo deligati. Repleta ſunt penetralia carceris clericorum cateruis, viduata eſt Eccleſia ſacro præſulũ & ſacerdotũ officio. Horrent diuina tabernacula ſqualidã ſolitudinẽ: aranea rexit templũ, tenent cuncta ſilentium. Confuſi ſunt ſacerdotes, & miniſtri altaris, quia diſperſi ſunt lapides ſanctuarii in capite omniũ platearũ: & deſinentib⁹ in conuentu hymnis cantionũ cæleſtiũ, reſonant abdita carceris murmure ſancto pſalmorũ. Nõ promit cantor diuinũ carmẽ in publico: non vox Pſalmiſtæ tinnit in choro, nõ lector cõcionatur in pulpito, nõ leuita euangelizat in populo, nõ ſacerdos thus infert altaribus. Quia percuſſo paſtore diſperſionẽ intulit aduerſari⁹ gregi catholico, priuata prorſus Eccleſia omni ſacro miniſterio. Et licet hæc inuiti ſuſtineamus, non eſſe tamen imunem coram Domino detentionẽ noſtram confidimus.

Miſera Eccleſiæ perſequutio.
Thre. 4.

Quanto vos nobilior gloria, præſtátiorq́; corona, ô ſanctæ ſorores meæ, expectat, quæ ſpõte ſæculo, & fluxibus eius renũtiantes, zelo Dei armatæ, intrepido greſſu cõtra hoſtẽ fidei libero exiliſtis proceſſu (Dignæ quidẽ munere diuino, cõdignæ autem prophetali oraculo, quo dicitur, Qui ſponte obtuliſtis de Iſrael animas veſtras ad periculũ, benedicite Domino) Proferentes teſtimoniũ veritatis in auctorẽ ſceleris, & inſtitutorẽ peruerſi dogmatis, victricia cõtra eum arma aſſumite. Ieiuniis, vigiliis, orationib⁹, & clamorib⁹ dieb⁹ ac noctibus inſiſtentes. Rogo vos, ſanctæ ſorores, ne deſiſtatis à cœptis, ne ceſſetis ab inchoatis, ne reſiliatis à præliorũ auſpiciis, quia non inchoantib⁹ præmiũ, ſed perſeuerantibus datur. Ne reſpiciatis retro, nec primã fidẽ irritam faciatis, nec manũ ſuper aratrũ tenẽtes, ab itinere regio in deuiũ declinetis. Feſtinate ad mercedem laboris veſtri vos accingere, cõtendite ad culmẽ perfectionis aſcendere. Quia poſt victoriã miles coronatur ſtrenu⁹; & iam cõſumato labore, cõductis mercenariis merces diſpenſatur. Nam & qui certat in agone non coronatur, niſi legitimè certauerit. Certare verò legitimè eſt, omnibus à corde excluſis labentiũ rerũ affectibus intuitu capeſſcendi regnũ cœlorum, aut cũ iuſtitia viuere vſq; ad mortẽ, aut nõ timere propter iuſtitiã mortẽ. Nã cum iuſtus rediuiuã ſemper dæmoniorũ vſq; ad obitũ perferat litem, nec deſint ab eo tẽtationes vſq; ad finẽ, receptur⁹ pro qualitate certaminis in futuro mercedẽ, quãtauis ſanctitate præcellat, nõ pergit ſecurus, nõ vadit ad Deũ intrepidus. Ille verò, qui ſectãdo iuſtitiam, pro iuſtitia mori eligit; celerẽ iuſtãtibus bellis defectũ imponit, æternũq; indubius ad regnum aſcendit. Sit qualis vult, & ex quibuslibet vitiorũ laqueis ſeu peccatorum ſordibus venerit, etiamſi illotus baptiſmate ad Martyriũ conuolauerit, nihilominus coronatur.

Iud. 5.
1. ad Thim. 2.

Ne terreamini, ſorores, furoribus perſequentium, neq; formidetis à faciebus eorũ, neq; enim timere vos faciet dominus vultum illorũ. Vobiſcũ ille eſt, qui vos armauit, idem propter vos pugnat, qui incitauit. Nec adiuuare deſiſtet ille ipſe, qui vos ad hunc peragendum agonem elegit, quo deuictis aduerſitatum ſtimulis ſecum iure perenni conregnare faciat temporibus infinitis.

Verũ ad eos veniamus, qui vos ab hac intẽtione inhibẽdas eſſe putarũt, & illã primordialẽ cõfeſſionẽ veſtrã infringere, & negare iuſſerũt, quam vos incitante Chriſto ſponte corã iudice protuliſtis. Nos autẽ talia vos agere interdicim⁹, quia Deo eſt obediendũ, poti⁹ quã hominib⁹. Magiſter n. noſter, fũdatores Eccleſiæ Apoſtolos noſtros ad prædicationẽ Euãgelii informãs, hoc eis dedit præceptũ. Si quis me cõfeſſus fuerit, & verba mea in generatione iſta adultera & peccatrice: hunc & filius hominis cõfitebitur, cùm venerit in gloria patris ſui & ſanctorũ angelorũ. Non oportet, ſorores meæ, votũ veſtrũ irritũ facere, quia ſcriptũ eſt: Si quid vouiſti Deo, ne tarderis reddere. Diſplicet n. ei infidelis, & ſtulta promiſſo: ſed quodcunq; voueris, redde. Multoq; meli⁹ eſt non vouere, quàm poſt votũ promiſſa negare. Non erit Deo inultũ, vt poſt cõfeſſionẽ veritatis denuo veritati repudiũ detis. Illudq; os quod teſtimoniũ veritatis proferendo diuinitus ſacratũ eſt, mendacio polluatis. Qui enim iſta vos facere iubent, nihil aliud quam mentiri ſuadent. Et qui ad hoc mentes veſtras inclinare cõtendũt, nihil aliud quam veritatẽ negare cõpellunt. Nulla itaq; differentia eſt inter mendacẽ, & veritatẽ negantẽ. Quia eodẽ reatu mihi videtur aſtringi vera abrogans, quo & falſa depromẽs. Mendax n. nititur falſum cõmentũ loco veritatis inſerere: vera autẽ obtegens ſilẽtio ſuo falſitati adminiſtrat vigorẽ. Hinc euenit, vt veritas celata nõ pateat, & falſitas ſubnixa præualeat. Vtrũq; verò vnũ ſũt, & ob hoc impunita nõ erũt: Scriptũ eſt enim, Teſtis falſus non erit impunitus. Et iterum, Os quod mentitur occidit animam.

Marc. 8.
Eccl. 5.

Quare ergo ſanctiſſimæ ſorores, vosmetipſas interficere, veſtrarumque animarum parricidias fieri non timeatis? Neque enim aliud agit, quam hominem occidit, qui ſeipſum occidit, & grauioris culpæ criminibus obnoxius iudicatur lictor animarum, quam corporum. Quoniam eliſa caro quandoque ſurgit pro meritis cum anima regnatura in gloria: vitiis autem anima interempta ſecum pariter carnem pertrahit ad gehennam.

Nunquid mentitæ eſtis in eo, quod patulis aſſertionibus in aduerſarium fidei catholicæ protuliſtis? Nunquid omne conuitium quod in ipſum præuium Antichriſti dixiſtis, non verum & certum eſt? virum dæmonioſum, Sathanæ miniſtrum, mendacio plenum, mortis ac perditionis perpetuæ filium. Nunquid non omnis Catholica Eccleſia identidem quod & vos, Deo teſtimonium refert?

Proponunt certè vobis expugnatores ſancti propoſiti, eremitatem Eccleſiarum, compeditionem ſacerdotum, diſpoſitionem miniſteriorum: & quod non eſt nobis in hoc tempore ſacrificium, nec holocauſtum, nec oblatio, nec incenſum, cuncta vaſtante ſacrilega manu, omniaq; turbante fauore tyrannico. Sed reſpondendum eſt eis, ſacrificium Deo acceptabile eſſe ſpiritum contribulatum: & quod in anima contrita, & *Ioan. 21.* in ſpiritu humilitatis ita à Domino ſuſcipiamur, ſicut in holocauſtis arietum & taurorum, & ſicut in millibus agnorum. Quia non eſt confuſio confitentibus eum. Vos ergo ſorores beatæ, iam in illo reti Dominico captæ eſtis, quod in dextera nauigii ad præceptum magiſtri miſſum, plenum magnis piſcibus littori expoſitum eſt, ad hoc reſeruatum, vt ſcrutinio Apoſtolorum foris malis proiectis, perenni vos ſocietate iungamini electorum catalogis. Si verò ſciſcitante iudice, negaueritis vos maledixiſſe vatem, maledicemini: nec deteſtatas fuiſſe, quod Dominus deteſtatus eſt, duplici peccato eritis obnoxiæ. Vnum erit mendacii, negando veritatem, quam iam confeſſæ eſtis: aliud ſubtrahendo coram inimico iuſtitiæ verbum confeſſionis. Et certè quæ non maledicimus, è contrario benedicimus: & quem non deteſtamur, quaſi fauendo noſtræ ſocietati admittimus,

Vnde inſiſtendum eſt, ſorores meæ, vt cœpta bella cum diuino auxilio in pace animarum veſtrarum conſumatis, noſq; potiori iuteruentu de cœleſtibus tueamini. Quoniam ſi ſic vobis pius Dominus non deeſt auditor, facilius tamen eius coutubernijs cohærente, quicquid ab eo petieritis, impertietur. Quia ſic immaculata virginitas liberis paſſibus Dominum ſequitur, ſic munda caſtitas a Redemptoris ſui conſorrio non auellitur: ſic etiam purpureo Martyrii aſperſa cruore ſertis diadematum victrix amicta comitatur. Deus enim Eccleſiam ſuam à moleſtia vaſtatoris defendet, nos quoque ſicut voluerit inuicte poteſtate de vinculis iſtis eruet, & cuſtodiet, ſedibuſq; propriis miſertus reſtituet. Vos tantum ſorores, perſeuerate vſq; ad mortem carnis, vt non *Matth. 10.* ſolum animarum periculum euadatis, verumetiam in vitam æternam eas cuſtodiatis, dicente Domino: Qui perdiderit animam ſuam propter me, in vitam æternam cuſtodiet eam. Tunc autem quo pacto inculpabiles eſſetis, ſi communi cum noſtra Eccleſia ſilentio in hac re vteremini, non deteſtando publicè, quem frequenti impugnatione blaſphematis occultè? Nec ſtatueret vobis Dominus ad reatum, quod ſola cordis meditatione, non oris profeſſione ipſum referretis in forum, ęmulando magis prætextum huius noſtræ Eccleſiæ, quæ hoc tempore contra ipſum vatem iniquum clandeſtinis agit inuectionibus? Pro eo quod * præpediente facinore, elapſa aditione Gothorum reſpublica, quæ olim in Hiſpanis aucta felicitate Eccleſiarum, & ſumma dignitate pollente ſacerdotum, ab eis moderantibus gubernabatur: in iſtius nefandi cultorum priuilegium vatis occulto iuſtoq; Dei iudicio tranſuecta eſt. Quoniam quæcunq; Dominus nobis intulit, in vero iudicio fecit, & hæc omnia propter peccata noſtra: atq;, vt ſcriptum eſt, hæreditas noſtra verſa eſt ad alienos, domus noſtra ad extraneos. Aquas noſtras pecunia bibimus, & lingua noſtra pretio comparauimus. Serui dominantur nobis, neq; eſt qui redimat nos de manibus eorum. Qui grauiſſimo iugo colla præmentes fidelium, omne à regni ſui finibus, ſicuti cernitis, genus excludere moliuntur Chriſticolum: nunc pro ſuo libito tantummodo exercere nos ſinentes Chriſtianiſmum: nunc dira ſeruitute fœtere facientes ritu Pharaonitico ſudorē noſtrum: nunc intolerabiliter à nobis vectigalem extorquentes chirographum: nunc publicum imponentes miſerorum ceruicibus cenſum: nunc rebus nos abdicantes, crudeliter detrimentis atterunt rerum. Et ita vario oppreſſionis genere orthodoxorum fatigantes conuentum, diuerſoq; perſequutionis incurſu gregem affligentes Dominicum, gratū ſe Deo ſuo noſtris iacturis credunt præſtare obſequium. Quantò tunc præſtantior nobis glo-

**1. cauſante Ita inf. præpediente deliquio, ad Epiſcopum Pamphilonenſem.*

Hiſpaniæ deuaſtatio.

Thr. 4.

Exodi. 5.

bis gloria à Domino pręstaretur, si desidiam respuentes documento vestro excitati, talia peragere festinaremus, nec nos sub diuino impię gentis laborare stimulo pateremur. *D. Eulogii spiritus fortitudinis.* Sed nos miseri eorum oblectati sceleribus non incongrue Psalmistæ denotamur *Psal. 105.* oraculis, qui ait, Cōmixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum. Heu proh dolor, quia esse sub gentibus delitias computamus, iugumque cum infidelibus ducere non renitimur. Et inde ex quotidiano vsu illorū sacrilegiis plerūq; vtimur, magisq; ipsorū cōtubernia affectamus, quam vt exemplo Loth Patriarchæ relicto Sodomitico rure in monte saluemur. *Gen. 19.*

At vos, beatę virgines, postquam strenuè bellatrices ad publicū prosilistis certamē, & corā regibus & principibus mundi intrepida cōfessione repulistis iustitiæ hostē, pugnandum est vobis vsq; ad mortem, quia hoc genus certaminis in morte glorificatur: & tunc brauiū miles accipit, quādo moritur, eoq; fit de corona victoriæ certus, quo se ardentibꝰ bellis iniecerit moriturus. Sic vos obitū distrahentes corporeū æternū vitæ perēnis emetis statū, luci perpetuę mancipatū, dūq; cælestia pro terrenis mutando acquiritis, & dispēsando labētia in æuum mansura percipitis; meritorū vestrorū exēplaribus Ecclesiā Catholicā informatis, quo mundana abdicando supernis rebus intendat. Manet igitur vobis sorores meæ, ex vtraq; parte victoriæ cōmodum, manet ex vtroq; latere præmiorum indesinentium lucrum: & hinc non indecenter illud Psalmistæ vaticinium vestris iustis laboribus extat paratum, quo dicitur: Gloria & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in seculum seculi.

Psal. 111. Sed iam me in portu silentii constituto priusquam volumen finem appetat, & sancto in spiramine educatis arma præliandi ministrare desistat, tecum mihi paululū loqui libet, o virtutum meritis florens, Flora sanctissima soror, vt nostræ familiaritatis *Floram alloquitur.* verbum auditu placido captans, secretario cordis recondendum admittas. Nostrumq; consultum sanctificatis mentibus tuis, vt pii patris præceptum reponas. Audi ergo filia & vide, *Psal. 44.* & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui: quoniam concupiscit rex speciem tuam. Non itaque vocatio tua cæterorum similis est. Siquidem tu lupino creata coitu, & oue matre progenita, quasi ex sentibus rosa frondescis. In nullo tibi ethnicum semen obsistens, cum tamen Christiano edita partu, conceptū diuinitus, piæque matris magisterio dominum Iesum Christum adeo credula mente colueris, vt propter nomen eius acrioribus cæsa flagellis, pristinam nullatenus professionem repuleris. Noueras enim spōsum tuum dixisse: Tradent vos in conciliis, & in synagogis flagellabunt vos: & ad præsides regesque ducemini propter me in testimonium illis & gentibus. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Hinc iam tibi proposita, auspice Deo gloria cœpit te comitari martyrii. Hinc hominis tu magnifica toto orbe fama diffundi, hinc pro te rumor agonis, populos nationesque peragrans, cœpit pluribus innotescere. Denique euulsam ictibus flagellorū venerabilis tui verticis cutem, rimamque, qua cæsaries pulchra defluxerat, ego persequutionis tuæ tempore intuitus sum, dignante te illud mihi ostendere veluti proximo patri puritate reuerentiæ tuæ. Et blanda manu attrectans, quia osculis ipsa vulnera non crederem esse demulcenda: postquam à te discessi, diu alteq; memet reputans suspiraui. Exponente verò coram me diffusa cælitus gratia oris tui ingentia dolorum tuorum, casusq; periculorū, qui te presserant, & quomodo septa custodiæ, qua mancipata extiteras, diuinitus patefacta nocturna tibi silentia aditum effugiendi pręstiterint: reputaui conformem te esse Petri Apostoli passionibus per hæc eademque gesta, quæ cunctis ostenderas. Quippe quæ tunc diuinitus absoluta, post sexennium de ciuitate in orbe, de vico in oppido per multa & varia exilia, atque latibula remedio fugæ contenta fueras. Et quæ prius intuitu euadendi enormes moles transcenderas, nunc quasi monenti Christo sponso tuo ac tibi dicenti, Vbi pascis, vbi cubas in meridie soror *Cant. 1.* mea? iterum venio crucifigi: rediuiuo præliandi aucta regressu, forum adis, publicū petis, teque intrepida, confitendo Christum, & detestando fidei aduersarium, iudici offers, fortiterque ei resistens, laudans Christum tuæ salutis authorem, pietatis extollis religionē, ac deinceps impudicum vatem infamans nullatenus vera potuisse prædicare, mendacio plenum denuncias: & ob hoc congrue Dauidicum carmen decantas: Loquebar de testimoniis tuis Domine in conspectu regum, & non confundebar. *Psal. 39.* Et iterum. Bene nunciaui iustitiam tuam in Ecclesia magna. Ecce labia mea non prohibebo Domine, tu cognouisti. Iustitiam non abscondi in corde meo, veritatem tuam, & salutare tuum dixi. Non celaui misericordiam tuam, & veritatem tuam à synagoga multa. Ac si patenter diceres, Testimonium veritatis tuæ Domine hactenus

timore carnis celaui: iam nunc, tuis armata viribus, patefaciam, quia sic timere nescit Deicola, sic trepidare ignorat mens tuo munere optima. Hæc ideo, Christi famula, Domina soror mea Flora, tibi disposui, vt tantarum virtutum beneficia recolens, ne tuis collata cælitus meritis perdenda repútes, ne conculcanda pertractes. Festina ad brauium, curre ad præmium, dum tempus capessendi instat potissimum. Paratus enim est sponsus tuus dominus Iesus Christus titulum tibi conferre perfectionis, si pugnare vsq; ad mortem non cessaueris: si pro eo mori, sicut à principio elegisti, vsque ad supremũ contenderis: si hanc perfunctoriam pœnalitatem gaudiis oblectata supernis pro nihilo penderis. Quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenturã gloriã quæ reuelabitur in nobis. Certa bonum certamen, soror mea virgo beata, & si acrius vulneraris, non cedas. quia hæc vulnera æternæ sunt felicitatis auspicia, & sempiternis conferunt defectum doloribus. Cuncta permanent incolumia. Mors hæc vitam donat, cœtibus sanctorum agglomerat, & statum perennitatis fideliter ac viriliter in agone perseuerantibus præstat. Verũ quia se pridem claudi iam liber sperauerat, cum me tibi singulariter verbum facere, ô soror Flora, olim gesta primordialis martyrii tui cogerent: nunc ad vtrasque reditũ faciens, adhuc paululum cõmuniter vobis loquens, quod mereamini præmiũ, differam, & sic deinceps prolixo sermoni finem imponam.

Ad Rom. 8.

Inenarrabilia sunt, sorores meæ, præmia vestra, egregia multum nimis reposita munera. Accipietis enim à Domino fructum virginitatis centesimum, & gloriosi martyrii inenarrabile cõmodum. Occurret vobis obuiam sancta & venerabilis regina mundi virgo Maria, florentissimis virginum choris ornata. Aderunt etiã fortissimi milites Dei confratres vestri Perfectus, Isaac, Sancius, Petrus, Vualobonsus, Sabinianus, Vuistremundus, Habentius, Hieremias, Sisenandus, Paulus, & Theodemirus, qui vos pręcesserunt cũ signo fidei, & victoriã de hoste tulerunt, vobisque ianuã perueniendi ad regnũ aperuerunt, dignum itineri vestro præparantes occursum, atq; dicentes. Venite sorores sanctissimæ, ingredimini thalamũ sponsi vestri, quem eatenus dilexistis, vt propter illum mori non timeretis: Iam enim hyems transiit, imber abiit & recessit, quia temporalis tribulatio à vobis deuicta discessit. Properate sanctæ sorores, festinantes cum iucunditate faciem eius cernere, cui in veritate famulastis, pro quo mori non recusastis, vt in æternũ viuatis. Percipite mercedem vestri laboris, & sumite lauream gloriosi certaminis. Quis tunc existimare gaudium tuum poterit ô soror Maria? Quis illi felicissimæ horæ diffusam cælitus mentibus tuis lætitiã compensabit cum inter eos Leuitam agnoueris Vualobonsum, quem tibi pia parentalis affectio germanum generauit? Quis vtrarumq; vestrarũ tripudiũ mortalibus cõiecturis aut verbis humanis expediet, quæ diuino iam gremio cõstitutę, inter affluentia diuitiarũ paradisi locatę, incunctanter illius remunerationis donaria capietis? Quia oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderũt, quæ præparauit Dominus diligentibus se. Vnde obsecro vos, sanctissimæ sorores meæ virgines prudentissimæ, quæ semper oleo castimoniæ redundantes, ornatissimo lampadũ cælestiũ emicastis fulgore, quando tabernacula Domini intraueritis, vt mei memores esse dignemini, dum thalamũ vestri adieritis sponsi, eiusq; amplexib⁹ incessabili merueritis fruitione cõiungi, tuemini me precibus, defensate meritis gloriosis. Prosit mihi peccatori huius mediocritas succincta libelli, quem spiritali vestro flagrans amore vestræ saluti cõsulens edidi: quod per eum vos institui, quod ad perficienda bella Domini incitaui, q; vt cõflictu non deficeretis, ense prędicationis armaui: quod illecebras, quas fugere debeatis, ostendi: quòd pręmia, quę mereatis, disposui: quod in laudib⁹ vestris, prout potui me versaui. Vos nostis quid à vobis petierim, quid charitatis intuitu vobis indixerim. Vt digno interuentu vestro omni vitio careã, culpis exuar, nesciamq; delinquere: quo fideli famulatu, omnipotenti Deo meo cohærens, fruar post transitum tam vestro, quã Dominorũ meorũ cõsortio, in quorũ defensione & laude opus cõdidi memoriale sanctorũ, quod imanitas persequutoris me cõpulit relinquere imperfectũ, Christo fautore quandoq; nihilominus cõsumandũ. Opitulationẽ sane perparuã voluminis in fine adieci, quã & verbis simplicib⁹ edidi, & vestro necessariã proposito fore percensui: Vt crebra meditatione vestris eã memoriis alligantes, tam pro vobis iam cælestis aulæ luminibus vestigiũ cordis supertenentibus, quã pro totius Ecclesię Catholicę cõmoditate Domino offeratis, nostriq; mentionem, prout textus exorationis poscit, loco vltimo faciatis. Ita vos Deus pacis ad perfectũ sanctificet, vt animas & corpora sine querela in aduentum Domini Iesu Christi seruetis, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

Martyres Cordubenses, qui nuper fuerant coronati.

Mariam alloquitur. Vualobonsus Mariæ frater.

EXPLICIT DEO GRATIAS.

ITEM ORATIO EIVSDEM EVLOGII AD SVPRA DICTAS VIRGINES.

DOMINE Deus omnipotens, qui sperantibus in te es solatium verum, timentibus te remediû indefessum, & te diligentibus perpetuum gaudiû, accende igne amoris cor nostrum, & flāma tuæ charitatis pectoris nostri exure recessû, quo valeamus cœptum consummare martyrium. Vt dilectionis tuæ in nos vigente incendio, decidant à nobis incentiua peccaminum, & malesuadæ titillationes procul effugiant vitiorum. Vt dono gratiæ tuæ illuminati, cuncta mundi oblectamina valeamus despicere, & te puris mentibus ac votis simplicibus vsque quaque diligere, timere, desiderare, & quærere. Da nobis Domine in tribulatione auxilium, quia vna est salus hominum. Da fortitudinem præliandi in hoc certamine, & de Sion intuitu liberandi nos respice: quatenus passionis calicem tua prosequentes vestigia, possimus iucundo ore ebibere. Tu enim, Domine, Israelitas tuos, olim sub diro Aegyptiorum iugo gementes, non solum potenti dextera liberasti, verum etiam Pharaonem, & exercitum eius in medio mari demersum, ad gloriam & honorem nominis tui omnino contriuisti. Da fragilitati nostræ in hac congressione inuictum resistendi inimico præsidium, Confer inter acies dæmoniorum, & hominum contra nos insurgentium inexpugnabile dexteræ tuę auxilium. Oppone in defensionem nostram numinis tui scutum, & vsque ad mortem propter te viriliter dimicandi præbe suffragium, quo valeamus effusione sanguinis nostri passionis tuæ reddere debitum. Vt sicut pro nobis tu ipse dignatus es mori; ita nos quoque condigno pro te martyriali obitu facias interire: vt tormenta æterni supplicii per temporalē gladium euadentes, deposita sarcina carnis, ad te mereamur peruenire felices. Adsit etiam Domine absque obstaculo catholicæ plebi tua virtus piissima, defendens ecclesiā tuam à vastatoris molestia: omniumque sacerdotum tuorum corona sanctitatis & castimoniæ ope subnixa, post illibatum sacræ officiositatis ministerium cælestem adire iubeas patriam. Inter quos seruum tuum Eulogium, cuius post tuum * munus documentis instruimur, literis edocemur, solatiis confouemur, prædicationibus animamur: omnibus peccatis mundatum, sceleribus vniuersis abstersum fidelem tibi efficito famulum, tuo pereniter obsequio mancipatum: quo in hac mortalitate placitum tibi exhibens famulatum condignus tuarum in futuro habitus muneribus gratiarum saltem, vel vltimum requiescendi obtineat loculum, in regione viuorum. Per Christum Dominum nostrum, qui tecum viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

Id est, gratiâ & donum, vt Hispanismum, despuês de tu merced, sapiat.

SCHOLIA IN DOCVMENTVM Martyriale.

Virginibus sacris Floræ & Mariæ.) Diximus iam Gothorum tempore sanctimoniales fœminas variis nominibus fuisse compellatas, quod in conciliis Toletanis ostenditur. Inter cætera, sacrarum virginū nomen fuit eisdem tributum, sed enim non hinc has duas, sacras virgines appellat diuus Eulogius, cum altera tantum fuerit sanctimonialis. Sed quia martyrio iam destinatæ, tanquam sacræ victimæ, multo iustius hoc nomen promerebantur.

Triumpho adorearum.) Verrius Flaccus, seu Festus Pompeius. Adorea, laus: quia gloriosum putabant qui farris copia abundabat. Sed prǽsertim ea gloria hoc vocabulo postea significabatur, quæ bellicis rebus fuisset comparata. Inde videlicet, quod imperatores re bene gesta, frumenti genere, quod adoreum vocant, solerent donari. Plini* lib. 18. cap. 3. Gloriam denique ipsam à farris honore adoream appellabant. Et capite octauo eodem libro meminit publicorum donorum; quæ ex farre constarent. Et diuus Eulogius amat plerunque eiusmodi inusitatiora vocabula, quod alibi etiam annotauimus.

Rem fecisse virorum.) Hispanismus.

Illum vtique ipsum.) Hic locus misere fuit in exemplari lacer, & deprauatus. Nullus prorsus erat sensus. Nos quoquomodo potuimus emendauimus, & suppleuimus.

Si acriores sunt.) Ex antiquorum philosophorum subtilitate, hoc est desumptum, vt ex Ciceronis tertia Tusculana apparet. Et non ab simile est illud Senecæ. Dolor decidit, vbi quo crescat non habet.

Repleta sunt penetralia carceris.) Misera illa Reccafredi Episcopi tempora deplorat, de quibus Aluarus in diui Eulogii vita.

Non lector concionatur in pulpito.) Concionari vocat aliquid in ecclesia, aut ex sacris literis, aut ex sanctis doctoribus, & conciliis ad fidelium institutionem legere. Hoc erat proprium lectorum. Nam inter missarum solennia epistolam subdiaconus, diaconus, quod vtrumque nunc etiam fit; euangelium legebat. Homilias, hoc est sacras conciones ad populum habere hoc Episcoporum, & Doctorum tantummodo fuit.

Sic qualis vult.) Hispanismus, sease qual quisiere.

Etiamsi illotus baptismare.) Theologi sacri, baptismum flaminis vocant martyrium.

Verum ad eos veniamus,) Eos nimirum innuit, contra quos primo libro, & seorsū in martyrum Apologetico depugnauit; qui male sanis argumentis retrahere Christianos à publica confessione volebant. Et has duas virgines horum vesanis vt apparet, monitis lubrico vestigio veluti labantes nutasse, in ipsarum passiones libro primo, & in epistola ad Aluarum scripsit. Ideo validius confirmandas, & hoc errore fortius extrahendas putauit.

Euulsam ictibus.) Quæ sequuntur, fusius in harum duarum virginum passione diuus Eulogius narrat, vbi etiam de martyribus, quos hic nominat, late perscripsit.

Aderunt etiam.) Horum omnium martyrium, sanctas has duas virgines præcesserat, vt libro secundo constat.

Prosit mihi.) Epilogus concinne adhibitus, & artis integumento artificiosior.

Quod immanitas persequutoris.) Quo tempore ab Reccafredo Episcopo missus est diuus Eulogius in carcerem, nec secundum finierat, quem postea, vt ibidem narrat, expleuit.

Da fragilitati nostræ.) Sumptum haud dubie ex pia oratione, qua in sacratissimæ virginis Mariæ officio, vt vocant, ad sextam vtimur. Concede misericors Deus fragilitati nostræ præsidium.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ SEQVENTIS.

CVM in Galliam iter diuus Eulogius faceret, apud hunc antistitem fuerat diuersatus: qui beati Zoyli martyris Cordubensis ab eo reliquias petierat. Eius suæ peregrinationis historiā hic retexens, reliquias Zoyli, & Aciscli etiā transmittit: calamitates, quas Cordubēsis perpetitur ecclesia, multorumque martyria recensens. Titulos in hac & in cæteris epistolis; quemadmodum in veteri codice fuerunt, reliquimus. Et hic ille Vuiliesindus Episcopus est, cuius multum mentionem facit Innigui Aristæ regis diploma, quod in Nauarrorum historia Gariuayus apposuit: de quo in Nunilone & Alodia iam diximus.



REVERENDISSIMO ET SANCTISSIMO DEI MINISTRO DOMINO ET PATRI

meo Vuiliesindo Pampilonensis sedis Episcopo, Eulogius presbyter salutem.

Aluarus & Isidorus Eulogii fratres. Gallia Togata. Hludouicus rex Baioara. Vuilhelmus dux Gothia. Carolus rex. Habdarraghman rex. Seburici populi. Gallia Comata. Sancio Santionis comes.



OLIM, Beatissime Papa, cum dira seculi fortuna, quæ fratres meos Aluarum & Isidorum à genitali solo abducens, penè in vlteriores Togatæ Galliæ partes apud Hludouicum regem Baioariæ exulare fecit: cum me etiam propter eos diuersas adire regiones, & ignota atque laboriosā itinera subire compelleret (quoniā stipata prædonibus via, & funeroso quondam Wilhelmi tota Gothia perturbata erat incursu; qui aduersum Carolum regem Francorum eo tempore, auxilio fretus Habdarraghmanis regis Arabum, tyranidem agens, inuia & inadibilia cuncta reddiderat) ad partes Pampilonenses deuersus, putaueram me inde cito migraturum: sed ipsa iterum, quæ Pampilonem & Seburicos limitat, Gallia Comata, in excidium prædicti Caroli contumaciores ceruices factionibus Comitis Sancii Sancionis erigens, contra ius præfati principis veniens, totum illud obsidens iter, immane periculum cōmeantibus ingerebat. Eo tempore magnam mihi consolationem Beatitudo tua in ipsa peregrinatione exhibuit. Et vere summi magistri typum gerens, & in veritate eius præceptis obediens, non distulisti hospitio recreare, quem

quem tibi vera charitas Ieſu Chriſti commendauerat, dicentis: Hoſpes eram, & collegiſtis me. Ita theſauros meritorum apud patrem in cælis collocare ſtudens, præbes neceſſaria deſtitutis, foues omnia, vniuerſa tutaris: adeò vt in illo exilio meo, nihil præter affectuoſam peregrinorum fratrũ & deſtitutæ familiæ præſentiam ſuſpirarem. Lugebam ego ſæpe, ſed tu pater aſſiduè conſolabaris mœrentem: flebam multum, ſed tu pia compaſſione releuabas proſtratum. Quandoquidem iuxta Apoſtolum mecũ infirmabaris, mecum triſtabaris, plangebaſque vbertim, cum ego plorarem. Cumq; me vno reſidere loco multiplex dolor non ſineret, libuit mihi loca viſitare ſanctorum quo deiectum ſummis mœroribus animum releuarem. Et maximè libuit adire beati Zachariæ acyſterium, quod ſitum ad radices montium Pireneorum, in præfatę Galliæ portariis, quibus Aragus flumen oriens, rapido curſu Seburim & Pampilonam irrigans, amni Cantabro infunditur. Quod famoſiſſimis in exercitatione regularis diſciplinæ ſtudiis decoratum, toto refulgebat occiduo. Sed tu pater iuuas anhelantem, & ſalutari conſultu inſtruis abeuntem, pioque fratrum comitatu foues pergentem. Priꝰ autem, quàm ad eundem locum accederem, plures apud Legerenſe monaſterium cōmorans dies, præcipuos in Dei timore viros ibidem manere cognoui. Deinde alia atque alia loca peragrans, tandem diuino munere ad illud, quod ſæpius deſiderabam, perueni cœnobium. Præerat quippe ei tunc Odoarius Abbas, ſummæ ſanctitatis magnæque ſcientiæ vir. Qui, vltra quàm referri poteſt, nos dignè ſuſcipiens, omnem erga nos humanitatem exhibuit. In illo etenim beatæ congregationis collegio, quod benè centenarium numerum excedebat, veluti ſydera cæli, alii quidem ſic, cęteri vero ſic, diuerſis meritorũ virtutibꝰ emicabant. Florebat in nonnullis perfecta charitas Chriſti, quæ foris mittit timorem, pleroſque alto culmine extollebat humilitas, qua ſeſe vnuſquiſque iuniore inferior reputans, imitatores præceptorum Dei fieri contendebant. Multi etiam cum eſſent corpore imbecilles, virtute tamen magnanimitatis ſubnixi, alacrioribus animis iniunctum exercebant obſequium. Sic quoque in aliquos principatum ſuum obedientia (quę omnium virtutum magiſtra eſt) vindicans, ſuos non patiebatur executores degenerare. Sed ſupra vires grandia exercere compellebat, quoſcunque ſuo munere illuſtrauerat. Operabantur omnes certatim, alter alterum inuitans contendebat præcellere. Augebatur inuicem ardor placendi Deo & fratribus, & vnuſquiſque propriç artis induſtriam ad communem profectum exercitabat. Exercebant alii peregrinorum & hoſpitum diligentius curam, & quaſi declinanti Chriſto ad hoſpitia eorum, omnibus aduentantibus obſecundabant. Cum vero tot eſſent, nullus murmurans, nemo arrogans intererat. Studebant cuncti ſilentio, totamque per noctẽ furtiuis precibus incumbentes, nocturnum chaos peruigili meditatione vincebant. Magna ſe circunſpectione vallantes: ne Pſalmiſtæ denotarentur oraculis: qui ait, Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt.

Monaſteriũ ſancti Zacharia. Pirenei montes. Aragus fluuius. Cantaber fluuiꝰ. Legerenſe cœnobium. Odoarius Abbas.

Sed quid referre de ſanctorũ virtutibus lingua poteſt mortalis, qui in terris poſiti angelicè degunt? Et qui licet inter homines conuerſentur, propoſitum vero gerũt cæleſte? Cum quibus paululum commorans, cum ab eis vellem diſcedere, omnes ſolo proruũt, pro ſe exorare depoſcũt & cur tam cito à me deſererētur, ſupplici prece querebantur. præſtabat quippe tunc mihi chariſſimus filius meus Theodemundus diaconus comitatum: qui ab exordio itineris mei uſque in vltimum inconuulſibiliter contubernio meo cohærens, mecum totius diſcrimina illius peregrinationis confecit. Regredientibus ergo nobis præbent ſodalitatem Abbas ille venerabilis Odoarius. & Ioannes Præpoſitus: per totum vſque in veſperum diem, colloquium de diuinis ſcripturis gerentes, ſic quoque ab inuicem datis oſculis diſcedentes, ad te, Apoſtole Dei, è veſtigio repedauimus, cuius informatione tanta honoris venerabilitate ab illis patribꝰ excipi meruimus.

Theodemundus Diaconꝰ. Ioanes Præpoſitus.

Igitur cum proprium reuiſere atuum, piæ matris Eliſabeth, ſeu ſororum duarũ Niolę & Anullonis, iunioriſque fratris Ioſeph vrgeret affectu, cogis, vt adhuc remaneã nec ſinis abire merentem: ſed vtroque vulnere percuſſum cor meum tu iam mederi non poteras: cui & peregrinatio fratrum, & deſolatio domeſticorum quotidianum afferebant lamentum. Ita de noſtra charitate confiſus, rogas vt Cordubam repetens ipſe reliquias tibi ſancti martyris Zoyli dirigerem, & hoc munere Pampilonenſes populos illuſtrarem. Illico me ſatis facere petioni tuæ, reſpondi: & huius rei debitorem me vobis eſſe in veritate promiſi.

Eliſabet Eulogii mater. Niola & Anullo ſorores. Ioſeph frater. Sancti Zoyli reliquia.

Quumque à vobis egrederer, feſtinus Cæſarauguſtam perueni, cauſa fratrum meorum, quos vulgi opinio negotiatorum cohortibus intereſſe nuper ab vlterioris

Cæſarauguſta.

Maguntia.

Franciæ gremio ibidem deſcendentibus iactitabat. Deinde vrbi appropinquans, negotiantes quidem repperi, peregrinos autem meos eorum relatione apud Maguntiam nobiliſſimam Baioariæ ciuitatem, exulaſſe cognoui. Et verum fuiſſe hoc negotiatorũ nuncium, regredientibus, Deo fautore, ſuccedenti tempore ab inferiori Gallia fratribus noſtris, didicimus.

Senior epiſcopus. Complutũ. Segontia. Siſemundus epiſcopus. Venerius epiſcopus. Toletum. Vuiſtremirus Archiepiſcopus Toletanus, & eius laus.

Aliquandiu vero apud Seniorem pontificem, qui tunc rectis vitæ moribus eandem vrbem regebat, demorans, poſtea Complutum deſcendi: raptim per Segontiam tranſiens ciuitatem, in qua tunc præſulatum gerebat vir prudentiſſimus Siſemundus. Et cum ab antiſtite Complutenſi Venerio digne ſuſciperer, poſt quintum diem Toletum reuerti. Vbi adhuc vigentem ſanctiſſimum ſenem noſtrum, faculam ſpiritus ſancti, & lucernam totius Hiſpaniæ, Vuiſtremirum Epiſcopum comperi. Cuius vitæ ſanctitas totum orbem illuſtrans, hactenus honeſtate morum celſiſque meritis catholicũ gregem refouet. Multis apud eum diebus degimus, eiuſque angelico contubernio heſimus.

Ioſeph Eulogij frater.

Cumque in domum me reuocaſſem, cuncta incolumia reperi, genitricem ſcilicet, binasque ſorores, & vltimum noſtrorum omnium ætate Ioſeph: quem ſæua tyranni indignatio eo tempore à principatu deiecerat. Suſcipit peregrinum ſuum deſtituta familia, & quaſi è ſepulchro ſuſcitatũ lætantibus animis, gaudet reuiſiſſe poſt longum tempus Dominum. Ego vero ſemper in omni colloquio meo te patrem excolens ſemper inter familiares ſermocinationes tuam beneficentiam recolens, ſemper tuæ charitatis affectum corde geſtans, mentis vlnis amplector.

Pompelo Chriſtianæ ditionis iam facta.

Et quia, intercedente terrarũ prolixa capedine, multis ab inuicem diſparamur ſpaciis, obſtãte quoque alio chaos immane, quo ego Cordubæ poſitus ſub impio Arabum gemam imperio: vos autem Pampilona locati, Chriſticolæ principis tueri meremini dominio: qui ſemper inter ſe vtrique graui conflictu certantes, liberum commeantibus tranſitũ negant: inde eſt, vel quod non debitum veſtræ bonitati dependimus famulatũ: vel quod nõ pio deſiderio veſtro ſatisfecimus in trãſmiſſione reliquiarũ, ſeu quia non quibuſcũq; tales tantaſq; opes cõmittere duximus ratũ. Nunc autẽ, quia Deo diſpenſante, Dominus Galindo Enniconis ad propria remeans, ſuos reuiſere fines exoptat, per ipſum vobis prẹfati martyris reliquias deſtinauimus. Sed & ſancti Aciſcli, quas à nobis non poſtulaſtis, tranſmiſimus, vt vos ſponſionis veſtræ votum feliciter adimplentes, eorum beatæ memoriæ conſtruendo baſilicam, nobis Deo fautore propter hanc obedientiam patrocinium illorum occurrat ad veniam. Chriſto vobis omnia repenſante atque donante, quæ erga nos operati eſtis: quem veſtrum in nos olim exhibitũ non latet obſequiũ, & quia remuneratione centuplicatũ vobis valet rependere cõmodũ, qui dixit: & qui vos recipit, me recipit: & qui vos ſpernit, me ſpernit: & qui recipit prophetam, in nomine prophetæ mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet. cuncta tibi pater repoſita ſunt coram Domino, omnia apud illum, quæ piis laboribus tuis debentur, ſalua & incolumia perſeuerant, recipienda ab eo tempore neceſſario, cum iuſtus iudex aduenerit, vnicuiq; reddere pro qualitate laborum, aut præmium, aut ſupplicium.

Galindo Enniconis.

Cordubenſis Eccleſiæ perſequutio.

Deniq;, beatiſſime pater, nolumus vos ignorare tribulationẽ noſtrã quã his diebus noſtro pręcedente deliquio ſuſtinemus, vt ſolito nos propenſi⁹ orationum clypeo defendẽtes, veſtrę interceſſionis irrepudiabili merito, quod multũ apud Dominũ valere confidimus, è profundo tædiorum labyrintho erui mereamur. Etenim anno præſenti, qui eſt Era octingenteſima nona, exardeſcens ſæuus aduerſus Dei eccleſiam furor tyrannicus omnia ſubuertit, cuncta vaſtauit, vniuerſa diſperſit, retrudens carcere Epiſcopos, Presbyteros, Abbates, Leuitas, & omnem clerum: & quoſcunq; illa tempeſtate capere potuit, ferro deuinctos, quaſi mortuos ſeculi, ſubterraneis ſpecubus immerſit. Inter quos ego ille peccator amabilis veſter deuinctus ſum, & vna pariter omnes horridos ergaſtulorum luimus ſqualores. Viduauit eccleſiam ſacro miniſterio, priuauit oraculo, alienauit officio: & non eſt in hoc tempore nobis oblatio, neque ſacrificium, neque incenſum, neque locus primitiarum, quo poſſimus placare dominum noſtrum: ſed in anima contrita, & in ſpiritu humilitatis reddimus Chriſto vota laudationis, ita vt à conuentu deſinente pſalmodię, cantu reſonent penetralia carceris murmure ſancto hymnorũ. Quæ omnia prudenti relatione Dominus Galindo vobis enucleatim poterit enarrare: quia nos partim mœrore depreſſi, partim faſtidium impolitæ orationis vitantes, ſuis limitibus ſchedulam coarctauimus, ne in modum commentarii breuitas tranſiret epiſtolaris.

Propter

Propter futurarum autem generationum secula illustranda, & vt expertes nostrarum tribulationum, & ærumnarũ non fierent, saltim vel pauca è pluri nis perstringamus. Quidam enim Presbyterorũ, Diaconorum, Monachorũ, Virginum, & Laicorũ repentino zelo diuinitatis armati in forum descendentes, hostẽ fidei repulerunt: detestantes, atq; maledicentes nefandũ & scelerosum ipsorum vatem Mahomat: & hoc modo contra eum animosum spiritum erigentes, testimoniũ protulerunt. Virũ hunc, quem vos summa veneratione excolitis, & cuius sectam præstigiosam instinctu dæmoniorum elicitam, tanto honore suscipitis; magum, adulterum, & mendacem esse cognouimus, eiusq; credulos æternę perditionis laqueis mancipandos cõfitemur. Quare ergo vos, cum sitis homines prudentissimi, talibus sacrilegiis communicatis, & non potius euangelicam veritatem intenditis? Hæc & his similia, prout spiritus dabat eloqui eis, in conspectu regum & principum confitentes, omnes gladio vindice interẽpti sunt. Quorũ decisa corpora stipitibus suspendentes, post aliquot dies igne cremarũt: eorumq; cineres fluuialibus aquis perdendos merserunt: pleraq; verò inhumata præ foribus palatii relinquentes, volucribus, canibusq; deuoranda exposuerunt, adhibitis custodiis militũ, ne quis Christianorum intuitu humanitatis, carnibus nudata cadauera, sepeliret, sicut scriptum est: Posuerunt mortalia seruorum tuorum escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ: effuderunt sanguinẽ eorem veluti aquã in circuitu Hierusalem, & non erat, qui sepeliret. Quorum nomina diesq; allisionum in fine epistolæ digeremus. Huius rei causa nos deuincti manemus, propter hoc cõmpediti existimus: nostro deputantes instinctui, nostræque informationi ascribentes, quicquid illi diuinitus illustrati egerunt. Vnde quæsumus, vt suffragia orationum vestrarum in defensionem nostram adhibeatis, nostrumq; carcerem omnibus monastenasteriis vestris innotescere faciatis: & vt proni pia exoratione inuigilent, iubeatis: ita post peractum luctamen mundi de æterno præmio exultetis.

Martyres Cordubenses.

Psal. 139.

Cur captus D. Eulogi'.

Sane salutationum officia, quæ dudum alia proferendo, omisimus: nunc cernua mente persoluimus, vosque feliciori serie temporum vigere exposcimus. Petentes, vt salua honoris vestri reuerentia, non dedignemini nobis salutare amabiles, & charissimos patres nostros: id est, Fortunium Legerensis monasterii Abbatẽ, cum omni collegio suo. Odoarium Serasiensis monasterii Abbatem cum omni collegio suo. Salutamus etiam cæteros patres, quos in peregrinatione nostra tutores, & consolatores habuimus, omnemq; scholam dominicam in osculo sancto.

Fortunius Abbas Legerensis.

Athilius Cellensis Abbas.

Scemenus Igasensis Abbas.

In nomine Domini, regnante in perpetuum domino Iesu Christo, anno Incarnationis eius octingentesimo quinquagesimo, Era octingentesima octuagesima octaua, decimo quarto Calendas Maias, Perfectus presbyter occubuit.

Martyrum Cordubensium nomina.

Sequenti verò anno, qui nunc est, Era octingentesima octuagesima nona, tertio nonas Iunias, Isaac monachus decidit: post quem Sancio Laicus, de oppido Albensi, nonas Iunias in hac ipsa Era, martyriali obitu triumphauit.

Deinde Petrus presbyter, Vualabonsus Diaconus, Sabinianus, Vuistremundus, Habentius, & Hieremias monachi, vno die, vnaquę hora septimo Idus Iunias, in Era supradicta, interempti sunt.

Sisenandus verò diaconus decimo septimo Calendas Augustas, eadem Era prostratus est.

Paulus diaconus decimo tertio Calendas Augustas, Era qua supra allisus est.

Theodemirus monachus, octauo Calendas Augustas, eadem Era occisus est.

Isti sunt, qui tradiderunt corpora sua in mortẽ propter testimonium veritatis, vt in æternum viuerent. Siquidem & duas virgines Christi, Floram & Mariã, nobiscũ ob eandem professionem nunc in ergastulum detruserunt: & quotidie de interitu comminantur.

Sic fuit in exemplari. VVilliesindus Episcopus, Guillesindus appellatur in priuilegio Enniconis regis, quod protulit Garinaius. Vt Guilielmus & VVilhelhelmus dicitur per digamma Æolicum.

DATA DECIMO SEPTIMO CALENDAS DECEMBRIS PER GALINDVM ENNICONIS VIRVM ILLVSTREM, ERA OCTINGENTESIMA OCTVAGESIMA NONA.

SCHOLIA IN EPISTOLAM SVPERIOREM.

Pompelo ciuitas.



Ampilonensis sedis Episcopo.) Verum nomen vrbis est Pompelo, vt est apud Strabonem, Plinium, & Ptolemaeum. Paulatim autem corruptum in Pampilonam fuit. Nos Hispani corruptius adhuc proferimus Pamplona. Est autem vrbs in Vasconibus Hispanis notissima, regni Nauarrae caput & arx munitissima. Strabo, quamuis id plane non scripserit, satis aperte tamen ab Pompeio conditam fuisse dicit, siquidem Pompelonem, quasi Pompeiopolim, hoc est Pompeii ciuitatem dictam docet. Et nomen ipsum vrbis suum profecto refert conditorem.

Carolus Caluus.

Olim beatissime Papa.) Quantum ex his, quae paulo post memorat diuus Eulogius, colligi potest, apparet hanc eius peregrinationem in Caroli Calui regis Francorum initia incidisse. Coepit autem mortuo patre Imperatore Hludouico regnare hic Carolus anno Domini octingentesimo quadragesimo, vt in priscis Annonii annalibus habetur. Decem igitur postea annis, aut paulo minus haec epistola scribitur, vt in fine notatur, & in Nunilone & Allodia nos disquisiuimus. Vnde non immerito olim potuit hic dicere, & quondã etiã paulo mox dicet. De nomine autẽ Papę, retro iam diximus.

Gallia Togata.

Togata Gallia.) Cisalpina Galliae pars, quae Italiae coniuncta fuit, Togata ideo dicebatur, quod togis incolae, quemadmodum Romani vterentur, Plinius lib. 3. cap. 14.

Hludouicus Imperator.

Hludouicum regem.) Praeposita ad hunc modum aspiratione scriptum fuit in exemplari. Quam lectionem ex antiquis monumentis vbiq; sequitur F. Onufrius Panuinius. Necesse est autem hic Hludouicum Hludouici Pii Imperatoris filium Caroli Calui Francorum regis fratrem nominari. Illi enim moriens pater Germaniam haereditario nomine reliquit, & postea etiam eidem est in arbitraria diuisione post bellum inter fratres confirmata. Authores ex antiquis sunt Rhegino Prumiensis, & Annonius annalium scriptores. Vnde Paulus Aemilius, & Robertus Gaguinus desumpsere. Vuolfgangus porro Lazius lib. de gentium migrationibus septimo diplomata etiam huius Hludouici regis adducit, quae per hosce annos concessa sint: in quibus se Baioariae regem cõpellat. Ideo Baioariae regem hunc D. Eulogius vocat. Est autem Baioaria corruptũ nomen, quo Paulus Diaconus & caeteri inde scriptores vtuntur. Verum nomen

Boiaria.

Boiaria est a Boiis populis, qui ad Noricum in Germania habitarunt, quorũ Caesar libro primo & septimo, Plin. lib. 3. cap. 24. & aliubi meminit. Eam suis finibus vndiq; clusam describit Paulus Diaconus lib. rerum Langobardicarum tertio, cap. 29.

Et funeroso quondam Vuilihelmi.) Nihil prius in hac epistola quam series temporum, & ratio chronologię est attendenda. Hinc enim & nihil discors apparebit in Gallorum historia, quod alioqui poterat lectorem diligentem interturbare. Rursus etiam recte sibi constare D. Eulogium, nec discrepans quippiam narrasse apparebit. Cum tamen nisi tempora cum rebus gestis ita dilucidentur, diuersum quiddã & repugnans sanctus martyr recensere videatur. Temporum autem & rerum gestarũ seriem ex his potissimum annalibus Gallorum desumemus, qui sunt cum vita Caroli Magni iam pridem Coloniae excussi: Illorũ author nomen suum non prodidit: satis autẽ apparet, sui temporis historiam texuisse: quo pluris est eius fides & authoritas facienda. Is igitur anno

Helysachar Abbas.

827. de Hludouico: Imperator Helysachar presbyterum & Abbatem, & cum eo Hildibrandum atque Donatum comites ad motus Hispanicę Marcae componendos mittit. Ante quorum aduentum Aizo Sarracenorum auxilio fretus multa eiusdem

Ayzo dux.

limitis custodibus aduersa intulit: eosq; assiduis incursionbus adeo fatigauit, vt quidã illorum relictis, quae tueri debebant, castellis, recederent. Defecit ad eum filius Bero-

Vuiliemundus. Ceritania. Vallensis.

nis nomine Vuiliemundus, & alii complures nouarum rerum, gentilitia leuitate, cupidi, iunctiq; Sarracenis Ceritaniam & Vallensem rapinis atq; incendiis quotidie infestabant. Cumq; ad sedandos ac mitigandos Gothorum, atq; Hispanorũ in illis finibus habitantium animos Helysachar abbas cum aliis ab Imp. missis, multa & propria industria & sociorũ consilio prudenter administrarent: Bernardus quoq; Barcinonae Co-

Bernardus Barcinonae Comes.

mes Ayzonis insidiis, & eorum, qui ad eum defecerant calliditati, ac fraudulentis machinationibus pertinacissime resisteret, atq; eorum temerarios conatus irritos efficeret: exercitus a rege Sarracenorum Habdarraghman, ad auxilium Ayzoni ferendum missus, Caesaraugusta venisse nuntiatur. Super quem Abumarbam regis propinquus dux

dux constitutus, ex persuasione Ayzonis haud dubiam sibi victoriam pollicebatur. Contra quem Imp. filium suum Pinum Aquitaniæ regem cum immodicis Francorũ copiis mittens, regni sui terminos tueri præcepit. Quod ita factum esset, ni ducum desidia, quos Francorum exercitui præfecerat, tardius quam rerum necessitas postulabat, is, quem ducebant, ad marcam peruenisset exercitus. Quæ tarditas in tantum noxia fuit, vt Abumarban vastatis Barcinonensiũ & Gerundensiũ agris, villisq; incensis, cunctis etiam, quæ extra vrbes inuenerat, direptis, cùm incolumi exercitu Cæsaraugustam se reciperet: priusquam à nostro exercitu, vel videri potuisset. Et quia tot retro annis hi Guillielmi motus occeperant, ideo diuus Eulogius quondam dixit. Intelligo autem bellum, quod tunc feri cœptum fuerat, ad Caroli Calui regis tempora, dum aliud ex alio germinat, succreuisse. Fratres etiam Eulogii Hludouici tempore in Galliam abierant: ibi vsq; ad Carolum Caluum eius filium perstiterant. Hoc Carolo iam regnante Pompelone Eulogius fuit. Aliter temporum, quæ ipse magis innuit, quam signat, ratio constare non potest. Et de Carolo Caluo loqui Eulogium liquet. Is enim ab anno Domini DCCCXL. ad DCCCLXXVIII. regnum Francorum tenuit.

Habdirrhamam Rex. Cæsaraugusta. Abumarban Saracenus. Pipinus rex Caroli Magni filius. Gerundensis

Gothiam autem vocat eam Galliæ ad Narbonem partem, quæ quod Gothis fuerat semper subdita, Gallia Gothica fuit appellata. *Gothia.*

Sed ipsa iterum, quæ Pampilonem.) Seburici populi sunt, vt hinc & paulò post apparet, in Pireneis, & inter Vascones computandi. Ab Seburi ciuitate nomen, vt mox videbimus, habuere. Eorum in antiquis Geographis nulla mentio. Longè enim diuersi sunt ab Sebusiis, seu Sebusianis, quorum Cæsar & Cicero in oratione pro Quintio meminere. Illi ad Narbonem, hi ad occasum longè dissiti fuere. Illi Galliæ, hi erant Hispaniæ. Intellige verò Galliam Comatam, quæ ab comæ nutriendæ studio nomen accepit, cum Seburicis ita coniungi, vt in finibus Hispaniæ ea parte Seburici essent postremi. Aragus enim fluuius totus est Hispanorum. Et ad Aragum Seburim vrbem fuisse confestim Eulogius memorat. *Seburici populi.*

Factionibus comitis Sancii Sancionis.) Comitis huius nomen Hispanum esse videtur, & illorum plane temporum, in quibus iam apud Nauarros & proximos Celtiberos patris cognomen filii retinebant. Inde sunt vsitatissima priscis temporibus solenni hoc more cognomina, Fernandez, Rodriguez, Gonçalez, & multa huiusmodi à patre in filium deriuata. Sed quis hic Sancio fuerit: aut qua de causa aduersus Carolum Caluum rebellauerit, nusquam in priscis Gallorum, aut nostris, aut Aragonensium annalibus legitur. Neq; ego quid hic possim dicere aliunde habeo.

Huius fit mẽtio in Chronico Adefonsi ad Sebastianum cum de Ordonico rege agit. Sancio Sancionis comes.

Acysterium.) Monasterium. Diximus de hoc vocabulo initio libri primi.

Quibus Aragus flumen.) Paululum immutato nomine nunc Arga vocatur. Non longè ab Vayona Galliæ vrbe propè Azpeletam oppidum oritur. Vt rectè ab diuo Eulogio dictum sit, in Galliæ ingressu nasci. Inde Pompelonem veniens, infra Lerin oppidum Egam flumen intrat. Vnde manifestum Egam eum esse fluuium, quem hic diuus Eulogius Cantabrum nominat. Seburis autem vrbs ad Aragi ripam, & ante Põpelonem profectò, vt hinc apparet fuit: eius tamen nec nomen nunc extat, nec situs, qui fuerit, intelligi potest.

Aragus fluuius. Ega fluuius. Cantaber fluuius.

Legerense monasterium.) Huius etiam cœnobii meminit in martyrum apologetico. Nunc verò San Saluador de Leyri appellatur, & octauo ab vrbe Stella, XXIV. ab Põpelonensi milliario distat. Vidi autem multa priscorum regum Nauarræ & Aragonensium monumenta, eidem monasterio concessa, qui ibidem seruantur, in quibus Legerense monasterium semper nominatur. Et fuerat iam antea ab rege Innigo Arista constructum. Quod in Caroli principis Nauarræ historia, & in Aragonensium annalibus legitur. Et inter cætera illud Sancii maioris diploma in Nunilone & Alodia iam retro appositum, oppidorum meminit, & prædiorum, quibus superiores reges idem cœnobium ditauerant.

Legerense cœnobium. Lib. 1. cap. 5.

Præerat quippe ei.) Sunt qui dicant huius Odoarii Abbatis se quædam opuscula excussa vidisse. Certè Ioannes Tritemius eius inter scriptores ecclesiasticos nõ meminit. *Odoarius Abbas.*

Charissimus filius meus.) Spiritaliter filium nominat, quem in Christo, vt diuus Paulus inquit, genuerat: erudiens, instituens, & ad eum vsq; dignitatis in Ecclesia gradum prouehens.

Ioannes Præpositus.) Nostri temporis monasteria Benedictina, & Cisterciensia pręter Abbatem, priorem etiam, ita appellant, ex prisco suo instituto habent. Hunc nimirum præpositum vocat diuus Eulogius. *Monasteriorum præpositi.*

Reliquias tibi.) Alibi iam annotauimus, corpora sanctorũ martyrum Zoyli & Acisceli Cordubę ad hęc vsq; tempora perdurasse. Quod etiã hinc & ex fine epistolæ astruitur.

Sanctorum Zoyli & Aciscli corpora. Nā neq; illustrari Pompelonenses, nisi insigni aliqua missa reliquiarū portione poterāt, nec basilica aliter ædificanda, q̄ postea fit, peteretur. Neq; pleno dono ditare Episcopū Eulogius potuit, nisi horū martyrū corpora integra penè Cordubę haberentur. Fuit a. S. Zoylus Romanorū Imp. tempore martyriū Cordubę perpessus. Puteus nunc religiose suspicitur, in quem pars viscerū eius proiecta fuisse memoratur. Eius corpus Agapio Cordubensi Episcopo Gothorum regum tempore fuit reuelatum. Vnde etiam translationis eius festū celebratur. *Agapius Episcopus.* Carrionē demū multis post Eulogiū annis (quēadmodū in Felice Complutensi martyre diximus) fuit translatum.

Ab vlterioris Franciæ.) Boiariā, seu Baioariā Germanię superioris partē: rectè vlteriorē Franciā nominat. Nā Francorū tunc & regnū & nomē ad Germaniā vsq; vltimam protendebatur. *Moguntia.* Est autem Moguntia notissima in Germania superiori ciuitas.

Cæsaraugustam perueni) Huius vrbis magna nunc est celebritas, & eius Plinius, Ptolemęus, Antonin⁹, & alii meminerūt. Cū Salduba antea prisco & Hispano nomine diceretur, ab Augusto Cęsare facta Colonia, nomen accepit. *Cæsaraugusta.* Quod ipsum cum cęteris eius vrbis antiquitatibus egregie, vt alia omnia, Hieronymus Curita, indidē ciuis, in suis *Lib. 1. cap. 48.* Aragonensiū annalibus persequitur. Neq; tam ea cōmentatione patriā suam illustrat, quàm quod tam inclyto alumno possit gloriari. Suauissimū namq; ingeniū, iudiciū in literis rarum, Latinę & Gręcę linguę singularis cognitio, peritia totius antiquitatis insignis, egregia in scribenda suorū historia laus, & diu in magnis negotiis probata prudentia dignissimū effecere, vt Philippus Rex catholicus summi in sacro Inquisitionis *Hieronymi Curitæ laus.* senatu secretarii, vt vocant, munere virū grauissimū exornaret: postquam iam pridē ab suis Aragonēsibus publici historici prouinciā publico regni totius decreto accepisset. Ego etiam iure optimo glorior, magnā mihi cum illo multis iam annis & beneuolētiā, & familiaritatem intercedere: historiæq; meæ, & huius etiam ex parte laboris censorem ab Regio senatu mihi tributum. Vt meritò possint iam mihi quæ scripsi, cùm tanto viro placuerint, non displicere.

Complutum descendi.) Recto itinere Cæsaraugusta Cordubā proficiscentibus Segōcia, primū, inde Cōplutū, Toletū tandē est pertranseundū. *Segoncia dua.* Segōciæ nōmē in Tito Liuio non semel legitur. Strabo etiam & Plinius eius vrbis meminere. Nunc immutato paulisper nomine Siguenca dicitur, cui suus Episcopus dominatur. Insignisq; est eo præsertim titulo cathedralis Ecclesia, quæ sanctę Liberatę corpore, & magnificentissimo tumulo illustratur. Altera fuit Segoncia in Bætica versus fretū, Plinio nominata. Visuntur eius ruinæ non longè ab Lethæi fluminis ripa, hodieq; Gisgonca loco nomē *Complutū.* est. Cōplutū id planè oppidū esse, quod nunc Alcala de Henares appellatur, in quo nos hęc cōmentamur, multis iisq; grauibus testimoniis astruximus, in opere, quod de sanctis martyribus Iusto & Pastore superioribus annis euulgauimus. Hinc autem, cum Episcopū etiā hoc oppidū adhuc tempore diui Eulogii haberet, maximè probatur, id q̄ *Sanctorum Iusti & Pastoris corpora.* nos etiā ibi cōtendimus, sanctā illam basilicā, qua diuorū Iusti & Pastoris corpora olim cōdita fuerant, semper Christianorū fuisse, neq; eis ab Mauris fuisse ademptam. Quoniā verò D. Vrbicius pio furto eadem corpora Oscam iam hoc tempore asportauerat: *Diuus Vrbicius.* ideo D. Eulogius ipsorū hic non meminit: proculdubio, si adforent, non prætermissurus. Supplici veneratione eadem sancta corpora reueritus, suæ quoq; deuotionis participem Vuiliesindum effecisset.

Post quintum diem Toletum reuerti.) Reuerti, inquit, quia Corduba primum egressus, *Toletum.* illuc quoque iter fecerat. Quintū diem memorat, vel ab eo, quo Segontia fuerat profectus, vel ab eo quo Complutū intrauerat. Alioqui Compluto Toletum bidui iter tātummodo est. Toletū verò vrbs Hispaniæ celeberrima non semel ab Tito Liuio nominata, ab Plinio & Ptolæmeo mēoratur. De qua, vt de Carthagine Sallustius, pręstiterit nihil hic, quàm pauca referre. Quū pręsertim suo loco, in Hispanię nimirum antiquitatibus, multa fuerimus exequuti.

Vuistremiri Archiepiscopus Toletanus. *Vuistremirum Episcopum.*) Ingenti gloriæ Toletanis Mocarabibus Christianis profecto fuit, talem ac tantum virum hoc tempore Episcopū habuisse: sed Cordubensibus meis inde etiā multū pręstantissimę laudis deriuatur: diuum videlicet Eulogium eodem ipso tempore habuisse, qui multorū Episcoporū suffragio & Toletani populi sanctis studiis dignus haberetur, qui Vuistremiro, quali bone Deus antistiti, succederet. Idq; circūspecto iudicio & matura deliberatione factū prorsus est: cū ex hac apud se cōmoratione Toletana Mocabarū Ecclesia nobili experimento didicisset, quem virū dignis studiis & populi voluntate requireret. Debet autem sancta ecclesia Toletana plurimū diuo Eulogio, quod sanctissimi præsulis hic memoriam conseruauerit: Aluaro itidem Cordubensi, qui ad hoc vsque seculum nostrum notitiam electi antistitis

transmiserit, qui Martyr esse tandem promeruerit. At verò cum hactenus dicat Eulogius, intelligere licet, eo ipso anno, quo scripta hæc fuit epistola, viuere adhuc Vuistremirũ Archiepiscopum. Itaq; sequentibus annis electum fuisse diuum Eulogium Toletanum antistitem, hoc est martyrio suo propiorem manifestò deprehendimus.

Quem sæua tyranni indignatio.) Quemadmodum primo libro vidimus, Habdarraghman rex quoscunq; Mocarabes Christianos, qui muneribus publicis fungebantur, aut sibi in palatio quaque ratione inseruiebant (quorũ non erat exiguus numerus) magistratib⁹ priuari, palatio eiici, annonis regiis carere pręcepit. Inter hos Ioseph quoq; diui Eulogii frater, vt apparet, fuerat mulctatus. Hoc profectò vocat à principatu deiici, ad sanctũ Ioseph patriarchã, Ægyptiorũ olim principatũ vicariũ obtinentẽ, alludens. Quẽ enim alium principatũ potest in misera Mocarabũ Christianorum seruitute innuere?

Christicolæ principis tueri meremini dominio.) Carolus Magnus Imperator, Caroli Calui, qui nunc regnabat, auus Pompelonẽ Mauris iam pridẽ ademerat, & aliquoties rebellantẽ ipse, & Hludouicus Pius eius filius restituerant. Qua de re innominati illius authoris annales ita habent. Anno 778. Imp. Carolus Magnus Pompelonẽ Nauarrorũ oppidũ aggressus, in deditionẽ accepit. Et paulò post. Pompelonẽ reuertitur. Cuius murũ, ne rebellare posset, ad solũ vsq; destruxit. Et anno 806. In Hispania verò Nauarri & Pompelonenses, qui superioribus annis ad Sarracenos defecerant, in fidẽ recepti sunt. Et anno 824. iam sub Hludouico Caroli Magni filio Imp. & Gallorũ rege, Æblus & Asinarius comites cũ copiis Vasconũ ad Pompelonẽ missi: cũ peracto iam sibi iniũcto negotio reuerterentur, &c. Vbi manifeste apparet Pōpelonẽ recuperatã hac expeditione, si forte defecerat: sin minus pacatam in tumultu, si quis fuerat exortus, fuisse.

Pompelo à Christianis capta.

Æblus & Asinarius comites.

Hinc forte nomẽ Aznar Nauarris admodum familiare.

Galindo Enniconis.) Hic Galindo Iñiguez aut Nauarrus, vt vulgaribus nominib⁹ vtar, aut Aragonensis fuit. Nã in vtriusq; gentis priscis ãnalibus Galindi nomen, & inde ductũ cognomẽ sæpe in proceribus legitur. Hieronymi Curitę annales lib. I. non semel testantur. In antiquis etiã regũ vetustissimorũ diplomatibus Galindi nomẽ inter cęteros proceres reperitur. Ex his mihi sequentia videre contigit. Era 919. hoc est anno Domini 881. die Aprilis 22. Hordonius rex huius nominis secundus, cũ Geluira vxore donaria quã plurima auro & argento pretiosa, itẽ vicos, & alia Ecclesiæ Cōpostellanæ, vbi D. Iacobi corpus est tumulatũ, dedere. Subscribit, & cõfirmat inter cęteros proceres Galindus. Item Geloyra regina Veremundi regis secundi, vt ipsa de se inquit, vxor, Alfonsi quinti mater, die Augusti decima octaua Era M.L.V. h. e. anno Domini 1017. eidem Ecclesiæ plurima donauit. Inter cęteros pręsules subscripsit, & confirmat Galindus Abbas. Et his omnibus magis amplum est Froylæ regis Alfonsi quarti filii diploma 25. Octobris Era 950. hoc est anno Domini 912. eidem Ecclesiæ concessum: in quo cum cæteris proceribus Galindus etiam confirmat. Quæ tria diplomata in Archiuo eiusdem sanctę Ecclesiæ asseruantur. Libuit autem hic hæc cõgessisse, vt nobilis huius apud nos familiæ, cui Galindo, seu Galindez cognomen est, antiquitas certis testimoniis astrueretur. Cùm autem & hoc loco, & paulò post in exemplari Galindo in nominatiuo fuisset scriptum: in fine denuo Galindum in accusatiuo habet.

Galindo Enniconis.

Galindorum familia.

Eorum beatæ memoriæ construendo basilicam.) Vsitato tempore diui Augustini vocabulo, quo & ipse, & alii nonnulli vtũtur, memoria Martyrũ locus dicebatur, vbi martyres colebantur. Hic diuerso aliquantulum sensu, consueto nimirũ & vulgari, ponitur. Videtur autem diuus Eulogius ex concilii Africani seu Carthaginensis quinti decreto hoc ipsum deposcere. Eius hęc sunt verba. Itẽ placuit, vt altaria quæ passim per agros, aut vias, tanquam memoriæ martyrum cõstituuntur: in quibus nullum corpus, aut reliquiæ martyrum conditæ probantur, ab Episcopis, qui eisdem locis præsunt si fieri potest, euertantur. Et paulò post. Et omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus, aut aliquę certè reliquiæ sint: aut vbi origo alicuius habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur.

Memoria Martyrum.

Concilii Africanum quintum.

Deniq; Beatissime pater.) Quæ sequuntur omnia de Ecclesiæ nostratis calamitatibus, sanctorumq; martyrio, retro libro primo & secundo leguntur: atq; ibi si quid opus fuit annotauimus. Repetit verò hic eisdem verbis quædam diuus Eulogius, quæ in Documento martyriali posuerat.

Quæ dudum alias proferendo.) Apparet aliam ante Epistolam, sine salutationibus Eulogium ad hunc eundem Vuiliesindum scripsisse. Hoc credo intelligit. Ego verba hæc vt erant in exemplari reliqui.

Odoarium Serasiensis monasterii Abbatem.) Sub Sancti Zachariæ nomine & tutela cœnobiũ hoc conditũ. Hoc alterum nomen Serasiense, quo nunc vtitur, loci fuit aut regionis.

Hurdaspalensis Monasterii.) Non dubito, quin id cœnobium intelligat, quod nunc de Vrdax appellamus. Situm est trans Pireneos Galliam versus, non admodum longè ab vrbe Vayona dissitum. Et cùm Eulogii tempore ordinis diui Benedicti fuerit, nunc est Præmonstratensis.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ EVLOgii ad Aluatum.

Mittit ad Aluarum documentum Martyriale, quod virginibus Floræ & Mariæ scripserat, priusquam eisdem legendum traderet, Christiana modestia & insigni circunspectione, vt in fine apparet, commotus.

CHARISSIMO FRATRI MEO ALuaro Eulogius.



SEMPER, mi frater, recordatione peccatorum meorum compunctus, luctum non amitto quotidianum: quoniam ex frequenti vsu non deest à me peccandi affectus. Super his quoque vehementi carceris mœrore confectos, non minus ex improuiso tædium mihi occurrit ex eo die quo me serenitas vestra præmonuit, ne à glorificatione militum Christi desisterem, ne primam de eis sententiam meam irritam facerem. Quia propterea, quòd illi viriliter inimico iustitiæ restiterunt, crudelitas nos tyranni carceralibus mancipauit ærumnis, nostris deputando hortamentis, quod in eos diuinitus inspiratum est. Quasi futura foret hæc nobis occasio facilis vituperandi (quod absit) quos olim laudaueram, laudandosque verbo & stylo extuleram. Qua de re coactus sum huius opusculi laborem aggredi, quòd fortè & nostræ crudelitatis de victoria eorum futuris generationibus redderet testimonium, & istis virginibus propter veritatis professionem nobiscum deuinctis, spei certandi præberet adminiculum. Quod ego pro arbitrio meo Documentum Martyrii credidi appellandum. Tuum est autem, frater charissime, huic volumini auctoritatem donare, quia priusquam earundem virginum adiret obtutus, tuo elimari eum iudicio volui: ne fortè errore nescientiæ in aliquibus repugnaret catholico dogmati. Aue in domino Iesu Christo frater charissime.

Scholia in epistolam primam ad Aluarum.

QVo me serenitas vestra præmonuit.) Hæc serenitatis compellatio, qua non semel vtitur author ad Aluarum scribens, facit, vt eum nobilem admodum fuisse credam. De ea autem postea in Veremundi regis diplomate dicemus.

Quia propterea.) Eandem causam vinculorum suorum hanc fuisse in superiori Epistola retulerat. Aluarus in eius vita ab Reccaffredo Episcopo missum in carcerem tradit Eulogium. Nimirum in idem vtrunq; recidit.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ SEQVENTIS.

Laudat opus ad se missum, & iudicium de eo facere tum modestiæ causa, tum operis præstantia detrectat.

ITEM ALVARVS AD EVLOGIVM.



LVMINOSVM vestri operis Documentum ex illis Orientalibus, de quibus legitur, pomis valde bonis eleganter collectum, atque ex vitalibus succis, & ex quadrifido fonte virtutum operosa arte confectum, iuxta congenitum literarum studium mihi perlegi, & non discutiendo, sed admirando, textum totius opusculi laudabilis percurri. Et quod ex thesauro sapientię Dei à docto scriba noua, & veteri re conditione prolatum est, altè profundeq; totum rimaui, nihilq; dignum, quod tanto rependerem operi, in tenuissimo pectore pauperis tui inueni. Verè ad instar illius Ioseph reconditum triticum tempore necessitatis dispensas, & fame veri laborantibus alimoniæ victum impertiris, atq; adipe spiritali arida corda pinguescis. Quicquid enim de sanctis scripturæ fontibus à quoquam potuit vnquam hauriri, à te assumptum, discussum est, atq; digestum. Et planè nobis omnibus aliquid mutire volentibus silentium deinceps manet impositum. Eloquenter namque atq; splendide oratorum more, imò scholastica eruditione opus totum digestum, & humana pariter ac diuina instructione perfectum, non discussione indiget, sed

potius

potius laudari inquirit. Nec egestate laborantibus scientiæ seipsum discutiendum cõmittit, sed in corda infularum præconiis digna, & virtutum laude cothurnata alto se extollendum boatu infundit. Quod vero meo, quod sæpe probasti, scientia egeno, iudicio tantũ fulgorem committis, licet humilitati vobis congenitæ hoc notum sit assignari: tamen cauendum est, ne fulgor materiæ, & authoris splendor furuo inficiatur horrore. Præsertim quia tenebræ discutiuntur à luce, & horida semper caligo splendore fugatur nubium, quas densas grassedinte aureum iubar serenat. Nec compertum est, vt vice contraria discutiant tenebræ lucem, aut densus aër suo subdat iudicio solem. Ego vero, mi Domine, opusculum Dei ecclesia dignum, & Christo opifici & coronatori martyrum in primordio sui votiua cordis oblatione sacratum, non humano audeo subdere iudicio, quod certum noui inspiratione diuina ex arcano pectoris vestri prolatum. Et ideo sicut per vos spiritus sanctus loquutus est, ita & nomen, quod ipse author bonorum consensione, imo electione vestra imposuit ei, vt perenniter hæreat, & perpetua memoria vigeat, nostra quam consulis pusillitas videt. Raptim cursimque ipsum opusculum legi, sed ad rescribendum illud retinere dubitaui, ne forte culpabilis vestro fuissem amori. Peto autem, vt in alio quaternione apertiori manu illis sororib⁹ ad me pro rescribendo denuo reuertatur.

SCHOLIA IN EPISTOLAM SVPERIOREM.

Ex *illis Orientalibus.*) Alludit ad paradisi terrestris descriptionem, quæ Genesis 2. capite habetur.

Infularum præconiis digna.) Hoc quantũ ego assequi possum, intelligi vult, episcopis poti⁹ & summis sacerdotiis dignis doctoribus opus tradidi debuisse iudicandum. Ipse enim Aluarus laicus (ita loqui consueuimus Christiani) cum esset, ad eum iudicium sacrorum operum, quale hoc diui Eulogii erat, pertinere non poterat. Quæ sequuntur in hac periodo, misere fuerunt in veteri Codice deprauata. Nos quoquo modo potuimus restituimus.

Cothurnata.) Elata & sublimia. Poetę more loquitur. Sumpta audacius ex tragicorum habitu metaphora, qui cothurnis sublimes efferebantur.

Argumentum.

Martyrium duarum virginum Floræ & Mariæ celebrat, quod libro secundo latius commemorat.

CHARISSIMO IN DOMINO IESV CHRISTO fratri meo Aluaro, Eulogius.



MAGNIFICAVIT Dominus misericordiam suam nobiscum, mi frater, & facti sumus lętantes. Quia quibus verbum vitæ in lachrymis seminauim⁹ in gaudio victoriæ fructũ metisse videm⁹. Videm⁹ n. virgines nostras debellato principe tenebrarum, conculcatis mundialium oblectamentis affectionum, accensis adorearum lampadibus, obuiam prosiliisse sponso ac regi cælorum. Et quia semper se hostiam viuam, sanctam, Deo placentem præparauerunt, ideo cælestis aulæ limina adeuntes, intrauerunt inuitante Christo ad nuptias, cantantes canticum nouum, atque dicentes: Dignus es, domine Deus noster, accipere gloriam & honorem, quoniam redemisti nos de potestate tenebrarum, & fecisti nos condignas sortis sanctorum tuorum, & transtulisti in regnum tuum æternum. Et cum hoc gaudium vniuersalis ecclesia de illarum victoriis habeat præcipue, tamen ego præ cæteris quodam tripudio iucunditatis extollor, quoniã non in vacuũ eis, iam pene quorundam exprobatione à gradu suo labentibus, documentum illud martiriale porrexisse conspicio. Quia licet ab initio mundi & vocatio, & sanctificatio earum à deo patre nimirum processerit, habet tamen intentio nostra in earum instructione suam coram Domino mercedem repositam, qui largitionem algentis calicis remunerari promisit, in nomine suo impensam. Nam decimo & amplius die priusquã ad martyriũ ducerentur solã dominã meã Florã, instinctu fratris sui, iudex ille iniquitatis auditioni suæ aduocans (post agnitam eius inuictissimam professionem, qua ipsũ iudicem Christi ancilla denotans, aduersarium fidei intrepida responsione deiecit) in carcerem eam iussit reuerti. Quapropter claustra, quibus detinebantur ego appropinquans, quæ iudicis ad eam interrogatio fuerit, vel quę ad iudicem responsio eius extiterit, dominam meam humiliter sciscitatus sum. Illa vero, vt erat angelico decorata aspectu, supernæ claritatis gratia fulgens, hilari vultu, ore pudico, iam quasi quibusdam cælestis patriæ gaudiis vegetata, subridens retulit mihi. Dum hodie iudici

præſentarer, præceptor, aſtante haud procul è contra fratre meo illo aduerſario fidei noſtræ, cuius perſequutione in hunc lacum decidi; exquiſita ſum, vtrum eum agnoſcerem? Quem ego fratrem meum eſſe carnalem proferens, quare (inquit iudex) iſte cultor fidei noſtræ probatiſſimus manet, & tu Chriſtum profiteris? Reſpondi, ante octenniū, o iudex, & ego tenebris ignorātiæ occupata, paternis legib⁹ ſeruiēs, gentilitio famulabar errori. Sed illuminante me pietatis auctore, elegi fidem Chriſtianorū, propter quam certare diſpoſui vſque ad obitum. Et quæ eſt, inquit iudex, hodie ſententia tua in illud, quod dudum coram me profeſſa es? Exprobationem videlicet ſui vatis abſtruſis interrogationibus exprimens, qua ipſum auctorem ſectæ peruerſitatis olim amota formidine deteſtata ſum: cum iterum è latibulis meis ad paſſionem regrediens, forum petii, ac iudicem adii. Identidem aio, iudex, quæ & primo me exponentē audiſti: &, ſi me adhuc diſquiſieris, ingentiora prioribus de eo referam tibi. Tunc in flatis buccis, turgenti gutture, ſtridentibus lingua ſermonibus, de interitu me comminans, in ergaſtulum iuſſit reuerti. Hæc poſtquam melliflua oris ſui relatione mihi domina mea retulit, verbis eam, quibus potui, confortaui, de ſpe promerendæ coronæ admonui, eiuſque angelicum obtutum reclinis ceruicibus adoraui: deinde precibus eius, & felicibus meritis me commendans reuerendiſſimis illius colloquiis recreatus, latibula carceris mei reuiſi. Vnde quæſo fraternitatem tuam, chariſſime domine, vt ad poſterorū memoriam geſta paſſionis earum breui tantummodo ordinare digneris ſtylo; ita ſemper illarum protegi merearis ſuffragio. Ipſo autem die, quo glorioſarum nobis relatus eſt ſub confeſſione nominis Chriſti interitus, omnes ad orationum arma currentes, horam nonam in Dei laude perſoluimus. Ac deinceps auctis tripudiis veſpertinum, matutinum, & miſſale ſacrificium conſequenter ad honorē & gloriam noſtrarum virginum celebrauimus, cunctique nos illarum patrocinio tutandos fouendosque commiſimus. Et quia vniuerſorum ſpes non perfunctorie in earum meritis collocata eſt: ideo, ſicuti cernitis, fauens Chriſtus earundem victoriis & interuentibus glorioſis, poſt ſextum diem, quo illæ coronatæ ſunt, nos vinculis abſoluit, & carcerali clauſtro exemit. Nā & quibusdā familiaribus hoc, antequā paterentur, condixerunt ſororibus, vt mox, poſtquam Chriſto coronatori ſuo adſiſterent, pro noſtra liberatione interuenirent. Et ſic quidem illæ octauo Calendas Decembris explentes martyrium, nos tertio earundem Calendarum ſole dimittimur: magnificantes & benedicentes nomen Dei noſtri qui confortauit in certamine ſanctas virgines ſuas Floram & Mariā, & vicerunt; nosque per digna illarū merita liberauit in pace, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

SCHOLIA

Accenſis adorearum.) Hoc eſt palmarum & gloriæ triumphalis. diximus de hac voce in ipſo martyriali documento. Manifeſtum autem eſt, quam ſeruatoris noſtri parabolam reſpiciat.

Quorundam exprobatione.) Hoc nimirū eſt, quod retro iam in ipſo ad eas virgines opere annotauimus.

Illa vero vt erat.) Huiuſmodi piè commemorationes, quibus frequenter vtitur diuus Eulogius, quanuis martyrum ardore caleant, tamen in ipſo ſancti huius pectore qualis diuini amoris ignis exardeſceret, ſatis oſtendunt. Flagrat profecto his perlectis pius animus, ſed cum de martyris flāma accenſum ſe videat, maius profecto incendium ex verborū huiuscemodi face ſubdi perſentit: vt author de ſuo protſus igne ignem in lectorum cordibus videatur accendere. Eſto namque, tepide alius abſque hoc deuotionis feruore hoc ipſum commemoraret: res eędem cum eſſent, tamen nullam pene in lectorum pectore ſcintillam excitarent.

Matutinum & miſſale ſacrificium.) Non facile poſſit quiſpiam intelligere, quo pacto in carcere retruſi Chriſtiani miſſam celebrare, aut ipſi decenti loco & apparatu poſſent, aut ab impiis cuſtodibus ſinerentur Horarias preces, ſolenni more ſubmiſſa voce concinere certe potuere: Verum enimuero, Deus optimus maximus piæ ſuorum deuotioni non deerat, & quo pacto conſolari ſeipſos & armare diuini ſacramenti perceptione poſſent, benignus prouidebat. Nam in documento martyrii plane dixit, horarias preces Chriſtianos Eccleſiæ miniſtros in carcere poſitos ſolitos fuiſſe decantare.

Argumen-

ARGVMENTVM.

Narrat Baldegotoni Floræ sororis martyrium, cingulumque eius ei transmittit. Cum autem iam omnia fusius, & narrata sint libro secundo, & epistola superiore: atque vtrobique, quæ necessaria visa sunt, annotata: nihil hic reliquum fuit, quod scholiis indigeret.

EVLOGIVS SERVVS CHRISTI CHARISSIMÆ in Domino Iesu Christo sorori nostræ Baldegotoni, Salutem.

NOTVM tibi sit, Domina soror, quia consummauit martyrium suum in pace Domina & Sanctissimâ Patrona nostra, soror tua Flora, octauo Calendas Decembris die, tertia feria, hora nona, vna pariter cum consocia sua beata Maria Cuteclarensi religiosa (quę inter illos priores Martyres fratrem in cœlum præmisit Vualobonsum Diaconum) perseuerantes in sancta professione vsque ad mortem. Inde, charissima soror, iubemus te tanta consolationis ope suffultam manere, quanta sine dubio credimus illas inter cælicolas, & beatarum virginum choros collocatas manere. Tenentes victoriæ palmas, quotidie ante thronum agni, canticum nouum cantantes, atque dicentes: Dignus es domine Deus noster accipere gloriam & honorem, quia redemisti nos de potestate tenebrarũ: & per gloriosũ martyrii trophæum transtulisti nos in regnum tuum. Tu vero, dilectissima, stude vitam tuam dignis & Deo placitis moribus exornare, quibus in æternum valeas cum Christo regnare, & beatarum virginum consortiis inhærere. De cætero direximus tibi pro memoria venerabilis sororis tuæ Floræ cingulum, quo illa in carcere vsa est. Vale in Domino, & ora pro nobis charissima soror.

ARGVMENTVM.

Opus memoriale martyrum appellatum ad Aluarum mittens, quando cœptum, intermissum, & tandem finitum fuerit, memorat. Censuram & limam eius exposcit. Primum autem eius operis librum solummodo nunc missum: & hinc & ex Aluari responso apparet. Quando in carcere positus diuus Eulogius ad Aluarum scribit.

CHARISSIMO IN DOMINO IESV CHRISTO FRATRI MEO ALVARO EVLOGIVS.

OLIM, mi frater, tranquillitate vegetatus domestica, & pacatis familiaribus curis, cuncta mihi comodius prosperabantur. Verum dum subito omnes ex martyrio beati Isaac turbaremur, totaque vrbs tantæ rei nouitatem stupesceret: cœpere omnes tam clerici quam laici magnanimiter colere quod actum est, summmoque honore tanti prædicatoris extollere constantiam. Sed dum coalescens calor diuinus multos incenderet, ageretque cateruas fideliũ in forum descendere, ac præmissa fidei confessione, hostem Ecclesiæ detestari: illico iracundia tyranni sæuientis omnes exterriti, inaudita versibilitate sententias mutant, detrahunt, maledicunt, auctoresque magni sceleris esse, & eos qui talia agunt, & qui eis fauent, annuntiant: paucis admodum, sicut ipse non nescis, taliũ sacrilegio sequestratis, qui primam sententiam suam nullatenus à venerabilitate sanctorum immutauerunt. Qua de re nisus sum huic insistere operi, & pro captu virium, Domino adiuuante, succinctam huius mediocritatem formare libelli; vt suum de nobis reddens futuris generationibus testimonium, aut mendacii infamiam, aut laudis ab eis susciperem titulum. Cum nos obtentu eius, præmium defensoris iustitiæ nihilominus à Domino speremus accipere. Quod opus iam pene expeditum, cum me furibunda optio præsidalis horribilibus carceribus applicaret, turbata omni familia mea irruptione satellitum; vt erat chartulis & pitaciis diuersis dispositum, arbitratus sum, quod per varia fuisset dispersum. Sed illud tunc Domino conseruante, nunc inter angustias carcerales, ipso demum iuuante, non solum perfici, verumetiam alibi trans-

ſcribi promeruit, ſeſeq; non prius alteri quàm tibi innoteſci elegit. Quia cæteris magis non audet publicari, quam nolit: ne detrahendi occaſionem inculta materies aduerſariis præbeat, ne ridiculum oratio impolita peroſis ex hibeat. Hinc ad te, frater chariſſime, arbitrum ſcientiolę meæ iuſtiſſimum, opus ipſum vilibus adhuc membranis digeſtum primo procuraui tranſmittere, vt fraterno elimatum iudicio, ſi probaueris, pateat: ſi reprobaueris, taceat. Ac deinceps tunc iam illabili greſſu cuneos ſuſurronum armata dextera ſcindat, & ad fideles ſuos victoriando accedat: vt ſimplici exhortatione catholicum imbuens gregem, quicquid gloriæ promeruerit, veſtris laudibus admittatur, veſtræq; parti tota eius benedictio applicetur. Sin verò turbinibus ſuę obuolutum ſegnitiæ ſilentio eum decreueris perenni ſopire, nullus mutum irridere, nemo tacentem poterit infamare. Vnde quæſo ſerenitatem veſtram, vt intuitu charitatis, qua vtriq; inconuulſibiliter copulamur, electione arbitrii noſtri hoc opus memoriale ſanctorum vocatum percurrendo emendetis, recenſendo excolatis. Et ſi nominis ſui meritum geret, veſtro teſtimonio roboretis. Ita cùm eiſdem ipſis, de quibus loquimur, ſanctis, adſcripta nominis veſtri memoria in cæleſti pagina, gaudeatis, dum mihi, vel in vltimo angulo paradiſi, gratia interuentus eorum, ſitum præſtiterit quieſcendi. Amen. Vale in domino Ieſu Chriſto ſereniſſime frater.

SCHOLIA.

A*Vt mendacii infamiam.*) Ex fiducia veritatis ita loquitur ſubobſcure.

Cum nos obtentu eius.) Et hic non admodum perſpicue loquitur: & tamen zelo fidei, & veritatis etiam fiducia hæc dicuntur.

Pitaciis.) Tabellæ Græcè pitacia dicuntur. Omnia autem in quibus ſcribebatur, tabellas priſci vocabant, tametſi membrana eſſet aut charta.

Per varia.) Aliquid deeſſe videtur, diſcrimina, aut loca.

Quia cæteris.) Subtile quiddam cùm dicere cuperet, non potuit effugere obſcuritatem. Cùm indignè (inquit) ferat opus ſe ſupprimi, horret tamen in vulgus exire. Cupit, & pariter timet euulgari. Videtur pauculis verbis comprehendere voluiſſe, quod librum ſuum alloquens, non paucis verſibus Horatius exequitur.

Illabili greſſu.) Hoc eſt firmo, & quod labaſcere iam non formidet.

Victoriando.) Nouatum illo tempore vocabulum, ſicut & illud paulò poſt inconuulſibiliter, & multa huiuſmodi, quę omnibus nota annotatione noſtra non indigent, cùm præſertim catalogum ipſorum iam in ipſo operis veſtibulo appoſuerimus.

ARGVMENTVM.

*S*Vperiori reſpondens Aluarus, opuſq; magno opere laudans, rerum præſtantiam, & orationis extollit grauitatem. Vt edat hortatur, ſublimitatem verò dictionis affectans, in affectationem per Cacozeliam incurrit.*

RESCRIPTVM ALVARI AD EVLOGIVM

Reuerendiſſimo patri Eulogio Aluarus.

REPPIORASTI, mi domine, emolumenta priorum: & anteriorem iamque obliteratum fulgorem catholicum, ceu fontem obturatum vitæ æternæ, ſatutum, ex Ieſu pectore ſcaturientibus profluens venis, reſeraſti fidelibus vniuerſis. Ille enim, qui ætatis noſtræ huius miſeratus errorem, athletarum ſuorum occultum propalauit agonem: ipſe magnum præ omnibus inſpirauit doctorem, quem talium veriſſimum accingeret laudatorem. Vigore nempe æthereo, non mundiali caduco accinctus, & eloquentia pariter diuina humanaq; ornatus, & in hortatione martyrii primus accurris, & in defenſione Eccleſiæ ante alios milites paleſtræ æternæ deſudans, bella Domini prælians, præ cunctis aſſurgis. Verè namq; ille ſpiritus corda veſtræ prudentiæ tetigit, qui olim miſſus apoſtolis Eccleſiam diuerſis donis ornauit. Et qui heroas, de quibus loquimur, armauit ad pugnam, aptauit ad gloriam, & ad perennem perduxit coronam: ipſe fidei veſtræ conſtantiam, ac linguæ diſertæ facundiam ſeu ſapientiæ profluentem doctrinam, plus ſolito acuens in rebus ſibi placitis, eo dogmatis imbuit munere, quo ſibi notum eſt ſoli placere. Et licet philoſophica dictio, & Tulliani fontis redundans oratio trimodum illud loquendi genus pro inſita naturali cautela retentet, tamen maiori laude habendum eſt, quod apoſtolico more digeſtum eſt. In vno enim & paruo, vt videtur, volumine & lumen inenarrabile profers cœli, & venuſtatem ſermonis non medie repreſentas humani: dum & oratorum florem aſpergis rethoricum, & porrigis legentibus cibum diuinum. Tibi lacteus

Liuii

Liuii ſubditur amnis, tibi dulcis cedet ille ſecularis lingua Catonis, feruens quoq; Demoſthenis ingenium, & diues Ciceronis olim eloquium, floridusq; Quintilianus. Et dudum præconatus ſtylo in rebus perditis & caducis, & labilis æui rotatu decurſis, omniſq; mille generibus exculta doctrina, comparata luculentiſſimo operi, obſoleta eſt, & infecta. Terreſtris quippe nitor æquiparatur ex nulla parte cæleſti & immortali immortale ingeniũ extollitur laude. Neſcit nãq; finiri cum ſæculo, quod collatũ eſt dono ſuperno. Bonus enim homo de bono theſauro profert ea, quæ bona ſunt, & doctus à Deo ſcriba de theſauro profert noua, & vetera, de quibus ſummi patris regat familiam.

Ornaſti (mi ſanctiſſime) noſtræ ætatis vltima tempora, & ſequuturis generationibus odorem nectareum propinaſti: vt à generatione in generationem noſtra ætas laudetur, & nomen tuum redoleat in vniuerſis finibus terræ. Nec vigor diuinus humano præconio indiget: & quod per ſe extat laudabile, haud dubium quin in prima glorioſum ſit facie. Pulcher enim, mox vt videtur, licet à longè videatur, amatur: & ignicomus centri viator confeſtim vt oritur, cœli oculus comprobatur: nec operoſo indiget viſu, qui non videntibus oriendo præbet aſpectum.

Quod verò humilitati ſeruiendo, meo ſubdis iudicio, quod diuino inſtruxiſti oraculo: licet ob noſtram ædificationem tua dicta inficias, & ſatius veritatem à ſuo tramiti greſſu in obliquam mergas: tamen cauendum eſt iterum, nedum humilitati nimium ſeruis, infringas iudicium veritatis: dum infimum, & quem tu inſcium multotiens comprobaſti, tantæ materiæ ſuperponis, & pretioſum a vili non ſolum non ſecernis, ſed quod magis eſt verendum, cœno limoq; inuoluis. Verum quia noſtræ cenſuræ (quæ nulla eſt) hunc tacendum, publicandumue iniungis: patienter perfer noſtram ſententiam, & ipſum codicem ſydereo ſplendore coruſcum ad multorum remedium ſolida, ſi dici fas eſt, literis in æternum. Egiſti autem, beatiſſime pater, carmen ſonorum, quo mortis metus excantatus effugiat, & antiqua glacie duratus animæ ſtupor frigusq; pellatur: quo calor vitæ, & ignis ille Deificus, quem Chriſtus venit mittere, ardeat, & extincti carbones, vel corpora mortua, flante ex quatuor partibus mun- *Ezech.* 37.
di ſpiritu, viuant, & lumen Arabico * dolo extinctum recipiant. Macte virtute, macte gloriæ ſemper habendus, qui non ſolum linguæ in laudibus confeſſorum ſoluiſti officium, verumetiam ob oris gratiam in præmium confeſſorum ex parte ſentis ſupplicium: & inter ſæua clauſtra & arcta cuſtodiæ verbum regni ſerens, feliciori polles victoria. Præconandus ſeculis vniuerſis, qui & in ſuppliciis poſitus linguam non cohibet, & pro omnibus ſolus non tacet. Splendeſce, & ampliori lumine, quo fulges, clareſce: quia repoſita tibi ſunt præmia, & centuplicata te manet corona, noſq; tuo ſuffragio, quo ſemper fouiſti, tuere.

SCHOLIA.

QVo ſibi notum eſt.) Obſcure aliquantulum, vt alia quædam, dixit. Eo te munere Deus donauit, quod illi repenſum, ſolet illi placere. Nouit autem ille ſolus, & quod tandem hoc munus ſit, & quo pacto eodem donati, in ipſius obſequium gratum eidem, & iucundum refundant.

Trimodum illud.) Triplex dicendi genus Rhetores diſtinguunt, ſublime, mediocre, & infimum. In idem penè recidunt Aſianum, Rhodium, & Atticum.

Lacteus Liuii ſubditur amnis.) Titi Liuii plenam, & dulci quadam æquabilitate redundantem vbertatem, lacteam primus Fabius appellauit. Inde Diuus Hieronymus lacteo illum eloquentiæ fonte manare dixit.

Illa ſecularis lingua Catonis.) Non video cur ſecularem Catonis linguam appellauerit. Niſi fortè in nomine Catonis mendum inſit, aut in epitheto, vt ſingularis legendum ſit.

Et dudum præconatus.) Hunc authorem, quem maximè omnium nominatum oportuit, reliquit ſine nomine. Nec diuinare datur, quem innuat. Et coniunctio quidem deerat in exemplari, fueratq; ſuperaddita priſca admodũ, & Mocarabi ſcriptura, ſicuti & multa alia ſæpe. Et manifeſtum vtiq; eſt coniunctionem ab Aluaro interpoſitam: neq; enim quæ ſequuntur Quintiliano tribui poſſunt.

Et ignicomus centri viator.) Tragicum planè eſt ephiteton: quemadmodum & poëticum etiam eſt, ſolem cœli oculum appellare. Mundi oculus apud Ouid. IV. Metamor.

Tua dicta inficias.) Hoc eſt, hoc colore, quod dicis, intingas, & hoc prætextu vtaris. Et ſatius aduerbium, mox additum, pro cautius poſitum crediderim.

Verum etiam ob oris gratiam.) Subtile, & inde obscurum, præterquam quod ipsa verba nescio quid perplexum inuoluunt. Sensus est. Non solum debito officio linguæ fungeris, confessores laudando: sed præmium etiam laudabilis huius officii assequeris, confessoris iam sustinendo supplicium. Ob martyres laudatos eo munere à Deo afficeris, vt penè iam martyr efficiaris.



D. PETRVS PONTIVS LEONIS A CORDVBA PLACENTINVS EPISCOPVS SVMMVS per regna, & ditiones Philippi. II. Regis Catholici de fide Christiana inquisitor, Ecclesiæ ciuitatique Cordubensi bene in Domino valere, martyrum suorum gloriam digne suscipere, & ipsorum patrocinio inuocantes digne perfrui.



VANQVAM studia nostra omnia, & diutinos in literis impensos labores, dignitatis, in quam me immerentem Dei benignitas euexit, & muneris iniuncti ratio suo iure assidue vendicent: nos tamen in diuorũ Hispanorum scripta peruestiganda & illustranda vehementer propensi, partem aliquam studiorum nostrorum, curam etiam & diligentiam eo semper libenter contulimus. Cumq; Diui Benedicti per Hispaniam monasteria, propter insignem vetustatem huiusmodi opibus ditissima esse reputarem: tum etiam sanctam Ouetensem Ecclesiam iisdem in primis locupletem esse semper existimaui. In misera enim Hispaniæ nostræ Gothorum tempore vastatione, fugientibus nostris, & tutiora loca petentibus, eo conuectos pariter cum sanctorum reliquiis libros etiam quam plurimos memineram. Vtrobique igitur priscos nostrorum authorum, & sanctorum præsertim codices per annos aliquot indagare summa industria & diligentia curauimus. Nec defuit studio huic nostro felicissimus euentus: piamq; sudulitatem benigne Deus iuuit, atq; prouexit. Nam præterquam quod multa in sacris nostratibus conciliis scitu dignissima, neque tamen vnquam antea visa inuenimus, commentaria etiam in sacros libros egregia nonnulla sumus assequuti. Vnus tamen Diuus Eulogius, à nobis hac indagine repertus, omnem nostrum laborem, tametsi multo maior fuisset impensus, abunde profectò compensasset. Quis enim sperare saltem auderet, tanto se thesauro beandum? Audieram ego sanè, & alicubi legeram, huius Diui nomen, & quæ scripsisset tenui quadam memoria tantum veluti olfeceram: sed nec votis quidem concipere poteram, me eius aliquando scripta adepturum. Et cùm nullum alium mihi dari mallem, de nullo tamen minus cogitabam. Tanti igitur thesauri compos tandem factus Deo Opt. Max. in primis gratias agebam, qui mihi homini Cordubensi Cordubensis diui scripta sanctissima, & in his tot Cordubensium martyrum triumphos, nunquam speranti, & minimè reputanti repente obtulisset. Sed enim quanuis scripta ipsa per sese erant dignissima, quæ multis de causis plurimi fierent: me tamen illa vehementer commouit, quod præstantissimam alioqui ciuitatis nostræ gloriam, hinc mirum in modum augeri videbam: donumq; etiam hinc me habere, quod digne ego eidem tribuerem, quodq; illa libentissimè acciperet, magno opere gaudebam. Nam præterquam quod Cordubæ natus, educatus, & primis literarum rudimẽtis Latineq; linguæ cognitione institutus, tantum eidem me debere intelligo, quantũ patriæ clarissimæ quisquam vnquam potuit: quod etiam paterna stirpe totus ex primo vrbis Maurorum temporibus expugnatore progredior, nescio quo maioris charitatis & propensissimi affectus incitatione in ipsam semper feror, & eius gloria mirificè recreor. Gratias deinde sanctæ quoq; Ouetensi Ecclesię, quas potui persolui, quæ has nobis diuitias per tot secula conseruauisset, & mecum nunc easdem libenter communicasset. Verumenimuero quoniam nos Cordubæ nostræ laus & gloria impensius sollicitabat, ne diutius hoc illam eius incremento carere permitterem: edendi cupidus operam dedi, vt quam primum exemplar ipsum, quod mihi Ouetenses benigne commodauerant, describeretur. Id magno nobis & domesticis nostris labore cõstitit. Gothicis enim literis scriptum cum esset, nisi longo vsu legi multa non poterant. Adde incredibilem codicis vetustatem, qui cum aliis, quos ante sexcentos penè annos scriptos fuisse constabat, collatus, paucis retro annis illi prorsus scripti fuisse videbantur. Tanta

erat

erat vetustas, & priscorum characterum, atq; membranæ & ipsius etiam compaginationis manifesta differentia. Quod quemadmodum ad codicis fidem & authoritatem multum habuit momenti: ita ad describendum ingentem attulit difficultatem. Itaq; desperantibus aliquando domesticis nostris, quibus eam curam & operam demandaueramus: nos ipsi suppetias in præclaro labore attulimus, & nostra manu nonnulla, in quibus ipsi hærebant, descripsimus. Et quemadmodū hunc laborem libenter nos ipsi suscepimus, ita etiam illum alterum multo maiorem emendandi, & scholiis illustrādi reuera non subterfugissemus: nisi nos pastoralis cura, & Ecclesiæ nostræ Placentinæ, cui nos, etsi indignos, præesse Dominus voluit, varia negotia distinerent, ac præpedirent: & nisi vicariam operam in hac parte Ambrosius Morales ciuis noster, & Corduba dignus, idemq; regius Philippi secundi domini nostri historicus præstitisset. Is, quo est in diuorum Hispanorum vitas & res gestas illustrandas studio & diligentia, hunc laborem non impar suscepit: qua verò est in Cordubam nostram charitate, auide amplexus est. Vt totum hoc, quicquid hic est, est autem per maximum dignitatis & gloriæ Cordubensis incrementum, non alii eidem quam Cordubenses tribuerent. Diuus Eulogius primum seipsum dedit, nobilitate, doctrina labore verè Christiano, scriptis libris memoria nostratium martyrum conseruata, & demum suo martyrio præstantissimum. Nos eius scripta ex perpetuæ obliuionis tenebris eruimus, & nunc in lucem damus: quod Dei munere nobis cōtigisse & pie credimus, & magno opere lætamur. Noster Ambrosius, quod totus liber vbiq; declarabit, vt emendatiora, locupletiora, & magis perspicue sancti martyris opera ederentur, nullum laborem recusauit. Vestrū erit sacerdotes grauissimi, Patres reipu. nostræ amantissimi, munus hoc nostrum ad veram Cordubæ communis patriæ gloriam comparatum, beneuolo & læto animo suscipere: sanctorum martyrum vestratium gloriam penè redidiuam iucundissimè recolere, & iugi semper veneratione reuereri: Dominum in ipsis assidue laudare: ipsorum exemplis insistere: patrocinia subinde implorare & promereri: eximiamq; hanc nostræ ciuitatis laudem, ac verè cælestem præstantiam digno cultu & Christianis obsequiis semper magnifacere. Ita demum fiet, vt & vos hinc magnum religionis fructū, pietatisq; emolumentum capiatis: nosq; nostro hoc munere, digno illo equidem per sese, maius tamen aliquid, Deo bene fortunante, tribuisse lætemur. Valete viri præstantissimi, clarissimæ vrbis ciues dignissimi.

OPERVM DIVI EVLOGII FINIS.



AMBROSIVS MORALES PIO LECTORI.

IVSTISSIMIS de causis quæ sequuntur, Diui Eulogii operibus visum est adnectere. Nam & Dei gloria in quorumcunque martyrum cædibus celebrior vtique & mirabilior prædicatur: atque ex omnibus etiam inuictæ patientiæ, multarumque virtutum exempla sumuntur. Argumenti præterea indiuulsa cognatio postulabat, vt qui non multis post annis sub iisdem impiis Arabum regibus Cordubæ passi sunt martyres, superioribus adiungerentur: & qui loco, causa, & quod maius est, feruentissimi spiritus similitudine coniungebantur, in posteritatis memoria non separarentur. Iam verò cùm Diui Pelagii martyrium tota Hispania sit celeberrimum, vix tamen passionis eius exigua, & penè iam deleta vestigia perdurabant. Diuæ Eugeniæ tenuis quædam memoria, eaq; inter paucissimos permanebat. Dominici & sociorum eius nec fama saltem vlla apud nostrates Hispanos fuerat. His omnibus incitatus atq; permotus, hæc Diuo Eulogio superaddenda iudicaui: non dubius, quin piis omnibus per Hispaniam, & vbique in commune, seorsum Cordubensibus nostris futurum foret gratissimum.

ADMODVM ILLVSTRI ET REVERENDISSIMO DOMINO ANTONIO MORALI Tlaxcaltensi in noua Hispania Episcopo Ambrosius Morales Cordubensis Regius Historicus eius auunculus.

S. P. D.



EX quo semel ad te, Præsul optime, de diui Eulogii martyris Cordubensis operibus recens inuentis, & mox in lucem prodituris scripsi: sancta quadam cupiditate cibum pretiosissimum degustanti incensus, tam longe positus, auidissime per literas percunctaris, an iam excussa in vulgus exierint: obnixe me obtestans, vt quam citissime ad te transmittantur. Ego vero quam primum possum, non mitto solum, sed hanc etiam partem postremam huius æditionis, quæ tota nostra est, tibi dedicare constitui, tuam peculiarem esse volui, tuique hominis auspiciis in publicum exire. Pusillus sane labor, exiguum munus: sed inde profecto magnum, quod ad laudandum dominum in sanctis eius sit opportunum. Nostrum autem totum est, quicquid hic tibi offerimus. Etenim quamuis nostro labore sanctissimi martyris superiora omnia opera sint veluti denuo renata, & redidiua, nihilque in eis alienum sit, præterquam quod ab Illustrissimo Placentino Episcopo fuerunt adinuenta: illo tamẽ nuper vita functo, omnia in me plenius incubuere, nostraque cura, labore & impensa perficienda fuerunt: cum sequentia omnia, hoc ipsum etiam nostrum habeant, quod à nobis inuenta, Hispanæ Ecclesię atque adeo vniuerso orbi Christiano legenda & fruenda traduntur. Atque eo libentius tibi, Antistites Reuerendissime, hoc quicquid est nostri laboris dicauimus, vt mecum pro necessitudinis nostræ & communis sanguinis iure, Deo Opt. Max. quas ego digne non possum, gratias agere insistas, quod me in hoc sanctissimo labore versari dignatus sit, & in sanctorum gloriam tantisper impendi benignissime prouiderit. Quanto enim me indigniorem tam sancto ministerio reputo, tanto maiorem persentio Dei misericordiam, qui eidem me destinauerit. Et cum non dubitem, quin sancta quadã inde lætitia afficiaris, quod nostræ familiæ hoc præclarum: & merito plurimi faciendum Dei benignitate fuerit tributum, vt ex ea sanctorum martyrum nostratium scripta ac monumenta in lucem prodierint: tum etiam inde tibi non modicam Christianæ lætitiæ occasionem oblatam intelligo, quod me, quem valde amas, licet indignũ videas tamen in sanctissimo labore Dei munere non segniter insudasse: vnde ipsius (qui est in sanctis suis semper mirabilis) gloria magis ac magis augeatur. Quemadmodum & tui omnes, cum te in hunc præcelsum Ecclesiasticæ hierarchiæ gradum, Episcopum factum, sublatum fuisse gaudemus, familięq; nostræ inde merito gratulamur: multo tamen maiori lætitia cumulamur, quod omnibus tuis factis, curis magnisque laboribus in administrando credito tibi grege pro vero Christiani præsulis munere incumbas, & peruigilem te Dominicis ouibus pascendis pastorem, bonorum omnium testimonio & honorifica prædicatione, exhibeas. Idem etiam in fratre tuo Doctore Ludouico Molina. V. C. atque doctiss. supremi Regii Senatus consiliario contingit. Præstantissimam dignitatem adeptum sui omnes lætantur: doctrina vero, prudentia iusti atque æqui amore & solicitudine parem se summo honori præstare, vehementi⁹ gaudemus. Quæ omnia ad Dei Opt. Max. gloriam, teque ad dignam gratiarum actionem, quamuis per te satis incitatus sis permouendi gratia scripta hic, & contestata esse volui. Vale Pręsul reuerendisime & vigilantissime. Atque equidem meritissimi honoris titulo ideo te Reuerendissimum iure optimo compellamus: quia tu te vigilantissimum præstes.

DE SANCTA EVGENIA MARTYRE CORDVBENSI.



VIGINTI nunc quatuor anni plus minus aguntur, ex quo Cordubæ prope vicum, cui nomen est los Marmoleios, dum domus fundamentis scrobes effodiuntur, lapis marmoreus candidus non admodum magnus fuit erutus: qui tredecim versus habuerat insculptos. Verum quia, vt coniectari licet, multo tempore solo impositus iacuit: magna pars literarum pedum attritu fuerat consumpta. Sed bene habet, singulari Dei prouidentia, & iucundissimo suo munere literæ versuum primores integræ ferme omnes perdurarunt: vt nomen sanctæ Eugeniæ martyris in hunc vsq; diem fidelibus proderent. Hic lapis in sacræ aræ vsum consecratus, Cordubæ in Diui Pauli cœnobio ordinis Prædicatorum, summa cum veneratione asseruatur. Quæ in eo super sunt literæ, hæ sunt.

/ /
/ / / / / / / / / / / / LIS / / VVLNERA / / / /
GENV / / / / / / / / / / VS TRVCVLENTVM
EX / / / / / / / / / / / QVI FOECVNDA
NOBIS HIC / / / / / / / / / / / / RETENTAT
IN CÆLO DE HINC MERVIT PER SECVLA VIGENS
ADIVNCTA POLLET CVRIÆ SANCTORVM IN ARCE
MERCEDES IPSO RVTILI SVB SOLE CORVSCAT
AMBIENS SACRI GLORIAM DE MERCE CRVORIS.
REX TRIBVIT CVI CORONAM PER SECLA FVTVRA.
TV ITAQVE NVTIBVS MARTYR NOS MANDA DIVINIS.
IDEM SVB ERA NOVIES CENTVM IVGVLATVR
/ / / / SEXAGIES ET VNO SEPTEM DE CALENDIS APRILIS.

APRILIS nomen seorsum ad hunc modum fuit infra scriptum. Vltimi vero versus primam dictionem, quæ deest, crediderim sane fuisse, RVRSVS. Nam et. R. necesse est fuisse, vt integrum nomen EVGENIA MARTYR compleretur: & illa numeri sequentis ad superiorem adiectio probe (vt illorum temporum fuit in carminibus vsus) per hoc aduerbium copulatur. Huiusmodi vero literas in carminibus, cum alio aliquo quam incipiendi, aut finiendi versus munere funguntur, vt per se aliquid significent, Acrostichas Græci vocant. *Acrostichis litera.* Quod his verbis Cicero in secundo de diuinatione explicuit. Tum vero quæ Acrostichis dicitur, cum deinceps ex primis versuum literis aliquid connectitur, vt in quibusdam Ennianis, quos Ennius fecit, id certe magis est attenti animi, quam furentis. Et quanquam Ennius huiusmodi versus composuerit, Plautusq; etiam in argumentis fabularum, & similes præterea Sybillæ Erythrææ, ab Diuo Augustino & Eusebio referantur: nostrorum tamen Hispanorum peculiarem hanc fuisse argutiam, & ab eis in primis adamatam video: cum in vno solum prisco Romanorum temporis, eoq; Hispanarum fœminarum, in Hispania saltem naufragio absumptarum Epitaphio quæsitam, animaduertã. Id ex domo Cæsia Aldus in sua Orthographia posuit his versibus descriptum, in quibus eius, qui lapidem, titulumq; posuit, nomen, IVLIVS SECVNDVS primis literis legitur.

IAM DATVS EST FINIS VITÆ IAM
　　PAVSA MALORVM.
VOBIS QVAS HABET HOC GNATAM
　　MATREMQVE SEPVLCHRVM.
LITORE PHOCACIO PELAGI VI
　　EXANIMATAS
ILLIC VNDE DAGVS ET NOBILE
　　FLVMEN HIBERVS
VORSVM ORTVS VORSVM OCCA
　　SVS FLVIT ALTER ET ALTER

STAGNA SVB OCCANI TAGVS ET
TYRRHENICA HIBERVS
SIC ETENIM DVXERE OLIM
PRIMORDIA PARCÆ
ET NE VERE SVPER VOBIS VITALIA FILA
CVM PRIMVM LVCINA DARET
LVCEMQVE ANIMAMQVE
VT VITÆ DIVERSA DIES FORET V-
NAQVE LETI
NOBIS PORRO ALIA EST TRINO
DE NOMINE FATI
DICTA DIES LETI, QVAM PRO
PAGARE SVOPTE
VISVM OLLIS TACITO ARBITRIO
CVM LEGE PERENNI
SISTI QVÆ CVNCTOS IVBET AD
VADIMONIA MORTIS.

Diuus Eugenius III. Archiepiscopus Toletanus.

Ab Gothorum verò temporibus ea voluptas Acrostichârum in carminibus, & in Epitaphiis præsertim à nostris frequentius fuit quæsita. Sunt enim Diui Eugenii tertii Archiepiscopi Toletani nonnulla Epitaphia, quæ hac ipsa argutia exornantur. Sed nihil æque egregium & omnibus numeris absolutum, quam eiusdem præsulis Epitaphium, quod ipse sibi viuens composuit: & cùm in principio Acrostichas habeat, habet etiam in fine Teliostichidas. Ita enim Græci literas appellant, ex quibus in fine carminis aliquid connectitur. Quod & apposuimus.

E XCIPE CHRISTE POTENS DISCRETAM CORPORE MENTE M,
V T POSSIM PICEI POENAM VITARE BARATHR I.
G RANDIS INEST CVLPA, SED TV PIETATE REDVNDA S:
E LVE PROBRA PATER, ET VITÆ CRIMINA TOLL E.
N ON SIM PRO MERITIS SANCTORVM COETIBVS EXV L:
I VDICE TE PROSIT SANCTVM VIDERE TRIBVNA L.
V IS, LECTOR, VNO, QVI SIM, DIGNOSCERE VERS V,
S IGNA PRIORA LEGE: MOX VLTIMA NOSSE VALEBI S.

Duras sibi compedes cum iniecisset: nullo tamen vestigio titubauit, nullum inconcinne gressum protulit. Hoc Epitaphium cum aliis quibusdam eiusdē Antistitis, & aliorum carminibus ex Michaelis Acagræ exemplari habuimus. Diuus autem Illefonsus, qui eidem in Ecclesia Toletana confestim successit, nonnulla ipsum carmine scripsisse commemorat. Codex etiam sacrorum conciliorum in Regio sancti Laurentii ad oppidum Escurial monasterio ante sexcentos ferme annos literis Gothicis, scriptoris nomen, locum & tempus, quibus scribebat explicat. Tentarunt etiam nostra memoria Hispani poëtæ non inuenuste Acrostichis ludere. Sed ad Eugeniæ martyrium redeamus.

Habdarraghman rex IIII.

Passa est anno Domini nongentesimo vicesimo tertio, Martii mensis die vicesimo sexto, regnante iam Habdarraghman huius nominis quarto, regni eius anno duodecimo, vt ex chronologia, quam iam non semel iniuimus, constat. Hic verò impius rex, initio regni sui indito sibi cognomine, Ananzer Alendin Ala (vt est apud Rudericum Archiepiscopum) se vocari præcepit: quod legis diuinæ defensor interpretatur. Vt iam tunc mature ostenderet, quanto Christiani nominis odio flagraret. Eodem etiam illud alterum, quod sibi imposuit cognomen Amomiramolin (quod summorum regum inter Sarracenos fuit alioqui commune) spectasse videtur: siquidem (vt est apud eundem authorem) rex credentium sonat. Nec mitius sese in Christianos reipsa, quam nomine ediderat, gessit. Quod huius diuæ, & sancti Pelagii cædes inter alia ostendunt.

Rex Ordonius secundus.

Legionense verò regnum hoc anno Ordonius secundus Alfonsi Magni filius regebat. Nec dum enim Froyla eius frater regnum acceperat. Nec obstat eius inscriptio, quam in Nunilone & Alodia posuimus. Nam nondum rex, sed priuatus adhuc pretiosam illam arcam obtulerat, atq; ideo regis nomen ibi non vsurpauit.

In hoc sacro marmore illud nunc merito admiramur, literas nimirum, quæ adhuc permanent, durissima, & ipso etiam marmore rigidiore materia esse oppletas. Siue id bituminis genus est, quod initio excauatis literis fuit infusum: siue lapis est nouæ formæ,

formæ, quem natura ibidem, tot seculis, quibus terra obrutum marmor permansit, ingenerauit.

Ego verò primus omnium, neque alius ante me (Deo Opt. Max. laus, honor & gloria) hoc Epitaphium perlegi, & Acrostichas in eo primus animaduerti, diuæque martyris nomen inde euulgaui; & quæ ad Epitaphii totius, personarum, temporum rerumque rationem plene intelligendam necessaria fuerunt, perscripsi ad F. Laurentium Figueroam Marchionis de Pliego, & Ducis de Feria magnorum principum fratrem, qui diui Pauli monasterio prior tunc Cordubæ præsidebat: & quantum natalium splendore præstat, tantundem spectatissima religione, doctrina singulari, concionum sanctissimarum admirabili eloquentia inclytam familiam, & Cordubam nostram illustrat.



DE SANCTO PELAGIO MARTYRE CORDVBENSI.

DVOBVS post Diuam Eugeniam annis, hoc est Dominicæ natiuitatis nongentesimo vicesimo quinto, mensis Iunii die vicesimo sexto, qui in dominicam eo anno inciderat, Cordubæ Diuus Pelagius, martyrio, per omnem Hispaniæ Ecclesiam vsque hodie celebratissimo fuit coronatus. Cuius gloriosi triumphi fama etsi ad exteras quoque nationes inclyta permearit, & in Saxoniam vsque remotissimam regionem actutum penetrauerit: ibique Rhosuitham clarissimam virginem commouerit, vt sanctissimi huius martyris victoriam heroico carmine insigni cum præconio describeret, ac celebraret: & nostrates etiam prisci historici eiusdem meminerint: Ecclesiæ etiam per Hispaniam multæ in lectionibus matutinis martyrii eius seriem retineant: ego tamen hic eam eius martyris historiam apponam, quæ, vt suo loco apparebit, ipsis martyrii diebus, ab eo qui & tunc vixit, & interfuit, scripta videatur: ea in peruetusto codice Gothicis literis in membrana descripto continetur, qui in insigni sancti Petri de Cardenna ordinis sancti Benedicti cœnobio, propè Burgos nobilissimam vrbem olim fuerat, & nunc in Regio sancti Laurentii ad oppidum del Escurial asseruatur. Codex etiam sanctæ Ecclesiæ Toletanæ sanctoralis Smaragdinus dictus, admodum vetustus eandem iisdem verbis habet, sancti Pelagii historiam. Vidimus etiam illam ipsam in veteri Tudensis Ecclesiæ sanctorali. Ibi enim indigenam martyrem, ciuemque suum solenni in sacris pompa Tudenses concelebrant. Titulum qualis erat in illo veteri Gothico exemplari, & Raguelis authoris nomen in margine appositum, sicuti ibi fuerat, reliquimus. Sed de Raguele postea. Vbique autem corruptissime omnia erant descripta, præterquam quod ab Raguele obscure multa, quod fuit illorum temporum, videbantur scripta. Nos quaque ratione potuimus, nihil fermè immutantes, emendauimus.

Rhosuita de sancto Pelagio scripsit.

Monasterium sancti Petri de Cardenna.

Burgos.

Regium sancti Laurentii monasterium.

VITA VEL PASSIO SANCTI PELAGII MARTYRIS, QVI PASSVS EST Corduba ciuitate, sub Habdarraghman rege, die VI. Calendas Iulii.

Raguel presbyter doctor fuit huius passionis Cordubensis.



ILLVSTRE quidem cuiusque operis tunc habetur exemplum, cum eius narrationis textus cœptum bene tenuerit initium. Quia ex hoc maxime ad laudem prolationis proficit subsequentis, si vltima haud discrepauerint primis: vt quæ fuit cœpti causa initii, sit etiam ad complementum operis peragendi. Et licet nostra scriptio martyriū disponere nititur fidelissimi testis, sui tamen primordiis non disiungitur, vbi supplicium paratum extitit populis Christianis. Vnde autem orandus est Dominus, vt loquendi nobis in laudem sui præbeat initium, quod consummato opere nullum penitus habeat discidium. Quo tandem ille foris resonet in lingua, qui auctor erat intus in conscientia.

Galletia.

Igitur temporibus illis, cum sæuissima orta fuisset tempestas Christianis, contigit, vt totius Hispaniæ hostes contra Galletiam mouerentur, vt si fieri posset funditus ea subuersa, fideles omnes dominatio possideret externa. Sed non destitit diuinum omnino auxilium, temeritatem reprimens indebitè contra suos venientium. Ad quendam itaq; locum cum prædicti hostes peruenissent, e contra Christianorum exercitus occurrit, & sese vtriq; obuiarunt. Mos est autem regis fidelium Christianorum, vt sua simul secum in expeditione Episcopus habeat: Conserto itaq; prælio, ita populus Dei in fugam versus est, vt etiam ipsi Episcopi cum aliquantis fidelibus captiui tenerentur. In quibus autem vnus nomine fuit Ermoigius, qui ferro vinctus Cordubæ carcere mansit clausus. Porro quia diuinitus varia sunt iudicia his, quos omnipotens Deus ad regna vocat cælestia: fessus iste Ermoigius Episcopus carceris angustiis, ac ferri oneribus: obsidem pro se suum dedit sobrinum nomine Pelagium, ea quoq; spe retenta, vt ipso abeunte, captiuos mitteret, quibus hunc sobrinum redimere posset. Verum solita diuinitus affuere beneficia, quæ hunc Pelagium ita illuminarunt, vt carcerem haberet probationem, vel quotidianorum, sine quibus humana fragilitas viuere non potest, casuum limam. Vt eo etiam sibi hoc ergastulum ad ablutionem induceret peccatorum, quo antea in propria positus patria cum esset, quamuis puer, absq; illecebris vitam nequibat ducere incentiuorum. Quia vix homo in bonore positus Deo placere potest, cum sibi, quæ sua sunt, quisq; vult vendicare. Vnde Dominus dicit, viam esse arctam, quæ ducit ad vitam, latam verò & spatiosam, quæ ducit ad perditionem. Reverà quanto facilius est ex prosperis ad ima dilabi, tanto vnicuiq; congruentius extat, ad sublimia per aspera & confragosa prouehi. Quinimo vnde morti similis extat, inde angelorum opportunius curiæ associatur.

Ermoigius Tudensis Episcopus.

Pelagius obses datur.

Sanctitatis in Pelagio rudimenta.

Igitur iste beatissimus Pelagius sibi diuinitus hæc omnia inspirata, iuxta quod eius narrant indicia, examinans, caute in carcere viuebat, vbi ferme decem annorum ætate inclusus fuerat: porrò qualem ibidem se gerebat, sodales non tacent, & fama nō silet. Erat enim castus, sobrius, quietus, cautus, orationibus vigil, lectioni assiduus, Dominicorum præceptorum non immemor, bonorum colloquiorum ascitor, malorum expers, risui non facilis. Elegerat enim sibi magistrum Paulum Apostolum in doctrinis vigilantem, deprecationibus instantem, angustiis communicantem, in pressuris non deficientem. Quapropter solers erat in lectione, ac facilis in doctrina. Eadem quippe illius extabat conuersatio, de illa nihilominus responsio, qua, eo reluctan e, si quando forte quiuis dissimilis fidei garrulus aderat, refutatus abibat. Sic præterea mente vel corpore seruabat integritatem, vt putares eum non nisi futurum martyriū præmeditantem, vtpotè cum talia præberet indicia, quæ nullatenus cælestia amitterent gaudia. Quis verò talem indolem plausibus non efferret, quam species foris pulcherrima paradisigena prærogatiua iam decorauerat? Cui sanè intus manebat instructor Christus, qui foris erat formæ illuminator: quo ipsum etiam celebraret magistrum specie vultus, qui mente haud dubie dignum regebat alumnum. Purificabat quoque vas suum, dignum parans habitaculum, in quo post paululum, vt sponsus lætaretur, & de quo facto laureatus cruore, sibi suisq; amplexibus inter sanctorum curias dignus honore famulus iungeretur. Vt bina tam virginitatis, quam passionis vberius

rius corona ditatus, duplicem ferret de hoste triumphum; cùm & diuitias abhorreret, & vitiis non cederet. Ergo merito duplum pertingit ad brauium; qui cum suis satellitibus hostem calcauerat tetrum. Manens verò sanctus Pelagius promissionibus resistendo fortis, ac vitiis sanè non cedendo laudabilis: quantum interea ille antiquus hostis suis cristatus nequitiis eum irretire, nunc apertè, nunc tacite conabatur, tantū propriæ malitiæ calliditate sub ipsius, Deo annuente, prostrabatur pedibus infirm⁹.

HIS vero per trium annorum & semis circulum probabiliter gestis, forte quodam die regii tyronis cuiusdam satellites affuere, qui huius beatissimi Pelagii venustiorem vultus pulchritudinem suo Domino esse nuntiarunt. Nec immerito pulcher foris intuebatur, quia Domino Iesu Christo intus pulchrior diligebatur. Hoc pacto stulti homines, & veritatis nescii, eius formam gurgitibus vitiorum putabant obtuere, quam idem Dominus noster inter sanctorum virginum choros, suis à dextris pollicebatur stare. Non vtique intelligentes miseri, Domino non posse contraire, qui nec suum album, aut nigrum vnquam capillum possunt facere.

Sancti Pelagii pulchritudo.

QVÆ interea fama regis auribus innotescens, ei optime, sed non rectè placuit, cùm Dei famulus Pelagius in carceris etiam angustiis pulcher apparuit. Rex itaque inter epulas positus apparitores misit, qui futuram Christo hostiam suis sisterent conspectibus intuendam. Sed quia omnipotenti Deo possibilia manent cuncta, dicta factis complentur: & Dei famulum Pelagium præcipites satellites cum vinculis rapuere, ita vt stridentes in aula regis, cum amputarentur, cathenarum tumultus audirentur. Gaudentes itaque, mente cæci regi offerre mortali, cuius iam sibi Christus animam nexu desponsauerat inseparabili: eum regis conspectibus trabea indutum regali obtulerunt, beatissimi auribus pueri mussitantes, quod ad tantum perduceretur honorem eius species. Ad quem illico rex inquit. Puer grandis te honoris fascibus sublimabo, si Christum negare, & nostrum volueris prophetam verum esse dicere. Nonne qualibus quantisue potiamur regnis vides? Insuper addam tibi numerosam auri vel argenti copiam, vestes optimas, ornamenta pretiosa. Sumes prȩterea tibi qualem ex his tyrunculis elegeris, qui tuis ad votum moribus famuletur: sed & cortes offeram ad habitandum, equos ad vtendum, delicias ad fruendum. Porro & de carcere, quantos petieris, educam, & parentibus etiam tuis in hanc, si volueris, regionem aduocatis immensas dignitates conferam. At vero sanctus Pelagius vniuersa despiciens, ac ridenda esse intelligens: hæc, ait, quæ demonstras, o rex, nihil sunt: & Christum non negabo, Christianus sum, fui, & ero. Nam hæc omnia finem habent, & cum suis spaciis transeunt. Porro Christus, quem ego colo, nescit habere finem: quia nec initium habet vllum. Ipse namque est qui cum patre & spiritu sancto vnus permanet Deus, qui nos ex nihilo fecit, & vniuersa potestate continet.

Rex visu Pelagium in hoste amat.

Sanctus Pelagius ad regem.

Interea cum eum iocularitér rex tangere vellet: Tolle canis, inquit, sanctus Pelagius, nunquid me similem tuis effeminatum existimas? Et illico vestimenta, quę indutus erat scidit, & fortem in palęstra se athletam constituit, eligens digne pro Christo mori, quam turpiter cum diabolo viuere, & vitiis inquinari. Ipsum vero adhuc suaderi posse rex existimans, suis præcepit tyronibus, vt eum suasoribus, delinirent lenociniis si forte apostatando, tantis acquiesceret regalibus pompis. Sed ille adiuuante Domino fortis stetit, & intrepidus permansit, Christianum se solummodo prædicans, eiusq; per secula præceptis obsecundare se dicens. Cuius feruentissimum rex spiritum contra persistere videns, atque in suis se desideriis spretum esse intelligens: ira stimulatus, appendite, inquit, illum in forcipes ferreas, ac strictim tandiu sursum deorsum vicissim leuantesq; deponite, quousque aut animam exhalet, aut Christum esse dominum deneget. Quod beatus Pelagius forti animo pertransiens, stabat intrepidus, qui adhuc pro Christo pati penitus non recusabat. Cuius cum immobilem rex constantiam videret, iussit eum membratim gladio scindi, & in flumine proiici. Qua ministri potestate accepta, per tam immania in eum exerto pugione ludibria debacchati sunt, vt eos putares sacrificia componere de eo, quem immolari, eis insciis, in conspectu domini nostri Iesu Christi erat necesse. Et qui iam electus manebat in cælis, adhuc duriter patiebatur in terris. Nam alius brachium radicitus amputauit, alius tibias desecauit, alius etiam ceruicem ferire non destitit. Interea stabat martyr intrepidus, ex quo guttatim sanguis distillabat, pro sudore profluus. Nullum interim præter dominum Iesum Christum inuocans, pro quo pati non recusabat, dicens: Domine eripe me de manu inimicorum meorum. Quem sane diuina potestas non deseruit, faciens illum in pœnis confessore, ac sub gladii mucrone gloriosum in cælis martyrem. Porro manus, quas ille ad Deum

S. Pelagii constantissima pudicitia.

S. Pelagius cruciatur, & discerpitur.

leuabat, illi ſceleratiſſimi gladio amputabant. Inter quæ beatiſſimus Pelagius feſſus anhelabat. Et quia qui hominum miſereretur, non aderat: Deum ſolumodo inuocabat. Clamabat quidem athleta fortiſſimus, ſed præſens certaminis præerat Dominus, Veni, inquiens, accipe coronam, quam tibi ab initio promiſi.

Inter hæc ſpiritus migrauit ad Deum. Corpus vero proiectum eſt in fluminis alueum. Sed poſt hoc nullatenus defuere fideles, qui illud quærerent, atq; ad ſepulchrũ honorifice deferrent. Cuius quidem caput cemiterium tenet ſancti Cypriani, corpus vero ceſpes ſancti Geneſi.

Cæmiteriũ Sancti Cypriani. Sancti Geneſii templum.

O verè dignum Deo martyrium, hora ſeptima cœptum, veſpere autem eodem die conſummatum. Quis vnquam tale donum vllis compenſare valebit ſermonibus. Nam pro carceris ſqualore reddita eſt ei cæli gloria: pro anguſtiis temporalibus, meruit cæli munera: pro patria, quam reliquit, poſſidet paradiſum, quem optauit. Dimiſit ſane parentes, vel fratres: ſed nunc angelos habet conſortes. Omnis (inquit ſermo diuinus) qui dimittit patrem aut matrem, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Suſtinuit membris gladium, qui nunc cælorum obtinet regnum.

Oratio ad Sanctum martyrem.

O beatiſſime teſtis Pelagi, qui inter delicias minaſque Chriſtum confiteris, ac blanditiis cedere nolis: eligens magis mori pro veritate, quam viuere ſeculo, & carere iuſtitia. Et, quem iam Chriſtus in ſorte habebat electorum, promiſſionibns noluit cedere perditorum. Vnde quæſumus ſancte martyr eccleſiæ patrocinare, eamque fouieto indefeſſe præſidiis, quam tibi famulari conſpicis votorum obſequelis. Quaten⁹ te corã Deo habeat patronum, quem * Galletia oriundum, ſed martyrii ſanguine Corduba tenet glorioſum.

** Natus Zamora, nõ proprie Galetiæ oriundus dici poterat: niſi quod ea ætate Hiſpaniam interiorẽ hoc nomine tantum cenſebant, qui in montibus imperabãt, contenti ipſi vel nomine ipſo Gallecia, vbi regnarent. vt ſatis conſtat ex huius vitæ principio.*

Igitur hic beatiſſimus Pelagius ætate circiter tredecim & ſemis paſſus eſt annorũ Corduba, vt dictum eſt, in ciuitate Habderraghman rege imperante. Die videlicet dominica, hora decima, ſexto Calendas Iulias, Era DCCCCLXIII. Regnante domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit & regnat cum Deo patre in vnitate ſpiritus ſancti, vnus in Trinitate Deus, in ſecula ſeculorum. Amen.

Tenera ſancti Pelagii in martyrio ætas. Dies Iunii XXVI. ãnus Domini 925. Ratio temporis.

IN antiquo exemplari ſcriptum plane per notas fuit, Era DCCCLXIIII. qui fuit annus Domini DCCCCXXVI. Sed cum dies Dominicus, in quo Diuus Pelagius ſit paſſus, ab Raguele nominetur: & certi pene ſimus diem Iunii vigeſimum ſextũ, vt mox apparebit, fuiſſe eodem etiam illo vetuſtiſſimo codice, & multis aliis antiquis exemplaribus atteſtantibus: ex noſtra Aſtronomica ſupputatione (quæ fallere nullatenus poteſt) Erã emendauimus, vt eſſet nongenteſima ſexageſima tertia, annũque Domini conficeret nongenteſimum viceſimum quintum. Habuit enim is annus qui biſſextus non fuit. B. literam dominicalem, qua docemur eo anno die Iunii viceſimum ſextum, Dominicum diem fuiſſe, cum inſequens annus eum Iunii diem, diem lunæ habuerit. Cum igitur ita emendauerimus, dies cum anno, annus cum die recte concordat. Dicet aliquis. Cur potius annum, quam menſis diem emendare inſtituis? Quia is dies nimirum in omnibus breuiariis martyrologiis, & antiquis exemplaribus, huic diuo tribuitur, & quidem feſto ſanctorum Ioañis & Pauli impeditus: vt cõmode & iuſta de cauſa transferri diuus Pelagius retro in diem xxv. aut porrò in xxvii. vacuos omni feſto potuiſſet. Relictus eo die eſt, quia eius fuit proprius.

Clades ad Iũcariam. Ordonius rex. II.

De tota illa infortũata expeditione, quæ cauſam ſancti Pelagii martyrio dedit, Sãpyr⁹ Aſturicenſis Epiſcopus, vetuſtiſſimus illorum temporum ſcriptor (ab quo & Rudericus Toletanus, Lucas Tudenſis, atque alii tranſtulerunt) de Ordonio rege huius nominis ſecundo Alfonſi magni filio loquens, ad hunc modum ſcripſit. Iterum rex Cordubenſis cum aliis Agarenis regibus, & cũ multis Sarracenorũ exercitibus, contra regẽ dominũ Ordoniũ venit, ad locum qui dicitur Mindonia, & inter ſe dimicantes, & prœliũ mouẽtes corruerũt ibi multi ex noſtris: & vt ait Dauid varii ſunt euẽtus belli. Exhinc in anno tertio innumerabile agmen Saracenorum venit ad locum, qui dicitur Mohis. Quo audito Pampilonenſis rex Garſia, Sancii regis filius miſit velociter ad Dominum Ordonium, vt adiuuaret eum contra acies Agarenorum. Rex vero perrexit cum magno præſidio. Et obuiauerunt ſibi in valle, quæ dicitur Iuncaria. Et, vt aſſolet peccato impediente, multi corruerunt ex noſtris: etiam duo epiſcopi Dulcidius Salmanticenſis, & Ermoigius Tudenſis ibidem ſunt comprehenſi, & Cordubam adducti. Et pro iſto Ermoigio Epiſcopo ingreſſus fuit obſes ſobrinus eius ſanctus Pelagius Cordubam. Deinde poſuerunt eum in carcere, qui poſtea pervenit ad martyrium.

Mindonia. Mohis. Garſia Nauarrorũ rex. Iuncariæ vallis. Dulcidius Salmãticẽſis epiſcopus. Hermoigius Tudenſis epiſcopus. Sãctus Pelagius.

Annus

Annus huius ad Iuncariam cladis ab Sampyro non ſignatur. Neque ex præſule Toletano, aut ex Luca Tudenſi certi quippiam aut ſignati habere poſſumus. Hiſtoria regis Alfonſi excuſſa, nec prælii huius ſaltem meminit. Annales Aragonenſium multo poſt, hoc eſt circa annum Domini fermè milleſimum, contigiſſe tradunt. Veritas ex ſuperiore Raguelis narratione aliquantiſper hoc pacto poterit percipi. Martyrio coronatur Pelagi⁹ ad finem menſis Iunii, anno Domini nongenteſimo viceſimo quinto. Tribus annis cum dimidio in carcere permanſiſſe, non ſemel Raguel oſtendit. Adde anni etiam dimidium, quod paciſcendo, & obſidibus euocandis ſit initio conſumptũ. Prælium igitur anno Domini nongentiſimo vigeſimo primo, commiſſum videtur. Hęc ideo exquiſitus ſupputare volui, quo temporum ſeries, quæ in noſtris hiſtoricis miſere eſt obſcurata, lucem aliquam veritatis, lumine alicunde illato, poſſit accipere.

Ratio temporis.

Lib. 1. cap. 6.

Illud hic etiam annotaſſe operę pretium fuerit. Hunc Raguelem, ipſo ſancti Pelagii tempore vixiſſe, vt eius martyrium vidiſſe potuerit. Nam de eiuſdem martyris ſodalibus, in carcere ſimul vinctis ſe audiuiſſe aſſerit, quę de præclara eius ſanctitate ſcribit. Hoc ipſum etiam inde ſatis confirmatur. Pauci perfecti anni interfuere, poſt martyrium ſancti Pelagii, & legationem Sancii regis de repetendo eius corpore miſſam. Loquitur autem Raguel de ſancti martyris ſepultura: tanquam Cordubæ adhuc corpus caputque permaneant, ſine vlla, quę tunc eſſet, trãsferendi mentione. Et Cordubenſis eccleſiæ presbyter, credo Raguel fuit. Nam epithetõ Cordubenſis, non ad paſſionem in gignendi caſu (quod erat ineptum) ſed ad ſcriptorem in nominatiuo (quod fuit penè neceſſariũ) eſt referendum. Cur ego fuit in finem tranſpoſitum? Neſcio profectò: niſi quod multa eiuſmodi, cõtempto Latini ſermonis legitimo ordine in noſtratibus in illorum temporum ſcriptoribus paſſim reperio. Doctoris autem vocabulum, pro authoris poſitum fuit.

Raguel Cordubenſis.

Honeſte autẽ & ſatis verecunde Raguel dixit, regem ſanctum puerum iocula-riter tetigiſſe: quod liberius Rhoſuita, ſtupri per vim tentati mentione habita, retulit.

TYRONES autem, regis Sarraceni nobiles pueros aut iuuenes fuiſſe, libro ſecundo in Sancio martyre, & alibi etiam, docuimus.

Quanta ſemper fuerit huius ſancti martyris celebritas, quanta vbique veneratio ex ſequentibus patebit. Idem Sampyrus de rege Sancio Ranimiri ſecundi filio, qui Craſſus eſt cognominat⁹, ita inqt. Rex vero Sancius ſalubre iniit conſiliũ vna cũ vxore Teraſia, & cum ſorore ſua regina Geloyra: vt nuncios mitteret ciuitati Cordubæ, vt peteret corp⁹ ſancti Pelagii martyris, q̃ martyriũ acceperat in dieb. Ordonii principis ſub rege Arabũ Habdarraghman. Et dum legatos vna cũ Velaſcone Legionenſi Epiſcopo illuc pro pace, & ipſius corpore ſancti Pelagii miſerunt: egreſſus rex Sancius ex Legione, venit Galletiam, &c. Addit Toletanus. Rex autem conſtruxit monaſterium Legione, in quo corpus ſancti Pelagii ſtatuerat collocandum.

Sancius Craſſus rex.

Et Sancius quidem rex ſancti martyris corpus obtinuit. Erat n. Habdarraghmani charus, iam inde ab eo tempore, quo hydrophiſi ſeu monſtroſa pinguedine æger Cordubam adierat, Arabum medicorum opem, ab quibus & ſanatus eſt, quæſiturus. Verum ſanctas reliquias aduenientes, morte præreptus non vidit. Eas filius eius Ranimirus tertius tandẽ excepit. De quo Sãpyrus ita inquit. Corpus Sancti Pelagii martyris ab Sarracenis recepit: & cum religioſis epiſcopis in ciuitate Legionenſi tumulauit. Rudericus in eo monaſterio, quod ad hoc ipſum pater regis conſtruxerat, ab filio refert ſepultum.

Ranimirus rex III.

EGO in his omnibus Sãpyri Aſtricenſis Epiſcopi libentius vtor teſtimonio, quia iiſdem his tẽporibus, de quibus ſcripſit, vixit: vt priſca regum monumenta & diplomata in Sãcta Compoſtellana eccleſia, item in Ouetenſi aſſeruata, quorum ego multa vidi, teſtantur. Fons itaque & origo hiſtoriæ illorum temporum hic eſt author. Verum autem eius nomen Sampyrus eſt, non Saphirius, vt quidam proferunt. In Regiis enim illis diplomatis, de quibus diximus, ubi de priſco noſtratium more cum proceribus regni ſubſcripſit, Samphyrus legitur. Et antiqua omnia exemplaria conſentiunt. Trium autem iam habui ſatis vetuſta. Inter quæ inſigne admodum illud. S. Ouetenſis eccleſiæ fuit, Gothicis literis in membrana deſcriptum, quod regis Alfonſi, qui Toletum cæpit fuiſſe aperto conſtat teſtimonio. Eius mihi olim copiam idem Illuſtriſſimus Placentinus epiſcopus fecit.

Sampyrus Aſturicenſis epiſcopus.

Corpus vero ſancti Pelagii aliquot poſt annos Ouetũ eſt tranſlatũ: quo tempore Chriſtiani diram Almanſoris Arabũ, ſiue regis, ſiue ducis vaſtationẽ in ſecũdo eius aduentu metuentes, relicta Legionenſi vrbe, cum ſacris vaſis, ſcriptis, monumentis &

reliquiis ſanctorum regumq; cadaueribus, Ouetum transfugerunt. Qua de re ita ſcribit Pelagius Ouetenſis Epiſcopus, qui poſt Sampyrum illorum temporum hiſtoriã continuauit. Cũ verò, inquit, audiuiſſent & cognouiſſent Legionenſes & Aſturicenſes ciues illam plagam venturam ſuper eos, acceperunt oſſa Regum, quæ erant ſepulta in Legione, & Aſturica vna cum corpore ſancti Pelagii martyris, & intrauerunt Aſturias, & in Oueto in Eccleſia ſanctæ Mariæ digniſſimè ſepelierunt ea. Corpus autẽ ſancti Pelagii poſuerunt ſuper altare beati Ioannis Baptiſtæ. Huc vſq; Pelagius, qui exemplar illud Ouetenſe cum ſua, & Sampyri, & aliorum hiſtoria ſcribi iuſſit, vt præfato regi Alfonſo Toletanorũ victori dono daret. Quod cum in ipſo codicis initio ſatis appareat: inſunt etiam nonnulla eiuſdem Pelagii Epiſcopi manu, vt ipſe teſtatur, exarata. Et in regis illius diplomatis eiuſdem Epiſcopi nomen plerunque videmus ſubſcriptum.

Pelagius Epiſcopus.

Et quamuis in ſancti Ioannis Baptiſtæ venerationem conditum id monaſterium initio fuerit: nunc tamen ſancti Pelagii nomine compellatur, & ſacris Deo virginibus incolitur. Sanctum martyris corpus ſupra maius, vti dicunt, altare theca argentea, quatuor ferme pedum longitudine decentiſſime repoſitum, ſupplex veneratus ſum in illa ſancta legatione, qua iuſſu regis Catholici Philippi. II. perfunctus fui, de qua iam Diui Eulogii vita mentio facta eſt. Et ego quidẽ ab rege Fernando huius nominis primo eo ſublatũ, & diuiti tumulo ad eum modum honoratum ſanctum martyrem crediderim. Vidi enim in eodẽ monaſterio eius regis diploma Gothicis literis ſcriptũ, cuius initiũ fideliter tranſcriptũ apponã, cũ ſua tota illorum temporum ſermonis inconcinnitate.

Fernandus rex. I.

Corporis ſancti Pelagii eleuatio.

Nos exigui famuli Chriſti Fredenãdus rex ex Sancia regina vobis dopnos eximios patronos noſtros præcurſor & Baptiſta Ioannis, nec non & vltimus martyr Pelagius, cuius corpus tumulatum manet, iuxta aulam Sancti Saluatoris ſedis Oueto. In ipſius Ieſu Chriſti honorem, & hunc ſanctum martyrem amorem inſpirauit Dominus in cordibus noſtris, & hanc famulã vernulamque tuam cõiuge mea Sancia ſpiraculum prudentia in cordibus noſtris immiſit, vt in melius reſtauraremus ipſius cimeteriũ, vbi ipſum corpuſculum martyris ſanctiſſimi requieſcit. Denique venimus in hunc ſanctum locum cum Epiſcopis & proles noſtri, & omnes magnati terræ noſtræ, & fecimus trãſlationem mirificam ipſius corporis ſancti: vt maiori ſurgat in culmine, cuius anima ſublimiori exultat in requie. Ideoq; nos iam ſæpe dicti famuli veſtri ad honorificentiam corporis ſancti concedimus in hunc locum ſanctum pro ſuſtentatione fratrum & ſororum ibidem degentium, &c. *Et in fine.* Notum die. V. Id. Nouemb. Era LXI. poſt milleſima. Is eſt annus Domini milleſimus vigeſimus tertius.

Atq; ibi quidem ſancti Pelagii corpus magna cum veneratione colitur. Reliquæ verò per Hiſpaniam eccleſiæ, paucis exceptis, annuam eius feſtiuitatem concelebrant. Sed ô negligentiã merito deplorandam, perpaucæ admodum eius in matutinis legũt hiſtoriam. Illud vero monaſterium, quod primum ab Sancio rege ad reponendum ſancti martyris corpus fuerat Legione ædificatum, Almanſore totam vrbem deuaſtante, cũ fuiſſet dirutum: poſt eius vrbis, cœnobiique ipſius inſtaurationem diui Iſidori corpori excipiẽdo locũ dedit, ab eoq; diuo nomẽ denuo accepit: quod in eiuſdẽ monaſterii antiquis monumentis legitur. Sed hæc iactura (ſi modo iacturam poſſimus nominare) multis aliis, iiſque magnificis huius martyris templis, quæ hodie per Aſturum, Galletiæ, & veteris Caſtellæ, vti vocãt, regiones cernimus, abunde ſatis eſt compenſata.

DE SANCTO DOMINO SARRACENO ET SOciis martyribus, Cordubæ coronatis.

VEremundus rex huius nominis ſecundus, Alfonſi quinti pater, huius martyris & ſociorũ, vt mox apparebit, nobis memoriam reliquit, quam, niſi eo authore, aliunde non haberemus. Eius ſequens diploma, in ſancta eccleſia Compoſtellana ſeruatur, quod nos inde cum aliis centum ferme hac occaſione habuimus. Compoſtellani Archiepiſcopi librum habent manuſcriptum, quod eius ſimul cum dignitate traditur, in quo tranſcripta ſunt, tum ſummorum pontificum, tum etiam priſcorum regum diplomata, ſanctæ eidem Eccleſiæ olim conceſſa. Hunc librum congeſſit Bernardus eiuſdẽ Eccleſiæ, vt vocant, theſaurarius, anno Domini milleſimo centeſimo vigeſimo nono. Quod in præfatione ipſemet oſtendit Bernardus. Cum autem ſancta eadem eccleſia opera noſtra aliquando indigeret, eum librum nobis tradi iuſſit. Inde nos hoc Veremundi diploma, cum aliis multis tranſcripſimus, quę rebus Hiſpaniæ, & verę temporũ ſupputationi magnã lucẽ afferre poſſunt. Quinetiam cũ ſanctũ diui Iacobi Sepulchrũ poſtea, tũ ſancta legatione Philippi regis catholici fungentes, tum etiam religioſo peregrinorum more inuiſiſſemus: hoc ipſum diploma in ſecretioribus huiuſmodi monumentorũ collectaneis, quæ Tumbos patrio nomine ibi vocant, denuo vidimus.

REGIS VEREMVNDI SECVNDI DIPLOMA.

IN nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis. Dicendum est, quod cunctis notum manet quomodo Domino permittente, & peccatis exigentibus, mucro hostilis & crudelitas iniquorũ, sæuiens scilicet Hismaelitica gens, promouit se ex Hispanię partib⁹ aduersus Christianos. Et pergens armata venit vsque ad Septimacensem ciuitatem. Et cateruatim eam circumuallans, atque in arcu & sagitta eam obsidens, diruptis muris, & aperta ianua, irruit in ipsam ciuitatem. Et sicut scriptum est, qui conterit multos & innumerabiles, & facit stare alios pro eis: & nec alio loco, nec alio modo moritur homo, præter quod positum est: gladio vindice, & hominum scelere præualente, quos ibi Christiãos inuenit, in ore gladii interemit. Et diruta ciuitate, pauci, qui remanserunt ad Spaniam in Cordubensem vrbem ducti in captiuitatẽ, onere cathenarum onusti, atq; ferro vincti, & carcere trusi, duos annos & dimidium ibi peregerunt, laudantes & benedicentes Deum vnum & trinum semper viuum & verum. Et quoniam Deo cura est de omnib⁹, maxime de eis, qui positi in tribulatione cum spe & fiducia Deo animas suas simul & corpora in benefactis cõmendant: voluit pietas diuina, quomodo iam prædestinatione ordinauerat, illorum ęrumnis & laboribus, & etiam temporalibus malis finem imponere. Et vt ad eũ, cui famulatum exhibuerant, cum palma martyrii tripudiantes venirent: permisit ipsum tyrannum, qui eos captiuos duxerat, de squalore carceris ipsos eiicere, & gladio interfectos, sanguine proprio laureatos, ad regna cęlorum, & præmia atque æterna munera à Deo illis præparata, coronandos & remunerandos dirigere. Inter quos fuit vir felicissimus nomine Sarracenus proles Ioannis vocitatus, qui dimisit hæreditatem & cortes in ciuitate Numantia, quæ modo Zamora nuncupatur cùm nullum superstitẽ vel hæreditarium, aut propinquum relinqueret, qui ipsam hæreditatẽ possideret: sed remanserit sine herede & sine alicuius serie testamenti. Dũ staret hæc omnia intestata, accepit ea sæuissimus princeps dominus Ranemir⁹ indecẽter, & tenuit vsque ad obitum suum. His expletis, ego Deo meo trino & vno, humilim⁹ princeps Veremundus in regno parentum & auorum meorum nutu diuino pie elect⁹, & solio regni collocatus, antequam ipsi sancti & electi Dei martyrium acciperent, & adhuc trusi in carcere essent: visum mihi fuit moto pietate in redemptione animę meę eos inde redimere. Et iam nuncii mei in via erant, quos ꝓ illis miserã, quãdo ipsũ martyriũ cõsumatũ est. Quãdo tale nunciũ ad aures meas peruenit, ꝙ ipsi sancti iã in regno cælorũ essẽt: placuit serenitati nostræ, vt hæreditatis ipsius supradicti martyris Sarraceni, qui in baptismo Dominicus vocitatus est, ecclesiã facere heredẽ. Quia inutile & incõueniens erat, vt ille esset in regno cælorum: & hæreditatem eius possideret rustica & laicalis conuentio. Ob hoc ego iam sæpe dictus princeps Veremundus propter bonũ testimonium in amore Dei, & in memoria ipsius supradicti martyris Dominici partem aliquam donare decerno, atque in perpetuum ad habendum concedere mihi visum & conueniens est loco Apostolico in veneratione ipsi⁹ patroni nostri Apostoli Iacobi, vbi nunc dilectus Dei Petrus Episcopus præsulatum tenebat. Sic do & concedo cortem intus in ciuitate noua prope ecclesiam sanctæ Leocadiæ in omni gyro, sicut eam ipse Sanctus Dominicus obtinuit cum omnibus suis vtensilibus, cupis, torcularibus, & tendis in mercatello, & vineis, quæ seruierunt ipsi corti, vbicunque sunt, ab integro eas cõcedim⁹. Et azeniã integrã in vado, quẽ dicunt Domini Garsiæ, & medietatem in alia in Teliares. Et ibi in Teliares quartã portionẽ in alia azenia. Et omnes suos hortos vnum in Aruale, & alium in ripa fluminis Durii. Et suos ferraginales, vbicunque illos habuit. Et alium hortum in Perales. Et etiam cuncta, quæ ipsi domui deseruierunt, tã ex illa parte fluminis Durii terras & vineas, & omne suum debitum, quã quæ ipsi corti deseruiunt. Adhuc dando atque donando adiicimus, quod ipsi corti pertinuit, villã quam vocitant Alcopam in ripa riuuli Arotoy cum omnibus suis præstationibus, quę intus & foris sunt, cupis & torcularibus, terris, vineis per suos certissimos terminos. Et omnia quæ ad ipsam villam pertinent, sicut ille eam obtinuit, cum suis iugariis & porcariis qui ibi seruierunt, & modo ibi sunt: siue & peculiare de ouibus, vbicunque sunt quæ ipsi corti deseruierunt. Omnia supra taxata, quæ resonant iam scripta, iam

ſupradicto Apoſtolico loco donare, atq; concedere curauimus in memoria & veneratione ſancti illius iam dicti Dominici, vt habeant inde habitantes & Deo ſeruientes, atq; per ſingulos dies & annos memoriā illius facientes, & ſacrificia & orationes Deo offerentes, temporale ſubſidium: & illi cum ſancto Dei Apoſtolo Iacobo etiam in perpetua remuneratione à Deo recipiant collatum præmium inconuulſum. Si quis tamē (quod eſſe non poteſt, nec oportet, & fieri minime credimus) aduerſus hanc teſtamenti ſeriem ad irrumpendum, vel diruendum, venire temptauerit, ſiue ex progenie vel ſtirpe noſtra, ſiue etiam quilibet Comes, vel Pontifex, aut quęlibet poteſtas hanc factionem infringere temptauerit: quiſquis fuerit, in primis à corpore Chriſti ſit extraneus, & amborum careat lumine oculorum, & cum Iuda Domini traditore in inferno ſit damnatus. Facta à ſereniſſimo & pio principe domino Veremundo ſerie teſtamenti. IIII. Idus Februarii, Era poſt millenam tertia ſcilicet, & decima.

Annus Domini 975. Dies Februarii. X.

Veremundus rex confirmat.
Sebaſtianus Epiſcopus confirmat.
Gundiſaluus Epiſcopus confirmat.
Sauaricus Epiſcopus confirmat.
Armentarius Epiſcopus confirmat.
Pelagius Epiſcopus confirmat.
Petrus Epiſcopus confirmat.
Fredenandus teſtis.
Sauaricus teſtis.
Gudeſteus teſtis.
Felix teſtis.
Vimara teſtis.
Munius teſtis.

QVædam ſunt in hoc diplomate, quæ interpretatione magno opere indigere videbantur: quædam etiam ad temporum ſupputationem animaduertere diligenter oportuit. Ideo vtrunq; libenter ſumus exequuti.

Septimancas oppidum. His aduerſatur Itinerarium Antonini, vbi Septimanca in eodem regionis tractu iam legitur.

Venit ad Septimancenſem ciuitatem.) Celebre eſt oppidum ad Durii & Piſoracæ magnorū fluminū confluentes. De oppidi nomine, quo nunc etiam compellatur, fama eſt ab ſeptem ſiniſtris manib⁹, quas mancas priſci Hiſpani appellabant, tractū. Nam Mauris hoc ipſo bello, de quo regi ſermo eſt, in oppidum irruentib⁹, ſeptem virgines pudicitiæ ſuæ periculo conſulentes, ſiniſtras ſibi abſcidiſſe ferunt: vt horrendo vulneri & defluentis ſanguinis conſpectu hoſtes abſterriti, trucidare mallent fœde mutilatas fœminas, quam conſtuprare, aut in captiuitatem inutiles ſeruitio ducere. Hoc municipes narrant, eiuſq; facti teſtimonium, oppidi inſignia, ſeptem manib⁹ antiqua cælatura inſculptis, proferunt. Huius autem cladis miror in Sampyri, aut Pelagii hiſtoria nullam eſſe mentionem. Lucas Tudenſis illam his verbis ſcripſit: cùm de Ranimiro tertio Sancii Craſſi filio ſermo eſſet. Factum eſt autem, vt cum Sarraceni ſecuritatē accepiſſent ab Rege Sancio, & filio eius rege Ranimiro, quod non ferrent ſubſidium Caſtellanis, direxerunt arma contra comitem Fernandū Gundiſalui. Et cùm non poſſet eis dictus comes reſiſtere, cœperunt Sarraceni Gormaz, & Septimancas, & Septempublicam, & multas & horrendas ſtrages perpetrauerunt in terra Chriſtianorū. Eadem habet Toletanus. De anno huius cladis in fine diplomatis diſputabimus.

Ad Spaniam.) Non dubium eſt quin plures in Hiſpania fideles, quam quos Arabes captiuos duxerant, permanerent. Ideo per hyperbolem quādam id eſt dictū. Spaniam autem pro Hiſpania ſcribere, mos fuit illorum temporum, de quo iam diximus.

Duos annos & dimidium.) Tempus diligenter eſt attendendum. Hinc enim illius rationem poſtea apertè poterimus inire.

Mors laborum finis.

Illorum ærumnis & laboribus.) Pretioſa ſemper eſt in conſpectu Domini mors ſanctorū eius. Cęterum quod hic habetur, ex illorū philoſophorum ſententia dictum eſt, qui cùm nullum in morte malum eſſe diſputarent, inter cætera mortem malorū omniū & laborū finem eſſe docebant. Quod ipſe Deus tanquā clementiſſimus hominū pater & dominus, notū eiſdem eſſe voluit, eo ipſo tempore, cum vniuerſo humano generi meritū ſuppliciū in vno Adam infligeret. Maledicta, inquit, terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea. At ne ſempiterna hæc mala crederentur, certaq; ſpes finiendi laboris relinqueretur, ſuperaddidit: omnibus diebus vitæ tuæ. Et apertius ſtatim. In ſudore vultus tui veſceris pane, donec reuertaris in terrā, de qua ſumptus es. Quaſi apertè diceret. Hæc omnia mala merito tuo patieris: cęterū ſuo illa, vt ſempiterna nō ſint, mortis fine claudētur. Hoc ipsū ego, adoleſcēs cū eſſē, hoc epigramate cōplexus ſum.

Geneſ. 2.

SVPPLICIVM HVMANI GENERIS, ATQVE SOLATIVM.



Vm Deus vltrices armaret criminis iras,
Totum noxa hominum polluit vnda genus:
Infremuit: rutilæque tonans dè vellere nubis,
Atroces tumido concipit ore minas.
Inque homines, hominumque genus maledicta futurum
Congerit, irarum verba cruenta notis.
Atque ait: inuisus nunc te auersabitur orbis,
Inuisumque tibi nunc erit omne solum.
Sudor & imbriferos fundat ni ex ore liquores,
Hinc sterilis victum iam tibi terra negat.
Sed proh benigni placabilis ira tonantis:
Intentat nondum vulnera, iamque fouet.
Afflictis quam certa adhibet solatia rebus?
Quam mulcet dictis tristia dicta suis?
Ne trepidi, ne spes pauidi ne absumite vestras:
Non plecto æternis crimina vestra malis.
Durate: en dabitur tantos finire labores:
Supplicii iubeo terminus esto, mori.

Cortem.) Diximus iam de hoc vocabulo in virginibus Flora & Maria. *Camora non est Numantia.*

Numantia, quæ modo Zamora.) Error fuit illorum temporum communis, vt Zamoram vrbem, antiquam Numantiam omnes fuisse crederent. Qua de re extat doctoris Ioannis Genesii Sepuluedæ doctissimi viri, & ciuis Cordubensis clarissimi epistola. Nosque tum in nostra historia, tum etiam in Hispaniæ antiquitatibus fusius omnia sumus prosequuti.

Vel hæreditarium.) Pro hærede positum est, tractum propius ex Hispano, hæredero. *Ranimirus III. rex*

Sæuissimus princeps.) Historici omnes regis huius Ranimiri sæuitiam, superbiam, & vecordiam notant. Sampyrus ita inquit. Rex verò Ranimirus, cum esset elatus, & falsiloquus, & in modica scientia positus: cœpit comites Galletiæ & Legionis, siue & Castellæ factis acriter ac verbis contristare. Eadem Toletanus atq; Tudensis habent.

In regno parentum & auorum meorum.) Cum Pelagius Ouetensis, consentientibus Toletano & Tudensi, regem hunc Veremundum filium fuisse tradat regis Ordonii, *Ordoni⁹ rex Veremundi II. pater.* qui frater natu maior fuerit Sancii Crassi: ferendum non est, regis Alfonsi historiam, Sancii Crassi filiũ ipsum dicere. Quanquã mendũ fuisse apparet in codicib⁹ excussis.

Pie electus.) Nam apertè tres supradicti authores regni successionem iure ad ipsum fuisse deuolutã, Ranimiro sine liberis mortuo, testantur. Et procerũ omniũ electione præterea in Regnum Legionis & Castellæ est euocatus, cum Galletiæ rex antea esset.

Antequam ipsi sancti & electi.) Et hoc quoq; ad futuram supputationem mox ineundam, diligenter est attendendum. Illud etiam, quod sequitur, oportet animaduertere. Et iam nuncii mei, &c.

Quando tale nuncium.) Hoc etiam diligenter est notandũ ad futuram supputationẽ.

Serenitati nostræ.) Hæc honorifica compellatio, sicut etiam illæ: gloria nostra, sublimitas nostra, ab Gothis planè sunt desumpta: vt ex conciliis Toletanis, & Gothorum legibus constat. His titulis Reges seipsos nominabant, & alii honoris causa eisdem ad Reges vtebantur. *Serenitatis titulus.*

Qui in baptismo Dominicus.) Hinc facilè intelligimus, Sarracenus, cognomen esse. Quod etiam multa illorum temporum monumenta testantur: vbi inter cæteros regni primores, nonnullos aliquando hoc cognomine subscribentes legimus. Neq; tamen est necesse ipsa regum diplomata sigillatim commemorare, quæ inter Compostellana & Ouetensia vidimus. In quorum subscriptionibus ad hæc vsq; huius regis tempora frequens etiam est Dominici nomen: vt ab ipsis Gothis, quemadmodum alia multa, videatur cõtinuatũ, & inde præter hunc sanctum martyrem, ad tres insignes nostrates *Sancti dominici plures.* Diuos Calciatensem, de Silicibus (quem de Silos vulgo vocant) & fratrum prædicatorum ordinis instituto rem peruenisse: quemadmodum ad nos ex his tribus postea dimanauit. Integrum autem nomen huius sancti martyris fuit: Dominicus Iannez Sarracenus. Nam cognomen Iannez patronymicum, rege referente habuit.

Ferraginales.

Cupis.) Cubas nos non dicimus. Neq; oportet tamen singula quæ sequuntur, barbara nomina annotare, quæ nostris Hispanis nota sunt, & vulgaria. Ferraginales Castellanis tantummodo vsitatum est vocabulum: quod Bætici mei non intelligerent. Herrennales vocant, eas agri portiones, in quib⁹ non ad frumenti copiā, sed ad viridis tantummodo pabuli saginam ordeum seritur. Ab Latino farrago ductum videtur.

Potestas.

Potestas.) Præclarus fuit illorum temporum magistratus, hoc titulo & dignitatis nomine insignis: quod vetusta regum ante hunc diplomata testantur: in quorū subscriptionibus procerum quorundam nomini additur potestas, & potestas terræ.

A corpore Christi sit extraneus.) Imprecatio est, non excommunicatio. Quomodo & multa huiusmodi sunt intelligenda, quæ in omnibus ferme regum priscorum diplomatis apud nos reperiuntur. Quæ non intelligenti esse poterant offendiculo.

Reges Hispaniæ sua diplomata testamenta vocabant.

Serie testamenti.) Solenne his temporibus, & multis postea sequentibus fuit, quamcunq; donationem rex, aut proceres facerent, testamentum ipsum vocitare. Quasi hoc nomine maiori iure solidaretur. Regum exempla sunto, quæcunq; fere eorum reperiuntur diplomata Latine scripta, quibus aut monasteria denuo instituunt, aut institutis iam aliquid donant. Procerum hæc vidi magis insignia. Comitis Fernandi Gundisalui diploma, quo sancti Petri de Arlança monasterio multa donat. Comitis Petri Ansurii noua institutio Ecclesiæ diuæ semper virginis Mariæ, quam Valle Oleti ædificarat. Ioannis Manuelis noua item institutio, qua constructum ab se sancti Dominici cœnobium in oppido Pennafiel, multa eidem donans, testatur.

Ratio temporis.

Era post millenam.) Annus hic est Dominicæ natiuitatis nongentesimus septuagesimus quintus: Februarii dies decimus. Si autem hanc anni notationem cum superioribus cōiunxerimus, annum, quo sanctus Dominicus cum sociis passus est, exacte ferme reperiemus: & ad illorum temporum rationem ineundam, certi aliquid & indubitati statuemus. Supputatio autem ad hunc modum procedit. Anno Domini 975. mensis Februarii die decimo, Veremundus rex hoc diplomate donat sancti martyris bona. Motum verò se, vt donaret, affirmat, illicò, vbi martyrē cū sociis passū ex suis nūciis audiuisset. Ait enim: Quando tale nuncium, &c. Placuit serenitati nostræ. &c. Nuncii verò missi fuerant, martyribus nondum occisis: & illis ipsis nunciis iter agentibus occiduntur: quod vtrunq; rex fuse & perspicue narrat. Hanc autem legationem hoc ipso anno missam minimè crediderim. Neque enim Ianuarius mensis cum paucis Februarii diebus satis esse poterat, vt Legione Cordubam nuncii irent, ac redirent: cū leucarum nostratium plus centum intersit, montibus etiam niue tota hyeme obrutis, non uno loco interiacentibus. Neq; verisimile porrò est, legatos propius Legionem iter agentes, sed Cordubam iam appropinquantes, verum & certum de martyrum cæde nuntium accepisse. Nam semel audito fidem non erant vtiq; daturi longiore mora, & propiore fama certius aliquid captantes. Et si quid præter captiuorum redemptionem in mandatis habuere, Cordubam profecto peruenerunt. Quæ omnia aperte declarant, nuncios in fine anni superioris, hoc est nongentesimi septuagesimi quarti ab Rege missos, eodemq; ipso anno cum sociis Dominicum martyrio fuisse coronatum.

Alhacan Cordubæ rex.

Hinc etiam possumus ferme colligere hos sanctos martyres sub rege Arabum Alhacan, fuisse interfectos. Nam huius regnum, quod ex historia Arabum Ruderici Toletani constat, ad annum Domini nongentesimum octogesimum peruenit: cum decem & sex annos regnasset.

Hinc etiam, ratione probe subducta, scire propèmodum exacte possumus, quo anno clades illa ad Septimancas cum Castellæ vastatione contigerit. Cum enim duos annos & dimidium in vinculis fuisse hos martyres in regio diplomate tradatur: apparet anno nongentesimo septuagesimo secundo, aut primo fuisse captos.

Apparet etiam Ranimiro mortuo, Veremundum illo ipso anno nongentesimo septuagesimo quarto, quo occisi martyres sunt, regnum Castellæ iniisse. Quippe aut ipsemet actutum est innata bonitate commotus, vt captiuos Christianos redimeret: aut suorum precibus & lachrymis propere incitaretur. Eratq; hoc pium in primis, tum etiam faustum magno opere regni principium. Et hanc quoq; festinationem suam rex ipse hic de se prodit. Hæc vel ideo præstiterit exquisitius indagasse, quod ingens sit in nostris historicis temporum per hos reges varietas, quæ hinc aliquantisper poterit amoueri.

FINIS.

HEROES. MAGNI. VOS.
CORDVBA. VESTRA.
PRECATVR.
SIT. VESTRO. SEMPER.
SALVA. PATRO-
CINIO.



AMBROSIVS MORALIS CORDVBENSIS AD SANCTOS CORDVBENSES MARTYRES DEPRECATIO.



Agnanimi Heroes, quorum violentia cælum
Vim passum rapiens, belligerat moriens:
Quorum mors patriæ tantũ truculenta triumphi,
Quantum nullius inclyta vita dedit:
Vestra labore suo nunc si illustrata resurgit
Gloria, iamque nouo germine culta viret.
Supplicibus votis, gemituque è corde reuulso
Suspirans, vester vos vocat Ambrosius.
Sustollensque oculos, celsasque ad sydera palmas,
Ingemit: & tacitus vos sine voce rogat.
Quid poscat petitis? Melius vos scire potestis,
Id quod velle miser debeat, & petere.

DE CORDVBÆ VRBIS ORIGINE, SITV ET ANTIQVITATE.



TAm multa sunt, quæ D. Eulogius de Corduba nostra suis operibus interseruit: atq; adeò frequenter multarũ in ea vrbe regionũ, oppidorũ, agrorum, fluminũ, similiũq; rerũ meminit: vt fuerit necessariũ, de eius situ & antiquitate multa hic apponere. Et Cordubæ quidẽ vrbis originẽ, situm, eiusq; mutationes, cum reliquis, quæ ad eius antiquitatem peruestigandam poterant pertinere: in eo opere, quod de Hispaniæ antiquitatibus historiæ nostræ adiunximus, plenius sumus prosequuti. Inde huc nonnulla transferemus.

Sita est Corduba in ipso fermeBæticæ prouinciæ meditullio, atq; in his eius populis, qui Turduli ab Ptolemæo, Plinio & Strabone nominantur. Ab ortu ea regio ad Bastulos seu Bastetanos vsq; protenditur: ab occasu Turdetanos contingens, Hispalensi tractu terminatur. Habet ad meridiẽ late patentes campos, qui ad Mediterraneũ mare & Herculeum fretum expanduntur. Qua verò parte Septentrionẽ Corduba spectat, posita est ad ipsas Marianorũ montiũ radices: quos nunc Hispani, prisco nomine corrupto, Sierra Morena, hoc est Morenos montes dicimus. Ea verò horum montiũ pars, quæ Cordubæ imminet, aut saltus Castulonensis est portio, aut cum eo ad ortum coniungitur. In his montibus, authore Plinio, Bæturia regio, à Bæti flumine nomen accipiens in duas regiones diuisa, ad Anam vsq; fluuium excurrit. Ipse Bætis, qui Cordubã alluit, Cirtius olim & Tartessus etiam, vt apud Pliniũ, Liuium & Strabonẽ est, dictus, tanta semper celebritate fuit, vt toti prouinciæ nomen dederit, tanta porrò est magnitudine, vt ingentia flumina exorbens, ab Mauris inde nomẽ acceperit. Guadalquibir nanq;, quod huic fluuio nunc nomen est ab iisdem impositũ, magnum flumen ipsorũ lingua significat. Ab ortu verò ad occasum latus Cordubæ Australe lambens, ita montes ab planitie disterminat, vt id sibi studio habuisse natura videatur: quo diuersissima soli discrimina seiungeret, & eo tanquã limitẽ separaret. Hinc montana, quæ ipsa suburbia pene contingunt, celsis collibus elata, duris cautibus prærupta, hortis, vineis, olea, & omniũ generis arboribus sunt consita. Inde campestris regio trans flumen complanata, nuda, glareis & luto friabilis, frugibus tantummodo ferendis est accommoda. Huius verò tractus quæ sit feracitas, inclyta nostræ ciuitatis horrea, tota Hispania celeberrima satis ostendũt. Alterius verò soli montibus prætenti quanta sit amœnitas cũ insigni fertilitate cõiuncta, vix quisquã satis digne possit explicare. Ipsę pręcisę rupes, scopuli ipsi, vbi planũ quidpiã non soli (neq; enim solum est illud, sed lapidũ strues) verum quicqd id est plani, Loton suauissimã & siliquã sponte nascentes, satiuas vero oleam, vitẽ, ficũ, cerasum, mala punica & Persica, pruna, & ꝗ magis mirandũ sit, citria mala omnis generis abunde producũt. Præstãt hoc ipsum magna ex parte fontes copiosæ, purissimæ, suauis, & ad potum salubris aquæ, quibus passim penè irrumpentibus, irrigua omnia circũ circa fiunt. Hinc valles vrbi propiores non nisi ab pulchritudine, ab paradisiacis, ab Regiis hortis, ab rosarũ multitudine, aut ab florũ aspectu nomen inuenere. Hinc vini & olei Cordubæ tanta est copia, atq; adeò exuberantia, fructuũ omnis generis tanta vbertas, vt hoc vnum aliam quantumuis celebrẽ ciuitatẽ magno opere posset nobilitare. Mala autẽ citria omnis generis tantoopere in ea vrbe exuberant, vt aduenis & peregrinis hominibus frequenter sint stupori, non cumuli solum, qui per plateas venales vili pretio cernũtur, sed etiã qui nouorũ fructuũ aduentu, per agros & sterquilinia proiiciuntur: decussis non modico impendio ex arboribus malis, ne super fœtantes flores impediant. Florum autem ipsorum in his arboribus tanta vndiquaque intra vrbem & per vicina suburbana est copia, tanta verno tempore fragrantia: vt non iam, quod de iisdem floribus Virgilius dixit,

Cordubæ situs. *Turduli.* *Bastuli.* *Turdetani.* *Mariani montes.* *Saltus Castulonensis.* *Bæturia regio.* *Ana flumẽ.* *Bætis fluuius.* *Cordubensis soli feracitas.* *Cordubensium montium amœnitas.* *Val hermoso.* *Val parayso* *Arricafa.* *Hortus regius interpretatur.* *La senda del rosal.* *Mira flores.*

Animas & olentia ciues

Ora illis foveant, & senibus medicentur anhelis: sed suauissimo odore vrbs tota, viciniq; agri perfundantur, & ad eam suaueolentiam captandam noctu homines peruigiles discurrant. Neq; tamen diutius in Cordubæ amœnitate & vbertate celebranda sit immorandũ. Vnum satis sit testis præstantissimi testimoniũ. Ipse sit Muça dux Arabũ, Hispanię totius victor, quiq; eam omnem perlustrauerat, & vndique percognitam habuerat. De eo Rasis Maurus in Arabũ historia his ipsis verbis, Latine fideliter redditis scribit. Abibus Aluydi filius, homo qui nullatenus in re vlla mentiretur, ita scripsit. Quum Muça Cordubã egressus in Africam nauigaturus, summis Hispanię proceribus deducentibus, iter occiperet: & in collẽ, vnde vrbis totius prospectus patebat, venisset: mula, cui insidebat, retro conuersa, aliquantulũ consistens, vrbẽ tacitus contemplabatur: & tandem in hæc verba cum gemitu prorupit. Eheu Corduba, quantũ es insignis?

Muça Arabum ducis, de Corduba prestantia dictum.

quæ & quantæ tuæ sunt deliciæ? Quantum tibi bonorum Deus voluit conferre? Hęc loquutus, mœrens iter continuat. Huc usq; Rasis. Probum autem hunc æstimatorem nemo non possit digne censere, ab quo videat ipsam rei veritatem, ipsam natiui soli præstantiam tales gemitus, talem vocem, tantum encomium extorsisse.

Metalla Cordubensia sunt etiam inter authores celebratissima. Auriferam, quod mox apparebit, poetæ Cordubam vocant: & æs Marianum, hoc est, quod prope eam vrbem in eius montibus effoditur, maxime Plinius laudat: cum argenti viui & stibii ditissimas fodinas hodie in eius tractu conspiciamus.

Corduba nomen. Habuit ea ciuitas duo nomina, quemadmodum apud Plinium legimus. Corduba enim, atq; eadem Colonia Patritia est appellata. Sed Cordubæ nomen priscum fuit & peruetustæ originis, illud alterum quo tempore ei fuerit inditũ, suo loco dicemus. Et verum rectumq; vocabulum Cordubam esse Silius Italicus, Martialis, Prudentius, atq; alii poetæ attestantur. Lex enim carminis incorruptiora & incontaminata vocabula conseruat. Potuit sane nominis huius veritas fidelius ex nummis, & ex lapidibus astrui. Sunt qui se nummos vidisse affirment. Sed ego harum rerum non indiligens peruestigator, & omnis patriæ meæ antiquitatis in primis studiosus, Romanum nummum adhuc vidi nullum, qui Cordubæ nomen habeat inscriptum: cum coloniæ patritiæ nomen in quam plurimis Augusti, Tiberii & Germanici etiam, quorum non nullos ipse habeo, conspexerim. Lapides, in quibus vtrunq;, & alterum seorsum nomen insit, quinq; apponam: quorum quatuor primos omnes ipse vidi, & ipse descripsi: vltimum relatu doctiss. hominum habui.

In oppido Linares basis est marmorea, nigra, ex ruinis Castulonensis vrbis admodum vicina aduecta, his literis inscripta.

Lapis Castulonensis vrbis.

VALERIÆ. CI-
PATINÆ. TVC-
CITANÆ. SA-
CRVM. COLO-
NIÆ. PATRI-
CIÆ. CORDV-
BENSIS FLAMI-
NICÆ. COLO-
NIÆ. AVG. GE-
MELLÆ. TVCCI
TANÆ. FLAMI-
NICÆ. SIVE. SA-
CERDOTI. MV-
NICIPII. CHAS-
TVLONENSIS.

Superioribus annis Cordubæ cum capite, & muliebris statuæ fragmentis, basis marmorea, cum hac dedicatione est eruta.

Lapis Cordubensis.

D. N. CORNELIÆ. SALONINÆ.
AVG. CONIVGI. D. N. IMP.
CÆS. P. LICINI. GALLIENI.
PII. FEL. ET. INVICTI. AVG.
DACICI. MAX. GERMANICI.
MAX. TRIB. POT. IIII. COS. III.
IMP. III. PP. PROCOS. PROVIN-
CIÆ. BÆTICÆ. DEVOTA. NV-
MINI. MAGESTATI. QVE. EIVS
CORD ////////

Cordubæ in Diuæ Marinæ templo, ad vsum aquæ benedictæ, cippus marmoreus candidus.

Lapis Cordubensis.

D. M. S.
M. LVCRETIVS.
VERNA.
PATRICIENSIS.
ANN. LV.
PIVS. IN. SVOS.
H. S. E.
SIT. T. T. LEVIS.

Lora,

Loræ, quod oppidum in medio itinere ferme est, quo Corduba Hispalim itur, in basi marmorea pro foribus templi.

Lora oppidum & eius lapis.

L. LVCRETIO. SEVERO. PATRICIENSI. ET. IN. MVNICIPIO. FLAVIO. AXATITANO. EX. INCOLATV. DECVRIONI. STATVAM. QVAM. TESTAMENTO. S. SIBI. PONI. IVSSIT. DATIS. SPORTVLIS. DECVRIONIB. M. F. AXATITANI ////////// X I I ////////// //

Hispali in vico, cui ab Sarpente nomen est, cippus cum hoc epitaphio visitur.

Lapis Hispalensis.

Q. FABIVS. Q. F.
QVIRINA FABIANVS ILVRCONENSIS. IDEM
PATRICIENSIS
ANNORVM
XXXXIIII. IVST.
IN SVIS. H. S.
E. S. T. T. L.

Patriciæ verò nomen libentius in vsu fuit tempore Romanorum Imperatorum, tanquam honorificentius & illustri de causa, vt postea videbim[9], Cordubæ impositũ. Cordubę vero nomen incorruptũ credo cum Romano imperio & lingua, ad Gothorũ vsq; tempora permansit. Tunc demum cœpit permutari; vt Cordoua, quemadmodũ nunc Hispani proferimus, diceretur: nec subitò tamẽ, sed paulatim immissa corruptela. Testimonio sunt aurei nummi Gothici duo, quos ego habeo, diversis satis typis percussos. Reccesuinthi regis Gothorũ sunt, & altera parte cum regis ipsius facie inscriptũ habent. RECCESVINTHVS. REX. In auersa verò parte scriptũ in orbem est. CORDOBA. PATRITIA. vt iam. V. versum in. O. esset: B. autem nondum esset in. V. permutatũ. Ad eundem etiam modum, tam in Diui Eulogii veteri exemplari, quam in quibusq; libris Gothicis literis, quos vidi plurimos, descriptis; scriptum semper Cordoba reperitur. Et de nostræ vrbis nominibus hæc satis: nunc de eius antiquitate est dicendum.

Reccesuinthi regis nummi.

Priscam admodum, & peruetustam vrbem Cordubã fuisse: cuiusq; originis propter summam antiquitatem, nullum extet in hominum memoria principium duabus potissimum de causis adducor vt credam. Primum enim quæcunq; vrbes in Hispania duobus nominibus olim Romanorum tempore compellabantur: alterum Hispanum nomen, priscum, vetustissimæ originis, & quasi vernaculum peculiaris linguæ habuisse constat: alterum vero tanquam Romanæ ditionis & imperii stygma eisdem fuisse impressum, aut adulatione dominantium Imperatorum certè expressum. Tales fuere in Celtiberia Illurcis ab Tiberio Graccho, mutato nomine, vt author est Verrius Flacc[9], Gracchuris dicta: Salduba in eadem regione Plinio teste; Cæsaraugusta postea nominata. Eodem authore & priscis lapidibus etiam attestantibus, Obulco Municipiũ Pontificense nomen accepit. Attubi, Claritas Iulia: Astigi, Iulia Firma: Tucci, Augusta Gemella: Iliturgi, Forum Iulium: Hispalis, Romulensis Colonia est dicta. Multa sunt eiusmodi apud eum authorem & in antiquis marmoribus & nummis nominum in vrbibus geminationes. In quibus omnibus negare non possis, prius nomen vernaculum esse & Hispanum, æqualisq; cum vrbis primordio antiquitatis fuisse. Talis est Corduba, quæ Colonia Patritia postea est cognominata: testemq; suæ vetustatis priscum nomen habet, veluti nascenti sibi olim impositũ. Illud deinde nostræ vrbis vetustissimam potest antiquitatem astruere: quod cum Turtuli populi omnium vetustissimi & sapientissimi in Bætica fuisse ab Strabone tradantur, Cordubensis verò situs feracitate & amœnitate tantoopere præcellat: credi par est; oppidum ibi non paucis retro sæculis fuisse conditum; neq; neglectam ab eius regionis accolis præstantissimam habitandi commoditatem. Quemadmodum igitur de Cordubæ origine nihil certi afferri in medium potest: ita etiam vetustissimam ipsam fuisse, merito creditur.

Corduba antiquitas.
Hispanæ vrbes binomines.
Graccuris.
Cæsaraugusta.
Obulco.
Attubi.
Astigi.
Tucci.
Iliturgi.
Hispalis.
Turduli.

Quidã ab Persis, quos in Hispaniam etiam venisse Plinius ex Varrone tradit, côditam Cordubã fuisse asseuerant. Ipsum vrbis nomẽ eos, vt opinor, in eam sententiã illexit. Nam Cordubã etiã in Perside ciuitatẽ fuisse credidere. Sed n. leuis est côiectura, & quã nullo veritatis fundamento subnixã, facile nobis fuerit in historia nostra, occasione oblata conuellere.

Corduba ab Persis non fuit condita.

Prima Cordubæ mentio.

Apud authores nullam priorem Cordubæ mentionem inuenias, quàm quæ apud Silium Italicum reperitur. In Catalogo namq; earum Hispaniæ ciuitatum, quę Hannibali in Italiam transeunti milites miserunt, Cordubã etiã connumerauit illo carmine.

Nec decus Auriferæ cessauit Corduba terræ.

Cordubæ situs duo.

Sed neq; quo in loco condita primum Corduba fuerit, satis constare potest, cũ duo eiusdem situs nunc appareant: alter quem vrbs ipsa occupat, alter, quem quarto ab vrbe ad occasum milliario clarissimo Diui Hieronymi monasterio vicinum cùm veteris Cordubæ nomine desolatum cernimus. Ego non leuibus coniecturis adducor vt credam, priscam vrbem, eodem quo nunc est iunior ista, situ fuisse. Quod ipsum tunc ostendemus, cùm quæ necessario præmittenda sunt, persequuti fuerimus.

Marcus Marcellus Cordubæ cõditor seu instaurator.

Sequens igitur, post illam Silii Italici, Cordubę mentio insignis admodũ est & illustris. Refert enim Strabo, Cordubã ab Marco Marcello quasi conditam, & paulò post magnificentissimè auctam. Eius lib. 3. hæc sunt verba. Corduba, Marcelli ædificiu, eo magnitudinis creuit, vt nominis celebritate & potentia polleat. Quæ verba doctos homines non paucos permouisse video, vt crederent, hanc primam esse vrbis nostræ originẽ, & eiusdẽ Marcellũ verum fuisse conditorẽ. Proinde necessariũ fuerit totum hoc diligenter inuestigare, & subtilius expendere. Quod ex Liuio atq; Appiano Alexandrino constat, Marcus Marcellus, eius Marci Marcelli, qui docuit Hannibalem posse superari, siue nepos, siue pronepos, totã Hispaniã in Prætura sorte obtinuit, eo ipso anno, quo Q. Martius Philippus secundũ, & Gn: Seruilius Cœpio consules fuere. Est autem is annus ante Iesu Christi Domini nostri Natiuitatẽ 167. Totam autem Hispaniã is Marcellus hoc anno suscepit gubernandã: quoniã ex duabus vna prouincia, duobus tantum antea annis fuerat effecta. Idem Cordubam, & hoc ipso anno haud dubie exædificauit. Cum enim manifestũ sit, hoc tempore ædificatam fuisse: siquidem crebrior iam hinc eius mentio, vt statim apparebit, in historia Romana reperiatur, & Strabo Marcelli opus ipsam nominet, neq; vllus alius Marcellus, neq; superioribus annis, neq; multis sequentibus in Hispaniam venerit cum magistratu: planum fit, huic vrbis structuram esse attribuendam. Et hoc procul dubio anno quicquid id operis fuit Marcellus perfecit: non quintodecimo postea, cum in tertio suo consulatu in Hispaniã rediit. Tunc enim diuisa iterum denuo in duas prouincias Hispania, Citeriorẽ tantummodo rexit: magnis videlicet bellis implicitam, & quæ consulari duce, atq; exercitu indigeret. Habuitq; illo ipso anno vlterior Hispania, hoc est Bætica cum Lusitania, proprium seorsum Prætorem, M. Accilium: vt est apud Appianum.

Annus ante Christum natum 167.

Sed quid illud tandem fuit, quod Marcellus fecit, vt Cordubam aut condidisse, aut ædificasse dicatur? Dicã quod sentio, quodq; manifesta penè ratione adducor, vt credam. Nouam vrbem in eo situ, qui nunc vetus dicitur, construxit, & à fundamentis totam erexit. Cum oppidum antea esset non admodum magnum, transferre inde, & alio situ amplificare, cogitauit: noua forma, Romana, vtique denuo vrbem condens, ab se vt esset, & dici posset ædificata perfecit. Vrbem igitur, quę nunc vetus dicitur Corduba, ædificauit. Docet hoc profecto eius vrbis forma: & tota, quam ruinæ adhuc ostendunt, structura, Romanum plane opus, & Romanorum consilio totum vndique fuisse fabrefactum declarat. Situs namq; totus quadrata forma est, ita vt filo protractus & circuncisignatus initio plane videatur. Duplo longior totus est quàm latior ambitus. Ego enim probe funiculo dimensus, cum pedes in fronte duo millia quadringentos inuenissem, ab latere quatuor millia octingentos ad amussim comperi. Cum pedes dico, tertiam vlnæ nostratis, qua pannum lintheum, sericumq; metimur partem intelligo: quod ipsum cum pedis Hispani antiqui mensura probè congruit. Hæc autem tam exquisita diligentia situm quadrandi & conduplicandi, tota planè Romanorum fuit, non nostratium Hispanorum, qui vix dum hoc nostro tempore politioris ędificationis formam didicere. Prominet præterea media vrbe, quadrata etiam forma planities, siue arcem illa habuit, siue forum, quam satis apparet ad perpendiculum fuisse productam. Tantundem enim ab vtraq; fronte distat, superiori latere (nam accliui solo tota vrbs fuerat imposita) aliquantisper cum muro coniungitur. Eam curam, & subtilem formæ symmetryæq; diligentiam, quis non videt Romanorum esse, non priscorũ Hispanorum? Apparent insuper quatuor magnarum turrium fundamenta, eiusdem industriæ Romanæ & studii in ædificando manifesta testimonia: vt quæ quatuor angulis murorum adnectantur. Eiusdem symmetriæ Romanæ simul est indicium, via quadrato lapide constrata, quæ ab inferiori vrbis latere, portæ, vt credi potest, coniuncta, in proximum colliculum ducit, vbi magni cuiuspiam ædificii vestigia perseuerant: fa-

Corduba veteris situs.

num ꝗ

numq; insigne inibi fuisse licet coniicere, cui nobile stramentum, & viæ maior commoditas deberetur. Locus enim ab vrbe diuulsus, & in plano modice admodum elatus vetat præsidium cogitare.

Corduba incrementa.

Hęc omnia hominis sunt studiosissimè ædificantis, & veluti ociose ad fabricam cõsidentis. Multum autem ocii Marcellum toto penè eo anno habuisse, Hispaniæ pax, de qua Liuius & Appianus, declarat. Longum verò sit, si commemorare pergam, quanta ex situ eius vrbis monumenta Romana, superioribus, & nostro etiam hoc sæculo sint eruta: quæ planè testantur, Romanam eam vrbem fuisse, Marcellumq; perinde Romanum hominem eius fuisse conditorẽ. Cùm verò iam ex superioribus satis constet, ante hanc Marcelli ædificationem priscum oppidum, quod Corduba diceretur, in iis locis fuisse: intelligere plane non possumus, num antiquum situm Marcellus suo opere complexus fuerit, an nouum exquisierit. Nisi quod sequentia quædam indicabunt, contempto veteri oppido, ipsum in delectum ab se situm totum penitus transtulisse.

Exædificata ad hunc modum denuo vrbe, magnificeq; amplificata: frequentiorem iam eius vrbis mentionem Romana habet historia. Creuerat nimirum oppidum antea non admodum celebre, & Romana planè vrbs cœpit iam ab Romanis nobilitari. Eo iam paulò post Prætores ad hybernandum exercitum reuocabant, & ad ius petendum populi conueniebant. Quæ omnia ex Romanis & Græcis scriptoribus collecta late nos in nostra historia prosequimur. Hinc Metellus Pius deuicto Sertorio, gregem poetarum indidem ciuium secum Romam reduxit; quod si, vt de eisdem Cicero dixit, pingue quiddam & peregrinum resonabant: temporum plane fuit vitium, non ingeniorum. Neq; enim Roma cultiores poetas tunc temporis habuit. Hic etiam nobile illud continentiæ frugalissimæ exemplum Prætor Piso, eodem Cicerone referente, edidit. Quod vtiq; præstiterit ipsismet summi oratoris verbis apponere. Nihil, inquit, nimium vetus proferam. Sunt vestrum, iudices, quàm multi, qui Lucium Pisonem cognouerunt, huius. L. Pisonis, qui Prætor fuit, patrem. Is cum esset in Hispania Prætor, qua in prouincia occisus est: nescio quo pacto dum armis exercetur, annulus aureus, quem habebat, fractus est, & comminutus. Cùm vellet sibi annulum facere, aurificem iussit vocari in foro, ad sellam, Cordubæ: & ei palam appendit aurum: hominem in foro sellam iubet ponere, & facere annulum omnibus præsentibus. Nimiũ fortasse dicet aliquis hunc diligentem. Hactenus reprehendat, si quis volet: nihil amplius. Verum fuit ei concedendum: filius enim. L. Pisonis erat eius, qui primus de pecuniis repetundis legem tulit. Ridiculum est nunc de Verre me dicere, cum de Pisone Frugi dixerim. Veruntamen quantum intersit videte. Iste cum aliquorum abacorum faceret vasa aurea, non laborauit, quin non modo in Sicilia, verumetiam Romæ in iudicio audiret. Ille in auri semuncia totam Hispaniam scire voluit, vnde prætori annulus fieret. Nimirum vt hic nomen suum comprobauit, sic ille cognomen.

Metellus Pius. *In oratione pro Archia poeta.* *Piso Pisonis Frugi filius.* *In nona Verrina.*

Bellorum ciuiliũ tempora.

Superuenerunt non multo post bellorum ciuilium inter Cæsarem & Pompeiũ tempora, in quibus caput prouincię Bæticæ totius, Corduba, ab Aulo Hirtio, siue is Oppius est, appellatur. Et ad hanc Cordubam, ab Marcello ædificatam, de qua nobis sermo nunc est, omnia illa gesta fuisse: multa sunt quæ aperte declarent. Illud in primis, quod pertransito ponte prælium inter ipsum atq; vrbem non semel committitur. Sed non est hic locus de his pertractandi.

Corduba Bætica caput.

Paulo post etiam Augusti Cæsaris temporibus, quibus Strabo & vixit, & scripsit, verè iam is author potuit insigni cum pręconio affirmare, eo magnitudinis Cordubam creuisse, vt nominis potentia & celebritate polleret. Colonia enim paulò ante fuerat effecta: nec cuiusuis vulgaris Coloniæ dignitas eidem fuerat attributa, sed quę nomine & maiestate præcelleret, atq; Colonia Patricia, & esset reuera, & vocaretur. Qua de re idem author, de Corduba adhuc verba faciens, his verbis scripsit. Eam sane initio habitauere & Romanorum & indigenarum viri delecti. Nam prima hæc istos ad locos à Romano populo est dimissa Colonia. En tibi & primam in Hispania, saltem in Bætica Coloniam Cordubam fuisse, & cum magna dignitatis præstantia, & veluti prærogatiua fuisse. Vtrumq; insigne quiddam est, & ad Cordubensem celebritatem & gloriam singulare. Neque vacat tamen hic quantum hoc sit fusius explicare. Illud vnum tantummodo non præteribo: tantam hanc dignitatem, vt non nisi viri Patritii ex Romanis & Hispanis deligerentur, qui in eam Coloniam immigrarent, & clarissimum vtriusq; nobilitatis domicilium ipsam redderent: eo maximè meritò Cordubam fuisse consequutam, quod fide & tolerantia singulari Iulii Cæsaris partes eo in bello semper fouerit, & ciues Romanos sæpe protexerit atq; seruarit. Id eius ciuitatis, ex quo primũ

Corduba prima in Hispania Colonia. *Ciuica in nummis Cordubensibus.*

Colonia facta est, nummi testantur, qui omnes cum COLONIA PATRICIA, in auersa parte habeant inscriptum, Ciuica Corona id ipsum prǽferunt inclusum. Ciuicam autē seruati ciuis & prǽmium, & insigne apud Romanos fuisse, quis ignorat? Vnde & ab Iulio Cæsare præmii causa Cordubæ, vt Colonia esset, tributum crediderim. Certè Seneca pater de bellis ciuibus loquens, Coloniam iam Cordubam vocat: & in Cordubæ Coloniæ iam factæ nummis faciem & nomen Cæsaris Augusti cernimus. Et Carteiam quidem aliquanto vetustiorem in Bætica fuisse Coloniam, ex Liuio prorsus intelligo. Neq; obstare tamen hoc Strabonis dicto is plane intelliget, qui quo ex hominū genere, Partheniorum videlicet & Libertinorum, deducta fuerit, animaduerterit.

In prologo declamationum.

Lapides duo Cordubæ Augusti tēpore inscripti. Tempus.

Illi verò duo insignes admodum lapides ex Augusti Cæsaris temporibus ad hæc nostra vsque Cordubæ perdurant, qui ipso eodem anno, quo Dominus noster Iesus Christus natus est, fuere inscripti. Habent enim hæc verba.

IMP. CAESAR. DI-
VI. F. AVGVSTVS.
COS. XIII. TRIB.
POTEST. XXI.
PONTIF. MAX.
A. BEATE. ET.
IANO. AVGST.
AD. OCE-
ANVM.
LXIIII.

Est hic lapis in summo templo, alterq; persimilis in D. Ioannis Herediæ domo visitur. Amouent autem hæ columnæ omnem illam controuersiam, quam D. Augustinus inter quosdam ecclesiæ Christianæ scriptores narrat fuisse de anno Dominicæ natiuitatis. Ignorantes enim Romani consulatus seriem, vt idem inquit sanctus doctor, hic diuersa sensere. Sed de hoc non vno in loco historia nostra pertractat. Ibi etiam quod hoc Iani templum Cordubense fuerit prosequimur. Duæ enim aliæ columnæ Tiberii Cæsaris tempore erectæ eisdem etiam omnino verbis eiusdem meminerunt. Altera in ipso fano maiori: in D. Francisci altera conspicitur. Illud verò in antiquitatis studiosorum gratiam non prætermittam: in his omnibus columnis numeri primam notam hanc esse. ⊥. quæ nimirum. L. geminatæ vim habeat, & bis quinquaginta, hoc est centum milliaria signet. Neq; enim pauciora milliaria ab Corduba ad Oceanum, qua magis est propinquus, quam centum quatuordecim reperies. Quod Francus Iurisconsultus antiquitatis studiosissimus primus, quod sciam, animaduertit.

Lib. 2. de doctri. Christ. cap. 28.

Francus Iurisconsultus.

Habuit etiam Romanorum tempore ad Romanæ ciuitatis & aliarum magnificentissimarum ciuitatum imitationem puteal Corduba. Visitur namq; hodie quoque in marchionis Commarensis ædibus marmoreum puteal cum hac inscriptione.

Puteal Cordubæ fuit.

PVTE-
AL.
THAD-
DAI.

Aristoteles porrò in politicis docet, non nisi magnas vrbes puteal, hoc est subterraneum carcerem ad putei similitudinem excauatum habere solitas fuisse. Et Libonis puteal Romæ tum ab Horatio celebratum non vno loco legimus, tum etiam in argenteis nummis depictum & inscriptum videmus. Et hæc omnia cum multis aliis inscriptis lapidibus Romanis, qui multis in locis vrbis visuntur, nemo vnquam dubitauit, ex veteris ruinis fuisse huc diuersis temporibus aduecta.

Lib. 4. cap. 16.

In ea igitur Marcelli vrbe nati sunt, Senecæ duo pater & filius, Lucanus, Portius Latro, & alii insignes Cordubenses, quorum meminit Seneca pater. Illa eadem clarissimum & fortissimum ciuem Æmilium Regulum dedit, qui & ipse cum aliis, ipsum tanquam ducem insequentibus, in Caligulę Imperatoris necem coniurauit. Et cum alios, inquit Iosephus, priuata odia incitarent, hunc publica tantumodo mala permouebāt.

Æmilius Regul' Cordubensis.

Libro antiquit. 19. c. 1.

Quandiu verò vrbs illa vetus ab Marcello condita perdurauerit, quoue tempore mutatione oppidi, in hanc, quæ nunc est, sit traducta: & si maximè vellem, non possū tamen liquido explicare. Quod coniecturis assequi possum, in medium adducam. Tempore Tyberii, & Caligulæ Imperatorum, vetus Marcelli ciuitas, non solum stabat, sed inclita admodum & celebris vigebat. Id nummi veteres indicant ibidem reperti cum Germanici vultu & nomine, quorum auersa pars COLONIA PATRICIA habet in-

Corduba noua translatio.

Germanici Cæsaris nummi.

bet in-

bet intra ciuicam inscriptum. Neque multi simul vnquam eiusmodi nummi sunt reperti, vt reconditi fuisse videantur: sed vnus atque alter, vt casu prolapsi, & amissi appareat. Sed neque quisquam tamen sequentium Imperatorum nummos se ibi reperisse, vnquam dixit. Tanta praeterea vrbis per illa tempora celebritas, repente vtique non potuit concidere: cum in summa pace & tranquillitate nobis Romani imperarent. Non nisi maturo per multos annos consilio, non nisi longi temporis spatio opus fuit, vt inde penitus fuerit immigrandum. Noua etiam vrbs fuit condenda, & magno molimine multa fuere comparanda. Migrationem namque fuisse, & oppidi mutationem, res ipsa testatur, & paulò post sumus ostensuri. Sexaginta igitur aut eo amplius post Caligulam annos eam vrbem stetisse, possumus credere, & ad Traianum vsque perdurasse.

Temporis ratio.

Ducenti deinde ferme anni ad Diocletiani vsque imperium praeteriere, in quibus Cordubae nullam mentionem apud authores inuenimus. Tantum illa basis marmorea, de qua iam diximus, cum fragmentis etiam muliebris statuae in domo Garsiae Mendesii de Soto Mayor fuit eruta cum Corneliae Saloninae vxoris Gallieni Imperatoris inscriptione. Sed enim Diocletiani temporibus dubium esse non potest, quin vrbs vetus iam periisset, & noua, quae nunc est, percelebris haberetur. Testimonio sunt sanctorum martyrum, qui eo tempore Cordubae coronati sunt, monumenta, quae supersunt. Ibi sanctorum Aciscli & Victoriae domus in qua educati fuerint: ibi sepulchrum, quod ad portam fluminis fuisse, in eorum passione scribitur: ibi puteus, in quem pars viscerum sancti Zoyli martyris fuerit proiecta, monstratur, atque omnia & singula magna religione ab tota ciuitate coluntur. Ita fit, vt nemo pius ferre iam posset, si quis passos in veteri vrbe hos sanctos martyres crederet. Et de sanctis tribus martyribus Fausto, Ianuario, & Martiale idem prorsus est statuendum. Et cum Gothos hanc nouam vrbem tenuisse constet: & Sisebuti regis temporibus Agapius Cordubensis Episcopus sanctum Zoyli corpus ibidem, ipso per somnium commonstrante, repererit, quod ab martyrii sui tempore delituerat: ibidem vtique fuerat excarnificatus, & occisus. Nam ab ethnicis inter peregrinorum sepulchra cadauer eius occultatum legimus, ne ab Christianis dignosceretur: & Agapio episcopo idem martyr (quemadmodum inuentionis habet historia) & locum vbi passus fuit, & vbi suum corpus occultatum iaceret, indicauit. Quae omnia liquido possunt probare, hanc nouam vrbem Diocletiani & sociorum Imperatorum tempore, hoc est circa annos Dominicae natiuitatis trecentos conditam iam, veteri diruta, fuisse. Ille itaque marmoreus lapis ad diui Nicolai, quod vocant in vrbe, templum effossus, ibidemque parieti insertus, qui basim Constantii Caesaris (vt eius indicat inscriptio) statuae olim praebuit: in hac noua vrbe dedicatus, non ex veteri adductus videtur. Quod etiam de Saloninae statua & basi quispiam posset etiam existimare.

Diocletiani imperante Corduba iam fuerat translata.

Sancti Acisclus & Victoria.

Sanctus Zoylus.

Sancti Faustus, Ianuarius & Martialis.

Sisebutus rex.

Agapitus Episcopus.

Sancti Zoyli inuentio.

Tempus.

Constantii Caesaris inscriptio.

Causa autem huius mutationis, & Cordubae iterum renascentis occasio vulgo inter ciues affertur aquae penuria, qua vetus Marcelli vrbs laborabat, longius à flumine quatuor pene milliaribus remota. Ego verè nihil minus in causa fuisse video. Nam & intra vrbis eius situm fontes non vno loco erumpunt: propè muros verò ad ortum fons est etiam bene magnus, cui ab lauerum copia nomen est: & vicini huic fonti fratrum diui Hieronymi horti ab fontium copia nomen inuenere: & amplior ille canalis, quo ipsum idem diui Hieronymi coenobium nunc fruitur, per vallem ipsam dorsumque prominens circunductus, in vrbem influebat. Durat adhuc ad ipsum fontis caput eius aquaeductus portio, quadrato lapide constructa. Reliquum ipsa coenobii structura, lapidum similium indiga, consumpsit. Quicunque etiam putei, inferioribus praesertim vrbis partibus, effoderentur, aquae in omnem vsum commodissimae copiam profectò subministrarent. Quae cum ita sint, loci in salubritatem, adde etiam ad inhabitandum incommoditatem causas potissimas vrbis transferendae fuisse, credendum est. Eum enim situm Marcellus delegerat, qui ponendae vrbi esset multis modis importunus. A flumine primum tam longò remouit: cum fluminis eo tempore nauigabilis commoda essent quam plurima. Munita neque situ, neque opere vrbs esse potuit. Per eum enim cliuum est in planum demissa, cui montium iuga ita super immineant, vt lapidibus rupibusque non admodum magnis, quarum est in sublimi ingens copia, tantum commotis, obrui moenia possent, atque prosterni. Sed loci insalubritas in primis est insignis. Iidem praecelsi montes septentrionale vrbis latus ita protegunt, vt aquilonaribus ventis, qui salubriores existimantur, nullo modo possit afflari. Cumque ab ortu ad occasum in longum sit totus situs porrectus, ab Septentrione verò in Meridiem latitudine per cliuum in planum excurrente protendatur: ad solis ardores, qui sunt in ea regione

Vrbis mutandae causa.

La fuente de los berros.

Los hontanares.

Veteris situs incommoda.

feruentissimi, vrbs quanta erat, iacuit exposita. Neque inferiora ædificia tegere in cliuo superiora poterant, aut æstus mutua coniunctione impedire: cum interim, si quo algore Aquilones possent subuenire, prærupta montium culmina arcerent. Inde est quod nunc etiam scorpionum multitudine totus is veteris vrbis situs abundat: ipsa venenatorum animantium fœcunditate loci pestilentis vitium prodete. Quod ipsum maximè facit vt credam, priscam illam Cordubam, quæ ante Marcellum fuerat, hoc situ, quo nunc est, extitisse, salubritatisque memoria & experimento eum ipsum iterum nunc repetisse.

Noua vrbis situs & forma. *Solis porta.* *Anguli porta.*

Instaurata igitur, seu denuò condita noua vrbe, quadratam formam, quantum possum coniicere, retinuit. Duo enim muri latera ad amussim producta cum antiqui operis, atq; adeò Romani vestigiis perdurant. Ab arce ad solis, quam dicunt, portam lambente australe: inde ad eam portam, quæ anguli vocatur, orientale. Duo alia latera, Maurorum credo detrahentium, superaddentium & multis modis immutantiũ, substructiones confudere. Et præterquam quod quadrata ista forma, lapidesq; quadrati Romanã indicant structurã: ipsa quoq; portarum in illo ad Orientem latere cũ æquè distante interuallo dimensio tota prorsus Romana est. Quinq; enim portas cũ adaperirent, in medio vnam (quę Ferrea dicebatur, ipsaq; diruta, loco nomen manet) constituerũt: hinc inde binas ęqualibus interuallis superaddentes. Perdurant hę quatuor, solis & anguli, in ipsis angulis: reliquæ mediæ quæ portulæ voce diminuta nuncupantur, altera ad Emporii vicũ altera ad Fontem siccum est posita: & vtraq; ab suis locis nomen accepit. Nec dubitant nostri Cordubenses, quin ex veteri Marcelli vrbe translata in nouam hanc fuerint publicorum & priuatorum ędificiorum omnia ornamenta. Hinc in vrbe statuę Romani operis non paucæ, inscripti lapides multi: hinc tot marmoreæ columnæ, multaq; alia huiusmodi, quæ passim visuntur. Quanquam nonnulla huius nouæ vrbis propria fuisse, superius probabamus.

Porta ad Emporii vicum. *Fontis sicci porta.* *Antiqua monumenta Cordubæ multa.*

Hinc iam liquet, quantoopere vulgus nostræ ciuitatis aberret, qui Senecæ domum eam fuisse affirmat, quæ nunc publici Senatus ædibus ad Austrum coniuncta, ex aduerso penè diui Benedicti templum respicit. Emit eam olim vir clarissimus D. Petrus à Corduba primus Plieguensis Marchio, ea fama commotus, & doctori Antonio Morali patri meo medico præstantissimo dono dedit, dicens: Sapientissimi viri Cordubensis domum, non nisi ab sapientissimo Cordubensi debere possideri. In his ædibus ego natus sum: sed Senecæ eas nunquam fuisse, quis iam non videt? Qua de re latius in historia nostra & Hispaniæ antiquitatibus disseruimus. Cum verò Senecam nomino, patrẽ Senecæ philosophi semper intelligo. Hic enim Neronis præceptor Cordubæ, nisi puer admodum, nunquam fuit: infans penè inde Romam ab patre abductus.

De Seneca domo. *Primus Plieguiensis Marchio.* *Doctor Antonius Morales.*

Sed enim silentio hic præterire æquum non est: quamuis Senecæ ipsius nulla mẽtio perduret in antiquis Cordubæ monumentis, eius tamen familiæ cognomen in basi peruetusta reperiri. Eam nuper Hieronymus Morales filius meus patruelis, iuuenis ingenio & literis ornatiss. antiquitatisque studiosiss. in patris sui, fratris mei, doctoris Augustini Oliuæ, medici etiam præstantissimi domum transferre curauit. Habet autem inscriptum.

Hieronymus Morales. *Doctor Augustinus Oliua.* *Lapis cum Senecæ cuiuspiam nomine.*

FABIÆ. GN. F.
PRISCÆ. ASIDO-
NENSI. FABIVS. SE-
NECA. ET. ////////E-
RIA. Q. F. PRISCA.

Habuit etiam hæc noua vrbs suam Romanorum temporibus magnificentiam: cum præceptorem etiam Græcarum literarum qui Grammatici nomen (quod erat eo tempore doctrinæ probatissimè insigne) tueri posset, quique præterea illud habuit admodum singulare, quod supra centesimum annum peruixit. Extat eius laspideus cippus in eiusdem fratris mei doctoris Augustini Oliuæ domo, cum his literis.

D. M. S.
DOMITIVS. ISQVI-
LINVS. MAGIS-
TER. GRAMM.
GRECVS. ANNOR.
CI.
H. S. EST. S. T. T.
LEVIS.

Huius

Huius autem posterioris temporis & rudioris esse hanc inscriptionem, tum characteres iam degenerantes, tum etiam verba ipsa & orthographiæ neglectus docent. Proinde nouæ vrbi hunc lapidem dedi.

Hæc igitur noua vrbs, insignis etiam ipsa olim & celebris, sed inde multo celebrior, quod clarissimorum martyrum sanguine diuino munere fuerat consecrata: ab Romanis ad Vandalos, inde ad Gothos tandem peruenit: apud quos in magno pretio semper est habita. Bellum videlicet aduersus Agilam regem potuit sola suscipere, & ingenti prælio victum fugare. Eadem rebellandi aduersum Leouigildum patrem diuo Ermenegildo, principi tunc, postea martyri inclyto sese coniunxit, & fidei catholicæ causam pio bello complexa est. Ioannes enim Biclarensis Abbas, qui eo ipso tempore vixit, scriptum in suo chronico reliquit, sanctum principem peracto bello Cordubæ ab patre fuisse comprehensum. Ad amicam nimirum, & suarum partium ciuitatem confugerat. Nummum etiam aureum eiusdem principis habeo, & tanquam sanctissimi martyris egregium monimentum veneror, quem in hoc sacro bello constat esse percussum. Gratissimum autem lectoribus me facturũ spero, si ipsum hic descripsero. Altera parte faciem habet principis ipsius iuuenilem cum his literis ERMENEGILDI: altera alatam victoriam præfert, vt eius conspectu suorum animis validam eius potiundæ spem Deo duce & adiutore immitteret. Inscriptio autem, quæ victoriam circundat, cum sit cælestis prorsus & admirabilis, tum etiam sanctum principem in eo bello eadem pro militari tessera vsum fuisse, est admodum verisimile. Est enim hæc. REGEM DEVITA. Quam nemo vel leuiter in sacris literis versatus non confestim videt, ex illis D. Pauli ad Titum verbis fuisse desumptã. Hæreticũ hominẽ post primã & secundã correptionẽ deuita. Et omnia tam acute, prudẽter & pie excogitata sunt & adaptata, vt credi possit ab Leandro aut Isidoro fratre viris sanctissimis, literisque & ingenio præstantibus diui etiam Ermenegildi auunculis fuisse excogitata, & principi pie rebellanti ad Symbolum & tesseram tradita. Repertus vero fuit is nummus prope Cordubam tertio milliario, in eo agro qui Casa Blanca, hoc est Domus Alba, nominatur. Et Cordubæ fuisse percussum possumus etiam existimare. Officinam enim nummariam in ea vrbe fuisse, tum ingens eius celebritas, tum nummi illi Reccesuinthi Regis, de quibus retro diximus, ostendunt. Nulla enim alia de causa Cordubę nomen in illis ad eum modum potuit apponi, nisi quod ibidem fuissent conflati, atque signati. Sed hæc omnia cum aliis nostræ ciuitatis fortunis in nostra de rebus Hispaniæ Historia late prosequimur.

Agila rex Gothorum.
Leouigildus rex.
Diuus Ermenegildus martyr.
Abbas Biclarensis.
Diui Ermenegildi nummus.
Cap. 3.

CHRONOLOGIÆ RATIO IN HIS ANNIS CONTINVATA, QVI IN DIVI EVlogii vita, historia & epistolis continentur: unde ratio temporum rectior, apertior, & suis testimoniis asseuerata constabit.

NTE annū Dominicæ natiuitatis octingentesimum quinquagesimum, vnde chronologiam opportune ordimur: Adulphus & Ioannes Hispalensis originis Cordubæ iā fuerant martyrio coronati. Ex libri secūdi cap. VIII. Annum signare non possumus, nisi quod ante annum Domini octingentesimum trigesimum plane videntur occisi.

Ante hunc etiam annum, diuus Eulogius in Galliam profectus Pompelonensem Episcopum, & Nauarrę Abbates quam plurimos inuisit. In reditu Cæsaraugustanum, Segoncinum, Complutensem & Toletanum Episcopos, apud eos diuersatus, cognouit. Ex eius epistola ad Pompelonensem Episcopum, quo anno peregrinatus fuerit, non satis constat. Nos suo loco, quantum datum fuit, ratiocinabamur.

Annus Domini *DCCCL.*

Primus hic est annus, quem diuus Eulogius initio libri secundi notat. Fuit autē post triginta integras cycli solaris conuersiones in trigesima prima decimusnonus: secundus post bissextum sequutus literam dominicalem. E. habuit. Quæ omnia hic in primis signanda fuerunt: siquidem diuus Eulogius aliquando hebdomadę etiam dies nominat: vnde nos certam temporis rationem astruximus, & manifesta veritate confirmauimus.

Leonis quarti pontificis Maximi quartus fuit hic in annus: qui per quinq; etiam sequentes superuixit. Ex. F. Onuphrio Panuinio.

Hlotharius, Romanorum Imperator, qui adhuc viuebat ad eosdem quinq; annos præterea peruenit. Ex eodem, & multis aliis.

Michael Porhyrogenitus. Theophili successor Constantinopolitanus Imperator, cuius hic nonus erat annus, annum octingentesimum sexagesimumseptimum attigit. Ex eisdem.

Initio huius anni Oueto & Legione in Hispania regnabat Ranimirus rex huius nominis primus Alfonsi Casti regis successor. Mortu⁹ vero ipso primo Februarii die, filio suo Ordonio primo regnum reliquit. Id aperte constat, ex eius tumulo, quem in regio Alfonsi Casti vocato templo Oueti vidimus, cum hoc epitaphio.

OBIIT DIVÆ MEMORIÆ RANIMIRVS REX, DIE KAL. FEBRVARII ERA DCCC. LXXXVIII. OBTESTOR VOS OMNES, QVI HÆC LECTVRI ESTIS, VT PRO REQVIE ILLIVS ORARE NON DESINATIS.

Et Sampyrus Astoricensis, Lucasq; Tudensis Episcopi hunc annū mortis Ranimiri scripserūt. Vetustissimus etiam tumulus docet, non multa post regis mortem fuisse epitaphium insculptum.

Nauarræ & Aragonensium montium regnum Innigus Ximenez cognomento Arista obtinebat: vt ex magis verisimili illorum temporum supputatione colligitur. Quanquam in magna autorum varietate nihil certi & indubitati potest hic affirmari.

Carolus cognomento Caluus Hludouici Imperatoris filius, Caroli Magni Imperatoris nepos in Gallia regnabat. Gallorum omnes Historici. Eratque hic regni eius annus vndecimus. Idem Carolus, quicquid pater atque auus ab Sarracenis in Catalunia, Aragonensium montibus, & apud Nauarros ademerant, retinuit. Aragonensium annales, Gallorum historici.

Regnabat late in Hiſpania, regni ſede Cordubæ conſtituta, Habdaraghman Saracenus huius nominis tertius. Eratq; hic regni eius annus viceſimus nonus. Ex diuo Eulogio initio libri ſecūdi, & ex Raſis Mauri hiſtoria; item ex Ruderici Toletani antiſtitis de Arabibus hiſtoria nondum excuſſa.

Hoc ipſo anno primo menſis Maii die, qui in ſextam feriam inciderat Perfectus presbyter Cordubenſis martyrio coronatur. Lib. 2. cap primo.

Poſt hunc Ioānes pro Chriſti fide pene ad mortē cæditur, & ludibrii publici cauſa aſino vectus per vrbem circūducitur, cōfeſſoriſq; gloriā adipiſcitur. Lib. 1. Tēpus liquere non poteſt, niſi quod hoc anno, potius quam ſequenti, factum apparet.

D. Eulogius in carcerem detruſus adhuc ibi Iohannem detentum invenit. Detruſio vero illa anno ſubſequenti veriſimilius fuit ex epiſtola ad Epiſc. Pompelonenſem: maxime cū & ipſa detruſio poſt aliquorum martyrū paſſionem ſit ſubſecuta, quos ipſe D. Eulogius ad martyrium inflāmabat. Id etiam apertius conſtat ex B. Aurelii & Sabigotonis hiſtoria cap. 10. lib. 2. Mem. Sanct.

Annus Domini DCCCLI.

Litera hoc anno diem Dominicum ſignans. D. fuit.

Die Iunii tertio, qui quarta feria euenerat ſanctus Iſaac monachus Cordubēſis iugulatur. capite. 2. libri ſecundi.

Sancius Laicus natione Gallus duos poſt dies martyrio coronatur, feria nimirū ſexta inſequente eiuſdem Iunii menſis die quinto. Libri eiuſdem cap. 3.

Duobus tantū interiectis diebus, die eiuſdē mēſis octauo, & hebdomadę ſequētis feria prima, ſex pariter ſancti martyres trucidantur: Petrus presbyter Aſtigitanus, Vualabonſus diaconus Ilibulenſis, Sabinianus monachus, vico Froniano prope Cordubam natus, Vuiſtremundus Aſtigitanus monachus, Habentius Cordubenſis monachus, Hieremias itidem Cordubenſis monachus. capite eiuſdem libri quarto.

Menſe Iulio, die decimoſexto, qui in quintā feriam inciderat, ſanctus Siſenandus diaconus Pacenſis ex Luſitania martyrium iugulatus compleuit. capite ſequenti.

Veneris die, ſabbato & inſequenti Dominica tantummodo interiectis, ſecunda feria, quæ die Iulii viceſimum occupauit, Paulus Cordubenſis martyrii palmam adipiſcitur, capite truncatus. capite ſexto.

Sabbato inſequente & Iulii die viceſimo quinto Theodemirus monachus Carmonenſis patria martyrio laureatur. Ibidem.

Interea Reccaffredus epiſcopus iuſſu tyranni, Dei eccleſiam Cordubæ miſere cōturbat, diuū Eulogiū in carcerē coniicit. Ex eius vita per Aluarum ſcripta ex epiſtola ad Pompelonenſē Epiſcopum, & ex ſecūdo lib. pluribus locis: vbi nos hoc ipſū annotauimus & tēpus * quidē quo captus fuerit diuus Eulogius non poſſumus exquiſite ſignare. Tantum colligi alicūde poteſt, per hoſce menſes, quod ſuo loco videbimus, cōtigiſſe. Cauſam, cur in carcerem fuerit miſſus, ipſe in Documento martyriali & in epiſtolis reddit, Quia nimirum martyres adhortaretur, & ad martyrium ipſos incenderet.

** Certe ex Epiſtola ad Epiſc. Pompelonenſem perſecutionem Chriſtianorum, & perinde D. Eulogii in carcerem detruſionē hoc anno fuiſſe conſtat.*

Hic martyrium ſanctarū virginū Nunilonis & Alodiæ diuus Eulogius retulit, quę non Cordubæ paſſæ ſunt. Et tempus ſuo loco inueſtigabimus.

Flora Cordubenſis, Maria Ilipulenſis Vualaponſi martyris ſoror, virgines ambæ, martyrio ſimul coronantur, menſis nouembris die viceſimo quinto. capite ſequenti.

Poſt ſextū diē diuus Eulogius carcere educitur. Ibidem, & in epiſtola ad Aluarū.

Annus Domini DCCCLII.

Gumeſindus Toletanus presbyter, & Seruus Dei monachus, die Ianuari tertia decima mortem pro Chriſti nomine ſuſtinuerunt. capite. IX.

Sancti martyres Aurelius, Felix Cordubenſes, cum vxoribus Sabigothon & Lilioſa, commitāte etiā Georgio monacho ex Syria, XXVII. Iulii, die occiſi ſunt, cap. ſequenti.

Chriſtophorus Cordubenſis, Leouigildus Ilibertianus monachi, pro Chriſtianę fidei confeſſione iugulantur, die menſis Auguſti viceſimo. cap. XI.

Emila & Hieremias Cordubenſes die Septembris quintodecimo martyrio coronantur. capite ſequenti.

Rogellus Iliberitanus monachus, Seruiō Deo ex Syria monachus, varie excarnificati die ſequenti, Septembris videlicet ſextodecimo, capite truncantur.

Habdarraghman rex tot martyrum conſtantia territus, impedire martyrium cogitat, & congregari Epiſcoporū atq; etiā Metropolitanorū conciliū Cordubæ imperat. Ex capitibus ſequentibus & hæc diuerſa omnino eſt Regis perturbatio, & Eccleſiæ perſequutio ab illa, quam iam ſuperius retulimus. Hoc manifeſte ex ipſa temporū ſerie in diuo Eulogio, & ex eius verbis conſtat.

Annus Domini DCCCLIII.

Initio huius anni Habdarraghman rex ſubito moritur. Mahomat eius filius in regno ſuccedit. cap. libri ſecundi decimoſexto.

Mahomat regni sui initio Christianos acerbissime persequitur, templa diruit. quatuor primis libri tertii capitibus. Hęc iam tertia est ecclesiæ Cordubēsis persequutio: & huius mentionem fieri credo in sanctorum Ruderici & Salomonis historia. Ex annis ibidem in Apologetico annotatis.

Arabum principū nonnulli in Hispania contra regem Mahomat rebellarunt. Ipse Christianos tributis grauat, suorūq; odiū in se suscitat: duobus sequentibus capitibus.

Fandila presbyter & monachus Accitanus die Iunii tertiodecimo martyrio coronatur. capite. VIII.

Die sequenti, Iunii quartodecimo, Anastasius monachus presbyter, Felix monachus Cōplutensis, Digna virgo Deo dicata martyrii laureā accipiūt. capite sequēti.

Benildis matrona quintadecima eiusdem mensis pro Christi fide iugulatur. c. X.

Sancta Columba Cordubensis virgo Deo dicata decimo septimo Septembris die, capite truncata martyrio coronatur. capite sequenti.

Pomposa virgo & martyr Cordubensis, Octobris die decimosexto gladio Sarracenorum occubuit. cap. XII.

Annus Domini DCCCLIIII.

Abundius presbyter ex vico Annanellos prope Cordubam, die Iulii vndecimo martyrium subiit. Libri tertii. cap. XIII.

Annus Domini DCCCLV.

Amator Tuccitanus adolescens. Petrus monachus Cordubensis, Hludouicus item Cordubensis, die Aprilis vltimo omnes pariter martyrio coronantur. cap. XIIII.

Vuitesindus senex Egabrensis eodem anno martyr est factus. Diem diuus Eulogius non commemorat. cap. XV.

Annus Domini DCCCLVI.

Helias presbyter senex Lusitanus, Paulus & Isidorus monachi, Aprilis decimoseptimo die passi sunt. libri tertii. cap. XVI.

Argimirus Egrabensis monachus in Christi confessione vigesimooctauo Iunii die occiditur. cap. sequenti.

Aurea virgo Deo dicata, Adulphi & Ioannis martyrum soror, die Iulii decimonono martyrii palmam accepit. cap. vltimo.

Annus Domini DCCCLVII.

Rudericus Egabrensis & Salomon martyrium patiuntur Martii die tertiodecimo. Ex Apologetico sanctorum.

Annus Domini DCCCLVIII.

Nullum martyrem habuit hic annus, neq; vlla eius est apud diuū Eulogiū mētio.

Annus Domini DCCCLIX.

Diuus Eulogius Cordubensis, presbyter, & Doctor, & electus Archiepiscopus Toletanus, fit etiam hoc anno martyr, Martii mensis die vndecimo, qui eo anno Sabbatum occupauit. Aluarus in eius vita.

Leocritia virgo Cordubensis, cuius causa, & fidei Christianę pręsertim ergo, diuus Eulogius mortem fuerat perpessus, quarto postea die, hoc est martii quintodecimo, ipsum doctorem suum sequitur martyrio coronata. Ex eodem ibidem.

Non video vnde id constet de basilica S. Genesii. Et m. s codex Ruisii translationē corporis D. Eulogii factam testatur Era 867. quæ cum anno Domini 829. concurrit, quo etiā ipse D. Eulogius passus est.

Annus Domini DCCCLX.

Hoc anno, die Iunii primo, sancti martyris Eulogii corpus ex basilica sancti Genesii in basilicam sancti Zoyli martyris translatum est. Ex altero exemplari, in quo vita sancti Eulogii solum fuit.

Hoc tantummodo decenniū sancti Eulogii opera enumerant. Quæ deinceps ad sanctorum martyrum Eugeniæ, Pelagii, Dominici & sociorum tempora peruestiganda necessaria fuere, suis locis, quanta potuimus diligentia ratiocinati sumus.

Ordonius rex primus. Alfonsus Magnus. Crux Oueti opulentissima.

Regnabat autem nunc etiam Ordonius primus, qui anno DCCCLXII. postea obiit. Neque enim antea regnum iniit filius eius Alfonsus cognomento Magnus. Id est manifestum ex aurea cruce ingentis magnitudinis operis pulcherrimi, & pretii ex gemmarum multitudine immensi, quam Oueti in sancta camera reliquit, cum hac, a tergo, literis aureis prominentibus, inscriptione.

SVSCEPTVM PLACIDE MANEAT HOC IN HONORE DEI, QVOD OFFERVNT FAMVLVS CHRISTI ADEFONSVS PRINCEPS, ET SCEMENA REGINA.

QVISQVIS AVFERRE HÆC DONARIA NOSTRA PRÆSVMPSERIT, FVLMINE DIVINO INTEREAT IPSE.

Hoc

HOC SIGNO TVETVR PIVS, HOC SIGNO VINCITVR INIMICVS, HOC OPVS PERFECTVM EST, CONCESSVM EST SANCTO SALVATORI OVETENSIS SEDIS. ET OPERATVM EST IN CASTELLO GAVZON, ANNO REGNI NOSTRI XVII. DISCVRRENTE ERA DCCCCXVI.

Annus hic fuit Christi natiuitatis DCCCLXXVIII. Vnde constat anno Domini DCCCLXII. Alfonsum hunc regnare cœpisse: cũ annꝰ patris postremus, ei fuerit primꝰ.

Cordubensium Christianorum dispersio.

Quæ autem consequuta postea sunt, in Ecclesia Cordubensi, ex vetustis monumentis collecta prosequemur. Constat enim post has duas sub duobus regibus patre & filio persequutiones, magnam Cordubæ Christiani cultus factam fuisse permutationem: cum omnia in peius ruerent, & retro admodũ sublapsa ferrentur. Pauidi monachi monasteria deserere, Abbates alio transfugere, Episcopi ferme nõ esse, sacra loca deserta cultoribus, Sarracenis in prædia cedere, & Cordubensis ecclesia, quę nondũ in captiuitate decꝰ & amplitudinẽ penitꝰ amiserat, nunc in miserã dispersionẽ & lugubrem ruinam abire. Multa sunt quæ hoc ipsum plane doceant. Monasterium nanq; ordinis sancti Benedicti est admodum celebre, & opulentũ in ipso Galletiæ, qua Legionensi regiõ per Bergidum copulatur, introitu: Samanos olim, nunc corrupto nomine Samos dictum. Ibi monumentum publicæ attestationis Gothicis literis in membrana scriptum vidimus, in quo Offilo abbas, Vincentius presbyter & Maria Deo vota sua omnia eidem monasterio largiuntur. Narrantq; in primis, queadmodũ Corduba profugi tempore Ordonii regis, cũ Galletiã peruenissent: benigne ab Rege excepti fuere: qui illorũ calamitatibus cõmotus, id ipsum monasterium, dirutũ iã & pene desolatum, cũ prædiis, oppidulis & tota ipsa circumcirca ditione eisdem libenter concessit, vt priscã in eo religionis formam instaurarent. Eius autem donationis, quæ ab ipsis monasterio fit publice contestatæ dies fuit Augusti vigesimus quintus anni dominicæ natiuitatis octingentesimi septuagesimi secundi: mortuo nimirũ iam eodem Ordonio rege huius nominis primo, Alfonsi Magni patre, qui tunc, cum hæc publice agebãtur, imperiũ tenebat: vt vicina admodũ diuo Eulogio tempora intelligas, hoc est annũ post ipsum in teremptũ duodecimum. Quin etiam diploma eiusdem regis Ordonii primi ibidẽ vidimus, literis Gothicis & membrana peruetustum, in quo ea monasterii ditionis & oppidorũ donatio, quã Offilo Abbas cæteriq; sibi ab Rege factam cõmemorant, cõtinetur. Concessum autẽ id diploma fuerat die mensis Maii vigesimo, anni Dominici octingẽtesimi sexagesimi secundi: duobus nempe, nec pluribus, post diui Eulogii necem ãnis: vt manifestum sit paulo post ipsum martyrio coronatum, Offilonem Abbatem cum reliquis Corduba diffugisse. Alia posteriorum Regũ diplomata prætereo, quæ ibidẽ habentur: in quibus eadẽ ista de Offilone Abbate cũ sociis Cordubensibus, patria diffugientibꝰ repetuntur. Illud tacendũ non puto, dirutũ Samanos monasterium Offilonẽ inuenisse, quia centum pene annis antea sub Froyla rege huius nominis primo, Argericꝰ Abbas Toletanꝰ, patria & ipsus profugꝰ cum aliis nonnullis, Regis benignitate subleuatus, ipsum primum ædificauerat. Id etiam eiusdem Froylæ regis diplomate testatum permanet, cum Ordonius etiam in suo eiusdem Argerici prioris Abbatis & regis Froylæ, qui ipsum exceperit, meminerit.

Samos monasterium. Bergidum. Offilo Abbas. Annus 872. Annus 862. Argericus Abbas Toletanus.

Antiqua præterea & iisdem hisce temporibus scripta Regii, celeberrimi, & amplissimi sanctorũ martyrũ Facundi & Primitiui ordinis sancti Benedicti cœnobii monumenta Regumq; diplomata, quæ nos ibi vidimus testantur, Abbatẽ Alfonsum cum suis monachis Corduba profugum, Sarracenorum gladios deuitantem, pusilloque suo gregi, quẽ imparem perferendo martyrio experiretur, sancte & prouide consulentẽ, ad eundẽ regem Alfonsum cognomento Magnum Legionem peruenisse. Cũq; regi iã antea cordi fuisset, sanctorum Facũdi & Primitiui sepulchra debito cultu venerari, delubrumq;, vbi inerant, Sarracenorũ impetu dirutum instaurare: quasi diuinitus sibi oblatũ Cordubensẽ Abbatem monachosq; suos excepit. Substructo deinde miræ magnitudinis, vt idẽ Rex in diplomate inquit, templo, quod hodie etiam perdurat, eidẽ Abbati Alfonsi cũ suis monachis, addito insigni multorũ prædiorũ, oppidulorũ & ditionis integre patrimonio, tradidit incolendũ, & monasterii ædificiis augendũ. Hoc fuit instaurationis, atq; insignis illiꝰ amplificationis principiũ. Vt inclitũ per totã Hispaniam cœnobium, duobus illustrissimorum martyrum corporibus augustissimum, multorumq; Regum magnificentia nobilitatum, Cordubensem primum habuerit Abbatem & instauratorem, testemq; huius, quã prosequimur, dispersionis. Diploma nã-

Sancti Facundi monasterium Cordubensibus monachis primum inhabitatum. Abbas Alfonsus Cordubensis. Rex Alfonsus Magnus.

Annus 874. que regis Alfonsi, in quo huius rei mentio est, annum Domini octingentesimum septuagesimum quartū prefert, hoc est post Diui Eulogii martyrium quartum decimum.

Sancti Michaelis de Escalada monasterium. Non admodū longè ab hoc ipso sanctorū Facūdi & Primitiui oppido & mōasterio illud alterū est, quod sācti Michaelis de Escalada appellant. In ei⁹ miræ vetustatis tēplo varii marmoris columnis exornato, lapidē esse inscriptū, venerādæ authoritatis monachi mihi retulerunt, in quo memoria Abbatis cuiusdā Cordubensis conseruatur, qui eo per hosce etiam annos, eadem nimirum calamitate exactus, peruenerit.

Cœnobium sancti Martini de Castanenda. Senabria oppidum. Posterioris aliquanto temporis est item lapis bene magnus in Ecclesia monasterii sancti Martini de Castanenda ordinis nunc Cisterciensis, olim Benedicti ad oppidū Senabriam Galletiæ & Lusitaniæ finibus in Legionensi regno propinquum: cuius inscriptio hanc ipsā astruit Cordubensium Christianorum dispersionem. Cū enim in principio doceat, locū illum sanctū diuo Martino quondam fuisse consecratū: prosequitur deinceps, quo pacto ab Ioañe Abbate, qui Corduba cum monachis venerat, fuerit restitutus: temploq; & monasterio magno labore, breui tamen tempore, structis, instauratus. *Ioannes Abbas Cordubensis. Annus 952.* Factū id tandē refert regnante Ordonio principe, anno Domini nongētesimo quinquagesimo secundo. Hæc ibi. Ex cuius anni notatione facile colligimus, regē Ordonium huius nominis tertium, Ranimiri secundi filium ibi nominari. His autem omnib⁹ facile declaratur, quā misero tumultu ecclesia Cordubēsis hoc tempore fuerit conquassata, & crudeli ruina penè deiecta.

Christiana religio Cordubæ perseuerauit. Concilium Cordubense. Annus 863. Sāson Abbas. D. Andreæ templum. Neque tanta tamen fuit eius hoc tempore dispersio, quin integra, templisq; & viris optime constituta perduraret. Docet hoc in primis concilium multorum Episcoporū Cordubæ paulò post diuū Eulogiū occisum congregatum, circa annum nimirū Domini octingentesimum sexagesimum tertium, cuius in Samsonis Abbatis, Cordubensis libro Apologetico secundo fit mentio. Docent hoc ipsum præterea alia multa, quæ idē author eo opere commemorat. Cū interim non deessent martyres, non Christi fideles, qui marmoreo tumulo & epitaphio martyris sepulchrū, quod suo loco apparuit, exornarent.

Sed enim multū diuque etiā post diuum Eulogium Cordubæ templa, sacræ Deo virgines & magnus religionis cultus vigebat. In tēplo nanq; diui Andreę (quod semper ab sequentium temporum Christianis Mocarabibus retentum fuisse constat) introrsū in Septentrionali pariete lapis est centū viginti ferme post diuū Eulogiū annis sacræ virginis & Deo dicatæ tumulo impositus. Id hæ inscriptæ literæ indicant.

Lapis in eo templo. Speciosa Christiana fœmina. Tranquilla sacra virgo. Ann⁹ Domini 966.

HIC SPECIOSA CONDITA SIMVL CVBAT
CVM FILIA TRANQVILLA SACRA VIRGINE. QVÆ ||||||||||||||||||||||||||||||||||||||TESIMA
QVINTA|||||||||||||||||ERA SVBIVIT FVNERA.
POSTEA MATER MILLESIMA QVARTA
RECESSIT VLTIMA.

Cumque, me puero, infra eum lapidem parietem in cellulam audiendis sacris confessionibus suffodere fabri cœpissent: concauatū iā cū hatū fœminarū ossibus inuenerunt: nec violare ausi, obstructum vt antea erat reliquerunt.

Lapis autem extrorsum in cimeterio eidem parieti insertus, satis aperte docet, idem templum, ducentis post has virgines annis, Christianorum, sub Arabibus semper fuisse. Habet namque huiusmodi vernaculo nostro sermone epitaphium: barbarum quidem, sed pro tempore cognitione opportunum.

Petrus de Villammar. Annus Domini 1164.

Finò don Pero Perez de Villammar alcalde del Rey en Cordoua en dizesiete dias de Febrero E. M. c.c. dois. feria sexta. Maestre Daniel me fecit. Deus lo bendiga Amen.

Alfonsus Imperator. Abengamia rex. Dicā autē de hoc ipso tumulo quod sentio. Alfonsus Imperator Vrracæ filius, septendecim antea annis Cordubam cœperat, Regiq; Abengamiæ, cū se supplex Imperatori dedisset, ciuitatē tributo imposito, submissionis etiā facta cōtestatione, reliquerat. Vt igitur publicum imperii testimoniū Cordubæ Alfonsus relinqueret, Christanosq; liberos deinceps inibi & sui iuris esse ostenderet: præfectum Christianū iuri dicundo cū magistratu & titulo in vrbe esse voluit, qui Christianos iudicaret, tributa ab Mauris soluenda colligeret, Alfonsiq; ditionem modis omnibus tueretur. Is extinct⁹, in Christianorum templo sepelitur. Duo igitur hi lapides, simul & vetusta admodū eius templi quadā ex parte structura satis aperte demonstrant, quibusq; Maurorum temporib⁹ templū illud Christianos retinuisse, cultūq; religionis, atque adeo monasticum ordinem Cordubæ iugiter perseuerasse.

FINIS.

LVDOVICI NONII

HISPANIA, SIVE POPVLORVM, VRBIVM, INSVLARVM, AC FLVMINVM IN EA ACCVRATIOR DESCRIPTIO.

Clarißimo viro D. FRANCISCO PAZ,

SER^morum^. ALBERTI

ET

ISABELLÆ,


BELGICÆ PRINCIPVM ARCHIATRO.

Ludouicus Nonius Medicus Antuerp.

DVdum mihi in votis fuit, V. Cl. affectus in te mei arrhabonem offerre, vt amoris tui nexum, quo me arctè deuinctum scio, si non soluere, ex parte saltem laxare possem. Nunc occasio, nunc facultas defuit; nuperus hic apud me natus fetus, voto me exsoluet, HISPANIA, inquam, mea; quam nomini tuo inscribo: vel potiùs te illi patronum quæro. Nam vt tenellis infantibus, amuleta quædam, officiosæ nutrices appendunt, quo fascinantium oculos, linguasq; queant euadere: ita etiam nomen tuum lubuit Hispaniæ meæ præfigere, ne calumniæ noxios afflatus, aut sæuos inuidiæ morsus expauescat: sed vt sequestrato timore, ausit frontem commasculare, & in publicum hunc famæ campum prodire. Nec decorum fuisset alium Patronum Hispaniæ, quàm te in ea honesto genere natum; & ad hoc doctrinæ & dignitatis culmen euectum ambire: neq; vsquam medici fetus honestiùs, quam ad Archiatrum, & ad ordinis nostri principem diuertet. Nec spernes hoc quamvis leuidense munus, vel Patriæ caussa, quam à fugientis æui iniuria, conatus sum vindicare: & pristinum illi splendorem pro virili restituere. nam superioribus seculis, quàm miserè defœdata fuit, norunt omnes. acerbas, vt opinor, neglecti Lacedæmoniorum moris pœnas luit, qui dituri prælia Musis litabant; quo egregia sua facinora, Musarum ope posteris innotescerent. hinc nacti luculentos scriptores, qui res illorum gestas, patriamque ita exornarunt, vt pœnè nullum ibi fuerit sine nomine saxum. Secus Hispanis accidit, quibus fortia potius facere, quàm narrare, cura semper fuit. Quid? an non coegit illos necessitas, Marti potiùs vltori, quam Musis sacrificare? Per DCC. enim & plures annos, pro sartis tectis, cum Mauris multo mutuoq; certarunt sanguine. Qua de causa nec patriam satis illustrare illis integrum, nec domi forisque gesta, in memoriæ templo sacrare, quota enim facinorum pars ad posteros peruenit? aut

Aeternis fama monumentis insita floret?

Sed desino hæc vulnera refricare. ad munus meum redeo; quod velim tali vultu suscipias, quali id ego animo, aperto nempe & candido tibi V. Cl. lubens, merito, dono consecroque. Vale. Antuerpiæ Kal. Mart. cIↃ. IↃC. VII.



LECTORI.



N tibi, quam Hispaniæ illustrandæ opellam impendi, benigne Lector, quæ non tam leuis forsan, quàm ingloria est, &

— vnde laboris
Plus haurire mali est, quàm ex re decerpere fructus.

Pretium tamen operæ me fecisse credo, nobilißimam hanc Europæ partem, ex altißimis, quibus nimis diu damnata fuerat, tenebris eripere. Nam per frequentes Barbarorum inundationes, continuaq; bella, ita afflicta fuit, vt nullum in ea vestigium prisci decoris, nec sincerus vllus antiquitatis color eluceret. Ita fabulæ omnia occupauerant, nec impunè solùm, sed & cum laude paßim persultabant. Compositis tandem bellis, melioris aliquot scriptores notæ, patriæ deformatæ opem tulere: sed patrio sermone & ἐν τύπω pleriq; vnus aut alter Latinè, sed sparsim & saltuatim, prout historiæ ratio postulabat. Quare continuata serie, Hispaniæ diuulsa membra, in vnum collegi, & antiqua nomina populorum, vrbium, fluminum, cum recentioribus composui, ex fide veterum & nobilium scriptorum. Nec omnia lubuit persequi; nec potui. Non mediocres enim, *dicebat Varro*, tenebrę in silua, vbi hæc captanda: neq; eò quò peruenire voluimus, semitæ tritæ: neq; non in tramitibus quædam obiecta, quæ euntem retinere possunt. *Scopus mihi fuit, illa præcipuè tangere, quorum apud priscos scriptores fit mentio, illosque eadem opera, illustrare vel emendare: quo legentium ex parte tædium leniri posset. nam genus hoc scriptionis impeditum, nec ingenii, aut eloquentiæ est capax.* Nec enim admittit excessus, aut Orationes, sermonesque aut casus mirabiles, vel euentus varios, non alia iucunda dictu, aut legentibus blanda. *Et cum sæpè mutuis dißidiis variant auctores, meliori parti accedo, vel Scepticorum more* ΟΥΔΕΝ ΟΡΙΖΩ *in multis, & dubiis, pendenti vestigio, & tamquam super oua & aristas incedo. Quid mirum in tanta scriptorum infrequentia & temporis incuria. Tu, Lector, cogita per salebras & inuia loca me ambulasse: quare si me alicubi lapsũ videris, non indignaberis, sed ignosces & eriges: memor Pliniani illius dicti:* Peculiarem in studiis caussam eorum esse, qui difficultatibus victis, vtilitatem iuuandi prætulerunt gratiæ placendi. *Quod tibi in mente velim sit, mi Lector. Vale.*

Index

INDEX CAPITVM.

Cap.

Cap. LXV.

Murgim non esse *Murtiam* ostenditur. Num *Oreola* vocata. Fabula de eius origine explosa. *Menlaria* Protenæi est Murtia. Alphonso X. Regi fidissima.

Cap. LXVI.

Appiani error de Carthaginis nouæ auctore. Opinio Silii Italici reiecta. A Carthaginensibus condita. Cur *Spartaria* vocata. Vrbis situs ex Liuio. Argenti fodinæ celebres.

Cap. LXVII.

Dianium & *Hemeroscopium* dictum. Dianæ fano nobilitatum. A Phocensibus exstructum. Promontorium Ferrariæ, quod & *Tenebrium.*

Cap. LXVIII.

Setabis & *Augusta Valeria* dicta. Tenuissimum hic linum. Silius obiter correctus.

Cap. LXIX.

Valentia à D. Iunio Bruto condita. Cur *Veterani* & *Veteres* vocati. *Colonia Iulia* dicta.

Cap. LXX.

Saguntus olim vbi nunc *Moruiedro.* A Zacynthiis & Ardeatibus condita. Dianæ hic templum vetustissimum.

Cap. LXXI.

Mantua Carpetanorum *Madritium* est. Escuriacum. Moles ibi regia.

Cap. LXXII.

Complutum hodie *Alcala de Henares.* Olim & *Alcala S. Iusti.* Academia hic illustris.

Cap. LXXIII.

Carraca eadem cum Antonini *Ariaca. Guadalaiara,* hodie. Tagonius amnis. Sertorii Stratagema.

Cap. LXXIV.

Seguntia hodie *Siguenza.* Variè olim vocata. Reiecta opinio, quæ à Sagunto ortum dicit.

Cap. LXXV.

Bilbilim non esse *Calataiud.* Municipium fuit. Cognominata *Augusta.* Aquis Salonis clara & ferri temperie. Plinius emendatus.

Cap. LXXVI.

Turiasso hodie *Tarazona.* Ferri temperie clara. Mons Caunus. Martialis emendatus.

Cap. LXXVII.

Clunia hodie *Crunna del Conde.* Municipium olim. *Sulpitia* dicta. Plutarchus emendatus.

Cap. LXXVIII.

Numantia diutissimè Romanis restitit. Gerundensis Episc. duplex error. Ridicula opinio de etymo. Non esse *Zamorram,* sed *Soriam.* Pomponius Mela defensus.

Cap. LXXIX.

Flauiobriga nunc *Bilbao.* Olim hic Amanum portus. Situs eius & descriptio.

Cap. LXXX.

Pompelon à Pompeio exstructa. Diuersa à Pompeii trophæis. Vbi hæc extant. Occupatur à Ferdinando Rege.

Cap. LXXXI.

Duplex Calaguris. Taraphæ error. Fidissima suis ducibus. Egregia inscriptio.

Cap. LXXXII.

Cæsaraugusta Colonia immunis. *Salduba* vocata. Variæ opiniones & fabulæ de prisco nomine refelluntur. Colonia huc ab Augusto deducta.


Cap. LXXXIII.

Osca *Victrix* cognominata. A Sertorio hic scholæ institutæ. Velleius Paterculus correctus.

Cap. LXXXIV.

Ilerda hodie *Lerida.* Sardones vbi. De origine Ilerde. Sicani nomen à Sicori amne traxerunt. Antiqua hic Academia.

Cap.



NOBILIORES HISPANIÆ FLVVII.

Anas.	*Minius.*
Betis.	*Monda.*
Cinga.	*Salo.*
Cogedus.	*Sicoris.*
Durius.	*Sucro.*
Iberas.	*Turia.*
Letha.	*Tagus.*

HISPANIA.

CAPVT I.

DE HISPANIAE NOMINE, ET ETYMO. Plinius explicatus. Stephanus Byzantinus emendatus. Variè olim vocata.



Entium primordia vrbiumque origines in obscuro esse, Scriptorum fœda adulatio, vanitasque plerumque facit. Dum enim gloriam ex vetustate auidi venantur, initia populorum augusta, splendidaque comminiscuntur, & Poetarum licentia, miscendo vera falsis ad inanes Deos & Heroes deducunt. Hinc fictæ vrbium origines, inauditæ Regum series nominaq; defluxere: ipsamq; antiquitatẽ dum anxie suis studẽt asserere, fabulis mendaciisque misere defœdant. Largiter hac in parte deliquere Hispani Scriptores: nam cum prouinciam antiquitati sacrare conantur, ab Hispano Herculis filio, vel ab Hispalo Rege, Hispaniæ nomen fluxisse, vno consensu contendunt omnes. Sed citra classici auctoris alicuius assensum. Ego vero veterũ scriptis insistens, à Pane Dionysii comite, non vnius aut proletarii scriptoris suffragio deriuatum esse euincam. Agmen mihi ducat C. Plin. lib. 3. cap. 1. *Lusum*, inquit, *Liberi patris aut Lysam cum eo bacchantem nomẽ dedisse Lusitaniæ, Pana vero præfectum eius vniuersæ.* Vides clare duo hic dici, à Luso, vel Lysa Lusitaniã, à Pane vero vniuersam nominatã HISPANIAM; sed hoc vt fabulosũ eliminabit aliq;s, nõ ego qui sciã Pliniũ subtexere: *At quæ de Hercule, ac Pyrene, vel Saturno traduntur, fabulosa in primis arbitror.* Quid ni idẽ de Pane, aut Lysa dixisset, si cõmentitia iudicasset? Idem apertius longe docet Plutarchus libello de fluminibus & montib⁹ cap. XVI. *Mox cum Satyros & Panas in militiam delegisset, suo imperio Indos subiecit, atque de victa Iberia, Pana illis locis præfecit, qui Regionem de seipso* PANIAM *vocauit, at iuniores vocabulum inde deducentes* SPANIAM *dixerunt, vti voluit Sosthenes libro XIII. rerum Iberic.*

Clare hic ostendit, primo Paniam à Pane, deinde & *Spaniã* vocatã. In vsu etiã fuisse postremũ hoc nomẽ, testis est vetus Iuuenalis Scholiastes ad Saty. 12. vbi *Spaniã Bæticã*, pro Hispania Bætica vocat. Idẽ docet multæ eruditionis Ambrosius Moralis, notis suis ad D. Eulogiũ Cordubensem. Facem hoc loco mihi præfert Plutarchus, ad illustrandũ Stephani Byzantini locum, libro de vrbibus. Vidit illum diligentissimus Abrahamus Ortelius, sed corruptum præteriit, cuius verba sunt in dictione *ἱσπανίαι: ἱσπανίαι, δύο τῆς ἰταλίας ἐπαρχίαι, ἡ μὲν μεγάλη, ἡ δὲ μικρά. ἐκλήθη δὲ καὶ ἰβηρία καὶ παννώνια.* Id est: *Hispaniæ, duæ sũt Italiæ præfecturæ, maior & minor, vocatur etiam Iberia, & Pannonia.* Sed quis vnquam quæso, HISPANIAM, P*annoniam* dictam scripsit? quę tantum ab hac nostra,

Quantum Hypanis Veneto distat ab Eridano.

Apage ergo hanc vocem, quam nec per somnium quidem auctor scripsit, & eius loco substitue audacter *πανίαν* HISPANIAM scilicet, olim dictam Iberiam & Paniam. Quod cum imperitis non arrideret, litterarum, *Non*, interiectione *Pannoniam* effinxerunt. Ioannes etiam Goropius Becanus lib. IIII. rerum Hispanicarum luculente satis docet, HISPANIAM primo fuisse dictam *Paniam*, & postea syllabæ, *His*, adiectione *Hispaniam*: quod Cimmeria seu Teutonica lingua, *occiduam Paniam* significat, ad discrimen Orientalis Paniæ, quæ Hesychio teste, Peloponnesus erat. Et cum constat Italiam olim *Saturniam* dictam, in Saturni memoriam, & *Latium*, quod in illa latuerit, quis mirabitur HISPANIAM in Panis Dei honorem, *Paniam* olim dictam? præsertim cum & ipse Stephanus, Arcadiam *πανίαν* quondam vocatam referat. Dicta etiam *Hesperia*, vel ab Hespero Rege, Atlantis fratre, vel potius ab *Hespero* Stella, quæ ibi primo conspicitur. Sed non simpliciter *Hesperia* dicta, vt Italia; sed, vt docet Isidorus lib. XIV. cap. IIII. *Vltima Hesperia.* Vnde Horatius lib. I. carminum oda XXXVI.

Qui nunc Hesperia sospes ab vltima.

A Lucano tamen, citra vllam adiectionem, vocatur *Hesperia*:

Qui ferit Hesperiam post omnia flumina Bætis.

Diodoro vero Siculo lib. VI. Bibliothecæ, & Appiano Alexandrino *Celtiberia*, à præpotente Celtiberorum populo. A Græcis vero passim *Iberia* dicitur, ab *Ibero* fluuio, vt Ste-

vt Stephano Byzantino placet, vel ab *Ibero* Tubalis filio, vt Pſeudo-beroſo & nugatori Annio Viterbienſi; ſed vero propius eſt, ad *Iberis* Aſiæ populis, qui in Hiſpaniam venere (ſi Varroni apud Plinium fides habenda) amni & regioni nomen inditum eſſe: licet Dionyſio Alexandrino aliter viſũ ſit, nempe Orientales Iberos, ab Hiſpanis ortum & nomen ſumſiſſe, quod & Euſtachio eius Cõmentatori, & Nicephoro Calliſto Eccles. Hiſtoriæ Lib. VIII. Cap. XXIIII. perſuaſum video. Auctor eſt Strabo ſub finẽ libri tertii olim Hiſpaniæ incolas, *Igletas* vocatos fuiſſe: qua de cauſa, me prorſus fugit, niſi cum Cl.mo Cauſabono placeat *Gletas* ſubſtituere. Teſte enim Stephano. Γλῆτες ἔθνος ἰβηρικὸν μετὰ τοὺς κυνήτας. Id eſt: *Populus Hiſpaniæ apud Cynitas*: qui, eodem teſte, & *Cyneſii* vocantur, erantque ad Oceanum circa Herculis Columnas, vnde & *Cyneticum promontorium*: quod Ortelius non procul à Sacro collocat. Non multum ab his diuerſus Feſtus Auienus in Iambis, niſi quod Anam amnem per Cynetas dicat fluere:

Anna amnis illic per Cynetas effluit
Sulcatque glebam.

Vnde, vt in aperto eſt, hos populos in confinio Luſitaniæ & Bæticæ olim fuiſſe, ita etiã æque obſcurum quinam illi fuerint.

Cap. II.

Hispaniæ *ſitus, & figura. Diuiſio eius ſæpe mutata.*

Extrema terrarum ad ſolis occaſum eſt Hiſpania, quæ naturæ ſollertis ingenio, vel ut alter orbis, partim Pyrenæis montibus, partim Oceani æſtibus, & Tyrrheni maris littoribus coronata includitur. Corio bubulo humi protenſo comparatur. Straboni lib. III. Iuſtino lib. XLIV. prope quadratę eſt figuræ: Paullo vero Oroſio lib. I. cap. II. & Æthico in Coſmographia ſua trigona eſt: cuius longitudo, auctore Strabone, ſex millia ſtadiorum, latitudo quinq; millia complectitur, vt maximum. Appiano autem Alexandrino in Ibericis, tam longitudine quam latitudine ſua decem millia ſtadiorum explet. Plinius non multum ab Appiani calculo diſcedit, nam mille & octuaginta duo M. P. habere in longitudine oſtendit: latitudo inæqualis eſt.

In duas primum diuiſa prouincias, *Citeriorem & Vlteriorem*, ſeparante vtramque nobiliſſimo amne Ibero. Strabo in *Exteriorem & Interiorem* à Romanis diuiſam dicit. Commodius tamen interpres poterat, ſeruaſſe Romanorum nomina, tam ex illorũ mente dicit Hiſpaniam diuiſam in τὴν ἐκτὸς ἐν τὴν ἐντός, cui ad amuſſim quadrant *Citerioris & Vlterioris* appellatio.

Stephanus vero Byzantinus in *Maiorem & Minorem*, quarum hæc *Vlterior*, illa *Citerior* commode dicetur. Labente tamen æuo, & prouinciarũ terminis mutatis, tres effectæ ſunt, *Vlteriore* in Bæticam, & Luſitaniam diuiſa; *Citerior* vero etiam *Tarraconẽſis* nuncupata, à Tarracone vrbe primaria. *Bætica* quidem à ſeptentrione clauditur Ana fluuio; ab occaſu Atlanticum; à meridie Balearicum proſpectat mare (quod eſt inter fretum Herculeum, & Charidami promontorium, vulgo *Cabo de Gata*;) ab oriente terminatur linea ducta ab hoc promontorio per Caſtulonem, ad Anam vſque flumen. Luſitaniam terminat à ſeptentrione amnis Durius (qui eam à Tarraconenſi diuidit;) à meridie Anas amnis à Bętica eam ſeparat; ab occidente Atlantici Oceani ea parte, quę inter Anæ & Durii oſtia eſt; ab oriente Tarraconenſi prouincia diſtiguitur. *Tarraconenſis* autem Prouincia à Septentrione in Oceanum Britannicum, ab Oeaſone promontorio (quod Mario Aretico *Cabo Preton*, aliis *Fonterabia* eſt) ad Nerium promontorium vſque, vulgo *Finis terræ*; ab occaſu in Oceanum Atlanticum, à dicto promontorio ad oſtium Durii amnis excurrit; à Meridie Luſitania, & Balearici maris ora; ab Oriente Pyrenæis montibus includitur. His tribus Hiſpaniæ prouinciis duæ ſunt additæ, Cõſtantini Magni tempore, vt cum Ioanne Magarino Gerundenſi Epiſcopo, antiqua Hiſpaniæ teſtantur Concilia. Cathaginenſis nempe, & Gallætia; ſed non ſatis exacte. Nã è Sexto Aurelio Victore colligit recte Onufrius Panuinius, ſub Hadriano Imperatore in VI. Prouincias diuiſam, vt refert & Sextus Rufus, & Iſidorus, in *Tarraconenſem, Carthaginenſem, Luſitaniam, Gallæciam, Bæticam*, & trans freta Africæ *Tingitaniam*, liber etiã Notitiarum Imperii ſeptimam addit, *Inſularem*: quod demum ſub magno Conſtantino accidiſſe, idem aſſerit exactiſſimus Romanæ Hiſtoriæ ſcrutator Panuinius. Superiori vero æuo diuiſa erat in XII. regna *Legiones, Caſtellæ antiquæ & nouæ, Aragoniæ, Portugalliæ, Nauarræ, Granatæ, Valentiæ, Toleti, Gallæciæ, Algarbiorum, Murtiæ*, Cordubæ. Ex quibus priora quinq; maioris famæ nominiſq; fuere; quæq; continuam Regum ſeriem habuerunt.

Cap. III.

Fabula de priscis HISPANIÆ *Regibus exploditur. Berosus, & Annius Viterbiensis reiiciuntur.*

Cvm passim Hispanicarum rerum Scriptores de primis HISPANIÆ Regibus multa tradant, pretium operæ fore credidi πάρεργον hoc adtexere, & ab duo hoc commentum refellere. Ferunt enim vnanimi consensu, Tubalem post cataclysmum vniuersalem, in HISPANIAS traiecisse, suique nominis vrbes condidisse *Setubalem*, & *Tudellam*; postea & Noemum hisce litoribus appulsum, *Noelam* in Gallæcia, & in Asturia *Noegam* exstruxisse: à Tubale longam Regum seriem fluxisse, nempe Iberum, Idubedam, Brigum, Tagum, Bætum, Sicorum, Sicanum, aliosq; quos recensere molestum esset. Huius choreæ, & fabulæ præsultor fuit Ioannes Annius Viterbiensis, homo non religiosissimæ fidei; illum secuti ceteri.

—— sicut grex totus in agris
Vnius scabie cadit & porrigine porci.

Is Berosum Chaldæum primus in lucem dedit, & Commentario illustrauit, qui non solum de Chaldęorum, sed totius pœne orbis primordiis, Regibusq; agit. Sed nihil hęc cum Beroso illo, quem Athenienses χρυσόγλωττον vocarunt. Nam cum is ante Alexandri Magni æuum vixerit, quo non solum Chaldæis, sed & Græcis Europæ res, & præcipuè HISPANIÆ, in occulto erant, multisq; demum post seculis latuerunt, donec victricibus Romanorum armis orbis passim detectus, & per commercia coniunctus fuit. Vnde ergo Beroso tam immenso terrarum spatio ab HISPANIA remoto, tanta illius Prouinciæ notitia contigit? sed demus hæc illi diuinitus fuisse cognita: cur posteriorum nemo Scriptorum, ad quos Berosi opera peruenerunt, horum meminit Regum? cur hoc ab Eusebio præteritum in Chronicis? Nihil agitis: puræ putæ nugæ sunt; nec genuini solùm hoc esse Berosi opus ausim inficiari, sed Annii potius Viterbiensis, aut alicuius malè feriati commentum credo: cui sub specioso hoc titulo posteritati illudere lubido fuit, ratus posteros omnes ita fungos fore, vt lupinos hos ab ęre nescirent discernere.. Sed quis tam modesti splenis est, dũ Hispanica nomina à Chaldæo homine audit è medio Latio peti, vt non risu diffluat: nec Lucilianus ille Crassus hoc sibi imperabit. Anne aliquid ineptius, vel audaciùs dici potest, quam *Setubalem* à Tubale conditam, qui nunquam Hispaniæ pedem intulit, sed apud Ponti accolas Iberos habitauit? Nec *Setubalis* nomen Latino cælo aut fido alicui Scriptori notũ, nisi sub Cætoprigis nomine, vt fusius suo loco patebit. An ideo dicemus *Noegam* aut *Noelam* à Noe fundatam, quia vocis aliqua affinitas intercedit? Sic Iberum Tubalis filium fabulantur, à quo postea amni, & toti prouinciæ nomen impositum: cùm constet ab Asiaticis Iberis hoc nomen emanasse. Sic Brigum Regem somniant, quia multæ in Hispania vrbes in Briga desinunt, vt *Segobriga*, *Flauiobriga*, *Mirobriga*, quod idem ac Germanis *Burgum*, & Gallis *Dunum*, vt *Augustodinum*, *Nouiodunum*. Sed piget his diutius immorari ineptiis, quare

—— ne me Crispini scrinia lippi
Compilasse putes, verbum non amplius addam.

Pręsertim vero cũ Becanus noster, & Caspar Barrerius, dudum personam huic Pseudo-Beroso detraxere, multaque vero Beroso contraria habere ostenderunt, Quare auctor sim, vt cum interprete suo Annio

Aut Vticam fugiat, aut vnctus mittatur Ilerdam.

Sufficiant hæc de fabulosis HISPANIÆ Regibus: de veris verò Regibus, mirum, quam altum vbique silentium, & paucorum admodum nomen vel fama superest. Refert Iustinus *Gargorim* quendam vetustissimum Tartessiorum Regem fuisse, qui mellis colligendi vsum primus inuenit, huic ex filiæ stupro nepos successit *Habis*, per admirabiles casus, & stupenda pericula diuinitus seruatus, non secus ac Romæ conditores. Hic populum legibus iunxit, & ex agresti ciuilem effecit: quo mortuo, regnum per multa secula à successoribus eius retentum est. Macrobius etiã *Theronis* meminit, Citerioris Hispaniæ regis. Mitto de Arganthonio & Geryone dicere: qui in Bæticæ angulo imperarunt, quia noti omnibus. Mandonius & Indibilis, etsi eos loquantur Historiæ, inter regulos potius & dynastas, quam inter Reges numerandi sunt.

CAP. IV.

Varii Hispaniæ incolæ: Romani variè illam rexerunt, per Procoss. Prætores, Legatos, Vicarios, Comites, Præsides.


Arios venisse in HISPANIAM populos, tamquam ad asylum aliquod; narrant historiæ: quorum nonnulli auitis sedibus pulsi, vt Phocenses, Rhodii, &

——Teucer Salamina, patremque
Cum fugeret.

Alii abundante multitudine, patriæ graues huc Colonias deduxêre, vt Celtæ. Aliqui verò prouinciæ opibus, & fertilitate allecti, & mercimonii caussa hic sedes fixêre: vt Phænices, Tyriiq;. Mirum est quod Anneus Seneca scribat Germanos in Hispaniam venisse consolatione ad Heluiam. *Pyreneus Germanorum transitum non inhibuit, per inuia, per ignota versauit se humana leuitas: liberos coniugesq; & graues senio parentes traxerunt.* Sed quo tempore id acciderit, nemo est qui tradat; penes auctorem sit fides.

Imperii verò cupidine, primi Carthaginenses; postea & Romani in illam traiecere, & tamquam pro Helena aliqua pugnantes mutuis illam cladibus nobilitarunt. Caussam, cur primùm in HISPANIAM Carthaginenses venerint, aperit Iustinus. lib. XLIV. *Gaditani*, inquit, *cùm à Tyro, vnde & Carthaginensium origo est, sacra Herculis per quietem iussi in* HISPANIAM *transtulissent, vrbemq; ibi condidissent, inuidentibus incrementis nouæ vrbis finitimis* HISPANÆ *populis, ac propterea Gaditanos bello lacessentibus, auxilium consanguineis Carthaginenses miserunt: ibi felici expeditione, & Gaditanos ab iniuria vindicauerunt, & maiorem partem prouinciæ imperio suo adiecerunt. Postea quoque, hortantibus primæ expeditionis auspiciis, Amilcarem Imperatorem cum magna manu ad occupandam prouinciam miserunt: qui magnis rebus gestis; dum fortunam inconsultiùs sequitur in insidias deductus occiditur.* Occasione verò Saguntini excidii, traiecêre in HISPANIAM Romani; qui variè & inæqualiter illam administrarunt (nam de Carthaginensium imperio nihil, quod sciam, posteris transmissum.) Primus autem P. Scipio deuictis Carthaginensibus, in Prouinciam redegit HISPANIAM, vt ex T. Liuio, & Appiano in Ibericis est colligere. Per Procoss. administrata primùm à primis Scipionibus, ad Corneliũ Lentulum, & L. Stertinium, qui anno ab V.C. IↃLV. Procoss. creati sunt. postea verò Prætores Prouinciam obtinuerunt: C. Sempronius Tuditanus Citeriorem: M. Heluius Vlteriorem, anno ab V. C. IↃLVII. quo tempore primùm VI. Prætores creatos; crescentibus Prouinciis, & latè diffuso imperio Rom. testis est T. Liuius lib. XXXII. Anno verò IↃLIX. gliscente bello, præter duos Prætores consulari duce & exercitu opus fuit, missusq; M. Porcius Cato Cos. Pro mole verò belli nunc Prætores, nunc Proconsules, nunc Consules prouinciam administrarunt, vt cuiq; obuium erit legenti Romanas Historias: vnum sit multorum instar exemplum. Bello, quod aduersus Sertorium gestum est, Q. Metellus Procos. & Cn. Pompeius Quæstor cum potestate consulari missi sunt, vt refert Liuii Epitome lib. XCI. Ipse etiam Pompeius HISPANIAM per Afranium, & Petreum legatos administrauit. Augusti verò Cæsaris imperio, *Bætica* S.P.Q.R. commissa fuit: *Tarraconensis* & *Lusitania* Cæsari seruatæ sunt, teste Dione lib. 43. Tiberii verò Cæsaris æuo, teste Strabone lib. 3. plebis nomine, in *Bæticam* Prætor mittebatur, qui Legatum & Quæstorem habebat, in reliquam verò prouinciam Cæsar duos mittebat legatos, Prætorium, & Consularem. Prætorius quidem ius dicebat *Lusitaniæ*: Consularis verò vniuersæ *Tarraconensi* imperabat, qui secum tres legatos habebat, quo commodiùs vastæ illi prouinciæ ius diceret. Appianus de bello Hispaniensi, à Dione & Strabone diuersus abit. Ab eo tempore, inquit, (quo Cantabros Augustus vicit) Romani Iberiam quæ hodie Hispania dicitur, in tres partes diuidere incepisse mihi videntur, in quarum duas, annuos magistratus Senatus mittit, in tertiam vero Præsidem Imperator. Mutatum tamen & hunc morem sub ipso Tiberio refert Tacitus lib. IV. Annalium, cùm dicat Vibium Serenum Procos. vlterioris Hispaniæ fuisse, quæ dignitas ad Gratiani Imperatoris tempora durauit, eiusq; demum æuo desiisse videtur, vt apud Sulpitium Seuerum lib. 2. Sacræ historiæ videre est. Vltimumq; fuisse Proconsulem Voluentium notat: in cuius locum vicarius substitutus fuit, *nam iam Proconsulem habere desierat*, vt ait. Postmodùm verò nunc Præsidum, nunc Comitũ, nunc Vicariorum nomen viguit. Sextus verò Rufus suo æuo dicit *Bæticam* & *Lusitaniam* Consulares fuisse prouincias, *Tarraconensem* verò Præsidialem.

CAP. V.

HISPANIÆ *laus à salubritate, fertilitate. Variæ metallorum sectura. Immensæ opes.*

DE nomine, situ, & diuisione HISPANIÆ hactenus: æquum nunc est de natiuis eius bonis, & largitricis naturæ opibus dicere, ne, vt Amyclæ olim, silentio pereant. C. Plinius, vltimis verbis vasti sui operis, Italiâ exceptâ, totius orbis primam laudem HISPANIAE defert. Decumanum hoc testimonium, & præiudicatæ auctoritatis sit ad instar. Sed lubet singula inquirere, ne à fauore potiùs, quàm merito emanasse hoc quis putet. An cæli temperiem quæris? tota ea vitalis, ac perennis salubritatis est, adeò vt beatorum hîc felices sedes, & Elysios campos Homerus statuerit, Strabone teste. Quippe nec violento æstu excoquitur, aut nimio frigore tellus aduritur, non ventorum procellis, aut graui paludum nebulæ obnoxia; sed aura est suda serenaque fontium copia, nemorum frequentia, montium articulis, & portuosis litoribus egregiè ornata. At de soli forsan felicitate dubitas? *In omnia*, inquit Iustinus *frugum genera secunda est adeo, vt non ipsis tantum incolis verum etiam Italiæ vrbique Romanæ, cunctarum rerum abundantia sufficiat.* Olei vero mellisque, & vini non abundans modo sed & prodiga. Lina, & nobilia pecoris vellera; vbi gentium meliora?

Nec varios discit mentiri hic lana colores
Ipse sed in pratis aries iam suaue rubenti
Murice, iam croceo commutat vellera luto.

Martialis hoc diserte libro IX. Epigr. LXII.

Vellera natiuo pallent vbi flaua metallo,
Et linit Hesperium bractea viua pecus.

Equorum verò tam pernices alit greges, vt non frustra vento conceptos antiquitùs creditum sit. *Nihil deniq; in ea otiosum*, ait I. Solinus, *nihil sterile quidquid cuiuscumque modi negat messem, viget pabulis, etiam quæ arida sunt ac sterilia, rudentum materiam nauticis subministrant.* Dicam cum Marone, sed dicam verè:

Hæc loca, non tauri spirantes naribus ignem
Inuertere, satis immanis dentibus Hydri:
Nec galeis, densisq; virum seges horruit hastis:
Sed grauidæ fruges, & Bacchi Maßicus humor
Impleuere: tenent oleæ armentaque læta.
Hinc bellator equus campo sese arduus infert.

Summæ hæc telluris bona & in aperto sunt; sed & operta eius viscera recludere, & scrutari lubet. Mirabere tam variis, & multiiugis passim diuitiis fetam. Strabo lib. IIII. Aurum, argentum, æs, ac ferrum nullibi terrarum, neq; tantum, neq; tam probatum generari est auctor. vnde vt lepidè ità, & verè Posidonius refert, loca subterranea hîc non à Plutone, sed ab opulentiæ Deo Pluto incoli. Plinius etiam lib. III. cap. III. *Metallis*, inquit, *plumbi, ferri, æris, argenti, auri tota fermè* HISPANIA *scatet. Citerior & specularibus lapidibus. Bætica & minio. sunt & marmorum lapicidinæ.* Magna hæc sunt, sed maius multo, quod præter Diodorum Siculum lib. VI. Bibliothecæ, refert Aristoteles, lib. de mirandis auditionibus: Phœnices tantam auri, argentique copiam ex HISPANIA asportasse, vt, cùm onustis nauibus argentum superaret, ex ipso anchoras conflauerint. Sed tam inexhausta erat argenti copia, vt asserat Strabo, Carthaginenses duce Barca (*Amilcare* forsan) in Turdetania Hispanos inuenisse vtentes præsepibus & doliis argenteis. Scio V. CL. Isaci Casaubonum per vocem φάτνη *laquearia domus* accipere, & non *præsepia*: vtrumque tamen immensam, & pœnè fastiditam argenti copiam ostendit. Sed de fide dubitabit non nemo, & dilutæ auctoritatis hæc queretur: videat quid Plinius dicat lib. XXXIII. cap. IV. *Vicena millia pondo [auri] ad hunc modum singulis annis Asturiam, atq; Gallæciam, & Lusitaniam præstare quidam tradiderunt, ita vt plurimum Asturia gignat, neq; in vlla parte terrarum, tot seculis hæc fertilitas.* Sed quota hæc HISPANIÆ pars? quid vniuersam præstitisse dices? & ne videar, instar rorarii militis, eminus tantùm tela spargere, lubet collato pede rem gerere, & per ipsas Romanorum triumphales prædas ire, vel ipso T. Liuio ductore. Iuuabit vidisse tot Iasones ad auratam hanc prædam confluxisse, & tot spoliis auctos rediisse. P. Corn. Scipio, primus quod sciam, argenti pondo quatuordecim millia, trecenta quadraginta duo, & signati magnum numerum ærario intulit. L. Lentulus quadraginta quatuor millia argenti, auri

auri verò bis mille quinquaginta pondo, præter pecuniam militibus diuiſam. Corn. Lentulus, & L. Stertinius eodem pœne tempore, argenti ſeptuaginta millia, auri mille quingenta pondo. M. vero Heluius argenti infecti quatuordecim millia, ſeptingenta triginta duo pondo, ſignati pigatorũ ſeptemdecim millia, viginti tria, Oſcenſis argenti centum viginti millia, quadringenta triginta octo, ex vlteriore Hiſpania aſportauit. C. Minuci⁹ ex citeriore, triginta quatuor millia octingenta argenti, bigatorum ſeptuaginta octo millia, argenti Oſcenſis ducenta ſeptuaginta octo millia ærario intulit. Et cui cupido ſingulos triumphos colligere, ipſum Liuium conſulat, & in aceruum contrahat triumphales has manubias, videbit exiguo annorum ſpatio populum Rom. deprædatum fuiſſe ſupra ſexcenta millia argenti infecti pondo, argenti verò Oſcenſis quadringenta millia, auri verò circiter decẽ millia, ſignati verò infinitam copiam. Mitto nunc ducum militumque rapinas, donatiua, ſtipendia, quæ dubio procul ſummam hanc multo ſuperant. Et ex hoſtica hæc. Quid ex pacata prouincia opum illis veniſſe cenſebimus? vel vnus Plinii locus ſufficiet, qui lib. XXXIII. refert ſuo adhuc æuo per Hiſpanias duraſſe ab Hannibale inchoatos puteos, ex quib. qui *Bebelo* vocatur, CCC. Annibali pondo in diem ſubminiſtrauit, quæ Budæi calculo tria aureorum millia efficiunt. Potiori certè iure Auream meſſem quis HISPANIAM, quam cum Stratocle aut Dromoclida tribunal vocabit: vbi pace, belloq; tanta opum ſeges indies ſuccreſceret, adeo vt iure de illa animoſus Poeta Claudianus cecinerit, lib. de laudibus Serenæ:

Quid dignum memorare tuis HISPANIA *terris*
Vox humana valet? primo lauat æquore ſolem
India: tu feſſos exacta luce iugales
Proluis, inque tuo reſpirant ſidera fluctu.
Diues equis, frugum facilis, precioſa metallis,
Principibus fœcunda pijs.

Sed hoc laudis agmen mihi claudant, Latini Pacati Drepani, Panegyrico ſuo ad Theodoſium Auguſtum, verba: *Sint vt ſcribitur, Gargara prouentu læta triticeo, Mæuania memoretur armento, Campania cenſeatur monte Gaurano, Lydia prædicetur amne Pactolo, dum Hiſpaniæ vni, quidquid vbique laudatur, aſſurgat: hæc duriſſimos milites, hæc expertiſſimos duces, hæc facundiſſimos oratores, hæc clariſſimos vates parit: hæc Iudicum mater, hæc Principum eſt.* Priſca etiam numiſmata luculente HISPANIÆ dotes loquuntur. in Hadriani enim Imp. nummo depingitur fæmina ſedens cum oleæ ramo, & cuniculo ad pedes, olei vbertatem & cuniculorum frequentiam denotans: vel, vt ſuſpicor, non abſurde, ob metallorum vberes ſecturas, quæ cuniculis ſub terram aguntur. Vnde Catullus vocat *Celtiberiam cuniculoſam.* Galbæ vero Imp. nummus refert fœminam militariter ornatam: quæ clypeum & bina iacula ſiniſtra, dextera vero ſpicas frumenti geſtat, vt bellacem, fertilemq; ſimul deſignet prouinciam. Sed vnde tantum à priſca fertilitate degenerauit? an occulti aliqui & noxii ſiderum poſitus genitalem telluris vim infecere? an effeta & laſſa terra inani ſpe agricolas lactat? neutrum ego in cauſſa putem. Æque enim ac priſcis ſeculis, in omnia frugum genera fæcunda eſt. Sed deeſt induſtria. nam cum natura ſua in arma magis, quam aratra propenſi ſint Hiſpani, per longinquas in vtramq; Indiam expeditiones, & continuata bella, exhauritur iuuentus. Hinc agricolarum infrequẽtia; hinc agri neglecti potius quam ſteriles cernuntur. Nec deſierunt hic metalla; ſed Regum interdicto, HISPANIÆ parci nunc iubetur, donec India theſauros ſuos ſuppeditat.

CAP. VI.

INCOLAE BELLICOSI. DIVTISSIME ROMANIS reſtiterunt. Fideles. Hoſpitales. Literis dediti.

SVfficiat modo, folia hæc aut vmbras potius laudis, pendente manu attigiſſe. Sed quibus ſe vere iactat Hiſpania, nunc dicenda. Incolarum virtutes & ingenia, quæ domi foriſque egregie conſpicua, in bellum tamen & arma magis propenſa: adeo vt plurimis, Iuſtino auctore, *militares equi & arma, ſanguine ipſorum cariora ſint.* Ideo aſſueti

Nec vitam ſine Marte pati: quippe omnis in armis
Lucis cauſſa ſita, & damnatum viuere paci.

Veriſſimũ hoc Silii dictum memorabili exemplo confirmarunt, dum M. Portius Cato quorundam rebellione ictus, arma omnibus cis Iberum Hiſpanis ademit, quod adeo ægre paſſos ſcribit Liuius, vt multi mortẽ ſibimet ipſi conſciuerint, *nullam vitam ſine armis rati.* L. Florus ideo *Bellatricem, viris armiſque nobilem, ſeminarium hoſtilis exercitus, & Hannibalis eruditricẽ* appellat. Thucydides oratione, quã Alcibiades ad Lacedæmonios

habuit, Iberos pugnacissimos barbarorum vocat; nec de Ponti accolis ibi sermo (vt non nemo forsan suspicatur) sed de Hispanis nostris. Indicio est Siciliæ, & Carthaginẽsium cũ HISPANIA vicinitas, à qua altera Iberia nimis quam remota. Imp. vero Claudius, apud Trebellium Pollionem, HISPANIAM vna cum Gallia *Romani imperii vires* esse dicit: T. vero Liuius, *non quã Italia modo, sed quã vlla pars terrarũ bello reparando aptiorẽ locorum hominumque ingeniis* esse ait: quod non sine suo periculo & clade sensere Romani. Nusquã enim diutius & maiori mole certatum est, nec vlla prouincia tantum Romani cruoris hausit. *Per ducentos enim annos*, inquit Velleius Paterculus, *in hac multo mutuoque ita certatum est sanguine, vt amissis P. R. Imperatoribus, exercitibusque, sæpe contumelia, nonnunquã etiam periculum Romano inferretur imperio. Illæ enim prouinciæ Scipiones consumserunt; illæ contumelioso viginti annorum bello, sub duce Viriato maiores nostros exercuerunt; illæ terrore Numantini belli P. R. concusserunt; in illis turpe Q. Pompeii fœdus turpiusque Mancini Senatus, cum ignominia dediti imperatoris rescidit; illa tot Consulares, tot Prætorios absumsit duces, patrumque ætate, in tantum Sertorium armis extulit, vt per quinquennium, diiudicari non potuerit, Hispanis, Romanisne in armis plus esset roboris, & vter populus alteri pariturus esset.* Sed HISPANIÆ nunquam animus fuit, ait Florus, aduersus Romanos consurgere, nunquam conferre vires suas lubuit; neque aut imperare, aut tueri libertatem publice: alioquin ita vndiq; mari, Pyrenæoque vallata, vt ingenio situs nec adiri quidem potuerit; sed antea à Romanis obsessa est, quam se ipsam cognosceret, & sola omnium prouinciarum vires suas, postquam victa est, cognouit. Bellaces hos egregie fuisse, quis mirabitur? cum corpora hominum ad inediam, & laborem, animi ad mortem parati erant. ideoque in acie exultabant, tanquam gloriose vita excessuri: lamentabantur in morbo, tanquam turpiter & miserabiliter perituri. Nec defuere inuicto illi robori, & pugnaci animo, egregiæ pacis artes, & togæ decora. An fidem in Socios vel Principes quæres? nuspiam pœne sanctius culta. Testis ipsa Saguntus, vel maxime fidei infelix monumentũ: quæ, potius quàm à societate P. R. desisceret, publico & cõmuni rogo se concremauit. Celtiberi nefas esse ducebant superesse, cum is occidisset, pro cuius salute spiritum deuouerant. Hinc C. Iulius Cæsar teste Suetonio, stipatores sibi elegit Hispanos, & Augustus Cæsar Calaguritanorum cohortem habuit. In aduenas vero quam hospitales fuerint, luculente testatur Diodorus Siculus: *Aduenientes externos benigne hospitio excipiunt, adeo vt quadam æmulatione inuicem pro illorum honore certent: quos vero aduenæ sequuntur, hos laudant, amicosque Deorum esse putant.* Literarum verò studiis & sapientia omni æuo claruerunt. Auctor est Strabo Turdetanos Bæticæ populos sapientia excelluisse, & memorandę vetustatis volumina habuisse, & poemata ac leges à sex annorum millibus conscriptas versibus. Sed vetus hoc exemplum non nemo spernet. An & illud, ab vltimis Gadibus T. Liuii fama excitos Romam venisse Hispanos, vt illius aspectu fruerentur, cuius eloquentiam tantopere admirabantur? Ausim dicere Italia excepta, nullam prouinciam claris ingeniis magis fęcundam fuisse, nec plura doctrinæ lumina genuisse. Loquantur duo Senecæ, Columella, Lucanus, Martialis, Iulius Hyginus, Pomponius Mela, Auerroes, aliiq; sexcenti:

Quos aget penna metuente solui
Fama superstes.

Nec inter postrema eius ornamenta censendum puto, Vespasianum Augustum, teste Plinio, procellis reip. iactatum, vniuersæ HISPANIÆ ius Latii tribuisse, præsagus forsan, orituros hinc quandoque Imperatores: quorum auspicio & virtute, eneruatum luxu, & intestinis discordiis Imperium, pristinas vires resumeret, & lacertos iterum moueret. Testes Traianus, Hadrianus & Theodosius, nullis Principibus virtute vel fortitudine inferiores. Vnde merito Claudianus:

Sola nouum Latiis vectigal Iberia rebus
Contulit, Augustos. fruges, æraria, miles
Vndique conueniunt, totoque ex orbe leguntur:
Hæc generat, qui cuncta regant.

De religione quid attinet dicere? cum nuspiã pœne terrarũ plus sanguinis pro Christo sit effusum, nec purius alibi seruata, aut felicius in remotissimas orbis plagas propagata sit. Sed vberiori hæc dicenda essent stilo, mihi sufficiat leui hæc penicillo tantũ adumbrasse. Nunc institutum vrgeamus, ducto à Bætica initio.

CAP. VII.

CAP. VII.

BÆTICA

TVRDETANIA DICTA. MARTIANVS CAPELLA *emendatus. Oleis abundat. Minio nobilis.*


VT ceteras prouinciarũ, amœno cultu, & fertili nitore præcedit Bætica, ita etiam non immeritò ab illa mihi auſpicandum duxi. Nomen habet à fluuio eam mediam ſecante Bæti. Plinio etiam *vlterior* vocata, Straboni verò lib. 3. *Turdetania* etiam: *Regio ipſa, à flumine Bætica, ab incolis Turdetania vocatur*, à præpotenti ſcilicet Turdetanorum populo. Hodie verò potior eius pars *Andaluzia* vocatur, corrupto nomine, à Vandalis olim incolis. A ſeptemtrione, clauditur Ana fluuio; ab occaſu, Atlantico Oceano; à meridie, mare Balearicum; ab oriente, linea ducta per Caſtulonem ad Anam vſque terminat. Aliter Strabo diuidit. Anas ad ſeptentrionem & occaſum terminat: ad ortum autem nonnulli Carpetanorum & Oretani; ad Meridiem vero ex Baſtetanis qui intra Calpen & Gades littus anguſtũ incolũt. Eius longitudo, à Caſtulone Gades vſq; teſte Plinio, ex ſententia M. Agrippæ, in CCCCLXXV. M. P. erat porrecta, latitudo verò eius à Carteiana ora CCXXIV. M. P. Diuerſus à Plinio eſt Martianus Capella, qui lib. VI. *Eadem verò* [*Bætica*] *longitudinis dimenſione diſtenditur à Caſtulonis oppidi fine, in Gaditanum oppidum*, CCL. *M. P. amplior æſtimatur, latitudo quoque in* CCXXIV. *M. P. excurrit.* Sed craſſior hic error eſt, quàm vt excuſari poſſit. paulò enim inferiùs refellit perperam M. Aprippam: qui citerioris Hiſpaniæ longitudinem patere in CCCCLXXV. M. P. dicit, quod de Bætica Agrippam dicere ex Plinio patet. Iuridicos in ea quatuor conuentus, *Gaditanum, Cordubenſem, Hiſpalenſem*, & *Aſtigitanum* recenſet Plinius. Fœdè hic iterum deprauatus Martiani Capellæ codex, qui duos tantùm agnoſcit *Gaditanum* & *Cordubenſem*. Malim certè codicem vtrobique accuſare, quàm docto Afro inſcitiæ notam inurere. Regio ipſa omnigena frugum copia mirè luxuriat, ſiue vinearum prouentus, ſiue arborarios fructus requiras. Oliuetis verò vnicè diues eſt, quod Plinius teſtatum reliquit lib. XVII. cap. XII. *Bætica*, inquit, *vberrimas meſſes inter oleas mittit*: & lib. XV. cap. II. poſt Italiam, inter Iſtriam & Bæticam, dicit par certamen de olei laude. vnde & Statius Papinius Silu. lib. II.

Quæ Tritonide fertiles Athenas
Vnctis Bætica prouocas trapetis.

Cumque omnium ferax ſit, tum vel præcipuè inexhauſta & diuiti metallorum vena ſcatet. Sed minio inter cetera felix, maximæ olim apud Romanos auctoritatis: indicio eſt cura diligentiaque, qua illud ſeruabant. vnde Plinius lib. XXXIII. cap. VII. *Celeberrimum* [*minium*] *ex Siſaponenſi regione in Betica miniario metallo, vectigalibus populi Romani, nullius rei diligentiore cuſtodia, non licet id ibi perficere excoquique: Romam perfertur vena ſignata, ad dena millia ferè pondo annua.*

Vrbium etiam frequentia regionis felicitatẽ pandit. nam, teſte Plinio, CLXXV. Strabone verò CC. memorabantur: quarum fama celebriores, quæ ſuper amnes extructæ aut æſtuariis adiacent: ad hæc litora vndique portuoſa, oraſque habet patentibus gremiis commercio aptiſſimas. Auræ hic ita leues, annique tempeſtates adeò mites, vt non fruſtra antiquitas hac potiſſimum Hiſpaniæ in parte elyſios campos eſſe crediderit. Sed Bæticæ illa pars, quæ Anam inter & Bætim amnes porrigitur, vt ſoli felicitate & vbertate à Bætica ſuperatur, ita etiam mutato nomine *Bæturia* vocatur, in duas olim diuiſa partes totidemque gentes, teſte Plinio, *Celticos*, qui Luſitaniam attingunt, Hiſpalenſis conuentus, & *Turdulos*, qui Luſitaniam & Tarraconenſem accolunt, iura Cordubam petebant. Hodie pleriſque *Eſtremadura* dicta. Ioanni verò Geneſio Sepuluedæ doctiſſimo viro, *Petroche*, à petrarum, quæ ibi viſuntur, frequentia, vocatur. Strabo macræ eſſe telluris regionem hanc, & immenſæ ſiccitatis tradit.





CAP. VIII.

BAETICAE NOBILIORES POPVLI. TVRDVLI. Turdetani, & ὄντως iidem. Bastuli, Bastitani & Basetani dicti. Appianus emendatus. Cunei.

TVRDVLI.

PRiusquam ad Bæticæ vrbes se flectat oratio, non inutile erit, nobiliores olim prouinciæ populos in medium producere, vt, quorum sparsim mentio incidet, iuuet illos semel & vno obtutu cognoscere. Primi & magis illustres occurrũt *Turdetani* (qui & Bæticæ Turdetaniæ nomen dedere) iidem & *Turduli* vocantur: licet Polybius apud Strabonem, eos diuersos faciat & Turdulos finitimos esse Turdetanis ad septemtrionem dicat: T. autem Liuius lib. XXXIV. & Strabo nullum inter eos discrimen statuunt. Stephanus vero Byzantinus ex Artemidori sententia Turdetaniæ incolas πούρτες, καὶ τυρτυτάνες vocat. Ptolemæus inter Turdulos & Turdetanos discrimen ponit & confinia. nam Turdetanos dicit Lusitaniam attingere, Turdulos vero Tarraconensem. Plinius vero vtrosque *Turdulos* vocat his verbis: *Turduli, qui Lusitaniam & Tarraconensem accolunt, iura Cordubam petunt.* Liuius vero citato loco ait: *Omnium Hispanorum, maxime imbelles habentur Turdetani; freti tamen multitudine sua, obuiam ierunt agmini Romano.* & subdit statim: *Nec tamen ea pugna debellatum est: decem millia Celtiberum mercede Turduli conducunt, alienisque armis parabant bellum.* Vbi clarum est vtrumque nomen pro vno vsurpari. Auctor est Strabo, hos inter HISPANIÆ populos sapientia olim excelluisse, & litterarum studiis, leges quoque versibus à sex annorum millibus conscriptas habuisse. Incolebant olim potissima & mediterranea Bæticæ, & quasi totam Andalusiam, demtis maritimis.

BASTVLI.

MAritimam Bæticæ oram accolunt *Bastuli*, qui & *Bastitani*, seu *Basetani* vocantur. Strabo illos in ora illa, quæ Atlantico Oceano obuersa est, ad Anæ & Bætis ostia statuit: Plinius vero, non solam esse Bastulorum, sed & Turdulorum dicit. Cl. Ptolemæus eos *Pœnos* cognominat, ad discrimen forsan Bastitanorum, qui Tarraconensem inhabitant: an quia ora ea vniuersa originis Pœnorum est? vt Plinius ex sententia M. Agrippæ tradidit, & vt Pomponius Mela lib. II. cap. VI. *Transvecti ex Africa Phœnices habitant.* Hos ego *Bastulos* Pœnos esse opinor, qui mendose ab Appiano in Ibericis vocãtur βλαστοφοίνικες, cum potius βαστοφοίνηκες, vel βαστυλοφοίνικες deberent dici: quod vt asseram facit ipse Appianus. nam illorum originem ad Annabilem refert his verbis: οἷς, φασιν, Ἀννίβαν τ καρχηδόνιον ἐποικῆσαί τινας ἐκ Λιβύης καὶ παρὰ τοῦτο κληθῆναι βλαστοφοίνικας. Ita vt ex Bastulis indigenis & Phœnicibus, seu Pœnis aduenis nomen sit efformatum: ad quam forsan originem videtur Poeta Horatius allusisse lib. II. carm. oda II. vt bene obseruauit Abrahamus Ortelius

——quam si Libyam remotis
Gadibus iungas, & vterque Pœnus
Seruiat vni.

Vterque enim Pœnus est, qui & Africæ & Hispaniæ maritimam oram colunt. Et cum hi Pœnorum essent originis, mirum est, quod Strabo referat illos coniugia more Græcorum contrahere: ægrotos vero Ægyptiorũ ritu in plateis deponere, vt qui eo morbi genere tentati fuerint, illis simili remedio subuenire possint.

CVNEI.

INtra Herculis columnas degunt *Cunei*; teste Polybio lib. X. vbi refert Magonem hyemasse, quo tempore P. Corn. Scipionem in HISPANIAM traiecisse constat. Vocantur autẽ *Cunei* à vicino Lusitaniæ promontorio, quod *Cuneus* Plinio, Straboni vero in limine lib. 3. *ager Cuneus*, Græcis σφὴν dicitur. Mela vero lib. 3. c. 1. manifesto promontoriũ hoc etiã *Cuneũ agrũ* vocat: *Anæ proximũ [promontoriũ] quia lata sede procurrens, paulatim*

paulatim se ac sua latera fastigiat, Cuneus ager dicitur. Appianus in Ibericis magnæ vrbis, quam *Conistorgim* vocat, meminit inter *Cuneos* sitæ; quam refert à Cauceno Lusitano vi captam. Strabo vero in Celticis hanc vrbem recenset, & *Conistorsim* vocat. vnde colligere licet *Cuneos* illos olim fuisse circa Bæturiam, vbi postea Celtici populi ex Lusitania aduenæ sedes fixerunt. Ambrosius Morales credit illos eum tractum coluisse, vbi nunc *Nieblæ* comitatus est, cum adiacenti territorio.



CAP. IX.

GADES.

GADES VNDE DICTAE. OLIM APHRODISIÆ, Erythia, Cotinusa, Iunonis insulæ, & Tartessus *dicta. Frequens nobilitas, magna potentia. Multa de templo Gaditano. Finis olim nauigationis.*

INsula est ad Bętis ostia, qua Europa ab Africa dirimitur, & vnde Tyrrheni maris faucibus, Oceani æstus immittitur, angusto spatio à cotinenti, & veluti flumine abscissa, *Gades* vel *Gadira* dicta, eo quod videatur τῆς γῆς δειρά, id est, *Terræ collum*, vt refert Eustathius in Dionysium Alexandrinum: sed melius Hesychius, quod Phœnices *Gadira* περίφραγμα vocant, id est, *Septimentum*, vnde & Plinius lib. IIII. cap. XXII. *Pæni Gadira sua lingua sepem vocant*, eo quod mari vndique sit circumsepta. Plato vero in Atlantico, seu Critia dialogo, aliam nominis originem adducit: Neptunum ex Clitone, Euenoris & Leusippes filia, refert quinque geminos masculorum partus suscepisse, primogenitum vocasse *Atlantem*, vnde & pelagus *Atlanticū*; alterum vero eodem partu editum *Gadirum* vocasse, qui Græcis εὔμηλος, id est, *Diues ouium*, dicitur, sortitum extremas Atlanticæ insulæ partes; ad columnas Herculis, suo nomine *Gadiricum* locū nuncupasse. Duæ olim erant insulæ, nunc vnica tantum: variis olim nominibus dicta. ab Ephoro, & Philistide, referente Plinio, *Erythia*; à Timæo & Sileno *Aphrodisias*; ab indigenis vero *Iunonis* dicta. Dionysius Alexandrinus ante Tyriorum aduentum *Cotinusam* dictam ait, ἀπὸ τῶν κοτίνων; quod oleastris abundaret; Plinius vero à Timæo maiorem *Cotinusam* dictam refert; à Romanis vero *Tartesson*: cui adstipulatur Isacius Tzetzes, in Lycophronis Cassandram, qui scribit Tartesson insulam esse, & ciuitatem prope Herculis columnas: in qua Arganthonius regnauit. Ex Sallustio refert etiam Priscianus *Tartesium* esse, quæ Punica lingua *Gadir* vocatur. Idem Festus Auienus in descriptione ore maritimæ:

Hic Gadir vrbs est, dicta Tartessus prius.

Duæ in hac Insula olim erant vrbes, præter *Gaditanam*, teste Strabone: siquidem L. Cornelius Balbus, vir triumphalis, alteram exstruxit: quam *Neapolim* vocarunt, & ex ambabus tertia deducta, διδύμη dicta; Plinius vero Strabone posterior, vnius tantū meminit oppidi his verbis: *Oppidum habet ciuium Romanorum, quod appellatur Augusta vrbs Iulia Gaditana.* Sed cur *Ciuium Romanorum* vocet oppidum, caussam refert Dion Cassius lib. XLI. C. Iulium Cæsarem, pacata Hispania Gaditanos ciuitate Romana donasse; quam donationem deinde populus ratam esse iussit, atque ita eos somnii ergo remunerasse, quod quæstor ibi habuit. Visus enim sibi cum matre rem habuisse, atque inde rerum potiundi spem hausisse. Municipium vero olim fuisse ostendit vetusta inscriptio, quæ Medinæ Sidoniæ visitur:

M. ANTONIO. M. F. GARISIACO.
II. VIRI. MVN. AVG. GAD. D. D.

Eo vero incrementi paulatim, Romanorum amicitia, vrbs hęc peruenit, vt inter quatuor Bæticæ conuentus annumeraretur. Tiberii vero Cæsaris tempore ad tantæ potentiæ culmen euaserat, vt Strabo scribat lib. III. vno suo ætatis censu, equestris ordinis, Gaditanos viros, quingentos esse censos: quod in nulla Italicarum vrbium, præterquā Patauii, reperti sunt. Nobilissimam certe olim fuisse vrbem, vel ex eo liquet, quod Iuba Mauritaniæ Rex magni fecerit, huius vrbis se esse Duumuirum, teste Festo Auieno: cuius versus ex ora maritima lubet hic adtexere: loquitur de Gadibus:

At vis in illis tanta, vel tantum decus
Ætate prisca, sub fide rerum fuit:
Rex vt superbus omniumque præpotens
Quos gens habebat forte tum Maurusia,
Octauiano Principi acceptissimus,
Et litteram semper in studio Iuba
Interfluoque separatus æquore,
Illustriorem semet, vrbis istius
Duumviratu crederet.

Fidem vero potentiæ facit, quod Macrobius Saturnaliorum lib. I. cap. XX. refert: *Theron*, inquit, *Rex Hispaniæ citerioris, cùm ad expugnandum Herculis templum ageretur furore, instructo exercitu nauium, Gaditani ex aduerso venerunt prouecti nauibus longis, commissoque prælio, adhuc æquo Marte consistente pugna, subito in fugam versæ sunt regiæ naues, simulque improuiso igne correptæ conflagrauerunt. Paucissimi, qui superfuerant hostium, capti, indicauerunt apparuisse sibi leones, proris Gaditanæ classis superstantes: ac subito suas naues immissis radiis, quales in solis capite pinguntur, exustas.* Cicero etiam oratione pro L. Cornelio Balbo, refert Gaditanos, Romanorum Imperatores commeatu, pecuniaque sæpe iuuisse, & populum Romanum in annonæ caritate, suppeditato frumento leuasse. Quod permagni faciet, qui sciuerit quanto frumento Romana vrbs olim indigebat.

Inter celeberrima verò huius Insulæ opera templum erat Herculis, quo plures Romanorum duces, magnis rebus gestis vota soluturi ventitabant, vt auctor est Diodorus Siculus lib. VI. Hannibalem etiam refert Silius Italicus, priusquam in Italiam exercitum moueret, Gadibus vota exsoluisse. Hoc verò templum Herculi Ægyptio sacrum fuisse, testatur Pomponius Mela lib. III. cap. VI. Philostratus verò lib. V. De vita Apollonii Tyanæi scribit, duos ibi Hercules cultos fuisse, *Aegyptium*, & *Thebanum*, nullo prorsus intus simulacro, cæterum *Aegyptio* duas aras æneas, *Thebano* vnam tantùm erectam, iuxta quam duodecim Herculis labores conspicerentur, quod & Silius Italicus lib. III.

Sed nullæ effigies, simulacraue nota Deorum
Maiestate locum, & sacro impleuere timore,
In foribus labor Alcidæ.

Cur verò sanctum sit refert Mela Pomponius, *Templum*, inquit, *Aegyptii Herculis, conditoribus, religione, vetustate, opibus illustre, Tyrii condidere: cur sanctum sit, ossa eius ibi sita efficiunt: annorum, queis manet numerus, ab Iliaca tempestate, principia sunt: opes tempus aluit.* Eustathius refert in Dionysium Alexandrinum, ex Æliani sententia, Gadibus altare, *Anno* & *Mensi* dicatum, vnum videlicet breuiori tempori, alterum longiori: templumque *Senectutis* esse, quò reuereamur ætatem, quæ multa scit & dicit: & aliud *Mortis*, ad honorem communis omnium otii, vel eorum qui præter naturæ legem obierunt. Est etiam altare *Penuriæ* & *Artis*. Ars enim Penuriam profligat. Eadem ferè Philostratus, additque, illos solos hominum, festis cantibus mortem collaudare. In Herculis quoque templo, auream *Pygmalionis oliuam* fuisse, idem auctor est: cuius præcipua pulcritudo in fructuum opere erat, qui ex smaragdo erant, veris oliuis simillimi. Persuasum etiam antiquis, Gades τὸν ἔσχατον πλοῦν esse, seu finem nauigationis, & ab ipso quidem Hercule constitutum refert Suidas in dictione Γάδειρα. *Hactenus*, inquit, *progressus Hercules, cum ob sonitum & tenebras vlterius tendere non posset, columnas ab indigenis sumtas erexit, quibus significaret eo vsque peruiam esse terram & mare.* Vnde & Pindarus in Nemæis dicit Herculem columnas suas nauigationis terminum posuisse ode. III.

Ἥρως θεὸς ἃς ἔθηκεν
Ναυπλίας ἐσχάτας
Μαρτύρας κλυτάς.

id est, *Quas diuinus heros posuit nauigationis vltimæ testes claros.* Et clariùs ode IV:

Γαδείρων τὸ πρὸς ζόφον οὐ
Περατὸν ἀπότρεπε
Αὖτις εὐρώπαν ποτὶ
Χέρσον ἔντεα ναός.

Non esse

Non esse scilicet vltra Gadiram nauigandum, sed ad Europam esse reflectendam nauem. Sic & Silius Italicus lib. I.

Atque hominum finem Gades, Calpemque secutus.

Hac in Insula Geryonem vixisse, multorum fuit opinio, vt referunt Plinius & Solinus: nec iniuria. nam, Strabone teste, tanta hic pabuli est lætitia, vt pascentium pecorum lac non serescat, caseumque nisi multa affusa aqua non efficiant, &, ni menstruo quoque tempore vena illis tundatur, ne nimio abdomine suffocentur, periculum est. Hæc de Insula dicta sint: nunc de Incolis videamus.

L. Cornelius Balbus hac vrbe natus, ob res fortiter in HISPANIA gestas, à Cn. Pompeio, ciuitate non solum donatus est (vt videre est in oratione pro eodem à Cicerone habita) sed etiam *de Garamantibus triumphauit, primus omnium externo curru*, teste Plinio, lib. V. cap. V. Hunc & Cos. fuisse, & suæ ætatis homines tantùm diuitiis & magnificentia superasse, auctor est Dion lib. XLVIII. vt populo Rom. moriens, in singula capita vicenos quinos denarios legauerit.

L. etiam Iunius Moderatus Columella, qui de re rustica eleganter & accuratè admodùm scripsit, hinc oriundus fuit, vt de seipso hoc versu testatum reliquit:

Et mea quam generat Tartessi littore Gades.

Martialis etiam Gaditanum dicit σύγχρονον suum Poetam Canium, hoc Hendecasyllabo:

Gaudent iocosæ Canio suo Gades.

Hodierno die Insula hæc nauigationis beneficio & salinis fouetur, tum ex thynnorum piscatura multum emolumenti capit: omnis generis frugum & generosi vini feracissima. Non procul ab oppido collapsi Theatri ruinæ complures, aliaque non spernenda vetustatis vestigia spectantur. Et cùm Insula hæc olim à continente septingentis passibus, qua proximè distabat, diuulsa esset, nunc, quæ rerum est vicissitudo, ponte cum continente coniungitur.



CAP. X.

COLVMNÆ HERCVLIS.

DE HERCVLIS COLVMNIS VARIAE OPINIONES. Saturni & Briarei *dictæ.* Abylæ & Calpes *varia nomina. Festus Auienus emendatur. Strabonis lectio stabilitur.*

HOc loco vicinas Gadibus vrbes recensere ordo postularet, nisi Herculis tantopere decantatæ columnæ me retraherent. Præsertim cùm & Pindaro Γαδειρίδαι πύλαι vocentur, plurimisque persuasum sit, Gadibus illas fuisse: sed obtinuit vsus Gaditano freto vtrimque impositos montes, Herculis columnas vocari, de quibus Martianus Capella eleganter lib. VI. *Europa*, inquit, *Calpe; Africa Abyla monte despicitur; qui vtrimque prominentes, dici columnæ Herculis meruerunt, quod testimonio vetustatis, laboris Herculei limes in illis sit consecratus: siquidem vltra eum progredi, consumtæ telluris inuia prohibebant. Denique etiam hoc de eius sacræ virtutis possibilitate persuasum, quod cum antea natura terris maria dispararet, ac tanto cingi circuitu firmaret Oceani, montium prædictorum effossis radicibus, diuulsoque confinio camporum, deuexis lacunisque terrarum, improuisum pelagus in vsum mortalitatis admisit, permutans orbis faciem naturæque discrimina.* Idem referunt C. Plinius in proœmio lib. III. & Pompon. Mela lib. I. Africæ enim hæsisse olim HISPANIAM innuit, & Ann. Seneca Quæst. Nat. lib. VI. cap. XXIX. *Hispanias*, inquit, *à contextu Africæ mare eripuit.*

Diuersam longè ab hac opinionem refert Diodorus Siculus lib. V. cap. II. non perfodisse Herculem hos montes, sed vtrumque congesta humo adeo ampliasse: vt cum longè lateque antea, inter vtrumque continentem se Oceanus effun-

deret, his, quasi claustris, vtrimque arctarit, ne grandia cete in nostra maria possent penetrare: & ad nominis sui æternam famam, vtrique monti columnam imposuisse. Varia autem nomina his montibus indita, præsertim à Græcis. Isacius Tzetzes in σχολίοις *Lycophronis* poema, has columnas vocat *Alybam* & *Abennam*; Paulus vero Orosius lib. I. cap. II. *Abennam*, & *Calpem* vocat; Eustathius in Dionysium Alex. ait alteram, quæ Europam definit, a barbaris *Calpem*, à Græcis vero, *Alybam* vocari: illam vero, quæ Africæ imminet, ab illis *Abennam*, ab his *Cynegeticam*. sed contra omnium Geographorum mentem, *Alybam*, vel *Abylam* (vel, vt vocat Suidas, *Abylica*, vt vero Æthicus, *Abylenam*) cum *Calpe* confundit, cum palam sit diuersos esse montes. Ælianus lib. V. Var. hist. ex Aristotelis mente, refert columnas has primo *Briarei*, postea vero cum Hercules terrarum orbem monstris tyrannisque expiasset, tamquam de humano genere bene meritus, *Herculis* vocatas fuisse. Idem Pindari Scholiast. Nem. od. III. & Isacius Tzetzes, ex sententia Clearchi; Eustathius vero primo *Saturni*, postea & *Briarei* tandem *Herculis* fuisse dictas auctor est. Cur vero *Saturni* aut *Briarei* appellatæ fuerint, solerti Lectori indagandum relinquo, nisi placeat cum Zenodoto ex sententia Clearchi sentire, *Briarei* nomine etiam Herculem vocatum. Festus Auienus in descriptione oræ maritimæ *Abylæ* & *Calpes* etymon explicat, ita vt Maurusiis *Abyla* idem sit, quod *Mons altus* Latinis; *Calpe* vero Græcis, quod nobis *Caui vasis* & *teretis* species, cuius versus non pigebit in medium producere:

Sunt parua porro saxa prominentia
Abyla atque Calpe: Calpe in Hispano solo,
Maurusiorum est Abyla. namque Abyla vocant
Gens Punicorum, mons quod altus barbaro est,
Id est Latino, dici vt auctor Plautus est.
Calpeque rursum in Græcia, species caua
Teretesque visu, nuncupatur, & iugi.

Sed obscurum hoc esse *Calpes* etymon cuiuis manifestum, quamobrem ita legendum puto:


—— *species caui*
Teretisque vasis nuncupatur, & iugi.

Notum enim est hydriam, vrnam, & quod cauum protuberat, Græcis κάλπην dici. Ab hoc vasis genere Græci montem hunc *Calpem* dixere, quia teste Pomp. Mela lib. II. cap. VI. *Calpe mirum in modum concauus, & pæne totus in mare prominet.* Strabo lib. III. refert ex multorum sententia hasce Herculis columnas, Gadibus in templo fuisse ex ære cubitorum octo, in quibus construendi templi sumtus inscriptus erat; communi tamen opinioni subscribit, montes hos esse *Abylam*, & *Calpem*. Philostratus autem refert has ex auro, argentoque simul fuso conflatas esse, litteris inscriptis, quæ à nemine legi possent, illasque esse terrarum, Oceanique vinculum, ab Hercule in domo Parcarum inscriptas, ne qua elementis contentio accederet, neque amicitiam disiungerent, qua inuicē tenentur. Credidere nonnulli, referente Strabone & Eustathio, *Errantes scopulos, vel Symplegadas*, Herculei laboris metas, & celebres columnas fuisse. Hæc ideo adduxi, vt sciant quam varie de iis senserit vetustas.

Ad radices autem montis *Calpes*, eiusdem nominis sita est vrbs, olim, vt ex Timosthene refert Strabo, *Heraclea* vocata, in Herculis memoriam exstructa, vbi & Hispanorum armamentarium fuit: cuius adhuc suo æuo vestigia exstitisse refert. Scio Cl^{mum}. virum Casaubonum lectionem hanc Strabonis non recipere, & loco κάλπη, legere, καρτεία, quia nemo veterum *Calpes* vrbis meminit, præter Antonini Itinerarium, quod vt deprauatum etiam reiicit; sed quam vere, viderit Lector. mihi parum firmæ eius rationes, vt à codicum omnium consensu recedam, videntur: præsertim, cum eo loci hodierno æuo vrbs sita est, *Gibraltar* dicta, qua Pœni primū in HISPANIAM irrupere, acciti à Iuliano Comite, nomenq; illius priscum in Ducis *Tarif* memoriā mutatū. Coniecturę meæ fauet Amb. Morales lib. 12. c. 68. & P. Io. Mariana Rerū Hisp. lib. 6. c. 22. vocat *Gibraltar*, *Heracleā*. Eodē prorsus modo opposita columna, & montis & vrbis nomen præbet *Abila*, hodie *Ceuta*, vt Castaldo placet, adde Antonini itinerariū *Calpē* & *Carteiā* (licet corrupte *Tarteiam* habeat) vt diuersa oppida recēsere. Sed ne longius abeā, multorum instar sit Hesychius in Lexico, qui dum varias, in dictione στῆλαι, de Herculis columnis recenset opiniones, dicit aliquos, vrbes sic vocatas, credidisse. verba eius lubet apponere: ἔνιοι αὐτὰς νήσους εἶναί φασιν, οἱ δὲ προχώσματα, οἱ δὲ τῶν ἠπείρων ἄκρας, οἱ δὲ πόλεις, καὶ οἱ μὲν δύο, οἱ δὲ τρεῖς, οἱ δὲ μίαν, οἱ δὲ τέσσαρας. Id est: *Aliqui ipsas insulas esse dicūt, alii aggere,*

geres, alii continentis promontoria, alii vrbes, alii duas, alii tres, alii vnam, alii quatuor. Circa has Herculis columnas, auctor est Aristot. lib. De mirandis auscultationibus, incendia erumpere, alia quidem fugi flamma, alia vero per interualla, & tantùm noctu. Sed solus hoc, quod sciam: præterquam quòd hoc æuo nulla ibi eructari incendia omnium ore constat. Non absimile est, quod refert Festus Auienus columnas has Herculis,

——horrere siluis vndique
Inhospitasque semper esse nauticis:
Inesse quippe dicit ollis Herculis
Et templa & aras: inuehi aduenas rates
Deo litare, abire festino pede,
Nefas putatum demorari in insulis.



CAP. XI.

CARTEIAM *NON ESSE* TARIFAM, *AVT* CARthagenam, *sed* Algerizam. Colonia libertinorum *dicta. Num eadem cum Tartesso. Dion & Pausanias emendati obiter.*

QVia superiori capite, in *Carteia* mentionem incidimus, opportunè hic mihi videor de illa acturus. Cl. Ptolemæus inter *Bastulos*, qui & *Pœni* cognominantur, ad fretum Gaditanum collocat. quænam hodierna die vrbs sit, fluctuant recentiores. Franciscus Tarapha, & Io. Goropius Becanus *Tariffam* esse; Carolus Clusius, & Iosephus Moletius, *Carthagenam*, opinantur; Ioannes Oliuarius in Pomponium Melam, *Cartaiam* credit, quæ non procul ab Ana fluuio est; sed à vero omnes deuiare paucis ostendam. Sita erat *Carteia* teste T. Liuio lib. XXVIII. illa in ora Oceani, vbi primum è faucibus angustis panditur mare, &, vt ait Pomp. Mela lib. II. cap. VI. illo in sinu, quem Calpe efficit. *Tariffa* verò nec in primis illis freti angustiis, nec in Calpes sinu sita est. Adde si lubet *Tariffæ* oram importuosam esse, & infidam nauibus stationem; *Carteia* vero portum habet commodum. Hic enim Cn. Pompeius post sinistrum ad Mundam prælium, fugiens, conscendit naues, vt præter A. Hirtium testantur Appianus Alex. & Strabo. C. etiam Lælius pugnaturus aduersus Hannonē *Carteia* naues soluit, & victor huc classe reuectus. Proinde luce clarius est, non esse *Tariffā*: sed potius, vt auctor est Ambro. Morales, vir de Hispaniæ antiquitate optimè meritus, *Algeriza*. Hæc enim & commodum habet portum, & in sinu ipso, quem Calpe efficit, sita est. Non esse *Carthagenam* clarius est, quam vt probatione indigeat, sola ipsa distantia redarguit: cum hæc in *Tarraconensi*; illa vero in *Bætica* sit. Non esse *Cartaiam*, licet nominis similitudo suadere posset, situs differentia conuincit: siquidem *Cartaia* ad Anam flumen est. Alterius etiam *Carteiæ* T. Liuius lib. XXI. meminit, quam Olcadum caput, & ab Annibale expugnatam dicit. Carolo Sigonio tamen hoc loci ex Polybio & Stephano placet *Alteiam* legere, licet aliquis dubitaret, quia apud eundem Liuium, *Carteia ad Oceanum* vocatur hæc nostra. Cur vero adiectio hæc, si huius nominis vnica tantum vrbs? Sed nihil ad Bacchum hæc.

Latinam hanc coloniam esse factam, & *Libertinorum* appellatam, auctor est T. Liuius lib XLIII. quod eo noui coloni deducti essent: *Et alia,* inquit, *noui generis hominū ex* HISPANIA *legatio venit, ex militibus Romanis, & ex Hispanis mulieribus, cum quibus connubium non esset, natos se memorantes, super quatuor millia hominum. Orabant vt sibi oppidum, in quo habitarent, daretur. Senatus decreuit, vt nomina sua apud L. Canuleium profiterentur, earumque si quos manumisisset, eos Carteiam ad Oceanum deduci placere.*

Neoterici nonnulli ab Arganthonio Rege conditam credunt hanc vrbem: ego illum regnasse hic ex Silio Italico lib. 3. adducor, vt credam:

Arganthoniacos armat Carteia nepotes,
Rex proauus fuit humani ditissimus æui,
Ter denos decies emensus belliger annos.

Anacreon verò (vt obiter hoc tangam) hunc CL. annis vixisse; Plinius verò lib. VII. cap. XLVIII. octuaginta regnasse, & quadragesimo incœpisse auctor est, qui tantùm CXX. anni sunt. Vrbem hanc eandem esse cum *Tartesso* Græcorum, idem Plinius

asserit lib. III. cap. I. Strabo dubitat: *Nonnulli*, inquit, *huius ætatis Tartesson appellant Carteiam.* Pomponius etiam Mela lib. II. ambigit: *In eoque [sinu] Carteia, vt quidam putant, aliquando Tartessus.* Illud tamen miror, cum Silius Arganthonium *Carteiæ* regnasse dicat, illam tamē à *Tartesso* diuersam eum facere, cum Græcis omnibus dicatur Tartessi regnasse, vt Anacreon testatur, aliique. Vnde & *campos Argantoninos* Sidonio dictos vocat Cl. Scaliger *Tartessiacum* hunc tractum Notis in Ausonium. Diuersam autem à *Carteia* esse *Tartessum* his versibus Silius declarat, cum de Carteia locutus esset:

Armat Tartessus stabulanti conscia Phœbo,
Et Munda.

Sed cum & Gades ostensum est, ex Plinii, Salustii & Tzetzæ sententia *Tartessū* dici, non absurde quæri posset, an plures fuerint *Tartessi*, vel an totus ille tractus à Gadib⁹ columnas ad vsque *Tartessi* nomen obtinuerit, quod curioso Lectori anquirendum relinquo. Vicinam vero Algerizę vrbem *Tarissam*, multi credunt olim *Tartessum* fuisse: quæ anno à Christo nato D. CCXIII. à Pœnorum duce *Tarif* (qui eo loci ex Africa ad occupandam Hispaniam traiecit) nomen sumsit, priori oblitterato de quo inferius. Agnouit ergo Silius Italicus, pro diuersis vrbibus *Carteiā* & *Tartessum*; Strabo & Mela dubitarunt. *Algerizæ* hodierno die copiosus admodum est piscatus, ex quo incolis lucrum ingens, quo etiam superioribus seculis non caruisse crediderim. Auctor enim est Strabo, *Carteiæ* præter thynnorum frequentiam, murices & purpuras librarum X. esse. Quod ne cui mirum sit, lubet referre, quid Plinius de mirandæ magnitudinis Polypo, obtinente L. Lucullo Procos. Bæticam, lib. IX. cap. XXX. dicat: *Carteiæ, in cetariis assuetus [Polypus] exire è mari in lacus eorum apertos, atque ibi salsamenta populari, conuertit in se custodum indignationem, assiduitate furti immodici. Sepes erant obiectæ; sed has transcendebat per arborem, nec deprehendi potuit, nisi canum sagacitate: hi redeuntem circumvasere noctu, concitique custodes, expauere nouitatem. Primum omnium magnitudo inaudita erat, deinde color muria obliti odore diro. Quis ibi polypum exspectasset, aut ita cognosceret? cum monstro sibi dimicare videbantur. namque & afflatu terribili canes abigebat, nunc extremis crinibus flagellatos, nunc robustioribus brachiis, clauarum modo incussos, ægreq; multis tridentibus confici potuit. Ostendere Lucullo caput eius, dolii magnitudine, amphorarum quindecim capax, atque (vt ipsius Trebii verbis vtar) barbas, quas vix vtroque brachio complecti esset, clauarum modo thorosas, longas pedum XXX. acetabulis siue caliculis vrnalibus peluium modo, dentes magnitudini respondentes, reliquiæ asseruatæ miraculo, pependere pondo DCC.* Sepias quoque & lolligines eiusdem magnitudinis expulsas in littus illud, idem auctor est. Antiqua etiam numismata, geminis thynnis insignita, hic reperta fidem faciunt, vt refert, Ambrosius Morales, & Antonius Augustinus Dialogis antiquitatum. Plinius vero lib. XXXI. cap. VIII. scombros hic incolas refert piscari, ad conficiendum garum. Monendum mihi hoc loco apud Dionem lib. XLIII. deprauate legi *Crantiam* pro *Carteia*: Οὔαρος δ' ὑπὸ τοῦ Διδίου περὶ Κραντίαν ἐναυμαχήθη, καὶ εἴγε μὴ προκαταφυγὼν ἐς τὴν γῆν. Id est: *Varus vero à Didio apud Cranciam nauali prælio superatus in terram euasit.* Substituendum vero esse *Carteiam*, vel ex Flora colligi potest, lib. III. cap. II. *Primum in ostio Oceani Varus Didiusque legati conflixere.* quo loco nusquam *Granciæ* mentio ab assiduo aliquo proditur auctore, sed *Carteiæ*, vt ex Liuio patet. Similiter & apud Pausaniam lib. II. Eliacorum pro Καρπία, legendum puto Καρτηία. nisi quis & ita dictam fuisse asserat.

CAP. XII.

DE PRISCO TARTESSI *SITV. NON EXSTARE nostro æuo. Regnum Tharses hic fuisse.*

TArtessus vrbs, & Græcis, & Latinis Scriptoribus notissima, sed, vt rerum est omnium orbis, ignorantiæ caligine nostro æuo latet. quare vt viatores, spissa nocte deprehensi, dubia spe, huc illuc lapsanti vestigio errantes, si procul gratæ lucis indicium affulget, eo votis, pedibusque contendunt: ita ego ad veterum Scriptorum facem, conabor accedere, vt *Tartessi* situm, locumque detegam. Varie autem *Tartessi* nomen acceptum. nam & *Gades* ita dictas, & *Carteiam* ostendimus; sed præter hæc vrbem ab his diuersam fuisse *Tartessum* nunc docebo. Strabo lib. III. refert inter gemina *Tartessi* amnis (qui nunc Betis est) ostia, situm quondã fuisse oppidum eiusdem nominis: quod & Pausanias in Eliacis asserit. Idem Steph. Byzantinus: Ταρτησσὸς πόλις ἰβηρίας ἀπὸ ποταμοῦ ἀπὸ τοῦ ἀργυροῦ ὄρους ῥέοντος. Id est: *Tartessus Iberiæ vrbs est dicta à flumine, qui ex argenteo monte fluit*: qui ipse *Bætis* vel *Tartessus* est. Vnde cum palam sit *Tartessum* esse sitam ad Bætim, nequit eadem cum *Carteia* esse: siquidem multis ab hoc amne passibus remota est, in sinu illo scilicet sita, quem Calpe efficit. Quod vero non nemo credat *Tariffam* esse priscam *Tartessum*, procul eos à vero aberrare in confesso est: cum *Tariffa* etiam nimium à *Bæti* dissita sit. quod vt indubitatum credo, ita maxime mihi dubium priscum ipsius *Tartessi* situm demonstrare. Nam cum *Bætis* olim geminis se ostiis mari mergeret temporis decursu alterum illi oblimatum est, & aliquantulum ab antiquo se torsit itinere, vt alii plerique amnes. Quo fit, vt quæ circa illa loca erant vrbes, nunc in obscuro sint. Sed quid Suidam mouerit, quod *Tartessum* prope Auernum lacum fuisse dicat, nulla mihi ratio occurrit. Nobilem vero & opulentam fuisse vrbem, vel Poeta ille apud Stephanum innuit, dum illam vocat Ταρτήσσιον ὄλβιον ἄστυ. Vnde & Anacreon, inter opimas felicitates, quas respuit, *nolle se*, ait, *Tartessi centum & quinquaginta annis imperare*; Argantonium significans. Cum vero *Tartessus*, inter vltima occidentis loca esset, ansam Poetis fabulandi dedit, vt Tartarum circa *Tartessum* fingerent, quod ex Homero ostendit Strabo. Latinis etiam Poetis frequens est dicere, Tartesso solem se mergere, Ouidius Metamorph. XV.

Presserat occiduus Tartessia litora Phœbus.


Ausonius etiam cum stridore mergi dicit.

Condiderat iam solis equos Tartessia Calpe
Stridebatque freto Titan insignis Ibero.

Vnde & Statius Papinius Siluarum lib. II. de Bætica loquens:

Felix heu nimis & beata tellus:
Quæ pronos Hyperionis meatus,
Summis Oceani vides in vndis.
Stridoremque rotæ cadentis audis.


Hausere id ex Posidonio Philosopho Poetæ, qui solem circa hæc littora multo maiorem occidere affirmabat, & cum strepitu, perinde atque in profundum ibi incideret, pelagusque ad eius contactum efferuesceret. Sed mitto has tellenas nugas, vbi ne scindilla veri apparet. Io. Goropius Becanus lib. V. rerum Hispanicorum, non obscure docet, *Tartessum* vocari in sacris litteris, regnum *Tharses*. quo rex Salomon simul & in *Ophir* classem mittebat, ad aurum argentumque aduehendum. Nam quod hactenus plurimis persuasum fuit, *Tharses* vel mare vel Carthaginem denotare, viuis rationibus refellit, quas hic pretereo libens, ne actum agam. Sane regionis circum iacentis felicitas, auri, argentique perennis fecunditas, & scriptorum ea de re vnanimis sententia facit, vt non inuitus illi assentiar: præsertim vero, cum ipsos Tyrios & Phœnices (qui cũ Salomonis classe mittebantur) immensam argenti vim ex vicina hac regione asportasse dicat Strabo & Aristoteles.



CAP. XIII.

Xeres olim dicta Asta regia. *Colonia Romanorum. Num Ξηρᾶς Stephani Byzantini fuit.*

DE prisca *Xeres de la frontera*, appellatione dissentiunt auctores. Ioan. Magarinus Episcopus Gerundensis *Sisaponem* fuisse; Clusius *Asidonam*; Lucius Marineus celebrem illam funesto prælio *Mundam*: quæ sigillatim refellere, esset Lectorum opera abuti. Ego verò *Astam* puto, quæ à Plinio *Regia* cognominatur, Colonia Romanorum, inter Bætis æstuaria sita. Quod vt asseram multa faciunt. Strabo lib. 3. portum *Mnesthei* non procul ab *Asta* collocat: qui hoc æuo *portus B. Mariæ* indigetatur, capaci tutaq; nauium statione celebris, duabus tantùm leucis à *Xeres* distat. Licet Ambrosius Morales credat locum esse inter *Xeres de la frontera*, & *Puerto B. Mariæ*, qui hoc æuo, *la Mesa de Asta* vocatur. Ptolemæus etiam ad *Astam* æstuarium collocat, quod Moletio aliisq; *Salucar* est, non procul à *Xeres*, & vt Straboni, Plinio, & Ptolemæo, *Nebrissa* & *Asta* vicinæ vrbes sunt, & inter Bætis æstuaria sitæ, ita etiam *Xeres* à Nebrissa non totis quinque leucis dissita. Stephanus Byzantinus Ξηρᾶς oppidi ad Herculis columnas meminit, quod an *Xeres* nostrum sit, nominis situsq; vicinitas facit vt credam, suoq; forsan tempore relicto antiquo nomine *Astæ*, nouum assumserit, vt multis aliis vrbibus accidit. A. Hirtius hanc vrbem *Hastam* vocat, cùm ceteri sine aspiratione legant: iuxta quã refert duces Cn. Pompeii, qui funesto Mundensi prælio superfuerant, omnes à Cæsare extra vallum concisos, cùm coniurassent castrorum cædem. Strabo refert conuentum Turdetanorum fuisse. Hoc æuo vrbs est murorum ambitu conspicua: ager est, vineis, aruisque lætissimus: nulla eius portio inculta, aut otiosa; sed vel vitibus, aut frugiferis arboribus egregiè consitus, aut oleo, segeteque ornatus. generosissima vina fundit, quæ non solùm Europæi nostri, sed alio sub sole calentes Indi expetunt. Equorum greges alit mira pernicitate laudabiles, quos incolæ *Ginettes* vocant. Moris hac in vrbe est ditioribus, immensæ altitudinis puteos defodere, quibus annonam multos in annos conseruant, quos lapidum mole contectos, sine peculiari Senatorum consensu aperire vetitum. vnde cùm an. 1561. arcta re frumentaria Germania premeretur, incredibili copia ab hac vrbe prouisum fuit. Auctor est T. Liuius lib. 39. C. Catinium post fusos Lusitanos in agro Astensi, vrbem Astam expugnasse, sed dum incautiùs muros subit, ictum, post paucos dies obiisse. Refert Morales aliiq; Historici, non procul à *Xeres*, luctuosum illud prælium, inter Arabes & vltimum Gothorum Regem Rodericum, commissum fuisse, vbi Gothi ad internecionem cæsi, & HISPANIA in Arabum potestatem & prædam cessit.



CAP. XIV.

NEBRISSA

Nebrissa cognominata Veneria. *A Baccho & Satyris condita.*

TVrdetaniæ vrbs est *Nebrissa*, teste Ptolemæo Romanorum colonia, cognomine *Veneria*, vt ait Plinius, hodie *Lebrixa* dicta, sita inter Bætis æstuaria; sed nunc à Beti octo M. P. distat, oblimato altero illius ostio meridionali, vnà cum alueo. Conditam ferunt


Tempore quo Bacchus populos domitabat Iberos

ducentis prope annis, ante Troianum excidium, vt colligit Antonius Nebrissensis in Historiæ suæ præfatione, à quo & vrbem conditam putat. Silius verò Italicus ad Satyros Dionysii, seu Bacchi comites, originem velle videtur referre, non abludente etymo. Nebris enim pellem hinnuli significat, qua Bacchantes induti sacrificare solebãt. Sed lubet Poëtam audire lib. 3.

Ac Nebrissa Dionyseis conscia Thyrsis,
Quam Satyri coluere leues, redimitaque sacra
Nebride, & hortano Mænas nocturna Lyæo.

Oppidum

Oppidum est peramœnum, cum vetusta arce, agro vndique beatissimo cinctum. Hoc enim præcipue Bæticæ tractu lætissimas fruges, vina lectissima, mella optima, sapidissimos arborum fructus, tellus producit: vt non immerito tam luxuriosus ager à Baccho, aut à petulca Satyrorũ manu, ad condendã vrbem delectus videatur. Sed non tantum se iactat hæc vrbs, quod conditorẽ habuit madidũ & lasciuum illum Deũ, quã quod ciuem produxerit *Ælium Antonium*, qui Vandalicis, Punicisque armis pulsas tota Hispania, Latinas Musas, primus reduxit, & exstirpata passim barbarie, pristino illas nitori restituit. Rerum à Ferdinando & Isabella Regibus gestarum binas decades cum laude conscripsit: tantumque HISPANIA Ælio Antonio, ob restitutas postliminio litteras, quantum Ferdinando Regi ob fusos fugatosque Mauros, se debere fatetur.



CAP. XV.

OSSVNA OLIM VRSO. *A HIRTIO* VRSAO. *APPIANO* Orsona. *Situs eius ex Hirtio petitus.*

NOn procul à Nebrissa spectatur *Ossuna*, quæ Straboni & Plinio *Vrso*, & *Genua vrbanorum* vocata: Antonius August. legit, *Geminam vrbanorum* pro *Genua*, teste Ortelio. Ab A. Hirtio, *Vrsaonem*, ab Appiano in Ibericis *Orsonam*, à Ptolemæo *Oleastrum* dici auctor est Ios. Moletius. Conuentus olim Astigitani, distans à Singilia, quæ nunc *Antiquera*, circiter M. P. XXX. ab Astigi plus minusue. Sed lubet A. Hirtii verba adducere, qui graphicè vrbem nobis eiusque situm ob oculos ponit: *Ad oppidum*, inquit, *recuperandum occasionem non prætermittunt, & reliquos viuos capiunt; ac deinde Vrsaonem proficiscuntur, quod oppidum magna munitione continebatur, sic vt ipse locus non solùm opere, sed etiam natura editus ad oppugnandum hostem appeteret. Hoc acciderat, quòd aqua, præterquam in ipso oppido non erat, nam circum circa riuus nusquam reperiebatur, propius M. P. octo quæ res magno erat adiumento oppidanis. Tum præterea accedebat, vt agger materiesque, vnde solitæ sunt turres agi, propius M. P. VI. non reperiebantur.* Ex quibus non solùm patet vrbem fuisse egregiè munitam & magni momenti, sed etiam descriptionem quadrare optimè *Ossunæ*. Oppidum enim aqua caret contermina; arborum genus nullum præter oleam profert ager: quam etiam à Pœnis agriculturæ studiosis illatam fuisse crediderim. Quibus fidem etiam faciunt fragmenta quædam, & cippi cum vetustis inscriptionibus, in ipso oppido reperta, quæ nomen *Vrsonis* ostendunt. Nostro æuo Illustrissimæ Gironum familiæ est, quæ relicto titulo Comitum *Vreniæ*, Ducum *Ossunæ*, anno M. D. LXII. annuente Philippo II. nomen sibi vindicauit. Academia hic exstructa, anno M. D. XLIX. insignis, à Ferdinando Mattamoro. Ager est pecoris, messiumque vberrimus: olei etiam fecundus; aër saluberrimus.



CAP. XVI.

HISPALIS.

HISPALIS COGNOMINATA ROMVLENSIS. *ISIDORI opinio reiecta. Vnde dicta. Eius descriptio.*

VT ceteras HISPANIÆ prouincias Bætica, & ita Bæticæ vniuersas vrbes *Hispalis*, nobilitate, opibusque longè antecedit. Colonia fuit olim Romanorum, cognomine *Romulensis*, & ex quatuor eiusdem prouinciæ conuentibus, teste Plinio. De origine eius ambigunt Scriptores: Franciscus Tarapha, aliique subiestæ fidei Scriptores, ad Hispalum Herculis Libyci filium, ex Berosi mente, referunt; Isidorus verò lib. XV. Originum, Iulium Cæsarem refert *Hispalim* condidisse, eamque ex suo & vrbis Romæ nomine, *Iuliam Romuleam* nuncupasse. Sed cum veritate hoc pugnare, in aperto est. Nam apud Hirtium aliosque, frequens *Hispalis* mentio, eaque post Mundense prælium recuperata, dum beneficiorum memoriam Hispalensibus Cæsar refricat, non prætermisisset vrbis se conditorem. nec *Iuliæ Romuleæ* illi cognomen, sed *Romulensis*. Ego in re tam vetusta, & inter fluctuantes Scriptorum opiniones nihil certi ausim statuere. Sufficiat coloniam fuisse Romanorum, quæ à Philostrato in vita Apollonii Tyanæi lib. V. cap. I. *Ispula*; à Silio verò Italico *Hispal* vocatur, vnde ait:

Et celebre Oceano, atque alternis æstibus Hispal.

In antiqua verò inscriptione (quam Hispali repertam Ambrosius Morales) *Romulea* vocatur, nullo alio addito nomine:

M. AVRELIO. VERO. CÆS.. IMP.
CÆSARIS. TITI. ÆLII. HADR.
AVG. PII. P. P. F. ANTONINO.
COS. II. SCAPHARI. QVI.
ROMVLEÆ. NEGOTIANTVR.
D. S. P. D. D.

Vocatam autem *Hispalim*, vult Isidorus à situ, eò quòd in solo palustri, suffixis profundo palis locata, ne lubrico & instabili fundamento caderet. Arias verò Montanus apud Ortelium ait *Hispalim*, Phœnicum nomen esse, à *Spila* vel *Spala* deflexum, quod planiciem siue virentem regionem significat, quam suburbanus eius ager egregiè refert.

Vrbs certè est amœnissima, & in primis, non Hispaniæ modò, sed & Europæ, nobilis & opulenta, ad Bætim amnem apposita, murorum ambitu, ædificiorum structura & cultu conspicua. suburbium habet amœnum & amplum, cui *Trianæ* nomen, Bæti amne discretum, sed ponte sublicio vrbi coniunctum. Ager vicinus planus est, & lætissimus, summumq; hic Liberi Patris cum Cerere certamen, sed præcipuus oleæ prouentus: nec vspiam generosior eius liquor. oliuas muria maceratas (quas Græci κολυμβάδας, Romani *Drupas*, aut *Natantes* vocant) insigni tum magnitudine tum suauitate suppeditat. frugiferis arboribus, sed præcipuè vario citriorum genere felix: &, ne in singula me effundã, naturæ gaudẽtis & lasciuiẽtis opus est: vt nihil sit hic quod cultura prætererierit. Ferunt Scriptores, quo tempore D. Ferdinandus Maurorum illam iugo eripuit, circa annum M.CCXVII. plus quàm centum millia pagorum, Hispalensis territorii numerata fuisse: quod immensam agri vbertatem arguit, licet incolarum infrequentia, ad magnam raritatẽ delapsi sint. Iam a Strabonis æuo emporium fuit non incelebre, ita & hac tempestate, longè opulentissimum euasit. huc enim ex vniuersi orbis plagis, maximè verò ex occidua India, & Peruuiano orbe, incredibiles opes aduehuntur. Binæ quotannis classes auro, argento, gemmisque onustæ, noui orbis diuitias hic exponunt: vnde liberali manu in vniuersum orbem dispensantur. Ita vt non queratur HISPANIA desiisse sibi nobiles suas metallorum secturas, sed præbente India opes suas, gaudet visceribus ab auaris manibus parci. Hic iterum omnigenis mercibus ornatæ, milite & commeatu instructæ Indiam petunt. Vnde opibus ita pollet, vt Regi suo ferant, annuo sesquimillionem aureorum obsequii & vectigalium ergo pendere, quantum vix integra alibi regna. Templum habet celeberrimum, & mole sua maximum, turremque egregiæ altitudinis illi adnexam: D. Virgini id sacrum, in cuius impensas annuas, triginta millia aureorum destinata ferunt. Archiepiscopatum habet opimum, splendidumque, & qui, Toletano excepto, nulli opibus & dignitate cedat; centum & amplius illi aureorum millia in annuos prouentus suppetunt; qui tantæ erat olim auctoritatis, vt tempore Hormisdæ Papæ, tota vlterior Hispania Bætica scilicet, & Lusitania illius obsequium agnosceret. Imò auctor est D. Illefonsus, supplemento ad D. Isidori Chronicon, primatis HISPANIÆ dignitatem, Hispalensis primò Præsulis fuisse: donec Theodisclus, D. Isidori successor, regnante Chintilane Gothorum Rege, hæresi infectus, Archiepiscopatus honore deiectus fuit. Toletum sic dignitas translata, ibique in hoc æuum permansit. Mirum est quod Plinius refert, lib. II. cap. XCVII. *Hispali* puteum fuisse, qui crescente maris æstu minueretur, augeretur verò decente, ceteris natura vulgaris.

Et licet vrbs hæc Mercurio magis, quàm Phœbo semper dedita, & commerciis quàm litteris notior fuerit, summa tamen ingeniorum fastigia edidit. Quem enim *D. Isidoro* præferas? vitæ enim sanctitate, litteris tum sacris, tum profanis paucis æqualis, inferior nemini. Satis eum superque doctum illud Originum opus posteris commendat. Nostra etiam memoria eloquenti philosophia, & philosophica eloquentia insignem virum *Sebastianum Foxium Morzillum*, & *Benedictum Ariam Montanum* Theologum, Poetam, linguarum peritia (Hebraicæ præsertim) nemini secundum protulit.

CAP.

CAP. XXVII


ITALICA.

DE ITALICAE SITV DISQVISITIO. A SCIPIONE *Africano condita. Hodie* Siuilla la vaia. *Municipium Romanorum.*

QVamvis *Italica*, nihil præter deformes ruinas, & diuulsa rudera ostendat; optimorum tamen Imperatorum manibus pauca hæc dentur, vt natale illorum solum cunctis innotescat: multis enim situs eius priscus ignoratur. Auctor est Appianus Alexandrinus in Ibericis, à Scipione Africano conditam, peracto bello Hispanico, vbi emeritos, & mutilatos membro aliquo milites reliquit, quo tamen loco illam condiderit, non exprimit. Ptolemæus illam in Bætica collocat, ex Plinio verò; *Ilipam* prius vocatam colligunt aliqui. ait enim: *Ilipa cognomine Italica*; collocat autem illam prope Hispalim. Eodem modo apud Strabonem legendum esse asserit doctiss. Is. Casaubonus: cuius verba sunt: *Post has Italica & Ilipa super Bæti*, emendat autem, *quæ & Ilipa*; sed quàm exactè, viderit Lector. *Italica* enim non est cognominata *Ilipa*, vt hæc præ se fert lectio; sed *Ilipa*, *Italica* postea dicta. Auctor est Vasæus ignorari à plurimis antiquum situm, aliqui *Nieblam* esse putant; Ambrosius Morales *Siuilla la veia* ostendit esse, & Hieronymus Surita. Multa enim hic indicia antiquæ vrbis, & Romanæ magnificentiæ impressa vestigia. Inter cetera non pœnitendę Amphitheatri ruinæ visuntur. Antoninus in Itinerario, Hispali Italicam nullum passuum apponit numerum, indicio exiguam fuisse distantiam, & cunctis notam; & hodierno die vix quarto lapide abest. Referunt Ioan. Vasæus, & Ambrosius Morales, bello, quod excitatum fuit inter Regē Leuuigildum patrem, sed Ariana hæresi infectū; & Ermenegildū filium Catholicæ fidei assertorem, qui Hispali obsessus erat, anno Domini D.LXXXIV. vt Bætis commercia obsessis auferrentur, iussisse Leuuigildum, mœnia *Italicæ* vetustæ vrbis restaurari, atque ita Hispalenses ad deditionem compulisse; quæ certè omnia *Siuilla la Veia* quadrant. Bæti enim apposita, & leuca tantùm ab Hispali distat. De qua Lucas Tudensis: *Inueni*, inquit, *in Chronicis, quod Italica est Hispalis antiqua, vnde populata fuit hæc Hispalis quæ nunc est*; sed postremum hoc prorsus à veritate alienum est. Adde quòd hodie circumiacentes campi, *los campos de Talca*, ab indigenis vocantur, mutilata voce, tamquam *Campi Italicæ*. Iuxta hanc vrbem refert Paulus Orosius lib. V. cap. XXIII. Herculeium Q. Sertorii legatum cum Metello congressum, viginti millia peditum perdidisse. Fuisse *Italicam* Coloniam olim, videre est in fragmento basis Vulsiniis in Italia reperto: ITEM COLON. ITALICENSIVM IN PROV. BÆTICA. qui reliquam inscriptionem volet, consulat Smetii Antiquitates.

Municipium tamen fuisse auctor est Agellius lib. XVI. cap. XIII. ex oratione D. Hadriani, quam de Italicensibus habuit. Miratur enim Imperator, cur Italicenses & quædam alia municipia antiqua, cùm suis moribus, legibusq; viuere possint, in ius Coloniarum mutari gestiuerint.

Hac vrbe orti Imperatores *Traianus* & *Hadrianus*, vt testantur Appianus, Ælius Spartianus, Eutropius. Magnum etiam *Theodosium* hæc vrbs tulit, vt plurimorum fert opinio, & ne quid deesset, *Silium* etiam *Italicum* Poetam egregium, teste Petro Crinito: tametsi dissentiant Ioan. Camers Scholiis ad L. Florum, & Hieronymus Surita. Felicem *Italicam*, quæ virtutum, & doctrinæ hæc fastigia edidit. iactent sese aliæ vrbes, murorum structura, situs opportunitate, agri cælique benignitate, illa vero (quamvis nihil horum illi defuisse olim crediderim) maximorum Heroum natalibus, qui nunquam ignorantiæ tenebris illam patientur latere, se attollat. Episcopalis vrbs fuit elapsis seculis, primum Episcopum D. Geruntium Confessorem habuit.



Cap. XXVIII.

ASTIGI COGNOMINATA AVGVSTA FIRMA, *NVNC* Eceia. *Conuentus Bæticæ. Inscriptiones veteres.*

VRbs olim clarissima, nec hodie obscura *Astigi*, hoc tempore consentientibus Hispaniæ Scriptoribus, *Eceia* dicitur, Romanorum quondam Colonia, cognomine *Augusta firma*, vt auctor est Plinius. Inter Turdetanos à Ptolemæo reponitur, à qua quartus Bæticæ conuentus Astigitanus vocatus. Pomponius Mela vrbem hanc inter præcipuas totius Bæticæ recenset, his verbis: *Vrbium de mediterraneis in Tarraconensi clarissimæ fuerunt Pallentia & Numantia, nunc est Cæsaraugusta: in Lusitania Emerita, in Bætica Astigi, Hispalis, Corduba.* Conditam dicit Franciscus Tarapha ab *Astyre*, Memnonis auriga, qui amisso ad Troiam hero, in HISPANIAM venit, vbi & Asturibus nomen dedit: de quo Silius lib. III.

Venit & auroræ lacrymis perfusus in orbem
Diuersum, patrias fugit cùm deuius oras,
Armiger Eoi non felix Memnonis Astyr.

Monendum hîc obiter, quo loco apud Strabonem lib. III. *Astenas* reperitur, legendum *Astyga*, vt auctor mihi est V. Cl. Is. Casaubonus. In antiquis inscriptionibus nunc *Astigis*, nunc *Augustæ formæ* fit mentio. vtriusque exemplum ipsa vrbs nobis suppeditat:

P. NVMERIVS. MARTIALIS.
ASTIGITANVS. SEVIRALIS.
SIGNVM. PANTHEI.
TESTAMENTO. FIERI. PONIQ.
EX. ARGENTI. LIBRIS. C.
SINE. VLLA. DEDVCTIONE. IVSSIT.

In hac verò Coloniæ etam fit mentio:

BONI. EVENTVS.
APONIA. C. F. MONTANA.
SACERD. DIVAR. AVGVSTAR.
COL. AVG. FIR.
EDITIS. OB. HON. SAC. CIRCENSIB.
ET. OB. DEDICAT. ALIIS.
EX. ARG. LIBRIS. CL.
D. S. P. D. D.

Vrbis solum vndique fœcundum, & compascuum, & pecori maximè pascendo idoneum: vnde incolæ lanificio maximam operam impendunt, hincque illis quæstus luculentus, cui maximè fauet Singylis fluuius, vulgo *Chenil*, vrbem alluens, è niuosis prope Granatam montibus erumpens, cuius aqua perpurgandæ lanæ mirum in modum efficax. Olim Episcopalis vrbs erat, nunc Archidiaconatus Hispalensis est Ecclesiæ.



Cap. XIX.

CORDVBA.

CORDVBA PATRICIA *DICTA. A QVO CONDITA.* *Prima colonia in Hispaniam deducta. Vrbis descriptio.*

AD Bætis ripas apposita est *Corduba*, dicta *Colonia patricia*, teste Plinio, ceteris Bæticæ vrbibus, excepta Hispali, præferenda. Ioan. Gerundensis Episc. dictam putat, tanquam *Cor Bætis*: sed tam ineptum hoc etymon est, vt huic peponem pro corde fuisse quis posset credere. Priscis temporibus fuit vrbs celeberrima, in qua & iuridicus conuentus agebatur. Strabo Marcelli opus esse asserit; sed cuius Marcelli dubitatur hactenus. Vasæus illius putat esse, qui tempore ciuilis belli, inter Cæsarem & Pompeium, res in HISPANIA gessit: cui coniecturæ suffragatur quòd nusquam ante illud tempus,

tempus, *Corduba* mentio fiat. Nam & T. Liuius cùm multas Bæticæ vrbes commemoret, hanc silentio transmittit, sed cùm, eodem Strabone teste, prima hæc colonia sit, in HISPANIAM à pop. Rom. deducta, non potest illius Marcelli opus fuisse, tum quia mentio aliqua illius rei facta fuisset ab A. Hirtio, præcipuè seditione illa orta inter Marcellum, & Cassium Cæsaris duces prope *Cordubam*. Scio Casaubonum eius esse opinionis, vt dicat ideo *Cordubam* opus esse Marcelli, eò quòd Colonia eius tempore, aut ductu huc missa sit; sed cum ipso Strabone pugnat, vt ostendi. Non enim illo tempore prima potuit Colonia deducta esse, cùm Scipionum tempestate nonnullæ fundatæ fuerint. Sed cur à Plinio *Patricia Colonia* vocatur. Strabo videtur causam aperire. *ᾤκησάν τε ἐξ ἀρχῆς ῥωμαίων τε καὶ τῶν ἐπιχωρίων ἐπίλεκτοι ἄνδρες.* *i. quod ab initio habitarunt eam & Romanorum & indigenarum viri selecti.* Cum enim promiscuè solebant mitti in alias colonias, in hanc forsan honestiores tantum, aut plurimi missi sunt.

Vrbs est agri nitore, & soli felicitate conspicua, vt non immeritò à Silio Italico, *aureum solum* vocetur:

Nec decus auriferæ cessauit Corduba terræ.

Strabo etiam asserit, agri virtute, & magnitudine, fauente amne Bæti, primùm ibi nauigabili, vt ait Plinius, *Cordubam*, suo æuo, & nominis claritate & potentia polluisse. Huc facit, quod idem Plinius lib. XIX. cap. VIII. asserat carduos apud Carthaginem nouam, & Cordubam præcipuè, sestertia sena millia vt parciùs reddere. Quid censebis cetera holera, horarios, ceterosque fructus, segetemque reddidisse, si carduorum prouentus centum quinquaginta millibus circiter aureorum æstimatus fuit.

Nobili etiam platano ornata olim fuit, ob vmbras tantùm expetita arbore, & quòd æstate solem arceat, hyeme admittat: in quam Martialis peculiari lusit epigrammate, lib. IX. epigr. LVII;

In Tartessiacis domus est notissima terris,
Qua diues placidum Corduba Bætin amat.
Vellera natiuo pallent vbi flaua metallo,
Et linit Hesperium bractea viua pecus.
Aedibus in mediis totos amplexa penates,
Stat platanus, densis Cæsariana comis.
Hospitis inuicti posuit quam dextera felix,
Cœpit & ex illa crescere virga manu.

Nec æris metalla Cordubensi agro defuerunt. Plinii siquidem tempestate maximo in honore erat: ait enim lib. XXXIV. cap. II. *Summa nunc gloria* (loquitur de ære) *in Marianum conuersa, quod & Cordubense dicitur.* Vocabatur autem *Marianum*, quod in Marianis montibus, non procul ab hac vrbe reperiebatur.

Sed ingeniorum præcipuè fęcunditate se iactet *Corduba*, quæ cunctis HISPANIÆ vrbibus, non modò venit præferenda, sed paucissimis totius Europæ comparanda. At præcipuorum solùm meminero, inter quos *Senecæ* duo familiam facile ducunt, *Rhetor* pater, & filius *Stoicus Philosophus*, idemque Tragicus; vnà cum affine suo, *Annæo Lucano* Poeta heroici spiritus: inuidia omni maiores, & quorum opera

——*fama loquetur anus*:

De quibus Martialis:


Duosque Senecas, vnicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.

Porcius etam *Latro*, cuius solum in Catilinam declamatio exstat, hac vrbe putatur oriundus, vti & *Sextilius Hena* Poeta, cuius Seneca Rhetor lib. I. Suasoriarum meminit: *Sextilius Hena, fuit homo ingeniosus magis, quàm eruditus: inæqualis poeta, & pænè quibusdam locis talis, quales esse Cicero Cordubenses Poetas ait, pingue quiddam sonantes, & peregrinū.* Quin occupata iam a Pœnis HISPANIA, proculcatis passim studiis, non defuere præclarissima ingenia huic vrbi, *Auenzoar, Auicenna, Auerroes*: quorum hic Philosophus acutissimus & Græcorum cuilibet comparandus; ille verò (licèt multi pro Cordubensi *Auicennam* non agnoscant) Medicus præstantissimus, vt monumenta testantur. Patrum etiam memoria hac vrbe prodiere. *Ioannes Mena*, Poeta vernaculi sermonis, magni ingenii, & *Ambrosius Morales* regius Historiographus: cuius diligentiæ & acri iudicio in Antiquitate indaganda, plurimum perpetuò debebit Hispania, qui & prolixè patriæ suæ laudes descripsit. Hac vrbe etiam ortus *Gonzalius Ferdinandus d' Aguilar*: qui florentissimum illud Neapolitanum regnum, è Gallorum manibus, summa virtute eripuit, & magna cum laude Hispanis stabiliuit, vir maximis antiquorum ducibus comparan-

dus: vt non immeritò *Magni ducis* cognomen obtineat. Et ne ſolidæ laudis cumulo quidquam deeſſet, ſola hæc vrbs tot Martyres conſtantiſſimos, tot Virgines caſtiſſimas tulit, quot vix alibi integræ prouinciæ. Quæ certamina B. Eulogius Cordubenſis Epiſcopus deſcripſit accuratè, noſtraque memoria latinè quoque *P. Martinus de Roa*, Cordubenſis & ipſe, & Societatis Iesv presbyter diſertus.

Ambroſius Morales ex antiqua inſcriptione oſtendit etiam Cordubam, aliquando *Patriciam* tantùm vocatam, quam lubet hic apponere.

L. LVCRETIO. SEVERO.
PATRICIENSI.
ET. IN MVNICIPIO. FLAVIO. AXATITANO.
EX. INCOLATV. DECVRIONI.
STATVAM. QVAM. TESTAMENTO.
S. PONI. SIBI. IVSSIT.
DATIS. SPORTVLIS. DECVRION.
.....M. F. AXATITANI.....



Cap. XX.

OBVLCO MVNICIPIVM PONTIFICENSE DICTVM.

Diuerſa ab Antonini Bucula. Simleri error. Cur Porcunna *dicta. Inſcriptio vetus.*

Tvrdetanorum in Bætica oppidum eſt *Obulco*, teſte Ptolemæo, quod à Plinio etiam *Pontificenſe* cognominatur. A. Hirtio lib. IV. de bello Alexandrino *Obulcula*, Stephano verò ὀ' βόλκων vocatur, nulla pœnè olim de cauſſa notius, quàm feſtino C. Cæſaris in Hiſpaniam aduentu, qui aduerſus Pompeii liberos properans, XXVII. die quàm Roma diſceſſit, Obulconem peruenit, teſte Strabone lib. III. Hoc æuo eſſe *Vbedam* credit Moletius; Marius verò Niger *Siguram*; ſed Ant. Auguſtinus, Dialogo VIII. & Ambroſius Morales, eſſe *Porcunna* firmiter aſſerunt, quibus & ego lubens aſſentior. Adde quòd Plinius *Obulconem* ab amne Bæti XIV. M. P. in mediterranea diſtare dicit, cui ſitus Porcunnæ ad amuſſim reſpondet, ſiquidem tribus, ſed magnis admodum leucis, à Bæti diſtare Porcunnam in confeſſo eſt. An verò hæc eadem cum Antonini *Bucula* ſit, credit Simlerus, & *Obulculam* reſtituit: ſed à calore, non à iudicio hæc eſt emendatio. nam cùm Strabo *Obulconem*, XXX. circiter ſtadiis à *Corduba* diſtare dicat, quæ non explent IIII. M. P. non video, qui cum Antonini *Bucula* cõuenire poſſet. Nam LII. M. P. à Bucula Cordubam numerat. Sed vnde *Obulconis* in *Porcunnæ* nomen mutatum, quæret aliquis? licet arduum ſit in tanto ætatis decurſu cauſam indagare; placet tamen Moralis opinio (quam & ab Ant. Auguſtino confirmatam video) à celebri & antiqua Scrofæ ſtatua fluxiſſe, quæ triginta fætus enixa fuerat, in cuius memoriam, miſſo priori nomine *Porcunna* dicta fuit, non ſecus ac *Sarabris* à Tauri effigie, hodie *Toro* vocatur. Statuæ verò hæc ἐπιγραφὴ inſcripta eſt, vt hodie in D. Benedicti æde viſitur.

C. CORNELIVS. C. F.
C. N. GAL. CÆSO.
ÆD. FLAMEN. II. VIR.
MVNICIPII. PONTIF.
C. CORNEL. CÆSO F.
SACERDOS. GENT. MVNICIPII.
SCROFAM. CVM. PORCIS. XXX.
IMPENSA. IPSORVM.
D. D.

Ex qua etiam inſcriptione patet, vocatum fuiſſe hoc oppidum *Municipium Pontificenſe*, prætermiſſo *Obulconis* nomine. Exſtat & ibidem alia inſcriptio, in qua non ſolum proprium vrbis nomen, ſed & cognomen inſcriptum eſt:

L. POR-

L. PORTIVS. L. F. GALERIA. STILO.
OBVLCONENSIS. AN. LXV.
ÆDILIS. II. VIR. DESIGNATVS.
P. I. S. H. S. E. S. T. T. L.
HVIC. ORDO. PONTIFICENSIS.
OBVLCONENSIS.
LOCVM. SEPVLTVRÆ.
IMPENSAM. FVNERIS.
LAVDATIONEM.
STATVAM. EQVESTREM.
DECREVERE.

Vrbem hanc frugũ gloria & fertilitate fuiſſe quondã clarã, oſtendũt priſca ab Ant. Auguſtino producta numiſmata: quorũ quædam *Obulconis* nomen, vnà cum tritici & hordei ſpicis ferebant, alia verò aratrum cum ſpicis, & ſerpente in Cereris memoriam.



Cap. XXI.


ILLITVRGI ETIAM ILLVRGIS *ET* ILLVRGIA *dicta. Non eſſe* Iaen, *ſed Anduxar.*

PVnicis bellis nobilem validamque vrbem fuiſſe *Illiturgim*, in confeſſo eſt: & licet hodierno die à priſca nobilitate declinauit, res tamen circa ipſam geſtæ vetant illam ſilentio præteriri. Ptolomæus *Illurgim* nominat, & inter *Turdulos* collocat; Stephanus verò Byzantinus, & Polybius *Illurgiam*; T. Liuius & Plinius *Illiturgim* vocant. *Forum Iulium* cognominabatur, conuentus olim Cordubenſis. Ant. Beuterus credit, *Iaen* vrbem *Illiturgim* fuiſſe, ſed rectius multo Amb. Moral. colligit fuiſſe, vbi nunc vicus *Anduxar el veio* vix leuca ab vrbe diſtans: quod confirmat tum cippus marmoreus, ibidem refoſſus, cum hac inſcriptione:

ORDO. ILLITVRGITANORVM.
IMPENSAM. FVNERIS. DECREVIT.

Tum etiam Itinerarium Antonini, vbi enim Corduba Caſtulonem iter proſequitur, Illiturgi Caſtulonem. M. P. numerat, qui pœnè ipſas V. Leucas ab *Anduxar el veio Caslonem* vſque (vbi Caſtulo ſita fuit) conficiunt. T. etiam Liuius *Illiturgis* & *Caſtulonis* ſimul ſemper mentionem facit, ſiue defectionem, ſeu excidia earum recenſet. Cùm enim ad Romanos primum defeciſſent ducibus Magone, & Amilcare, à Pœnis obſeſſum fuit, à Scipionibus tamen magna cum hoſtium clade obſidione exemti fuere: poſtmodùm iterum à Pœnis obſeſſis Cn. Scipio opem tulit, & cæſis XII. millibus hoſtium, receſſum eſt ab obſidione, vt refert Liuius lib. XXIII. & XXIV. Poſt cladem verò Scipionum, non ſolùm ad Pœnos defecerunt, beneficiorum immemores; ſed defectionem ſcelere cumularunt: dum ex reſidua clade profugos Romanos hoſti prodiderunt; qua de cauſſa Africano Scipioni meritas perfidiæ pœnas dedere, capta per vim vrbe, auctore Liuio lib. XXVIII

Oppidum ipſum hac tempeſtate, amplum, & opulentum, templis, cœnobiiſque egregiè ornatum, abundat vino, oleo, tritico, ferina carne, melle, fructibuſq; omnis generis: copioſum ibi ſericum, nobilitas frequens, & illuſtris. Conſentiunt Hiſpani ſcriptores hac in vrbe floruiſſe, & nunc ſepultum eſſe Sanctum *Euphraſium*, ex ſeptem primis Epiſcopis, qui Apoſtolorum iuſſu in HISPANIA Euangelium propagarunt.



Cap. XXII.

GRANATÆ REGNVM.

GRANATA NEC ILLIPVLA, *NEC* ILLIBERIS *OLIM dicta. Sed Maurorum opus. Vnde nomen habet. Diuiſa in quatuor partes.*

NObiliſſimi regni caput *Granata*, & omnium totius HISPANIÆ vrbium maxima, teſte L. Marinæo. *Illipulam magnam* Ptolemæi credit fuiſſe Gerundenſis Epiſcopus,

ſed toto cælo eum errare Strabo oſtendit: qui auctor eſt ad Bætim appoſitam fuiſſe, inter Hiſpalim & Cordubam, qui *Ilibam* eam vocat: *Granata* vero, à Bæti procul diſtat. Ambroſius Morales oſtendit *Illipulam* eſſe *Pennaflor*, exiguum oppidum inter Hiſpalim & Cordubam. Tarapha vero, aliique non pauci, *Illiberim* olim vocatam fuiſſe, quam Stephanus *Elibrigem* dicit. Sed probatur Vaſæo aut Ambroſio Morali, qui monent *Illiberim* non procul à Granata fuiſſe eo in colle, qui nunc *Eluire* vocatur, vnde & vrbis porta nomen ſumſit, & non à fæmina, vt quidam ſomniant. Vrbs autem noua eſt Pœnorum colonia, quam ita dictam volunt nonnulli à Cocco, quem Hiſpani *Granam* vocant, qui inſigni copia in hoc regno legitur; alii vero à mali punici ſimilitudine, quod & *Granata* dicitur. Nam vt illud eſt granoſū, & denſiſſimis acinis refertum, ſic & vrbs 1
hæc, dehiſcentis granati in modum, confertiſſimas ædes habet: adde, incolas pro auitis inſignibus mala punica geſtare, quo nominis etymon referrent.

Vniuerſa vrbs multis collibus diſtincta, inter quos gemini ceteris altiores conſurgunt; quos amnis Darrus per mediam vallem fluens interſecat, in quatuor primarias vrbis regiones, ſitu quaſi ſeparatas, diuiditur. Ea vrbis regio, quæ maximo decoratur templo, *Granatæ* nomine gaudet, vicos habet plurimos, & arctos ob inſignem ædium frequentiam, licet à Chriſtianis laxiores ſint redditi. templum habet auguſtiſſimum, ea pœne forma, qua Pantheon Romæ: ſacrarium continet ſumtuoſum, in quo Rex Ferdinandus cum Iſabella coniuge (qui hanc vrbem à Pœnorum tyrannide anno Domini M. CCCC. XCII. vindicauit) ſepulti ſunt. Secunda regio *Alhambra* voca- 2
ta, in qua regium eſt palatium vetus, vermiculato opere, & immenſis ſumtibus exſtructum: tantæ quidē magnitudinis, vt ciuitas potius quam domus dici poſſet, tota mœnibus, turribuſque cincta. Nouum hic Palatium Hiſpaniarum Reges exſtruxere, cui ad magnificentiam nec architecturæ concinnitas, nec materiæ nobilitas, nec hortorū amœnus nitor, aut fontium vndique erumpentium iucundum murmur deeſt: quacumque enim proſpexeris, multa ſunt quibus oculos animumq; paſcas. Ab vno enim latere, vndique luxuriantis agri feliciſſima amœnitas; ab altero vero inacceſſi montes, perpetua niue canentes, vel flagrante Sirio, ſeſe offerunt. Quantū vero in Septemtrionem ſe oculorum acies extendere poteſt, porrecta camporum æquora, floridis & irriguis diſtincta pratis occurrunt: hic paſſim conſiti xyſti, & ſiluulæ frugiferarum ar- 3
borum: hic leporaria frequentibus feris, in regium oblectamentum conſpiciuntur: hic in ipſa Alhambra antiqua viſitur inſcriptio, quæ *Illiberis* nomen profert:

IMP. CÆS. M. AVRELIO.
PROBO. PIO. FELICI. INVICTO.
AVG. NVM. MAIESTATIQ.
DEVOTVS. ORDO. ILIBER.
DEDICAT. P. P.

Tertia vrbis regio, *el Aluesim* dicta, duobus collibus ornata. Magna hic ædium 4
frequentia, ſolis olim Mauris incolebatur, agricultura & ſerici textrinis hic victitant. Vltima regio eſt *Antiquerula* dicta, ædium frequentia & ſtructura ceteris non inferior ſitu eſt plano. Paſſim hic bombycinus pannus elaboratur, veſtis item ſerica, & holobera præſtantiſſima. Opificum frequentia, qui ſerico texendo victitant, quanta ſit, vel ex eo colligi poteſt, ꝙ ex ſolis mori arboris foliis, quibus bombyces veſcuntur, præter multas ſerici libras, Regib⁹ triginta millia quotannis pœne aui corū in vectigal cedant. Ambitu ſuo vrbs circiter M. P. XII. complectitur: tota vndique muris cincta, & propugnaculis mille triginta ornata, aeris hic temperies ſalubertima, nec nimiis auſtrinis obnoxia æſtibus, aut arctois frigoribus obiecta; ſed media axis vtriuſque, vernanteq; gaudet temperie. vnde & fructuum præſtantia, bonitaſque, & aquæ ſaluberrimæ 5
inſignis copia. Eſt præterea Epiſcopali dignitate inſignita, Iliberitana vicina ſede, vt multorum fert opinio, huc tranſlata: iuridicus etiam hic celeberrimus conuentus habetur. Ludum hic parentum memoria aperuit (quis credat?) *Ioannes* Æthiops genere, *Latinus* hinc dictus, at præſtanti forma, & Muſicæ ac Poeticæ in paucis peritus. Luſit enim carmen gratulatorium in Ioannis Auſtriaci victoriam ad Echinadas inſulas, de Turcis anno cIↃ. IC. LXXI. nauali prælio partam.

CAP.

CAP. XXIII.

ABDERA A POENIS, AVT PHOENICIBVS CONDITA. Franciscus Tarapha refellitur. Vnde Almeria *dicta.*

MAritimum Bæticæ oppidum, non procul à Charidami Promontorio, est *Abdera*: Gerundensis Episcopus hoc æuo credit *Veram* esse; potior tamen Scriptorum pars *Almeriam* dicit: cui & ego subscribo. Inter Bastulos, seu Bastitanos populos à Ptolemæo recensetur, & *Abdara* illi vocatur. Franciscus Tarapha à Thracibus conditam putat, nominis similitudine motus, quam habet cum Democriti patria: sed vnde id Tarapha? quod neque fictum, neq; pictum, neq; scriptum vspiam est. Melius Strabonis, aut Plinii vestigiis institisset, quorum ille à Phœnicibus, hic vero ex opinione M. Agrippæ à Pœnis originem trahere, vt & oram illam vniuersam, dicit. *Almeria* vero cur postea vocata sit, dicit Tarapha ab Almarico Gothorum Rege: qui anno Domini Iↄ. XV. vel, vt alii, Iↄ. XXX. HISPANIIS præfuit, nomen habuisse: qui cum à Childeberto Francorum Rege bello peteretur, propriis diffisus viribus, fuga salutem quærens, hic interfectus fuit. Vrbs hæc an. cIↄ. C. XLVII memorabili illa expeditione ab Alphonso VIII. Aragonum Rege, S. P. Q. Genuensi, & Raymondo Comite Barcinonensi suscepta, Mauris erepta fuit. Occupata vero vrbe, Genuensibus in præmium nauatæ operæ, catinus ex solido smaragdo, immensi pretii, oblatus fuit, vt auctor est Rodericus Ximenius, Toletanus Archiepiscopus, Rerum Hispa. lib VII. cap. XI. Ligurum tamen Annales, non Almeriæ, sed Cæsareæ in palæstina, Guilielmo illorum Duci, qui primus muros ascenderat, obtigisse illum referunt. Antiquissimum hic fuisse Episcopatum, docent Concilia in Hispania celebrata: cuius primus Episcopus S. Ctesipho, B. Iacobi Apostoli discipulus fuit, vt auctor est Ioannes Vasæus.

CAP. XXIV.

MALACA ALIQVIBVS MÆNACE. *Veteres inscriptiones.*

QVA mediterraneum mare prospectat Bætica, fęcunda est vrbs *Malaca*, hodie vix mutato nomine *Malaga* appellatur; licet Mario Aretio aliter visum sit qui *Malacam* olim fuisse, vbi nunc *Caput Maduce*; *Salaubam* vero fuisse, quę nunc *Malaga*. Sed hoc est ex meridie tenebras facere: nam & situs, nomen, ceterique Scriptores contra asserunt; inter Bastulos à Ptolemæo memoratur. Primarium fuisse oppidum auctor est Strabo, qui nonnullos credidisse refert, olim Mænacem dictam: quam Stephanus videtur Μαίνην vocare, nisi κελτικὴν illam esse scriberet; sed perperam, cum hæc Phocensium vrbium vltima, quæ ad occasum vergunt; & longius à Calpe distat, quam *Malaca*, quę Phœnicum ciuitatis propiorem retinet formam. Licet Festus Auienus, in descriptione sua oræ maritimæ, vnam eandemque vrbem esse dicat, his versibus:

Hos propter autem mox iugum Barberium est
Malacheque flumen, vrbe cum cognomine;
Mænace priore quæ vocata est seculo.

Fluuius vero hic *Malaca*, de quo Poeta, idem est cum Ptolemæi *Saduca*, qui hodierno æuo ab accolis *Guadalqueuireio* indigetatur, teste Floriano lib. I. c. II. licet perperam Marius Aretius *Saldubam* hunc vocet, Dialogo suo, cui *Calipho* nomen, cum nemo Cosmographorum illius meminerit.

Plinius à Pœnis originem trahere asserit; Franciscus Tarapha à Phœnicibus ante Christi aduentum annis Iↄ. III. exstructam putat, quo auctore, nescio. Hoc tempore vrbs est non obscura. nam emporium est satis frequens, agro vndique felici, & amœnissimo cinctum: huc statis temporibus, vndiq; mercatores magna copia confluunt, præcipue Belgæ, vt sapidissimos & passos autumnales fructus, ad Septemtrionales plagas auehant. Vini & olei copia fæcunda, vnde luculentum incolis lucrum. turribus, propugnaculisque egregie instructa, vt facile omnes hostiles minas contemnat. Indicio

est, longa obsidione à Ferdinando & Isabella Regibus vexatam, nec nisi vrgente famè captam fuisse. Armamentarium omni telorum, & machinarum bellicarum genere, longe instructissimum habet, vnde limitaneis Africæ locis, vt Madauro (quod vulgo *Oran* appellatur) necessarii commeatus telaq; suppeditantur. Episcopalis vrbs à multis annis fuit, Martyresque habuit SS. Cyriacum & Paulam, sub Diocletiano passos. Non possum hoc loco preterire inscriptionem, quam Malacæ in honorem Imp. Septimii Seu. Pert. exstare refert Morales:


IMP. CES. L. SEPT. SEVERO.
PIO. PERTINACI. AVG.
PARTH. ARAB. ADIAB.
PACATORI ORBIS.
ET. FVNDATORI IMP. ROM.
IN. EIVS. HONOREM. RESP. MALAC.
TEMPLVM. MARTI. D.D.

Non procul à Malacâ vicus est *Cannete*, olim *Saborâ* dictus, vbi superioribus annis, ænea tabula vna cum insigni inscriptione reperta, quæ quia Imperatoriam breuitatem refert, & scire operæ pretium erat, religiosum putaui hic omittere:

IMP. CÆS. VESPASIANVS. AVG.
PONTIFEX. MAXIMVS.
TRIBVNICIÆ. POTESTATIS. VIIII.
IMP. XIIX. CONSVL. VIII. P.P.
SALVTEM. DICIT. IIII VIRIS.
ET DECVRIONIBVS.
SABORENTIVM.

CVM. MVLTIS. DIFFICVLTATIBVS.
INFIRMITATEM. VESTRAM. PREMI. INDICETIS.
PERMITTO VOBIS. OPIDVM. SVB. NOMINE. MEO.
VT. VOLTIS. IN. PLANVM. EXSTRVERE.
VECTIGALIA. QVÆ. AB DIVO. AVG.
ACCEPISSE. DICITIS. CVSTODIO.
SI. QVA. NOVA. ADIICERE. VOLTIS.
DE. HIS. PROCONSVLEM. ADIRE. DEBEBITIS.
EGO. ENIM. NVLLO. RESPONDENTE.
CONSTITVERE NIL. POSSVM.
DECRETVM. VESTR ACCEPI. VIII. KAL. AVG.
LEGATOS. DIMISI. IIII. KAL. EASDEM.
VALETE.

II VIRI. C. CORNELIVS. SEVERVS.
ET. M. SEPTIMIVS. SEVERVS.
PVBLICA. PECVNIA. IN. ÆRE. INCIDERVNT.



CAP. XXV.

CARTIMA. DIVERSA A T. LIVII CERTIMA. *Egregia vetus inscriptio.*

NOn procul à Malaca, amœnũ est oppidum *Cartama*, olim vero *Cartima*, vel *Municipium Cartimitanum* vocatum, vt ex antiqua mox patebit inscriptione: quæ multum diuersa est à T. Liuii *Certima*, cuius lib. XL. meminit. nam in vltima illam Celtiberia statuit, à Tib. Sempronio Gracchio obsessam, ad deditionemque compulsam; nostra vero hæc *Cartima* ad maximi montis radices sita (qui num Ptolemæo *Ilipula* vocetur, aliis investigandum mando) qui quantum in aquilonem patet sterilis est, & aspretis siluisque horridus, sed aduersa parte culturæ patiens & passim vinetis consitus,

Gr[illegible]as nuces, seu amygdala, ficusque sapidissimas magna copia producit, quæ in Bore[illegible]les regiones magno emolumento incolarū asportantur. Adiacent frequentes siluæ glandiferæ, & gallæ feraces, quarum tum ad atramentum conficiendum, tum ad densanda hircorum caprarumq; coria (vulgo *Corduana*) magnus est vsus. Pulcerrimam hoc loco exstare inscriptionem refert Ambrosius Morales, qua Lectorem defraudandum non putaui.

IVNIA. D. F. RVSTICA.
SACERDOS. PERPETVA. ET. PRIMA.
IN. MVNICIPIO. CARTIMITANORVM.
PORTICVS. PVBLICAS.
VETVSTATE. CORRVPTAS.
REFECIT.
SOLVM. BALINEI. DEDIT.
VECTIGALIA. PVBLICA. VINDICAVIT.
SIGNVM. ÆREVM. MARTIS.
IN. FORO. POSVIT.
AD. BALINEVM. SOLO. SVO.
CVM. PISCINA. ET. SIGNO. CVPID.
EPVLO. DATO. ET. SPECT. EDITIS.
D. S. P. D. D.
STATVAS. SIBI.
ET. C. FABIO. IVNIANO. F. SVO.
AB. ORDINE.
CARTIMITANORVM. DECRETAS.
REMISSA. IMPENSA.
AVIÆ. STATVAM. ET. C. FABIO.
FABIANO. VIRO.
D. P. S. F. D.

CAP. XXVI.


SINGYLIA NVNC ANTIQVERA. *AB ANTONINO* Anticaria *dicta. Inscriptio vetus. Fons ibi medicatus.*

GRanatensis regni venustum est oppidum *Antiquera*, Plinio olim *Singylia* dictum, vt ex antiquis probant inscriptionib⁹ Amb. Morales, & Car. Clusius. Nomen illi forsan, à vicino amne *Singyli*, qui Bæti infunditur, hodie *Xenil* dictus. num vero eadem sit cum Antonini *Anticaria*, quam itinere à Gadibus Cordubam statuit, incertus sum. Sed nominis vicinitas, parum discrepante situ, suadet vt idem, cum Ortelio, credam esse oppidum cum *Singylia*. Quid enim miri à Plinii ætate in Antonini æuum nomen mutatum esse? cum plerisque id euenisse palam est: hinc vix duo Scriptores idem nomen efferunt. Situm est oppidum in colle leuiter vndique aspero, & inæquali, sed amœno, & fecundo, firmum satis & munitū. Castrum habet in vertice cum portis ferreis, vbi Granatensium Regum frequens, & tutus olim erat secessus. Iucundus in subiectos agros prospect⁹; hinc per proiectos agros latissimè vagatur, hinc cæduis montibus coercetur: adest fontium perennium, & egelidorū frequentia, quorum inter cōfragosa loca ebullientium suauissimū murmur aures demulcet: & limpidæ vndæ visui gratę. Salinas habet copiosas, vnde ingens quæstus exiguo labore venit. non enim, sicut in Germania & Zelandia, ignis adminiculo coquitur, sed æstiuis mensibus, fontana vel cælesti aqua in stagnum collecta, multo sole concrescit. Vnde & vicini montes candidissimi salis grumos præbent: habet etiam non contemnendas latumias, ad incolarum ædificia. Egregia hic inscriptio seruatur, quæ prisci nominis, & vetustatis memoriam refert:

GALLO. MAXVMIANO. PROCOS. AVG.
ORDO. SINGILIENSIVM.
OB. MVNICIP. DIVTINA. BARBAR. OBSID. LIB.
PATRONO.
CVRANTIBVS. C. FAB. RVSTICO.
ET. L. ÆMILIO. PONTIANO.

Secundo ab vrbe milliari medicatus est fons, ad multa morborum genera, sed præcipue ad calculorum vitia celeberrimus, indigenis dictus *Fuente de Antequera*. Superiori etiam æuo in honorem fuisse prisca inscriptio ab Amb. Morales producta testatur, quam hodieque Singylæ dicit conspici:

FONTI. DIVINO. ARAM.
L. POSTVMIVS. STATVLIVS.
EX. VOTO. D. D. D.



CAP. XXVII.

ARTIGIS IVLIENSIS *COGNOMINATA. DE EIVS Thermis pauca.*

Singyliæ fontis salubritas in memoriam mihi reducit *Albamæ* nobiles, & vicinas thermas, quarum occasione de ipsa vrbe pauca dicenda erunt. Credit Iosepus Moletius, *Albamam* esse *Artigim* Ptolemæi, quam Plinius *Iuliensem* dicit cognominari. Turdulorum oppidum quondam; sed quibus coniecturis fultus hoc asserat, incertus sum: quare neq; confirmare argumentis, nec reiicere mihi in animo est. Distat nunc à Granata septem milliaribus: immensis vndique præcipitiis, & asperrimis rupibus ambitur, agro tamen lætissimo fruitur: in pratis, hortis, aruisque mira passim luxuries Granatensibus olim Regibus amœnissimum otium, & delicias prębebat. Sed salubres, & vberrimi hic ebullientes fontes, locum præcipue commendabant: qui secreto quodam naturæ miraculo ex intimis terræ visceribus, secum calorem beneficum ferunt, nullius exteræ flammæ indigi, vt calefiant. Cum enim multis in locis terra opertos ignes tegat, quibus iuge pabulum aluminis, sulphuris, aut bituminis vena præbet, fit vt eorum ardore incalescens tellus, ferdum vaporem in superiora emittat loca, quo offensi vicini fontes efferuescunt inter venas suas, atq; ita profluunt calidi; incorrupto interdum sapore, si remotiores ab ignis pabulo fontium ortus. Quod si vero per ipsa loca sulphure, aliave materia plena fluant aquæ, calorem non solum illius contactu, sed & saporem, & odorem trahere in confesso est. Sed cum studio hęc inquirant, qui naturæ arcanis nobiles curas intulerunt: instituti enim mei minime est exactè hæc persequi. Temperatum adeo huius fontis calorem prædicant, vt nudo corpori nulla inde noxa. ipsa vero aqua pacata adeo, & limpida fluit, vt numerare iniectas stipes, & relucentes calculos facile quivis possit. Epotam variis ægritudinibus, & neruorum pręcipue ferunt conferre; Martio præsertim & Septembri vtilis mensibus. Adauget etiam structuræ elegantia natiuam loci amœnitatem. Regum enim cura, & liberalitate, thermæ hic excitatæ magnis impensis, adeo vt inter Hispaniæ balnea nobilissimæ habeantur, & cum Statio Papinio I. Sylu. libere dicam.

Nec si Baianis veniat nouus hospes arboris,
Talia despiciat (fas sit componere magnis
Parua) Neronea nec qui modo lotus in vnda,
Hic iterum sudare neget.



CAP. XXVIII.


MVNDA ANTIQVVM NOMEN RETINET. INscriptio vetus. Metropolis olim Turdetaniæ.

AEtatis iniuria, & posterorum incuria effecit, vt, quo loco quondam fuerit *Munda*, pene ignoretur. alii enim *Rondam*, alii *Mundecaram* hodie vocari credunt. Sed P. Ioan. Mariana, & Amb. Morales, ostendunt incorruptum nomen, post tot secula seruatum, & *Mundam* esse, quę viginti millibus à Malaca distat. Suffragatur vetus inscriptio templi foribus præfixa:

IVLIVS.

IVLIVS. NEMESIVS. NOMENT.
VICE. M. AVRELII. IMP.
SACRA. BÆTICAM. GVBERNANS.
PRÆTORIVM. IN. VRBE. MVNDA.
QVO. PATRES. ET. POPVLVS.
OB. REMP. RITE. ADMINISTRAND.
CONVENIANT. F. MAND.

Erat autem *Munda*, teste Plinio, Colonia immunis, sita editiori in grumo, modico præterfluente amne; palustri & voraginoso solo, ad dextram partem (vt refert A. Hirtius) quem lata planicies excipit, vbertate & amœnitate conspicua, & in vniuersa frugum genera facilis, vt nihil sit quod natura negauerit, nihil quod cultura præterierit. Sed nulla re notior, quàm cruento, & ancipiti circa illam commisso prælio, inter Pompeii liberos, & Dictatorem Cæsarem: vbi tanta Pompeianorum strage bellatum fuit, vt, cùm se Mundæ profugi recepissent, & Cæsar obsideri victos imperasset, aggeriq; exstruendo deesset materia, congerie hostilium cadauerum, pilis tragulisque confixa (quia roboreæ sudes deerant) vrbem vallarent. Auctor est Dion lib. XLIII. hoc loco statim à victoria palmæ germen enatum esse. Sed magis mirandum quod & Plin. lib. 36. c. 18. refert, palmatos circa *Mundam* lapides reperiri, idq; quoties fregeris. Strabo lib. III. refert *Mundam* quasi metropolim fuisse vniuersæ Turdetaniæ.



CAP. XXIX.

LVSITANIÆ REGNVM.

LVSITANIA. DICTA ETIAM LYSITANIA. *LIMITES eius. Strabo diuersus à ceteris. Stephani Byzantini hallucinatio. Lusitania & Portugalia diuersæ olim prouinciæ. Martiani Capellæ error.*

HIspaniæ vlterioris altera prouincia est *Lusitania*, cui *Lusum* Liberi patris, aut *Lyssam*, cum eo bacchantem nomen dedisse auctor est Plinius lib. III. cap. I. vnde & promiscuè apud veteres nunc *Lusitania*, nunc *Lysitania* scriptū est. Terminatur secundùm Ptolemæum, à Septentrione amne Durio (qui illam à Tarraconensi diuidit;) à Meridie flumine Ana (qui illam à Bætica;) ab Occidente Oceano Atlantico; ab Oriente à Tarraconensi separatur, linea ducta ab Oretania veteri vsque ad pontem Durii, è regione *Septimancas*. Strabo verò lib. III. diuersus à Ptolemæo, ceterisque Geographis, Lusitaniæ limites describit: *Huius regionis Australe latus Tagus cingit; ab Occasu verò, & Septentrione Oceanus; ab Aurora Carpetani, Vettones, Vaccæi, & Callaici, famæ maioris populi.*

Ex quibus patet, Strabonem *Lusitaniam* à Tago inchoare, regionem verò, quæ inter Tagum & Anam est, *Lusitania* excludere, ab altera verò parte vltra Durium illam extendere: siquidem & Minium amnem, & Artabros *Lusitania* comprehendit, qui à Ptolemæo in Tarraconensi statuuntur; sed cùm Plinius etiam Ptolemæo suffragetur, & Durio Anaque fluminibus *Lusitaniam* includat, missa Strabonis descriptione, Ptolemæi vt veriori magisque receptæ adhærendum. Quid Stephanum Byzantinum lib. de vrbibus mouerit, quòd *Lusitaniam* Bæticæ partem asserat, me latet: quemadmodum etiam, quod dicit ex Artemidori sententia, *Belitanos* eosdem esse cum *Lusitanis*. Nam Plinius lib. III. cap. III. prope Cæsaraugustam *Belitanos* Ciuium Romanorum collocat, & Ptolemæus eodem penè loco vrbem *Celiam* recenset, satis procul à *Lusitania*: nisi forsan dicamus *Belitanos* à Lusitanis originem trahere, & ideò eosdem esse cum Lusitanis. Martianus Capella *Lusitaniam* dicit permeari sui cognominis fluuio, sed vbi gentium hic fluuius, mihi prorsus ignotum, nisi Anam quis suspicetur esse. Sed terminat amnis hic *Lusitaniam*, non transit. Quare mittamus Sybillina hæc folia. Hodierna die *Portugalia* dicitur, non tamen satis propriè: siquidem nec tota *Portugalia* *Lusitaniæ* finibus circumscripta est, nec etiam totam *Lusitaniam* complectitur; licet potissima eius pars *Portugaliæ* subiaceat. nam tota interamnis prouincia, vulgò *entre Douro & Minho*, extra Lusitaniam erat, secundum Plinium, & Ptolemæum: nisi Straboni accedamus, qui ait maximam Callaicorum partem *Lusitanos* appellari; & alibi dicit, Minium omnes Lusitaniæ amnes magnitudine superare. Eadem etiam ra-

tione Lusitaniæ pars, quæ Tarraconensem spectat, *Portugalia* non comprehenditur, vt *Castra Cæcilia, Castra Iulia, Placentia, Abila, Salmantica*; tum non paucæ vrbes, quæ circa Anam sunt, & inter illas *Augusta Emerita*, olim conuentus Lusitaniæ. Nomen verò *Portugaliæ*, teste Andrea Resendio, à *portu Calis* circa Durii ostia deducitur, & non à *portu Gallorum*, vt insulsè L. Marineus Siculus, aliique: vnde leuiter inflexo nomine *Portugale*. Paulatim ad Braccarios Galleciæ partem diffusum, vt auctor est Rodericus Ximenius Archiepisc. Tolet. lib. V. cap. XII. *Interea Alcorexi Rex Agarenorum eam partem Galleciæ, quæ nunc Portugalia dicitur, & vsque ad S. Iacobum, non veritus Apostolum, deuastauit.* Et lib. VI. cap. XI. *Lusitaniæ, & Portugaliæ*, vt diuersarum prouinciarum, simul meminit, vbi de Ferdinando I. agit: *Cumque in tranquillitate secura gauderet, congregato exercitu processit, vt Lusitaniam & Portugaliam occuparet, quas tunc temporis Arabes detinebant.*

Lusitania autem omnis in tres iuridicos conuentus, auctore Plinio, distincta erat, in *Pacensem, Scalabitanum, &* Emeritensem: tota vndique magnis nobilibusque fluuiis irrigua, Durio, Munda, Callipode, Minio, & ab omnibus ob auriferas arenas celebrato Tago: fontium perennium tanta copia, vt, teste Vasæo, vltra viginti quinque millia, in ea numerentur, inter quos mirandi aliquot. Refert enim Plinius lib. II. cap. III. *In Carinensi* (seu vt Resendius emendat, *Cetinensi*) *Hispaniæ agro, duos fontes iuxta fluere, alterum omnia respuentem, alterum absorbentem.* postremum hunc fontem, non procul à Tentugalensi municipio, loco dicto *Cadima*, conspici ait Vasæus, & coram Rege Ioanne III. periculum factum, non solùm in arborum truncis, ramisque, sed etiam in iumento, quod fonti admoto pede paulatim absorberi cœptum, ægrè tandem à famulis extractum est. octo leucis à *Conimbrica* abest hic fons, & indigenis nunc *Feruentia* vocatur

Præter auriferum verò Tagum, tellus etiam auri ferax, ita vt Lusitaniam, Galleciam, & Asturiam, vicena millia pondo annis singulis præstitisse dicat Plin. lib. XXXIII. cap. IV. plumbi, & crystalli etiam fœcundam esse, aliis locis idem est auctor. Huius prouinciæ vbertatem, cultum, amœnitatem quid opus est multis efferre? multorum instar erit Athenæi VIII. Dipnosoph. de illa encomium: qui ex sententia Polybii Megalopolitani post multa: *Sus*, inquit, *qui ad centum librarum pondus accedit, quinque drachmis in cœnas emitur, ouis duabus, ficuum talentum tribus obolis, vitulus drachmis quinque, bos iugo aptus decem: siluestrium verò animalium carnes neque pretio vllo dignæ putantur; sed has inter se conferunt, benigneque admodum vicissim largiuntur, ac mutant.*

De incolarum verò virtute, ingenio, & bellica gloria quid attinet multa dicere? Diodorus Siculus fortissimos omnium Celtiberorum *Lusitanos* ait. Strabo etiam lib. 3. *Lusitaniam* ait plurimis annis Romanorum armis oppugnatam. Abunde etiam Florus Lusitanorum virtutem ostendit lib. II. cap. XVII: *Totam certaminum molem cum Lusitanis fuisse, & Numantinis: nec immerito, quippe solis gentium duces contigerunt.* Vnus Viriatus sufficiet, qui annos quatuordecim, varia victoria Romanos fatigauit, & si fortuna fauisset, meritus, qui HISPANIÆ Romulus fuisset.

Nec emarcuit nostra tempestate Martius ille vigor. nam patrum memoria, felici ausu, & audaci felicitate, superato Bonæ spei promontorio, ignotum antea vastissimũ illud Atlanticum mare primi nobis aperuere Lusitani, detexere latentes Africæ immensas oras, & secunda nauigatione penitissima Indiæ penetrarunt: vbi non cum inermi, aut fugaci Mauro, sed cum potentissimis Indiæ penetrarunt: vbi non cum potentissimis Indiæ Regibus, vniuersi orientis robore, cum Persis, inquam, & Turcis maxima bella felicissimè, terra, marique gesserunt.



CAP. XXX.

LVSITANIAE POPVLI. DVPLICES TVRDVLI. IIDEM cum Turdetanis Ptolemæi. Celtici vnde fluxere. Vettones nunc Lusitania exclusi, nunc inclusi. Prouincia Vettonia.

TVRDVLI.

INter Lusitaniæ incolas, numero famaque notissimi fuere *Turduli*. Diuisio olim in *Turdulos veteres*, & *Turdulos* citra adiectionem dictos: celeberrimi erant *veteres*, & quasi ceterorum parentes, tam eorum qui Lusitaniam, quàm qui Bæticam incolebãt. Pomponius Mela eos habitasse à Tagi ostio ad Durium vsque lib. II. cap. I. refert; Pli-

nius

nius verò circa Durium amnem eos collocat, his verbis, lib. IV. cap. XXI. *A Durio Lusitania incipit, Turduli veteres. Præsuri. flumen Vacea.* Vnde parum exacte Abrahamus Ortelius in veteris suæ Hispaniæ descriptione, circa promontorium sacrum *Turdulos veteres* ponit, cum multis hinc millibus Durius amnis remotus sit. Ceteros verò Turdulos circa Anam flumen degere testatur Plinius lib. IX. cap. XXII. *Ab Ana*, inquit, *quo Lusitaniam à Bætica discreuimus, C. XXI. M. P. à Gadibus CI. M P. additis gentes Celtici, Turduli & circa Tagum Vettones.* Ita enim legit Andreas Resendius, cum prius legeretur *Varduli*, qui citerioris prouinciæ circa Vascones sunt populi.

Hos ego *Turdulos* eosdem crediderim, cum *Turdetanis*, quos Ptolemæus in Lusitania recenset, ab Anæ ostiis ad promontorium Barbarium, vulgò *Cabo de Pixeles*, vbi nunc Regnum Algarbii est: & cum ceteri Scriptores de Turdetanis in Lusitania sileant, & Turdulorum situs cum Ptolemæi Turdetanis idem prorsus sit, eosdem ausim asserere. Præter verò hos Turdulos meminit Plinius citato cap. XXII. Turdulorum, qui *Partuli & Tapori* vocantur, de quibus quid dicam plane anceps sum, cum nemo hos præter illum agnoscat.

CELTICI.

PRæpotens in Lusitania *Celticorum* populus, à Gallis Celtis, vt fama est, originem ducens: iuxta Anam, teste Plinio, habitabant, ad Turdulos & Vettones longe lateque diffusi, eo pene loci qui hodie *Alemteyo* vocatur, multas plæclarasque vrbes occupantes, quas inter auitum pene & gentilitium nomen seruarunt *Helua*, nostro æuo non obscura vrbs, ab Heluiis Galliis conditoribus sic vocata.

Varii ab his Celticis fluxere populi, inter ceteros vero, qui Beturiæ partem incolebant, Celtici, teste Plinio lib. III. cap. I. *Celticos, à Celticis ex Lusitania aduenisse manifestum est, sacris, lingua, oppidorum vocabulis, quæ cognominibus in Bætica distinguuntur.* ita enim legendum, & non à *Celtiberi*, vt vulgati codices, monet Resendius. nulli enim Celtiberi in Lusitania. Sed etiam in citeriori prouincia *Celtici* cognomine *Neriæ*, & *Celtici Præsamarici* qui omnes circa promontorium Nerium, aut Celticum dictum habitant: quorum Strabo luculente meminit lib. III. loquitur verò de promontorio Nerio: *Circum habitabant Celtici, qui colentes Anam fluuium cognatione contingunt. Nam cum ii pariter atque Turduli, sociis eo armis peruenissent, seditionem egisse ferunt, postquam Limiam fluuium traiecerunt: ceterum post seditionem, eorum amisso duce, palantes ac dissipati ea in regione desederunt: hac de caussa flumen Λήθης, id est, Obliuionis appellatum.*

VETTONES.

FRequentem maxime fuisse, & diffusam *Vettonum* nationem, nemo vel obiter in Geographis, & prisca Historia versatus inficiabitur: hinc pugnantia inter sese mutuo Scriptorum sunt testimonia. Nunc enim illos inter Lusitanos recensent, nunc excludunt. Ptolemæus illos Lusitaniæ adscribit, & maxime orientales facit (licet antiqua exemplaria Οὐεργωνες habeant;) Plinius autem lib. IV. cap. XXII. circa Tagum statuit *Vettones*; Cæsar vero primo belli Ciuilis Commentario, illos Lusitania videtur excludere: vbi enim Afranii, Petreii, & Varronis, Pompeii legatorum præfecturas diuisit subdidit. *Vt Petreius ex Lusitania per Vettones cum omnibus copiis ad Afranium proficiscatur.* Strabo etiam lib. III. Lusitania illos videtur excludere: *Huius regionis* (*Lusitaniæ*) *latus australe Tagus cingit, ab occasu vero & septemtrione Oceanus; ab aurora Carpetani, Vettones Vaccæi, & Gallaici famæ maioris populi.* Idem tamen statim subdit Strabo: *Contra vero nonnulli & hos Lusitanos nominant.* Vnde alterutrum sequi necessum est, vel duos diuersos populos fuisse; aut, vt exordio dixeram, frequentem admodum fuisse gentem, quę angustis suæ prouinciæ terminis non cõtenta in citerioris prouinciæ partem, aggrauante copia, se diffuderat. Quod & Andreæ Resendio probari video, q̃ addit, separatã illos etiã prouinciã effecisse, occupatis vicinorũ agris, cui⁹ caput *Augusta Emerita*, à Prudentio statuitur. Confirmat hoc vetusta inscriptio, ab eodẽ producta, quæ Emeritæ visitur.

D. M.
P. ÆLIO. VITALI. AVG. LIB. TABVL.
PROVINC. LVSITANIÆ. ET. VETTONIÆ.
STEPHANVS. LIB.
ET. HERES. PATRONO. FECIT.

Vnde verum esse comperimus, quod Plinius iam suo æuo conquerebatur: *Aliunde alüs exordium mensuræ est, & alia meatus, ita fit, vt nulli duo concinant.*

Ab his populis *Vettonicam* laudatam, & nunc notissimam herbam nomen sumsisse refert Plinius lib. XXV. cap. VIII. auctor est Strabo lib. III. Vettones, cum primum

Romanorũ castra intuentes quosdam centuriones, deambulationis causa deflectere
viam cernerent, insanire homines sunt suspicati: itaque eis præcedentes, viam ad ta-
bernacula commonstrabant, perinde ac, aut fixos per quietem manere, aut pugnare
necessarium arbitrarentur.



Cap. XXXI.

EMERITA.

AVGVSTA EMERITA AB AVGVSTO CONDITA. LVSITA- 1
niæ quondam metropolis. Reliquiæ hic Theatri, & Naumachiæ.

POst deuictos Cantabros, pacatamque Hispaniam ab Augusto Cæsare, ab emeritis
militibus, *Augustam Emeritam* conditam vrbem, præter Dionem lib. LIII. & D.
Isidorum, sentiunt Scriptores, inter quinque Lusitaniæ colonias Plinio recensetur:
celebremque eius ætate fuisse, vel ex eo patet quod inter tres conuentus Lusitaniæ ab
eo reponitur. Pomponius etiam Mela suo æuo celiberrimam Lusitaniæ vrbem fuisse
ostendit. Non defuere inter recentiores, qui nugis suis omnia inuoluentes, dicant, vel
à *Myrmidonibus*, vel in Herculis memoriam tamquam *Memoridam* dictam. quis non
ridebit tam inficetas etymologias? Ptolemæus inter Celticos; Strabo vero illam inter 2
Turdulos collocat; poeta vero Prudentius, hymno in S. Eulaliam Emeritensem, inter
Vettones recenset:

Nunc locus Emerita est tumulo,
Clara Colonia Vettoniæ,
Quam memorabilis amnis Anas
Præterit, & viridante rapax
Gurgite, mœnia pulcra alluit.

Et licet auctores hi dissentire videantur, facile lis hæc componi poterit, si temporũ
decursu variè mutatas prouincias reputauerimus, de quo & Plinius suo æuo conque-
rebatur lib. III. cap. I. *Quæ causa*, inquit, *magnos errores computatione mensuræ sæpius parit,* 3
*alibi mutato prouinciarum modo, alibi itinerum auctis & deminutis passibus; incubuere maria
tam longo æuo, alibi processere littora, torsere se & fluminum aut correxere flexus.* Proinde non
erit mirum, Strabonis tempestate, qui sub Tiberio Cæsare floruit, Turdulos viribus
opibusque claruisse; Prudentii verò æuo, qui sub Theodosio, Arcadio & Honorio vi-
guit, Vettones superiores fuisse, partemq; Turdulorum agri occupasse, atque ita *Eme-
ritam* inter Vettones annumeratam, cum priùs inter Turdulos esset:

Vrbem hanc Lusitaniæ caput fuisse, non solum reliquiæ antiquorum ædificio-
rum, sed & Poeta Ausonius testatur.

Iure mihi post has memorabere nomen Iberum,
Emerita, æquoreus quam præterlabitur amnis, 4
Submittit cui tota suos Hispania fasces.

Prudentius etiam dicto hymno luculentè id testatur:

Lusitanorum caput oppidorum Vrbs.

Sita est *Emerita* loco campestri, iuxta flumen Anam, vulgò *Guadiana*: qui pulcer-
rimo stratus ponte, vt ex architecturæ concinnitate coniicere licet, Romanã magni-
ficentiam refert. hac in vrbe olim duo erant aquæductus, quorum adhuc hinc inde
sparsi arcus visuntur, qui operis splendorem præ se ferunt. Vrbi etiam contigua moles
est, quam incolæ *Septisolium* vocant, quòd referant stato tempore, septem Pœnorum
Reges hac in vrbe conuenire solitos fuisse, & his sedibus sedisse. sed germanæ nugæ
sunt, cùm sedilium ne vmbram quidem hæc moles referat; sed theatrum fuisse, ait Ga- 5
sparus Barrerius, quod arcus planè habet collapsos, parietes verò diuersis in locis inte-
gros, ruderum adgestione planè deformatum. Arcus etiam hic prope D. Iacobi ædem
spectatur, quem incolæ plurimique Scriptores triumphalem fuisse putant: sed præ-
terquam quod falsum sit, triumphales arcus alibi quàm Romæ fuisse, structuræ quoq;
sunt magis illustris & operosæ: res gestas, fusos hostes, victoriasq; insculptas habent;
vnà cum titulo Imperatoris, vt Romæ videre est in arcu Imp. Septimii Seueri, &
Titi Vespasiani. Emeritensis verò arcus nihil horum præ se fert, ideoq; non abs re Bar-
rerius suspicatur, fuisse tropæum aliquod. insigne præterea antiquitatis opus conspi-
citur hic, Naumachia. Figura campi est oualis, M. CCCC. pedes in longitudinem
porrecta,

porrecta, latitudo verò longitudini respondet: circumdata est magno muro in arcus fornices deducto, vt nonnullis in locis adhuc vestigia monstrant. Vrbs hæc olim nobilissima ad magnam incolarum infrequentiam delapsa est, & præter priscæ claritatis ruinas nihil ostendit.

Auctor est Plinius lib. IX. cap. XLI. circa Emeritam coccum esse maxima in laude. Idem lib. XV. cap. III. prædulces oliuas per se tantùm siccatas vuisque passis dulciores, admodùm raras circa Emeritam Lusitaniæ esse refert. Gothorum tempestate Episcopalis vrbs erat, postea & Archiepiscopatum obtinuit, nunc vtroque spolita. Metropolitana verò dignitas à Callisto II. Pont. Max. translata fuit Compostellam, vt refert Vasæus Brugensis. Hac vrbe orta est *D. Eulalia*, vt supra citatis versibus meminit Prudentius. eadem oriundus Poeta *Decianus*, vt testatur Martialis:

Gaudent iocosæ Canio suo Gades,
Emerita Deciano meo.



Cap. XXXII.

EBORA.

EBORA DICTA LIBERALITAS IVLIA. Inscriptiones veteres. De situ eius pauca.

PErantiquam fuisse Lusitaniæ vrbem Eboram, vt nemo dubitat, ita de primo eius conditore, cuncti pœnè ambigunt: quod in tanta vetustatis caligine mirum non est. Iacobus Mœnetius Vasconcellus IC. Lusitanus, non ineptè suspicatur, hanc vrbem nominatam fuisse, ab *Eburonibus*, seu *Eburonicibus* Galliæ Celticæ populis, cùm compertum sit tractum hunc Celtas incoluisse: vnde forsan & *Eburobritium*, & in Bætica *Ebura* ad sinum Gaditanum, & in Carpetania T. Liuio *Ebora* nomen sumsere. Viriati certè magni illius Lusitani Ducis tempore floruisse, constat ex antiqua inscriptione, quam ab Andrea Resendio libello, de antiquitate Eboræ desumtam, Lectori hic propono.

L. SILO. SABINVS.
BELLO. CONTRA. VIRIATVM.
IN. EBOR. PROV. LVSIT. AGRO.
MVLTITVDINE. TELORVM
CONFOSSVS.
AD. C. PLAVT. PRÆT.
DELATVS. HVMERIS. MIL.
H. SEP. E. PEC. M. M. F. I.
IN. QVO. NEMINI. VELIM. MECVM.
NEC. SERV. NEC. LIB. INFERRI.
SI. SECVS. FIET.
VELIM. OSSVA. QVORVMCVMQ.
SEPVLCRO. MEO. ERVI.
SI. PATRIA. LIBERA. ERIT.

A Q. Sertorio habitatam & peculiariter dilectam, muris cinctam, & aquæ ductu ornatã fuisse, testatur vetus hæc inscriptio, quàm, licet mutilã, non pigebit adducere.

Q. SERTOR. ....
HONOREM. NOMINIS. SVI.
ET. COHOR. FORT. EBOR. MVNIC.
VET. EMER. VIRTVTIS. ERGO.
DON. DON. BELLO. CELTIBER.
DEQVE. MANVBIIS.
IN. PVBLIC. MVNIC. EIVS.
VTILITATEM.
VRBEM. MOENIVIT.
EOQVE. AQVAM.
DIVERSIS. IN. DVCT. VNVM.
CONLECTEIS. FONTIBVS.
PERDVCENDAM. CVRAVIT.

Cognominata postea hæc vrbs *Liberalitas Iulia* datumq; illi ius veteris Latii, vt testatur Plinius lib. IIII. cap. XXII. *Oppida*, inquit, *veteris Latii, Ebora, quod Liberalitas Iulia*, & *Myrtilis, ac Salacia*: quis verò veteris Latii ius primùm *Eboræ* concesserit incertum. Non absurdum erit suspicari, id C. Iulii Cæsaris beneficio obtinuisse, ideoque etiam cognominata *Liberalitas Iulia*, cui fauet antiqua hæc inscriptio, à Resendio producta:

DIVO. IVLIO.
LIB. IVLIA. EBORA.
OB. ILLIVS. IN. MVN.
ET. MVNIC. LIBERALITATEM.
EX. D. D. D.
QVOIVS. DEDICATIONE.
VENERI. GENETRICI. CÆSTVM.
MATRONÆ. DONVM. TVLERVNT.

Sita autem est *Ebora* loco campestri, situ planè amœno. Finge tibi amphitheatrum aliquod immensum, quale rerum natura sola opifex possit effingere: lata & porrecta est planicies, quæ impendētibus vndiq; montibus clauditur: ipsi montes non inuestes aut steriles, sed densis vetustisque nemoribus ornati: campi subiacentes fertilissimi, & opimæ messis feraces. at tantæ felicitati solus amnis deficit. Fidem Christi amplexa est in ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis, auctore D. Mancino, Domini nostri Discipulo, qui sub Traiano, aut, vt alii, sub Nerone martyrio affectus fuit. Hac vrbe oriundi *D. Vincentius, Sabina, & Christetis* sorores ipsius, qui Abulæ sub Daciano Præside martyrio affecti fuere.

Vrbs hæc ab Arabibus circiter CCCC. annis possessa fuit, & tandem regnante Alphonso Henrico primo Lusitaniæ rege, à Christianis occupata fuit, opera & virtute fortissimi viri Giraldi cognomine *Intrepidi*. Episcopalis vrbs fuit, sub Paulo verò III. Pont. Max. Archiepiscopali dignitate ornata, vt & Academia omnium disciplinarum illustrata. viros habuit doctrina conspicuos, *L. Andream Resendium*, diligentissimum antiquitatis indagatorem: cui quantum, non solùm patria *Ebora*, sed & vniuersa debeat Lusitania, testantur eius opera. habuit etiam *Thomam Rodericum à Veiga*, Medicum doctissimum, qui pauca, sed erudita, sed elaborata in lucem edidit.



CAP. XXXIII.

PAX IVLIA HODIE BEIA. *IOSEPHVS Moletius & Tarapha reiecti. Inscriptio vetus.*

INter celeberrimas Lusitaniæ ciuitates, numerata est *Pax Iulia*, vna ex quinque Coloniis, in qua & Iuridicus olim conuentus, vt auctor est Plinius lib. IV. cap. XXII. à Iosepho Moletio, & Francisco Tarapha, censetur *Badaioz* esse; sed longè hos errare vel Antonini docet Itinerarium, qui numerat ab Esuri per compendium Pacem Iuliam M. P. LXXVI. hoc modo: *Myrtilim M. P. XL. Pacem Iuliam XXXVI.* Esuris verò, vt hoc obiter moneam, oppidum est, non procul à Marianis montibus, hodie dictum *Xeres*, vt docet Resendius: *Xeres* verò à *Badaioz* tantùm XV. M. P. abest, & non LXXVI. vt ostendit Antoninus. quamobrem meliùs cum L. Andrea Resendio, & Gaspare Barrerio sentiendum, *Pacem Iuliam*, esse *Beiam* hodie dictam. Primò enim competit passuum numerus Antonini, à Myrtili Pacem Iuliam vsque M. P. XXXVI. cum nouem leucis, quæ *Mertolam Beiam* numerantur. Hac in vrbe non pauci antiqui cippi marmorei eruuntur, qui Pacis Iuliæ nomen ostendunt, inter ceteros cippus hic integer & non inelegans:


L. ÆLIO. AVREL. COMMODO.
IMP. CÆS. ÆLII.
HADR. ANTONINI. AVG.
PII. P. P. FILIO.
COL. PAX. IVLIA. D. D.
C. PETRONIO. MATERNO.
C. IVLIO. IVLIANO. II. VIR.

Apud

Apud historiographos etiam superioris æui, & barbaros passim legitur *Pacca*. i. *Beia*, vt latiùs videre est apud Resendium. nam quod obiiciunt, *Badiozæ* Episcopum, *Pacensem* nuncupari, leuius est, quàm vt quempiam mouere debeat. cui enim ignotum post funestam illam HISPANIÆ illatam a Pœnis cladem, magnam circa sedes Episcopales mutationem accidisse? Emerita enim Augusta, olim Lusitaniæ metropolis, omni nunc honore spoliata iacet. Egeditanorum Episcopatus, in vrbem Gardiam translatus, veterem retinet appellationem, sic *Badaioz*, quæ priùs forsan se ex illa cladè collegit, *Pacensis* pontificatus titulo ornata fuit: quorum exempla in Hispaniæ Annalibus

——adeò sunt multa loquacem vt
Delassare queant Fabium.


Hac in vrbe aquæductus Romani operis multa vestigia, nec paucæ veteres inscriptiones extant, pristinæ claritatis indicia. Floruit hic olim *Isidorus* cognomine *Pacensis*, cuius opera mendis referta circumferuntur. *Apringius* etiam Episcopus, non ineruditus, cuius in Apocalypsim explicationes ceteris omnium præfert Isidorus, & *Sisenandus Iunior*, qui Cordubæ martyrio affectus fuit, hic viguere.



CAP. XXXIV.

SETVBAL A CETOBRIGA, NON à Tubale dicta.

OPpidum est Turdetanorum, teste Ptolemæo, *Cetobrix*, vel *Cetobrica*, vt Antonini habet Itinerarium, ad ostia fluminis Callipodis (qui hodie, vt auctor est Resendius, *Iadan*; Becano verò in Hispanicis, *Palma* dicitur:) *Setubal* nunc vocatur, vt Gaspari Barrerio, & And. Resendio visum. Florianus verò Occampo, Antonius Beuterus, aliique Annalium Hispaniæ consarcinatores, ex Annio Viterbiensi asserunt *Setubal*, non corruptum adulteratumque esse nomen, sed antiquum & purum putum putant esse, à conditore suo *Tubal* inditum, dictumque *Setubal*, quasi *cœtum Tubalis*, quòd ibi sedes fixerit in Hispaniam veniens: sed ridiculum est nimis ad *Tubalem* etymon referre ob nominis exiguam affinitatem; cùm constet faciliùs multò à *Cetobriga* defluxisse corruptum vocabulum *Cetobala*, & inde *Setubal*. *Cetobriga* enim dicta à *cetis* & *briga*; veteri namque Hispanorum sermone *Briga* vrbem designat: vt in *Lacobriga*, *Medobriga*, *Talabriga*, videre est. magna autem cetaceorum, vtpote thynnorum, & ceterorum magnorum piscium hic luculenta piscatura, ita vt nomen designare videatur, *vrbem cetaceorum*. Iosephus verò Moletius, & Carolus Clasius, putant *Setubal* esse *Saluciam*, quæ Plinio *Imperatoria vrbs* cognominatur, sed diligentissimus Barrerius ostendit *Salaciam*, esse vrbem vicinam *Alcazer do sal* dictam, corruptè admodùm, cùm primùm *Alcazer de Salacia* vocata fuerit à Pœnis, quasi *Castellum Salaciæ*: insequenti verò æuo *Alcazer do sal* vocari cœpit (ex qua magnus ille Mathematicus *Petrus Nonius* oriundus fuit, quo illustriorem non vidit HISPANIA.) Hodierna die vrbs est non incelebris. portu enim gaudet commodo, & nobilium piscium piscatura abundat: qua de caussa mercatores ex penitiori Hispania gregatim huc confluunt. Accedit ingens candidissimi salis inexhausta copia, ob insignem toto illo situ salinarum frequentiam: cuius gratia ab vsque Septemtrione magnus huc nauium numerus confluit, ita vt oppidum breui redditum sit opulentissimum, nec magnarum vrbium inuideat claritati. Accedit ager vini, triticique feracissimus. Laudatus hic etiam Iaspis, & Porphyrites effoditur. Arbusti hic etiam genus est, ex quo coccus colligitur, ad tingendam purpuram, Emeritensi, quam Plinius adeò extollit, vix inferior.



CAP. XXXV.

OLISIPO.

DE OLISIPONIS NOMINE. FELICITAS IVLIA *cognominata. Equæ vento concipiunt. Varronis lectio firmata. Vbi mons Tagrus. Triton hic visus. Vrbis descriptio.*

OLisiponis prima incunabula, post tot annorum decursa spatia, anxiè nimis velle inquirere, vt operosum duco, ita etiam ex vetustissimis Lusitaniæ vrbibus esse, facilè est asserere. Melior Scriptorum pars ab Vlysse conditam dicit, hinc Straboni ὀδυσσεία; Stephano vero Byzantino ὀδυσσεύς; dicitur; Solino verò *Vlyssippo*; Plinio & Varroni *Olysippo*; apud Ptolemæum autem corrupte ὀλιόσιππων, pro ὀλισίππων legitur; vt verò ex antiquis inscriptionibus licet colligere, *Olisipo* est scribendum, testis illa quæ hac in vrbe visitur:

IMP. CÆS. M. IVLIO.
PHILIPPO. FEL. AVG.
PONTIF. MAX.
TRIB. POT. II.
P. P. CONS. III.
FEL. IVL. OLISIPO.

Municipium autem erat olim ciuium Romanorum *Olisipo*, cognominata *Felicitas Iulia*, teste Plinio. Miror ego Iosephum Moletium, Franciscum Tarapham aliosque, tam fluxo, & supino animo fuisse, in Plinii lectione, vt ausint asserere, ab illo *Olisiponē* cognominatam esse *Salaciam*: cum puncto interiecto legendus sit textus, alias in latinitatem peccaret nimis crasse. subiungam eius verba ex lib. IV. cap. XXII. *Oppida memorabilia à Tago, in ora Olisipo, equorum è vento Fauonio conceptu nobile; Salacia, cognominata vrbs Imperatoria.* Adde Plinium eodem capite, *Salaciæ* seorsum mentionem facere: *Oppida*, inquit, *veteris Latii, Ebora, quod item Liberalitas Iulia, & Myrtylis ac Salacia, quæ diximus.*

Sita autem est hæc vrbs in promontorio Magno, quod & *Olisiponense* vocatur, ad Tagi amnis ripas, vbi Sociennis stipatus aquis, latissimo alueo Oceano se immiscet; cuius beneficio quotannis maximas classes in Atlanticum & Indicum mare emittit, quibus immensæ vndique opes ab Indis, Afris & Americis aduehuntur, quas deinde magno emolumento, per vniuersam Europam, liberali manu dispensat, quibus non immerito videtur Tagus iacturam auriferæ arenæ resarciisse: licet hanc potius incolarum inertiæ, quam fluminis sterilitati tribuendam puto. Vrbs tota quinque collibus distincta iacet, ita vt pars eius in cliuos amœnos blande assurgat, pars vero in valles pendula porrigatur, quæ varietas intuentium animos mire recreat. Vniuersus vrbis ambitus VII. M. P. complectitur. Soli, cœlique mira felicitas: ager suburbanus in omnia frugum genera mira luxuria se effundit, quæ magna copia, & rara bonitate profert. Interioris vrbis magnificentia & amplitudo tanta est, vt vix vlli Europæ vrbium cedat, sed cum præcipuis contendat: ædificia tam publica quam priuata pleraque elegantis, & sumtuosæ structuræ: fontes habet complures, & rara aquarum præstantia conspicuos: cœnobia habet plurima, & ornatissima. Et ne singula huius vrbis recenseam, vnum tantum adducam, ex quo & munificentiam, & pietatem incolarum quivis colligere potest. Templum est *Misericordiæ* vocatum, saxo quadrato, nobilique exstructum, quod non copioso prædiorum censu, aut numerosis prouentibus instructum est, sed sola piorum hominum liberalitate fouetur, fidem tamen pene superat, quantum in singulos annos, ex gratuita hac & collatitia stipe, in egenos erogetur. à fide dignis accepi, superare sæpius expensi summam, quadraginta & quinquaginta millia aureorum. Huic præsunt viri electi, nominis claritate, & vitæ integritate conspicui, qui *Sodales* seu *Fratres Misericordiæ* vocantur: horum opera omnium inopiæ consulitur, nefasque ducunt, vltra annum quidpiam pecuniarum in hoc ærario seruari. Nosocomium etiam est pauperum, quod est structura, diuitiis, amœnitate loci, nulli totius HISPANIÆ valetudinario secundum. Tanta vero hic munditia, diligentiaque curantur ægri; vt optimates plurimi eo curandi se gratia conferant.

Armamentarium habet vrbs, omnium armorum telorumq; genere instructissimum,

ſimum, qualia pauca Europa: ita vt hinc quadraginta millia peditum, equitum vero tria millia armari olim potuerint, teſte Damiano a Goes. Mitto de nautico apparatu, immenſæque magnitudinis nauibus dicere, pictores enim imitari cogor, qui dum exigua tabella plurima volunt exprimere, reluctantibus loci anguſtiis, rerum tantum apices ob oculos ponunt.

Conſtans inter veteres eſt opinio, circa huius vrbis confinia, equarum fęturam ventis maritantibus inoleſcere. Vnde Silius Italicus lib. III.

Hic adeo, cum ver placidum, flatuſque tepeſcit,
Concubitus ſeruans tacitos, grex proſtat equarum,
Et Venerem occultam genitali concipit aura.
Sed non multa dies generi, properatque ſenectus,
Septimaque bis ſtabulis longiſſima ducitur ætas.

Luculente idem confirmat Plinius, lib. VIII. cap. XLII. ſed de ætate multum à Poeta diuerſus: *Conſtat in Luſitania, circa Oliſiponem oppidum & Tagum amnem, equas fauonio flante obuerſas, animalem concipere ſpiritum, idque partum fieri & gigni perniciſſimũ ita, ſed triennium vitæ non excedere.* Sed ſuſpectæ fidei apud nonnullos erit Plinius: qui tamen ex M. Varrone hæc hauſit, lib. II. De re ruſtica, cap. I. *In fætura,* inquit, *incredibilis eſt in Hiſpania, ſed eſt vera, quod in Luſitania ad Oceanum, in ea regione, vbi eſt oppidum Oliſipo, monte Tagro, quædam è vento certo tempore concipiunt equæ, vt hic Gallinæ quoque ſolent, quarum oua ὑπηνέμια appellant: ſed ex his equis, qui nati pulli, non plus triennium viuunt.* Sed vbi gentium mons hic Tagrus? V. Cl. Ios. Scaliger coniectaneis ſuis in Varronem, aſſerit legendum *Monte ſacro,* ex Columellæ verbis lib. VI. cap. XXVII. ſed, pace tanti viri dixerim, Columella potius ex Varrone emendandus, vnde locus deſumptus eſt. nam cum ſacer mons Iuſtino in Galletia ſit, quem incolæ ferro violare nefas habent, clarum eſt de illo neque Varronem, neque Columellam loqui: procul enim ab Oliſipone, & extra Luſitaniæ terminos eſt. Quod verò quidam per ſacrum montẽ, *Promontoriũ ſacrũ* intelligunt, hodie *Cabo de ſan Vincente* dictum, magis ab Oliſipone remotũ eſt, quam vt Varronis verbis quadret. Quare Varronis lectionẽ retinendã putem: præſertim cum Damianus à Goes, & And. Reſendius Luſitani doctiſſimi, dicant montẽ Tagrum eſſe, incolis dictũ *Sintrã,* à quo Lunæ promontoriũ in mare prorũpit; vbi pernicitatis mirãdæ equorũ greges aluntur, vt idem refert Reſendi⁹. Circa Oliſiponis littora cõſpectos non ſemel, tantopere Poetis decantatos Tritones & Nereides, refert Plinius lib. IX. cap. V. *Tiberio Principi nunciaſſe Oliſiponenſium legationem ob id miſſam; viſum auditumque in quodam ſpecu, concha canentem Tritonem, qua noſcitur forma.* Hic in cathedrali templo corpus D. Vincentii Leuitæ & Martyris, ex ſacro promontorio allatum, ſumma cum reuerentia aſſeruatur. D. etiam Antonius (vulgo *de Padua* dictus) hic natus, cuius natalibus iure merito ſe hęc vrbs iactat. Epiſcopalis olim tantum vrbs, nunc Emeritenſi, poſtea & Braccarenſi Eccleſiæ parebat, donec Ioannis primi Portugaliæ Regis tempore in metropolitanam Eccleſiam euecta fuit. Lubet hic Cl. V. Iulii Cæſ. Scaligeri nobile hac de vrbe præconium adtexere:

Ergo grauis grumus quo pallidus emicet auri,
Inſomni tellus ſciſſa ligone gemit.
Cernis, vbi aduectus peregrinis flatibus orbis?
Cernis, vbi in paruo eſt India tota ſinu?
Preſſa maris facies, domita eſt violentia cæli:
Quid reliqui eſt, niſi te carpere ſceptra poli?
Haud potis eſſe Deus, non vis homo viuere, ſors te
Ex homine egreſſum tertia quando capit?

CAP. XXXVI.

SCALABIS DICTA PRÆSIDIVM IVLIVM.
Cur vocata Santaren.

Oppidum peruetuſtum, Tagi ripis appoſitum, quinquageſimo ab Oliſipone lapide, aduerſo flumine diſtans. Colonia fuit Romanorum, dicta *Scalabis* Plinio, Ptolemæo vero *Scalabiſcus*: ſed perperam, vt primus monuit Hier. Surita. nam cum forſan ſcriptum eſſet, σκάλαβις κολ. ſeu *Scalabis Colonia,* legerunt coniunctim *Scalabiſcus*; poſtea

Præsidium Iulium vocatum, hodie *Santarenum.* scio Tarapham ea in opinione esse, vt *Scalabim* credat dictam vrbem *Trugilho*; sed conuincitur à Barrerio, qui *Castra iulia* esse *Trugilho* ostendit, vnam ex contributis Coloniis.

Vrbs priscis temporibus non ingloria, siquidem teste Plinio inter tres Lusitaniȩ conuentus annumerata. Mutationis nominis caussam refert Vasæus in Chronico suo. Nam cum anno Domini DC. LIII. D. Irene in oppido *Tomar*, procorum libidini pudicitiam Deo votam prostituere nollet, ab iisdem interfecta, & in Nabanis fluenta corpus proiectum à sicariis, per Tagum Scalabim secundo flumine delatum fuit, ibique magno cum honore sepultum: vrbs relicto prisco nomine, cœpta dici S. *Irenes*, & labente æuo in *Santaren* corruptum fuit. Vrbs ipsa editiori in colle sita, præterlabentem aureum Tagum despicit: ager olei vinique maxime fæcundus, tritici feracissimus: & licet arctis limitibus conclusum sit territorium, ingentes tamen tritici aceruos fundit. Testis est luculentus Damianus à Goes, in Olisiponensis vrbis descriptione, tantam esse soli vberatem, vt sexagesimo à semente iacta die, segetes momento fere temporis adultæ & præmaturæ demetantur. Admiretur nunc quis felices Africæ messes: extollant beatam Campaniæ oram: iactitet se Cereris dono Sicilia; nihil video cur *Santareno* præferantur. hinc vrbis incrementum, hinc sanctæ & innoxiæ incolarum diuitiæ.



CAP. XXXVII.

CONIMBRICA.

COYMBRA NON ESSE LACOBRIGAM. CONTRA *Oliuariam & Tarapham. Error Gerundensis Episc. Non esse* Æminium *antiquorum. Academia nobilis.*

De antiquo *Coymbræ* nomine variant scriptorum sententiæ. Ioannes Oliuarius Scholiis suis in III. Melæ, & Tarapha *Lacobrigam* olim fuisse autumant; sed toto cęlo eos errare certum est: siquidem Mela *Lacobrigam*, & *Portum Hannibalis* in promontorio sacro numerat, quod hodie *Cabo de S. Vincente* dicitur, à quo multis millibus distat *Coymbra*. Adde peritissimo Lusitanicarum antiquitatum Resendio *Lacobrigam*, esse *Lagos* nonnihil deflexo nomine, oppidum nostro æuo non infrequens, quod eo in promontorio situm est, & pharo à Ioanne III. Lusitaniæ Rege ornatum. Gerundensis verò Episc. non semel dicit *Colimbricam* olim dictam fuisse *Mundam*, illam celebrem funesto prælio, inter Iulium Cæsarem, & Pompeii filios: inductus, vt videtur, quod *Colimbricam* flumen *Munda* præterfluat, à quo *Mundæ*, oppido nomen inditum putat: sed mirandum, hominem Hispanum, & non indoctum, tam turpiter lapsum, cum *Munda* in Bætica sit, non procul à Corduba; *Colimbrica* verò, in extima pene Lusitania. Plurimi vero putant Plinii *Conimbricam* nostram esse *Coymbram*, non abludente nomine: sed illa fuit, vbi hodie *Condexa vetus*, eodem teste Resendio, Vasæo, aliisque tersæ auris scriptoribus, quæ nihil præter miserandas antiquitatis ruinas ostendit: ab Alanis (qui bus Lusitania in barbarorum illa illuuie obtigit) diruta, ex cuius ruinis vicinam *Coymbram* enatam ferunt, vt & plurimis HISPANIÆ vrbibus euenisse palam est. Non defuere, qui *Coymbram* olim *Æminium* dictam crediderint, cuius Plinius, & Ptolemæus meminere. Sed cum Plinio pugnat hæc coniectura, ait enim lib. IV. cap. XXXII. *Oppidum & flumen AEminium* (non vt vulgata lectio, *Minium:*) *Coymbræ* verò flumen *Munda* est: nec poterat *Munda* & *AEminium* idem flumen esse. subiungit enim Plinius: *A Durio Tagus CC. M. P. interueniente Munda.* At *Aeminium* Vasæo, & Iac. Mœnetio Vasconcello est oppidum vulgo dictum *Agada* vel *Aguida*, quod eiusdem nominis fluuio alluitur. Sit igitur pro rato, *Coymbram* ex antiquę *Conimbricæ* cineribus excitatam, quæ, vt multis placet, *Colimbria* aut *Golibria* vocanda. de nomine enim solo parum anxius sum.

Vrbs est loco sita amœnissimo, in rupe vndique oliuarum siluis, vinetisque cincta, ad *Mundam* amnem Ptolomæo & Plinio: *Muliadem* vero Straboni, vulgo *Mondego* dictũ posita: qui duas vrbis partes diuisas pulcerrimi operis ponte coniungit. Distat autem à fluuii ostio VIII. leucis. vicina arua omnis generis fructus magna copia proferunt: multis & limpidissimis fontibus rigatur, præcipue vero aquæductu celebri, à Rege Sebastiano

bastiano an. cIↄ.Iↄ.LXXII. maximo sumtu perfecto. Hinc enim ad editiorem vrbis collem, qui pone Regiam est, vbi studiosorum forum est, tanta optimæ aquæ copia in marmoreum stagnum erumpit, vt per omnes plateas, torrentis instar, in varios incolarum vsus deriuetur.

Sed præcipuum illi decus & ornamentum, ex vniuersali disciplinarum Academia, cuius prima fundamenta ferunt anno M. CC. XC. à Dionysio Rege inchoata; Olisiponem postea translata, tandem vero circa annum M. D. L. à Ioanne eius nominis III. luxuriante nimis per Indica commercia Olisipone, ne teneros iuuentutis animos contages hæc vitiorum arroderet, iterum Conimbricam, tanquam ad natiuum solum, deducta fuit. Vbi incredibile dictu, & Regum profusa liberalitate, & genio loci adiuta vberrimos ingeniorum fructus effudit quibus breui, non modo Lusitaniam, sed & Hispaniam vniuersam ditauit. iuuentus hic studiosa & frequens, & prisco more togata.



CAP. XXXVIII.

SALMANTICA.

SALMANTICA NON A' TEVCRO CONDITA. Elmantica, Hermandica, & Salmaris *vocata. Academia quo anno instituta.*

S*Almantica* Lusitaniæ vrbs, Academia toto orbe illustris, licet extra Portugaliæ terminos hodie sita, & Castellæ veteris sit; tamen, quia Ptolemæus illam inter Vettones Lusitaniæ populos recenset, non erit mihi hic prætereunda. Io. Martinus Episc. Gerundensis, aliique non pauci, à Teucro conditam volunt, in Salaminis memoriam: sed exigui apud me ponderis est hæc opinio. Iustinus enim lib. XLIV. auctor est Teucrum ea loca occupasse, vbi nunc Carthago noua est, inde Galleciam transiisse, nusquam *Salmanticæ* mentionem faciens. Adde solitos fuisse Græcos relictis mediterraneis maritima occupare, commertii caussa, vt videre est Olisipone, Emporiis, aliisque mille locis, vbi sedem fixere.

Dubitant non pauci, num hæc eadem sit vrbs cum *Elmantica* Stephani, & T. Liuii *Hermandica.* Ego eandem ausim asserere: nec me mouet quod Stephanus dicat citra Iberum esse, cum *Salmantica* non longe à Durio amne sit; sed error hic cum aliis pluscululis, Græco homini & Hispanicarum rerum imperito condonandus. Sed vnde colligam easdem esse vrbes, quæres? Liuius lib. XXI. refert post vastatas Hermandicam & Arcabalam Carteiorum vrbes (seu, vt Sigonius ex Polybio emendat, *Vaccæorum*) Carpetanos, Vacceosq; incitatos ab exulibus Hermandicę & Olcadum, adortos Hannibalē non procul à Tago. Vnde colligere licet, Hermanticā non procul à Carpetanis, & Vaccæis fuisse. Vettones autē, inter quos sita est Salmantica, his populis vicinos fuisse testis est pręter Strabonē, Plin. lib. 3. c. 3. his verbis: *Primi in ora sunt Bastuli, post eos, quo, dicetur ordine, intus recedēte, Mētesani, Oretani, & ad Tagum Carpetani, iuxta eos Vaccæi, Vettones, & Celtiberi.* Cōiecturę nostrę fauet Plutarchus, qui lib. De mulierū virtutibus vrbē hanc *Salmanticā* nominat: *Cum Hannibal,* inquit, *priusquā in Romanos moueret, Salmanticā obsideret, & promissis CCC. obsidibus & totidē talentis, obsidionē soluit; quæ cum incolæ soluere recusassent, reuersus Hannibal militibus vrbē diripiendā dedit. perterriti Salmanticenses vrbem liberis corporibus saluis tradiderunt, cumque vrbem exirent, coniuges arma clam apportarunt, quibus postea opportunè viris traditis, non solum libertatis eorum, sed & recuperādæ patriæ caussa exstitere.* Polyęnus Stratagematum lib. VII. idem narrans, vocat vrbem *Salmatidem*, quam Plutarchus *Salmanticam* appellat. Non imerito itaque dicemus, *Elmanticam* Stephani *Hermanticam* Liuii, & Polyæni *Salmatidem* esse Salmanticam nostram, cum res circa illas gestæ eandem ostendant esse.

Vrbs est fluuio *Tormis* apposita, qui se in Durium amnem exonerat, non solum læto agrorum prouentu felix, sed & Episcopali dignitate, & Equitum frequentia conspicua: quibus accedit Academia, omnium disciplinarum genere instructissima, iurisprudentiæ potissimum sacrata, quæ cum primum esset Pallentiæ, tandem à Ferdinando tertio Castellæ Rege, anno Domini cIↄ. CC. XL. huc translata fuit, quod aptior hic Musarum locus videretur. nec opinione sua frustratus Rex: siquidem vrbs hæc nunc totius HISPANIÆ ornamentum, & alteræ Athenæ. Hinc enim tamquam ex Oceano,

in vniuerſam HISPANIAM, ingeniorum & virtutum riuuli deducuntur, hinc populi iura & leges petunt, hinc ad Regis curiam Senatores, Doctores, & cuiuſcumque ſcientiæ lumina mittuntur. ad hoc etiam Gymnaſiū magna frequentia, non ſolum Hiſpani, ſed & exteri, tamquam ad celeberrimum Mineruæ emporium indies confluunt, quæ vrbem præclaram & nobilem alioquin, opulentiorem & clariorem efficiunt. In D. Pelagii templo non inelegans marmoreus cippus viſitur cum hac inſcriptione, quę quod vrbis nomen referat, hic adducitur:

D. M. S.

L. IVLIO. CAPITONI.
SALMANTIC.
ANN. LXX.
IVLIA. RVSTICELLA.
SOROR. PIENTISSIMA.
H. S. E. S. T. T. L.



CAP. XXXIX.

ALCANTARA.

AN NORBA CÆSARIENA *SIT ALCANTARA.*

Pœnorum opus creditur. Pons à Traiano exſtructus. Inſcriptio vetus. Quando Alcantaræ milites vocati.

AD Tagi ripas ſita eſt *Alcantara*, mirandi operis ponte præcipue ſpectanda. hanc priſcis ſeculis *Norbam Cæſarianam* (vnam ex quinque Luſitaniæ Coloniis, teſte Plinio) dictam aſſerunt Gaſpar Barrerius, Ioſephus Moletius, aliique non obſcuri nominis ſcriptores. Scio Epiſc. Gerundenſem credere *Norbam Cæſarianam* bello ciuili à Pompeianis ducibus ſolo æquatam fuiſſe, quòd Cæſari impenſius fauerē, cuius locum Auguſtum Cæſarem, poſtea vicinam Emeritam condidiſſe; ſed non eſt, quod hęc figmenta quiſpiam admittat, præſertim cum Ptolemæus, nec Plinius de illa vt euerſa loquantur. And. vero Reſendius, & Ambr. Morales negant *Norbam* fuiſſe, vbi nunc eſt *Alcantara*: at hic ingenue profitetur ſe ignorare, vbi olim illa ſita fuerit, creditque nullam fuiſſe vrbem olim, vbi nunc eſt *Alcantara*, ſed nomen hoc illi Pœnis inditum fuiſſe quod pontem ſignificat. quia cum pons hic militari viæ eſſet appoſit⁹, illius commoditatib⁹ & pulcritudine inuitatos vicinos, paulatim hic domos exſtruxiſſe, atq; ita in vrbē excreuiſſe. nam ſi hoc loco fuiſſet vrbs aliqua, iniquū fuiſſet illā præteriri, in tabula illa, vbi recēſentur Municipiorū nomina, quę collata ſtipe pontē hunc perfecerūt. imò in ipſo frontiſpicio memorantur *Igæditani*, quorum vrbs hodie vocatur *Idanha la veia*, quæ non procul admodum Alcantara diſtat. Nobilitatur præcipue vrbs hæc magnifico & imperatoria maieſtate digno ponte, quem plerique Traiano aſcribunt, non ſecus ac Segobienſem aquæductum: licet proletarii ſcriptores, ad Hiſpanum, vel Herculem vaniſſime referant. longitudine ſua DC. LXX. pedes, latitudine circiter XXVIII. pedes complectitur: altitudo vero aqua tenus CC. pedum eſt, totus autem pons ſex concamerati operis pilis ſubnititur. Traiani vero Imperatoris opus eſſe confirmant inſcriptiones antiquæ, quæ inibi viſuntur, quas non pigebit recenſere, vt nauſeatem forte Lectorem hoc nouo ferculo recreem, vt in cubitum iterum ſe reponat. Ex vtraq; arcus parte:

IMP. CÆSARI. D. NERVE. F.
NERVÆ. TRAIANO. AVG.
GERM. DACICO.
PONT. MAX. TRIB. POTEST. VIII.
IMP. VI. COS. V. P. P.

In ipſo ponte quatuor erant magnę & marmoreæ tabulæ, in quibus Municipiorum erant inſcripta nomina, quorum ope & pecunia opus hoc erat perfectum, trium vacuæ apparent ſedes: quarta vero cum hac inſcriptione viſitur:

MVNI-

MVNICIPIA.
PROVINCIÆ. LVSITAN.
STIPE. CONLATA.
QVÆ. OPVS.
PONTIS. PERFECERVNT.
IGÆDITANI.
LANCIENSES. OPIDANI.
TALORI.
INTERAMNIENSES.
COLARNI.
LAOCIENSES. TRANSCVDANI.
ARAVI.
MEIDVBRIGENSES.
ARABRIGENSES.
BANIENSES.
PÆSVRES.

In ipso pontis limine, exiguum est sacellum, D. Iuliano sacrum, ex ipsa rupe excisum, in cuius frontispicio, vnà cum his versibus, hæc visitur inscriptio:

IMP. NERVÆ. TRAIANO.
CÆSARI. AVG.
GERM. DACICO. SACRVM.

Templum in rupe Tagi superis, & Cæsare plenum,
Ars vbi materia vincitur ipsa suâ.
Quis, quali dederit voto, fortasse requiret
Cura viatorum, quos noua fama iuuat.
Ingentem vasta pontem quòd mole peregit,
Sacra litaturo fecit honore Lacer.
Qui pontem fecit Lacer, & noua templa dicauit,
Illic se sola . . . . vota litant.
Pontem perpetui mansuram in secula mundi
Fecit diuina nobilis arte Lacer.
Idem Romuleis templum cum Cæsare diuis
Constituit, felix vtraque causa sacri.

C. IVLIVS. LACER. H. S. F.
ET. DEDICAVIT. AMICO.
CVRIO. LACONE. IGÆDITANO.

Vrbs hæc ab Alphonso VIII. Mauris erepta, anno circiter cIↃ. XIII. & *Calatrauæ* militibus dono data; vnde tanquam ex munitissima arce in hostium fines incurrerent, & in posterum propugnaculum esset ad hostiles impetus eludendos: anno demum cIↃ. CCCC. XI. à *Calatrauæ* militibus auctoritate Benedicti XIII. Pont. Max. cruce viridi se distinxere: cùm antea cucullo & rubra fascia tantùm distincti essent, & nunc milites *Alcantaræ* vocantur.

CAP. XL.

TARRACO.

TARRACONENSIS PROVINCIAE LIMITES QVANDO mutati. Martianus Capella emendatus.

TArraconensis prouincia angustis magis limitibus olim erat arctata: Pyreneis enim montibus, & Ibero amne claudebatur, vnde & *Citerior* olim dicta quòd cis Iberũ esset, licet Isidorus Orig. lib. XIV. cap. IV. *Citeriorem* dictam putet, quasi *circa terras.* Florenti enim Pœnorum imperio quidquid à freto Gaditano Iberum vsq; terrarum erat, Vlteriori Hispaniæ ascribebatur, cetera Citeriori; sed postquam vniuersa Hispania pulsis Carthaginensibus, populi Rom. victoriis cessit, longè latiores terminos habuit, adeò vt, qui olim Citerioris Hispaniæ limes & finis erat Iberus, vmbilicus penè

effectus fuerit. vnde & Plinius in limine capitis tertii lib. III. ait Citerioris Hispaniæ, vt & complurium prouinciarum, veterem formam mutatam esse. A Meridie enim Lusitaniæ, & Balearici maris ora terminata fuit; à Septentrione Oceanum Britannicum, ab Oeasone (seu *Olaisone* vt Plinius, non, vt Martianus Capella lib. VI. *Iarsone* aut *Gersone*) ad promontorium Nerium; ab Occasu Oceanum Atlanticum, à dicto promontorio ad ostium amnis Durii; ab Oriente Pyrenæos montes pro limitibus habuit.

Longitudo eius, teste Plinio, à Pyrenæo ad finem Castulonis DC. VII. extensa; M. P. latitudo verò à Tarracone, ad Olarsonis litus CCC. VIII. M. P. Diuisa fuit, pro eius magnitudine, in iuridicos conuentus septem, quot Bætica, & Lusitania simul habent, *Carthaginensem*, *Tarraconensem*, *Cæsaraugustanum*, *Cluniensem*, *Asturum*, *Lucensem*, *Braccarum*. Non prætereundum puto, apud Martianum Capellam, vbi de Hispania agit, lib. VI. lacunam esse supplendam. Ita enim ait: *At vniuersa prouincia, habet conuentus septem, Carthaginensem, Tarraconensem, &c.* quæ enim vniuersa prouincia habet septem conuentus? an Hispania? sed superius dixerat Bæticam duos habere conuentus, atque ita erunt nouem. quare ita legendum puto: *At vniuersa citerior prouincia conuentus habet septem.* nam de Bætica & Lusitania egerat, restabat de Tarraconensi dicere.

Vniuersa hæc prouincia omnis generis metallis abundat, marmorum latumiis, & speculari lapide, messibus, oleo, vinoque fecunda admodum; sed bellaci præcipuè populo nobilis. Testes Celtiberi, Cantabri, Vascones & exitio suo clari Numantini. hoc æuo in multa regna diuisa est: siquidem complectitur *Murciæ regnum*, *Valentiæ*, *Aragonum*, *Cataloniam*, *Castellam veterem*, *Gallæciam*, *Nauarram*, *Biscaiam*.




CAP. XLI.

TARRACONENSES POPVLI. GRAVII ORIGINEM À Græcis trahunt. Plinius obiter emendatus.

VArii Tarraconensem prouinciam incolunt populi, sed immensi operis & laboris esset, singulos è vetustatis latebris protrahere: nobiliores tantùm & memoratu digni dicentur, ceteri verò, vt ignobiles, silentio inuoluentur. nam verbis indulgere, in rerum inopia quid attinet? citra fastidium verò nominentur primo loco *Grauii*, nam Lusitaniæ collimitanei sunt, ad flexum enim Durii amnis eos Pomp. Mela statuit. A Græcis illos originem trahere auctor est Plin. lib. IV. cap. XX. *Heleni, Grauii, Castellum Tydæ, Græcorum sobolis omnia*: quo tamen loco mallem geminato L. *Helleni* legere, vt originem suam exprimerent. præit mihi Strabo lib. III. *In Callaicis*, inquit, *quosdam ex Teucri commilitonibus habitasse, ibique oppida fuisse, quorum* Ἕλληνες, *alterum* Ἀμφίλοχοι *nominatum est.* Vocantur verò hi *Grauii*, a Mela *Gronii*, à Ptolemæo autem γρουοι, corruptè vt credo vtrobique. Fama est Diomedem ab Ægiale vxore adultera, patria domoque prohibitum, Hispaniæ littoribus, supra Lusitaniam appulisse, inibique vrbem in patris memoriam *Tydem* condidisse, quæ à Ptolemæo *Tude* vocatur, & hodie *Tuy* dicta (vnde Lucas Tudensis Episcopus, non vltimus rerum Hispanicarum Scriptor originem habet.) confirmat hoc Silius Italicus lib. III.

Et quos nunc Grauios violato nomine Graium,
Oeneæ misere domus AEtolaque Tyde.



CAP. XLII.

GALLÆCIA.

GALLAECI DICTI ET CALLAICI. VNDE NOMEN sumsere. Gallæcia sexta prouincia effecta. Mores illorum.

GRauios attingunt *Gallæci*, frequens nec ignobilis populus, amne Durio à Lusitania diuisi, qui etiam *Callaici* vocantur, hodie verò *Gallegos*. Antonius Beuterus à Gallis & Græcis, in vnum commixtis populis, nomen & originem illos trahere comminiscitur; Fräciscus Tarapha à Galathe Herculis filio dictos putat; Iustin⁹ verò l. 44. *Gallæci, inquit, Græcam sibi originẽ asserũt: siquidẽ post finẽ Troiani belli, Teucrũ morte Aiacis fratris, inuisum patri Telamoni, cùm non reciperetur in regnũ, Cyprũ concessisse, atq; ibi vrbẽ nomine antiqua*

antiquæ patriæ, Salaminam condidisse; inde accepta opinione paternæ mortis patriam repetisse: sed cùm ab Eurisace Aiacis filio accessu prohiberetur; Hispaniæ litoribus appulsum, loca, vbi nunc est Carthago noua, occupasse, inde Gallæciam transisse, positisque sedibus genti nomen dedisse.

Isidorus Orig. lib. IX. cap. II. *Gallæcos* à candore dictos putat, vt & *Gallos*, quia ceteris Hispaniæ populis candidiores sunt. Ptolemæus hos in binos populos diuidit, nempe in *Callaicos Bræccarios*, & *Lucenses*: illi inter Minium & Durium amnes ad mare habitabant; hodie tractus ille *entre Douro & Minho* nuncupatur, quorum primaria vrbs, *Augusta Braccara*: *Lucenses* verò prope Artabrum promontorium erant, vnde & conuentus Lucensis, teste Plinio, quò XVI. populi conueniebant, qui hodie soli *Gallæci* vocantur. Lapsu verò ætatis diffusum fuisse, & numerosum populum constat, vtpote cùm tempore Imp. Hadriani, quo veteris Hispaniæ termini mutati sunt, vni è sex prouinciis nomen dedit *Gallæcia*; imò Pauli Orosii tempestate (qui sub Honorio & Arcadio floruit) *Gallæciæ* termini Numantiam vsque, quæ Pelendonum vrbs erat, extensi erant. Strabo etiam refert sua ætate maximam Lusitanorum partem *Callaicos* vocatos esse. Incolæ bello dediti, pacis verò munia vxoribus committebant, vnde Iustinus: *Feminæ res domesticas, agrorumque culturam administrant, ipsi rapinis & armis seruiunt.* Strabo illos bellacissimos vocat, & subiugatu difficiles, quos tandem D. Iunius Brutus magno prælio vicit, vnde & *Callaicus* dici meruit, vt refert L. Florus lib. II. cap. XVII. Silius verò Italicus lib. III. graphicè illorum mores & viuendi normam his versibus depingit:


Fibrarum, & pennæ, diuinarumque sagacem
Flammarum, misit diues Gallæcia pubem:
Barbara nunc patriis vlulantem carmina linguis,
Nunc pedis alterno percussa verbere terra,
Ad numerum resonas gaudentē plaudere cetras:
Hæc requies, ludusque viris, ea sacra voluptas.
Cetera femineus peragit labor, addere sulco
Semina, & impresso tellurem vertere aratro
Segne viris, quidquid durum sine Marte gerundū
Callaici coniux obit irrequieta mariti.

Strabo ab aliquibus *Gallaicos* ἀθέους vocari refert, quod miror, cùm Poeta illos auguriis & extispiciis deditos dicat.

Regio ipsa, olim auri & plumbi feracissima, vt non semel ostendit Plinius. Iustinus verò lib. XLIV. Auro quoque ditissimam dicit, *adeò vt etiam aratro frequenter glebas aureas exscindant. In huius gentis finibus Sacer mons est, quem ferro violare nefas habetur. sed si quando fulgure terra procissa est (quæ in his locis assidua res est) detectum aurum velut Dei munus colligere permittitur.* Nobilis etiam hic Poetarum fabulis est amnis Limia, qui & *Obliuionis* & *Lethes* vocatur, de quo & Silius Italicus lib. III.

Quique super Grauios lucentes voluit arenas,
Infernæ referens populis obliuia Lethes.

Romanis hic militibus adeò formidatus erat, vt bellante D. Iunio Bruto in Gallæcos, milites eius nollent fluuium transire, donec raptum à signifero signum ipse Brutus transtulit, & sic vt transgederentur persuasit, vt refert Liuii epitome lib. LV.



CAP. XLIII.

ASTVRIÆ REGNVM.

ASTVRES VNDE DICTI. BELLACES ASTVRCONES. Asturia bifariam diuisa. Aurifera est.

QVa Pyrenæi iugum, haud procul secundo Oceano, sub Septentrionem deducitur, habitant *Astures* Gallæciæ portio, vt auctor est Paulus Orosius lib. VI. cap. XXI. ita dicti ab Astura fluuio, qui regionem illam alluit, teste Isidoro lib. IX. cap. II. Silius vero Italicus ab Astyre Memnonis auriga dictos credit, lib. III.

Venit & Auroræ lacrymis perfusus in orbem
Diuersum, patrias fugeret cùm deuius oras,
Armiger Eoi non felix Memnonis Astyr.

Diuisi erant olim, in *Transmontanos* & *Augustanos*: teste Plinio lib. 3. cap. 3. in duo-

decim populos distincti. caput gentis erat *Asturica*, vrbs magnifica, quam Ptolemæus *Asturicam Augustam* vocat; hodie verò *Astorga* dicta.

Regio vniuersa aspera, montibus siluisque horrida, incolæ bellaces, & libertatis, apprimè tenaces, qua de causa non semel à Romanis defecere, & Augusti Cæsaris præsentia necessaria visa, vt arma ponerent. Vnde L. Florus sub calcem operis, periculum illius belli his verbis exaggerat: *Astures per idem tempus, ingenti agmine à montibus suis descenderant, nec timuere subtus, vt barbaris impares; & positis castris apud Asturam flumen trifariò diuiso agmine, tria simul Romanorum castra aggredi pararunt: fuisset & anceps, & cruentum, & vtinam mutua clade certamen, tunc tam fortibus etiam subitò, tam cum consilio venientibus.* In plana ab Augusto deducti, quo fera illa ingenia non secus ac siluestres plantæ mutatione soli mitescerent. Regio ipsa, minii, chrysocollæ, & auri præcipuè fęcunda. Plinius auctor est lib. XXXIII. cap. IV. *Asturiam, Lusitaniam, & Galleciam singulis annis vicena millia pondo auri præstare, ita vt plurimum Asturia gignat.* Vnde & Silius lib. I.

——Astur auarus,
Visceribus laceræ telluris mergitur imis,
Et redit infelix, effosso concolor auro.

Asturcones equos laudatos etiam admodùm gignit *Asturia*, quibus non vulgaris in cursu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio, de quib⁹ Silius lib. 3.


His paruus sonipes, nec Marti notus, at idem
Aut inconcusso glomerat vestigia dorso,
Aut molli pacata celer trahit esseda collo.

Martialis verò epig. lib. XIV. *Asturum equum:*

Hic breuis ad numerum rapidos qui colligit vngues
Venit ab auriferis gentibus Astur equus.

Hoc æuo diuisa est *Asturia* in duas partes, in *Asturiam de Ouiego*, & *de Santillana* dictas: nomen illis vrbes hæ duæ præcipuæ dederunt.

Asturiæ verò debet vniuersa HISPANIA, & Christianam religionem, & auitam nobilitatem conseruatam: nam post fatalem illam à Pœnis Hispaniæ illatam cladem, quæ supererat nobilitas, & Gothici sanguinis reliquiæ vnà cum clero, in Asturiam profugere, vbi naturæ loci fisi, Maurorum impetus primum hebetarunt: demum ductu Pelagii, excusso Maurorum iugo, continuis bellis vniuersam Hispaniam recuperarunt.



CAP. XLIV.
CANTABRIA.
CANTABRI A LACONIBVS ORTI. MORES ILLORUM. Mons hic ferreus. Tamarici fontes.

VIcini Asturibus sunt *Cantabri*, ita dicti ab vrbis vocabulo, & Ibero Amne, cui insident, teste Isidoro lib. IX. cap. II. prope Iuliobrigam enim in Cantabris oriri Iberum testatur Plinius; sed vbi gentium vrbs illa sit, vnde nomen deducitur, est qui referat nemo. Incolas à Laconibus originem ducere, auctor est Asclepiades Myrlianus apud Strabonem lib. III. partem enim Cantabriæ illos quondam habuisse, fortitudo egregia, & innata illis in laboribus patientia, & pertinax libertatis defendendæ animus indicio sunt. hinc verè & egregiè Silius Italicus lib. III.


Cantaber ante omnes, hyemisque, æstusque, famisque
Inuictus, palmamque ex omni ferre labore,
Mirus amor populo, cum pigra incanuit ætas
Imbelles iam dudum annos peruertere saxo,
Nec vitam sine Marte pati; quippe omnis in armis
Lucis causa sita est, & damnatum viuere paci.

Quum Augustus Cæsar magno tandem labore illos debellasset, ne seruitutem seruirent, potior pars igne, ferro, aut ueneno se à captiuitate vindicauit, vt refert L. Florus lib. IV. cap. vltimo. Strabo verò lib. III. refert matres bello hoc Cantabrico, priusquam in hostium potestatem venirent, proles suas necasse: & puerum quendam, accepto à patre ferro, parentes, & fratres captiuos interemisse: nonnullos verò in crucem ab hostibus suffixos, lætitiæ Pæana cecinisse, quasi nihil iuris in illorum libertatem haberent.

Regio

Regio vbique montuosa & aspera, & Hispaniæ pene dissimilis, Baccho prorsus inimica, Marti verò, & Vulcano adeò amica; vt non immeritò quis illius Dei officinam vocet, ex qua plena manu natura Martio huic populo arma largiatur. Nam præter plumbū, & magnetem lapidē, (quem nonnulli *ferrum viuum* vocant) copiosas adeò ferri venas fundit, vt auctor sit Plinius lib. XXXIV. cap. XIV. *Cantabriæ maritima parte, quam Oceanus alluit, montem esse prærupte altum; incredibile dictu, totum ex ea materia* [*ferro.*] Inexhausta hæc ferri copia & in nostram vsque ætatem durat, quam per Hispanias, Galliasque incolæ magno quæstu distribuunt. Mirum est, quod de *Tamaricis* fontibus in Cantabria prodit Plinius lib. XXXI. cap. II. his verbis: *In Cantabria fontes Tamarici in augurio habentur, tres sunt, octonis pedibus distantes, in vnum alueum coeunt, vasto amne, singulis diebus siccantur duodecies, aliquando vicies, citra suspicionem vllam aquæ, cum sit vicinus illis fons, sine intermissione largus: dirum est non profluere eos aspicere volentibus; sicut proxime Lartio Licinio legato post præturam, post septem dies accidit.*

Vniuersa hæc regio hodie in *Biscaiam* & *Guipuscoa* diuisa est, immunitatibus gaudet maximis, quas & acerrimè incolæ propugnant.




CAP. XLV.

CARPETANIA.

CARPETANI VBI OLIM SITI. A Polybio Carpesii *vocati.*

NOn ignobiles in Citeriori Hispania olim fuere *Carpetani*, qui teste Cl. Ptolemæo, à Septentrione confines erant Vaccæis; ab Oriente Celtiberis; à Meridie Oretanos attingebant; ab Occidente verò Vettones. Polybius libro III. auctor est, illos ferocia & hominum multitudine, ceteros eius prouinciæ antecellere. vnde magna pugna deuictis ab Hannibale circa Tagum Carpetanis, nulli vltra Iberum Carthaginensium armis restitere populi, vt fusè narrant T. Liuius lib. XXI. & Polyb. lib. III. At circa illorum nomen aliquantulum dissentiunt Scriptores. Plutarch. in Hannibale & Strabo lib. III. *Carpentanos* vocant; Liuius verò passim *Carpetanos*; sed tenue est discrimen: maius verò Polybii, qui Καρπησίους hos vocat, solus quod sciam. Nam quos Liuius lib. XXIII. *Carpesios* vocat, diuersi sunt à *Carpetanis*, quos tamē Henr. Glareanus *Tartessios* credit esse. attamen si Stephano credimus, circa Iberum amnem siti sunt, vnde diuersi erunt, non solum à *Carpetanis*, sed etiam à *Tartessiis*. Mihi incertum, quo loco olim fuerint. C. Plinius lib. XIX. cap. VIII. refert in Carpetania laudatissimum cuminum prouenire, vnde & *Vicus cuminarius* Antonino in Itinerario dictus, itinere quodam Emerita Cæsaraugustam vsque, quem Ambrosius Morales credit esse, *Sancta Crus de la carza*, eò quod toto illo tractu nullus cumini prouentus, quàm in hoc vico. *Carpetaniæ* autem hoc æuo *regnum Toletanum* vocatur; cuius caput, vel Plinii tempore, erat Toletum.




CAP. XLVI.

VACCAEI VBI OLIM HABITARINT. Gentis mores. Bellicosi.

INter Carpetanos, & Celtiberos siti sunt *Vaccæi*, quos Stephanus Byzantinus vocat βακκαίους, eo olim tractu, quem nunc *Castellam veterem* appellant, bellica virtute quondam clari. Moris inter illos erat olim, teste Diodoro Siculo lib. VI. Biblioth. singulis annis, sortitos inter se agros colere, fructusque cum ceteris communicare, cuiq; sua portione assignatâ, qua de causa & agricolis illatæ iniuriæ morte multabantur. Auctor est Appianus Alexandrinus in Ibericis, Licinium Lucullum, quem Liuiana Epitome *L. Licinium Lucullum* nominat, inconsulto senatu, & iniusto bello *Vaccæos* lacessiuisse: qui cum illorum vrbem Cauciam in deditionem recepisset, militibus diripiendam dedisse, incolasque omnes trucidasse, nullâ habitâ ætatis sexusue ratione.


Quare ceteræ eius regionis vrbes ad bellum se pararunt, & ab Intercatia, & Pallentia cum damno & ignominia eum repulerunt: iidem etiam Metellum Nepotem, obsidentem Cluniam Areuacorum vrbem prælio fuderunt, & vrbem obsidione soluerũt, teste Dione lib. XXXIX. Insigni etiam clade Lepidum affecisse eos, testatur Paulus Orosius lib. V. cap. V. nam cùm prohibente etiam Senatu Romano innoxios oppugnare pergeret, ad sex millia militum à Vaccæis cæsa sunt, ceteri castris exuti euaserunt. Appianus *Aemilium* vocat, non *Lepidum*.



Cap. XLVII.

OLCADES VBI OLIM SITI.

NOn procul à Vaccæis erant *Olcades*, vt apud T. Liuium & Polybium videre est. Stephanus Byzantinus Carthagini nouæ finitimos facit. Auctor vitæ Hannibalis post Plutarchum, & Liuius vltra Iberum illos statuunt. P. Io. Mariana non malè suspicatur illos olim fuisse, vbi nunc est *Oecanna*, regni Toletani vrbs, non multum abludente vocabulo, nec situ repugnante. Illorum vrbem *Carteiam* refert ab Hannibale Liuius expugnatam, quam tamen Polybius, & Stephanus *Altheiam* vocant. Quare & Car. Sigonio magis placet pro *Carteia*, *Altheiam* substituere.



Cap. XLVIII.

ARAGONIÆ REGNVM.

CELTIBERI CELTOSCYTHÆ, *ET* BERONES *DICTI. Nominis etymon. Potentia illorum, opes, mores. Simplices olim.*

DIffusum & potens olim, per HISPANIAM *Celtiberorum* nomen. Nam cùm, teste Strabone lib. III. plurimam fortunæ ac dignitatis accessionem Celtiberi sibi vindicassent, finitimam omnem regionem eodem nominatam vocabulo reddiderunt, adeò vt tota Hispania *Celtiberia* vocata fuerit, vt supra dictum. Vocati etiam olim *Celtoscythæ* rudi seculo, eodem Strabone auctore lib. I. *Berones* etiam dictos idem refert lib. III. Postea verò, quia teste Isidoro lib. IX. cap. II. ex Gallis Celticis defluxerunt, & circa Iberum fluuium consederunt, mixto vtroque vocabulo *Celtiberi* vocati sunt. Diod. autem Siculus lib. VI. diuersus est ab hoc etymo. ait enim *Iberos* quondam *Celtasque* pro agris bello certasse, pace demum firmata, communicasse inuicem patriam, & mutua sanxisse connubia: vnde & commixtum nomen, & cùm essent duæ validæ nationes, in vberi regione coniunctæ, effecere vt magnum esset *Celtiberorum* nomen, vnde & Lucanus Pharsaliæ lib. IV.

——profugique à gente vetusta
Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberis.

Martialis etiam lib. IV. Epigr. LV.

Nos Celtis geniti & ex Iberis.

In quatuor olim populos diuisi fuere, testibus Plinio, & Strabone, qui tamen populorum nomina prætereunt, nisi quòd ille *Pelendones* recenseat. Prouinciæ verò caput *Segobrigam* Plinius: at Strabo nobilissimam ciuitatem *Numantiam* dicit fuisse. Constat frequentem & vsque eò populosam olim fuisse, vt Polybius scribat apud Strabonem CCC. illorum vrbes à Tib. Graccho subuersas fuisse, quod tamen Strabo, ritu comico, in Gracchi gratiam dictum putat; quod agri natura tantæ vrbium frequentię capax non sit. moderatiùs certè L. Florus, qui lib. II. cap. XVII. CL. vrbium subuersione illos à Graccho multatos scribit. Bellica inprimis gloria clari fuere, vt Florus citato loco *Celtiberos Hispaniæ robur* nominet. In acie exultabant, vt ait Val. Maximus lib. II. cap. VI. tanquam gloriosè & feliciter vita excessuri; lamentabantur in morbo, quasi turpiter & miserabiliter perituri. addit & Silius Italicus lib. III.

His pugna cecidisse decus, corpusque cremari
Tale nefas; cælo credunt superisque referri,
Impastus carpat si membra iacentia vultur.

Iidem

Iidem nefas esse ducebant, vt idem refert Val. Maximus, prælio superesse, cùm is occidisset pro cuius salute spiritum deuouerant. opibus verò etiam adeo abundasse illos constat, vt referat Strabo ex Posidonii sententia, M. Marcellum ex Celtiberia talentûm DC. tributi nomine exigisse. Nam licet ager illorum sterilis esset, auri, argentique tamen egregiè fæcundus erat. Armis verè ferroque abundabant raræ bonitatis. Nam præter Salonis ad Bilbilem aquas, quibus inuictam armorum temperiem parabant, peculiaris ipsis erat ratio ferri temperandi: siquidem, teste Diod. Siculo lib. VI. cap. IX. ferreas laminas in terram abscondentes, ibi tam diu esse sinunt, quoad infirmiori parte ferrugine exesa, validior supersit, ex eo tum enses fortissimos, tum cetera ad belli vsus arma necessaria componunt: hoc pacto fabricatis cedunt omnia, vt neq; scutum, neque galea, neque aliud vim eorum remoretur. Idem refert præter Strabonem lib. III. circa victus munditiem illos esse elegantes, nisi egregia illos spurcities fœdaret, quòd corpus vniuersum lauant vrina, & dentes fricant: vnde eleganter Catullus Epig. XL.


Nunc Celtiber in Celtiberia terra
Quod quisque minxit, hoc sibi solet mane
Dentem, atque russam defricare gingiuam:
Vt quò iste vester expolitior dens est,
Hoc te amplius bibisse prædicet loti.

Et rursus Epigrammate XXXVIII.

Et dens Ibera defricatus vrina.

Tangit hoc & Appuleius in Apol. *Quem*, inquit, *multo æquius erat spurcißimo ritu Iberorum, vt ait Catullus, sua sibi vrina dentem atque russam pumicare gingiuam.*

Gentem hanc olim, non vt pleriq; Hispanorum, pro callida & vafra non esse habitam, ostendit T. Liuius lib. XXX. agens de Graccho obsidente Certimam: *Vbi*, inquit, *cùm iam opera admoueret, veniunt legati ex oppido, quorum sermo antiquæ simplicitatis fuit, non dißimulantium bellaturos, si vires essent. Petierunt enim, vt sibi in castra Celtiberorum ire liceret, ad auxilia accipienda, si non impetrassent, tum separatim eos ab illis se consulturos: permittente Graccho ierunt, & post paucis diebus alios legatos decem secum adduxerunt. Meridianum tempus erat, nihil prius petierunt à Prætore, quàm vt bibere sibi iuberet dari, epotis primis poculis, iterum poposcerunt, magno risu circumstantium, in tam rudibus & moris omnis ignaris.*



Cap. XLIX.

ILLERGETES NON ESSE ILLVRGAVONENSES *Cæsaris, contra Fuluium Vrsinum. Num* Eilotæ *Polybii.*

Cis Iberum sunt *Illergetes*, frequenti olim à populo Rom. defectione celebres ducibus Indibili & Mandonio, donec Indibilis à L. Lentulo, & Manlio Acidino in acie cæsus, & Mandonius illis traditus, vt refert T. Liuius lib. XXIX. Fuluius Vrsinus apud Ortelium credit *Illurgauonenses* Cæsaris hos esse *Illergetes*, sed cùm Plinius præter *Illergetes*, etiam *Illurgauonensium* meminerit, non facilè illi assentior, nec quadrant verba Cæsaris cum Fuluii opinione. Siquidem *Illurgauonenses* ad Iberum statuit, à quo *Illergetes* remoti sunt. Credo hos Cæsaris & Plinii *Illurgauonenses*, vocari ad T. Liuio *Ilercaonenses* lib. XXII. *Castra Punica in agro Ilercaonensium, Castra Romanorum ad classem nouam erant.* Num vero *Eilotæ* Polybii sint, non immeritò quæri potest. nam lib. X. refert P. Scipionem cùm primum in Hispaniam venisset in *Eilotis* hyemasse: T. vero Liuius lib. XXVI. Tarracone hyemem transegisse refert, vnde certum est *Eilotas* non procul à Tarracone fuisse, vt nec *Illergetes*; sed cùm idem Polybius lib. III. *Illergetum* meminerit, non potest idem esse populus, nisi mendum subesse dicamus. nullus enim Scriptor horum meminit, præter vnum Polybium. Festus Auienus in ora maritima recenset *Ileates* populos, qui non multùm à Polybii *Eilotis* videntur discrepare, sed æquè mihi obscuri. Credo etiam mendum subesse apud Polybium, citato loco, vbi vocat Andobalum τῶν λεχητῶν βασιλέα. Cum luce clarius sit substituendum esse ἰλεργητῶν. Siquidem *Indibilis*, quem deprauatè vocat *Andobalum*, Ilergetum erat regulus, vt & Mandonius. vt patet apud Liuium. Refert Hieronymus Paulus Barcinonensis, Illergetes eum olim tractum coluisse, qui nunc *Vrgellensis* nuncupatur.



Cap. L.

CERRETANI DICTI IVLIANI. *CVM HERCVLE IN Hispaniam venerunt. Inscriptio vetus.*

ILlergetibus esse conterminos *Cerretanos*, auctor est Ptolemæus. Incolebant autem Pyrenæi conualles. Plinius illos *Iulianos* appellat; an forsan ab vrbe *Iulia Libyca*, quam Ptolemæus ibi statuit? suspicari licet præsertim cum nulla manifestior occurrat ratio. Cum Hercule illos olim in Hispaniam venisse innuit Silius Italicus lib. III.

Nec Cerretani quondam Tyrinthia castra
Aut Vasco insuetus galeæ, ferre arma morati.

Dion. lib. XLVIII. refert *Cerretanos* cum à Pop. Rom. defecissent, à Domitii Caluini legato superatos, postea tamen ab illis circumventum fuisse, & desertum à propriis militibus; sed decumato prius milite, iterum à Domitio Caluino debellatos. Strabo lib. III. apud *Cerretanos* pernas optime, & variis modis condiri refert, vnde & Val. Martialis lib. XIII.


Cerretana mihi fiet, vel massa licebit
De Menapis: lauti de petasone vorent.

Eodem etiam libro Poeta Cerretana vina commendat;

Cerretana nepos ponet, Setina probabis
Non ponit turba, cum tribus illa bibit.

Incolebant autem loca illa Cathaloniæ, Galliam versus, vbi hodie Comitatus Certaniæ est, vt notat Ambr. Morales lib. VIII. cap. II. qui etiam hanc inscriptionem in Pyrenæis alibi exstare: scribiturque tantum vnico R. nomen Ceretanorum:

AVGVSTO.
TERRA. MARIQ. VICTORI.
ELIMINATIS. SACERDOTIBVS.
BONÆ. DEÆ.
ET. COLLEGIO.
VII. EPVLONVM.
COMMVNI. POP. SENTENTIA.
EXCLVSO.
CERETANI. TEMPLVM.
VICTORIÆ. AVG. D. D.



Cap. LI.

BRACCARA.

BRACCARA AVGVSTA *A QVIBVS CONDITA. INTER quatuor præcipuas Hispaniæ vrbes. Sedes Regum Sueuorum & Gothorum. De primatu Hispaniæ cum Toleto certat.*

CVm *Braccara* ea in Portugaliæ parte, quæ *Interamnis* dicitur, hoc æuo sita sit, cuius tamen à me nulla est facta mentio inter Lusitanicas vrbes; eo quod Lusitaniæ limitibus antiquis exclusa esset; ideo non abs re me facturum puto, si vbi Lusitania desiit, Tarraconensem prouinciam auspicatus fuero. Ptolemæus *Braccaram Augustam* vocat, & inter *Gallaicos Braccarios* recenset; Antonini Itinerarium *Bragaram* vocat: hinc forsan hodiernum nomen *Braga* mansit. ex vetustissimis Hispaniæ vrbibus esse vt nemo ambigit, ita omnes pene de conditore eius dubii. Episcopus Gerundensis lib. III. à Pœnis conditam ait, & in memoriam amnis *Bragada* (apud quem M. Regulus portentosæ magnitudinis serpentem confecit) nomen *Braccaræ* inditum alii probabilius forsan, ad Gallos Braccatos originem referunt. Constans enim est auctorum opinio, Gallos totam illam oram occupasse, vnde *Celtici* populi, & *Gallæci*. Iuridicum ibi fuisse conuentum testis est Plinius, à quo XXIV. ciuitates iura petebant. In antiquis inscriptionibus *Bracaraugusta* vnica voce, non semel legitur Tarracone: M. VL-

M. VLPIO. C. F.
QVIR. REBVRRO.
EX. BRACARAVG.
OMNIBVS. H.
IN. RE. P. SVA. FVNG.
FLAM. P. H. C.
P. H. C.

In ipsa vero Bracaraugusta hanc exstare ferunt:

ISIDI. AVG. SACRVM.
LVCRETIA. FIDA.
SACERDOS. PERP.
ROM. ET. AVG.
CONVENTVS. BACARAVG.
V. D.

Ausonius Poeta, suo æuo inter quatuor præcipuas Hispaniæ vrbes, in Catalogo illustrium vrbium recenset hoc versu:

Quæque maris sinu iactat se Braccara diues.

Priscis etiam Annalibus constat, Regum Sueuorum sedem fuisse circiter CLXX. annis, sub Gothicis vero Regibus CLXX. annis floruisse. Sita autem est ad Alestem amnem quinque leucis à mari, insigni agri cælique clementia prædita: Archiepiscopatu nobilissimo claret. De primatu Hispaniæ cum Toletana Ecclesia dudum certat, & indecisa lis in hodiernum æuum pendet. Cum enim præcipuæ Hispaniæ vrbes & metropoles in Maurorum essent potestate, ab Alphonso I. cognomine Catholico, anno DCCC. XL. prima omnium in libertatem vindicata est, omnesque Hispaniæ Episcopi Braccarensem, pro Metropolitano agnoscebant. Hac in vrbe Lusitaniæ Regum primus sator Henricus Comes, pater Alphonsi Henriquez I. Lusitaniæ Regis, in summo templo est sepultus. Christi fidem, edocta ab D. Petro Martyre S. Iacobi discipulo amplexa est, multo cum sanguine constantissime conseruauit. Varia hic Patrum Concilia celebrata.


CAP. LII.

COMPOSTELLA.

QVONAM MODO OLIM VOCATA SIT COMPOSTELla. D. Iacobi corpus quando detectum. Quando in prœliis nomen eius cœptum implorari.

NVnc sese offert *Compostella*, non fluxæ antiquitatis vestigiis, aut rerum gestarum titulis tumens, sed Hispaniæ Tutelaris D. Iacobi reliquiis ornata: quibus ceteris vrbibus merito præferenda. de antiquo nomine variant scriptores. Episcopus Gerundensis *Compostellam* dictam putat: cum enim prisci Hispaniæ cultores his in locis Hesperum oriri vidissent, quam regioni illi salubrem stellam credebant, *Compotem stellam* nominarunt; vnde & *Compostellam* vrbem dictam. Insulsa hercule & inepta etymologia, quæ cassam nucem non meretur. Franc. vero Tarapha & Ios. Moletius *Flauium Brigantium* Ptolemæi credunt, quod inter Callaicos Lucenses, in magno portu statuit. Guilielmus Soonus libello, de orbis terrarum nouis incolis, putat *Flauium Brigantium* idem esse oppidum cum *Flauionauia*, sed egregie hallucinatur: siquidem *Flauionauia* à Ptolemęo inter Pęsicos collocatur; *Flauium* vero *Brigantium* inter Gallaicos Lucenses. Non absurde suspicatur Tarapha in honorem Vespasiani esse exstructum, aut certe prænomen assumsisse. Paulus Orosius lib. I. cap. II. solum *Brigantium* nominat, ibique altissimam esse pharum asserit; Io. Oliuarius Valent. Schol. in Melam, credit *Ianasum* oppidum inter Artabros esse *Compostellam*: sed in re tam dubia quid certi statuere meum non est; nisi *Flauium Brigantium* non esse, vt suo loco dicetur. D. verò Iacobi corpus quo pacto primum à discipulis *Iriam Flauiam*, postmodum verò *Compostellam* allatum sit, fuse referunt historiæ. Cum vero multis seculis latuisset, non solum Pœnorum tempestate, sed & ante Gothorum aduentum, anno demum D C C. XCVIII. regnante Alphonso Casto, cœlesti indicio, Theodomiro Iriensi Episc. detectum fuit; quo tempore Imp. Carolus Magnus eo, religionis ergo, iter suscepit: qui à

Leone III. Pont. Max. obtinuit, vt Episcopali dignitate ornaretur, ita tamen vt Iriensis Episcopi titulum retineret, quod & obseruatum fuit vsque ad annum circiter D.CCC LXXVII. quo tempore Ioannes VIII. Pont. Max. Compostellanam Ecclesiam, ab Archiepiscopatu Braccarensi exemit. An. vero clↄ.C.XXIV. referente Cæsare Baronio Ecclesiast. Annaliū tomo IX. Callistus Pont. Max. Emeritensis Ecclesię Metropoliticū ius, efflagitante Hispaniæ Rege, Compostellam transtulit, tum quia Emerita Sarracenorum iugo premebatur: tum quia peregrinorum concursu & religione Compostella in melius semper cresceret. nam ad illa vsque tempora exiguum tantum sacellum fuerat. Increbrescente vero fama, D. Iacobi hic latere corpus non solum Hispani, sed omnes pœne nationes excitæ frequentes cum votis, donisque venere. Templum donariis variorum Regum splendide ornatum. Aucta religio, cum paulo post anno D.CCC. XLVI. Ramiro Regi ad Clauigium, intercedente Apostolo, de innumera barbarorum multitudine, victoria concessa. vnde cœptum est in præliis nomen eius patrociniumque implorari, victorque exercitus vniuersam Hispaniam voto astrinxit, vt ex singulis agri vineæque iugeris, Compostellano templo frumenti modium, aut vini amphoram quotanis omnes penderent.



Cap. LIII.

Aquae calidae Amphilochia, et Aquæ Celinæ *dictæ. Vnde* Orense *hodie. Thermæ hic salubres.*

INter Cilenos populos in Gallæcia, Ptolemæus *Aquas calidas* oppidum recenset, incolis hodie *Orense*: quod & *Amphilochiam* dictum prius credunt Aluarus Gomezius, & Beuterus, ab Amphilocho Teucri Comite, qui hic, Strabone teste, diem clausit: ab Antonino vero in itinerario, *Aquæ Gallinæ* vocatur. Declinante autem imperio Romano & irrumpentibus in Hispanias Gothorum populis, Gallæcia Sueuis in sortem & sedem obtigit, & patrio idiomate vrbem hanc *VVarm see*, quod *lacum calidum* denotat, appellarunt: postmodum vero *Orense* (quasi *VVarense*:) corrupte nimis dictum est. Sed inscii etymologiæ vocarunt Latine *Auriam*, quasi ab auro nomen illi esset.

Sita autem est ad amnis Minii ripas vrbs, agro fruitur non amœno solum, sed & felici: sapidissimis vndique fructibus egregie ornatur, præter generosi & nobilissimi vini copiam: templa habet, structura, & Religione exculta, Cathedrale præsertim: ornatur id signo Christi crucifixi, mira arte & vetusta incolarum pietate venerabili, & miraculis crebris claro. Sed præcipue vrbem nobilitant non vno loco erumpentes calidi, & salubres fontes; vnde & vrbi nomen: quorum nonnulli ita moderati sunt caloris, vt innoxie corpus eum queat perferre. alii vero tam intense feruent, vt tactus calorem aspernetur, & oua in illis facile coqui possint. tantus vero circa hos fontes æstus erumpit, vt vel rigente bruma, & operta tellure niuibus, vicinæ fontibus ædes nunquam niue vel pruina albere conspectæ sint: diceres vna in vrbis regione hyemalem, altera vero vernalem & tepidam auram regnare. Mira etiam hic naturæ prouidentia elucescit. nam cum suburbanus ager raras siluas ferat, nec ceduæ materiæ multum sit ferax, quantū vrbi ad focum opus esset, calidarum hanc copiam diuite vena effudit, qua incolæ ignis beneficio sine igne fruerentur. Cum vero calidi omnes fontes, à latentibus sub terram aluminis, sulfuris & bituminis venis originem trahunt, vt refert Vitruuius lib. VIII. cap. III. Vnde Poeta de illis.

Siue bituminea rapiunt incendia vires
Luceave exiguis ardescunt sulfura fumis.

Discriminat naturam arcani metalli sapor, vel odor aquæ impressus: huius tamen fontis aqua nulla peregrina qualitate adulterata, ex terra erumpit calida, quod mirum est.

Siues pares flammas vndarum lance rependens
Arbiter in fœdus mons elementa vocat:
Ne cedant superata sibi, sed legibus æquis
Alterius vires possit vtrumque pati.

Vt Claudianus elegans Poeta. Pro comperto enim habent incolæ à sulphuris venis vires sumere, vnde & multis medetur malis. quæ sulfurea curant balnea. Sed remotum esse caloris fomitem extra dubium est. vnde nullum eius vestigium secum vehunt aquæ.

Cap. LIV.

FLAVIVM BRIGANTIVM ESSE LA CORVNNA.
Fabula explosa de speculo mirando. Pauli Iouii lapsus de Herculis Columnis.

RElicto celebri illo promontorio *Artabro*, vel *Celtico*, vt Plinius, vt vero Ptolemæus vocat *Nereio*, hoc æuo *Cabo de finis terre*, inter Gallaicos Lucenses, in magno portu *Flauiū Brigantium* à Ptolemæo recensetur: Dion etiam lib. XXXVII. vocat *Brigantiam*; ab Æthico vero & Paulo Orosio *Brigantia* vocatur: altissima pharo memorandi operis ornata. Antonius Beuterus *Betancos* esse; Florianus vero Occampo, & diligentissimus Gaspar Barterius, *la Corunna* vocari asserunt. Magnæ cuiusvis classis capaci portu ornata: in honorem gentis Flauiæ olim exstructam nomen ipsum ostendit, Domitiani forsan æuo. Nam à Plinio nulla eius mentio, qui sub Vespasiano vixit. Incolæ ab Hercule conditam referunt, turrimque hic esse ab eodem exstructam, in qua speculum arcana arte fabricatum erat, vnde naues vel longissimo spatio distantes contemplari liceret. In tam ridiculam opinionem vocum ignorantia, & antiquitatis imperitia lapsi sunt: nam cum turris illa specula dicatur, speculum illud mirandum, sine opifice vllo confinxere, &, vt ex inscriptione licet videre in Augusti honorem exstructa fuit, à Lusitano architecto; sed lubet illam apponere.

MARTI. AVG. SACR.
C. SÆVIVS. LVPVS.
ARCHITECTVS.
A. F. DANIENSIS.
LVSITANVS. EXVL.

Ab hac fabula persuasi nonnulli, credidere arcem Herculis fuisse, & alteras columnas ab illo hic fixas, non secus ac circa Gades, dictamque vrbem hanc *Corunna* tanquam *columnam*: quod egregium etymon apud Paulum Iouium virum alias grauem & doctum, tantum valuit, vt ab imperito aliquo Hispaniæ antiquitatis persuasus, huic opinioni etiam subscriberet, cum in vita Gonsalui Ferdinandi d' Aguilar, agens de aduentu Regis Philippi I. in Hispaniam, ita scriberet: *Nec diu Philippus amicorum suorum studia, votaque frustratus, vt sua regna ex arbitrio administranda susciperet, in Cantabriam Oceano deuectus, peruenit in portum, qui vocatur ad Columnas; fortasse quod ibi quoque alteræ Herculis Columnæ, sicuti Gadibus positæ fuerunt, quum eo externo littore terræ Hispanicæ finis.* Sed opinio hæc infirmiori tibicine fulta, quam vt rationibus conuelli mereatur. Non procul ab hoc oppido præstantissimi Iaspidis sunt fodinæ.

Cap. LV.

BVRGOS NON ESSE AVGVSTROBRIGAM, NEC Aucam veterem. Brauum esse Ptolemæi. Vnde nomen mutatum.

CElebris admodum, & Castellæ veteris Metropolis *Burgos*, quam Florianus olim *Augustobrigam* dictam putat, quamque Ptolemæus in Vettonibus collocat; sed cum Geographis pugnat hæc opinio: siquidem, teste Plinio, *Durius lapsus per Areuacos Vaccæosque, disterminatis ab Asturia Vettonibus, à Lusitania Gallæcis, ibi quoque Turdulos à Bracaris arcet.* At *Burgos* Asturiæ terminis contineri luce clarius est, atque ita Vettonum Augustobriga esse nequit. Lucio vero Marinæo & Francisco Taraphę *Auca* olim dicta. Displicet tamen non immerito Ioan. Vasęo. nam XX. circiter M. P. supra *Burgos* fuit *Auca*, in monte *Iubeda*, qui & hodie saltus est Aucensis, in loco qui hodie *Neustra Sennora de Oca* vocatur, & in Hispanię Conciliis, non semel *Auxitanus* Episcopus legitur. Iidem tamen & *Brauum Murbogorum* Ptolemæi aiunt esse, & olim *Masburgi* dictam; sed auctores vellem protulissent. *Brauum* etiam fuisse Ios. Moletius, & Villanouanus asserunt; à Germanis obliterato priori nomine *Burgam* fuisse vocatam, auctor est Tarapha, & anno. D. CCC. XLVI. regnante Castellæ Comite Didaco Porcelli, nouis incolis habitari cœptam. Licet Rodericus Ximenius Archiepisc. Toletanus lib. V. cap. XXV. dicat Comitem Castellæ Didacum Porcellum, ex multis pagis castrisque, vulgo *Burgi*, ciuitatem Burgensem frequentasse, atque inde nomen *Burgos* inditum.

Vrbs est magnis concinnisque ædibus ornata, incolæ summa cum fide mercaturæ student, templa, & cœnobia habet frequentia. Inter cetera D. Augustini est monasterium, vbi asseruatur magno honore imago Domini nostri Iesu Christi crucifixi, quam à Nicodemo factam perhibent, & à mercatore quodam, tempestate iactato in mari repertam. Multis certe miraculis claret. Extra vrbem alterum est monasterium Virginum monialium, vulgo dicunt *de las huelgas*: cuius auctor Alphonsus VIII. Castellæ Rex perhibetur, nullis accessus patet, nisi Principum patriciorumque filiabus. Huic monasterio XIV. non ignobilia oppida, & XVII. monasteria, præter alia obscuriora XL. oppidula parent. Hanc in vrbem etiam anno clↃ. XCVII. Episcopalis sedes, quæ Aucæ erat, translata fuit auctoritate Vrbani XI. quo tempore Alphonsus VI. Christianis Toletum restituit.



Cap. LVI.

DVPLEX PINTIA. PISORACA AMNIS. INSCRIPTIO vetus. Vrbis descriptio.

DVplicis *Pintiæ* meminit Ptolemæus, quarum vnam inter Callaicos Lucenses statuit: quam Villanouanus *Chirogam*, Moletius vero *Puerto magno* vocant: alteram in Vaccæis collocat, quæ hodie ab omnibus *Valladolid* dicitur, nobilissimum Hispaniæ oppidum, situm ad ripas Pisurgæ fluuii, quem ex antiquis inscriptionibus *Pisoracam* vocari constat, vt indicio est illa, quam ab Amb. Morale desumsi:

NERO. CLAVDIVS.
D. CLAVD. AVG. F.
GERMANICI. CÆS. AVG. N.
TI. CÆS. AVG. PRON.
DIVI. AVG. ABN.
CAES. AVG. GERM.
PONT. MAX.
TRIB. POT. IMP. COS.
A. PISORACA. M. I.

Quod est, *à Pisoraca milliare vnum*, vel *mille passibus à Pisoraca* viam statuit.

Hieronymus vero Surita Notis ad Antonini Itinerarium negat *Pinciam* esse *Vallisoletum*, Sed cum passim opinionem priorem inualuisse videam, non est quod citra efficaces rationes illam relinquam. ædificiis tam sacris quam profanis, publicis ac priuatis ornatissimum: omnium scientiarum nobilissimo Lyceo honestatur, ex quo præclarissimi ingeniorum riuuli in vniuersam Hispaniam deducuntur: mercatorum commerciis; & mechanicis artibus egregie excultum: aere item saluberrimo; nisi interdum obscuris Pisurgæ amnis nebulis fœdaretur. Et cum in vniuersa Hispania tantum quatuor sint Iuridici Conuentus, quos *Cancellarias* indigetant, Pintiæ vnus est, qua de caussa magna hic hominum frequentia. siquidem hinc iura petunt populi omnes, qui à Tagi ripa, Castellam vsque comprehenduntur: vnde vrbem alioqui claram aduenarum concursus clariorem multo efficit. hortis fontibusque amœnissima est, rerum omnium copia ditissima: ita vt vna hæc contineat, quidquid præcipuæ aliæ vrbes singulæ, Reges tamquam placidissimum domicilium illam libenter frequentant, & plurimi Hispaniæ Principes ædes hic habent proprias. inter cetera vero forum habet rerum venalium amplissimum & pulcerrimũ, quod ambitu suo septingentos passus complectitur: tanta hic rerum copia varietasque venalis, vt non immerito quis Amaltheæ hic cornu copiæ esse diceret. Non exiguum splendorem Philippi II. potentissimi Monarchę incunabula huic vrbi dedere. Natus & hic *Ferdinandus Nonius*, vulgo *Pintianus* à patria cognominatus: qui vt Melam, ac Senecam Scriptores Hispanos egregie illustrauit, sic & C. Plinii Naturalem Historiam integre post Hermolaum Barbarum (bone Deus, quem & qualem virũ!) emendauit.

Cap. LVII.

LEGIONENSE REGNVM.

LEGIONENSIS VRBS EX SVBLANCIAE RVINIS CREVIT. Legio VII. gemina *vocata. Olim* Floris *cognomen habuit. Quando* Leon *cœpta dici.*

LEgionensem vrbem eo tempore exstructam ferunt, Franciscus Tarapha, & Petrus Medina, quâ Imperator Nerua Cocceius conscriptis XIV. legionibus ad prouincialium motus compescendos, duas in Hispaniam misit, vt in arduis & montuosis sitas locis vrbes diruerent, & in planitiem deducerent, quò facilius Hispanorum seditionibus in posterum prospicerent, quos & suopte ingenio, & natura loci ad seditiones paratos nouerat: atq; inter ceteras Sublantiam solo æquatam fuisse, cuius adhuc vestigia exstant, sesquileuca ab vrbe, loco incolis *Sollanco* vocato, ex cuius ruinis Legionensem vrbem creuisse fama est. Sita est inter Astures. A Ptolemæo *Legio Germanica septima* vocatur; Ioannes verò Vasæus in Chronico suo, non *Legionem septimam Germanicam*, sed *Geminam* legendum putat: quòd nusquam tota Hispania in vetustis inscriptionib⁹ *Legionis septimæ Germanicæ* mentio occurrat, *Geminæ* verò frequentissimè. Vna hæc inscriptio multarũ erit instar Aquiflauiæ in Lusitania (vulgò *Chaues*) reperta:

IMP. CÆS. VESP. AVG.
PONT. MAX. TRIB. POT. X.
IMP. XX. P. P. COS. IX.
IMP. VESP. CÆS. AVG. F.
PONT. TRIB. POT. VIII.
IMP. XIII. COS. VI.
....
....
C. CALPETANO. RANTIO.
QVIRINALI.
VAL. FESTO. LEG. AVG. PR. PR.
D. CORN. MÆCIANO. LEG. AVG.
L. ARRVNTIO. MAX. PROC. AVG.
LEG. VII. GEM. FEL.
CIVITATES. X.
AQVILAVIENSES.
AOBRIGENSES.
BIBALI.
COELERNI.
EQVÆSI.
INTERAMICI.
LIMICI.
ÆBISOCI.
QVARQVERNI.
TAMAGANI.

Cui adstipulatur Ambr. Morales, P. Ioan. Mariana, aliique non imi subsellii viri. Illud mirari subit, quid Franciscum Tarapham mouerit, quòd hanc vrbem dicat à XIV. Germanorum legionibus exstructam, quæ non vrbem aliquam, sed orbem possent exstruere: idem ait olim *Regiam legiam* vocatam fuisse. Refert & Hieronymus Surita, auctores esse, qui ante CCCC. annos prodiderunt Legionem VII. geminam, *Floris* cognomen habuisse. Gerundensis verò Episcopus lib. III. vrbem hanc primò à Pœnis ait conditam fuisse, & *Eleonam* dictam, à prouincia Eleona, Libyæ propinqua, in qua leonum magna copia: quam opinionem vnde hauserit, me prorsus fugit; sed ἀπροσδιόνυσα hæc mittamus.

Annorum verò decursu in Leouigildi Gothorum Regis honorem *Leon* vocari cœpta est, vt refert Isidorus libro II. Chronicorum his verbis: *Leouigildus Rex Romanos*

[illegible] apud Legionem vrbem bello exstinxit, & ipsam eorum vrbem cepit, quam ex suo nomine Leonem vocauit. A qua postea vniuersi regni Legionensis nomen manauit. Anno 722. Pelagius Rex, à Mauris illam sibi vindicauit.

Vrbs est hoc æuo nobilissima, & inter cetera templo pulcerrimo conspicua, teste Lucio Marineo; qui, ne Hispalense templum quidem magnitudine sua, nec Toletanum, diuitiis ornamentisque illud superare affirmat. Nam artificio, & concinna architectura illa longè vincit. Augustum sacrarium habet, in quo XXXVII. Reges, & vnus Hispaniæ Imperator sepulti sunt. Nullius pœnè rei indiga, sed incolis suis liberaliter omnia suppeditat. Præcipuè autem Sanctorum meritis, & reliquiis opulenta, inter ceteras verò D. Isidori Hispalensis Episcopi, qui anno Christi 656. obiit, Hispali verò in Legionensem vrbem à Ferdinando Magno translatus est. Dignitate Episcopali ornata vrbs, & singulari priuilegio, iam à Gothorum temporibus sedi tantùm Apostolicæ obnoxia: nec Metropolitanum agnoscit. Auctor est Isidorus hac vrbe natos esse *S. Marcellum* Centurionem & *Nonam* vxorem eius, qui XII. filios Christi Martyres habuerunt.



Cap. LVIII.

ZAMORA.

ZAMORAM NON ESSE SISAPONEM *PTOLEMAEI. Minus* Orcelim *vel* Numantiam. Senticam *esse. Vnde illi nomen.*

NOn obscurum hoc æuo oppidum est *Zamorra*, Maurorum verò tempestate celeberrimum fuit. de cuius prisco nomine discrepant auctores: conabor succinctè variantes opiniones recensere, vt illis euentilatis, probabiliori subscribam. Villanouanus credit esse Ptolemæi *Sisaponem*, sed cùm illa inter Oretanos collocetur, *Zamorra* inter Vaccæos potiùs sita videatur, non quadrabit *Sisapanes* situs, immò si Plinio, & Straboni fides, in Beturia *Sisapone* locanda erit (nisi aliam à Ptolemæi *Sisapenem* esse dixeris;) Antonius verò Nebrissensis *Orcelim* credit esse, sed & hæc vrbs inter Oretanos refertur, quam multi *Oriolam* putant, nec potest cum Zamorrensi situ conuenire. Non defuere, qui *Numantiam* illam celebrem fuisse suspicantur; sed nimis frigidè. Carolus verò Clusius, & Iosephus Moletius *Sarabrim* Ptolemæi dicunt; Ioannes Mariana, aliique *Senticam* Ptolemæi aiunt esse, in Vaccæis, non procul à Pintia, at cùm *Sarabrim* & *Senticam* Ptolemæus, vt vicinas recenset, non secus ac *Toro* & *Zamorra*, non facilè erit asserere, quænā illarū sit *Zamorra*. Ego pluriū & doctiorū opinioni accedā, vt si falli cōtingat, erroris patronos habeā. *Senticā* itaq; Ptolemæi esse cum Resendio aliisq; asserā: *Zamorræ* autē etymon refert Vasæus in Chronico ex Floriano Occampo, ab Arabibus olim *Medinā Zamorathi* appellatā, atq; ea voce significasse ciuitatem *Turquesarum*. nam *Zamorathi* Pœnis lapis cyaneus, vulgò *Turquesa* dicitur. totus enim *Zamorrensis* tractus scatet diuite vena lapidis cyanei, quæ passim in vicinis rupibus se frequentē ostendit. Postquàm ab Almanzore Rege funditus diruta fuit, ab Alphonso Magno, vel eius patre Ferdinando instauratam ferunt, & propugnaculis ita egregiè munitam, vt omnem ferè hostilem impetum eluderet, nec nisi fame ad deditionem compelli posset. Vnde Hispani patriis rythmis, epithetum illi *la bien cercada*, seu egregiè munitam addunt. Episcopo hæc vrbs circa annum clɔ. C. XIX. donata fuit, à Callisto II. Pont. Max. vt refert Vasæus. Vetusta hic inscriptio visitur, nec ex triuio, quam lubuit hic adtexere:

DEO. MENIVM.
VIACO.
M. ATTILIVS.
SILONIS. F.
QVIR. SILO.
EX. VOTO.

CAP.

Cap. LIX.

TOLETANVM REGNVM.

DE TOLETI CONDITORIBVS REIECTA OPINIO. Carpetaniæ caput quando. Primatis Hispaniæ dignitas eò translata. Vrbs Regia *vocata. Fatale hic palatium.*

VT Romanorum æuo *Toletum*, neque magna admodum, neque clara vrbs fuit, ita Gothorum seculo, ad summum incrementum peruenit, vt nulli Hispaniarum vrbi inferior sit. Liuius certè lib. XXXV. paruam vrbem fuisse dicit, anno ab Vrbe Condita D. LVI. quando M. Fuluius Proconsul illam expugnauit, his verbis: *Ad Tagum ire pergit. Toletum ibi parua vrbs erat, sed loco munita. Eam cùm oppugnaret, Vettonum magnus exercitus Toletanis subsidio venit, cum his signis collatis prosperè pugnauit, & fusis Vettonibus, operibus Toletum cepit.* Plinii verò tempore clarior fuit, nam & Carpetaniæ caput erat. Quo tempore condita fuit, non constat inter auctores: Rodericus enim Ximenius Toletanus Archiepiscopus lib. I. C. III. & ex eo Tarapha, aliiq; aiunt C. VIII. annis, priusquam C. Iulius Cæsar rerum potiretur, Coss. Tolemone & Bruto exstructam fuisse: quorum nomina cùm nusquam in Fastis reperiantur, meritò prætereunda hæc est opinio. Episcopus Gerundensis lib. V. dicit à D. Iunio Bruto, qui ex deuicta Gallæcia, *Gallaici* nomen meruit, conditam esse; sed ex T. Liuii verbis constat, ante Bruti ætatem multo tempore conditam fuisse, proinde hæc vt incerta mittamus.

Sita est autem in *Carpetanis*, in totius penè Hispaniæ vmbilico, loco aspero & cliuoso, maiorique ex parte nobilissimo amne Tago ambitur, à reliqua verò parte muris validissimis, & CL. propugnaculis egregiè munita: cœli, agrique insigni felicitate fruitur: lanificii, sericique commercio opulenta admodùm: equitum nobiliumque virorum insignis frequentia, sacerdotum magna opulentia. Aquæductus hic est mirandi operis. nam cum vrbs editiori sit loco sita, quam vt Tagi aquis commode frui posset, qui humiliorem vrbis partem alluit, ingenio & arte Ianelli Turiani Cremonensis, celeberrimi Mathematici, facta est hydraulica machina, quæ magna versatili rota aquam magno impetu per tubos ductiles & fistulas in editissimam vrbis partem pertrahit, vnde in multos riuulos vrbis commodo deriuatur.


Augustissimo & splendidissimo templo nobilitatur, quod reliquas Hispaniæ sacras ædes longe superat: Archiepiscopo paret, qui dignitate opibusque omnes Hispaniæ proceres antecedit, quem Vrbanus II. totius Hispaniæ Primatem constituit, XVII. illi oppida stipendiaria, præter alia minoris famæ, quæ annuo plusquam ducenta millia coronatorum pendent. Anno D. LXXXIX. tempore Regis Flauii Recaredi, III. Toletano Concilio vocata fuit *Vrbs Regia*; quia sub Leouigildo Reccaredi patre, Gothorũ aula & Regia sedes Toletum migrauit. qua de caussa insequentes Reges variis operibus exornarunt. Primus verò Rex Wamba pomœrium eius dilatauit, ampliorique muro cinxit, variisq; ędificiis illustrauit, quod testatur epigraphe vrbis portis inscripta:

Erexit fautore Deo rex inclytus vrbem
VVamba, suæ celebrem protendens gentis honorem.

Extra muros septemtrionem versus, vestigia magni olim theatri sparsa visuntur. Auctor est Rodericus Toletanus Archiepiscopus, ante Arabum in Hispanias irruptionem, hic fatale palatium fuisse, quod inuicti vectes, æterna ferri robora claudebant: ne reseratum Hispaniæ excidium adferret, quod in fatis non vulgus solum, sed & prudentissimi quique credebant: sed Roderici vltimi Gothorum Regis animum infelix curiositas subiit, sciendi quid sub tot vetitis claustris obseruaretur: ingentes ibi superiorum Regum opes & arcanos thesauros seruari ratus. seras & pessulos perfringi curat, inuitis omnibus: nihil præter arculam repertum, & in ea linteum, quo explicato nouæ & insolentes hominũ facies habitusq; apparuere, cum inscriptione Latina, *Hispaniæ excidium ab illa gente imminere*, vultus habitusque Maurorũ erant. Quamorbem ex Africa tantam cladem instare regi ceterisque persuasum; nec falso, vt Hispaniæ Annales etiamnum queruntur. Venit autem in Maurorum potestatem anno. DXV. Iudæorum proditione, dum Christiani Dominica Palmarum, pro veteri more securi extra muros ad D. Leocadię ędes supplicãt. Ab Alphonso verò VI. iugi obsidione, in Christianorum potestatem redactum Euangelica luce donatum fuit à D. Eugenio martyre,-

B. Dionysii Areopagitæ socio, qui & primus vrbis Episcopus fuit. habuit & Archiepiscopos vitæ sanctimonia, & eruditione conspicuos *S. Iulianum*, & *S. Illephonsum*, quorum hic à B. Virgine ipso Annuntiationis festo, ornamentis ad sarificandum donatus fuit: hodiernoque die altare in rei gestæ memoriam ostenditur. D. etiam Leocadiæ, martyrio sub Deciano affectæ, magnus hic cultus, cui tria diuersa templa dicata sunt. Illud certè memorabile XVII. hic Concilia Toletana celebrata fuisse, quot alibi nusquam. Non pigebit referre *Aloysiam Sigæam* virginem Toletanam, quæ cum sui æui doctissimis viris conferri posset, fuisseque quinque linguarum adeò peritam, vt non immeritò Paulus III. Pont. Max. litteras illius ad se scriptas videns Latinè, Græcè, Hebraicè, Syriacè & Arabicè, admiratus fuerit in tenella hac & mustea virgine tam multiplicem ingenii fructum, in viris etiam rarum. Mitto nunc Toletanos insigniter doctos, linguarumque in primis peritos, bina fratrum paria, *Ioannem* & *Franciscum Vergaras*; *Didacum* & *Antonium Couarruuias*, Iureconsultos egregios. Duos item taceò *Aluaros Gomezios*, Poetam alterum domi nobilem, alterum Historicum. Eleganti in marmore insculpta hæc inscriptio visitur, quæ, quia refert antiquum nomen, non pigebit hic adponere:

IMP. CÆS.
M. IVLIO. PHILIPPO.
PIO. FEL. AVG.
PARTHICO.
PONT. MAX. TRIB. POT.
P. P. CONSVLI.
TOLETANI. DEVOTISS.
NVMINI. MAIEST. QVE. EIVS.
D. D.



CAP. LX.

SEGOBIA.


SEGOVIA PLINIO, EADEM CVM PTOLEMAEI SEcubia. Etymon reiicitur. Aquæductus à Traiano exstructus.

QVod paucissimis Hispaniæ vrbibus, id *Segobiæ* accidit, vt incorruptum nomen inter tot barbaras gentes posteritati transmitteret. Plinius in Areuacis, cum Vxama, & Seguntia collocat, Ptolemæus *Secubiam* vocat; Iosephus Moletius eandem putat esse cum *Segortia Lactea* Ptolemæi, eodem in populo; sed Villanouanus dicit esse *Sepulueda*; Ant. Augustinus ex vetusto numismate, *Coloniam Latinam* cognominatam fuisse docet; Rodericus Archiepisc. Toletanus lib. I. cap. VII. ab Hispano Rege exstructam putat, iuxto promontorium, quod *Cobiam* vocat, ideoque vocasse *Secobiam* tanquam *secus Cobiam* sita. Sed ridiculū hoc etymon, & ἀγέλαστος ille Crassus rideret. Ioan. Vasæus auctor est, à Celtiberis, dum in Lusitaniam pars eorum patriæ grauis transiret, conditam esse, & in Segobrigæ memoriam vocatam esse *Segouiam*.

Est & *Segouia* in Bætica ad Silicense flumen A. Hirtio auctore, non procul ab Astigi, quam hoc æuo vocari *Segouia la menor*, testatur Vasæus inter Hispalim & Cordubā.

Vrbs est nostro æuo non ignobilis, editiori in loco sita, turribus vndique & propugnaculis munita, lanificio præcipuè clara. nec nobilior tota Hispania pannus, quàm Segouiæ texitur, vnde incolis magnæ opes. Quodque mirandum magis, refert Vasæus vix tota hac vrbe mendicum inueniri, nisi quem ætas aut morb⁹ ab opere excusant. Atrium hic est visendum in quo omnium pene Hispaniæ Regum effigies conspiciuntur. Præcipuum verò vrbis ornamentum, aquæductus est mirandi operis, quem Rodericus idem, & Alphonsus de Carthagena, ab Hispano Rege exstructum somniant: sed eruditioribus & antiquitatis peritis, Traiani Imp. opus perhibetur, in quo facilè, Romanæ architecturæ maiestatem, & magnificentiam intueri licet: tantæque firmitatis est moles, vt, cùm sæpè particula aliqua reficiatur, vix ad decennium illa perduret, cùm prisca structura in hodiernum æuum illæsa seruetur: vrbi hinc de aquarū copia prospicitur, non publicè solum, sed & priuatim. Nostra hic memoria Germanorū ope, & aquarum, inuenta ratio est cudendæ monetæ, non malleis colliso, sed

fuso ac liquato, demumque impresso ductili ære, auro & argento. Priscis ea res inuisa seculis atque inaudita. Solum habet fęcundum admodum, nihil vt incolis desit, quo commode lauteque viuant: templa habet & cœnobia piè & egregiè instructa: quibus accedit Episcopatus splendidus & opimus, vtpote qui in annuos reditus plusquam quatuordecim ducatorum millia numeret. Patronum agnoscit *S. Fructuosum* Confessorem.



Cap. LXI.

Di virgo ad aqvas lvpinas. Qvando sacra effigies huc delata. Miraculorum aliquot series.

CVm hæc vrbs ob imaginem D. Virginis toto orbe celeberrimam excitata sit, operæ pretium me facturum arbitror, si paucis retulero, vnde primum imago hæc allata, vbi postmodum reperta, quando coli cœpta. Sæuiente per vniuersam Europam circa annum Domini DC. grauissima peste, regnante Riccaredo Hispaniarum Rege, Gregorius Magnus Pont. creatus, prius quàm inaugurandus esset, solemni indicta supplicatione, frequententem iussit clerum populumque adesse, vt Dei iram, patrocinante D. Virgine, (cuius peculiarē effigiem manu gestabat) deprecaretur: nec mora, piissimi Pontificis precibus pestis elanguit, & sedata fuit. Hanc postmodū effigiem D. Leandro Hispalensi Presuli, vnà cum Moralibus in Iob libris, aliisq; reliqis dono misit. In Cathedrali templo summo cum honore seruata fuit, donec luxu libidineq; eneruatā Hispaniam, Pœni impunè vastarēt, Christianis vndiq; fugiētib⁹. Hispalenses aliquot sacerdotes, infideliū manibus elapsi Toletū fugerunt, ablatis aliquot Sanctorū reliquiis, vnà cum sacra hac effigie, qui cuncta hæc prope amnem *Guadalupe*, barbarorū metu, in marmoreo sepulcro, adiunctis literis in rei gestę memoriā, ingesta tellure cōdidere. Multis demum elapsis seculis, tempore Alphonsi XI. accidit, vt bubulcus amissum bouem aduerso amne *Guadalupe* inuestigaret, quem mortuum reperiens, dum parat corio nudare, reuixisse videt attonitus: cùm se illi D. Virgo augusta specie derepente obtulit, imperans vt clero significaret, vt eò loci occultam sacram effigiem effoderent, ibique dedicata æde collocarent. Pastor hic domum rediens, inusitata in Deum flamma, & D. Virginem religione accensus, vt cælestibus mandatis obtemperaret; ecce tibi familiam omnem luctu & mœrore obsitam, ob filii mortem, sed ipse insolita quadam in D. Virginem spe, preces tanto animi feruore fudit, vt iterum cunctis stupentibus vitalis cerneretur. Statimque vniuerso clero rei gestæ seriem omnem retulit, recenti miraculo confirmatam. omnes ilicò ad indicatum locum conuolant, repertamque imaginem, tumultuaria excitata ædicula reponunt. Miraculi huius fama vniuersam momento Hispaniam peruasit: magnus eò statim cōcursus fieri, frequentes se D. Virgini commendare, vniuersi opem auxiliumque ærumnis suis experiri. Rex ipse Alphons. XI. fama rei excitus huc venit, multumque agri, Castri Iulli & Talabricæ, templo & cœnobio assignauit, vt Deo commodius obsequium præstarent: templum etiam maiori ambitu exstruxit, variisque ornamentis decorauit. nec in cassum. Nam vix elapso triennio D. Virginis præsens numē sensit. Memorabile enim aduersus quinque potentissimos Pœnorum Reges, prælium commisit, prope Amnem Salsum, non procul à Tariffa, & adiuuante Alphonso Lusitaniæ Rege, socero suo, victor euasit. Circa annum cIↃ CCC. XL. ipse Rex hostium spolia Deo obtulit, inter quæ adhuc magni ex ære tripodes templi parieti affixi visuntur.

Templum vndique variis donariis, & frequenti anathemate septum est, columnæ votiuis tabellis tectæ. hæc inter conspicuus est cereus immensæ magnitudinis ex cera alba, quem Olisiponensis populus, sæua pestilentiæ lue D. Virginis ope liberatus, anno cIↃ. CCCC. XC. offerendum curauit: nam vasa sacra, tam aurea quam argentea recensere immensum foret. Argenteæ lampades XXX. perpetuo lumine visuntur, inter quas aliquæ opere & magnitudine conspicuæ. Inter multa Regum Principumque donaria videre est maioris tormenti bellici ferreum globum, quem Alphonsus Albuquercius, auorum memoria, Indiæ Prorex, in monumentum miraculi, quo eum D. Virgo in Goensi obsidione tutata est, misit: nam cum scapha flumen subiret, comes quidam eius ita tormenti globo discerptus fuit, vt illius cerebro fœdatus fuerit: quo ille periculo commotus, in D. Virginis Guadalupiæ se tutelam com-

mendat. Vix orationem finierat, cùm tormento excussus globus pectus illi percussit, sed innoxie & ad pedes eius delapsus fuit, licet vix à XL. passibus excussus fuisset, nunc argenteis incrustratus bracteis hic seruatur. cum quo monile misit, multis gemmis & adamantibus ornatum. Effigies hæc D. Virginis ex ligno est, quod cum cariei obnoxium admodũ est, mira tamen Dei prouidentia, per DC. annos sub terra incoruptũ durauit. Fusci vero coloris est, & vultui maiestas inest tanta, vt referant æditui, se fixis oculis non posse illam intueri. reuerentia enim sentiunt sibi oculorum aciem præstingui. Multa essent hoc loco de sacra hac æde dicenda, quæ spatiis exclusus iniquis, prætetire cogor.

Oppidum est exiguum, amœnum, fontiumque frequentia irriguum admodum. Flumen *Guadalupe* (nam *Cuada* Mauris aquã notat) muros eius præterfluit, cuius vtramque ripam, bicolores vndique & proceræ populi obumbrant, alicubi in tantam altitudinem enatæ, vt nauium malis inseruiant; nonnullis in locis luci instar ita densæ, vt vel flagrantissimi solis radios non admittant. Ager suburbanus vini, mellisque, & cuiusque generis fructuum ferax, cetera copiose à vicinis suppeditantur.



Cap. LXII.

ORETVM GERMANORVM. NVM CALATRAVA. Taraphæ crassus error. Inscriptio vetus. Origo Calatrauæ militum.

C*alatraua* non obscuri nominis oppidum, ad flumen Anam situm, & sacræ militiæ nomine præcipue clarum. Ptolemæo *Oretum Germanorum* dictum, teste Car. Clusio, Ios. Moletio & Tarapha, inter Oretanos situm, Stephano vero Byzant. *ὠϱισία*, quam cum Castulone inter Oretanos etiam recenset. num Strabonis *Oria* sit inter Oretanos, non abhorret animus: præcipue cum & Casaubonus & Ortelius eo inclinent. Addit Tarapha nominis etymon: Imp. Valeriani inquit, *temporibus, superiores Germani, abrasa potiti Hispania, à quibus, Oretum Germanorum, Estremaduræ oppidum hodie vero Calatraua, conditum.* Sed ô Lucumonis acumen!


Bœotum in crasso iurares aere natum.

Cum videat à Cl. Ptolemæo *Oreti Germanici* mentionem factam, qui teste Suida, M. Antonini temporibus scripsit: Plinius etiam, qui sub Vespasiano vixit, *Oretanos* hos cognomine *Germanos* vocat, vnde constat Taripham nimis supino animo hæc scripto mandasse; cum Valerianus multis post sæculis rerum potitus sit. Ambr. Morales *Calatrauam* negat *Oretum Germanorum* fuisse; sed non procul ab vrbe ædiculam esse quam incolæ *Neustra Sennorum de Oreto* vocant, atque hic antiquum Oretum fuisse. nam & templum illud Romanam architecturam præ se fert, pontemque habet vicinum eiusdem operis. Indicat hoc vetus inscriptio, quę ab hoc ponte in vicinam vrbem *Almargo* translata fuit:

P. BÆBIVS. VENVSTVS.
P. BÆBII. VENETI. F.
P. BÆSISCERIS. NEPOS.
ORETANVS.
PETENTE. ORDINE. ET. POP.
IN. HON. DOMVS. DIVINÆ.
PONTEM. FECIT.
EX. HS. XXC. CIRCENS. EDITIS. D. D.

Vrbs hæc *Calatraue* militibus à Rege Sanctio III. cognomine *Desiderato*, data fuit circa annũ clↄ. CLVIII. cuius militiæ primordia non pigebit ab ouo, quod aiunt, breuibus enarrare. Quo tempore Mauris erepta fuit *Calatraua*, Templariis militibus (quorum magna tunc temporis erat virtutis opinio) munienda data est, vt firmum aduersus barbarorum insultus propugnaculum esset: illi, quod Mauros magnis copiis eo venturos fama erat, oppido diffisi, Regi id restituere; nec erat inter proceres, qui se periculo exponeret. Aderant forte Toleti, duo Cistercienses monachi, Raimundus Fiterii ad Pisoracam Abbas, & Didacus Velascus, spectatæ olim virtutis miles (nunc Christo militabat) qui monendo, suadendoque Abbatem tandem impulit, vt oppidi muniendi in se curam susciperet, gloriosum id illi, reip. vero Christianæ vtilissimum futurum: consilium specie erat temerarium, annuit tamen. Regi Sanctio id gratissimum fuit, Præsuli-

Præſulique Toletano: qui quoniam eius ditionis eſſet, pecuniam de ſuo ſuppeditauit, & auctoritate ſua orationeque, multos tum nobiles, tum populares exciuit, vt vna cum Abbate pro Chriſtiana rep. diſcrimini ſe obiicerent. Multi vndique eo mortales confluxere, omnes lubenter difficultates ſubituri. diligētia hac oppidum aduerſus omnes hoſtiū iniurias egregie munitum fuit. Mauri ſpe deiecti, an aliis difficultatibus implicati, obſidionem non tentarunt. id fauſtum militiæ eius omen fuit. Rex in laboris præmium, oppidum Abbati cum ſubiecto agro & ordini Ciſtercienſi dono dedit. Is militibus ſuis veſtem rubra cruce inſignitam attribuit. Equitum Magiſtro quadraginta millia aureorum quotannis cedunt. his initiis ſacram hanc militiam in hoc, quod videre eſt, faſtigium excretam Alexander III. pont. Max. ſuo diplomate confirmauit.




Cap. LXIII.

TALABRICA.

TALABRICAM NON ESSE TALAVERA. PTOLEmæi Libora, *& T. Liuii* Ebura *eadem cum* Talauera *ſunt.*

NOn obſcurum *Talauera* municipium, niſi priſcum nomen in obſcuro eſſet. Cl. Marius Aretius, & Ant. Nebriſſenſis, nuda nominis ſimilitudine allecti *Talabricam* olim dictam credidere; ſed cum Antonino Aug. in Itinerario *Talabrica* à Conimbrica diſtet L. M. P. qui ſunt paulo plus XII. leucis, quæ Conimbrica Caciam vſque numerantur, vnde diligentiſſimus Barrerius *Talabricam* Caciam eſſe non male colligit. Plinius etiam lib. IV. cap. XXI. clare *Talabricam* in Luſitania collocet: *A Durio*, inquit, *Luſitania incipit, Turduli veteres, Paſures, flumen Vacca, oppidum Vacca, oppidum Talabrica.* Cum autem *Talauera* ſit ad Tagum ſita in Tarraconenſi prouincia, non poterit *Talabrica* eſſe, quæ in Luſitania eſt. Rod. Ximenius Toletanus antiquitus *Aquis* nomen illi fuiſſe dicit; ſed cum apud claſſicum ſcriptorem hoc non conſtet, non poteſt probari eius opinio. Ioannes Mariana Societatis IESV Theologus Hiſt. De rebus Hiſpaniæ lib. IV. cap. XIII. *Liboram* Ptolemæi & *T. Liuii Eburam* eſſe cōtendit. Qua in re ſuffragatur illi Ant. Beuterus, quæ tam Ptolemæo, quam Liuio in *Carpetania* non procul à *Toleto* ſita eſt, non ſecus atque *Talauera*. Quod vero idem Mariana, *Elboram* vocat, & Diuorum Vincentii, Sabinæ & Chriſtetidis Martyrum patriam aſſerit, omnique ope adnitatur probare, parum efficit. Nam doctiſſimus Andr. Reſendius, tamquam pro aris & focis, in Epiſtola ad Bartholomæum Kebedium, omnia eius argumenta refellit, aque *Eboræ* in Luſitaniæ hæc quadrare, & non *Talaueræ* docet. T. Liuii *Eburam* credamus eſſe, quæ cum Ptolemęi *Libora* eadem eſt. Auctor eſt Liuius, lib. 30. anno ab Vrbe Condita 573. Fuluium Flaccum Prætorem Celtiberos memorabili prælio ad *Eburam* Carpetaniæ vrbem fudiſſe. Diligentiores Hiſpani prælii locum à Liuio explicatum, cum ſuburbano *Talaueræ* conuenire affirmant.

Vrbs ſita eſt loco plano, in valle, IV. M. P. ea in parte lata, ad amnem Tagum: mœnia ſunt opere firmiſſimo, altitudine & latitudine paucis cedunt. Pœnorum tempore aut Gothorum reſtaurata videntur, quod indicant lapides, Romanis inſcripti litteris, nullo ordine diſpoſiti. turribus egregie & propugnaculis diſtincta. Contributus oppido ager egregiè felix, vini mellis pecoriſque admodum ferax: cœnobiis & templis ornatur: nobilitas ibi frequens. Vocatur autem *Talauera de la Reyna*, quia vna erat vrbium, quas Reginæ in quotidianos ſumtus obtinebant: qua poſtea Gomeſius Toletanus Archiepiſcopus, ob egregiam nauatam operam Reginæ vxori Henrici II. Caſtellæ Regis, donatus eſt. & deinceps Toletano Præſuli attributa fuit.



Cap. LXIV.

CASTVLO ORETANORVM VRBS A PHOCENSIBVS condita. Appianus deprauate Castaca *vocat. Varie à Plutarcho & Strabone vocata. Res ibi gesta.*

COnstans est Scriptorum opinio, *Castulonem* olim fuisse, vbi nunc *Caslona*: nec multum ab antiqua appellatione, licet à splendore, & nobilitate, multum deflexit. Ptolemæus illam inter *Oretanos* collocat. Stephanus Byzantinus deprauatus hoc loco, vt aliis multis. ait enim: Καστάλων μεγίστη πόλις ῥητανίας: cum ex Ptolemæo legendum sit ὠρητανίας, vt bene notauit Hieronymus Surita. Conuentus vero erat Carthaginensis, teste Plinio, qui addit Castulonenses populos, ex Colonia Salariensi, Latii veteris esse, qui Cæsari *Venales* appellantur. Olim valida vrbs erat & nobilis. condita fuit à Phocensibus non quidem ab illis qui Ioniam incolebant, sed qui Bæotiam, vnde & in fontis Castalii memoriam *Castulonis* nomen impositum. Hinc Silius Italicus lib. III.

Fulget præcipuis Parnassia Castulo signis.

Nec immerito, nam quo monte sita est, non obscuram Parnassi imaginem præfert. Siquidem & duplici vertice erat, quem vallis angusta intersecabat, ab vno latere fons tenui scaturigine manabat, vt licet hac in re Castalio fonti dispar. Sed liceat.

——magnis componere parua.

Originem hanc probant plurima argentea numismata, ante paucos annos hic reperta; vt luculentus auctor est Ambr. Morales, quæ alatum Pegasum ab vna parte ostendebant; litteris iniuria temporis prorsus deletis. Olim etiam Municipium fuisse antiqua inscriptio ostendit, quam Ambr. Morales non procul ab vrbe, loco dicto *Linares* conspici auctor est, notatq; aspiratione præter omnium Scriptorum mente habere:

VALERIÆ. CIPATINÆ.
TVCCITANÆ. SACRVM.
COL. PATRICIÆ.
CORDVBENSIS. FLAMINICÆ.
COL. AVG. GEMELLÆ.
TVCCITANÆ. FLAMINICÆ.
SIVE. SACERDOTI.
MVNICIPII. CHASTVLONENSIS.

Vrbs ipsa ingenio, & natura loci egregie munita, siquidem & monte & conuallibus profundis ambitur, ita vt tantum ab occidua parte commodus in vrbem ingressus pateret; sed angustus admodum, &, si ex priscis vestigiis coniicere licet muro, turribusque egregie tutus Appianus Alex. deprauate admodum in Ibericis vocat hanc vrbem Κάστακα: nec me mouet patrocinium Stephani Byzantini; qui Καστάλονα, & Κάστακα, vt diuersas vrbes enumerat. nam quæ circa Castacem Appianus refert accidisse. T. Liuius Castuloni adscribit. vt liquido apparebit conferenti vtrumque locum. Plutarchus vero in Sertorio *Caslonem*, Græcorum more, qui vocalem ante Λ sæpe elidunt, vt videre est in dictione Τευκλὸν & Ασκλὸν, Strabo vero sæpe voce *Clastonis*, & *Castaonis* vtitur, sed mendose, vt monet If. Casaubonus, & Surita. Agrum habet non fœcundum modo sed & diuitem: cum prope hanc vrbem, teste Polybio, Plinio, T. Liuio & Strabone, argenti fodinæ erant, quarum adhuc vestigium exstat; plumbi etiam fodinas habet in hodiernum æuum. Vestigia hic aquæductus exstant, Romanæ munificentiæ. Auctor est T. Liuius lib. XXVIII. hanc vrbem post cæsos Scipiones in Hispania, à Romanis ad Carthaginenses defecisse, & ex prælio profugis portas vrbis occlusisse, motus tamen vicinæ Illiturgis excidio, ad priores dominos rediisse, tradito etiam Punico præsidio.

Hac etiam vrbe oriunda erat *Imilce* Hannibalis vxor, auctore T. Liuio lib. XXIV. *Castulo*, inquit, *vrbs Hispaniæ, nobilis & valida, & adeo coniuncta societate Pœnis, vt vxor inde Hannibalis esset.* Et Silio Italico his versibus.

*——at contra Cyrrhæi sanguis Imilce
Castalii, cui materno de nomine dicta
Castulo Phœbei seruat cognomina vatis.*

Hoc oppido citerioris Hispaniæ longitudinem finiri auctor est Plinius, quam à Pyrenæis montibus huc vsque dicit comprehendere DCC.VII. M.P. Episcopatu olim

ornata

ornata fuit, qui tamen Toletano subiectus erat, vt ostendunt Annales Regis Alphonsi Prudentis. nunc, quæ rerum sunt vicissitudines, Episcopo caret.



CAP. LXV.

MVRTIÆ REGNVM.

MVRGIM *NON ESSE MVRTIAM OSTENDITVR. NVM* Oreola *vocata. Fabula de eius origine explosa.* Menlaria *Ptolemæi est Murcia. Regi Alphonso X. fidißima.*

OBscurum olim oppidum, nunc regni caput *Murtia*, & magni nominis: quam Clusius, aliique *Murgim* esse opinati sunt, quamque Ptolemæus inter Turdulos inter Turdulos in Bætica statuit, Plinius vero Bæticę finem esse dicit, ita vt vel hac sola ratione *Murtia* esse nequeat, vtpote quæ inter Carthaginem nouam & Valentiam, procul à Bæticæ limitibus sita. Rodericus Archiepisc. Toletanus lib. III. cap. XXIII. qua tempestate Mauri vniuersam Hispaniam deuastabant, dictam fuisse *Oreolam*, postmodum vero *Murtiam* affirmat; quod vnde hauserit, me quidem fugit. Scio Ptolemæum *Orcelis* in Bastetanis meminisse, quam hodie *Horiguela* vocant, non procul à *Murtia*: Antonius vero Beuterus, ceterique fabularum patroni, à *Morgetibus* populis deriuant, quos aiunt cum Atlantis filio Morgeto in Italiam primo traiecisse, dein reduces *Murtiam*, aliasque eius nominis vrbes condidisse. Ego vero Ioan. Marietæ Dominicani, & Iosephi Moletii potiorem opinionem duco, qui *Menlariam* Ptolemæi hodiernam esse *Murtiam* asserunt. siquidem inter mediterraneas Contestanorum vrbes recensetur, non procul à Valentia, quo in loco Murtiæ Valentięque regna sunt: & si Abrahami Ortelii Hispaniæ veteris descriptioni fides aliqua danda, nemini erit dubium eodem prorsus loco *Murtiam* nostram, quo *Menlaria* olim, sitam esse.

Alphonsus X. cognomento *Sapiens* hanc è Pœnorum manibus eripuit; qua de caussa illi obnoxia admodum & fidelissima, vel in maximo illo Hispaniæ æstu, quo vrbes omnes, Hispali vna cum excepta, ad Sanctium Filium desciuerant; qua de caussa illam septem coronarum insignibus, in fidei memoriam honestauit. Sita est in planicie, amœnissima regione, quam *Straberum* amnis interfluit (alii *Setabim* vocant) & deriuatis hinc inde riuulis, agros irriguos facit: malis citreis consiti campi: sed bombycum præcipuus prouentus, & sericæ vestis copia.



CAP. LXVI.

APPIANI ERROR DE CARTHAGINIS NOVAE AVctore. Opinio Silii Italici reiecta. A Carthaginensibus condita. Cur Spartaria *dicta. Vrbis situs. Argenti fodinæ celebres.*

INter principes olim Hispaniæ vrbes, *Carthago noua* locum tenuit, quæ & prouinciæ vni nomen dedit. nunc tenue tantum clarissimæ vrbis vestigium superest; proinde conabor illam ex cinere & ruinis excitare. Appianus Alex. in Ibericis putat ab Hannibale, ex Saguntinæ vrbis reliquiis exstructam esse. Sed mirum non est, Græcum in Hispanicis lapsum esse, cum & Romanis, quibus notior erat Hispania, non semel id acciderit. Silius Italicus ad Teucrum eius originem refert:

Dat Carthago viros Teucro fundata vetusto.

Sed cum historica veritate pugnat. Nam vetus Carthago, à qua noua nomen sumsit, teste Velleio Paterculo, annis tantum 65. prius quã Roma cõderetur ab Elissa Tyria, quã & Didonẽ nominant, cõdita est: ita vt à capta Troia an. 361. exstructa fuerit. Nulla ergo erat Carthago, cum Teucer Hispaniæ littorib⁹ appulit. Iustinus certe non dicit Teucrum condidisse Carthaginem, sed Hispaniæ littorib⁹, vbi nunc *Carhago noua* est, appulisse, indeq; in Gallæciam transiisse. Polybius, Strabo, & Pomp. Mela ab Hasdrubale Hamilcaris genero, cui Hannibal in imperio successit, exstructam dicunt. Isidorus lib. XV. Orig. cap. I. ab Hannibale conditam auctor est. Plinius vero Pœnorum opus esse, vt & Tarraconem Scipionum: à Polybio libro Secundo. καινὴ πόλις. i. *Noua vrbs*, similiter & à Stephano Byzantino. non secus ac Libyca Carthago vocatur;

ab aliis vero καρχηδωνία; ab Antonino Augusto & Appiano, & Plinio lib. XXXI. *Spartaria* nominatur, ob insignem, quem habet, sparti copiam: inter Contestanos à Ptolemæo recensetur. Iuridicum olim conuentum habebat, quo LXII. populi iura petebant, exceptis Insularum incolis, auctore Plinio. nam teste Strabone lib. III. cum murorum munitione, structura, & pulchritudine, tum portus commoditate, & lacus amœnitate ornatissima. Huius vrbis situm cum T. Liuius lib. XXVI. graphicè admodum describat, non pigebit hic adducere, vt hanc purpurā laciniç meę adnectā: *Sita, inquit, Carthago sic est. Sinus est maris media fermè Hispaniæ ora, maximè Africo vēto oppositus, & quingentos passus introrsus redactus, paulidò plus passuum in latitudinem patens. huius in ostio sinus, parua insula obiecta ab alto, portum ab omnibus ventis, præterquam Africo tutum facit, ab intimo sinu peninsula excurrit: tumulus is ipse in quo condita vrbs est, ab ortu solis, & meridie, cinctus mari; ab occasu claudit stagnum, paulum etiam ad septemtrionem fusum, incertæ altitudinis vtcumque exæstuat aut deficit mare. continenti vrbem iugum ducentos ferè & quinquaginta passus patens coniungit.* Polybius lib. X. tumulum illum, in quo vrbs condita est, *Cherronesicum* vocat, totamque ciuitatem in quinque tumulos ait diuisam: è quibus maximus ab oriente adiacet prominens in mare, in quo structum est templum Asclepii. E regione huius ab occidente alius est situ similis, cui imposita est regia, magno sumtu ab Hasdrubale exstructa. Ceteri tres minores colles septemtrionale latus claudunt, quorum qui magis orienti obuersus est ἡφαίστου, seu *Vulcani* dicitur: huic vicinus *Aleti*, qui argenti fodinas detexisse videtur, quare diuinos honores illi decreuere: vltimus verò χρόνου, seu *Saturni* vocatur. T. verò Liuius lib. XXVI. refert extra vrbem fuisse tumulum quendam, quem *Mercurium Theutatem* vocabant. Vbi forsan ad imitationem magnæ Carthaginis humanis hostiis litabant, non secus ac illi Saturno. vnde Lucanus:

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Theutates, horrensque feris altaribus Esus.

Sed quam graphicè vrbis situm exprimat Silius Italicus lib. XV. nunc videamus:

Carthago impensò naturæ adiuta fauore,
Excelsos tollit pelago circumflua muros,
Arctatas ponti fauces modica insula claudit,
Qua Titan ortu terras aspergit Eoo.
Et qua prospectat Phœbi iuga sera cadentis.
Pigram in planitiem stagnantes egerit vndas,
Quas auget veniens, refluusque reciprocat æstus.
Sed gelidas à fronte sedet sublimis ad Arctos
Vrbs imposta iugo, pronumque excurrit in æquor,
Et tuta æterno defendit mœnia fluctu.

Portus vrbis quantævis classis capax; nec tota quidem Hispania tutiorem inueñias, & ex Liuii descriptione eundem patet esse, quem Virgilius Maro I. Æneidos expressit:

Est in secessu longo locus; insula portum
Efficit obiectu laterum; quibus omnis ab alto
Frangitur, inque sinus scindit sese vnda reductos.
Hinc atque hinc vastæ rupes, geminique minantur
In cælum scopuli.


Hanc vrbem cùm Carthaginenses in belli sedem & armamentarium elegissent, atque huc vniuersæ Hispaniæ obsides pecunias, & quidquid ad vsus bellicos necessarium erat contulissent, vno die à P. Scipione per vim capta fuit, vt latius apud Polybium & Liuium legas licet.

Circa hanc vrbem plurimas argenti fodinas fuisse refert Strabo, quibus erant occupatæ quatuor hominum myriades, qui P.R. indies XXV. drachmarum millia referebant, seu secundum Budæum lib. IV. De asse 2500. coronatos. Sed per barbarorum in Hispaniam inundationes, à Vandalis primò, mox verò à Gothis, solo æquata fuit, non totis sexcentis annis decursis, postquam exstructa fuit, atque inter miserandas ruinas, multis seculis sepulta iacuit. Donec eam Philippus II. Hispaniarum Rex potentissimus, parentum memoria, instaurandam curauit, ne Turcæ & Africani piratæ portus præstantia allecti eundem occuparent. Quod à Vespasiano Gonzaga summa diligentia & industria curatum fuit, ita vt nunc egregiè munita sit.

Episcopalis vrbis in hodiernum diem vsque primum autem Episcopum habuit San-

Sanctum *Esicium* martyrem: habuit & Episcopos *D. Eugenium*, & *Fulgentium*, qui DD. Leandri & Isidori, frater fuit. Etsi verò hæc vrbs totius Carthaginensis prouinciæ caput erat, cui etiam Toletum parebat, ipse tamen Episcopus Toletano subditus fuit: quæ res non paucos induxit, vt crederent Toletanum Archiepiscopatum primò Carthagine fuisse, post verò Toletum translatam esse sedem. Inter quos Ioannes Vasæus; sed errare eos crediderim, cùm nusquam apud probatæ fidei Scriptorem hoc reperias. Illud tantum, Iuridicum conuentum, post euersam Carthaginem, Toletum migrasse: qua de re plura apud Ambr. Moralem lib. XI. Annalium Hispaniæ cap. XIX. videbit curiosus Lector.

Hac in vrbe ladatissimum olim garum parari solitum fuisse, refert Plinius lib. 31. cap. 8. *Nunc*, inquit, *laudatißimum ex scombro pisce in Carthaginis Spartariæ cetariis: sociorum id appellatur, singulis millibus nummum permutantibus congios penè binos.* Auctor est & Strabo circa Carthaginem nouam arborem esse, quæ de spina corticem emittat, ex quo telæ pulcerrimæ conficiantur.



Cap. LXVII.


DIANIVM ET HEMEROSCOPIVM *DICTVM. Dianæ fano nobile A Phocensibus exstructum. Promontorium Ferrariæ, quod &* Tenebrium.

Oppidum est *Denia*, priscis temporibus Dianæ fano celebrrimum, à quo *Dianium* vocatum. Plinius stipendiarium esse dicit, & conuentus Carthaginensis, Ptolemæus inter Edetanos recenset. ad Balearicum mare situm, inter Carthaginem nouam, & Sucronem amnem. Strabo lib. III. ἡμεροσκοπεῖον. i. *diurnam speculam* dicit vocari. in extremitate habebat Dianæ Ephesiæ templum, frequenti religione cultum, vnde & *Artemisium* dictum; & adhuc, teste Antonino Beutero, promontorium vrbis huius, tribus leucis distans, *Artemus* vulgo dicitur. Stephanus Byzant. ex Artemidori sententia Phocensium Coloniam esse dictitat; Strabo verò à Massiliensibus conditam, qua in re exigua est diuersitas. Nam & Massilienses à Phocensibus originem duxere, vt Phocenses primò Massiliam appulerint: deinde verò aggrauante multitudine, in Hispaniam colonias deduxerint (quæ tamen ad Phocenses etiam referri possunt) vt Emporias, Hemeroscopium: vbiq; tamen auitæ religionis memores, Dianæ Ephesinæ templa erexere.

Oppidum est ad rem maritimam peropportunum. Cùm enim in colle exstructum sit, speculam etiam habet mari imminentem; quæ longinquum nauigantibus prospectum præbet, qua de causa Q. Sertorius hoc oppido ad res maritimas, vt receptaculo vsus est, teste Strabone, qui locus & ante pauca lustra, vulgò *Attalaia de Sertorio* dicebatur. Huc illa Ciceronis pertinent V. Verrinarum: *Quicunque accesserant ad Siciliam paulo pleniores, eos Sertorianos milites esse, atque à Dianio fugere dicebat.* Festus verò Auienus suo æuo dirutam vrbem dicit:

——Hemeroscopium quoque
Habitata pridem hic ciuitas, nunc iam solum
Vacuum incolarum languido stagno madet.

Promontorium hoc à Pomponio Mela *Ferrariam* vocari putat Ioachimus Vadianus in Melam, & Florianus Occampo: cui suffragatur ipse Strabo, qui *Dianium* in propinquo habere ferrarias effossiones admodum feraces scribit: vnde verisimile est promontorio nomen inditum. Abrahamus verò Ortelius in veteri sua Hispaniæ descriptione idem promontorium, à Cl. Ptolemæo *Tenebrium* vocari auctor est. miror ego quid Strabonem mouerit, quòd paulo inferiùs scribat Sertorium, postquàm ex Celtiberis eiectus esset, aduersa valetudine diem suum clausisse *Hemeroscopii*, cùm apud ceteros assiduos Auctores constet, à Perpenna esse interemtum, idq; Oscæ, teste Velleio Paterculo. Episcopalis olim vrbs fuit, sed dignitate illa per Maurorum tempora spoliata fuit, nunc Marchionem habet.



Cap. LXVIII.

SETABIS AVGVSTA VALERIA *DICTA. TENVISSIMUM hic linum. Silius Italicus obiter correctus.*

SETABIS, quam nunc *Xatiua* vocant; vrbs est regni Valentiæ, non procul ab ipsa Valentia: inter Contestanos refert Ptolemæus, qui etiam fluminis eiusdem nominis meminit. conuentus Carthaginensis est Plinio. Hanc Franciscus Tarapha ab Augusto Cæsare cognominatam *Augustam Valeriam* tradit, quod ex Plinio colligere est; licet ob distinctionem importune interiectam aliter videatur. Habet enim sic Pliniana dictio: *Setabitani qui Augustani, Valerienses*, cum citra interpunctionem legendum esset.

Sita est editiori in colle, & flumine Sucrone alluitur: fontibus saluberrimis, arborum fructibus; & præcipuè malis punicis abundat: laudatissimi tenuissimique lini prouentu celebris; adeo vt Plinius lib. XIV. cap. I. primam illi palmam deferre videatur his verbis: *Similiter & in Italia, ratione alia inter Padum Ticinumque amnes, vbi à Setabi tertia in Europa lino palma: secundam enim in vicino capessunt Retouina, & in AEmilia via, Fauentina.* Silius etiam Italicus lib. III. egregiam eius mentionem facit.

Sedentana cohors, quam Sucro rigentibus vndis
Atque altrix celsa mittebat Setabis arce,
Setabis, & telas Arabum spreuisse superbus
Et Pelusiaco filum componere lino.

Quo in loco obiter mihi notandum videtur, non esse legendū cum vulgo *Sedentana cohors*, sed *Sedetana*: siquidem *Sedetani* (qui Ptolemæo *Hedetani*) Tarraconensis erant prouinciæ; *Sedentani* vero nusquam leguntur. Hoc in populo Silius Setabim statuit, licet Ptolemæus inter Contestanos, illi vicinos locet. eadem etiam ratione, Catullus commendat sudaria Setaba hendecasyllabo illo in Asinium:

Nam sudaria Setaba ex Iberis
Miserunt mihi muneri Fabullus
Et Veranius.

Horum etiam Strabo meminisse videtur, licet mendose apud eum legatur (vt primus monuit Doctissimus Casaubonus) Σαλτιήτῃ: *Telarum*, inquit, *summa tenuitas atque copia, quas Setabita conficiunt*: nusquam enim gentium *Saltiatæ* sunt. Hinc & Poeta Gratius in Cynegetico suo circa initium.

Hispanique alio spectantur Setabes vsu.

Nimis enim tenuia lina sunt, quam vt retibus couenire possint.



Cap. LXIX.

VALENTINVM REGNVM.

VALENTIA A D. IVNIO BRVTO CONDITA. CVR Veterani & Veteres *dicti.* Colonia Iulia *appellata.*

HIspaniæ citerioris nobilissima, & amœnissima vrbs est *Valentia*; à mari teste Plinio III. tantum M. P. distans, quam inter Contestanos populos Ptolemæus; inter Edetanos recenset. hanc ab Hispaniæ Rege Romo, non solum secundum Annium Viterbiensem in Manethonem, sed & præcipuos Hispaniæ scriptores, conditam esse ferunt dictamque ab illius nomine *Romam*; idque CCC. pene annis ante orbis caput Romam: postea vero nomen in *Valentiam* mutatum. Sed miror ego ineptum illum Annium cum spurio suo Manethone & Beroso, multorū animis ita se insinuasse, vt quicquid ille effutiat, tamquam ex tripode dictum putent. Manifestum enim ex Liuii epitome lib. LV. Iunium Brutum circa annum V.C. DC.XVI. militibus, qui sub Viriato militauerant, oppidum dedisse, quod *Valentia* nuncupatum est. Hieronymus vero Surita in Antonini Imp. Itinerarium credit, non hanc *Edetanorum Valentiam*, sed illam, quæ in Lusitania prope Tagum, Viriati militibus à D. Iunio Bruto datam. sed cum apud classicos

ſicos Scriptores huius *Valentiæ* ad Tagum, nuſquam mentio fiat, nulla ratio euincet, hanc à Viriati militibus habitatam. nullius etiam momenti eſt, quòd vrgent *Valentiam Edetanorum*, nimis à Luſitania diſtare (vbi bellum cum Viriato geſtum) quàm vt eò Colonia mitteretur. non enim in ſola Luſitania, ſed & Carpetania, & Celtiberia, bellum circumtulit Viriatus, & vt refert Appianus in Ibericis, etiam poſt mortem Viriati, milites eius duce Tantalo, à Sagunto auſpiciis Q. Seruilii Cæpionis repulſi ſunt: & exiguo intercedente tempore, deditionem fecere, agrique illis aſſignati & ſedes, quibus habitarent: quæ certè omnia *Valentiæ* noſtræ fauent, & Liuianæ Epitomæ conſonant. Opinioni meæ ſubſcribit Andreas Reſendius, in D. Vincentio heroico ſanè poemate:

——haud ita multis
Millibus à pelago ſeiuncta Valentia ſurgit,
Bruti opus, Heſperiam Viriati cæde madentem
Ille petens, acies palantes vrbis honore
Donauit, poſitiſque diu victricibus armis,
Exauctorato compleuit milite.

Qua de cauſa forſan in antiquis inſcriptionibus incolæ *Veterani* & *Veteres* nuncupantur, vt indicium facit illa, quæ Valentiæ ſpectatur:


C. VALENTI. HOSTILIANO.
MESSIO. QVINCTIO.
NOBILISSIMO. CÆS.
PRINCIPI. IVVENTVTIS.
VALENTINI.
VETERA. ET. VETERES.

Eandem verò Coloniam fuiſſe teſtatur Plinius. antiquus verò nummus à Goltzio productus, referente Ortelio, *Coloniam Iuliam Valentiam* vocat. Sed quo tempore Colonia effecta fuerit, in tanta antiquitatis caligine latere quis meretur?

Sita autem eſt ad amnem Turiam, licet Pomp. Mela lib. II. *Duriam* vocet, tamen, monente doctiſſimo Hermolao Barbaro, *Turia* legendum; quamvis Gerundenſis Epiſcopus dicat *Palentiam* vocari flumen, quod per *Valentiam* decurrit, *Turiam* verò Saguntum præterfluere: ſed craſſior eſt error, quàm vt refelli poſtulet. Vrbs hæc cæli, ſolique miti temperie nulli cedit, nec felici, ac ſuperbæ Campaniæ inferior. Toto hic anno floribus abundant prata, hortique, vernante ſemper aura. Hyemis hic rigor exulat: equitum ſplendore nobilis, mercimoniis opulenta, opificum numeroſa turba inſtructa egregiè: lanificium hic diligentiſſimè excolitur, vt panni Valentini, & ipſa lana inter ceteras Hiſpaniæ palmam ferant. Incolæ elegantis, & feſtiui ſunt ingenii, nec à Muſis alieni. Auctor eſt Beuterus vrbem à Cn. Scipione maximis cloacis donatam, & publicis priuatiſque ædificiis exultam; ſed more ſuo, citra teſtes. Bello Sertoriano à Cn. Pompeio deletam fuiſſe, auctor eſt Saluſtius lib. IV. Hiſtoriarum in Epiſtola eiuſdem Pompeii ad Senatum his verbis: *Caſtra hoſtium apud Sucronem capta, prælium apud flumen Turiam, & dux hoſtium C. Herennius, cum vrbe Valentia & exercitu deleti, ſatis clara vobis ſunt.* quam tamen poſtea à Sertorio reſtitutam dicunt. E Maurorum verò ſeruitute eam Rodericus Biuar, cognomine *Cid*, anno clↄ. XXV. aſſeruit, rei bellicæ vir peritiſſimus qui cum maximis numeroſiſſimiſque hoſtibus collatis ſignis, frequenter dimicauit, victor tamen ſemper euaſit, in cuius memoriam *Valentia del Cid* vulgò dicitur: ſed illo vita functo, iterum à Pœnis occupata fuit, donec anno 1238. Iacobus I. Aragonum Rex eam iterum Chriſtianis reſtituerit.

Hac in vrbe *D. Vincentius* Diaconus ſub Diocletiano martyrio affectus eſt. Duos Pontifices Max. Eccleſiæ dedit, Caliſtum III. & Alexandrum VI. vtrumque ex ſtirpe Borgia. Archiepiſcopatum habet celebrem & opimum. Sed non vltimo loco duxerim ciuem habuiſſe *Ludouicum Viuem*, virum doctiſſimum, quem ingenii ſui fętus poſteritati faciunt intereſſe.





Cap. LXX.

SAGVNTVS OLIM, VBI NVNC MOIVIEDRO. *A Zacynthiis, & Ardeatibus condita. Dianæ hic Templum vetustissimum. Theatri reliquiæ.*

Reliquias esse Sanguntiæ cladis *Moruiedro*, nemo Hispanicarum rerum gnarus ignorat, quasi *muri veteres* dicta. non procul enim à Valentia Edetanorum, vt & olim Saguntus, distat, à mari aliquantulum magis. Olim enim tantùm mille passibus, nunc verò II. M. P. mare remotum habet: siue quòd olim tanta vrbis magnitudo fuerit, & eò vsque protensa excurrerit, siue quod pelagus arenarum adgestione in tantum recesserit, ne tantæ vrbis calamitates ex propinquo aspiceret. De origine eius & primo conditore multa effutiunt Hispani, Franciscus Tarapha à Saga filio Chus, nepote Cham, qui cum Tubale in Hispaniam venit, nomen habuisse asserit. Alii à Sagis Ibericis conditam esse fabulantur. T. Liuius lib. XXI. a Zacyntho insula oriundos dicit, quibus etiam misti ab Ardea, Rutulorum generis. Recentiores Hispaniæ Scriptores ad Herculis comitem Zacynthum originem referunt, auctore Silio Italico lib. I.

Haud procul, Herculei tollunt se littore muri,
Clementer crescente iugo, queis nobile nomen
Conditus excelso sacrauit colle Zacynthus.
Hic comes Alcidæ remeabat in agmine Thebas
Geryone exstincto.

Idem tamen Poeta mox subnectit, & à Zacynthiis & Ardeatibus auctam vrbem, cuius non pigebit versus producere:

Mox profugi, ducente noto, aduertere coloni,
Insula quos genuit Graio circumflua ponto,
Atque auxit quondam Laërtia regna Zacynthus,
Firmauit tenues ortus mox Daunia pubes
Sedis inops, misit largo quem diues alumno
Magnanimis regnata viris, nunc Ardea nomen.

Vrbs olim opulentissima, maritimis & terrestribus fructibus felix, sanctitate disciplinę, & sociali fide inprimis illustris, quam vsq; in perniciem suam pertinacissimè coluit. Potiùs enim quàm à Romanis ad victorem Hannibalem desciscerent, communi rogo sese ciues superiecere, cuius excidio secundum bellum Punicum excitatum, & innumeris cædibus illi parentatum est. Octauo demum anno quàm à Pœnis capta est, à Cn. Scipione, depulso Punico præsidio recepta, & antiquis cultoribus, quos belli vis reliquerat, est restituta, teste Liuio lib. XXIV. vnde manifesto Appianum Alexandr. in Ibericis lapsum videre est, qui Spartariam Carthaginem ex Saguntinis ruinis excitatam crediderit. Templum hic erat Dianæ sacrum, magna religione, quod & ad Plinii ætatem perdurauit, eodem teste lib. XVI. cap. XL. his verbis: *In Hispania, Sagunti aiunt templum Dianæ à Zacyntho aduectæ, cum conditoribus, annis ducentis ante Troiæ excidium, vt auctor est Bocchus, infraque oppidum id haberi, cui pepercit religione inductus Hannibal; iuniperi trabibus etiam nunc durantibus.* Hoc verò æuo ruinæ eius indicio sunt, qualis olim vrbs fuerit; inter quas Amphitheatri vestigia spectantur. Huius hemicycli ambitus est pedum Rom. CCC. LIV. latitudo parietis obuersi pedum CC. vomitoriorum crassitudo pedum XII. cum dimidio in L. gradus etiam consurgebat. Laudatissimos olim calices parabat *Saguntus*, teste Plinio lib. 35. cap. 12. vnde & Martialis lib. 14.

Quæ non sollicitus teneat, seruetque minister
Sume Saguntino pocula ficta luto.

Exstat etiam hac in vrbe vetusta admodùm Claudio Cæsari, Galieni successori dicata inscriptio:

SENATVS. POPVLVSQVE.
SAGVNTINORVM.
CLAVDIO.
INVICTO. PIO. FEL. IMP.
CÆS. PONT. MAX.
TRIB. POT. P. P.
PROCOS.

Cap.

Cap. LXXI.

MANTVA CARPETANORVM MADRITIVM est Escuriacum moles regia.

INter Carpetanos, non procul à Toleto, Ptolemæus *Mantuam* vrbem collocat. *Viseriam* etiam dictam referunt Moletius & Tarapha: sed ab illis tantum. hodie *Madritium* esse in confesso est, licet nonnulli non hoc loco, sed vbi vicus est *Villamanta* dictus, olim *Mantuam* fuisse dicant. *Mantuæ* conditorem dicit Tarapha, Ocnum Tiberini Latinorum Regis filium, qui à nomine matris *Mantus*, Tiresiæ vatis filiæ, aliamque in Italia vrbem appellauit: sed huic Palæphato, quis aurem præbeat?

Hodie oppidum est ex totius Toletanæ diœcesis felicissimum: situm est editiori in cliuo, & Septentrioni maiori ex parte expositum, cuius radices alluit modicus amnis, vulgò *Guadarrama* dictus, qui saxeo ponte transitur: non procul à Madritio oritur, & Tago se admiscet. Situs amœnitate, aëris insigni salubritate, & soli egregia fecunditate, inter primas totius Hispaniæ vrbes, non iniuria potest adnumerari. Aiunt Imp. Carolum V. diuturna quartana affectum, sola aëris huius clementia, breui molestissimo morbo liberatum. Saltus habet vmbrosos, & frequentes, siluas Regum venationibus dedicatas. In Madritii etymo multa & insulsa vulgò feruntur, quæ cum inepta sunt, silentio premam. Ioannes de Menna Cordubensis, Poeta vernaculus, sed non insulsi ingenii, *Madritium* igne cinctum suis rythmis prædicat, quia tam murorum fundamenta, quàm priuatorum ædes pleræque pyrite lapide constant, cuius copiosus toto territorio prouentus est. Frequens hic recessus & habitatio Regum, præsertim Philipp. II. qui variis illud operibus exornauit, vt nunc in splendidissimum oppidum euaserit: siquidem toto regno huc excita nobilitas, sumtuosa sibi ædificia extruxit. Nefas duxerim, si Madritio relicto, de vicino illi sexto inde lapide *Escuriaco*, Hieronymianorum monasterio ad S. Laurentium tacerem. Visitur ibi mirandi operis egregia moles, & plane Regia, quam maximus HISPANIÆ Regum Philippus II. regio sumtu dedicauit. Celeberrimo enim illo prælio ad oppidum S. Quintini Veromanduorũ caput, D. Laurentio ædem vouit, cuius die anniuersario & tutelari patrono, florem Gallicæ nobilitatis fudit, & firmissimam vrbem expugnauit, anno Christi Seruatoris M.D.LVII. Iactitet Roma licèt Amphitheatra sua, Pantheion, Capitolium, palatia, & vanis numinibus sacrata templa: dum sese Hispania hac mole cetera orbis miracula non iniuria superare contendat. nam præter templum, & monasterium rarissimæ structuræ, Bibliothecam habet omnis generis librorum, & præcipuè manuscriptorum copia instructissimam: vt vnicâ Vaticanâ exceptâ, inter ceteras palmam ferat; qua in re cum Ptolemæo Philadelpho certare videtur. De regio vero palatio, quid attinet dicere, nisi quòd

Ars ibi materiā vincitur ipsa sua.

An architecturam requires? ne Vitruuius quidem aliam. an marmora & nobiles lapides? nuspiam rariores. Nam hortorum nitore, fontium amœnitate, siluularum vmbraculis nec ipsa Antiochiæ Daphne huic se comparauerit. magnitudo eius tanta, vt vel in quatuor Regum vsus commodè sufficiat. qui singula huius molis scire desiderat, Abrah. Ortelii parergon editionis vltimæ adeat.

Cap. LXXII.

COMPLVTVM.

COMPLVTVM HODIE ALCALA DE HENARES. Olim & Alcala S. Iusti. Academia hic illustris.

VIcinum Toleto etiam inter Carpetanos est *Complutum*, Cæsaraugustani olim conuentus teste Plinio, hoc æuo *Alcala de Henares*, ab amne *Henares*, qui vrbis muros præterfluit. Elapsis seculis trans flumen sita erat, teste Barrerio, vbi adhuc priscæ vrbis vestigia. Tempore Regis Alphonsi Sapientis vocabatur *Alcala S. Iusti*, quia is Sanctus vnà cum frate suo S. Pastore, sub Daciano Præside extra vrbis pomœrium martyrio affecti sunt: quorum his versibus memoriam celebrat Poeta Prudentius:

Sanguinem Iusti, cui Pastor hæret
Ferculum duplex, geminumque donum
Ferre Complutum gremio iuuabit
Membra duorum.

Vrbs est in planicie sita, figura ouali, concinnis ædificiis, agro feracissimo: vnde nescio quis sciolus *Complutum*, tanquam *Complementum* dictum somniat, sed

Res est ridicula & nimis iocosa.

Plateam habet insignem, in longitudinem porrectam, porticibus vtrimque ornatam, sub quibus frequentes, ditesque mercatorum tabernæ sunt. Sed præcipuè se iactat insigni Academia, quæ meritò Hispaniarum Athenæ dici posset, ex qua tanquam ex Durateo illo equo, præclarissima ingeniorum lumina prodierunt, quæ doctrina sua totam Hispaniam, depulsa barbarie illustrarunt. debet hoc insigni heroi Francisco Ximenio Cisnerio, Præsuli Toletano, & S. R. E. Cardinali, instituti S. Francisci, qui Lycęum hoc excitauit, & magnis præmiis viros doctos vndique euocauit: atque ibidem multa collegia (vnum verò augustissimum) & Cœnobia & templa excitauit. Sacra Biblia hic Hebraicè, Chaldaicè, Græcè, Latinè, accuratissimè & proprio ære excudenda curauit: qui præter doctrinam, vitæque sanctimoniam, consilio prudentiaque incomparabili fuit, vt non immeritò à Ferdinando rege, Hispaniæ gubernandæ præfectus sit, dum nepos eius Carolus V. adolesceret: qua de caussa inter præcipua HISPANIÆ lumina meritò adnumerandus. Cuius tumulo Compluti hi versus inscripti leguntur:

Condideram Musis Franciscus grande Lycæum:
Condor in exiguo nunc ego sarcophago.
Prætextam iunxi sacco, galeamque galero,
Frater, Dux, Præsul, Cardineusque pater.
Quin virtute mea iunctum est diadema cucullo:
Quum mihi regnanti paruit Hesperia.

Vrbs hæc Archiepiscoporum Toleti est: tempore enim Alphonsi VI. Castellæ Regis, & Legionis, post ereptum Pœnis Toletum, Bernardo cuidam inculpatæ vitæ, Archiepiscopatus à Rege delatus fuit, qui postmodum coacto milite *Complutum* diuturna obsidione fatigatum, ad deditionem compulit, vnde in hoc æuum Toletanæ est diœceseos. olim tamẽ florente Gothorũ imperio, Episcopalis sedes fuit, vt ex Toletanis Conciliis docet Vasæus. Ciuem habuit inter ceteros *Christophorum à Vega* medicum præstantissimum, vt eius testantur opera.



CAP. LXXIII.

CARRACA EADEM CVM ANTONINI ARRIACA Guadalaiara *hodie. Tagonius amnis. Sertorii stratagema.*

NOn procul Compluto vrbs est *Guadalaiara* vulgò dicta, Punico sermone flumen lapidum signare, plerisq; Hispaniæ Scriptoribus persuasum, vt Lucio Marineo Siculo, & Mario Aretio. Sed fœdè illos hallucinari ostendit Gaspar Barrerius, qui vnà cum Ambr. Morales Ptolemæi *Carracam*, & Antonini Imp. in Itinerario *Arriacam* esse asserunt (licet Iosias Simlerus *Atriacam* legendum suspicetur) vnde Pœni primò *Guadariaca* deflexere, posterior verò ætas, magis corruptè, *Guadalaiara*, quasi *flumen Arriacæ* dixerunt. moris enim illis dictionem *Guada* frequenter præponere, vt *Guadalupe*, *Guadiana*, aliisq; sexcentis. *Arriacam* verò, vel *Carracam* esse, suadet passuum numerus, quo Antoninus Compluto Arriacam XXII. M. P. distare dicit, qui V. cum dimidia leucas conficiunt, licèt Compluto nunc *Guadalaiara* tantùm IV. sed maximas incolæ numerant: rarò enim exequantur milliaria cum leucarum numero. Sed scrupulum omnem adimit, æquari distantiam, quam Arriaca vsq; Cessatam Antoninus numerat, cum ea quam *Guadalaiara* Hitam vsque (ea enim *Cessata* est) XXIV. M. P. sex leucis respondent.

Sita est modicè accliui in tumulo ad ripas *Henares* amnis, quem Ambr. Morales à Plutarcho *Tagonium* olim dictum putat. modica, sed non spernenda vrbs, sedes olim pręcipua Mendozæ familiæ, & Ducũ *de Infantado*, quorũ splendidis ædibus & amœnissimis hortis egregiè ornata. Pręcipuè vero nobili Q. Sertorii stratagemate celebris. refert n. Plutarchus in eius vita, pulsum à Metello Sertorium, non procul à Characitanis

(ita enim vocat) ad amnem Tagonium castra habuisse, qui vt seculi illa barbaries erat, non oppida colere, nec per vicos habitare, sed antra & speluncas adiacentis montis incolere norant, & naturæ hoc munimine freti, Sertorium vt victum despicere: ille ægrè contumeliam ferre, excidium ipsis minitari; sed frustra: obseruat interim speluncas omnes in Boream obuersas patere, vicinumque latè solum puluereum esse, ilicò iubet milites adiacentem terram suffodere, quasi aggerem admoturus. Barbari conatus eius risere: sequenti die spirante valido Aquilone, iubet milites aggerem quatere, equitesque magis tellurē concutere, quò ventus excitati pulueris nubes in ipsorum ora oculosque volueret, quibus cùm nullum effugium pateret, repletis faucibus, spiritusque meatibus præclusis, tertia se illi die tradidere: magna Sertorii fama & gloria. quod non tam hostium, quàm naturæ victor esset.



CAP. LXXIV.

SEGVNTIA

SEGVNTIA HODIE SIGVENZA. *VARIE OLIM VOcata. Reiiciuntur qui à Sagunto ortam dicunt.*

SEguntia olim Celtiberorum vrbs non obscura, nunc leuiter deflexo nomine, *Siguenza* vocatur, Plinio *Saguntia*, Ptolemæo *Segobriga* Antonino in Itinerario *Segoncia*, T. verò Liuio *Seguntia* dicta est. Est & altera *Segoncia* versus fretum Herculeum, à Plinio nominata. Cuius vestigia hodie circa Gaudelete fluminis ripam conspici, & *Gisgonca* locum vocari, auctor est Ambrosius Morales. Antoninus etiam præter has inter Nertobricam & Cæsaream Augustam, *Secontiam* vrbem recenset, quam Gaspar Barrerius *Muellam* dictam scribit, non dubiis coniecturis fretus: Iubuit has ita strictim vrbes recensere, ne nominis affinitas Lectori erroris ansam præbeat. Statuit autem Antoninus *Segontiam*, inter Complutum & Bilbilim, & à Cessata M. P. XXIV. distare ait, qui sunt septem leucæ ab Hita (quæ Cessata est) *Siguenzam* vsque; licet hic parum exactè M. P. leucis respondeant. sed hoc mirari subiit, nonnullos, nulla mensuræ habita ratione, in mera meridie ita cæcutiisse, vt crediderint hanc vrbem, *Saguntum* olim fuisse, nobilem illam memoria seruatæ in Romanos fidei. Sed magno à se mutuo interuallo distare quis ignorat? Ad Iberum enim *Saguntus* est, vt apud Liuium ceterosque Geographos videre est, à quo *Seguntia* plusquam XXX. leucarum interuallo dissita est; alii vero à Saguntinis reliquiis conditam ferunt, inter quos est Ioannes Gillius Zamorrensis: sed citra probati alicuius Scriptoris suffragium. Nam & T. Liuius in bello Macedonico *Seguntiæ* meminit, quod exstincto secundo bello Punico statim enatum est: dubio procul originis *Seguntiæ* meminisset, cùm recens apud omnes miserandæ illius cladis memoria vigeret. Ambr. Morales auctor est veterem *Seguntiam* non eò loci fuisse, vbi nunc *Siguenza*, sed media ab hinc leuca, loco vulgò dicto *villa veia*, vbi multa circumiacentia rudera vrbem olim fuisse testantur.

Sita hæc vrbs est in cliuo, muris egregiè vallata, & adiuncta arce, collis pedem flumen *Henares* alluit: Episcopali dignitate ornata est iam pridem, vt frequentes in prouincialibus Hispaniæ Conciliis subscriptiones *Seguntinensis Episcopi* testantur. Templum habet non vulgaris operis, binis turribus conspicuum: multa hic marmorea sepulcra Præsulum, & illustrium virorum se offerunt spectantibus. inter cetera *S. Liberatæ* affabrè ornatum visitur, quod ibi magna in religione habetur. Episcopo in annuos vsus supra XX. aureorum millia cedunt. Habet etiam *Seguntia* liberalioris disciplinæ, & Theologiæ Collegium non spernendum.



Cap. LXXV.

BILBILIM NON ESSE CALATAIVD. *MVNICIPIVM fuit. Cognominata* Augusta. *Salone amne clara & ferri temperie. Plinius emendatus.*

SIta est *Calataiud* in Celtiberis, quam plerique festiuissimi Poetæ Martialis (quem Ælius verus Imperator *suum* appellabat *Virgilium*) credidere patriam, Bilbilim inquam; sed refellit receptam hanc opinionem diligentissimus Gaspar Barrerius. potissima illa ratio à situ petita: *Calataiud* enim in conualle; *Bilbilis* verò in monte posita erat, vt non semel testatur Martialis. ita enim ad Lucianum:

Videbis altam Liciane Bilbilim
Aquis, & armis nobilem.

Ita enim felicissimè emendauit primus Hieronymus Surita Cæsaraugustanus, homo doctissimus, cùm passim legeretur, *Equis & armis nobilem.* Bilbilitanos enim equos, magno in pretio fuisse non vidi qui scriberet: non enim est

Aptus equis Ithacæ locus,

dicebat ille, cùm in aspero monte sit: aquis verò nobilitatam esse Salonis amnis, quibus optimum hodieque armis ferrum temperetur, & incolæ testantur, & Trogus Pompeius, ac Plinius auctores. clariùs verò *Bilbilis* situm exprimit S. Paulinus ad Ausonium præceptorem hisce versibus:

Montanamque mihi Calagurim, & Bilbilim acutis
Pendentem scopulis, collemque iacentis Ilerdæ
Exprobras.

Idem verò Martialis patriæ suæ situm alibi clariùs explicat:

Municipes Augusta mihi, quos Bilbilis acri
Monte creat, rapidis quos Salo cingit aquis.

Ita enim legit ibidem doctissimus Surita, & Ant. Augustinus, cùm antea passim legeretur *Agri*, loco *Acri*, quæ verè agrestis, & insulsa erat lectio. cum itaque *Bilbilim* editiori loco sitam fuisse constet, non poterit esse *Calataiud*, quæ humiliori loco est. Adde *Bilbilim* vniuersam pœnè Salone cinctam fuisse, vt ex versu superiori constat: *Calataiud* verò Salone tantùm alluitur. mons etiam, vbi olim *Bilbilis* fuit, nunc corrupto nomine *Baubula* vocatur ab incolis, media leuca distans à *Calataiud*, vbi multa antiquarum ædium vestigia visuntur. Frequentia hic etiam Romanorum numismata eruuntur, quæ, quia rudi plebi ignoto, mille figmentorum occasionem præbent. Illud pro rato saltem habent, his in locis quondam inclytam, & populosam vrbem fuisse. Minimè etiam prætereundum, *Bilbilim* olim municipium fuisse, & *Augustam* cognominatam: cuius rei licet à Plinio non fiat mentio, innuere satis clarè videtur Martialis supra citato versu:

Municipes Augusta mihi quos Bilbilis acri
Monte creat.

Idem antiqua numismata ostendunt, quorum vnum adducit Ant. Augustinus cum hac inscriptione, in medio inscriptum habet: II. VIR. & circumcirca: M. AVGVSTÆ. BILBILIS. M. SEMP. TIB. L. LICI. VARO. Amne autem Salone olim inclyta, cuius mirifica vis in durando ferro est, vt diximus, & non semel innuit Martialis, præcipuè hoc versu lib. IV. Epig. V.

Grato non pudeat referre versu
Sæuo Bilbilin optimam metallo:
Quæ vincit Chalybasque, Noricosque,
Et ferro Plateam suo sonantem:
Quam fluctu tenui, sed inquieto
Armorum Salo temperator ambit.


Locus hic me monet, Plinium à mendo aut à Scriptoris potiùs incuria vindicandum lib. 34. cap. 14. de ferro agentem: *Alicubi*, inquit, *vena bonitatem hanc præstat, vt in Noricis, alicubi factura, vt Sulmone aqua: vt diximus.* Sed quis quæso *Sulmonem aquam* ferro bonitatem præstare scribit? non licuit vidisse hactenus. Et quod mirum, ipse Sulmonensis Poeta nihil hac de re, solum ait:

Sulmo mihi patria est, gelidisque vberrimus vndis. Quare

Quare ſecundo Delio legerem, *Salone aqua.* ipſe hoc auctor oſtendit, cum ait, *Vti diximus:* nuſquam enim toto hoc capite de *Sulmone* verbum, de *Salone* ſatis clarè: paulo enim ſuperiùs dixerat: *Summa autem differentia eſt in aqua, cui ſubinde candens immergitur, hæc alibi atque alibi vtilior, nobilitauit loca gloria ferri, ſicuti Bilbilim in Hiſpania, & Turiaſſonem; Comum in Italia.* Sed quæ aqua *Bilbilim* nobilitat, præter Salonem? cur *Sulmonem*, ſi idem faceret, prætermiſſet Plinius, in Italiæ alioquin laudes ſatis effuſus? tanta autem temperaturæ illius erat gloria, vt teſte Iuſtino ex Trogo Pompeio, inter Hiſpanos nulla arma in pretio fuerint, præter ea quę Bilbilis aut Chalybis aquis erāt temperata. Sed præter ferri gloriam, auro etiam gloriabatur olim, teſte Martiale lib. XII. Epigr. XVIII.

Auro Bilbilis, & ſuperba ferro.

Sed ſatis extra carceres euagatus ſum; Manibus hoc optimi Poetæ datum ſit, ne patria eius hominum memoria exſularet. *Calataiud* verò ex Bilbilitanis ruinis accreuiſſe vicinitas loci facit vt credam. Dimidia enim leuca tantùm ab illa diſtat. Ex præcipuis Aragoniæ hoc æuo vrbibus eſt, ſubdita Turiaſſonenſi Epiſcopo: ſolum habet fecundum, frumenti, vini, olei, frugiferarumq; arborum patiens: omnis generis opifices alit. Quod ad nominis originem ſpectat. Beuterus auctor eſt, quendam è Punicis Regibus nomine *Aiub*, Bilbilim bellis dirutam reſtituiſſe, & nomine ſuo vocaſſe *Calataiub.* Veritas ſit penes auctorem. Incolæ quoque etiamnum hodie armorum ſe ferrique præſtantia, & gloria iactant.



Cap. LXXVI.

TVRIASSO HODIE TARAZONA. *FERRI TEMperie clarus. Mons Caunus. Martialis emendatus.*

NOn incelebris eſt *Tarazona*, in Aragoniæ, & Caſtellæ limitibus ſita, quam Ptolemæus inter Celtiberos, *Turiaſſonis* nomine collocat; Plinius Cæſarauguſtani illam conuentus facit. Vrbis huius incunabula Lucius Marineus, Rodericus Toletanus, aliique Hiſpaniæ Scriptores ad *Tyrios & Auſonios* referunt, qui cum Hercule ſecundo in Hiſpaniā venerunt. Beuterus, Ioannes Marieta, aliique non ad *Tyrios*, ſed ad *Turios* Italiæ populos in Tarentino ſinu (quo loci Herodotum ſuam ſcripſiſſe Hiſtoriam auctor eſt Plinius) originem referunt: ſed quia hæc nullius claſſici auctoris ſunt firmata ſuffragiis, penes Lectorē ſit iudiciū. Romano æuo non obſcuri nominis vrbs: ſiquidem egregia ferri temperies, quam aquæ illi ſubminiſtrant (non ſecus ac Bilbili, vt modo diximus) tenebris illam exemit, vt auctor eſt Plinius lib. XXXIV. cap. XIV. loquitur autem de aquis: *Hæc alibi atque alibi vtilior nobilitauit loca gloria ferri, ſicuti Bilbilim in Hiſpania & Turiaſſonē, Comum in Italia: cum ferraria metalla in his locis non ſint.* Hanc Alphonſus VII. vnà cum *Calataiud* aliiſque vrbibus Mauris eripuit circa annum cIↃ.CX.


Sita eſt vrbs non procul à monte Cauno, quem incolæ *Moncayo*, recentiores verò montem *Caci* vocant, à Caco illo Vulcani filio, qui ab Hercule poſtea in Italia cæſus fuit, nomen obtinuiſſe ferunt: ſed meras nugas effundere hos, qui T. Liuium obiter legerit deprehendet: qui lib. XLIX. refert, Gracchum cum Celtiberis à prima luce ad ſextam horam diei ſignis collatis ad montem Caunum, incerta victoria pugnaſſe. An verò hic mons *Caunus* idem ſit cum monte *Cano*, vel *Cato*, (variant enim exemplaria) apud Martialem, lib. I. Epigr. ad Licianum:

Sterilemque Canum niuibus & fractis ſacrum
Vadaueronem montibus.

non abhorret animus vt credam, & *Caunum* potiùs legendum. nam *Cani* vel *Cati* montis, in Celtiboria non vidi qui meminerit.

Camporum glebis feliciſſima, & annonæ copia abundans: Epiſcopali dignitate à multis ſeculis ornata, atque inter ſuos Præſules *B. Prudentium* habuit, imperante Gratiano, vt refert Tarapha: qui à Poeta Prudentio diuerſus fuit. Scripſit non pauca aduerſus Sabellianos, & Iudæos, quo etiam tempore claruiſſe Rufum Feſtum Auienum, eruditum Poetam Hiſpanum, auctor eſt Ioannes Vaſæus in Chronico.

Cap.




Cap. LXXVII.

CLVNIA HODIE CRVNA DEL CONDE. *MVNICIPIum olim* Sulpitia *dicta. Plutarchus emendatus.*

ROmanorum tempestate, præclarum fuisse oppidum *Cluniam*, nemo vel leuiter in historiis versatus negabit; vtpote in quo iuridicus Conuentus agebatur, vt auctor est Plinius, qui in Areuacis illud esse, & Celtiberiæ finem ait. vt & Ptolemæus, qui & *Coloniam Cluniam* vocat. Ant. Augustinus Dialogo VIII. ex Tiberii Cæsaris nummo docet olim etiam Municipium fuisse *Cluniam*. Cl. vir Læuinus Torrentius in Suetonium ex antiquo numismate, *Cluniam Sulpitiam* dictã refert. In Antonini Itinerario mendose legebatur hoc nomen, *Raudacluniam* coniunctim, cum duæ sint mansiones, & separatim legendæ, vt monet Hieronymus Surita. Apud Plutarchum etiam in Galba deprauate legitur Κολȣνία pro Κλȣνία, cuius hæc sunt verba: αὖτις ἢ μετ τ φίλων εἰς Κολȣνίαν ἰβηρικὴν πόλιν ἀναχώρησας. i. *Rursus vero cum amicis in Coloniam Hispaniæ vrbem recessit.* Ex Suetonio enim in Galba *Cluniam* esse legendũ in aperto est, vbi loquitur, quod secundissimis auspiciis ad imperium capessendum confirmaretur Galba: *Tanto magis*, inquit, *quod illa carmina sacerdos Iouis Cluniæ, ex penetrali, somnio monitus eruerat: ante ducentos annos similiter à fatidica puella pronuntiata.* Auctor est Dion lib. XXXIX. Metellum Nepotem à Vaccæis, oppugnantem *Cluniam*, superatum fuisse, & vrbem obsidione liberatam.

Hoc æuo *Ciudad real* esse antiquam *Cluniam* credit Iosephus Moletius, sed perperam; siquidem *Ciudad real* prope Alcantaram est, quæ procul admodum ab Areuacis distat; Antonio vero Nebrissensi, Floriano Occampio & Ioan. Vasæo *Crunna del conde* vocatur (ad differentiam *Crunnæ*, quæ est in Gallæcia) quæ ab Vxama, seu Osma sex leucis differt, nec abludente multum vocabulo. Facilis enim lapsus est à *Clunia* in *Crunnam*, licet nonnulli suspicentur locum vrbi vicinum, vbi nunc D. Virginis ædicula est, & *Castro* vocatur, *Cluniam* olim fuisse. Fidem faciunt dirutæ vrbis vestigia, & sparsæ quædam amphiteatri, aliæque non spernendæ antiquitatis reliquiæ. Auctor est Ioannes Vasæus hoc in loco repertum fuisse ante paucos annos sigillum conuentus Cluniensis: quod penes oppidi comitem adseruatur. Non procul ab hac vrbe feruntur laudatissimi iaspidis feraces esse latumiæ.



Cap. LXXVIII.

NVMANTIA DIVTISSIME ROMANIS RESTITIT. Gerundensis Episc. duplex error. Ridicula opinio de etymo. Non esse Zamoram *sed* Soriam. *Pomponius Mela defensus.*

OCcurrit nunc summum illud Hispaniæ decus, & vrbium, si viros spectes, princeps *Numantia*; quę licet multis Hispaniæ vrbibus, murorum ambitu, opibusque inferior fuerit, bellica tamen gloria, & vera virtute cunctis superior. nam sine muro & turribus ciues patriæ erant propugnaculo, non secus ac prisci Spartani. Et cum tantum quatuor armatorum millia essent, teste L. Floro; seu vt Appiano placet, octo millia, maximos exercitus P. Romani, non solum per viginti annos, Strabone teste, sustinuit fortissime, sed magnis cladib⁹, & pudendis fœderibus frequẽter affecit: ita vt Numantini viri non vocem, non conspectum ferret Romanus miles. Sed tandem à fatali vrbium euersore Scipione Africano victa fuit: si victa dici posset, quę nullum de se hostibus gaudium, nec spolia quidem reliquit. Vnde Florus: *Vnus enim vir Numantinus non fuit, qui in catenis duceretur: præda, vt de pauperibus, nulla arma cremauerant: triumphus fuit tantum de nomine.* Græci tamen Scriptores à Romanis hac in re dissentiunt, Strabo paucos superfuisse dicit, qui cedentes murum dediderunt, Appianus vero: se suaque Scipionis arbitrio permisisse, eumque quinquaginta triumpho reseruasse, ceteros sub hasta vendidisse. mulieres vero etiam libertatis retinendæ adeo pertinaces fuere, vt referat Petronius Arbiter in Satyrico: *Inuentas esse matres capta vrbe, quæ liberorum suorum semesa corpora in sinu tenerent.* Sed satis extra orbitam.

Sita erat in Pelendonibus Celtiberiæ populis, teste Plinio non procul ab amnis Durii

Durii exortu, modice edito in tumulo: Ptolemæus in vicinis Areuacis statuit. Ambitu suo, teste Appiano in Ibericis, complectebatur M. P. bis mille octingenta & octuaginta; Orosius ad tria millia extendit. Non possum non mirari Io. Margarinum Epis. Gerundensem, hominem Hispanum, tam soluto animo fuisse, vt asserat, *Numantiam* ad oram Iberi fluminis sitam, & vrbis radices ab hoc amne rigari, repugnantibus omnibus classicis auctoribus. Idem asserit à Numidis conditam, quæ opinio ne scintillam quidem veritatis præ se fert, præter nominis aliquam affinitatem: cuius farinæ est, quod ab Ant. Gueuara Imp. Caroli V. Historiographo dicitur, à Numa Pompilio II. Rege Romanorum, conditam.

Numantiam olim fuisse, vbi nunc Soria est, melior Scriptorum pars asserit: licet nonnulli credant fuisse, vbi nunc ignobilis vicus est *Garay* dictus, ibique perantiqui pontis vestigia adhuc seruantur, vt adstruit Ambr. Morales; sed cum exigua sit admodum distantia, nolim de re nauci anxie rixari. Sufficiat in Soriano agro fuisse nobilem illam vrbem. Nam quòd Lucas Tudensis aliique imi subsellii auctores asserant, *Zamorram* eo loci nunc esse, quo priscis seculis *Numantia*; præterquam quod Plinio nimis clare repugnet, qui dicit prope Durii exortum illam fuisse, à quo *Zamorra* procul admodum dissita est, refellit hos diligentissime Ant. Nebrissensis decadis I. lib. V. cap. IV. Non possum, quin hoc loco Pomp. Melam optime de Hispania meritum à stigmate malè illi ab Episcopo Gerundensi inusto, vindicem: ait enim lib. I. Paralipomenon, Melam asserere, Cæsaraugustam nunc esse, quæ olim *Numantia*; cum ne per somnium hoc illi exciderit. Sed lubet tabulis resignatis agere: sic enim hic lib. II. cap. VI. *In Tarraconensi vrbes clarißimæ fuerunt Pallentia & Numantia. Nunc est Cæsaraugusta.* Non dicit Cæsaraugustam esse *Numantiam*, sed suo æuo clarissimam esse vrbium Tarraconensis prouinciæ, vt olim fuere *Numantia & Palentia.* Quis ferat tantam oscitantiam in tam graui auctore reprehendendo. Paulus quoque Orosius, *Numantiam* Metropolin olim vniuersæ Gallæciæ fuisse asserit. Zamorrenses testimonium hoc Hispani scriptoris sibi patrocinari credunt, sed toto cælo aberrare eos facit diuisio Hispaniæ, tempore Orosii, quo Gallæciæ termini Numantiam vsque extensi erant: vt bene obseruauere Hieronymus Surita & Ambr. Morales.




Cap. LXXIX

FLAVIOBRIGA NVNC BILBAO. *OLIM HIC AMANVM portus. Situs eius & descriptio.*

QVÆ vernacule *Bilbao*, antiquorũ *Flauiobrigam* credunt esse, Moletius & Tarapha: quã Ptolemæus inter Autrigones recenset. Io. Marietta carpit Ant. Nebrissensem, quod *Bilbao* putarit *Flauiobrigam* olim dictam; dicitque non antiquam esse, vtpote exstructam à Didaco Lopez de Haro, Cantabriæ Domino, an. M. CCC. eo loci, vbi olim Amanum portus fuit, nescius à Plinio statui *Flauiobrigam*, vbi Amanum portus olim fuit, lib. IV. cap. XX. auctor est Tarapha, in Vespasiani honorem prænomen *Flauii* inditum. non defuere qui hanc vrbem Martialis patriam *Bilbilim* nimis impudenter asseruerint: sed hos somniare clarũ; quare hos ad Atlantes relegandos auctor sim, vbi memorantur somnia non videri.

Vrbs est Cantabriæ præcipua, non solum ob situs opportunitatem, sed & ob vberem annonæ copiam, & mercatorum insignem concursum. Sita est loco plano: à mari distat duobus milliaribus, loco egregie portuoso: aere vtitur temperato & salubri admodum, qua parte continentem spectat. Magnos habet obiectos montes, vt nec frigori nimio obnoxia sit, nec calori: annonam hic tanta affluere copia aiunt, vt nulla pene in Hispania vrbs sic hac in re illi comparanda. Piscium omne genus vicinum mare larga manu suppeditat. Lanæ hic commercium summopere viget, vt quotannis circiter quinquaginta naues, in varias partes hic onerentur: puellę hic passim incedunt capite nudo, & tonso capillitio. nec virginib⁹ fas est, antequam nuptæ sint, aut capillum alere, aut caput peplo velare: Lacedæmoniorum pene more, quę intecto corpore, donec nupserant, incedebant.




Cap. XXC.

POMPELON POMPEIO EXSTRVCTA. DIVERSA A Pompeii trophæis. Vbi hæc exstant. Occupatur à Ferdinando Rege.

SVblato per domesticas insidias Q. Sertorio, sedatisque Hispaniæ motibus, Cn. Pompeius ad optatum triumphum festinans, *Pompelonem* vrbem inter Vascones condidit, quasi *Pompeiopolim* vocans, teste Strabone lib. III. quam etiam à Ptolemæo putant quidam *Martuam* dictam, hodie regni Nauarræ metropolis est. ridiculum est Lucæ Tudensis figmentum, de vrbis etymo. Refert enim *Pompelonam* dici, quasi *Bamba Lunam*, quod Rex Bamba ciuitatem ampliauit, nomenque antiquum *Martua* oblitteratum. Conuentus erat olim Cæsaraugustani, teste Plinio, qui cum initio capitis III. lib. III. dixerat Pompeium in Pyrenæo trophæa statuisse, quibus testabatur DCCC. XLVI. oppida ab Alpibus, ad fines vlterioris Hispaniæ in ditionem à se redacta, credidit Pet. Antonius Beuterus, hæc trophæa Pompeii nihil aliud fuisse, quam à Pompeio exstructam vrbem *Pompelonam*, in memoriam rerum ab se gestarum: sed commentitium hoc esse quis non videat? cum eodē modo cōstet, Augusto Cæsari victis Alpinis gentibus, in ipsis Alpibus erecta trophęa: cuius inscriptionē videre est apud Plinium lib. III. cap. XX. Addo Pompeii trophęorum adhuc hodie non obscura vestigia exstare. Refert enim Ioannes Mariana lib. III. cap. XVI. & Ambr. Morales lib. 8. c. 22. in *Andorre*, & *Altauaca* Pyrenæi conuallibus, exstare circulos ferreos, liquato plumbo rupibus affixos, decem amplius pedum ambitu, quibus affigi trophæa solent: cui rei fauent triumphalium fornicum imagines, vt Emeritæ conspiciuntur. qua de caussa diligentissimus Abr. Ortelius in antiquæ suæ Hispaniæ descriptione, *Pompelonem* inter Vascones, trophæa vero Pompeii, prope Ruscionem & Salsulas collocat; Strabo trophæa Pompeii prope Iuncarium campum statuit, qui non procul à Ruscinone est.

Sita autem est vrbs, non procul à Pyrenæi radicibus, in fertilissimis Nauarræ campis, ad flumen Argam vocatum: ciuitas est magna, & opulenta. Auctor est Beuterus, & Ioannes Vasæus vrbem hanc Christi religione, in ipsius Ecclesiæ primordiis imbutam esse, idque à *S. Saturnino*, qui à D. Petro Roma missus, XL. amplius hominum millia, septem dierum spatio, ad Christum traduxit, & in his *S. Firminum*, ciuem Pompelonensem, quem & Ecclesiæ præfecisse, & Ambionensi in vrbe postea martyrio affectum ferunt sacræ Martyrum tabulæ. In hunc vsque diem Episcopalis dignitas permansit. Vrbs hæc cum vniuerso Nauarræ regno, anno cIↃ. D. XII. à Ferdinando Castellæ & Aragoniæ Rege occupatur: Ioanne primum Rege à Iulio II. Pont. Max. habito pro schismatico.



Cap. XXCI.

DVPLEX CALAGVRIS. TARAPHAE ERROR. FIDISSIMA suis ducibus. Egregia inscriptio.

DVas in Hispania citeriore *Calaguris* nomine fuisse vrbes, auctor est Plinius; quarum vna *Nascica* cognominata, inter Nascicos populos collocata, prope Oscam, quam & *Municipium Calagurim Iuliam Nascicam* ex antiquo nummo dicunt vocari, Amb. Morales & Hieronymus Surita: cuius hodie ne vestigia quidem supersunt. Altera vero *Calaguris fibularia* vocata *Calagorina* vero Ptolemæo; nostro æuo *Calahorra* dicta. Conuentus erat olim Cæsaraugustani: Franciscus Tarapha hoc nomen à C. Caligula illi inditum putat. non credidissem Tarapham, tam obesæ naris fuisse, vt tales tricas adstrueret: cum legerit apud Iulium Cęsarem bello quod aduersus Petreium & Afranium gessit, *Calaguris* mentionem. T. Liuius etiam lib. XXX. meminit magni prælii prope Calagurim commissi, inter Celtiberos & Romanos, duce L. Manlio Acidino, Prætore citerioris Hispaniæ: in quo ad XII. Celtiberorum millia cęsa, capta ad duo M. fuere. quæ sane omnia multis lustris ante Caligulam gesta fuere.

Sita autem est vrbs ad Iberi amnis ripas, & quidem in monte, vnde Paulinus ad Ausonium:

Monta-

Montanamque mihi Calagurim, & Bilbilim acutis
Pendentem ſcopulis, collemque iacentis Ilerdæ
Exprobras?

Rara in primis in duces ſuos fide, ſed in Q. Sertorium clara admodum, quæ nec morte eius interrupta fuit: qui, vt auctor eſt Val. Maximus lib. VII. cap. VI. *Quo perſeuerantius interemti Sertorii cineribus, obſidionem Cn. Pompeii fruſtrantes, fidem præſtarent, quia nullum iam aliud in vrbe eorum ſupererat animal, vxores ſuas, natoſque ad vſum nefariæ dapis verterunt, quoq; diutius armata iuuentus, viſcera ſua viſceribus ſuis aleret, infelices cadauerum reliquias ſalire non dubitauit.* Hoc etiam Iuuenalis Satyra XV. innuit his verſibus:

Vaſcones: vt fama eſt, alimentis talibus vſi
Produxere animas: ſed res diuerſa: ſed illic
Fortunæ inuidia, bellorumque vltima, caſus
Extremi, longæ dira obſidionis egeſtas.

Iugi tandem obſidione eam Afranius Cn. Pompeii legatus occupatam, cæde incendioq; deleuit. Publicum illud & infelix exemplum, & cum quouis priſci æui comparandum, peculiare Bebricii Calaguritani confirmat: quod prope Lauronam (*Logroño* hodie) antiquus cippus, referente Ambroſio Morales, oſtendit.


DIIS. MANIBVS.
Q. SERTORII.
ME. BEBRICIVS. CALAGVRITANVS.
DEVOVI.
ARBITRATVS.
RELIGIONEM. ESSE.
EO. SVBLATO.
QVI. OMNIA.
CVM. DIIS. IMMORTALIBVS.
COMMVNIA. HABEBAT.
ME. INCOLVMEM.
RETINERE. ANIMAM.
VALE. VIATOR. QVI. HÆC. LEGIS.
ET. MEO. DISCE. EXEMPLO.
FIDEM. SERVARE.
IPSA. FIDES.
ETIAM. MORTVIS. PLACET.
CORPORE. HVMANO. EXVSTIS.

Cuius fidelitatis memor Aug. Cæſar *Cohortem Calaguritanorum*, in corporis ſibi cuſtodes delegit, vt auctor eſt Suetonius in Auguſto.

Fabii Quintiliani Rhetoris præſtantiſſimi natalibus nobilitata; qui ſub Nerone, à Galba Romam fuit adhuc adoleſcens perductus. Is cum cauſſis agendis magnum ſibi nomen comparaſſet, primus Romę publicam ſcholam inſtituit, atque ex fiſco ſalarium accepit, vt teſtatur D. Hieronymus ad Euſebii Chronicon his verbis: *Quintilianus ex Hiſpania Calaguritanus, primus Romæ publicam ſcholam tenuit, & ſalario cohoneſtatus publico claruit.* vnde & Auſonius in commemoratione Rhetorum Burdigalenſium:

Aſſerat vſque licet Fabium Calaguris alumnum,
Non ſit Burdigalæ dum cathedra inferior.

Epiſcopatum habuit non incelebrem olim, nec hodie eo caret. Non defuere, qui crederent *Calagurim*, B. Dominici patriam, vocum affinitate decepti: nempe *Callaroge* illius patriam, & *Calahorre* eadem oppida putantes. Martyres patronos habuit *SS. Emetrium & Chelidonium*, milites legionarios, Marcelli Centurionis filios, quos Aurelius Prudentius Hymno peculari proſequitur.



Cap. XXCII.

CÆSARAVGVSTA.

CAESARAVGTSTA COLONIA IMMVNIS. SALDVBA *vocata. Variæ opiniones & fabulæ de prisco nomine refelluntur. Colonia huc ab Augusto deducta.*

INter nobilissimas totius Hispaniæ vrbes, iure referetur *Cæsaraugusta*, Aragoniæ Metropolis: quam Ptolemæus in Edetania collocat, vt & Plinius; qui etiam Coloniam immunem, & primo *Saldubam* vocatam dicit. Pomponius vero Mela, suo tempore nobilissimam Tarraconensis prouinciæ vrbem, ex Mediterraneis dicit fuisse. De antiqua eius appellatione multa neoterici comminiscuntur, quæ libet breuiter refellere, ne aliis offucias diutius faciant. Lucius Marineus, quia apud Plinium legerat, *Saldubam* olim vocatam, dicit à Rege Mauritaniæ Iuba exstructam fuisse, vnde illi nomen *Salduba*, tamquam *Iubæ domus*. Sed nullius hæc opinio momenti est. Nam cum duos tantum Iubas constet fuisse, patrem scilicet, qui à C. Iulio Cæsare vna cum Corn. Scipione, fusus fugatusque seipsum interemit: & filium eius, qui Romanis litteris ita liberaliter initiatus fuit, vt clarissimus apud Afros sui æui scriptor sit habitus, & ab Augusto Cæsare in auitum regnum restitutus. quorum neutrum in Hispania quidquam possedisse constat, quo sublato totum Marinei commentum in auras euanescit. Io. Margarinus Episcopus Gerundensis hanc vrbem primo *Agrippam* à conditore suo dictam asserit, & in suam sententiam vocat vel inuitos, Strabonem & Plinium, apud quos tamen ne verbum quidem hac de re. Rodericus vero Ximenius Toletanus Archiepisc. lib. I. cap. III. Cæsaraugustam primo *Auripam* vocatam fuisse autumat. Sed pari in errore cum Gerundensi versatur. Io. Annius Viterbiensis *Saldubam* principem vrbem fuisse tradit, quam Tubal in Hispania exstruxit. Addit etiam in Bætica ab eodem vrbem exstructã, quam Pomponius Mela *Dubal* vocauit. Non tam anxie ab Hercule quæsitus Hylas, quam mihi hic locus; sed frustra. nam passim *Salduba* legitur. Quamobrem credo Annio Viterbiensi glaucomam ob oculos obiectam fuisse, vt quod non viderit, id se vidisse putarit. Nisi forsan deprauato codice vsus fuerit. Gaspar Barrerius elimenatis hisce fabulis potius à salinis frequentibus nomen fluxisse credit: montes enim salis fęcundos, non procul ab hac vrbe distare in confesso est: D. vero Isidorus à Cæsare Augusto exstructam & nominatam dicit. Vero tamen propius est, ante Augusti tempora ignobile oppidum fuisse, & postea Coloniam huc deductam. Probat hoc æreus Augusti nummus, in quo vexillum erectum, hasta in base adfixa visitur (quod signum erat deducendæ Coloniæ) ab vna parte Augusti effigies, cum hoc titulo: AVGVSTVS. D. F. auersa vero parte: CÆSARAVGVSTA. M. POR. CN. FAB. II. VIR.

Sita est ad amnem *Iberum* (à quo vniuersa prouincia nomen sumsit) loco campestri, & patenti, in qua siue soli vbertatem, siue situs amœnitatem, vrbis nitorem, & ornamenta requiras nihil in ea deesse comperies, ædium splendore, nulli Hispaniarum vrbi secunda: quam tamen Barcino audet æmulari, è laterculo coctili plurimum sunt. vicos, plateasque latas, & apertas, ac pontem habet egregii operis, quo Iberus transitur. Inter multa templa, quę 17. maiora numerãtur, præter 14. Monasteria, & alia minora fana & Saccella, celeberrimũ est & magnæ religionis, q̃ D. Virgini ad columnã, incolæ, *Nuestra Senora del pilar* vocant. Posteris transmissum est, ædem hanc sacram primã esse, quæ in orbe in Seruatoris nostri honorem exstructa fuit, idq; quo tempore D. Iacobus Hispanias obibat, cui ferunt D. Virginem hac in vrbe apparuisse, cælesti fulgore cinctam, dedisseque Apostolo ex iaspide columnam, vna cum sacrata effigie, vtque hoc in templo locaretur mandasse. Conspicitur hic imago exigua Deiparę Virginis, vndique cancellis inauratis septa; coram vero quindecim argenteæ lampades perpetuis lucent ignibus. frequentia hic edita miracula loci pietatẽ auxere. hac in vrbe martyrũ frequentia tanta quanta vix alibi integris in prouinciis, vt innumerabiliũ massa, & eius nomine monasterium ostendit. Diocletiani enim & Maximiniani temporibus, Pręses Dacian. vt funditus Christianorum in Hispania nomen deleret, per præconem denuntiauit, vt qui vellent Christiani, Cæsaraugusta stata hora excedere, tuto & illæsos discessuros: qui cum summo gaudio continuo se portis effunderent, repente militum copiis cincti, ad vnum omnes pro Christo obtruncati sunt. Credebat nimirum immanis ille Dei hostis hoc Christiani sanguinis torrente, nouæ ardorem fidei se instincturum. at frustra fuit

tyran-

tyrannus. Celebrati enim hi martyres innumerabiles, quos Prudentius libro de Coronis decorandos putauit, Hymno, quo Cæsaraugustæ vrbis sic meminit:

Sola in occursum numerosiores
Martyrum turbas Domino parasti,
Sola prædiues pietate multa
Luce frueris.
Omnibus portis sacer immolatus
Sanguis, exclusit genus inuidorum
Dæmonum, & nigras pepulit tenebras
Vrbe piata.

Hac etiam vrbe *D. Encratis* (vulgò *Engratia*) Dynastæ cuiusdam Lusitaniæ filia, & duci limitaneo Rhodani, prouinciæ Narbonensis Galliæ desponsa, cum XIIX. comitibus, ab eodem Daciano martyrio affecta fuit: quorum etiam omnium ibidem meminit Prudentius: postea verò ita subdit de S. Encratide:

Hic & Encrati recubant tuarum
Ossa virtutum, quibus efferati
Spiritum mundi violenta virgo
Dedecorasti.

D. etiam *Lambertus* indigena, hic martyrio affectus fuit. Episcopatus est antiquissimus: tempore vero Alphonsi XI. à Ioanne XII. Pont. Max. in Metropolitanam dignitatem mutatus: cui quatuor subditi parent Episcopi, *Oscensis*, *Turiassonensis*, *Pompelonensis*, *Calaguritanus*. Inter Episcopos habuit *S. Braulionem*, cui Isidorus libros viginti Originum eruditum sane opus inscripsit: doctrina verò conspicuos viros protulit *Antonium Augustinum* Archiepiscopum Tarraconensem, de Hispania omniq; adeò antiquitate optimè meritum, & *Hieronymum Suritam*, qui Antonini Itinerarium emendauit, & Aragoniæ concinnauit. D. verò Vincentii martyris natalibus præcipuè se tollit hæc vrbs, licet aliqui Oscæ natum volunt, qui & sub Daciano Abulæ martyrio affectus. clarè enim Prudentius & ipse Cæsaraugustanus eum pro ciue agnoscit hymno citato:

Noster est, quamuis procul hinc in vrbe
Passus ignota, dederit sepulcri
Gloriam victor prope litus altæ
Forte Sagunti.



Cap. XXCIII.


OSCA VICTRIX COGNOMINATA. A SERTORIO hic scholæ instituta. Velleius Paterculus correctus.

QVÆ priscis Geographis *Osca*, recentioribus *Huesca* leuiter flexò nomine dicitur: vrbs erat olim regionis Vescitaniæ (Surita verò *Vascitaniæ* vult legi, Notis ad Antonini Itinerarium) Conuentus verò Cæsaraugustani, teste Plinio: Ptolemæus autem Illergetum esse, Franciscus Tarapha ex Manethone, dicit ab Osco Vetulonensi, qui Italiæ imperabat, exstructam fuisse: Episc. verò Gerundensis lib. II. Paralipomenon à Caco conditam credit, & *Oscam* vocatam, tanquam *Os caci*, multo ante Herculis in Hispanias aduentum eundemq; asserit Cacum, qui ab Hercule interfectus sit in Italia.

Spectatum admissi risum teneatis amici.

Sed cùm de illius origine nihil liquidò mihi constet, satiùs de illa tacere putem, quàm nugas asserere. Antonius Augustinus & Hieronymus Surita ex antiquis nummis aiunt vrbem *Victricem* cognominari. Hac in vrbe olim Q. Sertorius Latinæ, Græcæque linguæ Academiam erexit, teste Plutarcho in vita Sertorii, quo nobilissimos Hispaniæ adolescentes, eruditionis caussa euocauerat; reipsa verò vt obsides haberet, erudiendi prætextu, quasi cùm maturuisset ætas, in partem administrationis, & imperii eos admissurus: qui eadem in vrbe inter epulas à Perpenna aliisque coniuratis occisus, teste Velleio Paterculo lib. II. *Tum M. Perpenna prætorius, è proscriptis, generis clarioris, quàm animi, Sertorium inter cœnam Aetoscæ interemit. Romanisque certam victoriam, partibus suis excidium, sibi turpissimam mortem pessimo auctorauit facinore*. quo loco *Oscæ* legendum clarum est. Nusquam enim *Aetoscæ* mentio; licèt Plutarchus Ap-

pianus, & Sallustius in Historiarum Fragmentis vrbis nomen prætereant, vbi Sertorius interfectus fuit. Claudius Puteanus, quo loco Strabo dicit Sertorium morbo exstinctum, ἐτελεύτησε καὶ νόσῳ, feliciter ex Velleio emendat ἐτελεύτησε δ' ἐν ὄσκῃ. i. *Exstinctus est Oscæ.* apud Strabonem etiam lib. III. corruptè *Ileosca* legitur, loco *Oscæ* his verbis, loquitur de Iaccetania: *Hæc à Pyrenæis radicibus inchoans, in campos vsque latius extenditur, & Ilerdæ ac Ileoscæ, Illergetarum locis adiungitur, non procul ab Ibero.* Nusquam enim apud Ptolomæum, aliumue classicum scriptorem, *Ileoscæ* mentio inter Illergetas, sed *Oscæ* passim. Hoc æuo ex Cataloniæ præcipuis vrbibus, Episcopali dignitate prædita, Tarraconensi Præsuli, ex Constantini diuisione subiacet. Academiam etiam habet antiquam, & à Sertorio, vt dixi, institutam: sed nulla re magis gloriantur incolæ, quam *D. Laurentium* ciuem habuisse, inuictum illum Christi Athletam, qui Romæ sub Decio Imp. martyrio affectus fuit. *D.* etiam *Orontium*, D. Laurentii fratrem.



Cap. XXCIV.

ILERDA.

ILERDA HODIE LERIDA. *SARDONES VBI. DE ORIGINE Ilerdæ. Sicani nomen à Sicori amne traxerunt. Antiqua hic Academia.*

Ilerda non ignota vrbs, ob res maximas circa illam à C. Iulio Cæsare, contra Afranium & Petreium Pompeii duces gestas. Ptolemæus inter Illergetes annumerat, quos Fuluius Vrsinus apud Abr. Ortelium, eosdem esse cum Illurgauonensibus Cæsaris facit. Sed exactiùs rimanti, non subsistit Fuluii coniectura: dicit enim Cæsar Illurgauonenses flumen Iberum attingere, quo Illergetes non pertingunt, vt ex Ptolemæo liquet: potius credo hos *Illurgauonenses* eosdem esse, cum Ptolemæi Illergaonibus, qui ad Iberi ostia sunt. Plinius libro tertio capite tertio: *Ilerdenses*, ait, *Surdaonum gentis, iuxta quos Sicoris fluuius.* Sed quo loco Surdaones? aut quis illorum prçter Plinium meminit? Feliciter Gaspar Barrerius mendosum hunc locum sanat, ab Hermolao Barbaro, & Ferdinando Nonio Pintiano maximis viris præteritum, & *Sardonum* legendum censet. Erant enim *Sardones*, Ruscinonensis comitatus incolæ, qui hasce in partes forte se effuderant, vt etiam monet Beuterus. Pomponius sanè Mela horum meminit lib. II. cap. V. *Inde est*, inquit, *ora Sardonum, & parua flumina Thelis, & Thicis, vbi accreuere persæua: Colonia Ruscino.* Plinius etiam lib. III. cap. IV. his verbis: *In ora regio Sardonum, intusque Consuarnorum, flumina Thelis, & Obris:* quorum regionem etiam hodie, *Campos de Cerdania* nuncupari idem auctor est Barrerius: huius vrbis originem Ioannes Gerundensis Episc. lib. II. ad Illyricos refert, satis herculè remotè, & more suo ineptè. Nonnulli ex Stephani Byzãtini obscuris verbis, ad Troianos referunt, quòd addat, *Ileus autem Troianis Apollo dicitur.* Vibius Sequester ab *Ilerda* amne vrbi nomen inditum dicit, sed vbi gentium hic amnis? vel quis Sicorim *Ilerdam* vocatum scribit? viderint alii.

Sita verò est modico in colle, qui paulatim in vallem desinit, ad Sicoris amnis ripas, ob auriferas, quas vehit arenas, celeberrimi, vt ferunt Tarapha, & Lucius Marineus lib. XV. sed quia graphicè eius situm Lucanus exprimit, non pigebit eius versus ex lib. IV. adducere:

Colle tumet modico, lenique excreuit in altum
Pingue solum tumulo, super hunc fundata vetusta
Surgit Ilerda manu, placidis prælabitur vndis
Hesperios inter Sicoris non vltimus amnes.
Saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu,
Hybernas passurus aquas.

Ausonius etiam ad Paulinum *Ilerdæ* sic meminit:

Aut quæ deiectis iuga perscruposa ruinis
Arida torrentem Sicorim despectat Ilerda.

A quo amne nonnulli credunt Siculos primùm *Sicanos* appellatos: testis est Thucydides lib. VI. qui amnem hunc *Sicanum* appellat.

Vrbis muri ex viuo saxo structi: ædes non contemnendæ: suburbano agro Bacchus, Ceres & Pomona mirum in modum fauent; nec Pallas fecundã oleam inuidet. Cathedrale templum affabrè exstructum, editiori vrbis loco situm. Vnde iucundus in subiectos campos prospectus patet. Episcopali dignitate à multis seculis ornata fuit, & sub Sergio huius vrbis Episcopo an. 528. prouinciale Concilium celebratum fuit,

ſub Theodorico rege. Antiqua etiam Academia hic excitata an. cIↃ. CCC. quæ licet nec opulentis reditibus tumeat, nec ſplendidis ædificiis ſuperbiat, vberes tamen hinc ingeniorum riuuli emanant, qui vniuerſam Cataloniam fęcundant. Et licet vrbs felici ſatis ſit ſolo, vberes etiam quæſtus ex ſalſamentis, & ſalitis piſcibus, qui vndique huc aduehebantur, percipit, vnde Horatius librum ſuum alloquens:

Aut fugies Vticam, aut vnctus mitteris Ilerdam,

quaſi diceret, vbi neglectui habebitur, folia eius ceſſura in piſcium aut ſalſamentorum tectoria: non ſecus ac Perſius alibi ſcribit,

Linquere nec ſcombros metuentia carmina nec thus.

Refert Lucius Marineus lib. X. Ilerdenſes Valentiæ pondera, menſuras, & monetam dediſſe; idque quo tempore Iacobus I. Aragonum Rex anno cIↃ. CC. XXXVIII. Valentiam obſediſſet, ſanciens vt cuius ciuitatis ciues primò vrbem irrupiſſent, illorum moneta ponderibusque Valentini vterentur. Ilerdenſes ante omnes in vrbem irruentes, eò Coloniam deduxere, vnde in hodiernum diem Valentia publicis in litteris *Ilerdam* matrem vocat.



Cap. XXCV.

TARRACO.

DE TARRACONIS ORIGINE. SCIPIONVM OPVS. Dicta Colonia Iulia Victrix Tyrrhenica. *Strabonis lapſus. Circi veſtigia. Inſcriptiones veteres. Vino linoque nobilis.*

NObiliſſima eſt Hiſpanię Citerioris vrbs *Tarracon*, à quâ & vniuerſa prouincia Tarraconenſis vocata: de cuius primordiis, & conditore variè ſentiunt Hiſpanicarum rerum ſcriptores. Annius Viterbienſis, aliiq; triuiales ex opinione Beroſi, à Tubale, filio Iaphet, conditam fuiſſe aſſeuerant, & lingua Aramea dictam fuiſſe *Tharacoam* quod paſtorum congregationem illis ſignificat: quorum ego opinionem nauci non fecerim, cùm apud doctiores adulterina eſſe Beroſi ſcripta hæc in confeſſo ſit, & nugatoris Annii ſuppoſititium partum, vt Ioannes Goropius Becanus in Hiſpanicis, & in Originibus non ſemel oſtendit. Gaſpar etiam Barrerius, peculiari libello, Beroſum, Manethonem, Metaſthenem, ceteroſq; eius farinæ, quibus Annius tantopere innititur, ita excuſſit, vt impoſturam, & laruam cuiuis detractam oſtenderit. Franciſcus Tarapha Ægyptios, duce quodam *Tarracone*, in Hiſpanias veniſſe, atq; ibi vrbem in illius memoriam condidiſſe refert. Epiſcopus verò Gerundenſis ad Herculem eius originem refert, atq; à Phœniciæ populis, quos *Aconitas* vocat (qui nuſpiã ſunt) conditam, dictamque *Tarraconem*, quaſi *terram Acon*; ſed mittamus hos nugivendulos, & fecundioris famæ Scriptoribus innitamur,

Queis meliore luto finxit præcordia Phœbus.

Plinius itaq;, Solinus, & Martianus Capella, vnanimi voce, Scipionum opus eſſe *Tarraconem*, ſicut Carthaginem Pœnorum aſſerunt, non quòd prima vrbis fundamina iecerint. Conſtat enim ante Scipionum aduentum ex T. Liuio vrbem fuiſſe, ſed quod ex obſcura in clariſſimam ciuitatem illorum opera euaſerit: nam de primis eius initiis apud fide dignos auctores altum ſilentium. Colonia igitur fuit Scipionum *Tarraco*, cognominata *Iulia victrix Tyrrhenica*, vt oſtendit doctiſſimus Ant. Auguſtinus, Antiquitatum dialogo VII. ex antiquis inſcriptionibus tum Tarracone, tum Barcinone repertis. Tarraconenſis huiuſmodi eſt:

GENIO.
COL. I. V. T. TARRAC.
L. MVNATIVS. APRONIANVS.
II. VIR.
Q. Q. TESTAMENTO.
EX. ARG. LIB. XV.
PONI. IVSSIT.

Barcinone verò pluribus in locis hæc conſpicitur inſcriptio:

IIIIII. VIR. AVG.
COL. I. V. T. TARRACON.
ET. COL. F. I. A. BARCIN.

Id est. *Seuir Augustalis Coloniæ Iuliæ victricis Tyrrhenicæ Tarraconis, & Coloniæ Fauentiæ Iuliæ Augustæ Barcinonis.* Scio nonnullos legere *Coloniæ Iuliæ Vlpiæ Traianæ*, vel *togatæ*, sed ἀπροσδιώνυσον est, præsertim cùm & Ausonio *Tyrrhenica* dicatur. Epistola est apud Paulinum:

Cæsareæ Augustæque domus, Tyrrhenica propter
Tarraco.

Pomponius Mela opulentissimam esse dicit, inter illius oræ maritimas vrbes; *quam Thulcis modicus amnis super, ingens Iberus deorsum attingit.* quam Strabo ad principum peregrinationes excipiendas commodissimam, & natam esse, sitamque in sinu quodam maris, sed portu carere. reclamat tamen T. Liuius, qui lib. XXII. Scipionem magna classe portum *Tarraconis* ex alto tenuisse, militemque ibi exposuisse scribit. Hodierna certè die multa indicia antiquitus portum fuisse ostendunt. rudera enim non pauca obiectæ molis, quo à ventis tutiores essent naues, visuntur; & hoc æuo, non rarò triremes hinc soluere compertum est.

Locus hic est (quem incolæ *placa de la fuente* vocant) amplitudine, & latitudine insignis, qui ex non obscuris vestigiis Circus olim fuisse creditur: quod vt facilius credam faciunt binæ inscriptiones antiquæ, Aurigis nobilioribus dedicatæ, quarum prior in templo D. Virginis dictæ *del Milagro* conspicitur: quas lubet attexere.

D. M.

Factionis Venetæ Fusco sacrauimus aram
De nostro: certe studiosi, & bene amantes.
Vt scirent cuncti monimentum & pignus amoris,
Integra fama tibi, laudem cursus meruisti,
Certasti multis, nullum pauper timuisti,
Inuidiam passus, semper fortis tacuisti,
Pulcrè vixisti, fato mortalis obisti.
Quisquis homo es, quærens talem subsiste viator,
Perlege si memor es, si nosti quis fuerit vir.
Fortunam metuant omnes, dices tamen vnum:
Fuscius habet titulos, mortis habet tumulum.
Contegit ossa lapis, bene habet, fortuna valebis.
Fundimus insonti lacrymas, nunc vina precamur,
Vt iaceas placidè nemo tui similis.
Τοὺς σοὺς ἀγῶνας αἰὼν λαλήσει.

Id est: *Tua certamina æuum loquetur.*

Altera inscripta est statuæ, quæ sinistra manu palmam, in victoriæ signum continet, quæ in hortis exstat doctissimi Ant. Augustini Archiepiscopi Tarraconensis:

D. M.

EVTYCHETI. AVRIGÆ. ANN.
XXII. FL. RVFINVS. ET. SEMP.
DIOFANS. SERVO. B. M. F.

Hoc rudis aurigæ requiescunt ossa sepulcro,
Nec tamen ignari flectere lora manu.
Iam qui quadriiugos auderem scandere currus,
Et tamen à biiugis non remouerer equis.
Inuidere meis annis crudelia fata,
Fata quibus nequeas opposuisse manus.
Nec mihi concessa est morituro gloria circi,
Donaret lacrymas ne pia turba mihi.
Vssere ardentes intus mea viscera morbi,
Vincere quos medicæ non valuere manus.
Sparge precor flores super mea busta, viator,
Fauisti viuo forsitan ipse mihi.

Et ne quid vrbanis deliciis splendorique deesset, Theatrum olim egregii operis habuit, vt ruinæ testantur, eo loci, vbi nunc templum est D. virginis dictæ *del Milagro* licet nunc deforme, & incultum sit: siquidem in templi structuram pulcerrimi lapides sunt ablati, eratque ab vna parte in viua rupe excisum, vnde & sedilia, & gradus. Suburbanus ager frumenti, olei, pecorisque abundans admodum, vini laudatissimi ferax, vt testis Silius Italicus lib. III. belli Punici:

dat

——dat Tarraco pubem
Vitifera, & Latio tantùm cessura Lyæo.

Et Martialis etiam lib. XIII. Epigr. XVIII.

Tarraco Campano tantùm cessura Lyæo,
Hæc genuit Thuscis æmula vina cadis.

Laudatissimi etiam lini ager est patiens, cui torrens, qui Tarraconem alluit, eximium splendorem conciliat, teste Plinio lib. XIX. cap. I. *Et Citerior Hispania habet splendorem lini præcipuum torrentis, in quo politur, natura, qui Tarraconem alluit, & tenuitas mira: ibi primùm carbasis repertis.*

Archiepiscopatum habet hæc vrbs percelebrem, & vetustum, & si Gerundensi Episcopo fides habenda, Toletano prior est. Illud certè non minimum est, non agnouisse vnquam huius vrbis Præsules, Toletanum Archiepiscopum pro superiore, & primate: vt ceteræ omnes Hispaniæ vrbes, & ab illius se iurisdictione semper exemisse, vt nec iter facienti Toletano Præsuli per diœcesin suam, erectam ferre crucem permiserint.

Augusto Cæsari olim dedita fuit, ob beneficia multa illi collata, dum bellum in Cantabros pararet. cuius memoriam & post mortem ita prosecuti sunt, vt teste Corn. Tacito, à Tiberio Cæsare obtinuerint, vt Tarracone templum illi exstruerent. Plurimis hæc vrbs SS. Martyribus abundat, inter ceteros verò habuit *S. Fructuosum*, *Augurium*, & *Eulogium* Episcopum Tarraconensem, quorum abunde meminit Poeta Prudentius, hymno illis dedicato:

Felix Tarraco, Fructuose, vestris
Attollit caput ignibus corruscans.

Hac præterea vrbe oriundus fuit *Paulus Orosius*, D. Augustini discipulus, doctrina & eloquentia singulari, qui ab orbe condito Chronicon ab sua vsq; tempora eleganti filo contexuit.



CAP. XXCVI.

EMPORIAE HODIE AMPVRIAS. *A PHOCENSIBUS condita. Incolæ diuersi. Inscriptio vetus.*

MAritima est Indigetorum vrbs, inter Tarraconem & Pyrenæos montes sita. Portu commodo ornata. Clari olim nominis fuisse præter historias, testantur non spernendæ ruinæ. A Phocensibus Græciæ populis condita, vt nonnullæ aliæ illo in tractu: vnde Silius Italicus lib. III. vocat *Phocaicas*:

Phocaicæ dant Emporiæ, dat Tarraco pubem.

Stephanus *Emporias* κελτικὴν πόλιν, esse dicit, contra omnem rationem. nam etsi Massilienses, qui illam condiderant, in Celtica seu Gallia erant, non tamen Celtas fuisse dicendum. Ptolomæus *Emporias* inter duo flumina collocat, Sambrocam videlicet, & Clodianum. Pomponius Mela Clodiani tantùm meminit: Plinius vero lib. 3. cap. 3. pro Clodiano flumen Albam refert. Priùs tamen exiguam insulam vrbi oppositam, teste Strabone lib. 3. incoluere, quam Παλαιάπολιν vocat, hanc Gerundensis Episc. nunc *Medam* vocari auctor est. Qua tandem relicta in continentem traiecere.

Vrbs ipsa primò in duas partes diuisa, & duo oppida, quorũ vnum Græci, alterum indigenæ Hispani habitant; post deuictos verò Pompeii liberos, deductis Romanis Colonis à Iulio Cæsare, triplex effectum est. quæ quia disertè & graphicè à T. Liuio lib. XXXIV. descripta sunt, lubuit hic verba eius inserere; loquitur autem de Catonis in Hispaniam aduentu: *Iam tunc Emporiæ, duo oppida erant, muro diuisa, vnum Græci habebant à Phocea, vnde & Massilienses oriundi, alterum Hispani: sed Græcum oppidum, in mare expositum, totum orbem muri, minùs CCCC. passus patentem habebat. Hispanis retractior à mari, trium M. P. in circuitu murus erat. Tertium genus, Romani Coloni ab Diuo Iulio post deuictos Pompeii liberos adiecti, nunc in corpus vnum confusi omnes, Hispanis priùs, postremo Græcis in ciuitatem Romanam ascitis. miraretur quis cùm cerneret aperto mari, ab altera parte, ab altera Hispanis tam feræ & bellicosæ genti obiectos, quæ res eos tutaretur. Disciplina erat custos infirmitatis, quam inter validiores optimè timor continet, partem muri versam in agros egregiè munitam habebant. Vna tantùm in eam regionem porta imposita, cuius assiduus custos semper aliquis ex magistratibus erat. Nocte pars tertia ciuium in muris excubebat, neque moris tantùm aut legis*

caussa, sed quanta si hostis ad portas esset, obseruabant vigilias, & circumibant cura. Hispanum neminem in vrbem recipiebant, ne ipsi quidem temerè vrbe excedebant: ad mare patebat omnibus exitus. Porta ad Hispanorum oppidum versa, nunquam nisi frequentes, pars tertia ferè, cuius proxima nocte vigiliæ in muris fuerant, egrediebantur. Caussa exeundi hæc erat, commercio eorum Hispani imprudentes maris gaudebant, mercarique & ipsi ea, quæ externa nauibus inueherentur, & agrorum exhibere fructus volebant: huius mutui vsus desiderium, vt Hispana vrbs Græcis pateret faciebat. erant etiam eò tutiores quòd sub vmbra Romanæ amicitiæ latebant, quam sicut minoribus viribus quàm Massilienses, ita pari colebant fide. Hactenus Liuius.

Inter antiquas verò Emporitanorum ruinas cippus repertus non inelegans, qui docet Græcos, nec Hispanorum moribus linguaque pollutos, in Romanorum tandem ditionem cessisse: quam inscriptionem Ambrosio Morales de *Hispania* optimè merito acceptam fero.

EMPORITANI. POPVLI. GRÆCI.
HOC. TEMPLVM. SVB. NO-
MINE. DIANÆ. EPHESIÆ. EO.
SÆCVLO. CONDIDERE. QVO.
NEC. RELICTA. GRÆCORVM.
LINGVA. NEC. IDIOMATE.
PATRIÆ. IBERÆ. RECEPTO.
IN. MORES. IN. LINGVAM.
IN. IVRA. IN. DITIONEM.
CESSERE. ROMANAM.
M. CETHEGO.
ET. L. APRONIO. COSS.

Non procul ab Emporiis M. Cato Hispanos pugna memorabili deuicit, cæsis quadraginta hostium millibus. Cuius abunde Appianus & T. Liuius meminere. Incolæ, teste Strabone, colligendo lino opus agebant: interior ager sparti erat ferax, inutilior verò agri pars iuncum producit, qua de causa *Iuncarium campum* vocant, à quo crediderim oppido *Iuncariæ* nomen inditum. Hac in vrbe olim Episcopalis sedes fuit, nunc verò Gerundensi paret.




CAP. XXCVII.

MONTIS SERRATI DESCRIPTIO. QVANDO D. Virgini hic exstructum templum.

CVm non inter postrema naturæ miracula, hunc montem reponi putem; non omittam, quin situm eius tenui colore, pro ingenii mei captu adumbrem. Nam si exactè graphiceque eum describerem, nec naturæ maiestati satisfacerem, nec infantia mea permitteret, & licet mons hic crebris vndique rupibus ambiatur, ipse tamen longè super omnes eminet, vt procul visentibus egregiè turritæ arcis, monti impositæ speciem præbeat: talique ordine rupes hæ dispositæ videntur, vt natura religioso quodam horrore intuentium oculos in se conuertere videatur. Ambitu suo IV. leucas cōplectitur, nubibusque se condere ob eximiam altitudinem creditur: vertice eius despectantibus vicini montes camporum imaginem præbent: raræ hic conualles, plerunque solidæ rupes, & immensæ altitudinis aspreta: atque vbi in rupis verticem magno labore te euasisse putas, statim se offert alia multo altior, in quam vbi per ligneos gradus enixus es, crescere adhuc rupis altitudo videtur. Interdum in vastæ magnitudinis murum excurrunt, variis hinc inde quasi castellis prominentibus, interdum seorsum collocatæ, ceterisque auulsæ montibus, turris imaginem præbent: & licet horrendæ procul appareant, frequenti tamen, & viridante arbore consitæ Thessala referunt: & cùm prorsus inaccessæ videantur, humanæ tamen industriæ hic natura victa cessit. Nam inuiis in locis, summa arte subliceas scalas durissimis scopulis affixere, quæ cum multa fronde sunt tectæ, aduenis gratissimas vmbras aduersus solis æstum præbent. aiunt à montis iugo, sudo cælo, Baleares insulas (vulgò *Mallorca* & *Menorca*) quæ sexaginta hinc leucis distant, posse conspici. Montis radices alluit amnis, vulgò dictus *Lobregat*; Ptolemæo verò *Rubricatum*: quod sanè nomen potiori ratione illi impositum fuisse puto, quam Arabico sinui, Mare rubrum. Fluctus enim toto anni tempore

pore maximè rubent, colorem ab arenis, quas pertranſit, mutuatur: amnis eſt inglorius nulliuſque pœnè vtilitatis: nam hybernis aquis ſummopere exæſtuat, æſtate verò agris inutilis, & areſcente penè alueo, iners voluitur. Reſtat vt paucis D. Virginis Cœnobii, illis in locis exſtructi originem referam. Quo tempore Barcinonæ Guifrius Piloſus cognomine, III. Comes imperabat anno D.CCC. LXXX. opiliones qui his in rupibus gregem paſcebant, frequenter animaduerterunt diebus ſabathi, poſt meridiem, in rupem vnam frequens lumen cœlo deſcendere, vna cum iucundiſſimo muſices concentu. Hoc oſtentum vbi parentibus retulerunt, & reipſa illis compertum eſſet, villæ illius parocho, & Epiſcopo Manreſæ rem totam ſignificarunt: qui cùm eadem oculis vidiſſent, frequenti clero, ſupplicatione indicta, deducente eos inſolito quodam & fragranti odore, ad rupem peruênere, vbi D. Virginis imago, in antro reperta fuit (nunc in cœnobio viſitur) quam Epiſcopus vna cum clero, Manreſam verſus magno honore deferebant. Cùm vix eò loci ventum, vbi nunc Cœnobium eſt, non potuere imaginem loco mouere, ſed ibi fixa permanſit: quo conſpecto Epiſcopus ibi ædem vouit Diuæ Virgini, dedicauitque. Cœnobium in medio montis ſitum eſt, ſub inacceſſa rupe, vt è propinquo ſpectantibus, ruinam minari videatur: nec immeritò. Nam ante paucos annos, pars præcipitis ſcopuli diuulſa decidit, vt noſocomium protriuerit multoſque in illo ægros afflixerit. templum eſt exiguum & obſcurius paulo, frequentibus vndique votiuis tabellis ornatum. Spectantur ſupra XC. argenteæ lampades: imago D. Virginis colore eſt ſubfuſco, & intuentium oculos cœleſti quadam maieſtate præſtinguens. His in rupibus XII. ſunt anachoretarum caſæ: nec admiratione caret, videre inter confragoſas, & aſperrimas rupes, domunculam quandam, tanquam hirundinis nidum, ſcopulo affixam, & quia penſiles ſunt, videntur quouis vento caſum minitari: & quod captum pœnè omnem ſuperat, vbi eo perueneris; videas vno in tuguriolo conclaue, triclinium, muſæum, ſacrarium, atrium, hortum, & quidquid demum concinnis ædibus conuenit, omnia affabrè facta: nec modicis impenſis his in locis caſula vna exſtrui poteſt. Multa de hoc monte dicenda ſuperſunt, quæ vt orationis ſatietatem effugiam ſilentio inuoluo, ſi hoc vnum inſtar colophonis addidero. Montem hunc natum videri ad ſolitariam vitam degendam. nullæ hic turbæ, nulli importuni ſtrepitus, qui mentem à diuina contemplatione poſſint auocare; ſolùm hic audire eſt iucundos auicularum garritus, ipſaſque aues videre Anachoretarum manibus intrepidè alludere, & cibum capere. Miraculorum ſeriem enarrare non eſt huius inſtituti, neque paucis ea complecti poſſem.



CAP. XXCVIII.

BARCINO.

DE BARCINONIS ORIGINE REIECTAE FABVLAE. A Carthaginenſibus condita. Barcinus *&* Barcilona *dicta.* Fauentia Iulia Auguſta *cognominata. Vrbis deſcriptio.*

DE nobiliſſimæ huius vrbis exordiis varia, incertaque, & magna ex parte fabuloſa circumferuntur, quibus barbarorum ſcriptorum libri ad nauſeam vſque referti ſunt. Nonnulli enim quibus gnarum, Iberos, Perſas, & Phœnices relicta Aſia in Hiſpaniam commigraſſe, cùm legiſſent in maculato codice, eſſe in Caria vrbem *Barcillam* (quæ Plinio *Bargyla*, Ptolemæo verò *Pargylia* vocatur) calidè nimis, & incallidè, nec ratione, nec auctoritate vlla adhibita, à *Barcilla* illa *Barcilonam* originem dixerunt trahere. alii neſcio quas duodecim cymbas (vulgò *Barcas* vocant) ſibi finxerunt, ex quibus nonam cymbam, quia illa Hercules aduectus fuerat, vrbi nomen dediſſe. Qua in re non vulgus ſolùm, ſed etiam Rex Alphonſus, *Prudens* licet cognomento, imprudenter lapſus fuit, in ſuis Hiſpaniæ Annalibus. tantumque hæc putida fabella apud rudem bonarum artium populum valuit, vt publicis vrbis nummis ridicula hæc inſcriptio adderetur, BARCA NONA, in Herculis æternam memoriam. Mihi de vrbis initiis hactenus nihil certi liquet, niſi illam Carthaginenſibus debere primordia, vt teſtatur Auſonius ad Paulinum his verſibus:

Quid queror? Eoique inſector crimina monſtri,
Occidui me ripa Tagi, me Punica lædit
Barcino, me bimaris iuga ninguida Pyrenæi.

Non abſurde quidam hariolantur Hamilcarem Barchinum, Hannibalis fratrem exſtruxiſſe *Barcinonem*, cui rei aliquantulũ fauere videtur Martianus Capella, his verbis lib. VI. *Nam Pœni qui fundauere Charthaginem, conditas vbicumque vrbes, amico ſibi nomine præſignarunt.* Hęc ſufficiant de *Barcinonis* origine in tam ſpiſſa caligine, exiguo coniecturæ lumine detexiſſe. Vocatur etiam *Barcinus* à Paulino Epiſtola ad Auſonium hoc verſu.

Cæſarea eſt Auguſta tui Barcinus amœna.

Paulus Oroſius lib. I. cap. III. & Æthicus *Barcilonam* vocant. Eandem verò Romanorum Coloniam fuiſſe, teſtis eſt Plinius lib. III. his verbis: *In ora autem Colonia eſt Barcino, cognominata Fauentia.*

Florianus Occampius, non parum hic lapſus, dum ait Romanos, *Barcinonis* nomen in *Fauentiam* mutaſſe, neſcius cognomen non abolere nomẽ, ſed potius adaugere. Ant. Auguſtinus Dialogo VII. è nummis antiquis, dicit vocari *Coloniam Fauentiam Iuliam Auguſtam Barcinonem*: hoc pacto COL. F. I. A. BAR. Vrbs hæc Pomponii Melæ ætate exigui nominis aut famæ fuit: *Inde*, inquit, *ad Tarraconẽ parua ſunt oppida, Blanda, Illuro, Betullo, Barcino.* Hodie vero ex totius Hiſpaniç nobiliſſimis vrbibus eſt, & rerum geſtarum magnitudine nullis inferior, paucis æqualis. Omnibus enim bellis, quæ in Sicilia, & Italia late per Aragoniæ Reges, feliciter geſta ſunt. naualibus maxime præliis, magnis copiis interfuerẽ Barcinonenſes. Quin etiam cum ceteris Catalanis (quorum Metropolis *Barcino* eſt) felices in Africam & Orientem expeditiones aliquot fecere, & cum terrore Catalanorũ ibi vulgatum nomẽ. Comites habuit, à tempore Caroli Magni, qui Maurorũ illam iugo exemit, circa annũ 801. cõſtituto Bernardo quodam Comite, quo exſtincto ſuffectus à Ludouico Pio Imp. Iamfredus (alii *Guifrium* vocant) à quo ſeries continua Comitum fluxit, donec an. MCLXII. Aragoniæ regno Barcinonenſis Comitatus coniunctus fuit. Sita autem eſt in agro Laletano, qua mediterranea reſpicit, loco campeſtri, multis hinc inde villis conſpicua, quæ amœniſſimum oculis proſpectum præbent, ideoque merito à Feſto Auieno *amœna* vocatur:

Et Barcinonum amœnas ſedes ditium:
Nam pandit illic tuta portus brachia
Vuetque ſemper dulcibus tellus aquis.

Muro cingitur ex laterculo coctili quem turres opportunis locis diſpoſitæ interſtinguunt: foſſam habet latam & profundam. Domus ſunt paſſim ex viuo ſaxo exſtructæ, quas hortorum amænitas egregie exornat. horti ipſi, frequenti myrto, & lauro ornati, iaſminio, citreiſque intercurrentibus. Plateas habet latas & apertas, & quod in Hiſpania rarum eſt, cloacarum beneficio mundas. Templa affabre exſtructa, picturis & altaribus exculta. Mercimoniis in primis floret, & opificum induſtria. vitri conflandi adeo periti, vt Venetis vix cedant. Bellica olim laude, dum ſub Comitibus fuit, egregregiè floruit. Vini, leguminum, & horariorum fructuum ferax admodum; frumenti, oleique indiga, ſed defectum vicini abunde ſupplent. inter geminos amnes ſita eſt, qui ſub incolarum pene oculis, ſe infundunt: ab Oriente eſt Betullo, à Mela ſic vocatus, hodie truncata voce *Beſons* dicitur, ab Occidua parte Rubricatum. Non procul ab vrbe mons ſe extollit prærupte altus, vulgo *Monjui*, ab antiquis vero, auctore Gaſpare Barrerio, *Mons Iouis*, quo in loco (quod C. Plinius inter Italiæ miracula recenſet) inexhauſta & perennis eſt lapicidina, licet ad vrbis muros, & ad complures nobilium dom⁹, aſſiduo hinc materia petatur, adimplet tamen liberalis natura montis illa vlcera, & cicatricem obducit, vt tot annorum decurſu, nihil pœne exciſum videatur. Hac in vrbe palmam martyrii adeptus eſt ſanctus *Cucufas*, natione Arabs, atteſtante Prudentio his verbis:

Barcinon claro Cucufate freta.

Sublatus eſt hic per inſidias, Gohorum Rex Ataulphus, vna cum ſex filiis, teſte Paulo Oroſio, cuius adhuc aliqua ſepulcri veſtigia exſtant, vna cum hoc Epitaphio: licet imperitæ plebi vel Herculis, vel Regis Hiſpani eſſe perſuaſum ſit:

Bellipotens valida natus de gente Gothorum
Hic cum ſex natis, Rex Ataulphe iaces.
Auſus es Hiſpanas primus deſcendere in oras,
Quem comitabantur millia multa virum.
Gens tua tunc natos, & te inuidioſa peremit,
Quem poſt amplexa eſt Barcino magna gemens.

CAP. XXCIX.

DE GERVNDAE ORIGINE VARIA. HODIE GIRONA *dicta. Situs eius & descriptio.*

QVam vulgo *Gironam* vocant, Plinio, Ptolemæo, Antonino, & Prudentio *Gerunda* est; Florianus Occampius, aliique apud me subleſtæ fidei Annalium conſarcinatores, à Geryone exſtructam credunt, ab eo ſcilicet primum *Geryonam*, & mutato leuiter nomine *Gironam* dictam eſſe. Decepti procul dubio à Geryone, qui olim aliquo Bęticę in angulo imperauit: interim meridiana in luce cęcutientes, non vident corruptum eſſe à *Gerunda*, nec apud vllum ſpectatæ fidei ſcriptorem antiquum hoc legi, niſi forſan Annales aliqui Hiſpaniarum nuper nati hoc prodant, vt & Franciſcus Tarapha: quorum apud me diluta nimium eſt auctoritas; nec dubito quin Florianus ex Ioanne Annio Viterbienſi hęc hauſerit, qui mihi inſtar alterius Palęphati eſt, ita meras nugas & gerras Siculas blaterat. Is Cōmentariis in Beroſum *Gerundam* à Geryone conditam fuiſſe contendit: qua auctoritate innixus, ignoro: niſi, vt paſſim ſolet, nudo ſimilitudinis præſtigio allectus, neglectis interim peritiſſimorum Geographorum rationibus. Aſſurgit *Gerunda* leui tumulo, antiquo muro circumdata, triquetra forma; quod in Geryonis memoriam factum eſſe fabulantur. Gerundenſis ait in vnoquoque angulo arcem fuiſſe ſingulis fratribus attributam: ſed quis eſt tam ἀγέλαςος, cui hæc non moueant riſum? quaſi vero ab Herculis aut Geryonis ætate, non dicam vrbs aliqua, ſed murorum rudera aliqua, in hodiernam diem exſtare potuiſſent, in Hiſpania præſertim, tot bellis lacerata, & barbarorū inundationibꝰ vaſtata: quod ſi Romanorū opera, multis ſeculis Geryone poſteriora, quæ architecturæ peritia, & materiæ firmitate, aduerſus quasvis æui iniurias firmiſſima videbantur, ita vt nec ipſa

Poſſet diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum:

funditus pene perierunt, & citra hiſtorias ex hominum memoria ſublata eſſent, quid de antiquioribus dicemus? Hanc vrbem Ptolemæus, inter Tarraconenſis prouinciæ populos *Autetanos* collocat. alluitur flumine *Vnda* vocato, vulgo vero *Onhar*: immiſcet ſe alteri flumini ab incolis vocato *Ter*, cuius etymologiam deducunt etiam à trigemino Geryone. Mihi videtur hic eſſe amnis, qui Pomponio Melæ *Thicis* dicitur, à quo corrupte *Ter* nunc dicitur. Cuius verba ſunt: *Aceruaria eſt proxima rupes, quæ in altum Pyrenæum extrudit, dein Thicis flumen ad Rhodam, Clodianum ad Emporias.* Et licet vrbs parua ſit, opificum tamen, mercatorumque numero eſt locuples: ſpectatur hic in Cathedrali eccleſia altare, vna cum imagine ex argento fuſili, variis vtriuſque teſtamenti emblematis inſculptis: frontiſpicium vero lateraque altaris auro, multiſque gemmis coruſcant. D. Felicis corpus hac in vrbe ſpectatur, vt teſtatur Prudentius:

Parua Felicis decus exhibebit
Artubus ſacris locuplex Gerunda.

D. etiam Narciſſi martyris hic reliquiæ ſeruantur: in cuius honorem plurima miracula Deus fecit. ſufficiet vnum, ſed memorabile, adduxiſſe. Quo tempore Petrus IX. Aragonum Rex, & Catalonię Comes rerum potiebatur, Galli, auſpiciis Philipi III. Regis (Marineus Siculus lib. 11. ſub Carolo Siciliæ Rege hoc accidiſſe refert) Gerundā vi occupant, qua victoria elati, humana pariter & diuina ſpernentes, eo impietatis venerant, vt templum ſtabuli loco ducerent. Qua de cauſſa, Deo vindice, magna copia muſcarum ex viridi candicantibus alis, ex ſepulcro D. Narciſſi erupit, quæ lethali aculeo Gallos, multo celerius ipſa peſte necabat. Quamobrem amiſſa magna copiarum parte, coacti fuere vrbem deſerere. Rex ipſe æger Emporiis diem clauſit, alii verò Perpiniani obiiſſe tradunt. Sedem habet Epiſcopalem, cui olim præfuit Ioannes Margarinus, vnde paſſim Gerundenſis Epiſcopus vocatur. Anno Domini DXVII. celebratum hic Concilium VII. Epiſcoporum, ſub illius vrbis Præſule Fortuniano, vt auctor eſt Ioannes Vaſæus in Chronico.



Cap. XXC.

PIRENAEI MONTES. DE ETYMO VARIA.

GAlliam ab Hispania Pyrenæi montes dirimunt, geminis promontoriis, in duo maria procurrentibus: in mediterraneum quidem *Templo Veneris*, priscis Geographis vocato, vulgo *Cabo de Creus*: in oceanum vero Gallicum *Olearsone*, hodie currupto nomine *Oiarco*: frequentes hinc inde, in Hispaniam & Galliam montes hi ramos spargunt; inter vtrumque mare LXXX. circiter leucarum spatium occupant. Hac in parte Hispania seipsa angustior est multo, hinc vero, quo magis in septentrionem, & occidentem, ad oceanum & à meridie in mediterraneum mare excurrit, eo latior euadit; insultante hinc inde pelago, præterquam qua Pyrenæi Hispaniam claudunt. qua de caussa Paulo Orosio *Peninsula* vocatur, Straboni vero quam optime bubulo corio assimilatur, ita vt qua Pyrenæos spectat caput referat, reliqua vero corpus, qua se inter duo maria exporrigit. nonnulli, inter quos Beuterus, opinati sunt hanc montium seriem vniuersam non deberi Pyrenæos appellari, sed diuidi in Antipyrenæos, & Pyrenæos; sed non ita facile à recepta priscorum Geographorum opinione recedendũ. Nomen autem Pyrenæi à Græco nomine πῦρ videtur deriuatum, quod olim iniecto ibi ab armentariis igne conflagrarunt, teste Diodoro Siculo lib. V. aliisque Geographis, & Aristotele, libro de mirandis auscultationibus: *In Iberia*, inquit, *combustis aliquando à pastoribus siluis, calenteque ignibus terra, manifestum argentum defluxisse, cumque postmodum terræmotus superuenisset, eruptis hiatibus, magnam copiam argenti collectam, atque inde Massiliensibus prouentus non vulgares obtigisse.* Alii vero dicunt nomen fluxisse à Pyrena virgine, ab Hercule vitiata, cuius ita meminit Silius Italicus:

Pyrene celsa nimbosa verticis arce
Diuisos Celtis, late prospectat Iberos;
Atque æterna tenet magnis diuortia terris:
Hospitis Alcidæ crimen; qui sorte laborem
Geryonis peteret cum longa tricorporis arma,
Possessus Baccho, sæua Bæbrycis in aula
Lugendam formæ sine virginitate reliquit
Pyrenem.
Defletumque tenent montes per secula nomen.

Sed hoc à Plinio pro fabuloso reiicitur: ridiculum vero est, quod Annales Regis Alphonsi circa Pyrenæi nomenclaturam adducunt. Aiunt enim à *Pyrrho* Hispaniarum rege Pyrenæos vocatos fuisse, cum primo *Cetubales* à Tubale vocarentur. sed præ vetustate putida est hæc opinio, proinde nugatoribus hanc relinquamus, quibus ne mica quidẽ salis est, vt hanc conseruent. Isidorus Orig. lib. XIV. cap. VIII. Pyrenæum dicit nuncupatum à crebris fulminum ignibus: quòd ferè celsi montes fulgure petantur: vnde & aptissime Claudianus lib. de laudibus Serenæ:

——Pyrenæique sub antris,
Ignea fulmineis legere Ceraunia nymphæ.

Aiunt enim & naturæ sagaciores indagatores gemmam Ceranniam, locis fulmine ictis tantum reperiri (quales Pyrenæi montes feruntur) vnde & illi nomen. hinc Marbodeus lib. De gemmis.

Illis quippe locis, quos constat fulmine tactos,
Iste lapis tantum reperiri posse putatur.
Vnde Κεραύνιος *est Græco sermone vocatus.*

Refert Strabo lib. III. Pyrenes latus, quod in Hispaniam vergit frequentibus arboribus consitum esse, quod vero Galliam spectat, nudum pene aridumque spectari.



Cap. XCI.

RHVSCINO OLIM GALLIAE ANNEXA. PERPINIANVM VEteribus ignotum. Opinio Annii Viterbiensis explosa. Descriptio eius.

QVi Hispaniæ terminus, potuisset & operis mei esse Pyrenæus: quidquid enim terrarum est citra illum; Galliis olim annumerabatur. Sed quia Rhuscinonensis comitatus,

mitatus, ab aliquot seculis Hispaniæ annexus, & non ignobilis est: iure videbor extra ordinem pauca de illo dicere. Functo Gerardo Comite Rhuscinonensi, absque herede anno M.C.LXVIII. ad Alphonsum Nonum Aragoniæ regem deuolutus est. Cœpitque tum primum in publicis monumentis vocari Rex Aragoniæ, Rhuscinonis Comes, & Prouinciæ Marchio. Sed Ioan. II. Arag. Rex ærarii inopia compulsus, Ludouico XI. Gallorum Regi trecentis aureorum millibus hunc comitatum oppignorauit: quem Carolus VIII. anno M.CCCC.XCIV. Ferdinando Regi iterum restituit. Nomen autem illi dedit antiqua Romanorum Colonia, quæ *Rhuscino Latinorum* vocabatur, quam Athenæus, & Geographi, in Gallia Narbonensi collocant, licet nunc à multis seculis Cataloniæ sit annexa: Pomponius Mela describens Gallias à flumine Rheno ad Pyrenæos vsque, hæc de Rhuscinone prædicat: *Inde est ora Sardonum, & parua flumina Thelis & Thicis; vbi accreuere persæua: Colonia Rhuscino, vicus Illiberis, magnæ quondam vrbis, & magnarum opum tenue vestigium.* Strabo pene eadem, mutatis verbis: *E Pyrene quidem Rhuscino & Illiberis amnes exeunt, è quibus vterque eiusdem nominis vrbem habet.*


Solebat hæc vrbs esse, vbi nunc Castellum quoddã est, media leuca à Perpiniano, circa quod, multa rudera, & ædium priscarum passim disiecta vestigia videre est. Vnde & hodierno æuo arx Rhuscinonensis vocatur. Incolæ etiam opinantur, eo loci quondam non incelebrem vrbem fuisse, in cuius locum *Perpinianum* successisse putant. Nomen recens, nec penes Geographos celebratum; quæ res nonnullos mouit (inter quos Pet. Oliuarius Valentinus) *Perpinianum* olim *Rhuscinonem* fuisse. Ioanni vero Margarino Gerundensi Episcopo, longè aliter visum: quippe cum nomen *Perpiniani* nusquam apud exploratæ fidei Geographum repetisset, in eum impegit scopulum, vt *Perpinianum* credat vrbem esse, quam in Itinerario Antoninus *Stabulum* vocat, ego sanè crediderim eum, dum hæc scriberet, aliud egisse Antonini locum legendo, nulla scilicet distantiæ habita ratione: siquidem is numerat à Salsulis Stabulum vsq; XXXVIII. M. P. qui XII. leucas conficiunt, cum Salsulis *Perpinianum* tres tantum sint. Castellum vero eo loci esse vbi olim *Rhuscino*, docet manifeste Antoninus: siquidem Narbone *Rhuscinonem* XL. M.P. numerat, qui X. leucæ sunt, quot Narbone ad *Rhuscinonis* Castellum numeramus. Refert P. Ioannes Mariana lib. IX. an. M. LXVIII. opera Guinardi Ruscinonensis Comitis, conditum esse Perpinianum.

Vrbs hæc tribus leucis trans Pyrenæos montes sita est loco plano, nisi quod Meridiem versus in cliuum leuiter assurgat, cui arx imminet. Alluitur amne Theli, cuius pars intra muros recepta est. Post vltimam Gallorum obsidionem, anno cIↄ.Iↄc.XLIII. muros egregie communierunt incolæ additis nonnullis propugnaculis. Lanificii hic frequentes opifices: vrbs ipsa citra iniuriam inter amœnissimas totius Hispaniæ reponenda; licet aura minima de caussa maximas mutationes patiatur, & vt vniuersa Narbonensis prouincia, sæuis ventorum turbinibus obnoxia. Magna in veneratione hic habentur D. Honorati Episcopi Arelatensis reliquiæ, in Carmelitarum monasterio repositæ, tum etiam corpora SS. Iuliani & Basilissæ. Hoc in comitatu Episcopalis est vnica vrbs *Helna* nomine, Diuo Hieronymo vero in appendice ad Chronicon Eusebii Cæsariensis, *Helena* vocatur: vbi de Imperatore Constante loquitur: *Constans non longe ab Hispania, in Castro, cui Helena nomen est, interficitur.* Eutropio etiam eodem nomine appellatur, his verbis: *Obiit Constans, non longe ab Hispaniis, in castro, cui Helenæ nomen est, anno imperii XVII. Aetatis vero suæ XXX.* Episc. idem Gerundensis putat reginam Helenam, Magni Constantini matrem hanc vrbem exstruxisse, aut nepotem eius Constantem in eius memoriam; sed vt solet, sine auctore id asserit.

Ad Perpinianum redeo. Beuterus ita dictum putat à πῦρ incendio scilicet in Pyrenæis montibus à pastoribus excitato, ductus in errorem à Ioanne Annio Viterbiensi, qui incendium illud auspicatum fuisse ab illa parte fingit; sed iuuabit eius nugas in medium adducere: *Regio*, inquit, *proxima his montibus, corrupta nunc Perpiniana dicitur, cum scribenda sit & dicenda Pyrepiniana, id est, incendii & conflagrationis ostium, quia ibi cœpere pastores ignem arboribus inicere. nam πῦρ ignis; Pini vero, os originis dicunt etiam Phœnices, vt testantur Talmudistæ: quin etiam hoc addunt, vt Pi, os & origo dicatur, Ni vero & No, magni nominis & famæ interpretetur. hinc Pyripini, combustionis origo magni nominis; à quo Pyrepiniana regio scribi debet, nisi forsan quod vsitatissimum est in compositione illa, per synæresim & syncopam E littera abiiciatur, & dicatur recte Pyrpiniana.* Hactenus ille, dum deliramenta sua vult rata esse, Phœnices, Hebræos, & Græcos in subsidium non solum vocat; sed inuitos obtorto collo trahit, vt scilicet

Desinat in piscem mulier formosa superne.

Auctor est L. Marineus Siculus, dum Ludouicus XII. Galliæ Rex, *Perpinianum* obsidione premeret arctissima, ciues ad extremam compulsos penuriam, consumtis etiam immundis animalibus, primo hostium corporibus, tandem & suorum pro dapibus vsos esse. quid illis, si acerbitatem casus intuearis, miserius? si constantiam respicias, fidelius? qui ne à Rege suo desciscerent, extrema pati voluerunt potius quam honestè se victori tradere.



Cap. XCII.

SALSVLAE HODIE SALSAS. FONTIS IBI DESCRIptio. De piscibus fossilibus multa.


ARX hæc hodierno die *Salsas*, antiquitus *Salsulæ* vocabatur: meminit eius in Itinerario Antoninus, is siquidem Narbone *Salsulas* XXX. M. P. numerat, qui septem magnis leucis respondent, quæ hodie numerantur. Pomponius Mela in Galliæ Narbonensis descriptione fontis meminit, quem *Salsulas* vocat, qui leuca tantum ab hac arce distat: priscis scriptoribus non incelebris, nostris vero recentioribus omnino prætereitus, & quia res est admiratione digna, nollem etiam mihi obliuionis notam, vt ceteris, inuri: proinde fusius paulo de illo in præsentiarum agam. De eo sic Pomponius Mela: *Vltra Leocata litoris nomen, & Salsulæ fons, non dulcibus, sed salsioribus, quam marinæ sint aquis defluens, iuxta campus minuta arundine gracilique peruiridis, ceterum stagno subeunte suspensus, id manifestat media pars eius quæ abscissa proximis, velut insula natat, pelliqque se atque attrahi patitur, quin & ex iis quæ ad imum perfossa sunt, suffusum mare ostenditur, vnde Graiis nostrisque auctoribus, veri ne ignorantia, an prudentibus etiã, mendacij libidine visum est tradere posteris, in ea regione piscem è terra penitus erui, qui vbi ex alto hucusque penetrauerit, per eius foramina ictu capientium interfectus extrahitur.* Athenæus vero lib. VIII. ex Polybii opinione eadem pene refert, licet aliis verbis: *Polybius,* inquit, *XXXIV. Historiarum libro, vltra Pyrenem ad Narbonem fluuium, campum pertinere ait, quem Illiberis, & Rhuscino intersecant eiusdem nominis vrbis præterfluentes, quas incolunt Celtæ, in hoc campo pisces eos, qui fossiles vocantur, erui tradit. Campus ipse exilis parumque fœcundus est, multo tamen gramine lætus, subtus vero cum arenosa duorum vel trium cubitorum altitudine ea terra sit, ex proximis fluminibus aqua influit; cuius tortuosos atque multiplices cursus cum pisces cibi gratia sectentur (auidissime enim graminis radices dicuntur appetere) effecerunt, vt vniuersus ille ager, subterraneis piscibus sit refertus.* Aristoteles vero his omnibus antiquior, libro de mirandis auscultationibus, circa locum, vbi fons hic erumpit, non solum longe à vero deuiauit, sed alia etiam de hac piscatura diuersa tradit: *In finibus Massiliensium*, inquit, *circa Ligusticam lacus esse fertur, qui ebulliens effususque piscium multitudinem immensam, verique fidem superantem eiiciat; ceterum flantibus Etesiis, tantum puluerem concitari, vt coaceruata in lacum humo sicca superficiem obtegat, in formamque areæ redigat; vnde indigenis licet, pertusa siccitate, in triuiis quoscumque pisces citra negotium eximere.* Strabo etiam lib. IV. idem manifeste asserit, his verbis: *Iuxta Ruscinonem,* inquit, *lacus est & ager quem alluit paulum supra mare refertus salinis; habet & effossiles Cestrias pisces. nam si quis duos aut tres fodiat pedes, & in limosam aquam fuscinam demiserit, piscem eximiæ magnitudinis fixum penetrat.* Quod ne cui forte mirum videatur; non vno id loco accidere testatur Theophrastus libello De piscibus. refert enim circa Heracleam, & alibi in Ponto & circa Tium Ponti, Milesiorum Coloniam, fossiles reperiri pisces. nascuntur vero illi circa fluuios & aquosa loca, quæ cum siccantur paulatim, pisces subinde humorem sectando terram subeunt. Quod vero in Paphlagonia contingit, peculiarem & abditam rationem habet. Illic enim multos & bonos pisces effodi aiunt, cum neque restagnent iis in locis amnes; miraturque & ipse gigni sine coitu. Eadem pene ex Theophrasto narrat Plinius lib. IX. cap. LVII. Lepide hac de re Seneca lib. III. Quest. Nat. ad Lucilium: *Theophrastus affirmat, pisces quibusdam locis erui. Multa hoc in loco tibi in mentem venere, quæ vrbane in re incredibili fabulosaque dicas; non cum retibus aliquem aut cum hamis, sed cum dolabra ire piscatum. Exspecta vt aliquis in mari versetur, quid est autem quare pisces in terram non transeant, si nos maria transimus?* T. Liuius prodigii loco narrat lib. LII. in Gallico agro, qua induceretur aratrum, sub existentibus glebis emersisse pisces. Iuuenalis idem vt valde rarum, & instar portenti Satyra XIII. esse dicit:

——miranti iam sub aratro
Piscibus inuentis, & fetæ compare mulæ.

Sed

Sed nihil æque mirandum duco quam quod Appuleius Apologia pro se prima dicat, in Getuliæ mediterraneis montibus pisces, per Deucalionis Diluuia reperiri. Fossiles vero pisces & hoc æuo quandoque inueniri referunt Rondeletius lib. de piscibus, & Georgius Agricola lib. de animantibus subterraneis. sed ad carceres redeo.

Fontem hunc à *Salsulis* non tota leuca distare, oculatus testis refert Gaspar Barrerius: cuius aqua salsa est, hyberno tempore percalida, æstiuo vero gelida; adiacet huic fonti campus multa humilique arundine & aquaticis herbis frequens (vt notauit Mela) & continua aquarum ex hoc fonte emanantium illuuie vdus, hinc vero per canales quosdam in vicinum lacum aqua omnis se exonerat. Fons vero piscosus admodum est. nam & hyberno tempore aquæ calore, æstiuo vero grato eius frigore allecti, gregatim huc pisces confluunt. Arx vero loco campestri sita est, egregie munita, & propugnaculis instructa, vt hostiles impetus contemnere videatur. Tali vero arte propugnacula hæc disposita sunt, vt non vna, sed plures arces videantur. Sublíciis enim pontibus ita sunt distincta, vt vno capto nihil damni hinc reliqua percipiant.



CAP. XCIII.

INSVLÆ HISP.

CASSITERIDES STANNO NOBILES. DE SITV ILLArum disquisitio. Plinii lectio controuersa. Oestrymnides *Festo.* Hesperides *Dionysio Alex. dictæ. Festus Auienus correctus. Vbi nam hodie sint.*

ILlustrata hactenus Hispaniæ continentis potissima pars: nunc æquum est, inter fluenta emergentes terras, (quæ quod *in salo* sunt, *insulæ* vocantur) illustrare; sed cum delectu, & nobiliores tantum, quas præterire iniquum esset. *Cassiterides*, vnde & illis nomen (κασσίτερος enim *stannum* est.) Cl. Ptolemæus in occiduo illas Oceano statuit, numero decem. Plinius vero lib. IV. cap. XXII. *Ex aduerso*, inquit, *Celtiberiæ, complures sunt insulæ, Cassiterides Græcis dictæ, à fertilitate plumbi.* Sed quo pacto ex aduerso Celtiberiæ? si illa non solum mediterranea est, sed etiam in orientem porrecta, nimis diuerso situ à Ptolemæi mente. Vero propior Pomponii Melæ opinio, lib. III. cap. VI. *In Celticis*, inquit, *aliquot sunt insulæ, quas, quia plumbo abundant, vno omnes nomine, Cassiterides appellant.*

Celtici enim populi cognomine Neriæ, vel auctore Plinio lib. IV. cap. XX. circa promontorium *Celticum* habitant, quod *Artabrum* & *Nerium* dictum, & in occiduum Oceanum procurrit: vnde Ferdinandus Nonius Pintianus, non *Celtiberiæ*, sed *Celticorũ Neriarũ* apud Pliniũ legendũ monet. Sed cum Iulius Solinus Plinio adstipuletur, qui has insulas aduersus Celtiberiæ latus spectare dicat, nihil contra fidem omnium librorum innouare ausim: nisi quis dicat vtrobique mendum esse. Præsertim cum & Diodorus Siculus lib. VI. cap. IX. à Ptolemæo & Mela parum dissentiat: *Supra*, inquit, *Lusitaniam plurimum stannum effoditur in insulis Oceani Iberiæ proximis, quæ à stanno Cassiterides nominantur.* Adde Strabonem lib. II. & III. qui has insulas Artabris opponi scribit, nemo vero Celtiberiæ. Insulæ hæ à festo Auieno *Oestrymnides* vocantur, vt etiam suspicatur Ortelius, quas stanni plumbique diuites facit his versibus:

In quo insulæ sese exerunt Oestrymnides
Laxe iacentes, & metallo diuites
Stanni, atque plumbi, multa vis hic gentis est,
Superbus animus, efficax solertia,
Negotiandi cura iugis omnibus.
Nolusque cumbis; turbidum late fretum
Et belluosi gurgitem Oceani secant.
Non hi carinas quippe pinu texere
Facere morem, non abiete vt vsus est
Curuant fasélo. Sed rei ad miraculum
Nauigia iunctis semper aptant pellibus,
Corioque vastum sæpe percurrunt salum.

Sed vnde dictæ *Oestrymnides* hæ insulæ, mihi æque ignotum, ac pleraque alia nomina, quæ solus hic Poeta vsurpat. Sed emaculandus mihi hic obiter est: vbi enim habet, *Nolusque cumbis*, legendum

Nullisque cymbis turbidum late fretum.

Nam quod Guilelmus Camdenus legit

Non vsque nauibus,

& præter auctoris mentem est: & nimis violenta, & à vero aliena est lectio. Poeta enim innuit, illos omnes esse negotiandi studiosos, nec nauibus vti, quæ hac Camdeni lectione tolluntur. Emendandus etiam videtur, vbi habet:

Non hi carinas quippe pinu texere
Facere morem, non abiete vt vsus est
Curuant faselo.

Atque ita legendum puto:

Non hi carinas quippe pinu texere,
Acereve norunt, non abiete vt vsus est
Curuant faselos.

Innuit enim illos ignorare naues ex pinu, acere, aut abiete texere, seu faselum curuare, sed ex pellibus aptare nauigia. Vnde nec Camdeni lectio probari potest, quæ habet:

Fecere remos, non abiete vt vsus est.

Siquidem *pinu texere*, & *fecere remos* incongruum sensum efficere, cuiuis erudito patere putem. De coriaciis vero nauigiis loquitur Plinius lib. VII. cap. LVI. his verbis: *Etiam nunc in Britannico Oceano vitiles naues corio circumsutæ fiunt.*

Dionysius Alex. in περιηγήσει has insulas vocat *Hesperidas*, quas statuit non procul à promontorio sacro, ab aliquibus vocato *caput Europæ*:

Νήσυς δ' ἑσπερίδας τόθι κασσιτέροιο γενέθλη
Ἀφνειοὶ ναίυσιν ἀγαυῶν παῖδες Ἰβήρων.
Subter & Hesperidum stanni felicibus oris
Magnanimi dites nati dominantur Iberum.

Eustathius certe Scholiastes confirmat has esse insulas *Caßiteridas*, à Poeta vocatas *Hesperidas*, stanno fertiles. Soli olim Phœnices has nouerant, teste Strabone, ceteros mortales celabant, lucri caussa, quod ex stanno plumboque illis veniebat: vnde cum Romani summo studio illarum notitiam indagarent, cursum naucleri cuiusdam obseruarunt, qui, ne insulas detegeret, nauem in limosa loca & breuia sponte impegit, vbi & Romani naufragium fecerunt, ipse vero incolumis enatauit, & ex publico ærario amissi oneris pretium illi solutum fuit. Sed frequenti tandem nauigatione insulas adiere. Missusque aduersus incolas P. Crassus, sed cum miti illos ingenio, paciq; deditos reperisset, effodiendi ipsis metalla industriam aperuit. Plinius lib. VII. cap. LVII. refert Midacritum quendam, primum ex Cassiteride insula plumbum asportasse. Strabo sub finem lib. III. & in Dionysium Alex. Eustathius, incolas esse μελαγχλαίνυς aiunt, indutos talaribus tunicis, cum baculis ambulantes, persimiles tragicarum furiarum, & Nomadum instar, ex armentis victum quærere. Sed iubet inquirere, quo loco nostra tempestate *Caßiterides* sint, præsertim cum de hoc egregie variant auctorum sententiæ. Abrahamus Ortelius suspicatur esse *Pritanias*, plumbo stannoque hodie nobiles. Sed non placet vel eo nomine quod *Caßiterides*, inter Britanniam & Hispaniam auctores pene omnes statuant, & ipse Dionysius Alex. statim post *Caßiterides* fuse prosequitur Britanniæ descriptionem: adde non decem has esse, vt ait Ptolemæus, sed geminas tantum. Guilielmus Camdenus credit esse insulas *Sylly*, quas & nautarum vulgus vocat *Sorlinges*, tum quod Artabris, seu Gallæciæ sint oppositæ, vergantque in Aquilonem; tum quod stanni venis abundent, quæ vt omnia *Caßiteridibus* congruunt, ita etiam numerus negat illas esse. refert enim illas esse CXL. numero, cùm Cassiterides decem tantum sint, ex quibus etiam incultæ aliquot, teste Strabone, præterquam quod *Sylly* insulæ propiores multo sint Britanniæ quam Hispaniæ. Ego hac in re, lubens Ortelii opinioni subscribam, qui insulas *Sylly* esse Iulii Solini *Silurum* insulas affirmat: quarum & Corn. Tacitus Iulii Agricolæ vita sic meminit: *Silurum colorati vultus & torti plerumque crines, & positu contra Hispaniam, Iberos veteres traiecisse, easque sedes occupasse fidem faciunt.* Gemma vero Frisius mari obrutas latere credidit *Caßiterides*, & nomen tantum posteris transmissum, sed quia facilius est singulorum opiniones conuellere, quam quid certi, in re tam ancipiti statuere, dicam cum Herodoto in Thalia, mihi *Caßiterides* ignotas esse, vel illas esse, quæ non procul à Flauio Brigantio, seu *la Crunna* distant, quarum præcipua *Cizarga* vocatur, teste Ioanne Oliuario in Pomponium Melam, quæ hodie incultæ & neglectæ iacent, vel quod stanni vena defecit, vel quod copia tot ditissimarum insularum, ab Hispanis vt viliores spernantur.

Cap.

CAP. XCIV.

PITYVSAE INSVLAE, EBVSVS *ET* OPHIVSA. *Serpentibus infesta Ebusus. Eiusdem nominis vrbs. Colonia Carthaginensium. Isidorus emendatus. Plinii lectio defensa contra Suritam.*

MEditerraneum mare intrantibus, geminæ se offerunt insulæ, à frequenti pineo frutice dictæ *Pityusæ*, postea *Ebusus* vtraque vocata: deinde vna vocata est *Ebusus*, altera verò *Ophiusa*, quæ & *Colubraria*. Distant à Balearibus CCC. stadiis, vt Antonini fert Itinerarium, vt verò Plinius lib. III. cap. V. septingentis: subiacet verò *Ebusus* Maiori insulæ Balearidum, vt refert in Cosmographia sua Æthicus. De vtraque verò insula sic Strabo lib. III. *Pityusæ*, inquit, *longius in pelago existentes quàm Gymnesiæ, declinantur in occasum, è quibus vna quidem vocatur Ebusus, vrbem eiusdem nominis continens, circuitus insulæ stadiorum CCCC. latitudo inæqualis, vti & longitudo: prope iacet insula Ophiusa longè minor & deserta.* Cur verò deserta sit, serpentum facit copia, adeuntibus perniciosa, nisi, vt Mela sub finem lib. III. *ingressis eam, intra id spatium, quod Ebusitana humo circumsignauerunt, sine pernicie tuta est; iisdem illis serpentibus, qui solent obuios appetere, aspectum eius pulueris, aliudue, quod verius, procul & cum pauore fugientibus.* Vnde & Plinius lib. III. cap. V. *Ebusi terra serpentes fugat, Colubrariæ parit: ideo infesta omnibus, nisi Ebusitanam terram inferentibus.* Vocatur autem hodie *Moncolobrer*, vt auctor est Ambrosius Morales, qui ait illos falli, qui viciniam illi insulam *Dragoniram Ophiusam* credunt. *Ebusus* verò, interfluente tantùm freto, ab *Ophiusa* separata; quæ à Dionysio Alexandrino, & ab Eustathio eius Commentatore βοῦνος vocatur, prorsus contrariis dotibus exornata: siquidem teste Pomponio Mela citato loco, *Frumentis tantùm non fœcunda, ad alia largior, & omnium quæ nocent animalium adeò expers, vt nec ea quidem, quæ de agrestibus mitia fiunt, aut generet, aut si inuecta sunt sustineat.*

Plinius etiam, *Nec cuniculos*, inquit, *Ebusus gignit populantes Balearium messes.* idem asserit lib. VIII. cap. LVIII. Diodorus verò Siculus lib. VI. cap. V. vites ibi & lanam prouenire, palmisque fertilem esse refert. Plinius autem & ficus ferre lib. XV. cap. XIX. dicit: *Honos laudatas seruat [ficus] in capsis, in Ebuso insula præstantissimas amplissimasque, mox in Marrucinis.*

Saccarum etiam, rarum olim felicitatis donum tulisse innuit Statius Papinius Siluarum lib. I. hoc Hendecasyllabo:

Quod ramis pia germinat Damascus
Et quas præcoquit Ebosia cannas
Largis gratuitum cadit rapinis.

Nihil enim moror illos, qui contra omnium librorum consensum, *Hypasita*, substituunt. Compascuam verò pecori etiam fuisse, ostendit Festus Auienus in sua orbis terrarum descriptione:

Ac dilecta vago pecori consurgit Ebusus.

Vrbem habuit cognominem, & Carthaginensium Coloniam, quæ CLX. annis post conditam Carthaginem, teste Diodoro Siculo deducta fuit; vnde Silius Italicus lib. III. *Phœnissam* vocat:

Iamque Ebusus Phœnissa mouet, mouet Artabrus arma.

Liuius etiam lib. XXVIII. Magonem tota Hispania pulsum, *Ebusum*, vt ad sociam vrbem traiecisse dicit: *Inde nauibus ad Pityusam insulam, centum millia fermè à continenti (Pœni tunc eam incolebant) traiecit, itaque classis bona cum pace accepta est: nec commeatus modo benignè præbiti, sed in classis supplementum, iuuentus, armaque data.* Firmam autem & validam fuisse vrbem idem asserit lib. XXII. Plinius verò fœderatam ciuitatem fuisse auctor est. Distat autem à Dianio Ebusus, teste Plinio D. CC. stadiis, licet Hieronymus Surita, ex Isidoro lib. XIV. Originum cap. VI. septuaginta vult substituere, nixus etiam mss. Plinii exemplari, sed à vero deuiare palam est. Nam præterquam quòd Iulius Solinus XXVI. Plinio subscribat, accedit T. Liuius, qui lib. XXVIII. dicit fermè centum millia passuum à continenti distare: & bene, nam huic numero explendo centum tantum stadia desunt. Adde his Diodorum Siculum, qui diei vnius tantùm nauigatione ab Iberia abesse dicit. quare retinendam puto Plinianam lectionem, & Isidori locum emendandum, & *Septingenta* stadia, pro LXX. substituendũ. nam cum LXX.

ſtadia vix X. M. P. explent, ipſe viſus longius à continenti diſtare iudicabit. Proinde ita legendum cenſeo in Iſidoro: *Ebuſus inſula Hiſpaniæ dicta, quod à Dianio non procul ſit quaſi Ebozos, nam ſeptingentis ſtadiis ab eo diſtat.* Sed quid ſibi vult etymon illud *quaſi Ebozos*? Delio opus habet natatore: niſi placeat legere, quaſi ἐπιοῦσα, quod videlicet Dianium ſtatim excipiat & ſubſequatur, nam Græcam vocem ætatis lapſu corruptam eſſe: & in *Ebozos*, aut, vt alii Codices præferunt, *Abozos*, migraſſe, nihil certius eſt. Sed lectorum iudicio coniecturam hanc expono. Inſula hæc hodie *Yuiza* vocatur, clara inexhauſta & perenni ſalis copia, quę non ſolum Hiſpaniæ, ſed & vicinis prouinciis ſufficit. Hac in inſula antiqua hæc reperta eſt inſcriptio:

IMP. CÆS.
M. AVRELIO. CARO.
PIO. FELICI. INVICTO. AVG.
PONT. MAX. TRIB. POT.
P. P. COS. II. PROCOS.
ORDO. EBVSII.
D. N. MER.



CAP. XCV.

BALEARES INSVLAE CVR GYMNESIÆ *DICTAE. ANTONINI lectio ſtabilita contra Smilerum. Vnde nomen. Funditores optimi. Laticlauo primi vſi. Mores & ritus.*

IN Mediterraneo mari, inter Tarraconis & Sucronis maritima, geminæ iacent inſulæ *Baleares*, vel *Balearides* olim dictæ, nunc *Mallorca & Menorca*, à Græcis vero γυμνήσιαι vocatæ. Vel quod æſtate nudi incederent incolæ; vel quod facto naufragio Bæotorum aliqui nudi huc appulerint, vt Tzetzes in Lycophronem, & Euſtathius in Dionyſium Alexandrinum innuunt. Harum vna *Maior* altera *Minor* dicebatur. Illa teſte Plinio lib. III. cap. V. *C. M. P. longitudine, circuitu vero CCC. LXXX. patebat: oppida habebat Ciuium Romanorum, Palmam & Pollentiam, Latina, Cinium & Cunici, & fœderatum Bochri fuit, ab ea XXX. M. P. diſtat minor, longitudine LX. circuitu vero CL. M. P. ciuitates habet Iamnonem, Ianiſeram, Magonem.* Hactenus Plinius: à quo tamen diuerſi ſunt Ptolemæus, Strabo & Pomponius Mela lib. I. qui tantum in *Maiori* inſula, Palmam & Pollentiam, in *Minori*, Iamnam & Magonem collocant. Antonini Itinerarium, cur *Maiorem* Balearium *Columbam* vocet, *Minorem* vero *Nuram*, me fugit. Vnde & Smilerum in Annotationibus ſuis credo reieciſſe priſcam lectionem, & velle legere *Inſula Colubraria*, & poſtea ſeparatim, *Inſula Balearis Maior.* ſed non perſuadet. debuiſſet enim hoc pacto etiam emendaſſe ſequentia: *Inſula Nura Balearis Minor.* Adde in Smileri lectione deeſſe ſtadiorum numerum, quem nefas eſt in Itinerario præteriſſe, quare retinendam veterem lectionem puto. T. Liuius lib. XXVIII. auctor eſt maiorem Balearidum armis viriſque copioſiorem, Strabo vero magnitudine tantum à ſe mutuo differre, virtute autem incolarum, & ſoli bonitate ęquales eſſe; portus habet capaces & ſatis tutos, niſi breuia aliqua oſtiis vicina eſſent, ſeu, vt auctoris verbo vtar, χοιραδώδεις eſſent. Vnde & Lycophronem χοιρώδεις vocaſſe has inſulas crediderim. Vocatæ autem ſunt *Baleares* vel à Baleo Herculis comite, vt auctor eſt L. Florus Liuianæ Epitomes lib. LX. vel potius à βάλλειν, id eſt, *Iacere*, quod optimi funditores ab omni æuo fuerint, adeo vt Vegetius lib. I. cap. XVI. *Primos illos fundis vſos fuiſſe* ſcribat. Strabo tamen à Phœnicibus hanc artem edoctos ſcribit, cum inſularum potiti eſſent, qui teſte Plinio lib. VII. cap. LVI. fundā primi inuenere. *Certos eſſe quis miretur ictus?* (inquit Florus lib. III.) *cum hæc ſola genti arma ſint, & vnum ab infantia ſtudium. Cibum puer à matre non accipit, niſi quam ipſa monſtrante percuſſit.* Quod & Lycophron in Caſſandra his verſibus explicat:

Οὐ γὰρ τις αὐτῶν ψίσεται πύρνον γνάθῳ,
Πρὶν ἂν κρατήσει ναστὸν εὐστόχῳ λίθῳ
Ὑπὲρ τράφηκος, σῆμα κείμενον σκοποῦ.
Non enim aliquis illorum edet panem maxilla,
Priuſquam obtineat panem bene iaculato lapide
Super lignum, ſignum iacentis ſcopi.


Incolarum vero originem Strabo lib. XIV. ſecundum plurimorum opinionem, à Rhodiis fluxiſſe dicit, qui euerſa Troia huc nauigarunt. Silius vero Italicus lib. III. ad Tlepolemum, & ad Lindum Rhodiorum vrbem refert:

Iam

Iam cui Tlepolemus sator, & cui Lindus origo,
Feruida bella ferens Balearis, & alite plumbo.

Isacius verò Tzetzes in Lycophronem refert Tlepolemi socios in Cretam, expugnato Ilio venisse: deinde ventis pulsos, in Ibericas peruenisse insulas, ibique habitasse. Vtraque insula egregiè felix, & fecunda est, & omnis generis armenta ferens. Generosi etiam vini, olim feraces fuisse refert Plinius lib. XIV. cap. VI. *Balearica*, inquit, [*vina*] *ex Insulis conferuntur Italiæ primis.* Oleo carebant olim, quare teste Aristotele lib. de mirandis auditionibus, oleum ex terebintho parabant, sed mitescente solo assidua cultura hodie eo abundant: præter agrum fertilem, non facilè his in locis est reperire noxium vllum animal; immò refert Plinius lib. XXXV. cap. XIX. terram Balearem non secus ac Ebusitanam serpentes necare. Nec cuniculos quidem indigenas fuisse multi asserunt, sed ex vicina insula masculum & femellam aduectos, tanta sobole succreuisse, vt populatis messibus, fame periclitati fuerint, & ab Augusto Cæsare militare præsidium aduersus illos coacti petere, teste Plinio lib. VIII. cap. LV. Auro nec argento olim vsos fuisse testatur Diodorus Siculus lib. VI. & Aristoteles lib. de mirandis auditionibus, nec in insulam inferri passos fuisse, memores, Geryonem Chrysaoris filium, ob diuitias ab Hercule interfectum. Cumque olim Carthaginensibus militassent ex stipendio debito, vinum & mulieres, quarum impensè cupidi, secum attulere; rati sese omnes vitæ insidias facile euasuros, si auro argentoq; caruissent. Memorat & Strabo lib. III. primos omnium mortalium Baleares, Laticlauium induisse, quod & ab Eustathio in Dionysium Alexandrinum, notatum video: mirorq; apud rudes & incultos homines, senatoriæ dignitatis ornamentum primò repertum fuisse. num verò hinc ad Romanos tunica laticlauia peruenerit, nulla mihi ratio suadet vt credam: præsertim cum Plinius lib. IX. cap. XXXIX. refert latiore clauo Tullum Hostilium primum è regibus, deuictis Hetruscis, vsum fuisse, multis annis priusquam Baleares P.R. noti essent. Cl. Iustus Lipsius vnicum rei litterariæ (heu quondam) decus, suis ad me litteris credit Baleares πλατυσείμοις χιτῶσι vsos primum; quas Romani paulò aliter vsurparunt, in lino nempe illi, non in lana: à quibus & Hispani ita vicini sumserunt. de quibus Liuius lib. XXI. *Hispani linteis prætextis purpura tunicis constiterant.* Idem dixerat Polybius, χιτωνίσκους περιπορφύρους gestare. Non erat forsan purpura ea in clauos distincta, nec tam Augusta vt Senatorum laticlauus.

Ad prælia erumpunt inermes, tribus tantùm præcincti fundis circa caput, teste Strabone. Diodorus verò Siculus paulo aliter, vt vna funda caput, altera ventrem cingant, tertia manu gestetur, quibus ita peritè & tanta vi, lapides iactabant, teste Flauio Vegetio lib. I. cap. XVI. *Vt sæpe aduersus bellatores, cassidibus & cataphractis, loricisque munitos, teretes lapides de funda, vel fustibalo destinati sagittis sint omnibus grauiores, cum membris integris lethale tamen vulnus importent, & sine inuidia sanguinis, hostis lapidis ictu intereat.* Primus autem Romanorum hos deuicit Metellus, teste L. Floro lib. II. vnde & *Balearici* illi cognomen. Ridiculum est quod Diodorus Siculus lib. VI. de nuptiali Balearidum ritu prodit: finitis enim epulis, qui altioris inter amicos est ætatis, sponsam imminuit, ceterique prout ætas quemque magis honestat, illi accubat. Omnium vltimò sponso patet accessus. Has insulas Iacobus Aragonum Rex anno M. CC. XXX. deuictis Mauris, Hispaniæ restituit. Nostro æuo omnium rerum copia præsertim vini, oleique egregiè sunt felices. Ex *Maiore Balearidum* ortus *Raymundus Lullus*, ingenii acumine & varia doctrina conspicuus, quem populares sui tanto honore prosequuntur, vt in vicem Aristotelis, iuuentuti illum exponant. qui cum omnium literarum esset expers, ac ne Latinè sciret quidem, multa patrio sermone euulgauit, vbi non tantùm Philosophiæ, quàm rerum diuinarum cognitionem inducit, ita tamen obscurè, vt doctissimi licet, pauci admodum ea capiant. Variè posteritas de iis iudicauit, & vt cuiq; suus captus, alii ea laudare, alii culpare. Illud constat supra quingentos in Religionem Christianam errores, ex iis decerptos, Gregorii XI. Pont. Max. iussu Auenione anathematis ignominia notatos.



NOBILIORES HISPANIÆ FLVVII.

ANAS.



INTER Hiſpaniæ præcipuos amnes iure cenſetur *Anas*, qui corruptè hodie *Guadiana* dictus, tum quòd notiſſimus inter Bæticam & Luſitaniam limes, tum quod magnitudine ſua conſpicuus ſit. Oritur autem, teſte Plinio, Laminitano in agro Citerioris Hiſpaniæ (quem alii *Mancha de Aragon*, alii *Campo de Montiel* vocant) modò ſe in ſtagna fundens, modo in anguſtias reſorbens, aut in totum cuniculis condens, & ſæpiùs naſci gaudens in Atlanticum Oceanum effunditur. nam quum procul ab ortu ſuo ex hominum conſpectu ſe eripiat, per cæcos, & ſubterraneos meatus, ad ſeptem milliaria lucifugus fluit; donec prope *Villaharta* (loci id nomen eſt) iterum in lucem erumpat, maiori vi & latiori alueo. Video tamen has *Anæ* latebras controuerti, & vt fabuloſas à pleriſq; eliminari. Sed Plinio & receptæ paſſim opinioni ſuffragantur Hieron. Giraua, & Hieron. Paul. & Gaſpar Barrerius doctiſſimi Hiſpani, qui in re tam aperta non paſſi eſſent palpũ ſibi obtrudi. Iactitet ſe nunc fabuloſo ſuo *Alpheo* Græcia, quẽ ferũt in Peloponeſo Piſas tranſire, & in Mediterraneum mare influere, nec adulterari pelagi ſalſugine, ſed ſub ima maria, hoſpitales ſuas aquas ſeruare, & in Arethuſam fontem propè Syracuſas refundere: hoc tamen vno, Alpheo *Anas* inferior, quòd Græcorum præconiis caruerit. amnis huius latebræ incolis iocandi materiam præbuere, dum patrio ſermone ferunt, pontem eſſe in Hiſpania, vbi perpetuò plurima armentorum millia paſcantur. Auſonius, vbi de Emerita loquitur, vocat *Anam æquoreum*. Prudentius verò hymno in S. Eulaliam (loquitur de Emerita:)

Quam memorabilis amnis Anas
Præterit, & viridante rapax
Mœnia pulcra alluit.

Feſtus Auienus in Iambis dicit per Cynetas populos fluere:

Ana amnis illic per Cynetas effluit,
Sulcatque glebam.

Sed ſi Ortelio fides aliqua, hallucinatur egregiè Auienus. nam cùm *Cynetæ* circa promontorium Sacrum ſint, multis millibus paſſuum inferius fluere *Anan* in comperto eſt.

BÆTIS.

NObiliſſimum Hiſpaniæ flumen *Bætis*, à quo & prouinciæ nomen inditum, Tugienſi ſaltu exoritur, teſte Plinio. Strabo verò & Stephanus Byzantinus ex argenteo monte, quem Feſtus Auienus *Argentarium* vocat, prope Caſtulonem, dicunt erumpere. Sed idem Strabo ex Oroſpeda monte oriri auctor eſt. Ariſtoteles verò æui ſui ignorantiam ſecutus, lib. 1. Meteorum, vnà cum Danubio ex Pyrenæis montibus putat fluere. Polybius verò vnà cum Ana ex Celtiberia credidit oriri, qui tamen amnes nongentis inter ſe diſtant ſtadiis, auctore Strabone. Modicus autem primo impetu fertur *Bætis*, ſed multis ſtipatus fluuiis, quibus aquas, famamque ingratus aufert, non procul à mari grandem lacum efficit (qui Feſto Auieno *Liguſticus* vocatur: meminit & Suidas *Liguſtici* in Hiſpania; ſed quid eſſet non expreſſit) atque hinc tanquam vno fonte, geminus exoritur, quantuſque vnico alueo venerat, tantus ſingulis ſe mari miſcet: licèt temporis iniuria, alterum eius oſtium quod ad meridiem vergebat, oblimatum nunc ſit. Diſſentit tamen à paſſim recepta hac opinione Cl. V. Ioannes Geneſius Sepulueda, & geminis oſtiis in mare adhuc hodierno æuo dicit erumpere: infra enim Hiſpalim conſtat, quatuor inſulas ab hoc amne effici, ſed duas eſſe præcipuas; alteram XVI. alteram XXVIII. circiter M. P. longitudine patere. *Minor* illa, hæc *Maior*, ab indigenis dicitur, quarum inferiorem Bætis quaſi duobus brachiis complexus alluit: donec Oceano, breui ſinu terras vſq; ad inſulam intranti occurrat; quæ duo brachia, Oceanũ dextra læuaque influentia, veteres duo Bætis oſtia eſſe dixerunt. Hinc Strabo: *Bætis*

biſariam

bifariam partitus, in Oceanum exit; inter cuius ostia intercepta insula, centum, vel (vt quidam tradunt) amplius stadiis à littore distat. Festus verò Auienus triplici se ostio mari quondam infudisse auctor est:

——sed insulam
Tartessus amnis ex Ligustico lacu
Per aperta fusus vndique adlapsu ligat.
Neque iste tractu simplici prouoluitur,
Vnusve sulcat subiacentem cespitem.
Tria ora quippe parte Eoi luminis
Infert in agros, ore bis gemino quoque
Meridiana ciuitatis alluit.

Vulgo *Guadalquiuir*, id est *Fluuius magnus* vocatur, olim verò ab incolis *Cirtium* appellatum, auctor est T. Liuius lib. XXVIII. *Martius*, inquit, *superato Bæti, quem incolæ Cirtium appellant, duas opulentas ciuitates sine certamine in deditionem accepit.* Stephanus verò Byzantinus ab incolis περκὴν scribit vocari, sed perperam vtrobique, vt in Epistolicis quæstionibus obseruauit Cl. I. Lipsius, & *Certim* ex manuscripto Liuio substituit. Fuit etiam *Tartessus* antiquis dictus, vt ex Stesichoro ostendit Strabo, quomodo etiam Aristoteli citato loco dicitur: quibus Stephanus suffragatur, *qui Tartessi* amnis prope vrbem Tartessum meminit, vnde & Festus Auienus in Iambis suis:

——Tartessus
Ager his adhæret, adluitque cespitem
Tartessus amnis.

Isidorus Originum lib. XIII. *Bætis* etymon à βαθὺ deducit, quod scilicet per humilia loca fluat. Sed pace tanti viri, insulsa nimis est etymologia. Et si longinquo non pigeat petere, melius forsan noster Becanus, à Belgica dictione *Baet*, quod vtilitatem designat, *Bætis* nomen deriuat, quia illius aquis commodissimè lanæ inficiuntur, cuius caussa maximè commendantur ab antiquis. Vnde Martialis:

Bætis oliuifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.

Huc etiam allusisse videtur Iuuenalis Satyra XII.

——generosi graminis ipsum
Infecit natura pecus, sed & egregius fons
Viribus occultis, & Bæticus adiuuat aer.

Refert Philostratus lib. V. cap. II. Vitæ Apollonii Tyanæi, *Bætim* Oceani quasi naturam præ se ferre: siquidem increscente Oceani æstu, versus fontes agi, spiritu quodam ipsum à mari impellente, vnde & Statius Papinius Sil. lib. II.

Attollat refluos in astra fontes
Graio nobilior Melite Bætis.

CINGA.

Rapidus potius, quam magnus inter Illergetes Citerioris Hispaniæ populos, est fluuius *Cinga*, à Pyrenæis montibus decurrens, Gallicam Flauiam vrbem, nunc *Fragua* dictam pertransit, & Ibero sociales vndas defert. Meminit huius Iulius Cæsar lib. I. de bello ciuili, qui magno suo periculo eius violentiam expertus fuit. Lucanus lib. IV. graphicè eius mentionem facit:

——camposque coercet.
Cinga rapax, vetitus fluctus & littora cursu
Oceani pepulisse suo: nam gurgite mixto
Qui præstat terris, aufert tibi nomen Iberus.

Eiusdem etiam nominis in Gallia recenset fluuium idem Poeta lib. I.

——quà Cinga pererrat
Gurgite: quà Rhodanus raptum velocibus vndis
In mare fert Ararim.

COGEDVS.

Nisi potissima instituti mei pars esset, loca illa Hispaniæ detegere, quorum apud classicos auctores mentio, *Cogedum* amnem præterire in animo erat: nam & tenuis & obscuri nominis est; sed quia apud Martialē eius est memoria, aliq̃d illi dandū cēsui. Oritur hic prope montem Caunū non procul à Bilbili, & Vobertam prælabitur, quæ

nunc *Bouierca* dicitur, & Saloni se immiscet, hodie adhuc prisco nomine gaudet; licet Benedictio Ariæ Montano apud Ortelium, *Rio de Codes* dicatur. Martial. lib. I. Epigrammat. ad Licinianum de Hispaniæ locis eius meminit his versibus:

Tepidi innatabis lene Congedi vadum
Mollesque nympharum lacus.

Gaspar Barrerius vocat hunc amnem *Cogedum*, & versum hunc Martialis hoc modo censet legendum:

Tepida natabis lene Cogedi vada

Sed perperam: nam otiosa esset dictio *Lene*.

DVRIVS.

DVrius ex maximis Hispaniæ amnibus, ortus in Pelendonibus, teste Plinio, & iuxta Numantiam fluens, dein per Arreuacos, & Vaccæos lapsus, disterminat ab Asturia Vettones, & à Lusitania Gallæcos: in Oceanum Atlanticum multis fluminibus auctus procurrit. Straboni δώριος; Ptolemæo vero δώρις; Appiano in Ibericis δώριος vocatur, nostra vero ætate incolis *Duero* dictus. Isidorus lib. XIII. cap. XXI. *Durium* a Græcis, quasi *Doricum* cognominatum dicit. Amnis est egregie piscosus, & optimas alosas, & lampetras (quas *muranas fluuiatiles* nonnulli vocant) & salares; magna frequentia fundit, Sed præcipue clarus olim ob auriferas arenas, quod & Silius Italicus cecinit lib. I.

Hinc certant Pactole tibi, Duriusque Tagusque.

Licet nostro æuo ob accolarum inertiam admodum raro inueniantur.

IBERVS.

PIaculum pene esset *Iberum* præterire nobilissimum Hispaniæ amnem; quippe qui toti prouinciæ, *Iberia* nomen dedit, vt multis placuit, qui teste Plinio lib. III. cap. III. *Nauigabili commercio diues, oritur in Cantabris, haud procul oppido Iuliobriga. CCCC. L. M. P. fluens, nauium per CC. L. M. P. à Varia oppido capax.* Idem tamen exactius lib. IV. cap. XX. à portu Victoriæ Iuliobrigensium fontes Iberi XL. M. P. abesse scribit: Florianus vero Occampius pensiculatius eius exortum rimatus, dicit non procul ab *Aguilar del campo* (loco id nomen est) Iberum binis fontibus scaturire, & ab incolis locum indigetari *Fontible*, quasi Iberi fontes dicas. multis hic stipatus fluminibus, à septentrione in austrum fertur, cum cæteri Hispaniæ fluuii ab ortu in occasum delabantur. in caussa est *Iubeda* mons, à quo in occasum ire prohibetur, vnde in austrum necesse se flectit, multas & illustres præteriens vrbes, infra Dertosam, indignanti similis, mari se infundit, tanto quidem impetu vt vltra quinquaginta passus Mediterranei maris salsas vndas edulcoret. Nobilitatus etiam Luctatii Catuli fœdere, quo inter potentissimos populos, Romanos & Carthaginenses, vtriusque imperii terminus est statutus: vnde prima Hispaniæ diuisio, *Vltra Iberum & Cis Iberum* manauit. Sed & præter hunc Iberum amnem, alterius in eadem Hispania meminisse videtur Fest. Auienus, & in Bætica statuere. nam cum multa de Tartessiis dixisset, subdit:

Iberus inde manat amnis, & locos
Fœcundat vnda: plurimi ab ipso ferunt
Dictos Iberos, non ab illo flumine
Quod inquietos Vascones prælabitur.

Vnde forsan Florianus Occampius Bœticæ fluuiolum *Rio Tinto*, vocatum olim fuisse dicit *Iberum*.

LETHE.

NON tam aquarum gloria, quam priscorum fabulis celebratus est *Limia* Lusitaniæ amnis, Græcis λήθη, vt & Silio Italico *Lethe* vocatus; Pomponio Melæ & Plinio *Obliuionis flumen* dictum: Francisco Taraphæ, & Hieronymo Paulo libello de fluminibus Hispaniæ, *Eunemius* vocatur; sed parum exacte, cum secundum Plinium lib. IV. cap. XXII. *AEminius* sit dicendus, cuius hæc sunt verba: *A Minio, quem supra diximus CC. M. P. (vt auctor est Varro) abest AEminius, quem alibi quidam intelligunt, & Limeam vocant, Obliuionis antiquis dictus, multumque fabulosus.* Strabo ex Celtiberis & Vacceis dicit *Limeam* fluere, sed ab Andrea Resendio erroris conuincitur, qui refert ex palustribus quibusdam locis, inter Aquis, Caldensem vrbem & oppidum Monteregiū erumpere, cuius

cuius accolas olim *Limicos* ex vetusto lapide docet vocatos. Sed vnde fabularum origo, & *obliuionis* nomen? refert Strabo, Celticos Lusitanos & Turdulos, cum sociis armis adhæc loca peruenissent, traiecto Limea exorta seditione ducem amisisse; quare palantes & vagos, proximas amnis ripas occupasse, oblitosque expeditionis susceptæ & iniuriarum, amni nomen *Obliuionis* indidisse. Vanum hoc nomen, vanior deinde religio auxit, cum passim percrebuisset his aquis epotis obliuionem incurri, adeo vt Decius Brutus, omnium ore ferretur, quod primus tantopere formidatum militibus flumen traiecisset, vt testantur Appianus lib. de bello Iberico, L. Florus lib. II. cap. XVIII. & Plutarchus in Quæstionibus Romanis. Auri etiam grumulos, vt pleraque Hispaniæ flumina suis vndis, commixtos defert. Vnde Silius Italicus lib. II.

Quique super Grauios lucentes voluit arenas,
Infernæ populis referens obliuia Lethæ.

In Bætica etiam fluuiolus est, *Guadalete* dictus, quem Florianus Ocampius nuda nominis similitudine allectus, *Lethem* etiam indigetat, quasi flumen *Lethem* dixeris.

MINIVS.

MAximum esse Lusitaniæ flumen Minium, auctor est Strabo; Plinio vero, & Melæ Tarraconensis est prouinciæ, & per Bracaros fluit. Posidonius hunc è Cantabris oriri dicit, insulamque ante eius ostium vna cum binis scopulis refert procumbere: sed nullum huiusce rei hodie vestigium exstare ferunt. Strabo etiam *Banim* ait vocatum, seu vt Hermolao Barbaro placet, *Nabim*. Pomponius tamen Mela, *Nabium à Minio* diuersum statuit. miror ego vbi Æthico mens fuerit, dum Minium prope Pyrenęum nasci, & in orbem verti ait, vt Brigantium maritimam vrbem includere asserat, cum multis millibus à Pyrenæis oriatur, nec Brigantium, quod inter Callaicos Lucenses est, vlla ex parte attingat. Iustinus libro vltimo à *Minii*, venis, & colore ita dictum amnem credit, vt & Isidorus lib. XIII. Etymol. & cum paucorum fluminum aquas recipiat, natiuis tamen vndis ita diues, vt IV. M. P. ore spatiosus in Oceanum influat, teste Plinio. amnis est egregiè piscosus, præcipue vero prægrandes asturiones nutrit.

MVNDA.

INter Durium & Tagum non inglorius fertur *Munda*, æquis ab Vtroque spaciis distans qui & *Muliadas* Straboni vocatur, hoc æuo *Mondego* indigenis dictus; nec ipse auriferæ arenæ gloria caret; licet incolarum inertia, raro admodum nunc inueniantur. Conimbricam, sacram Musis vrbem, lato alueo præterfluit, & ponte firmi & egregii admodum operis transitur, nec procul ab ipsa vrbe mari commiscetur; agris non inutilis & piscosus affatim, sed vbi vel largiori imbre, vel hybernis niuibus augetur, ad insaniam vsque excrescit, & late per adiacentes campos magna cum strage.

Sternit agros, sternit sata læta, boumque labores
Præcipitesque trahit siluas.

SALO.

INter Hispaniæ amnes, clarus admodum est *Salo*, qui licet nec lato alueo tumeat, nec auriferis arenis superbiat; nulli tamen cedit ferri gloria: omni enim ferro ipsius aqua est violentior. Aquæ enim temperamento, ferrum acrius robur, & miram duritiem acquirit: vnde Martialis, vbi de Congedo amne egit, subdit.

Quibus remissum corpus astringens breui
Salone qui ferrum gelat.

Et libro V. Epigr. VI. vbi de Bilbili:

Quam fluctu tenui sed inquieto
Armorum Salo temperator ambit.

Num vero hic sit idem amnis qui Iustino libro vltimo *Bilbilis* vocatur, vel vt manuscripti aliqui *Byrbilis*, non abhorret anim⁹ vt eredam, præsertim cum illi maximam ferri temperiem adscribat; *adeo vt nullum apud eos telum probetur*, inquit, *quod non aut Bilbili flumine, aut Chalybe intingatur*; que certe *Saloni* nostro in primis quadrant. nullus enim præter *Salonem* ferri gloria in Hispania notior est, nec ea de caussa magis celebris. Potuit enim ab adiacente vrbe *Bilbilis* vocari. Vnde mihi nata suspicio non incomodum apud Iustinum legi posse: *Quod non aut Bilbilis flumine*, vt nomen fluminis prætereat, vrbem vero ostendat. Sed Lectori hoc dispiciendum relinquo.

SICORIS.

ILergetum est amnis *Sicoris*, inter Ceretanos ortus, & Ilerdam, nobilem & validam vrbem præterfluit: notissimus bello, quod inter Cæsarem, & Pompeii duces, Petreium & Afranium, circa illum gestum fuit, vnde Lucanus:

Hesperios inter Sicoris non vltimus amnis
Saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu
Hybernas passurus aquas.

Vocatum fuisse & *Sicanum* quondam hunc amnem, non obscure coniicias, vnde & accolæ *Sicani* dicti, qui Siciliæ olim *Sicania* nomen indiderunt, vt testatur Dionysius Halicarnassæus lib. I. & Thucydides lib. VI. *Veritas*, inquit, *Sicanos arguit Iberos esse, oriundos à flumine Sicano, quod in Iberia est; à Ligyis eiectos, & ab his tunc dictam Sicaniam insulam prius Trinacriam nominatam.* Idem sentit etiam Silius Italicus lib. XIV.

Vomere verterunt primum noua rura Sicano.
Pyrene misit populos. qui nomen ab amne
Ascitum patrio, terræ imposuere vacanti.

Quæ omnia de *Sicori* dicta eius facilius crediderim, quod nullus in Hispania locus sit, cui magis hæc aptari possint. Vocatur hodie incolis *Segre*, & auratas etiam arenas Oceano deferre, testantur Franciscus Tarapha, & Lucius Marineus.

SVCRO.

INter Cōtestanos Citerioris Hispanię populos non procul à Valentia *Sucro* amnis labitur, ex Orospedanis montibus originem trahens, hodie *Xucar* vocatur. Silius Italicus inter Sedetanos videtur ponere, cum ait lib. III.

Sedetana cohors, quam Sucro rigentibus vndis.

Sed nulla re clarior, quam Sertorii circa illum clade, vbi & castris à Pompeio exutus fuit. Vt testatur Sallustius in Epistolæ fragmento à Pompeio ad Senatum missæ. Ab hoc etiam amne *Sinum Sucronensem* dictum testatur Pomponius Mela: eiusdem etiam nominis oppidum eodem in tractu commeminit cum Strabone T. Liuius.

TVRIA.

NON procul à Valentia Edetanorum, Turia amnis labitur, amœnissimos eius agros irrigans, & omni delitiarum genere fęcundans. Vnde merito à Claudiano lib. de laudibus Serenæ *formosus* dicitur:

——*& roseis formosus Turia ripis.*

In eius nomine variant Scriptores. Pomponius enim Mela lib. II. *Duriam* vocat: sic etiam Cicero in oratione pro Cornelio Balbo, *Acerrimis*, inquit, *illis præliis, Sucronensi & Duriensi interfuit Balbus.* Plinii vero exemplaria variant, nunc *Turium*, interdum *Turiam* vocant. Potior tamen scriptorum pars *Turiam* vocat: ita enim in fragmentis historiarum Sallustius, & Plutarchus in Sertorio. Amnem hunc eundem esse cum *Turuli* Ptolomæi, non male coniiciunt Hermolaus Barbarus, & Iosephus Moletius: & situs suadet. Hieronymus Paulus ita dictum ex quorundam opinione dicit, à Phœnicibus, qui tempestate amnis huius ostiis appulsi, multitudinem boum conspicati, *Turiam* vocarunt, quod illis patrio sermone *Turbos* esset. alii vero à dictione θοῦρος dictum putant, quæ celerem & impetuosum denotat.

TAGVS.

TAm apud Græcos quam Latinos scriptores *Tagi* nomen illustre fuit, adeo vt cum Marone dicere liceat,

Cui non dictus Hylas?

Oritur autem nobilissimus hic amnis in Celtiberis, teste Strabone, & per Vettones, & Carpetanos lapsus Toletum, præpotentem vrbem pene circuit, tandem Lusitaniam mediam secans, pleno alueo sub Olisiponensiū mœnibus Atlantico pelago infunditur. Quid in mentem Isidoro lib. XIII. venerit, de *Tagi* etymo, lubet potius admirari, quam inscitiæ illum arguere: *Tagum*, inquit, *fluuium Carthago Hispaniæ nuncupauit, ex qua ortus procedit, arenis auriferis copiosus, & ob hoc ceteris fluuiis prælatus.*

Sed

Sed vnde *Tagi* etymon à *Carthagine* deducit, aut quidnam *Tago* cum *Carthagine* commercii? nam procul admodùm à noua Carthagine, oriri ex Strabone iam dictum. fama illi præcipua ex auri arenis, grumulisque, quos tanquam telluris spolia Oceano defert. Vnde Iuuenalis:

Omnis arena Tagi, quodque in mare voluitur aurum.

ceterique passim Poëtæ, quos recensere operosum esset. Mela verò non aurum solum, sed & gemmas illi asscribit, lib. III. cap. I. his verbis. *In altero* [*sinu*] *Olysipo & Tagi ostium, amnis aurum gemmasque generantis.* Mirantur multi, celebris illius & passim vulgatæ auri famæ rara adeò exstare vestigia. Caussam refert Andreas Resendius. Lege cautum id scrutari, ne commotis arenis, depressiores frumentarii agri aquarum illuuiem patiantur, in fidem tamen vetustæ gloriæ, Lusitanorum Regum sceptrum ex Tagano auro conflatum, quo purius nullum reperiri possit.

F I N I S.



INDEX
RERVM MEMORABILIVM, QVAE CONTINENTVR IN HOC IV. TOMO rerum Hispanicarum.

A



S s

B

F

G

Iesun-

L

M

N

O

Oci-

S

F I N I S.

CHARTARVM SERIES ET ORDO.

(?) A B C D E F G H I K K3 L M N O P Q R S T V X Y Z
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss.
(?) N O P Q R duerniones
ceteræ omnes terniones.

Error in numeris non te turbare debet dum à pag. 124 ad 135. et à 142 ad 153. & à 160 ad 185. fit saltus.
Contigit id nobis inuitis: operi vero nihil deest.

IOANNIS MARIANÆ HISPANI E SOC. IESV

HISTORIÆ HISPANICÆ APPENDIX.

LIBER *scilicet* XXI. *& nouem ceteri ad* XXX. *vsque, qui viginti illos in Tomo hoc II. Rerum Hispanicarum ordine sequuntur.*

Additus & his est suus INDEX.



FRANCOFVRTI,
Apud Claudium Marnium, & hæredes Ioan. Aubrii.

M. DCVI.

IO. MARIANÆ HISPANI, E SOCIETATE IESV,

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ,

LIBER XXI.

Bellum Aragonium. *Cap. I.*



VIEVERAT Hispania superioribus annis bello fessa, Regibus inter se multiplici cognatione atq; affinitate deuinctis. Cum Mauris Granatensibus induciæ fuerant, aut modicè lacessita pax. studium non deerat ardens impiæ gentis opprimendæ intestinis factionibus, & dissidiis tumultuantis, pronæq; in exitium. Nouum hac tempestate bellum exortum est inter Reges Aragoniæ, Vasconum, atque Castellæ maiori conatu quàm successu. Huius belli causas, & originem euentumq; scribere pergimus, alternantisq; fortunæ ludos atque Aluari è fastigio casum quo secūdo præcipitare cœpit, malorum omnium, & dissidiorum concitator præcipuus. Partam is malis bonis artibus potentiā quacumque ratione tueri constituens, quamprimum in curiam rediit, proceres quos nouis officiis placare debuit, ii vt ab aula pellerentur & prosè quisque domos abire cogerentur, auctor Regi extitit: pessimum consilium, exitialeq; ipsi imprimis consultori futurum. Velascus, Stunica, Pimentelius, Magistri Calatrauæ & Alcantaræ cognita Regis voluntate discesserant. Supererant Aragonii fratres maiori auctoritate & potentia, quàm vt facile euerti possent. In hos etiam pari temeritate est factus impetus. In Vasconem primum, quem in regnum amandandum vulgus, sed & maiori auctoritate homines clam & in circulis disputabant. Sua eum negligere, curare aliena pari vtrunq; vitio vituperationeque. Hæ voces non ingratæ Aluaro, non ingratæ Castellę Regi erant, pro ingenio Principum æqualem honore in ditione non ferenti. Missi qui Castellæ Regis verbis profectionem denunciarent. Blanca etiam vxor tempestate prouisa, de viroque solicita, legatum miserat Petrum Peraltam, qui profectionem vrgeret. Sic omnes regni ordines flagitare. id priuatim, id publicè fore salutare. Ægre Vasco Aluari machinationes tulit. parendum tamen necessitati iudicans, Castellæ Regem Vallisoleti conuenit, vbi conuentus regni erant. Fœdus inter Reges Castellæ, Aragoniæ, & Vasconum instauratur. Scribuntur conditiones: iureiurandoq; à duobus Regibus confirmantur. Idem vt Aragonius faceret, earum conditionum exemplum ad eum mittitur, legato in eam rem Diegho Franco iureconsulto. Rebus ad hunc modum constitutis, Vasco quidem in regnum abiit: Aragonius autem tempus extrahendo Franci conatus diu ludificatus, tandem Barcinone respondet, eas sibi conditiones non placere: videri quædam immutanda. simul idoneum hominem nactus occulta ad Aluarum mandata dat: Petrum Manricum omnium dissidiorum esse facem: in omnes se facies vertere, varios subinde colores assumere mobilitate ingenii rerum nouarum cupiditate. si se, si res, si Regem saluos vellet, quàm primùm submouendum videri: neque permittendum, vti ad aliquam reipubl. partem accederet. In alia parte Alfonso Arguello Cæsaraugustano Præsuli vincula sunt iniecta. de exitu non vna opinio fuit, aliis in flumen præcipitatum, aliis gulam fractam dicentibus. idem de aliis ciuibus Cæsaraugustanis factum. initæ cum Aluaro societatis crimen obiectum: re nimium pacis studiū exitio fuit, cum Castella ante pactæ: libertasq; loquendi. Regem cogendum, conuenta pacis seruare: ne regiæ temeritatis respub. pœnas daret. Barcinonis Episcopus Franciscus Clemens in Arguelli locum renunciatur. simul cum Rege Vasconum iniurias bello vindicandi Aluarique euertendi consilia communicantur. Henricum fratrem Aragonius ad se euocat, principio mensis Aprilis salutis anno MCCCCXXIX. duorum fratrum colloqui-

Hæc annectenda pag. 801. tom. 2. Rer. Hispanic.

1429. um Turuli habitum. de inferendo Caſtellæ bello, ſociandiſq; viribus agitatum euentus docuit. Vaſco colloquio non interfuit, regni variis curis implicitus, ipſaque regni inauguratione. quod eatenus factum non erat, Pompelone Maii menſis Idib. Rex & Regina regiis inſignibus deſumptis, atque Gotthorum inſtituto, duobus clypeis militaribus procerum humeris ſuſtentati, Reges proclamati ſunt. In vtraq; prouincia delectus militares occultè habiti. ſpecies erat rebus Gallicis opem ferendi: re Caſtellæ arma inferre parabant. Id non latuit Caſtellæ Regem. miſſis vtrinque legationibus nihil profectum eſt. Reges Hariſam accedunt, (quod oppidum veteribus Arci fuit in Areuacis) ea parte in Caſtellæ fines incurrere deſtinantes. à Sandoualio Caſtri Comite, Pennafielis municipium præſidio militari munitur. eodem Petrus Aragonius Medina Campeſtri aduocatus venit. Contra hos conatus Caſtellæ Rex ingentes delectus habere tota prouincia. proceres nominatim euocare, imprimis Henricum Aragonium, & Fridericum Caſtrium Arionæ Ducem (Friderici is nepos erat D. Iacobi militum Magiſtri.) Nouo ſacramento cuncti ordines in verba Regis adacti, fortem & fidelem operam eo bello nauaturos: indicaturoſq; ſi qui contra molirentur. Additæ execrationes ſi fidem fallerent, expiando ſcelere Hieroſolymam nudis pedibus ituros. iuriſiurandi gratiam concedi, petituros nunquam. Palentiæ menſe Maio extremo, conceptis de ſcripto verbis in Regis verba iurarunt, primus Aluarus Luna, Contrerius Toletanus Præſul, Lupus Mendoza Compoſtellanus Archiepiſcopus, Fridericus maris Præfectus, Ludouicus Cerda Medinæ Celinæ Comes, Calatrauæ & Alcantaræ Magiſtri, Guterrius Toletus Palentinus Epiſcopus, Stunica, Manricus, Pimentelius, Sarmentus, Ioannes Touarius Valeranicæ regulus, proceres alii magno numero Regem ſecuti, quò fidē obſequiumq; probarent prompta celeritate certantes. ex eo numero quatuor continuo finibus tutandis Duces præfecti: Aluarus ipſe, maris Præfectus, Petrus Manricus, atque huius gener Petrus Velaſcus. duo equitum millia ſequebantur, nomen magis exercitus, quàm robur Aragoniis viribus par. Stunica modico interuallo ſequi iuſſus cum noua equitum manu. Rex cum multò maxima copiarum parte Pennafielem oppidum expugnandum ſuſcepit. admota mœnibus caſtra: voce præconis oppidani ad officium inuitati: ſi reſiſterent, morarenturq;, reos maieſtatis futuros. facta deditione, Petrus Aragonius, Comeſque Caſtri in arcem ſe receperunt. oppidanis quod non continuò portas aperuiſſent data venia. arci vim admoueri non eſt viſum, ne in longum obſidio duceretur. Reges Aragoniæ & Vaſconum in Caſtellæ fines irrumpentes ad Cogolludium, quod oppidum in Carpetaniæ, & Areuacûm finib. ſitum eſt, loco plano, & patenti poſuerunt caſtra: Caſtellæ Duces in colle ſex fermè inde paſſuum millibus: Aragonii, & Vaſcones ad duo millia & quingenti equites erant, pedites mille, egregiè armati, & multis bellis exerciti. in Caſtellæ caſtris, mille ſeptingenti equites numerabantur, pedites quadringenti. Reges pugnandi cupiditate, proxima luce ipſis Iulii Kalendis die Veneris inſtructas acies promouent pauca pro tempore milites cohortati, per agmina atq; manipulos. Paucorum ſcelere conuulſam rempubl. euerſas leges, ſanctitates violatas. Se quos maximè rebus perditis patrocinari conueniebat, patria pulſos, bonis ſpoliatos, liberis, coniugibus, amiciſq;. Mutui commercii ius ſublatum. Ne factam quidem poteſtatem Caſtellæ Regē conueniendi, eum monendi, ſeq; excuſandi. neceſſariò ad arma ventum. In eius pugnæ euentu publicam pacem, ſalutem vtriuſq; gentis, dignitatemq; verſari. proinde parati intentiq; eſſent, ſigno dato, hoſtes inuaderent. Si plures eſſent, aduerſus tamen inerme hominum genus, atque imbelle pugnare, quid vetaret? eo armorum vſu eſſe, ea ſcientia pugnandi. Nunc numero & virtute præſtatis. nulla illis caſtra ſunt, nulla munimenta. Præclari numina facinoris caſum dant, nobis propitia, hoſtibus eripuerunt mentem. Audete ergo, atque hoc die omnes victorias, labores, gloriamq; confirmate. Ventum in conſpectum erat: cum Aluarus cognito periculo carros copiis circunduci mandat, niſi de ſuo loco non pugnare conſtituens. Ab Henrico Manricoq; in colloquium ventum. probra inuicem iactata, nihil aliud. Expedita vtrinque arma. leuia certamina committi cœpta. cū Cardinalis Fuxenſis inter vtraſq; acies oberrans, nunc hos, nunc illos monendo peruicit tandem, vt quoniam multum diei proceſſerat, in proximam lucē certamen reiicerent. Vna nox interpoſita ſaluti fuit. Aragoniæ Regina virilis animi fœmina in caſtra delata, erecto in ipſa planicie tentorio medio inter vtraſque acies, pacem honeſtis conditionibus compoſuit. quas poſtquam Caſtellæ Duces iureiurando cōfirmarunt, ab armis eſt diſceſſum. Caſtellæ copiæ iis locis ſubſtiterunt. Aragoniæ, & Vaſconū Reges ſeſe retro ſine maleficio retulerunt. Henricus Aragonius, qui diebus ſuperiorib.

Toletum

Toletũ fraude tentarat, ac tantùm non ceperat; cùm is cõnatus fruſtra fuiſſet, ſeſe ſub ipſum pugnæ tempus fratribus iunxerat. Seguntia Vrceſiam abiit, pactæ pacis ſpe tutus: aut ſi id non contingeret, factionis viribus nouos concitaturus motus. Feſtinabat cum copiarum robore Caſtellę Rex, equites decem amplius millia, pedites ad quinquaginta millia ſub ſignis habẽs. Aragoniæ Regina, Fuxenſis Cardinalis accedunt: pactæ concordiæ monent, hortanturque vti diſcedat ab armis. Ille ſpe ferox, & vindictæ ſtudio ardens negat iniuſſu ſuo pactas conditiones fore ratas. Regum inſolentiam malo vindicandam. Ad Belamaſanum in Durii ripa caſtra erant: cùm Fridericus Arionę Dux Traſtamarę Comes eò delatus in vincula duci iuſſus eſt: atque in Penafielis arce, quę in poteſtatem venerat cuſtodiri: vbi proximo anno deceſſit, meliori exitu dignus, ſiue ætatis commiſeratione, ſiue regia propinquitate, ſiue quod nulla expectata fide ad Regem venit: conſcientia credo fretus, aduerſus maieſtatis quod obtendebatur crimen, cum Aragoniis fratribus conſpiraſſe. & eſt diſcordia ciuilis multarum ſuſpicionum mater, innocentiæ ſæpè aduerſa: boni quàm mali ſuſpectiores ſunt, præſertim ſi otium amant. Sepulcrum eius in monaſterio, cui Beneuiuere nomẽ eſt, prope Carrionẽ in Vaccęis cum inſcriptione cernitur, à Petro Ruizio Sarmẽto ſororis filio, primoq; Salinarum Comite poſitum. In Aragonios ſubinde fines penetratum eſt. ingens trepidatio, pauorq; eo tractu: ſimul fuga agreſtium, pecorumq; in munita loca facta. deſertis pagis iniecti ignes: vaſtati agri. Hariſam promota caſtra, iis locis munitum oppidum operibus, arceq; arduo in colle poſita. fugientibus in eam arcem incolis oppidum direptũ incenſumq; magna ex parte. Quo tẽpore quaſi in omnes partes ſigno dato in Vaſconũ etiã fines non vno loco irruptiones factæ. à Petro Velaſco Vincentii fanum vi expugnatũ, incenſũq; eſt: quoniã retinere nõ ſperabãt arce in fide veteri perſtãti. Ab Epiſcopo Calagurritano, & Diego Stunica fratris filio Guardia oppidum, & arx coniũcta præſidiis occupantur. Beneuentanus cum copiarum parte Henrici Aragonii oppida, vti iuſſus erat, carpere non deſiſtebat. Henricus Ocania deſerta Seguram abiit, quæ arx ad Portugaliæ fines Anãq; pertinet: vxoreque in ea arce relicta, ipſe caſtra Iulia feſtinauit, ſi cæteris amiſſis oppidis ea parte iniurias vindicare poſſet. præſto Petrus Aragonius fuit Medina Campeſtri metu tempeſtatis in ea loca delatus, magno iuuenis animo, præcipua rei militaris ſcientia, bello Neapolitano comparata.

Belli Finis. *Cap. II.*

SATIS profectum videbatur ſiue ad nominis exiſtimationem tuendã, ſiue ad iniurias vindicandas, Aragoniorum, & Vaſconum audacia caſtigata, vexatis finibus. Hariſæ arci aſsidere longum erat, exiguum moræ pretium. ergo à Caſtellæ Rege copiæ Medinam Celinã reductæ ſunt, victoria lætiores, quam præda. regni fines validis ea parte pręſidiis firmati: reliquę copię in hiberna ſunt dimiſſę. Rex Medinam Campeſtrem ad regni conuentus feſtinauit, autumno præcipiti. eius diſceſſu, hoſtibus animus creuit. Vaſco ad regnum tutandum abierat: Aragonius copiis contractis in Caſtellæ agros incurrit: qua parte Soria in Celtiberis ſita eſt. Deſa oppidum improuiſò captum: arces Ciria, & Borouia in poteſtatem redactæ ſunt, atq; Boſmedianum Præfecto pręſidii venali. magna pecoris & frumẽti pręda fuit. multi mortales in captiuitatẽ acti. copię vnde venerãt Calataiubam incolumes rediere. Ad fines Portugalię, qua parte Anas decurrit, ab Aragoniis fratribus maiori licẽtia direpta pecora, quibus ea regio abũdat propter lætiſſima paſcua, atque in Portugaliam miſſa. eorum conatibus comprimendis par Beneuentanus non erat. eò Aluarus contendit euocato etiam Petro Pontio Marchienæ regulo in Bætica præpotenti copioſoq;. actum de præda per feciales: nihil præter verba datum à Luſitano Rege, ex arcano Caſtellæ calamitate lætãte, motibuſq;, regno, quod occuparat, firmando opportunis. Addita noua ab Aragoniis fratribus iniuria eſt. cùm pares ſe Aluaro fore non ſperarent, Caſtra Iulia, combuſtis ſuburbiis muniũt: ipſi finitimum Luſitanis Alburquerquium improuiſò aduẽtu occupãt. graue id detrimentũ viſum eſt, prouidentibus, ne ſe Luſitani eius oppidi poſſeſsione munirent, nondum cum ea gẽte ſtabili pace facta. Rex eò accurrendum iudicauit Aluari accitu: quo maior eſſet auctoritas, & confecti belli laus, penes ipſum eſſet. longè aliter accidit. Caſtris Iuliis, & arce Muntangio quamuis ex deditione captis, Alburquerquium non potuerunt redigere in poteſtatem. Sic relictis ea parte Alcantaræ magiſtro, & Ioanne Petri Pontii filio, Rex & Aluarus Medinam Campeſtrẽ redierunt. Noua ad Arauianæ planiciem, quæ ad Cauni montis radices protenſa eſt, altera iam Caſtellæ calamitate locus infauſtus, clades accepta ipſo Diui Martini feſto die à Mendozio cognomento Caluo cum quadringentis Vaſconibus equitibus,

Enecus Mendoza Fitæ regulus cum minori numero obuiam progredi auſus victus acie, cęteris fugatis omnibus, ipſe cum paucis occupato tumulo euaſit. pauci interiere, pleroſq; velocitas fugæ, regio ignota hoſtibus, noctis tenebræ tutatæ ſunt. Caſtellæ conuen-
1430. tus Medinæ Campeſtri erant, principio anni milleſimi quadringenteſimi trigeſimi. Catalaunorum Dertuſæ vtroq; Rege præſente. ſumma difficultas erat pecuniæ in ſubſidia belli redigendæ, quod diuturnum fore putabant. Aragonii reditus exigui: Caſtellæ opes aulæ ſūptibus exhauſtæ. Et eſt frugalitas Principis, inſtar vectigalis maximi, bello paceq; ſufficientis. vtrobiq; de fide procerum diſceptatum. Aragonius Fridericum Lunæ Comitem ſanare cupiebat, ad hoſtes reſpicientem (erepti regni dolor vrebat: inconſtantem iuuenis animū leuiſsimi homines in ſpem vindictæ, & maiorum opum cum Caſtellæ auxilio erexerant) fruſtra ea cura ſuſcepta. ditio, quam ampliſsimam obtinebat, publicatur. idem à Caſtellæ Rege, de Aragoniis fratribus factitatur. niſi quod eorum oppida, ſolita profuſione, an quo reſtitutionis ſpes nulla eſſet, aliis proceribus attributa ſunt. Magiſtri D. Iacobi ditio Aluaro quaſi ſequeſtro commendata. Harum municipium Velaſco, Ledeſmia Stunicæ, vtriq; Comitis nomine Petro Manrico Paredes, Pimētelio Beneuētano Maiorga, Petro Pontio Medinilla, Eneco Mendozio oppida Catharinæ Principi ad Caracam data, Guterrio Toleto Palentino Epiſcopo Alba in Salmanticenſi agro ſita. aliis alia oppida data. vnde noui extitere in Caſtella principatus, mutatis nonnulli familiis & poſſidentium cognominibus ad noſtram ętatem perſtātes. Friderico Lunæ Comiti ex Aragonia profugo, atque per idem tempus Medinam Campeſtrem delato principales honores habiti ſunt. Cuellar & Villaloniū donata prius, deinde Ariona, vnde familiæ ſumptus ſeq; toleraret. Eleonora Aragoniæ Regina Tordeſillam euocatur: atque in Diuæ Claræ Virginum collegio includitur: arces etiam tres, quę ipſius pręſidio tenebātur, iuſſa tradidit: ne filiis re, aut conſilio opitularetur, prouiſum ſcilicet. Burgis tamen id mutatum ſubeunte poſt factum humanitatis memoria: & quoniam iniquum erat filiorum peccata parentis pœna lui. reddita ergo libertati, arceſq; reſtitutę ea lege, ne filiorum cauſam eo bello iuuaret. Multum in eam rem legatio à Luſitano miſſa contulit. quod de induciis inter Reges Caſtellę & Aragoniæ petebatur, dum dati vtrinque arbitri de pacis conditionibus diſceptarent, ſtatuerentque, re nondum matura denegatum. Peninſulę die Dominico Palmarū quinto Idus Aprilis, & proximo die Iouis è tumulo Benedicti Pōtificis tantum odoris afflatum ſuauiſſimi, vt totam arcem perfunderet. ſic nonnulli ſcriptores tradunt, gratia potius, quam ex fide, ſic arbitror. mouit tamen ea opinio Ioannem Lunam vt patrui corpus Illuecam transferendum curaret, ſuę ditionis oppidum: ea tamen lege, vt profano ſepulchro compoſitum funeris honore careret. id contumacię ſupplicium fuit. Erat Caſtellę Rex bello parando intentus. magniſquè delectibus numeroſas copias contraxerat, maiori impetu parans in Aragonios fines incurrere. ſimul Friderico maris Præfecto mandauit claſſe inſtructa Aragoniæ ditionis litora, & maria infeſta hoſtibus vt faceret mota caſtra: Vxamamque pèruentum. Aragonius Turiaſone bellum comparabat: Vaſco Tudelæ, maiori conatu quam ſucceſſu: quod vtraq; gens eam militiam quaſi impiam infauſtamque auerſabatur, collato conſilio, miſſi in Caſtellam legati Vxamam appulere ad octauū decimum kal. Iulii. datus continuo Senatus: Ilerdæq; Epiſcopus Dominicus legationis princeps, facta dicēdi poteſtate, quāta beneficia Caſtellæ Regum in Aragonios extitiſſent, accurata oratione explicuit. eorum beneficiorum memoriam fore perpetuam. Procerum quorundam fraudibus, qui regiis auribus & facilitate abuterentur, & propinquis ſubmotis regnum ipſi conſtituere cogitabant, præſenti gratia tumidi, & malis artibus ambitioſi, vt ne Regis quidem conueniendi facerent poteſtatem, compulſos arma ſumere. poſituros libēter modo æquis conditionibus. quanta hominum cædes, quanta vniuerſæ gentis calamitas conſecutura eſſet, ſi omnibus copiis decertarent, neminem ignorare. gladios ſemel cognato ſanguine delibutos haud facile elui. Peremptorum manes per domos & familias vagari, furoremq; animis iniicere. Epiſcopi oratione perſtricti proceres Caſtellæ Aluarus & Beneuētanus pro ſe & cæteris reſpondent. ventum ad iurgia: & rixę initium quæri videbatur. Raymūdus Perellus è legatorum numero ſe offert ſingulari certamini væcordia ferox, ſiquis experiri armis, & contra diſputare audeat. ſed præſente Rege non vltra verba proceſſum. Solutus conuentus. legati tamen Aragonii Caſtellæ proceres ſigillatim ambiendo, ſolicitando perpulerunt, vti ad fœdus animos inclinarent. Caſtellæ caſtra ad Garai pontem erant, vbi vetus Numantia fuiſſe ex regionum interuallo magis quàm vllo antiquitatis veſtigio creditur. inde ad Magianum progreſſum. eo loco magna legatorum contentione impetratum, vt induciæ inter Reges eſſent. Aluarus & Lupus Mendoza Compoſtellanus Epiſcopus deſignati

ſignati qui cum Regum legatis de conditionib. diſceptarent. Induciæ tādem quinquennes his legibus pactæ ſunt. Vt poſitis ab vtraq; parte armis cōmercii mutui inter eas gentes ius eſſet. Aragonii fratres Alburquerquio intra dies ſexaginta diſcederent: neque in Caſtellæ fines ingrederentur toto induciarum tempore. quæ in eorum ditione ſupererant, Caſtellæ Rex ne attingeret. Ab Aragonii, & Vaſconis iniuria Lunæ Comes, & Gotifredus Marchio Corteſius Caroli Regis Vaſconis filius, qui in Caſtellam profugerant, tuti eſſent. Controuerſiis finiendis quatuordecim pari ab vtraq; parte numero arbitri deſignarentur. iis Agreda in Caſtellæ, & Turiaſo in Aragoniæ finibus deſignatæ vbi manerent. Eæ conditiones cùm Regibus probatæ eſſent, induciæ voce præconis in Caſtellæ caſtris ipſo D. Iacobi feſto die promulgatæ: idem per vrbes & oppida factum. magna omnium gratulatio fructu præſenti lætantium, & diuturnæ pacis ſpe. legati in omnes partes dimiſſi, eam lætitiam nunciatum: ac nominatim ad Luſitanū: qui miſſa legatione, & multa flagitatione Regū controuerſias componere conatus ſæpe erat, lætus ea tempeſtate Iſabella filia recens pacta Philippo Burgundo Duci ex ſecundis nuptiis cælibi. Ex hoc coniugio Carolus cognomento Audax Burgundiæ quondam Dux natus eſt, non magis amplitudine rerum geſtarum quàm triſti vitæ exitu nobiliſſimus in paucis Aragonius miſſa in Luſitaniam claſſe, fratres Alburquerquio euocat ſe in Italiam comitaturos: de qua dies noctéſq; cogitabat. Caſtellæ copias Vxama dimiſſas, ad prima veris ſigna redire mādatur. bellum in Mauros inchoare erat deſtinatum. Rex ipſe Madrigale in Vaccæis, vbi Regina erat, reliquum æſtatis extraxit.

Bellum Granatenſe. CAPVT III.

ARAGONII belli finis gemini belli initium fuit Maurici, & Neapolitani: vt nunquam Reges quieſcunt, præſertim imperio latè fuſo: aliæ ex aliis aptæ, & connexæ in dies controuerſiæ naſcuntur. Ambitio dominandi, ſæuum atque impotens malum nullis finibus reſiſtit: plura cupit pluribuſque eget, qui plura habet. O miſeram & fœdam conditionem naturæ mortalis. tametſi Ioannem Caſtellæ Regem ſtudium excuſare potuit, Chriſtiani nominis proferendi, gentis Mauricæ in Hiſpania quidem extirpandæ. Mahomad cognomento Læuus reſtitutus in regnum, vti ante monſtratum eſt, tributum repræſentare recuſabat, quod ipſe & maiores pendere conſueuerant. ea cauſa inducias petenti in ipſo Aragonii belli procinctu, neque negatæ præciſe erant, neque apertè conceſſæ: Alfonſum modo Lorcam legari Granatam placuit, qui barbarum diſtineret, tempus extraheret. Noua nunc legatione Maurica Caſtellæ Rex de induciis interpellatus negat vllam fœderis conditionem ſibi cum Mauro fore, niſi quod pepigerant vectigali repræſentato. Simul Alfonſus Lorca ad Tunetanum Regem legatus cum amplis muneribus, expoſitis mandatis, accuſataque Granatenſis perfidia & contumacia, eum neq; periculo moueri, neque reſpondere in amore, vnde prouocatus fuerat, facile impetrauit, ne in bellum auxilia mitterentur ex Africa. Et habent barbari fidem venalem: magiſq; vtilitati ſeruiunt, quam religioni honeſtatique. an barbari tantum, & non etiam plerique Principes qui veræ religionis nomine gaudent? Salmanticæ in regni conuētibus pecunia in id bellum imperata. propenſa omnium ordinum voluntate, quoniam contra Chriſtiani nominis hoſtes futurum erat, maiora etiam quam poſcebantur data. fine anni in Maurorū ditionem variæ irruptiones factæ ſunt. à Gonſaluo Giennenſi Epiſcopo, & Diego Ribera Bæticæ Antelato, collecta manu in qua equites octingenti erant, pedites ad tria millia, in Granatæ planiciem penetratum. geminæ inſidiæ diſpoſitæ locis idoneis. Præcurſores octoginta ad vrbem miſſi, Mauris ad pugnam eliciendis inducendiſq; in fraudem caſſeſq;. egrediuntur illi, ſed cautè veriti quod res erat, ſubeſſe fraudem. Qui in primis inſidiis erant, vt erat conſtitutum, vix tentato certamine, & ipſi fugiunt. Mauri tunc quaſi periculo omni ſublato effuſe noſtros ſequi, ſolutis ordinibus, nullo certo imperio. Ventum ad locum, vbi copiarū robur erat. Re inſperata perculſi Mauri (vnde illis terror noſtris animus creuit) cæduntur omni ex parte. ducenti occiſi, centum capti. Cæteris vicini colles perfugio fuerunt: quibus maurici equi aſſueti erant, noſtris locorum inſolentia & aſperitate retentis. In Arundæ agros Fernandus Toletus Vallis Cornegiæ regulus Aſtigi tunc præſidio præfectus, cum alia militum manu incurrit. Non eadem fortuna fuit. concurrentibus incolis exæquata vtrinque clade, atque, periculo diſceſſum. Perea Caſorlæ Antelatus alia inuectus parte improuiſo aduentu hoſtium, amiſſis fermè omnibus ſuis vix ipſe ignobili equo exitium vitauit. à Ferrerio Mareſcalo Semena municipium vi expugnatum, ereptumq; Mauris. Sic ſecundæ res atq; aduerſæ variabant. Et erat iniquū anni tempus: continuiſq; imbribus impeditæ luto viæ, inflati amnes. Omnino in Vaſconibus Aragone fluuio ripis ſuperfuſo Sāgueſſæ oppidi pars magna euerſa eſt, inſigni rerum ſtrage, damnoq;

oppidanorũ.Sandoualius Caſtri Comes,Sotomaior Alcantarę magiſter à Caſtellæ Rege euocati,venire recuſarũt inimicorũ vim veriti,ſiue ex cõſcientia digna metuentes.conſtabat etiam cum Aragoniis fratrib. ſentire:neque factis induciis mutatos animos.In ipſo belli apparatu Aluarus priori vxore Eluira Portocarreria defuncta,Ioannã Beneuentani filiam duxit.ad Palentiam nuptiæ celebratæ modica lætitia,ob nouæ nuptæ auiam Ioannam Mendozam,quæ Henrici maris Præfecti vxor fuerat,per eos dies defunctam, Rege tamen & Regina auſpicibus nuptiarum. Nihil tum nimium videbatur, creſcente Aluari 1431. tum gratia,tum auctoritate. Hæc principio anni milleſimi quadringenteſimi trigeſimi primi gerebantur, quo tempore Martinus Pontifex Aragonio æquanimior factus Gallorum odio,an alta ſimulatione,euocato tamen in Italiam Alfonſo Rege, Romæ importuno tempore extinctus eſt ad decimũ Kalend.Martii. Idonei auctores ſequentem annum deſignant:mirari poſſis in tam recenti memoria tempora annalium diſſentire. In Martini certe locum Gabriel Condelmerius Cardinalis,natione Venetus cooptatus eſt,Eugenii quarti nomine,quinto Nonas Martias. Ope potiſſimum Iordani Vrſini Cardinalis ad eum gradum euectus,Vrſinis fauere cœpit,quæ Romæ potentiſſima factio eſt,columnas proceres inſectari. Ioanna etiam Neapolitana mutabili ingenio fœmina Antonio Columnæ Salernum abſtulit.prioris Pontificis donum ereptum in noui Pontificis gratiam, an ob aliquam offenſam,vnde noui motus,ſpes aliæ. Caſtellæ Rex Petro Manrico rebus gerendis,iuriq; dicundo præfecto dum bellum Mauricũ eſſet, Medina campeſtri Toletum abiit.in eius vrbis templo numine propitiando noctem peruigilẽ armatus egit. ſic in more erat,iis qui balteo militari donandi erant.luce, Sacerdotum precatione vexilla luſtrata.inde feriis actis,inſtauratis ſacrificiis,votis nuncupatis ad bellum itum. Ciuitas Regia in medio itinere eſt.in ea vrbe ſecunda hora poſt meridiem,ad octauum Kal.Maii,die vigeſima quarta Aprilis terræmotu concuſſa ædificia,arcis nonnullæ pinnæ diſcuſſæ. Rex in apertum prodire metu compulſus eſt. Magna trepidatio,Regis præſentia,& periculo maior.Leue detrimentum,nulli homines periere.maior ea clades ipſo anno in Aragonia, Catalaunis,& Ruſcinonenſi agro fuit:quædam oppida euerſa,dirutaq; templa, vi terræmotus inuenio. Granatæ etiam, & in Caſtellæ caſtris ſub ipſum pugnæ conflictum terra mouit. Ancipiti præſagio,vtriuſq; nationis animi menteſque concuſſæ.Variæ excitatę religiones,multiplices ſignificationes captatæ: quibus rebus vulgus hominũ mouetur maximè,quaſi prænunciis futurarum,mobile ſuperſtitioſumq;.Barcinone per idem tempus Violantes diẽ obiit grandæua Regina,Ioanni olim Aragonio Regi primo,connubio iuncta,Ludouici Andegauenſis ,cum quo de regno Neapolitano lis erat, auia. Cordubam menſe Maio Caſtellæ Rex appulit. cum valida manu præmiſſus Aluarus,Illoræ agrũ,Granatæ planiciem ſoli cæliq; facie in paucis lætiſſimã,amœnitate æque ac prouentu inſignẽ depopulatus eſt:deliciæ ciuium,horti,villæ ipſis cernentib. flamma vaſtatæ. ipſum etiam Regis Maurici nobiliſſimũ prætoriũ incenſum.neq; his tamẽ iniuriis, ac ne Aluari quidẽ literis & conuitio ad certamen prouocati prodierunt. cauſæ in incerto fuere:ſuſpenſa arbitror ciuitate ad expectationem maioris mali. Cordubæ interea de ratione belli deliberatur. variæ dictæ ſentẽtiæ.pars agris decernebat vaſtitatẽ:neq; vllo certo loco conſiſtendum videri.pars validam aliquã vrbem obſidendam diſputabat: vt tantorũ laborum certus aliquis Regi fructus exiſteret,prouidendũ.in qua plus dignitatis erat,ea vicit ſentẽtia. Granatã regni caput petendã,& collatis ſignis pugnandum. ad id Gilayrus Maurus fortè an conſilio Cordubã delatus,qui à puero captus inter barbaros Chriſtiana ſacra eiurarat, quamuis noſter tamen erat animo, vehementer incitabat: pollicebaturq;, cũ primùm in vrbis conſpectum ſe dediſſent,Iuzephum Benalmaum Mahomadis Rufi Regis, eius qui Hiſpali occiſus fuerat,nepotem in noſtra caſtra venturũ.Eo conſilio Regina eatenus proſecuta,Carmonem amandata,regia caſtra ad Aluendinũ oppidum mẽſe Iunio dimidiato promota.dum omnes copiæ cõueniunt,extracti dies aliquot. octoginta hominum millia conuenerunt nihilominus. plurimi genere & factis nobiliſſimi. caſtrorũ metatores Diegus Ribera Antelatus,& Ioannes Guſmanius deſignati.cõtra veteris militiæ leges id munus Mareſcalis detractum.Secundis inde caſtris ad fines Maurorum peruentum.iuxta ac ſi hoſtes adeſſent,reliquo itinere inſtructæ acies. Aluarus primum agmen ductare iuſſus: in quo duo millia & quingenti equites grauis armaturæ erant. Cum robore peditatus ſequebatur Rex multis adiunctis procerib.poſt principia aulici,& viri togati magno numero.Io.Cereſola Vxamenſis,Guterrius Toletus Palẽtinus Epiſcopi. Vtrunq; latus Hẽricus Nieblæ Comes,Velaſcus,Stunica,Beneuentanus,Giennenſis Epiſcopus muniebãt.Præcedebãt aliquanto ſpacio metatores duo,cũ mille equitib.leuis armaturæ.ab his initiũ pugnę factũ.Tertio Kal.Iul.egreſſi Granata Mauri magno clamore.Cau⁹ locus & pręruptus

qui

qui inter vtroſq; erat, à noſtris ſuperatus eſt. ventum ad manus. vincebant numero barbari:atque pro vulneratis atque defeſſis recentes ex vrbe,quæ prope erat, Mauri ſubmittebantur.idem à noſtris fit: Velaſcus ſubmiſſus:cuius impetum barbari non tulerunt: ſenſim ſe in vrbem receperunt pugnantes tamen. auerſum hoſtem eo die nemo vidit. ad Eluiræ mõtis (Illiberrinũ dixere veteres) radices regia caſtra vallo, atque foſſa munita. Mauri quinque millia equites erant, pedites ad ducenta millia pars in vrbe, pars tendentes in vicinis caſtris: cum tantam multitudinem vrbana ædificia non caperent. Die Dominico Maurorum acies ad pugnam productæ. In Calatrauæ magiſtrum, cui agri complanandi cura erat aggeribus riuiſque inæqualis,impreſſio facta eſt. periculo cognito, Henricus Nieblæ Comes, atque Stunica qui è noſtris propiores erant, munimenta trangreſſi, ad opem ferendam iere. cum ardore meridiani ſolis incaleſcebat pugna: neque ſe noſtri ſine periculo explicare poterant. Rex indignatus quod eo die pugnare non conſtituerat,ſuorumq; temeritatem incuſans Aluarum mittit iuſſum inhibere pugnam: prælíumque dirimere. Eo res perducta erat, vt circũfuſis vndique Mauris receptus fugę ſimilis eſſet futurus.quod vbi Rex cognouit, inſtructa pro tẽpore acie, pauca locutus: cũ iis certamen fore quos antea vectigales habuerint. neque duces, neque animos mutatos. Regem barbarum abeſſe ciuium voluntate diffiſum:quorum pars maxima Benalmaum ſequitur,qui ad noſtrum ſe præſidium recepit. Parati intẽtique in hoſtes inermes atque imbelles irruite. Neque multitudo terreat:ipſi ſe in pugna impediẽt. quo ore quiſquam veſtrum niſi victor domum repetet?quos Aragonii,quos Vaſcones,Gallique timuerunt, hos incondita & collectitia barbarorum multitudo terrebit? abſit tantum nefas: ſuperi omen auertite.Hic dies,aut omnes labores & victorias confirmabit:aut quod horret animus dicere,nomini noſtro,gentique ſempiternam ignominiam inuret. His dictis datum tubis ſignum. ſublatus clamor. factus in Mauros impetus. aliquandiu immotæ acies ſubſtiterunt: facies pugnæ varia,incerta,fœda atque miſerabilis. pars cedere, alii inſequi. arma,tela,equi,viri,Mauri noſtrique permixti: nihil conſilio,neque imperio agi. Rex inter primos progreſſus teſtis virtutis, incitatorque tantam alacritatem ſuis addidit: vt reſtitutis ordinibus,tum primum pugnam iniiſſe videretur.Fuga moxeffuſa hoſtes in vrbem compulſi. pars colles petiit locorum notitia, & aſperitate confiſi. cædendi finem nox fecit.Supra decem hoſtium millia ceciderunt. (ſic creditum, certus numerus iniri non potuit)caſtra Maurica, quæ vineta inter & olíueta erant à Io. Cereſola capta. Redeuntem in caſtra Regem ſacrata cohors cum infulis & velamẽtis obuia, lætaque excepit. numini pro victoria actæ gratiæ. decem diebus iiſdem in locis expectatum. Mauri ne ad vineas quidem prodire auſi, nullam tamen de fœdere mentionem fecerunt, nimia ſui fiducia, aut veniæ deſperatione: forte inſolitus ſtupor occuparat mentes plebis & principum. ager vaſtatus à noſtris,nullo vetante.Calatrauę magiſter,Ribera Antelatus deſignati, qui finibus præſidio eſſent. Benalmaus regio nomine impoſito cum ipſis relictus:ſi factionis opibus regni Granatenſis occupandi ſeſe offerret occaſio. Hic exitus Granatenſis expeditionis fuit præliique nobilis, quod à ficu loco pugnæ extante nomen apud vulgus habuit.è noſtris pauci nullus magni nominis, neque in pugna, neque toto bello deſiderati. eo ſyncerior lætitia vniuerſæ gentis fuit.

Pax inter Reges Caſtellæ & Luſitaniæ. CAPVT IV.

ABſceſſerat annis ſuperioribus Nunnius Pereira equitum in Luſitania magiſter Barceloſii & Oreni comes, non armis modo,ſed etiam curis ciuilibus:ſeq; Oliſipone in Carmelitarũ cœnobio,quod è belli manubiis conſtruxit,grauior annis incluſerat,humanarũ rerum inconſtantiã veritus, ne longa vita cũ multis vertẽti fortunæ tribueret: ſimul delicta prioris ætatis expiandi, & diuini numinis promerendi cura ſolicitabat, pauperum inopiã ſubleuando,Diuorum templis exædificandis, quæ nõ pauca in Luſitania extant: Aliubarrotæ vnum D.Georgii nomine,D.Mariæ alterum ad Villã vitioſã, ſuſceptæ pietatis monimẽta præclara, partæ de hoſtibus victoriæ inſignia trophæa.His operib. intentum mors oppreſſit,ætatis anno ſeptuageſimoprimo,ex quo magiſter equitum factus erat, quadrageſimoſexto: eius ſemper in Hiſpania viuet auctoritas, memoria vigebit. Corpus in eodem cœnobio eſt compoſitum. Funus Rex ipſe curauit inſigni apparatu, omnium ordinum concurſu. id pignus amoris defuncti meritis dedit: cui debebat imperium. Ex Beatrice filia vnica & Alfonſo Brigantii Duce ſuſceptis nepotibus ditionem omnem antea diuiſerat. Amici obitu admonitus Luſitanus Rex æquali ſibi vitæ exitum inſtare, quod ſemel & iterum tentatum erat, maiori conatu, no-

uaque legatione de pace Caſtellæ Regem appellare conſtituit. Abſceſſerat is Granatæ finibus præpropere. quibuſdam videbatur, magnas diſceſſu agendi opportunitates corruptas: vnde in vulgus opinio iactata Aluarum auro Maurico corruptum fuiſſe inter caricas Granata miſſo. fides habita, quod nihil magnæ rei, nihil paruæ niſi eius arbitratu agi conſtaret; & eſt procliuis in deterius populi perſuaſio. Ad tertium decimum certe Kalend. Auguſti Cordubam ventum eſt: inde Toleti perſolutis votis, actiſque numini gratiis pro data victoria Medinam Campeſtrem feſtinatum, quo regni conuentus edicto regio habendi erant, nulla re inſigniores, quam induciis, quæ cum Luſitano erāt, pace perpetua mutatis. Fœdus honeſtis conditionibus inter vtramque gentem eſt factum. tertio Kalend. Nouembris in Caſtellæ conuentibus, atque Oliſipone promulgatum, legato è Caſtella in eam rem Franco iureconſulto. Caſtri Comes maieſtatis lege damnatur. Alcantaræ magiſtri oppida publicantur, regiiſque præſidiis occupantur. Velaſcus, Ferdinandus Toletus, Palentinus Epiſcopus, Guterrius Toletus in cuſtodiam traditi. cum Aragoniis fratribus conſpiraſſe, Aluaroque exitium comparare rerum nouarum ſtudio, crimen opponebatur. Graues ex ea re motus animorum conſecuti ſunt: aduerſus Aluari potētiam & fraudes nemini præſidium niſi in armis fore proceres iudicabant: pręſertim Enecus Mēdozius Fitam ad omnes caſus præſidio & armis munire. In belli maurici ſumptus noua pecunia ordinum conſenſu imperata. vbi res propemodum confecta videbatur, à Ribera Antelato, & Calatrauæ magiſtro multis oppidis ad deditionem compulſis: Arunda Cambile, Illora, Archidona, Septinilio, aliis. Loxa etiam firmiſſima ciuitas venit in poteſtatem. arci quoniam voluntate nihil facturam ſperabant vis admota. Ioſephus Abenſarraxius Granata obſeſſis præſidio accurrens, victus acie à noſtris, atque occiſus eſt. fidei conſtantia malo fuit, in tanta inclinatione prouincialium, odio præſentis imperii ad Benalmaum reſpicientium propenſiſſimis voluntatibus. quibus Mahomad Læuus cùm ſe imparem ſentiret, alia tempora expectaturus Granata relicta. vbi aduerſæ factionis ſtudia vigebant maximè (& nouis noſtrorum artibus amplius erant erecti aduerſæ factio-
1432. nis animi) Malacam abiit. Benalmaus ipſis Kal. Ianuarii, ſalutis anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſecundo in vrbem exceptus eſt. Maurorum is annus erat octingenteſimus trigeſimus quintus menſis Iamad prior. Eo menſe Eduardo Luſitano filius ex vxore Eleonara, natus Sintræ eſt. Alfonſo infanti fuit nobile calamitatibus nomen maiori facto. Vrbis Granatæ ciues erga nouum Regem nouis officiis certabant: plerique ſynceris animis, alii tempori ſeruientes, eoque obſequio promptiore, lætiore vultu, qui maximè ſimulationi ſeruit. Rex ipſe ſacramento confirmauit ſe in Caſtellæ clientela futurū: auri pondus annuū tributi nomine, cum fide repræſentaturum. de tota re publicæ confectæ tabulæ. Res optime cōſtitutas fortuna ſeu vis altior, per omnia humana dandis maximè principatibus potens breui euertit obitu Benalmai. is annis grauis intra ſextum regni menſem deceſſit ad octauum Kal. Iulii, Maurorum menſe Xauel. Mahomad Læuus Malaca vbi exiguæ ſpei exitū expectabat, æmuli obitu nuntiato, nō minori ſtudio quam erat pulſus, denuò vocatus ad regnum, exceptuſq; in vrbem eſt. tantum ſæpe exiguū tempus poteſt rebus atque animis commutandis. Et erga exulem & profugum ſucceſſerat multis humanitas. Is in Abenſarraxii locum Andilbarē iuridicundo Prætorem Granatæ conſtituit. à Rege breues modò induciæ Mauro conceſſæ. Tumultus ad Luſitaniæ fines erant ab Aragoniis fratribus concitati. vtrique bello impar ærarium continuis ſumptib. exhauſtum. aliquid etiam Tunetani Regis gratiæ datum, pro amico Rege & neceſſario miſſa in Caſtellam legatione laborantis. Ad Alcantaræ magiſtrum ſanandum, & ab Aragoniis diducendum Aluarus Iſorna Conchenſis Epiſcopus miſſus erat: ſi pro pontificia auctoritate, & propinquitatis iure, quæ inter eos erat, ruentem in exitium retineret: & ad meliora traduceret. leuis ea neceſſitudo fuit. re infecta diſceſſum. Haud multo poſt facta pœnitentiæ fide, Franco demandata cura hominis conciliandi, atque in partes trahendi. magiſter mobili ingenio & rerum nouarum auido, cui ingrata erant quæ tuta, in temeritate ſpes, repente quaſi furore percitus Alcantaræ arcem Petro Aragonio tradit: Frācum Henrico. inſigni facinore aditus ad Regis gratiam penitus intercluſus, inuidia ad populū cōcitata, iure gentiū violata fraude impudenterq;. Friderico maris Præfecto, Petro Manrico Antelato Alburquerquii obſidēdi, & Aragonios fratres impugnandi cura eſt impoſita. adiūcta valida militaris manus. A Guterrio Sotomaiore Alcātaræ Promagiſtro, Petrus Aragonius in lecto nocturna vi captus ipſis Iulii Kal. incertū auūculi magiſtri monitu, cū eius ſaluti ab Aragoniis timeret: an q, ſuſceptū ipſe ab auunculo Aragoniis adhærēdi con ſiliū improbaret, Regemq; inſigni officio promereri ſtuderet. prǣmiū certè fuit in auūculi locum cooptatio. Rege enim annitente, Alcantaræ militib. in comitia conuenientibus Io. Soto-

Io.Sotomaior,de multis criminib.poſtulatus, atq; gradu motus. Guterrio auunculi honos eſt datus.vtriuſque conſilia pares exitus nacta:merces conſentanea meritis. Caſtellæ proceres,qui in vinculis erant,redditi libertati,nullius probri comperti: ſeu quia diſſimulare magnis ſæpe Principibus neceſſe eſt, præſertim crimine latè fuſo: ne id tantum diligentia aſſequantur,vt palā fiat,quibus flagitiis ſint vires impares. Verum hæc aliquanto pòſt intermiſſa repetamus.

Bellum Neapolitanum. CAPVT V.

ALFONSO Aragonio Rege in Hiſpaniam reuerſo,vti eſt ſuperius demonſtratum, magna rerum inclinatio,Neapoli, maior animorum erat facta. multo maxima eius imperii pars in hoſtium ius ditionemq; redacta erat.pleriq; proceres Andegauenſibus fauebant: pauci iiq; occultè Aragonii maieſtate tenebantur. Aragoniæ vires vix vni pares in multa bella vno tempore diſtractæ. externa tamen quæſita, cùm tantum belli domeſtici eſſet in manibus. Fregoſii potentiſſima inter ciues Genuenſes factio vrbe patria & principatu à Philippo Duce Mediolanenſi pulſi, ſupplices ad externa præſidia confugientes Petrum Aragonium Neapoli,vbi tunc res gerebat,exiguaque ſpe fraternas opes ſuſtentabat,cum claſſe auxilio euocarant. Accurrit ille non inuitus noui principatus ſpe iniecta, iniurias certè vindicandi ſtudio ardens ſuperiori bello acceptas. Vanus conatus non fuit. iunctis cum Fregoſiis Fliſciſque viribus multa oppida & arces tota ora Liguſtica de Philippo captæ. maior tota prouincia belli terror illatus, erectis prouincialibus ad ſpem ſtudiumque rerum nouarum. Ea cura Philippus incenſus,ne Genua amiſſa de veteri principatu periclitari neceſſe foret,de pace cum Aragoniis agendum cenſuit:miſſis in Hiſpaniam legatis Bonifacium Corſicæ caput,de qua inſula tandiu cum Genuēſibus fuerat concertatio,traditurum ſe Aragonio pollicetur, inſciis Genuenſibus. oblatæ amicitiæ haud leue pretium, conditioq; reiicienda non erat.miſſi ab Aragonio legati in Italiam,qui in re præſenti diſceptarent. obſiſtente Genuenſi ſenatu Portus Veneris atque Ilicis ſeu Ericis (nunc Lerice) arces loco munitæ in ora Liguſtica pro Bonifacio Aragoniis traditæ ſunt. Petrus rebus conſtitutis è Sicilia,quo ſe retulerat,euocatur.arces præſidiis munit:ſexque triremibus Philippi Ducis ſtipendio relictis, quæ eam oram tuerentur, cum claſſe reliqua abſcedit. Cercina demum Afrorum inſula vaſtata, è captiuis, quoniam inſigni ſunt robore,remigum numerum ſupplet; rebuſq; in Sicilia & Neapoli,vt præſens ferebat ſtatus,conſtitutis in Hiſpaniam,vti antea dictum eſt,nauigauit,fratribus auxilium Hiſpanienſi bello: neque magnam, neque nullam ſpem ferens regni Neapolitani recuperandi. Terrebant aduerſariæ factionis vires Aragoniis validiores. Confirmabat animum gentis ingenium,externa imperia facilius parare armis quā retinere ſolitæ:vt ſæpe magnis Principibus artes deſunt,quibus ſubiectos populos in pace regant, potiuſquam quibus hoſtes armis ſuperent. Vtriuſque nationis Gallicæ,atque Neapolitanæ varios mores eſſe cogitabat: ſtudia contraria. acceſſuram breui diſcordiam extremum malorum. à Regina & aulicis quaſi à capite malorum contagionem in reliquum reipub.corpus diffundi. perituram breui,ituramque in præceps,etiamſi nullus impelleret. Inanis ea cogitatio non fuit. Andegauenſis in Calabriam ablegatus: bellum inde curare iuſſus, neque alias imperii partes attingere. auctor conſilii Caracciolus,quò ſolus vti ante conſueuerat,amoto æmulo regnaret,alieno nomine, ſua inuidia, communi malo. Ab hoc principio auctis odiis, Aragonius etiam à Caracciolo in regnum reuocatur: omnia prona fore, Gallicam potentiam mora conſenuiſſe,ſe ſuoſque in eius fide & poteſtate futuros. incertum ex animo ea polliceretur,an quemcunque curſum fortuna dediſſet,rebus ſuis præſidium parans,ingenio cautus & ſagax. Simplicius Antonius Vrſinus Tarentinus Princeps Aragonii amicitiam colebat,homo nobilis impiger,factioſus,potentiæ & copiarum auidus.conuitio propemodum Aragonium euocabat: Gallicæ leuitatis, & arrogantiæ tædere cœpiſſe (ſic ille loquebatur) integra factionis ſtudia ſupereſſe: ex aliis pleroſq; ſecum voto ſtare. ſe modò in conſpectum daret,odio turpitudinis vniuerſam multitudinē in partes acceſſuram.ſi moraretur ſpem, externa tamen conquiſituros prēſidia. His Aragonius literis famaq; excitatus,neq; multū magnificis pollicitis credere,neq; oblata ſtudia reiicere.niſi Regina volēte de imperio Neapolitano rurſus armis contēdere graue erat. fratrib.tamen in Hiſpania relictis,ipſe claſſe inſtructa,in qua ſex & viginti triremes erant, naues onerariæ nouē,Africæ litora tentare conſtituit. ad tuēdam id auctoritatē pertinere,& factionis ſtudia ex propinquo ſuſtentanda. Ad decimū Kal.Iunii ſoluēs è Valentino litore,legenſq; Sardiniam,in Siciliā appulit.inde Trupiæ Brutiorum arci muņitiſſimæ ab Andegauēſib. obſeſſæ,atq; ad conditiones redactæ:deditionem facturam,niſi intra diem vigeſimum auxilia venirent, in tempore opitulari non potuit,maris tēpeſtatib.impeditus. in eius oculis

deditio arcis facta. Messanæ ad Aragoniã classem septuaginta nauigia accesserũt. Gerbis petita (quã nõnulli Lotopliagitẽ aut Menyngẽ veterib. fuisse credunt.) Ad litus Africæ ea insula posita est, minori Sirti vicina, locis vadosis incertisq; (cum tempestate maris limo atque arena mutantur) à continenti circiter quatuor millia passuum diuulsa, frequens cultoribus, lætaq;. Qua ad occasum vergitur propior, ponte mille passuum longitudine, continenti committitur. Difficilis oppugnatio erat, propter loci munitionem, circumfusas ad litus barbarorum copias. Bofferricius enim Tunetanus Rex cognito Alfonsi consilio accurrit. ponte primo impetu nostrorum capto, cum barbaro etiam Rege dimicatum acie est. victi Mauri, atque intra munimenta compulsi. ad regium tentorium aliquandiu dimicatum. ex hostium numero fortissimus quisque cadit. Bofferricius rebus disperatis equo impositus euasit. cæteri fuga dispalati. minor quam pro tanta victoria cędes fuit, minorque fructus. viginti bellica tormenta capta, insula in potestatem non venit. Dum Punica fraude cõditionibus retractandis tempus extrahitur, Aragonia classis, quod futurum barbari expectabant, inopia commeatus Messanam repetere compulsa est. De Neapoli recuperanda, consilia agitata: vbi Ioannes Caracciolus inimicorũ conspiratione, dum ficta fraude ad Reginam vocatur, ferro peremptus erat ad quintumdecimum Kal. Septemb. Princeps consilii auctor Cobella Rufa Antonii Suessę Ducis cõiux: quæ præcipuum gratiæ & auctoritatis locum apud Reginam nacta erat, eoque implacabili odio in Caracciolum, ferebatur. Viam superi regni recuperandi Alfonso aperiebant: neque is occasioni deerat. quin Neapolitanis proceribus solicitatis missaq; ad Reginam legatione Ænariam insulam contendit, ex propinquo omnia diligentius exploraturus. Simulabat Ioanna sese pacẽ non aspernari: icti cum Andegauensi fœderis pœnitere: atq; ad priora consilia cupere animum reuocare: modò facultas esset, & sine armis. retractandis conditionibus reliquum æstatis extractum. Eò ventum vt Regina Ludouico Andegauensi abdicato, Alfonsi Aragonii adoptionem instauraret, fœderis prius icti meminisse potius simulans, quam initæ nefariè cum Gallis societatis. vtrumque arcana syngrapha, quo res occultior esset, factum. vtrumque Cobellæ consilio, & hortatu, qua multum & familiariter Regina vtebatur: alienis semper imperiis obnoxia, nunc fœminæ. vsque eò vt belli, pacis consilia vna maximè administraret. pudendam ignominiam. sed prona tamen ciuitas in luxuriam, morum vitio affluentique copia voluptatum, & illecebris omnis amœnitatis maritimæ, terrestrisque, modò præsentibus frueretur, nulla honesti cura mouebatur. plebem maxime nulla honesti inhonestiq; cura solicitabat. Sic erant studia hominum ea tempestate. Aragonii interea fratres in magno discrimine esse: captus alter, Henricus intra Alburquerquium obsessus. maioris belli metus ostendebatur, mota fœderis fide: de qua re Castellæ legati cum Vascone, qui vtriusque regni finibus præsidio erat, iussi expostularunt. vt Alburquerquio dedito, aliisque oppidis & arcibus vniuersæ Castellæ finibus abscederent impetratum Lusitani Regis opera, & auctoritate. icto fœdere, ambo fratres, Catharina Henrici vxor, Sotomaior Alcantaræ antè Magister, Cauriæ Episcopus ad Olisiponẽ nauibus impositi Valentiã vrbem Edetanorum delati sunt, nouas inde spes capturi in Hispania, si minus certè in Italiam nauigaturi: quò à fratre Aragonio Rege conuitio euocabantur, cura Neapolitani imperii armis recuperandi: cum non ignoraret Reginam sibi speciosa verba dare, animo ad æmulum inclinatam. Nihil intestina discordia occultum esse patitur. bona malaque consilia vulgantur. ad Aragoniæ fines Turiaso, & Calataiuba Friderici Lunæ Comitis variis artibus tentatæ: si Castellæ præsidiis occupari possent: id fugæ pretium extare cupiebat homo immodicus, mobili ingenio, audax, temerarius. rei perficiendæ occasionem suppeditabat, suscepta iis locis de Toletano Primatu controuersia, minimè idoneo tempore hac causa. Io. Contrerius Toletanus Episcopus inter septem arbitros controuersiis cum Aragonio finiendis à Castellæ Rege datus, Agredæ prius, deinde Turiasone crucem potestatis insigne præferebat. contra morem id maiorũ vsurpari Turiasonenses querebantur scitaq; gentis. Dalmatii Cæsaraugustani Præsulis, cui Turiasonensis Episcopus contributus est, dignitatem à Tarraconensi manantem lædi. Toletanorum sæpe audaciam cõpressam: non esse nouo exemplo veteres mores, iuraq; violãda: neq; laturos iniuriam. Toletanus factum, antiquis Romanorum Pontificum tabulis tuebatur. se tamen Agredę tenens Aragoniis finib. abstinebat: ne res à verborũ disceptatione procederet ad manus. Importuna contentione suscepta, nihil communi cõsensu gerebatur, resq; communes præ priuatis cupiditatib. negligi videbantur: ac periculũ erat, ne decurso induciarum tempore, denuo rediretur ad arma. quo metu nihil ab vtraq; parte de sua cõparatione omittebatur. pecuniæ redigendæ summa difficultas erat, Aragoniis maior, tot iam annorum bellis exhaustis.

Concilium Baſilienſe. CAPVT VI.

SVSPENSIS Hiſpanorum animis ad noui belli expectationem noui terrores de cælo oſtentati: Mirobrigæ maximè, quo Caſtellæ Rex acceſſerat aduerſus Aragonios fratres, flamma ingens viſa: qua magno ſpatio diſcurrente ingens tonitruum eſt editũ: auditumque vltra triginta paſſuum millia. Ineunte ſalutis anno milleſimo quadringenteſimo tri- 1433.
geſimo tertio, in Vaſconibus & Aragonia niues quadraginta dies cõtinuatæ magna ſtrage quadrupedũ, alitumq́. feræ neceſſitate famis ad oppida concurrebant occidi, aut occidere paratæ. Madritũ ex vrbe Mirobriga petitum ad regni conuentus. tanta hominum frequentia fuit, vt amplum municipium multitudini non ſufficeret: pleriq; in vicinis pagis diuerſarentur. de bello Granatenſi eſt actum. miſſus Fernandus Toletus Vallis Cornegiæ regulus, decurſis induciis aliquot Mauris arces eripuit. cætera quietus annus Hiſpaniæ fuit. Madriti inter proceres magnificentia, elegantiaq; certatũ. ludi militares magno apparatu, ſumptuq; commiſſi. omnia ad imperii ſplendorem ea ætate voluptatemq́; gentis relata: atq; ea maior, quàm rei bellicæ cura erat. Oliſipone hic annus grauis peſte fuit. multi mortales abſumpti. Ioannes Luſitanus Rex extinctus eſt pridie Idus Auguſti, extrema ætate: ſex enim & ſeptuaginta annis vixit, menſibus quatuor, tribus diebus. regnauit annis quadraginta octo menſibus quatuor diebus nouem, fundato poſteris imperio, in tanta temporũ atrocitate, tantaq; reipub. perturbatione in paucis clariſſimus. Succeſſit patri Eduardus, in magna procerum frequentia continuò Luſitaniæ Rex proclamatus, confirmata ætate annos natus vnum & quadraginta, mẽſes nouem, dies quatuordecim: cui ad cæteram felicitatem numeroſa proles fuit, ex vnis nuptiis ſuſcepta: Alfonſus primus, cui patre ſuperſtite inter Luſitanos primùm Principis nomen eſt inditum, Ferdinandus hoc ipſo natus anno, Philippa breuis æui, Elionora, Catharina, Ioanna magnis cũ ætate pactæ iunctæq; Principibus. Ipſo inaugurationis die à Iudæo Medico Gudialla, nouum Regem monitum aiunt, cæremoniam pomeridianis horis peragendam videri: aſtra ſi feſtinaret, infelicem euentum deſignare: perſtitiſſe tamen contemptu talium, vt fortuitorum. Suſcepta regni cura, peſtiſq; lue Oliſipone ſedata, nihil prius habuit, quàm defuncti parentis manibus ſolenni ritu parentare. corpus celeberrimo apparatu atque ad eam diem inaudito, Aliubarrotam delatum, atque in monaſterio compoſitum, quod victoriæ de Caſtella parte monimentum extructum fuiſſe, ante eſt demonſtratum. funus proſecuti Rex ipſe, fratres, proceres, viriq; ſacrati magno numero, veriſſimis lacrymis. Imperii à pietate inchoati principiis media, atque exitus conſentanei fuerunt. Hæc in Hiſpania. Extremo Pontificatus anno Martinus Romanus Pontifex Concilium Epiſcoporum Baſileam indixerat, ad mortalium mores, qui collapſi à veteri ſanctitate erant caſtigandos, Bohemos ad fidem officiumq; reuocandos. Iulianus Cæſarinus Cardinalis vir ea tempeſtate præclarus, Roma concilio inchoando legatur. Eugenius Martini ſucceſſor Epiſcopos in Italiam transferre conabatur, ratus locorum propinquitate minorem ad res nouandas fore opportunitatem. reſiſtebat Sigiſmundus Cæſar Germaniæ æquior, quàm Italiæ. cæteri Principes ab vtraque parte ſolicitati: ac Aragonius nominatim, in vnam obtinendi Neapolitani regni curam intentus maximè, vnde melior ſpes affulgebat, adhęrere Sigiſmundo viſus eſt: oratoreſque ex Aragonia Baſileam deſtinari mãdauit, Alfonſum Borgiam Valentinum Epiſcopum, duos alios, è Theologis vnum, alterum ex nobilitate. idem eius exemplo faciunt alii Reges Hiſpani à Luſitano Diegus Oreni Comes legatus eſt adiunctis Epiſcopis, & viris ſacratis. Ineunte anno milleſimo quadringenteſimo trige- 1434.
ſimo quarto, Alfonſus Carillius Cardinalis Baſileæ deceſſit, vir præſtanti doctrinæ prudentiæq; opinione, columen noſtræ gentis, atq; præſidium. in auunculi locum Alfonſus Carillius Iunior Seguntinus Epiſcopus creatus eſt. qui deinde fuit Toletanus archiepiſcopus. eò maiori ſtudio ad concilium oratores amandati. à Caſtellæ Rege Aluarus Iſorna Conchenſis Epiſcopus, Ioannes ſylua Cifontanus regulus vexillifer regius, Alfonſus Carthagena Paulo Burgenſi Epiſcopo natus, pari eruditione, & virtutum omnium indole, Decanus tunc Compoſtellanus, & Segobienſis, annis ſequentibus, patre Aquileiæ Patriarcha renunciato, in eius locum Burgenſis Epiſcopus eſt creatus. ea gratia meritis paternis propriiſq; virtutibus eſt habita: id præmium datum Caſtellæ dignitatis Baſileæ in patrum conuentu defenſæ, aduerſus oratores Anglos qui priora ſibi vendicabant. defenſionem de ſcripto conceptã cum patrib. obtuliſſet, Anglorum audaciam fregit. Hoc ferunt aliquando Romã ituro, dixiſſe Eugenium Põtificẽ. Si Alfonſus venerit, quo pudore nos Petri ſedẽ occupabimus? rem miraculo cõparandam: extitiſſe in Hiſpania, qui ſtirpis Iudaicæ ignobilitatẽ, atq; inuidiã, virtute ſuperaret. nimirũ meritis magis, quã maiorum imaginibus honos eſt datus. Sed Aragonio tamen par à Sigiſmundo gratia reddita nõ eſt.

Romæ anno ſuperiori Auguſtus renunciatus cũ corona imperii, quaſi mente repẽte mutata, cum Venetis, Florentinis, Philippo Mediolanenſi fœdus ineundum atq; armorum ſocietatem conſtituendam curauit, atque perfecit. Aragonios vniuerſa Italia pellere deſtinabant. Pontificiis magis precibus datum, quàm ſyncera voluntate geſtum. Sed longè aliter res accidit, vti ſequens narratio declarabit.

Ludouicus Andegauenſis defunctus. CAPVT VII.

FRIDERICO Lunæ Comiti ad veterem inuidiam, nouum in caſtella crimẽ acceſſit. vir acer, quietis impatiens, amplo in Aragonia principatu amiſſo, quæ in Caſtella acceperat oppida pretio vendiderat, Arionã Aluaro, Villalonium Beneuẽtano, de ſuo profuſus, alieni auidus, nullam inopiæ ſupplendæ ſpem fore, niſi in ſcelere ratus, Hiſpalim lautiſſimam vrbem diripere conſtituit, nauali, Trianaque ſuburbio occupatis: vnde in ciuium fortunas graſſari cogitabat, Nieblæ Comiti infenſus maximè præcepſq; in vindictam. Res tanta ſine ſociis patrari non poterat. adiuncti quos ſimilis inopia & mali mores ſtimulabant: quibus libido, atque luxuria, ex magnis opibus, nihil reliqui fecerant. in primis duo Hiſpalenſes patritii nefarii conſilii participes effecti: quorum nomina, vt memoriæ prodantur non eſt neceſſe. Latere is conatus non poterat. Medinæ campeſtri, quo Rex iuerat anni principio Fridericus captus, Vreniamq; primum, deinde in vicinam Olmedo arcem in vincula duci iuſſus eſt, eundem carceris & vitæ terminum habiturus. eò minore gentis commiſeratione, quod transfugæ eum nomen, inuidioſum ſuis, Caſtellæ ſuſpectum effecerat, de ſociis capitale ſupplicium ſumptum. Violantes Nieblæ Comitis vxor pro vincto fratre precatura, ne facta quidem Regem adeundi poteſtate Cuellarem amandata: vetitumque inde iniuſſu Regis diſcedere. ſuſpicio erat, ſororis opibus confiſum ſcilicet, id facinus agitaſſe. hunc exitum Friderici ſpes & conatus habuerunt, meritis & actionum inconſtantiæ conſentaneum. Cordubæ in templi maximi exedra, eius ſepulchrum ligneum monſtratur, eleganti opere Arionæ Ducis nomine, à matre poſitum, vti vulgi opinio eſt, filium in Caſtellam ſecuta. Ariona vetus Aurigi quibuſdam fuiſſe creditur, aliis municipium Vrgauonenſe: vti indicio eſt lapidis inſcriptio, quæ in D. Martini eo oppido legitur, Hadriani quondam Auguſti ſtatuæ ſubiecti his verbis.

IMP. CAESARI DIVI TRAIANI PARTHICI FILIO, DIVI NERVAE NEPOTI TRAIANO HADRIANO AVGVSTO PONTIFICI MAXIMO TRIB. POT. XIIII. COS. III. PP. MVNICIPIVM ALBENSE VRGAVONENSE DD.

Non deterruit Friderici calamitatis exemplum in ſimili cauſſa Aragonios fratres: quin prohibiti quamuis Caſtellæ finibus, & ditione ampliſſima ſpoliati, turbandæ reipublicæ conſilia verſarent. Querebatur Caſtellæ Rex icti fœderis conditiones violatas: ſi inducias ſtare vellent, Aragonios fratres ex vniuerſa Hiſpania amouendos. auditis de ea re Caſtellæ legatis, Vaſco auctor fratribus extitit, in Italiam nauigandi, ipſe breui ſubſecuturus. regno Neapolitano parto, cuius nonnulla ſpes erat, haud defuturam occaſionem veteris in Caſtella ditionis recuperandæ diſputabat: Italiæ victoribus cætera in Hiſpania prona fore. Ventum in Siciliam, vti conſtitutum erat nauibus. vnde Alfonſus frater in omnem occaſionem intentus erat, imperii Neapolitani obtinendi, eos proceres in partes trahendi, cæteros Italiæ Principes conciliandi, Eugenium maximè Pontificem, quem ſuis conatibus in primis aduerſari erat expertus. rei perficiendæ opportunitas ſeſe dabat, diuturna valetudine Reginæ, diſſidio procerum, ipſius Pontificis caſu, Roma fugere compulſi. Columnæ Salernitani Principis in vrbem aduentu, facilè populus ad arma eſt concitatus. & erat in magno odio Pontificis nomen, pro eo quod Columnas proceres exagitandos ſuſceperat: & ager Romanus recens erat à Philippi Mediolanẽſis copiis ductu Franciſci Sfortiæ, culpa Pontificis deformatus. auctario Tiberi euaſit, quamuis Franciſcano cucullo, veſte pontificia mutata, telis & lapidibus ab vtraque ripa petitus. indignum facinus: ſed tantum poteſt, concepta à populis indignatio. in Hetruriam paratis ad oſtia Tiberis triremibus abiit. Pontificis ignominia per omnes prouincias vulgata, variè Principum animos affecit, vt cuiuſque ſtudium erat. dignum ea calamitate nonnulli iudicabant: importunis actionibus ſuos, vicinos, longinquos exacerbare: ſanctiſſimis patrum Baſilienſium conatibus pro pietate ſuſceptis, vnum maxime obſiſtere: ex conſciẽtia ſcilicet, digna formidare. plerique indignum facinus accuſabant, armis etiam vindicare

parati. Caſu eo Aragonius nunciato, Panormi vbi ſe tenebat, ad ſeptimum Idus Iulii, dolebat, vti par erat, Chriſtiani nominis probrum, pontificiæ maieſtatis ignominiam. ſed in dolore lætabatur tamẽ, veniſſe occaſionem inſitæ pietatis proferẽdæ Pontificis promerendi. miſſi legati, qui mœrorem exponerent, opem offerrent, hoſtibus vindicandis, ſedando populo. Lętatus ea legatione Pontifex, ſtudia tamen Aragonio remiſit. tempeſtate intra quintum menſem pacata, Romani tumultus compoſiti, ciues ad officium reuocati, leges & magiſtratus accepere, in capitolio militare præſidium: religione exoluti, qua ob violatum Pontificẽ erant obligati. In Hiſpania Io. Contrerius Toletanus Archiepiſcopus deceſſit ſextodecimo kal. Octobris. corpus in tẽpli Toletani maximi ſacellum, cui à Diuo Illefonſo nomen eſt celebri funere illatum. habitis comitiis de ſucceſſore creando, cum ſententiæ variarẽt inter Guſmanium Archidiaconum, & Villaquiranum Decanum, diuiſis ſtudiis, Ioannes Cereſola Aluari vterinus frater, ex Vxamenſi Epiſcopo nuper Hiſpalenſis factus, Rege annitente Toletanus Præſul renunciatus eſt. Coniuncto funere Henricus Villena Madriti, vbi Rex erat, extinctus eſt. amiſſas opes, atque ampliſſimos honores ablatos, iniuriamque fortunæ honeſtis ſolatiis ad extremam ſenectutem tolerauit. tanto eruditionis ſtudio, vt ne à magicis quidem ſacris abſtinuiſſe feratur. libri iuſſu Regis Lupo Barriento Dominicano, Henricique Principis magiſtro examinandi ſunt traditi. quorum parte combuſta, multorum vituperationem incurrit: libros exiſtimantium magno comparatos, eruditorum vſibus ſine periculo noxaque ſeruari debuiſſe. regiam ille de ſcripto concepta defenſione, voluntatem excuſauit, cui repugnare fas non eſſet. Neapolitani proceres odio rerum præſentium, fœmineoque feſſi imperio, ad Aragonium inclinare cœperant. Nicolaus Picininus magnus ea tempeſtate in Italia Dux Braccii propinquus, ad Aragoniam militiã magnis præmiis inuitatur. cum Tarentino & neceſſariis. quæ potiſſima factio Andegauenſis, & Iacobi Caldoræ armis exagitata, ad Aragoniũ præſidium confugerat, fœdus Panormi factum: Aragonii in fide fore, ſi tantum copiarum auxilio mitteretur, quantæ ad defendendum bellum eſſent ſatis, duo millia equitũ, pedites mille Aragoniis ſtipendiis: validæ copiæ, impares tamen aduarſariorum potentiæ. Breui Tarẽtinus ditione ampliſſima ſpoliatus, paucas vix arces, & oppida retinuit, ſitu, aut opere munita. confecto ferme bello diſceſſum ab armis. Conſentiæ, quæ Brutiorum vrbs eſt, Andegauenſis corpore tantis militiæ laboribus fracto, loci inſalubritate tentatus morbo, atque oppreſſus eſt menſe Nouembri dimidiato, in ipſo ætatis flore, in medio felicitatis curſu, ipſoque in regni obtinendi limine: vix nuptiarum lætitia peracta, ducta recens Margarita Amodei primi Ducis Sabaudi filia, inſigni formæ venuſtate. Sic fortuna ludis in rebus humanis. Sic nos noſtraque verſamur. Aragonio nimirum cælum viam ad regnum ſtruebat, cui nihil eſt arduum, eo maiori feſtinatione, quod Regina ipſa Neapoli deceſſit, ad quartum Nonas Februarii, ineunte ſalutis anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quinto, morbi diuturnitate victa moleſtiaque oppreſſa, quam ex filii morte concepit grauiſſimam: atque adeo vt ſemet incu- 1435.
ſaret, quod ſummis ac perpetuis Andegauenſis officiis in amore non reſpondiſſet: dura atque ingrata optimo Principi mortem conciliaſſet. Corpus Reginæ in Annunciatæ Virginis ædem illatum eſt, modico ac tumultuario funeris apparatu. Andegauenſis & Reginæ obitu fortunæ partiũ cõuerſæ: vireſq; Aragoniæ confirmari amplius cœptę: Andegauenſes debilitari: tametſi Neapolitanus populus nullo Principũ conuentu habito, nullo ordinẽ, quod Reginæ etiam teſtamento cautum erat, Renatum Andegauenſem Regem pro defuncto fratre iuſſerat. Parum in eo præſidii erat, qui ſuperiori tẽpore dum de Lotaringiæ principatu Carolo Duce ſocero defuncto, cum Antonio Vallemontenſi Comite eiuſdem fratre certat armis, libertatem amiſerat, captus in pugna atque in Burgundi Ducis poteſtatem traditus: cum quo armorũ ſocietas Antonio erat. Ex vtroque caſu quantum dolorem Violantes Regina Andegauenſium mater ceperit, explicare ſuperuacaneum ſit. res ipſa indicat. multum ei familiæ ſuperi per hæc tempora aduerſati videntur, Gallorum genti infenſi, an Aragoniis propitii. Sed eſt fere, vt aliarum rerum ſic felicitatis orbis. per varias gentes, atque familias inerrat nulli propria. Neapoli à multitudine, qui ſummæ rerum præeſſent, Otinus Caracciolus, Georgius Alamanus, & Baltaſſar Ratta delecti, Andegauenſis factionis facile principes, ſtudio, arteque multitudinis concitandæ præſtantes. Deceſſere etiam magni in Hiſpania viri. In eo numero Rodericum Velaſcum Palentinum Epiſcopum miſerabili caſu, familiæ cocus peremit, Ioannes nomine. Emota forte mente nodoſum ſtipitem eccur geſtaret, rogantibus ioco aulicis reſpondere erat ſolitus, mactando Epiſcopo. Vocem barbarã (erat enim natione externus) non intelligentibus riſum mouens, mox veriſſimas lachrymas excuſſit, heri ſe-

curi capite eo ſtipite comminuto. Adeo tenui filo ſuſpenſa ſunt ſalus opeſque hominum.

Bellum Mauricum. Cap. VIII.

FOEDA hyems fuit in Hiſpania, continuis imbribus, fluuiorũ illuuie, viæ luto impeditæ, vix vt commeandi facultas eſſet. multa ædificia vi inundantium aquarum euerſa. Valliſoleti, atque Medinæ Campeſtri, vis mali maximè incubuit, molæ frumentariæ impeditę diebus quadraginta, cocto frumento homines vixere. Hiſpali Bætis ad ſumma vrbis mœnia minus duobus cubitis excreuit: ciues in metu pars naues ſcandere: pars diu noctuque rimas omnes ſtipare ne qua penetraret aqua. Ad quintum kalendas Nouembris cœptę tempeſtates, ad octauum kalen. Aprilis tenuerunt. Magna caritas annonæ. ſolicitudo par. belli tamen Maurici cura non intermittebatur, inter aduerſa & ſecunda variantis. Diegus Ribera Antelatus impugnanda Alora, ſagittæ ictu ex muro emiſſæ perierat. alia parte Ioannes Fagiardus Alfonſi Antelati filius, fuerat à Mauris in pugna tumultuaria occiſus. Diego Peraſanius filius ſuffectus eſt à Rege, quindecim quamuis annos natus. ea gratia paternis meritis habita eſt. & erat præclara indole virtutis, vt in ea ætate. Solicitudinem noſtrorum animis ex iis caſibus incuſſam nouus nuncius mitigauit. à Roderico Manrico Petri Antelati filio Oſcam in Baſtetanis firmiſsimum municipium, admotis ſcalis vi captum. Validam etiam Maurorum manum, quæ auxilio ſuperuenerat. Caſorlæ Antelati, & vallis Cornegiæ reguli accurſu fuſam cæſamque: Maurorum fuga deditam noſtris arcem. Lætitia ex ea victoria ſuſcepta breui euanuit, maiori quàm intulerant accepta clade. Guterrius Alcantaræ Magiſter Atchidonam expugnaturus cum octingentis equitibus, peditum dimidiato numero in eos fines inuectus, cognito ex ſpeculis eius itinere, atque fumo ſignificato finitimis, iniquis ad tranſitũ locis circumſeſſus à quingentis hoſtibus, qua ſagittariis, qua funditoribus, ferme omnibus ſociis amiſſis, vix ipſe cum paucis aufugit. improuiſo barbarorũ aduentu, & contemplatione periculi, ſtupor omnium animos occupauit: & quaſi torpore quodam membra diriguerunt. Cautior alieno periculo cladeque Ferdinandus Vallis Cornegiæ regulus Huelmæ propemodum captæ obſidione diſceſſit: cum validas Maurorũ copias auxilio obſeſſis venire, eſſet nunciatũ. & eſt non minoris virtutis aliquando cedere quam in pericula irruere: maioris hoc aliquanto animi, illud prudentioris conſilii, ſe atque ſuos ad meliora tẽpora conſeruaſſe. vti tunc accidit. auctis enim mox viribus, adiunctoque Giennẽſi Epiſcopo, cum mille & quingentis equitibus, ſex peditum millibus Guidixenſem agrum vrere, maturas ſegetes corrumpere, magna incolarum calamitate. Maior equitum numerus Granata venerat, ad quadraginta millia pedites. cum ea multitudine conferre ſigna non eſt veritus. conſilium non fuiſſe temerarium, vnde audacia famã habet, euentus docuit, victoria à noſtris parta. quadringenti hoſtes ceciderunt: fugerunt alii metu vincente pudorem. Fugiẽtes nox texit. Perez Antelati eo die virtus emicuit. confoſſo equo, crureque vulnerato in pedes deſiliens, circumfuſos hoſtes magno animo ſuſtinuit, ſubmouitque mortis contemptu validior. incruẽta noſtris victoria non fuit. ſauciati non pauci. nonnulli deſiderati. In Conteſtanis non procul Oſca duo oppida erant, modico ſpatio disiuncta, vtrunque Velis nomine. Rubri alterum, alterum Albi. Hæc oppida à Fagiardo Antelato circũſeſſa ſunt. cõpulſi malis barbari, legitima deditionis verba nuncuparunt: ſi eiſdem quibus antea legibus viuerent, nec maiora vectigalia pendere cogerentur. Tribus hæc annis cum Mauris geſta coniunximus, ne memoriam diſperſa confunderent. Annus vnde digreſſi ſumus, pace inter Gallos & Burgundos ex tantis moribus facta maxime illuſtris fuit. odia cruore ciuium exatiata erant. Carolus Rex Galliæ de Burgundo amice honorificeque loquendo pœnitentiæ fidem fecerat: neque cædis Burgundi Ducis auctorem extitiſſe. acceſſere tres Roma Cardinales ad eos Principes legati. iis vltro citroque commeantibus impetratur, vt à tribus Principib. oratores Atrebates conuenirent. de pacis ibi conditionibus agi cœptũ. diſceſſere è conuẽtu Angli, regni Francorum riuales: ęquiorem Burgundus ſe præbuit ſanandis reip. malis cupidior. Memoriæ Ioannis cæſi Ducis, vt honores à Franco haberentur mandatum, loco vbi cæſus erat, templo eius impenſa exędificato, collegioque ſacris faciendis inſtituto. Matiſco, Altiſiodorum perpetuo iure, alia oppida ad Somonam amnem data, pignoris modo loco, dum quadringenta aureorum millia mulctę nomine redderentur. Nihil nimium Franco videbatur præ cupiditate Burgundi conciliandi, diſtrahẽdiq; ab Anglorũ ſocietate: haud ignaro, eo fœdere Galliæ opes, quæ nimium acciſæ erant, breui reſtitutum iri. vti factum eſt. Ad famam eius fœderis ciues Pariſienſes excitati arma in Anglos corripuerunt: regiaque

que vrbs ad pristinum rediit imperium. reliqua procliuia esse cœperunt, quæ catenus fuerant ardua atrociaque. Nostræ historiæ pace Atrebarensi facienda, Isabellæ Burgundo nuptæ præclaram extitisse operam confirmant: & cum Rege Gallo coram colloquio habito de conditionibus egisse aiunt: ex fide, an ex gratia gentis Lusitanæ in incerto habeo. Illud constat Reginis Aragoniæ, & Vasconum, cum viri Reges Caietam obsidione premerent, vti mox est explicandum, à Castellæ Rege qui Madrito Butracũ Eneci Mendozii inuitatu contendebat, ludis & conuiuiis remissurus animum, datũ vt induciarum tempus ad Nouembris kalendas prorogaretur. Ioannes Luna Illuecę dominus, in eam rem legatus, Aluaro id gentili suasit, læto ad reliquam felicitatem filii natali: quem recens vxor Madriti pepererat. infanti Ioanni nomen fuit, magna lætitia Regis & procerum: quæ omnia quanto magis simulata erant, eo maioribus officiis Aluari gratiã promereri certantium.

Aragonius, & fratres capti. CAPVT VIIII.

CARACCIOLI, Ludouici Andegauẽsis, Ioãnæ Reginæ funerib. Aragonius ad Neapolitanũ regnum tantũ non trahebatur, sine capite, sine viribus prædæ opportunũ, nullo ciuium consensu, nullis externis opibus imbecillum. multi proceres quod necesse erat prouidentes animis, an plebis imperium auersari, in qua nihil est modicum, consilio communicato, Capua vrbe cum arce occupata, in qua bello gerendo magnæ commoditates inerant, legato in Siciliam Reginaldo Aquinate studia sua, opesque Aragonio offerunt: festinaret modo, neque moraretur spem. celeritate opus esse, priusquam se aduersa factio viribus confirmaret. erant cum Aragonio tres fratres excellenti indole, idonea omnes ætate. Petrus in Sicilia relinquitur ætate minimus, qui reliquam classem colligeret. cum Vascone Henricoq;, & septem tantum triremibus, è portu Messanensi Alfonsus soluit. Pontiam insulam itum: deinde Aenariam, mox Suessam: vbi proceres magno numero Capua profecti eius aduentum expectabant: atque in his princeps Antonius Marsanus Suessę Dux. In ea vrbe de ratione belli collatis sententiis desideratum. Caietam primùm impugnare visũ est. Maii Nonis classe Aragonia & terrestribus Neapolitanorum procerum copiis, terra marique circumsessa. affuit Tarentinus cum copiis euocatus. trahebatur obsidio: Aragoniusque Orlandi monte, qui vrbi imminet occupato, in spem venerat, breui eam ciuitatem obtinendi, commeatus inopia non minus quam externo metu laborantem. Ciues ad deditionem inclinabant. Genuenses, quorum erat in ea vrbe magnus numerus mercaturę exercendę per causam, vnde genti amplissimę opes publicę priuatimq;, obstinatis animis vrbem defendendam censent, ductore impulsoreq; Francisco Spinula. inutilis turba eiicitur: quos Aragonius benigne habitos, ciboque recreatos in pacata loca dimisit. multum ea humanitate tum obsessorum ciuiũ, tum totius prouinciæ animi conciliati sunt. Genuensis senatus, & suorum commiseratione, & Philippi Mediolanensis iussu incitatus instructam classem auxilio mittit, frumento & commeatu onustam. Dux classi datus Blasius Assaretus propter rei militaris & nauticæ peritiam ex infimo loco, nam precarium quęstum iuuenis fecerat, ad eum honorem euectus. Duodecim onerariæ erant, duæ triremes, vna biremis. Aragonius cognito Genuensis classis aduẽtu, instructis ipse onerariis quatuordecim, vndecim rostratis nauibus obuiam hosti procedit. Sequũtur proceres ferme ad vnum Regis exẽplo prouocati, certaq; victoriæ spe. Ad Pontiam insulam Aragonii, ad Terracinæ litus hostium classis erat. Genuenses misso caduceatore denunciant Regi Aragonio, non pugnandi voluntate, sed opitulandi ciuibus commeatumque importandi missos. si id detur, discessuros sine certamine. magno id Aragoniorum risu est auditum: neque à conuitiis temperatum. expediũtur arma: ante pugnæ initium tres Genuensium naues à reliquo agmine seiunctæ, altum petere cœperunt eo consilio, vt in ipso conflictu secundis à puppi flatibus hostilem classem à tergo adorirentur. Aragonii fugam interpretati, nullo ordine hostilem classem inuadunt, quasi ad prædam, victoriamq; illud metuentes ne celeritate euaderent. Aragonius in hostium prætoriam impetum facit. Blasius circunducta repente naui regiam nauim à puppi magna vi telorum, lapidumque obruit pondere grauem, & saburra vniuersa in alteram partem inclinatam. idem à reliquis factum nauibus. ferreis interse vncis iunctę veluti in solo pugnabatur. vincebant Aragonii numero, sed sua multitudine impediti, & pleriq; nausea ex mari laborantes, oneri potius quam vsui erant. Genuenses mari assueti nautę ac milites, scientia talium rerum superabant. triremiũ nullus vsus propter iunctarum inter se nauium magnitudinem. ad multum diei pugna processerat: cum tres Genuensium naues, quas fugientium speciem præbuisse dictum est, flexo cursu in regias

impactæ pepererunt victoriã. In regiam nauim trãſgreſſi,hoſtes ad deditionẽ hortabantur.fœda rerum facies,permixtus cædentium cęſorumque clamor. nihil imperio,neque conſilio geri.fors omnia regere. Nauis regia fatiſcente carina aquam accipere. periculo nunciato,Aragonius Philippo Duci deditionem facit quamuis abſẽti.In ea naui Tarentinus & Sueſſanus capti ſunt.aliis duodecim nauibus quæ in hoſtium poteſtatem venerunt, ingens captiuorum numerus fuit; Rex quoque Vaſconum, quem in ipſo conflictu Rodericus Reboledus lateri adhærens à cæde ſeruarat,& Henricus Aragonius.de Petro auctores variant : quidam pugnę interfuiſſe diſputant, & cum tribus triremibus euaſiſſe nocte tectum, alii ad Aenariam inſulam appuliſſe cũ reliqua ex Sicilia claſſe aiunt, ſub ipſum pugnæ tempus. Capti præterea Raymundus Boillus Prorex Neapolitanus, Diegus Sandoualius Caſtri Comes,& filii Fernandus, Diegusſque,Ioannes Sotomaior,Enecus Daualus Dauali Magiſtri equitum filius, nepoſque ex Bertrãdo filio Enecus Gueuara,Reges ex Hiſpania ad hoc bellum ſecuti. Secundum victoriam facta à Caietanis eruptione noſtrorum caſtra capta, direpta ſpolia caſtrenſia , & ampla Principum ſupellex quæ relicta erat. Præſidii caſtrenſis pars in hoſtium poteſtatem venerunt, alii per deuia loca,& occultos tramites fuga euaſerunt. Cæcas hominum mentes, improuida conſilia, varios & commutabiles rerum caſus. quis non exiſtimaret de rebus Aragoniis in Italia actum, amiſſa victoria & quaſi de manibus elapſa? victis ad regnum facilius recuperandum factus eſt gradus,erepta libertas maioris gloriæ occaſio extitit.quis crederet? ſic humanæ cogitationes in contrarium ſæpe vertuntur, non temeritate fortunæ, ſed arcano & altiori conſilio gubernatæ die Veneris Auguſti Nonis pugnatum ad Pontiã inſulã eſt.

Aragonius & fratres libertati redditi. CAPVT X.

COMMISSA pugna Reges, atque è trecentis ampliſſimo genere captiuis, pars maxima Mediolanum a Blaſio victore deducti, ampliſſimi triumphi ſpecies, neque à multis annis viſa.alii Genuæ relicti, vt nauatæ operæ ea merces eſſet.tota Italia expectatione euentus ſuſpẽſa, ecquo pacto Dux nobiliſſima victoria vſurus eſſet,cogitabat. illius opes ante formidoloſæ finitimis,nunc etiam à longinquis timebãtur. Ne totius Italiæ imperium inuaderet ardenti Princeps ingenio, imperii auidus, continuis bellis exercitus. Multum ille cum animo deliberare,quid facto opus eſſet. A captiuis Regibus iniquas conditiones extorqueret?libertatis pretium exigeret?præſenti id fructu lætum eſſet:verendum tamen,ne acceptam illi iniuriam vindicarent ſuis, & amicorum armis: victique, vt erant ſoliti,cum victoribus tamen certamen grauius inſtaurarent.Magnifice exceptos coleret, & gratuita libertate ſibi deuinciret?glorioſum id conſilium toto orbe terrarum foret:ſed ne captando inanen nominis famam,imperii amplificandi occaſionem amitteret,atque ancipitis aleę ſpem ſubiret conſiderandum raro ex ſententia cedentem.magna homines beneficia cum ſoluẽdo non ſint, inſigni maleficio compenſare conſueuiſſe. Vicit laudis ſtudium. Principes ſplendide domi habitos, vt ſocios, vt amicos cum ampliſſimis muneribus dimittere conſtituit. Aragonium etiam cum aſſenſu audiuit,diſputantem coram multiſque exemplis confirmantem,Gallis immodicum ingeniũ eſſe, neque vllis imperii finibus reſiſtere. Mediolanenſes Duces euertendi conſilia ſæpe agitaſſe: neque animos eſſe mutatos. ſi Italiæ litoribus aſſueuiſſent, parto Neapolitano imperio Ligures Galliæ finitimos amicoſque haud diu in fide futuros. neq; nouãdarum rerũ finem fore niſi vniuerſa Italia occupata. Io. Galeacio patri,maioribus aliis Gallicos ſpiritus ſuſpectos ſẽper fuiſſe. Hæc agebantur Mediolani in arce:cùm Iſabella à viro Renato, quem captiuum teneri dictum eſt. præmiſſa mari Genuam primum,deinde Caietam, Neapolim poſtremo,ad quintumdecimum kal. Nouembris appulſa factionis opes vehemẽter confirmauit,copiis etiã ad Eugenio Pontifice adiuta: clariſſima fœmina,præſtanti ingenio,eximia morum ſuauitate.Hiſpania Regũ calamitate ſolicita,mœſtaque varia belli paciſque cõſilia verſabat.Cæſarauguſtæ conuentus Aragonii habiti ſunt. actum referente Regina de claſſe comparãda,ad retinendũ Sardinæ Siciliæq; imperiũ : in quas à victorib. fore impetũ ſuſpicabãtur,nulla iã de imperio Neapolitano ſpe conatuve. Sorię ad Caſtellę & Aragonię fines colloquio Caſtellę Regis & ſororis Aragonię reginę,inducię inter eas gẽtes antea pactę,in quinq; alios mẽſes productę. Alienę calamitati inſultare iniquũ videbatur.euicerat iuſta cõmiſeratio Caſtellę Principũ animos.Soria diceſsũ,& Eleonorã reginã Medinę Cãpeſtri deceſſiſſe nunciatum eſt, dimidiato menſe Decẽbri, dolore interclusa anima, quem ex filiorum caſu accepit grauiſſimum ſcilicet. repentinus obitus eam opinionem confirmauit præ dolore extinctam, lectiſſimam fœminam & tantorum Principum matrem.

trem. multis locis iuſta exequiarum magnifice facta: Cõpluti à Caſtellæ Rege, à Regina vxore Madrigale. Defunctę tumulus in D. Ioannis matronarum cœnobio compoſitus, quod ſua impenſa conſtructum domicilio ipſa delegerat. Mediolani inter Ducem & Reges fœdus factum, eoſdem ſine exceptione amicos inimicoſque futuros. Dux ad regnum Neapolitanum obtinendum vires & copias eſt pactus. Rex impugnandis Mediolanenſis hoſtibus omnem opem eſt pollicitus. magnam id fœdus ſolicitudinem incuſſit tũ Italis, tum externis nationibus. Rex Vaſco in Hiſpaniam dimittitur cum ampla poteſtate rem Aragoniam gubernandi. conquirenda pecunia erat, nouę conſcribendę militares copiæ, numeroſa claſſis inſtruenda. Tarentinus, & Sueſſanus amandati Neapolim, vt ſuorum animos confirmarent: Petrum iuberent cum claſſe è Sicilia rebus opitulari. ſecuta Regis præceptum induſtria militum feſtinatioque. Aenariam appulſa Siculorum claſſe, Caieta venit in poteſtatem, dedente Lanſaloto ciue Neapolitano eius vrbis præfecto, ad octauum kal. Ianuarii ineunte anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimoſexto. Proximis 1436. dieb. Aragonius libertati redditus, (memorabilẽ omnib. ſeculis Philippi liberalitatem) Portum Veneris abiit: quod oppidum, atque Ilicis inter tantas procellas in fide Aragonii manſerant in Genuenſi litore, magis Aragonii præſidii metu, quã ſyncera oppidanorum voluntate. Aduerſas ſecundaſque Aragonii res oſtentis de cœlo ſignificatas memorant. iis quantam fidem res mereatur ex ſe quiſque ſtatuat, adiungatque. vulgata receptaque paſſim præterire conſilium non erat. Quo die ad Pontiam pugnatum eſt, pontis qui ad Cæſaraugustã Ibero imponebatur, ampliſſimo in paucis & nobiliſſimo ſtructuræ genere, præcipuus arcus ſub meridiem nulla certa cauſa collapſus, quinque homines oppreſſit. Fortuita, ais, vulgi rumoribus in prodigium ſæpe poſt res factas vertuntur, & religionem. eſto. Quid ea quæ ſequũtur? triginta ſex paſſuum millibus infra vrbem Cæſerauguſtam oppidum Vililla ad Iberi ripam ſitum eſt, ex Celſæ Romanorum in Ilergetibus coloniæ ruinis conſtitutum: nullaque re hac tempeſtate, & auorum memoria nobilius, quam campana. cuius nullo mouente, inſolito inſolentique pulſu nobiliſſimos in vtranq; partem euentus ſignificari, iis hominibus perſuaſum eſt. inepte an vero non diſputo: ſed oculati tamen eius miraculi teſtes citantur, viri non leues. Eam campanam pridie eius diei quo capti ſunt Reges, ſua ſponte pulſatam ferunt: iterum ad tertium kal. Nouembris, proximi Ianuarii menſis Nonis tertio ſonuiſſe: quo tempore compoſito Mediolani fœdere Aragonius eſt in libertatem reſtitutus. Iis prodigiis auertendis data piacula: ſacrificatumque hoſtia diuina. Solicitæ prouincialium mentes, nuncio ex Italia allato cura leuatæ: mœrorq;, quem ex aduerſo caſu ſuſceperant, metuſque noui mali, quod impendere ex iis oſtentis ſuſpicabantur, publica gentis lætitia mutatus eſt.

Pax inter Reges Caſtellæ & Aragoniæ. CAPVT XI.

MOTA GENVENSIVM arma ſunt: palamque à Ducis Mediolanenſis auctoritate diſceſſum. graue erat partę ſuo periculo & virtute de Regibus victoriæ fructum ad alios recidiſſe: gratiam factę pacis dimiſſorumque cum muneribus captiuorum, vni Philippo Mediolanenſi ceſſiſſe. odium in ſe Aragoniæ, & Catalaunicæ gentis excitatũ: cũ quibus graues ab antiquo inimicitę extitiſſent. patrocinium Mediolanenſium Ducum, ad quod neceſſitate confugerant, imperio atq; adeo dura ſeruitute mutatũ eſſe, vrebat ſcilicet. Hac indignatione permoti, armorum ſocietate cum Eugenio Pontifice & Renato Andegauenſi occulte conſtituta, arma corripiũt. Paccinus Alciatus pro Philippo Duce, Genuę cum poteſtate Præfectus, in populari tumultu perimitur. gladii intentati aliis. & vulnerati quidã, necatiq;. obſeruare ſermones, vultũ habitũq; notare: ſi vultus indignitate auerſari præſentia, & Mediolanẽſib. fauere viderẽtur. Ergo q̃ in ſeditione populari fit, vnde plures erãt, breui omnes fuerunt. ſi qui contra ſentiebãt, palã tamẽ aſſentiebãt, aſſentabãturq;. Auctor ſeditionis Frãciſcus Spinula defenſa nuper Caieta nobilis magnoſq; ex ea re ſpiritus gerens: ac q̃ caput erat Fliſcis & Fregoſiis, qui Aragoniis fauebãt inimicus. Genuę auctoritatem pleraq; eo tractu oppida ſecuta, & ad libertatis dulcedinem excitata defecerunt, pulſo Mediolanenſi præſidio. Hiſpani captiui in cuſtodia retẽti. Septuaginta aureorum millia ab Aragonio Rege numerata eorum redemptionis pretium. Cum Siculis mitius actum. vetuſta inter vtranq; gentẽ hoſpitii atq; commercii iura extabant. ſine pretio dimiſſi. tres modo Ioannis Vintimillii filii diu Genuæ retenti ex odio, an maioris pretii ſpe incertum. Sed Aragonius tamen Philippi Ducis hortatu, Genuenſium motus compeſcere aggreſſus ea claſſe quæ à Petro fratre Caieta miſſa erat, deſtitit conatu: cum id longum eſſet in tanta gẽtis conſternatione: & feſtinãti ad Neapolitana ſceptra omnis

mora eſſet grauis,haud ignaro in bellis ciuilibus diem & horam potius,niſi prouiſum ſit, magnas ſæpe agendi opportunitates corrumpere.nihil eſſe feſtinatione ſalutarius. Ergo è Portu Veneris Henricus miſſus eſt in Hiſpaniam Emporitano principatu donatus,quoniam induciarum tempus exibat, rebus præſidium ſi ſe ea parte Caſtellæ arma commouerent.Rex ipſe Caietam claſſe appulit ad quartum Nonas Februarii.Terracina interea à Petro fratre occupata,magno Eug. Pontificis dolore,in cuius ditione erat, tantum ſibi Aragonios ſumere,vt Neapolitano imperio non contẽti,de vniuerſa Italia cogitarent:neque ſacroſanctæ maieſtatis reuerẽtia,neq; religione moueri vlla feroces & barbaros,durumq; hominum genus & aſperum conquerebatur ſcilicet. Neapolitanorum procerum & militum concurſus Caietam factus eſt.copiarum Dux Franciſcus Picininus renunciatur.Philippi Ducis gratiæ datum, apud quem Nicolaus Franciſci pater præcipuum auctoritatis locum rebus omnibus occupabat,clariſſimus ea tempeſtate copiarum Dux,magno rei militaris vſu,cum veteribus comparandus. Ardebat Italia armorum apparatu. aliæ vrbes ad noui belli expectationem ſuſpenſæ:aliæ ad pellendos Aragonios fœdere inter ſe facto coniurabant,Veneti,Florentini,Genuenſes maximè,adiutore impulſoreque Eugenio Pontifice,odio gentis noſtræ,an Galliæ amore vires conferebant.In Hiſpania bellum Mauricum trahebatur.inter alios Reges ſancita pax,magna Vaſconis contentione multoque conatu,vires gentis in Italiam vertere cogitantis,poſita rerum Hiſpanienſium cura.Geminæ arces Galea & Caſtillegia Mauris dedentibus agente Roderico Manrico in poteſtatem ſunt redactæ.concepta ex iis rebus lætitia breui mœrore mutata, triſti caſu Nieblæ Comitis:quem Heracleam ad freti Gaditani anguſtias poſitum oppidũ,obſidentem (in eo virtutem oſtentare & Regi ſuo gratificari cupiebat) in tumultuaria pugna ſeſe ad claſſem recipientem cum quadraginta ſociis ſubmerſum fuiſſe nunciabatur, accurrentium pondere euerſa oppreſſaque cymba, quo ſe maximè tempore Oceani æſtus ſtatis horis concitabat. Ioannes Guſmanius paterno caſu perculſus, & de ſumma rerum diffidens ſoluta continuo obſidione Hiſpalim abiit. Hic in Aſſidoniæ Ducibus primus fuit,Regis dono poſt aliquantum tempus. is honos doloris blandimentum, nauatæ operæ merces acceſſit nobiliſſimæ Guſmaniorum familiæ,atque in paucis præpotenti in Hiſpania.Toleti Caſtellæ Rex erat,quo Compluto & Madrito luſtratis ſeſe retulerat.ludis regia,& feſta lætitia perſonabat, modica aut nulla belli cura. nouæ & maioris lætitiæ materia adiuncta,ſancita in ea vrbe pace inter Caſtellam Aragoniã & Vaſcones ad quartum Nonas Septemb. Alfonſus Borgia Valentinus Epiſcopus, Io. Luna aliiq; viri Principes ex Aragonia legati. his adiuncti Toletanus Præſul, Calatrauæ Magiſter, Rodericus Beneuentanus ſermone vltro citroq; & longa diſputatione habita,has fœderis conditiones ſcripſerunt. Blanca Vaſconis filia maior Henrico nubito Caſtellæ Regis filio. Dotis nomine Medina,Olmedum,Roa,Villenæ principatus puellæ dantor.Si proles ex coniugio nata non ſit,ea oppida ad Caſtellæ ditionem redeunto.Eo euentu Vaſconi pacto annuo auri pondere ablata oppida compenſantor. Henrico Aragonio omnino quinq; florenorum millia quotannis dantor, vxori tria millia. Capta ad regnorum fines oppida & arces,ad veteres dominos redeunto. Perfugis venia conceſſa eſto: præterquam Comiti Caſtrio: & Alcantaræ Magiſtro, præterea Gotifredo Corteſio Marchioni: quem Vaſco excipiendum iudicauit,hominem inquietum, cupidum rerum nouarum & memoria generis in regni cupiditatem impulſum. His conditionibus induciæ pace mutatæ: armaq; ſociata aduerſus omnes gentes Principeſq;.excepti modo Luſitanus Galluſq; à Caſtellæ Rege ſunt: ab Aragoniis Mediolanenſis Dux, Gaſto Fuxenſis Comes, qui Ioanne patre nuper defuncto eum principatum obtinuerat, quindecim annos natus Vaſconis gener Eleonora minori filia in coniugium pacta.Data ob hæc templis dona:ludi,conuiuia,omniaq; lætitiæ inſtrumenta,per vrbes & oppida inſtaurata. belli metu ſublato, noua rerum facies futura in Hiſpania videbatur.Caſtri Comes venia breui impetrata,Caſtellæ eſt redditus,conſtantior aliquanto in fide futurus,diuturno caſtigatus exilio. Interea Alfonſus Aragonius Neapolitanorum animos pertẽtare non deſiſtebat, conſilioq; vires adiuuare. Baltaſſar Ratta Caſertæ Comes,è gubernatorum rerum publicarum numero in partes attrahitur.idem facit Raymundus Vrſinus Nolæ Comes,ex regio ſanguine vxore pacta Eleonora Vrgelitani Comitis dudum extincti filia.Capua Rex,vbi belli apparatus erat,votis nuncupatis profectus S.Seuerini Vallem, Salernum vrbem, Amalphitanũ litus armis præſidiiſq; capit.Sic Aragoniæ vires confirmatæ,debilitatæ hoſtium. Neapolis regni caput petenda erat,haud exigua victoriæ ſpe in tãta animorum inclinatione,tantuſq; factionis copiis. confirmabant animum geminæ arces vſque adeo malis temporib. in ea vrbe

præſi-

præsidiis tamen Aragoniis retẽtæ: quod miraculi instar erat, ad totius belli summã omen præclarum.

Clades à Lusitanis in Africa accepta. CAPVT XII.

HORRIDA gelu & niuibus hyems fuit in Hispania, quantum mortales non meminerant. Caracæ, vbi Rex Castellę erat, septem agasones lignatum in vicinas syluas egressi, ipsis Ianuarii kal. anno MCCCC trigesimo septimo, cõstrictis præ frigore membris 1437
oppressoque calore vitali extincti sunt. niues glacie, glacies Circio concretæ multis exitio fuere. Rege iniquo anni tempore, viis à multa niue impeditis in Castellã Vlteriorem ituro, quo reipu. cura necessario vocabat, à trecẽtis operis summota in vtranque partem niue equitis altitudine, cumulis extãtibus aggeris instar, ægre montes superati quibus vtraque prouincia dirempta est. Roa mense Maio Vxamam itũ. in ea vrbe Rex substitit: Henricus Princeps Alfarum missus lautum municipium ad Vasconum fines. sequebantur è proceribus amplissimus quisque. eminebat inter omnes Aluarus recẽs importunis precibus Montalbino Reginæ extorto, & ad Scalonẽ in Carpetanis adiecto. auctis opibus, incẽsa magis inuidia, cui nulla potentia par est. Post biduum Regina Vasconum Alfarum cum filiis accessit, & splendido suorum comitatu Episcopo Pompelonensi, Petro Peralta regiæ procuratore, procerib. aliis. Duodennibus spõso sponsæq; solenni apparatu rituque sponsalia data sunt. Cæremoniæ antistes, Vxamensis Episcopus regio genere superbus. quatuor in ea lætitia diebus consumptis Vasconum Regina sponsaque filia se se retulere in patriam. Abs Rege Castellæ & Henrico Principe Medinam Cãpestrem itum. est in eo oppido Petrus Manricus Antelatus Aluari, & Beneuẽtani consilio captus, iussu Regis Fontidoniam arcem in custodiam amandatur, mense Augusto. nouum initium turbandæ reipub. quod magna rerum moles est consecuta. causæ non sunt proditæ. Aluari euertendi consilia agitasse cum aliis proceribus euẽtus docuit. quod maiestatis crimen esse ea tempestate putabatur. Fuit hic annus Lusitanis infaustus maxime, clade in Africa memorabili à Mauris illata. ardebãt quinq; Lusitani Regis fratres cupiditate proferendi nominis, opes amplificandi. in Hispania qui possent angustis regionis finibus pace cum finitimis nuper sancita? in Africam maiori gloria transferre arma cogitabant aduersus infensissimam Christiano nomini gentem. Pecuniæ in stipendium redigendæ difficultas retardabat. ab Eugenio Pontifice venia peccatorum impetrata est, Oreni Comitis legati Lusitani opera, omnibus qui cruce insigni sacram militiam susciperent. Pontificis indulgentia euulgata, incondita multitudo ad arma concurrit. Ferdinandus Auisii Magister cęteris fratribus ardentior se multitudini ducem offert. Disputatur in concilio gentis de expeditionis summa, Ioannes D. Iacobi in Lusitania Magister, vnus è regiis fratribus de scripto etiam concepta sententia, negat nisi vniuersis regni copiis petendam Africam. armis, equis, virisq; potentem esse eam prouinciam. Sæpe infeliciter lacessitam futuram nunc exitio, nisi suis se viribus metiantur. audaciam præcipitem fręnandam videri. Vtinam, inquit, falsus vates sim. nisi impetum animorum tenetis, atque ad rationem reuocatis, Africani campi nostro sanguine redundabunt. His ne copiis cõfiditis? feroces ante certamen maximè, in ipso discrimine ignauissimi erunt nullo armorum vsu, nullo animorum vigore. An Mauros contemnitis? næ hic contẽptus magno luetur malo. gentem in pericula promptam, numero infinitam, pro aris & laribus, pro liberis & vxoribus fortiter dimicaturam irritabitis. Numinis patrocinium aderit. sed maiori morum probitate conciliatum, qua quos video ad arma maxime accensos. sed si mature, si prudenter capiantur arma. temerariis votis, impuris precibus frustra superos fagitabis. Ne hic furor vestris conceptus animis magno constet, vereri me cogit, nonnullus rerum vsus, ardens patriæ & vestræ omnium salutis amor. Hæc sententia cautissimo cuiq; probabatur: in primis Petro & Alfonso regiis fratribus. vnus Henticus Ferdinandi conatus subleuabat, generis nobilitatem paresque opes literarum studiis illustrans. quod sæpe accidit, maior & sanior pars à minore & deteriore victa est. Communi consensu bellum decretũ. Comparata classe, sex millia militum in naues imposita. fama vero semper maior eum numerum duplo maiorem prædicabat. id quoque incommode accidit. pridie Idus Augusti vela explicata intra dies quindecim peruentum in Africam Septæ de ratione belli disceptatum. omnibus copiis Tingis obsessa, vrbs olim Romanorum nobilissima, tunc modica, exaduersum Tartessi ad fretum posita. multa circum glarea, eoque ager frugibus infœcundus: nisi qua parte excauatæ valles vicini fontis aquis, consitis

hortis eximia amœnitate prouentuq; sunt. Obsessi dies septem & triginta magno conatu impugnati nunquam remiserunt animos, cum spe propinqua auxilii ad defensionem incitati. Phuthensis & Marrocius Reges, aliiq; Africani Principes auxilio accurrũt. sexcenta millia peditum, septuaginta equitum millia sub signis, fortassis ementiente verũ fama, traxisse feruntur. His copiis qui possent Lusitani resistere? pugnatum initio acriter, deinde multitudine circumfusa, intra munimenta nostri obsessi. in repentino terrore mœsti, fixis in terram oculis, neque respondere, neque rogare. quantum tempus dabat, abditi per tentoria, & lucem ipsam vitantes. De fuga consultum: sed quo, aut qua irent locis omnibus occupatis. victi necessitate, legatos de pace mittunt. barbari vllam fœderis conditionem fore negant, nisi Septa dedita, vniuersa Africa decedatur. graue id erat, neque in ipsorum potestate situm. pollicentur tamen modo incolumibus ire liceat. dati obsides Ferdinandus ipse Dux, aliique viri primarii. reliqui illuuie corporum deformis acies Septam primum, deinde in Lusitaniam fine anni abierunt. De sancito fœdere in concilio Principum Eboræ disputatur. iniussu Regis conditiones pactas, irritas videri communi eorum qui aderant consilio decernitur. religionem, siqua erat gens obligata, eo fœdere, satis exolui obsidibus in hostium potestate relictis: vt suis capitibus luerent, quæ stulte & temerarie promiserant. An si eadem superbia Lusitaniæ deditionem polliceri barbari vniuersæ coegissent, conditioni esset standum? Mauriciq; imperii iugum reponendum Hispaniæ? quid alia, quæ multa polliceri & indignissima potuissent? num iis gens Lusitana teneretur? Ergo Ferdinandi captiuitas perpetua fuit. Sepulcrum eius in vrbe Phuthensi loco sublimi monstratur, erectum videlicet de nostra gente trophæum. penes quem facti culpa præcipua erat, is siue casu, siue consilio Dei pœnas temeritatis princeps exsoluit.

Petrus Aragonius ad Neapolim casus. CAPVT XIII.

IN Hispania nouorum tumultuum metus ostendebatur, procerib. Castellæ magna ex parte abs Rege suo alienatis, Petro Manrico iniuria (sic illi prædicabant) in vincula tradito. Inter viros sacratos graue vbique de religione certamen erat. Basiliensem conuentum Episcoporum Eugenius Pontifex ab ipso pontificatus initio suspectum habens, dissoluere conatus erat. Ea via inuenta erat eludendi atque debilitandi conciliorum vires: quæ Pontificib. esse cœperant formidabiles. Reuocauit tamen, ab Imperatore Sigismundo & Cæsarino legato grauissimis literis castigatus. Patres Basilienses plus sibi auctoritatis sumentes, quàm fortasse par erat, & noua ea iniuria prouocati, Eugenio Pontifici denunciarunt, nisi ad conuentum veniret, se in eum constituturos quod in desertores sacræ causæ solitum esset. Obsequi recusantem, deponendum fremunt abrogata pontificia auctoritate. Ita animatis Episcopis, Principum toto orbe Christiano non vna mens erat. alii consilio repugnare quasi præcipiti & temerario, memoria vulnerum quæ superiori schismate rei Christianæ erãt inflicta, vix dum cicatrice obducta: in primis obstitit Sigismundus Imperator quamuis à Pontifice alienatus. verum in ipso rei perficiendæ conatu decessit ad quintum Idus Decembris ecclesiæ pace ante fundata, & nunc defensa, quam diuturno imperio nobilior. Res Germanicæ in eius generum Albertum Austriæ Ducem, iam Regem Romanorum translatæ sunt. imperii insigne desumptum ipsis Kalen. Ianua-
1438 rii ineunte anno eius seculi trigesimo octauo. Quo tempore, in Hispaniæ oppido Maderuelo, quod in ditione Aluari erat in Vaccæis, lapidibus pluit, singulis puluini magnitudine, innoxiis tamen propter materiæ leuitatem. Ioannes Agreda regius præcursor ea causa missus, de re tota quæstione habita, Roam ad Castellæ Regem ex eorum lapidũ numero quosdam attulit: tristi an læto omine dubitatum. Ac ne ex euentu quidem belli Maurici, quid ea res portenderet satis intellectum. nam Huelma (Onoua veteribus) copia defensorum & mœnium firmitate munitum oppidum de Mauris Granatensibus captũ, Enneci Mendozæ Fitæ reguli ductu virtuteq; Giennensi limiti præfecti. lętitia haud diuturna fuit: Roderico Perea Casorlæ Antelato, cũ in Maurorũ fines inuectus esset, à multo maiori hostiũ numero cæso. ex mille & quadringẽtis sociis, viginti tantũ seruati fuga. neque Mauris incruenta victoria fuit. cũ multis Dux ipse Abensarraxius Granatæ Prætor in conflictu cecidit, acceptæ cladis nonnullũ leuamẽ. Ab Eugenio Põtifice Aragonius auersus. Basilięses conatus iuuare videbatur priorib. iniuriis irritatus, & nũc Ioanne Vitelesco Patriarcha Alexãdrino, cũ valida militari manu in fines Neapolitanos immisso. cuius aduẽtu magna immutatio animorũ facta erat: seq; Tarẽtinus & Casertæ Comes põtificiis partib. adiunxerãt, homines in fide parũ constãtes, ingenio mobili ac vario. cõtra Antonius Colũna Aragonio cõciliatus, spe Salernitani principatus, qui ereptus ante erat, ex pacto Regis beneficio

beneficio recuperãdi: breui victus Patriarcha, & Neapolitani regni finib. decedere coactus eſt, diris quãuis & milite armatus. Duo alii Principes ad officiũ reuocati ipſo tẽpore: quo Renatus Andegauenſis pretio tandẽ redempta libertate Neapolim cũ claſſe appulit ad quartum decimum Kalendas Iunii: parũ præſidii in Renato fuit: nulla pecunia in belli ſumptus allata. multorum tantum animi ad ſpem rerum nouarum erecti ſunt: multis locis belli flamma excitata: ſed vis maior in Marſos, & Pelignos incubuit: vbi Iacobus Caldora tanti vſus Dux Renati partes ſuſtentabat. Accurrit Renatus ipſe haud magna ſpe, cũ Aragonii opes indies confirmarentur. multa eo tractu oppida & arces Aragoniis præſidiis occupatæ. & Renatus tamen hoſtem ad pugnam prouocare non dubitauit, miſſa chirotheca militari. id ex animo, an vt exiſtimationem tueretur, non ſatis conſtat. Inanis certè conatus fuit, de die & loco pugnæ controuerſia nata. A Rege Franco in Biturigibus omnium ordinum conuentu, placita Baſilieſia ſancita ea lege ſunt (Pragmaticam ſanctionem vocant) vnde ius dici mandatum: magno Eugenii dolore, quod Pontificatus maximus prope in ordinem redigi videretur, ſacerdotiis conferendis, litibus diiudicandis. eo amplius in conſilium incubuit ſoluendi Baſilienſem conuentum: vnde tot iniuriæ & noui metus extabant. nouo edicto concilium ſe Ferrariam transferre pronunciat. Cæſarinus legatus cognita Pontificis voluntate, & cum eo quinque è ſeptem qui aderant Cardinalibus Ferrariam abeunt. duo perſtitere. Mutandi loci ſpecies erat, aduẽtus Ioannis Palæologi Auguſti, & Patriarchæ Conſtantinopolitani, ad conciliandam pacem inter Orientis Occidentiſque Eccleſias. Ii Ferrariam delati ibiq; culti ſunt. ſed peſte graſſante, Florentiam itum Hetruriæ caput. vbi de controuerſiis, quæ latinos inter & Græcos erant, multorum dierum labore diſceptatum, maiori in præſenti ſpe, quàm in futurum prouentu. Baſilienſes patres, & ante conati Græcos ad ſe auertere, & nunc contra Eugeniũ Pontificem amplius irritati quam territi, in Cæſarini locum Ludouico Cardinali Arelatenſi ſubſtituto, turbida conſilia agitare cœperunt, reipublicæ exitialia. Eugenium loco ſe moturos minabantur abrogato iure clauium, nouoque ſubrogato Pontifice. In Italia Renato Andegauenſi in Pelignis occupato iis arcibus impugnandis, quæ in hoſtium poteſtate erant: Aragonius rebus ſecundis elatus Neapolim vrbem belli regnique caput petere conſtituit, iuuentutis diſceſſu Renatum ſecutæ præſidio nudatam: ac ne commeatu quidem in multos dies comparato. Erant in Aragoniis caſtris ad quindecim hominũ millia. quatuor triremes, ſeptem onerarias, plura minora nauigia claſſis numerabat, ſubuectionibus à mari prohibendis idonea. hoc apparatu vrbs nobiliſſima in paucis, numero ciuium, ędificiorum maieſtate, imperii amplitudine, mari terraque circumſeſſa ad decimum Kal. Octobris. aderant Matthæus Aquauiua Andriæ Dux, Comes Nolanus, Ioannes Vintimillius, Petrus Cardona. caſtris munitis, ſcalæ, aliaq; machinamenta comparata. copiæ locis idoneis diſtributæ, dum impetum in vrbem facere parant, fortuna quæ in humanis rebus ludere conſueuit, & proſperis aduerſa confundere, cuncta Aragonii conſilia triſti caſu conturbauit, & vno momento euertit. Petrus Aragonius ad decimum Kal. Nouemb ſpeculandi gratia paulum à caſtris mane progreſſus, è D. Mariæ Carmelitanæ tẽplo, tormento percuſſus occubuit. pila tertiò ad terram illiſa, quarto ictu eius caput comminuit. corpus ad D. Magdalenæ delatum. Alfonſus frater accurrens extincti pectus exoſculatus. Aliam, inquit, à te frater lætitiam expectabam. æternum patriæ decus, laborum & gloriæ noſtræ particeps vale. ſimul ad adſtantes conuerſus: militiæ florem, atque omnis elegantiæ, hoc die, milites amiſimus. quanto hæc cum dolore? In ipſo iuuentutis vigore, viginti ſeptem natus annos deceſſit, cælibe vita, multis bellis cum laude perfunctus. tumulus ad Oui arcem translatitio funere compoſitus. vulgus militum, ſed & populi multitudo Petri cædem in religionem vertebat, præſertim continuis imbribus, oppugnatione impedita. Ioannes Vintimillius Renato, qui obſeſſis auxilio accurrebat, ad furcas Caudinas obuiam ire iuſſus eum compulit alio itinere in Nolanum agrum deſcẽdere. Improuiſo Vintimillii aduentu, aliquot ex hoſtibus capti ſunt. mox compoſito agmine Neapolim rediit. Alfonſus ſoluta obſidione Capuam diſceſſit maiori impetu bellum reparaturus, cum primùm ſe hibernum tempus aperiret, duoſque reliquos fratres eo conſilio ex Hiſpania euocare conſtituit: præ cupiditate Neapolitani imperii paterna regna contẽptui habens: quæ à valida Gallorũ manu rapto viuere aſſueta vexari latrocinio cœperant, ductorib. Alexandro Borbonio Ioannis Borbonii filio notho, & Roderico Villandrando: qui Valliſoleti in Hiſpania natus Gallo aduerſus Anglos fortem operam nauarat, & ex gregario milite ordines duxit, decem millibus nonnunquam imperator. Robuſto corpore fuit, iracundia maxima. Ergo iis ducib. rapto viuere, & prædas agere aſſuetis, impetus in Ruſcinonenſem agrum eſt factus, magna prouincialium, Reginæque Aragoniæ, & Regis Vaſconum ſolici-

tudine.breui tamen ea tempestas sedata est. Galli propter anni tempus hibernum in aliam partem flexere. Fuit hic annus Lusitanis tristis infaustusque ob recentem cladem Africanam, tum pestis lue, quæ vniuersa ferme prouincia grassata est. multi mortales exstincti:Rex ipse Eduardus ad Tomarem cœnobium,quo se ad vitandum periculum contulerat,febri correptus decessit die Veneris ad XIII. Kalend. Octobris ipso interlunio. litteris valde deditus librum etiam de regni moderatione scriptum reliquit, nulla re præterea memorabili gesta, imperio breui. Omnino annorum quinq; dierum septem & triginta. Filios reliquit Alfonsum regni successorem sexennem,Fernandum Visei Ducem Dieghi & Emanuelis patrem,Eleonoræ & Isabellæ. Eduardi Regis filiæ fuere Eleonora Augusta vxor Friderici tertii Imperatoris, Catharina innupta, Ioanna Castellæ Reginæ.Regni Lusitani procuratio Eleonoræ viduæ viri testamento demandata est. tulere id ægrè Lusitani fœminæ imperium,externæ præsertim auersantes. Itaque in comitia euntes eo testamento abdicato,Petrum Conimbricæ Ducem pueri Regis patruum regni procuratorem nominarunt.Graue id decretum Reginæ fuit: deditque litteras de iniuria tum ad fratres,tum ad Castellæ Regem : nihil tamen ea diligentia profecit.

Castellæ motus. CAPVT XIV.

EVASERAT mense Augusto superiore Manricus Antelatus ex arce Fontidonia,vbi captus tenebatur, vxorq; & filiæ duæ funibus per fenestram demissi, consciis & adiutoribus Gometii Carrillii custodiæ præfecti nonnullis domesticis, vnde noui tumultus extiterunt.cum eo enim Fridericus maris Præfectus,Petrus Stunica Ledesmiæ Comes,data fide acceptaq; euertendi Aluari,consilia inter se communicarunt.adsciti in societatem Ioannes Arellanus Camerorum,Petrus Mēdoza Almasani reguli, Ludouicus Cerda Medinæ Celinæ Comes.adiecti paulo post Vxamensis Episcopus multis in ea temporis perturbatione occupatis arcibus magnum factioni momentum, præter hos Beneuentanus, Touarius,Quignonii fratres.Rei perficiendæ haud facilis erat via, in tanta Aluari gratia, potentia,auctoritate. Medinæ, cui à Riuo sicco nomen est,equi, arma, milites, cæteraq;, quæ ex vsu belli futura erant,diligenter comparata. tanti conatus celeritate erant occu-
1439. pandi.Rex Castellæ Madrigale vbi se tenebat mense Februario principio anni millesimi quadringentesimi trigesimi noni,Roam profectus est.sequebantur Henricus filius,Aluarus ipse, Comites Hari Castriq;, Calatrauæ Magister, Episcopi Toletanus & Palentinus. præterea Lupus Barrientus nuper Segobiensis Præsul creatus. ea merces fuerat Henrici Principis iuuentutis literis informatæ.Literæ à coniuratis ad Regem supplices missæ. Earum summa erat:Se quidem paratos esse imperata facere, vt subditos deceret, iis maioribus natos,ea nobilitate:modò Regis & filii Principis arbitratu. Rempublicam ad cuiusquam priuati voluntatem inuerti, Regemq; ipsum in alieno mancipio esse, neque leges prouinciæ pati:neque tantam ipsos ignominiam tolerare debuisse.An æquum videretur aduersus vnum hominem,neque imperia magistratuum, neque nobilitatem, neq; leges valere?Id si esset mutatum,arma ad prohibendas iniurias necessario sumpta,continuò posituros. Ad has literas nullum abs Rege responsum datum est. Venerat ex Gallia Villandrandus cum quatuor equitum millibus auxilio,Ribadei principatu à Rege Castellæ inuitatus. Aragonii fratres Vasco, Henricusque Castellæ turbationem, suam occasionem facere constituentes,atque in studium incitati pristinæ ditionis recuperandæ, quingentis equitibus stipati in Castellæ fines ingressi. vno tempore à Rege & coniuratis ad societatem inuitantur.consilio illi inter se communicato, Vasco quidem Cuellarem, vbi Castellæ Rex erat, profectus est: Henricus Pennafielem abiit, suæ antea ditionis oppidum, quorsum res commotæ euaderent expectare constituens:atque iis se adiungere paratus, vnde maior certiorque spes ostenderetur pristinarum opum recuperandarum. Vallisoletum interea ab Eneco Stunica Ledesmii Comitis fratre occupatum erat,præsidio quingentorum equitum.Id municipium magnum,atque opulentum,ibique frumentum magna copia, & commeatus affatim,quæ post quam à coniuratis comperta sunt, eo sese frequentes contulerunt. Castellæ Rex eo nuncio perculsus:fatali suorum defectione ne respublica grauem plagam acciperet, Olmedum abiit, ex propinquo imminentes motus procurare satagens: ac in primis Henricum Aragonium traducere in partes. eo conatu varia Principum colloquia habita:Renedi primum,deinde Tudelæ,postremo Tordesillæ.Sed ea res frustra tentata : cùm Henricus operam suam aliquandiu licitatus, coniuratis demum se Principib.adiunxisset,Vasconis (sic est creditū)consilio:vt quicunq; cōtentionis exitus esset,apud vtrosq; præsidiū ipsorū reb.esset paratū.& procerū magna pars possessione eorū oppidorū cōtaminata,quæ Aragoniis detracta erāt,morā paci variis artib.afferebāt. q̃ nisi iis oppidis restitutis,coalescere nō posse exploratū erat. Solicita prouincia, & ad

& ad expectationẽ belli ciuilis ſuſpẽſa, affuere viri ſancti quib. aut morũ probitas, aut eruditionis opinio auctoritatẽ maximè dabãt. Principes adeunt, docentq́ꝫ, quãto cũ periculo pax publica importunis diſſidiis turbaretur. Si maximè viribus fideret, incerta pro certis ſtultè mutari. Bellum ſumere facile eſſe, exitũ fore proculdubio exitialem, alteri minimũ parti. Proinde ſibi & reipublicæ conſulerent: neque florentes Caſtellæ res importuna contentione perditum irent. Societatis, amicitiæque coniungendæ fore copiam, gladiis nondum fraterno ſanguine infectis. Conſtitutum multo labore, vti ad Caſtrum Nunnium Principes colloquerentur, de conditionibus pacis coram diſceptaturi. Quo tempore ex Italia nunciatum eſt, Arcem nouam, quæ Neapoli Aragonio præſidio tenebatur, diuturna obſidione fatigatam redactamque ad ſupremam annonæ difficultatem, hoſtibus deditam, nono Kalendas Septembris, Aragonio nequicquam opem ferre omnib. copiis conato. Sed eam tamen iniuriam Salerno in Picentinis recepto, multiſque aliis oppidis ad ditionem ſubiunctis egregiè compenſatam. Inter Caſtellæ proceres fœdus tandem ad Caſtrum Nunnium his conditionibus eſt factum. Aluarus Curia abeſto ſemeſtri ſpatio, ſublata etiam literas ad Regem ſcribendi facultate. Aragoniis fratribus oppida & honores, quæ ablata erant redduntor: aut pecuniæ tantum annuæ, quantum arbitri iudicabunt. Copiis militaribus miſſio eſto. Vrbibus coniurati occupatis præſidia detrahunto. Neu fraudi cuiquam eſto Aragonias partes ſuperiori tempore, nunc coniuratos proceres fuiſſe ſecutos. Sic Henrico quidem D. Iacobi Magiſterium reſtitutũ eſt: Vaſconi Cuellar municipium. Aluaro æqua permutatione Sepuluega pro eo oppido datum. Caſtellę Rex Taurum digreſſus. quo tempore nunciatum eſt, Catharinam ſororem Hẽrico nuptam, dolore partus Cæſarauguſtæ obiiſſe ad quartum decimum Kalendas Nouembris, nulla relicta prole. miſſi Segobienſis Epiſcopus, & Ioannes Luna Prior Hoſpitalarius, qui Principis luctum in ea calamitate leuarent. Aluarus Sepuluegam abiit ad quartum Kalendas Nouembris ſupra bonum, atque honeſtum perculſus, neque frenare iram, neque moderari linguam, vir egregius alioqui. vno ſolatio exilium ſuſtentans quòd breui rerum mutationem fore prouidebat animo. Abeuntem Ioannes Sylua regius Vexillifer, Petrus Acunius, Gometius Carillius, alii nobiles proſecuti: beneficiorum memoria, an meliori in futurum ſpe. In conuentu Baſilienſi damnato tandem Eugenii nomine, Amadeus Sabaudus Pontifex ſalutatur Nonis Nouembris, Felicis quinti nomine indito. Is primum Comes Sabaudiæ, deinde Dux cùm quadraginta annis fuiſſet, abdicato principatu, ac aulæ cultu relicto, in eremum abiit, purioris vitæ ſtudio incenſus, ſex ſenioribus ex ſuorum nobilitate comitibus. id Eugenii felicitati tributum eſt, quòd parum ea electione Principes ſunt commoti: ne Philippus quidem Mediolanenſis Amadei gener, Eugenii, ac Venetorum hoſtis: neque Aragonius eidẽ infenſus cauſam Renati hoſtis ſummo ſtudio defendenti, nouum Pontificem venerari in animum induxere: memoria credo ſuperioris diſſidii, vnde tantæ calamitates extiterant. aut Baſilienſium Patrum auctoritate fluxa, quæ fortaſſe celeritate valuiſſet. Tametſi ad annum eius ſeculi quadrageſimum ſeptimum in conuentu perſtiterunt. quo tempore Ludouici Galliæ Delphini armis diſturbati, & Friderici Imperatoris, qui Alberto ſucceſſerat præcepto prohibiti, ſoluto raptim cõuentu redierunt in patriam. Felix ipſe nouus Pontifex aliquanto poſt pontificiis inſignib. poſitis honore purpuræ & Sabaudiæ legatione à Nicolao Põtifice Eugenii ſucceſſore annis conſequentibus donatus eſt. Hic finis non vno tempore Caſtellæ atq; Eccleſiæ diſſidiorum fuit, nouarum rurſus rerum initium. quod alia narratione explicandum eſt.

Noui in Caſtella motus. CAPVT XV.

CIVILIA in Caſtella arma cepiſſe finem videbantur, quaſi Aluari calamitate vniuerſa prouincia expiata. cùm repentè & præter opinionem noui tumultus concitati ſunt. Nullis finib. ambitio reſiſtit: in omne fas, nefaſq́; auida rapitur ferox importunaq́;. Regis imbecilla mens erat, neque curis imperii ſatis idonea, niſi alieno præſidio, conſilioq; adiuta. ea re cognita proceres primum gratiæ, & auctoritatis locum apud Regem variis artibus captare: ante omnes Fridericus maris Præfectus: cuius erat ingenium varium, flexibile, multiplex: & quem Aluarus pro ſe maximè vicarium ſubſtitui rebus gerendis ſua apud Regem commendatione curarat. Aragonii fratres ſua ſe opinione deludi ægrè ferre: induſtriæque fructum pellendo Aluaro, ad quem minimè oporteret recidiſſe, dolere ſcilicet. rara fides inter ſocios aſſeclaſque aulæ. Metandis Tauri hoſpitiis inter vtriuſque partis domeſticos & neceſſarios conuitiis & probris initium rixæ quæri viſum. in Rege parum conſilii erat, parum auctoritatis proceribus

coercendis.conſilio eorum, qui Aluaro fauebant, Medina Campeſtri per ſpeciem venationis egreſſus, raptim Salmanticam abiit,amplam munitamq; in Vectonibus ciuitatem,
1440 ineunte ſalutis anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo. Abeuntis veſtigia Aragonii fratres,Comites Beneuentani, Ledeſmiæ,Hari, Caſtanedæ, Valentiæ, præterea Enecus Mendoza proſecuti Madrigale ſunt: adiunctis ſexcentis equitibus, vim facere Principi ſi obſiſteretur parati.miſeram conditionem pudendamque.vix Caſtellæ Rex acceptus Salmanticæ,procerum aduentu nunciato citato itinere Bonillam abiit, munitum iis locis oppidum incolarum fide,mœniumque firmitate. Inde legati abs Rege miſſi ſunt ad Aragonios fratres fide ab iis accepta Salmanticam prius, deinde Abulam, quo ſe proceres contulerunt,eius vrbis præoccupandæ ſpe, vtriuſque legationis princeps Guterrius Toletus Hiſpalenſis Præſul iuit, fidei erga Regem conſtantia in paucis ea tempeſtate nobilis,qui illi gradus ad ampliores honores fuit.parum ea diligentia profectum. proceres tantùm idoneum hominem nacti,literas ad Regem dederunt,ſupplices quidē,præceptis tamen ex intima philoſophia petitis ad rem publicam gubernandam graues,ꝙ caput erat,in Aluarum criminoſas. Rempublicam impotenter habere ſolitum. Bona publica, & priuata domum auertere. iudicia inuertere. neque humani quidquam, neque diuini ſanctum ducere.Hæc partim vera,partim ex odio afficta eſſe Rex non ignorabat: verum quaſi magicis cantionibus emota mente, aures ſurdas præbebat, ſalutaria monentib. nihil reſponſi datum. contra à proceribus Hari & Beneuēti Comites ad Regem legati peruicerunt, vti regni conuentus Vallisoleti eſſent. ibi Rex & proceres de vniuerſo reipublicæ ſtatu deliberarent: arbitris iis Comitibus de tota controuerſia iudicaretur. Sic factum,vt neque vrbes ante à coniuratis occupatæ redderentur, & denuo caperentur aliæ. earum hæc ſunt nomina: Legio,Segobia,Zamora ſeu Sentica,Salmantica,Vallisoletum, Abula,Burgi,Placentia,Caraca.præterea Toletum ab Henrico Aragonio recens occupata eſt Petro Aiala dedente: qui arci præfectus, vrbi Prætor abs Rege datus, principem in ea vrbe auctoritatis & potentiæ locum tenebat. Valliſoleti, quo menſe Aprili conuētum eſt,nihil prius actum,quàm vt fide publica Aluarus reuocaretur. Ea cogitatio Regis pectori infixa erat: cuius voluntati repugnare periculoſum,obſequi miſerum erat. ſed vicit tamen metus honeſtatem. ampliſſimis verbis literæ in eam ſententiam datæ ordinū conſenſu.officio quiſque Aluari gratiam præoccupare ſatagebat. Vrbes ad Regis poteſtatem redierunt, Toletum in primis. De iudiciis reſtituendis actum: tuta non erat alioqui innocentia in tanta temporum licentia; vis & latrocinia vigebant, fluxa auctoritate magiſtratuum.Fruſtra is conatus ſuſceptus: quin nouæ enatæ difficultates, Henrici Principis Caſtellæ alienatione.Maligni ſideris vi factum arbitror,vt per hæc tempora præcipuam reb. omnibus auctoritatem aulici obtinerent,argumento horum Principum patris & filii,qui ea fuerunt mentis & prudentiæ imbecillitate, vt ſemper alieno imperio obnoxii viuerēt. Ioannes Paciecus Alfonſo Gironio Belmontis regulo natus,Hērico Principi à primis annis aſſuetus, morum ſimilitudine, aut ingenii dexteritate, præcipua apud eum gratia & auctoritate pollebat. is Aluaro euerſo, à quo Principis datus erat in familiam ſummū potentiæ locum,vt fecit,quærere videbatur. ea ſuperioribus Aluari meritis gratia fuit. Inter Regem & filium enatæ ſuſpiciones ſunt. ſe Henricus Princeps die quodam à regia ſubduxit,niſi Regis conſiliariis quibuſdam loco motis,rediturum ſe vllo tempore negās. vix ad multam noctem agente Vaſcone ſocero ad patrem reuocatus eſt. eò maiori feſtinatione nuptiæ maturatæ. Blanca deducente matre ad fines Vaſconum, ab Alfonſo Carthagena Burgenſi Epiſcopo, Comite Hari, Fitæ regulo, ea cauſa legatis Valliſoletum deducta.Nuptiæ celeberrimo apparatu ad ſeptimum Kalend.Octobris peractæ.ludicrum militare commiſſum,auctore Roderico Mendoza regiæ magiſtro: ſi ludus fuit,homines nobiles interfici.haſtis exacuto ferro pugnatum.inter alios proceres ſplendore cultus, conuiuiorum apparatu certatum. & erant earum elegantiarum non minus quam militarium rerum periti.noua nupta tantum ex virgine mulier facta non eſt. id rumoribus primùm, deinde fama vulgatum,publicam gentis lætitiam vehementer conturbauit. Ipſo tempore in Gallia de pace inter Anglos & Gallos actum, Burgundi Ducis opera. negotium Iſabellæ eius vxori datum,fœminæ regia maieſtate,Luſitani Regis amitę:more inter Gallos recepto,vt auctoribus mulieribus de rebus maximis tranſigatur.ad Flandriæ fines,quo Iſabella ſe contulit,& oratores ab Anglo venerunt, de communi pace agi cœptum, re ingentis molis,ac lentioris ſpei. Libertas Carolo Aurelianenſi redempta quadringentis millibus aureorum,concedente Anglo in cuius poteſtate erat, Burgundo annuente, ea lege vt obliuio iniuriarum inter Burgundos & Aurelianenſes eſſet: & cælibe is toro duceret Margaritam filiam Cleuenſis Ducis ex ſorore Burgundi procreatam. ſic poſt annos viginti

ginti quinque, ex quo bellis superioribus ad Blangium captus erat, Aurelianensis patriæ & imperio redditus persanctè affinitatem amicitiamq; coluit. Carolus hic filius & hæres fuit Ludouici Aurelianensis, quem à Ioanne Burgundo occisum fuisse docuimus.

Castellæ Rex captus. CAPVT XVI.

DEcesserat in ipsa nuptiarum Henrici & Blancæ lætitia Petrus Maricus in exiguo corpore magno vir animo, callidus, audax, prius tamen & in vtramuis partem se dedisset industrius. Aluari quamuis absentis (nam Scalone se tenebat) consiliis res communes gerebantur. id ægrè coniuratis proceribus erat. præterea Henrico Principi prorsus vt Segobiam relicto patre discesserit fine anni, ad Aragonios propensus. Paciecus amicorum intimus ægro animo subdebat faces. Toletum rursus occupata est, Petro Aiala intra mœnia Henricum Aragonium accipiente, contra quam expressè mandatum erat. addita noua iniuria captis fecialibus: qui abs Rege missi erant de offensa expostulatum. Ergo Rex vt par erat commotus, eò magnis itineribus festinauit, modico comitatu, maiestate securus. aditu prohibitus ad D. Lazari substitit, ipsa militari via, qua Madritum itur. ab Henrico Aragonio ducenti equites foras portam educti. regiis in periculo aliquanta spes, timor amplior: quippe exiguo numero aduersus armatos. expedita arma: subitarii operis munimenta constructa. grauis eo die calamitas extitisset. Henricus ne maiestatem violando nouam inuidiam conflaret, sese in vrbem retulit. Villandrandus, cuius præcipua virtus extitit, depulsi periculi præmium tulit, extortis à Rege publicis tabulis, quibus Ribadei Comitibus perpetua lege dabatur ad mensam Regis accumbere, vestisq; quia Reges vterentur omnibus annis octauo Idus Ianuarii, præstitæ operæ monimentum, quoniam eo die ineunte anno millesimo quadringentesimo quadragesimo primo, graui metu 1441.
fuerunt liberati. Torrigios discessum. in eo oppido Pelagius Ribera Malpichæ regulus cũ centum equitibus relictus præsidio est. Rex Abulam contendit. eodem Aluarus abiit de instanti bello consilia communicaturus: eò coniuratorum Principum volũtates amplius exacerbatæ sunt: quorum pars maxima Areuali se tenebat: ipsa etiam Regina Castellę aduersus virum criminationibus aures præbens, in filium & fratres caritate propensior. Episcopi Burgensis, Abulensisq; in id oppidum legati: si qua via se daret resarciendæ concordiæ. parum ea legatione profectum est. A Diego Valera qui in obsequio Hẽrici Principis erat, ad Regem literæ datæ hac sententia: Quantas calamitates respublica ex fatali Principum discordia pertulerit, commemorare non attinet. Gentis ignominiam vulnera nostra stylo retractare graue, superuacaneumque. præterita accusare facile, remediũ adhibere necessarium. De malorum auctoribus disputare quid iuuat? cuiuscunqne ea culpa sit, a Deo certè humano generi rector datus, diuinam benignitatem expromere maximè debes, condonatis subditorum peccatis. Tunc clementiæ præcipua laus, cum iræ causæ iustissimæ. Patrem te patriæ vocamus: caritatis paternæ te ea appellatio admoneat ad ignoscendum promptæ, ad vlciscendum tardæ. Sed impunè qui tantum iniuriarum prætermittatur? an non malo cogantur, quorum animi beneficiis vinci non potuerunt? Verum. sed in facto tamen cùm syncerus est animus, nulla offendendi voluntas, quamuis præpostero, iniuriæ nomen iniustè affingatur. Nulla re magis animi magnitudo, quæ magnorum Principum tibi similium virtus propria est, perspici potest, quam iniuriis hominum condonãdis. Varios & ancipites bellorum casus vitare æquum est: certamq; pacem dubiæ victoriæ præferre. quæ vt maximè esset explorata vtrauis parte cadente, tuo maximè detrimẽto constabit: ad quem subditorum calamitas referatur necesse est. Deum precor, vt suis muneribus perpetuitatem addat: gẽtis felicitatem tueatur, & propaget: nostris votis aures suas, tuas salutaria monentibus faciles præbeat. Lectæ coram Rege, deinde in senatu literæ, variè, vt cuiusque animus erat, acceptæ sunt. sed tacentibus tamen cæteris, vnus Guterrius Toletus Antistes væcordi audacia elatus: Opem, inquit, Valera afferat: consiliorum satis habemus. Fuit Valera præstanti vir ingenio, bello bonus, ad cæteras dotes, quibus in tenui censu instructior nemo fuit, gemina legatione in Germaniam obita clarus. Extat ingenii monimentum, historia succincta de rebus Hispaniæ, cui ab auctore Valerianæ nomen est. Henricus Princeps patris accitu Abulam iuit: de ineunda concordia actum. Duæ Reginæ mater & socrus ab Henrico Principe, cùm se Segobiam retulisset, Nieuam euocatæ sunt: si iis auctoribus factiones componi possent. In eo oppido Blanca Regina Vasconum decessit ipsis Kalen. Aprilis. corpus in celeberrimo eius oppidi templo tumulatum creditur. magni id auctores tradunt. verum regii sepulcri, neq; eo loco, neque in Diuę Mariæ Vxuensis, quo se transferri, testamento cauit, vllum vestigiũ ex-

tat: vt mirari poſſis memoriam rei vſque adeo recentis eſſe obliteratam. Dominicani eius loci ſodales translata oſſa affirmant: ſed in quem locum non tradunt. Carolus Vianæ Princeps materni regni ſucceſſor, regio nomine abſtinuit à patre coactus, an ſponte, an matris monitu. ingenium ſtudiis dederat: non vt otio marceſceret, ſed vt præceptis ſapientiæ inſtructior ad rem publicam accederet. Extant ingenii monimenta. Libri Ariſtotelis de moribus vulgari Hiſpanorum lingua donati. Breuis de Vaſconum Regib. hiſtoria. pręterea verſus non inelegantes, quos ad lyram pangere ſolitus erat, iuuenis meliori fortuna, patreque benigniore digniſſimus. Erat vnum & viginti annos natus cum mater defuncta eſt. Eius obitu ineundæ pacis cõſilia diſturbata: ſeque Caſtellæ Regina Areualum retulit. belli flamma in Carpetanis multis locis excitata. præcipui coniuratorum duces Henricus Aragonius, maris Præfectus, Beneuentanus Comes. Aluarus, Scalonæ, vbi ſe tenebat, ſuis & Toletani fratris opibus vim præſtanti animo propulſabat. variabant ſecundæ aduerſæque res. Enecus Mendoza ad Complutum, quod oppidum Toletano abſtulerat, inſidiis hoſtium exceptus, ductore Ioanne Carrillio Caſorlæ Antelato, ſupremum vitæ periculum adiit. amiſſis ſociis ipſe accepto vulnere cum paucis euaſit. Eodem tempore ad Greſmõdam oppidum ab Aluari copiis victa coniuratorum manus. cecidit in conflictu Laurentius Daualus, Dauali quondam Magiſtri equitum nepos. infelicem iuuenis caſum, lugubri carmine Ioannes Mena Poeta Cordubenſis decantauit: præſtanti vir eruditione, ea tempeſtate: condẽdis vulgari lingua carminibus in paucis celebratus. modi rudes temporis culpa. ingenium elegans fuit, amœnum, & auribus illius temporis accommodatum. Sepulchrum eius Tordelacunæ in agro Toletano monſtratur: vbi con ſequentibus annis extinctus eſt. eius ſemper in Hiſpania memoria vigebit. Vno tempore à Vaſcone cum validis copiis in Citeriorem Caſtellam itum, auxilium coniuratis, quoniam hoſtes meliora ferebant: diſperſi per agros & oppida ſpoliare, rapere, vi & ſtupris cuncta miſcentes. rerum miſerabilem faciem. à Caſtellæ Rege Medina Campeſtris atque Areualum, Vaſconi in cuius ditione erãt, detracta ſunt. Iis locis ad Naharrũ pagũ Eleonoram Reginam è Luſitania venientem conuenit. arcanis ſermonibus de pace nihil impetratum, Regis animo nouis identidem iniuriis exacerbato. Ad Luſitanas tantum controuerſias componendas legati ſunt, qui Petrum Conimbricæ Ducem officii admonerent. idem ab Alfonſo Aragonio factum ex Italia in eam rem miſſa legatio. nihil pręſtitum tamen. Petrus imperandi dulcedinem deguſtarat. gẽtis animi in propoſito externi imperii repudiandi perſtabant. malo cogere non vacabat cum vtriq; Principi tantum belli conficiendi ſupereſſet. itaque Regina Luſitaniæ orbata viro, diuulſa à filiis, imperio ſpoliata, ad vitæ finem in Caſtella permanſit. Aragonii fratres ſuarum rerum periculo permoti, relictis Carpetanis ſeſe in Vaccæos citato retulerunt, rebus præſidium. Areualum memoria veteris imperii continuo portas aperuit. Medinam promota caſtra, vbi Rex erat. leuia pro oppido prælia facta, haud memorando in alterutram partem euentu. diuturna obſidio non fuit. quibuſdam incolis aditum aperientibus, nocturno furto oppidum à coniuratis captum, ſine ſanguine tamen. Caſtellę quidem Rex ad periculum excitatus, plateas armatis equitibus occuparat. multitudo domi ſe continebat: periculi metu an ciuilis belli execratione ad arma ſegnis. Aluarus, Toletanus Pręſul eius frater, Magiſter Alcantarę, Regis monitu, hoſtes in eorum capita potiſſimum ſęuituros, per auerſam portã fuga euaſerunt mutata veſte, inuolutiſque capitibus inter hoſtium cuneos ignoti. Armatum Regem coniurati quaſi ſupplices adeunt: ad genua prouoluti manum deoſculandam petũt: quaſi obſequio prompti, certanteſque minime grato in regiam vſque deducunt. tunc victi victoreſq; in mutuos amplexus ruunt. ciuilia arma mœſta lętitia deteſtantur, vnde ſpes & pręmia nulla, certa funera & luctus vtrauis parte vincẽte. Accurrere Reginæ atq; Henricus Princeps: multoque ſermone & arcano cum Rege habito, aulę miniſteria mutant, Aluari odio. Guterrius Archiepſcopus Hiſpalenſis, Ferdinandus Toletus Albę Comes, Barrientus Segobienſis Epiſcopus, oppido diſcedere ſunt compulſi. fidei erga Regẽ conſtantia grauiſſimum crimen erat. amicitia illis tamẽ cum Aluaro inita opponebatur, motibus pacandis impedimento futura. Actum de fœdere: neque licebat repugnare, cum Rex captiui inſtar teneretur. arbitri delecti ſunt cũ ſumma decernẽdi poteſtate, Caſtellæ Regina, Hẽricus filius, Fridericus maris Præfectus, Albę Comes ea cauſa curiã reuocatus. Ab iis ſententia in Aluarum pronunciata. Vt toto ſexennio intra deſignata ditionis oppida ſe contineret, mandatum. neue ad Regem ſcriberet, niſi exemplo literarum cum Regina, & Henrico Principe communicato. Ne noua fœdera faceret: aut milites ſuis ſtipẽdiis aleret. In eam rem Ioãnem filium & nouem arces intra diem trigeſimũ obſidum loco traderet, ſequeſtris quibus à iudicibus eſſet mandatum. His rebus nunciatis, Alua-

rus

rus ſupra quã dici poteſt cõmotus,neq; tenere lachrymas,neq; à cõtumelis tẽperare. ꝙ alii ambitionem interpretabantur: alii bonum ingenium contumelia irritatũ excuſabant. in ægritudine tamen caſuq; nouas reſurgendi excogitare rationes. verum parum fidei erga proiectum erat:& omnes aditus erant præoccupati.ſe coniurati nouis affinitatib.confirmabant.Ioanna Friderici maris Præfecti filia Vaſconi, Henrico Aragonio Beatrix Beneuentani ſoror in coniugium pactæ ſunt. Diegus Sandoualius Caſtri Comes,Henrico Principi ea tempeſtate aſſiduus magno vir ingenio vtriuſque connubii auctor:quò deterſis inter Principes ſuſpicionibus in vnam euertendi Aluari curam, vti fecerunt, coniunctioribus animis incumberent.

Neapolis ab Aragonio capta. CAPVT XVII.

SVblato ciuili bello, nonnulla quies eſſe cœperat in Hiſpania: feſtaque lætitia, per vrbes & oppida. Neapolitano bello Italia vniuerſa æſtuabat. Renati vires, mora conſenuerant. vxor & filii Maſſiliam erant amandati. quæ res magnam deſperatæ victoriæ ſignificationem continebat. ſic multitudo interpretabatur, prona ſemper in deterius credulitate. Magna famæ momenta in bello ſunt.magnæ ex eo tempore animorum inclinationes factæ,præſertim Iacobo Caldora,in quo rebus certum præſidium erat,propter eximiam rei militaris ſcientiam,extincto.. cum Circelli collem pontificiæ ditionis diripere pararet,repentè exanimatus,inter ſuorum manus in tentorium delatus,breui animam efflauit. reliqui Caldoræ, quæ familia præpotens erat, ad Aragonios reſpicere. Auerſa capta. Brutii dediti. ad Troiam Apuliæ vrbem Sfortiani prælio victi. reliqua omnia prona erant. Ab Eugenio Pontifice,Venetis,Florentinis,Genuenſibus,ad pellendos Aragonios tota Italia, vires denuò ſociatæ ſunt. Tridentinus Cardinalis cum decem millibus militum in fines Neapolitanos incurrit.in collectitio exercitu, moribus, voluntate, ſtudiiſq; diſcrepante, parum præſidii fuit. quin ipſo tempore Aragoniæ copiæ Neapolim ductæ. Renatus (vbi belli ſumma vertebatur) vrbem defendere conatus ſeſe intra mœnia tenuit:ciuium credo inconſtantiam veritus, an viribus diffiſus, ſi æquo marte confligeretur. Commeatus & auxilii aliquantum à Genuenſibus eſt allatum: ſed exiguum id leuamen erat præ vrbana multitudine.creuit annona,ingentiq; pretio tritici modius conſtabat.fuere qui in publico conſilio,faciente animos fame,Renato ſuaderent, vti quacunq; ratione cum hoſte paciſceretur.ducebatur obſidio.famis malum augebatur.duo fabri cæmentarii Anellus & frater,qui in caſtra transfugerant, vrbem haud magno periculo capi poſſe,docent. Si præmium operæ ſit,aditum ſe mõſtraturos. Erat aquæductus ſubterraneus, per quem ad vrbis commoditatem,ex vicino fonte aqua in puteos diducebatur: ducenti viri fortes delecti ſunt:omneſq; trãsfugis parere iuſſi.aſcenſus erat difficilis,anguſtus aditus.pleriſq; deterritis, aut pondere corporum impeditis quadraginta ſecuti ſunt prægredientes fratres.Dolabris conuulſi lapides vbi morabantur tranſitum. timidos inſolentia itineris,duces confirmant verbis exemploq;,leuantes nonnunquam manu. magno niſu ad priuatæ domus puteum peruentum.muliercula,cuius ea domus erat,viſis militib.continuò exclamat:proditura inſidias niſi celeriter oppreſſa vox eſſet. Sol exortus erat,nihilque Regi ſignificatum,metu an negligentia.omnes cæſos eſſe creditum.copiæ tamẽ,quę paratæ erant ad muros ſuccedere iuſſæ. remiſſa pugna eſt,cùm nihil in vrbe nouari cernerent.Quadraginta milites,ſiue ad clamorem pugnantiũ exciti, ſiue re neceſſaria compulſi (nam inſidiæ detectæ erant) vicinam muri turrim deſertam cuſtodibus,occupãt:cui Sophiæ nomen eſt.accurrit Aragonius præſidio futurus:accurrit Renatus ad periculum. eratque turrim recepturus, deturbatis Aragoniis: ſed ſubitò ac improuiſò inuecti noſtri pleno gradu,formidinem incuſſerunt.vnde illis terror, Aragoniis qui turrim ceperant,animus creuit.multis partibus oppugnatio erat. aliquot tandem portis refractis, in vrbem irrumpitur.Renatus,cui potiſſimum parti,aut loco ſuccurreret incertus, cùm nullũ prudentis Ducis aut ſtrenui militis officium prætermiſiſſet(nam ſua manu plures ex hoſtium numero trucidarat)in arcem ſeſe recepit. Direptæ nonnullæ ædes. à cædibus temperatur.mox ingreſſo Rege,prædæ quoque finis eſt factus.Per hunc modum Neapoli Aragonii potiti ſunt, Sabbatho poſtridie Kalend.Iunii ſalutis anno milleſimo quadringẽteſimo 1442.
quadrageſimo ſecundo.Milites pro concione laudati,donatique pro cuiuſq; merito magnifice: ante alios Semenus Vrrea,Raymundus Boillius,Petrus Cardona,præcipui copiarum duces.neque Petrus Martinius militibus aquæductum ſubituris dux datus debito præmio fraudatus:ne transfugæ quidem,maioribus quàm eorũ fortuna caperet promiſſis ad audendum incitati. Notabant rerum periti,eodem prope fato & arte à Beliſario eam vrbem de Gotthis fuiſſe captam. Renatus,amiſſa nobiliſſima vrbe,ac nulla reliqua ſpe,incolumitatem ſibi ſuiſq;, aliquando poſt pactus,ad Eugenium Florentiam,atq; inde

in Galliam conceſſit. Eius diſceſſu reliqua procliuia fuere. Marſi, Peligni, Apuli breui ad ditionem ſubiuncti. quicunq; eatenus Aragonii imperii iugum ſubire detrectarant, ſuperiores offenſas officio compenſare, certantes feſtinanteſq;, ne morando victoris irã exacerbarent. Sic Italia pacata magna ex parte, Hiſpani nondum planè quieſcebãt, quamuis diuturnis feſſi malis, paceq; inter Principes facta, diſcordes antea, & tunc cõtẽptu regentium minùs coercitis odiis. Minuta colligere longum: præcipua diſſidia hæc fuerũt. Ludouici Guſmanii Calatrauæ Magiſtri ſalute deſperata decumbentis locũ, ambitione præpropera, duo præ cæteris eximii viri obtinere contendebãt: Ioãnes Guſmanius Promagiſter ordinis, Fernandus Padillia Clauiger. ab hoc militum animi præoccupati erãt: Ioannes nullam ſpem honoris adipiſcendi, niſi in audacia, & temeritate ratus, cum manu militari Calatrauæ oppida occupare pergit. Clauiger eo conatu cognito, cũ quadringentis equitibus obuiam procedit. ad Baragiam agrum in acie dimicatum. victus Ioannes captuſq; eſt. duo filii in pugna occiſi. Oppreſſi æmuli præmium Padilliæ datum, quod petebat. in Magiſtri locum ſubrogatus eſt, quamuis obſiſtente Rege, atque eum honorẽ Alfonſo Vaſconis filio notho dari expetente: tanta contentione, vt nouo tumultu ad manus ventum fuerit. Dum Calatraua obſidetur ab hoſte Vaſconis filio, nouus Magiſter qui intra oppidum erat, lapide ictus eſt per imprudentiam, à ſuorum quodam in hoſtẽ emiſſo. eo ſublato Alfonſus æmulus Calatrauæ Magiſter inſtitutus eſt. Cantabri, gẽs valida & indomita bifariam tumultuati. primùm hetæriis atq; ſocietatib. inter ſe conſtitutis, atque à Rege confirmatis, impetus in nobilium arces & fortunas factus. Petrus Aiala intra Saluaterram ſuæ ditionis oppidum circumſeſſus, accurſu Hari Comitis propinqui ſeruatur. In quo eximia fides fuit. nam lectis Aialæ literis, quib. Auxilium petebat, periculum renunciabat: in agro vbi fortè corpus exercebat, tentorium erigi iubet, niſi propinquo liberato tectum non ſubiturum iuratus. Mota præterea eo tractu vetus religio eſt. Fratricellorum ſectæ ſemina Durãgi excitata impuræ fœdæq;. de infectis ea perſuaſione quæſtiones tormentis habitæ. pleriq; viui combuſti. Alfonſus Mella è Franciſcano ordine Dux ſectæ, iudicii metu Granatam fugit, puellas magno numero ſecum ducens: quæ turpem vitam exegerunt inter barbaros. ipſe qua cauſa incertum, ſed calamis tamẽ à Mauris per ludum petitus confixuſq; periit. vitæ exitus conſentaneus. huic Ioannes Mella frater fuit Zamoræ tunc Epiſcopus, deinde Cardinalis. In Luſitania Octobris fine, Ioannes Luſitani Regis patruus ad Salis arcem ſeu Salaciũ deceſſit tres & quadraginta natus annos, Magiſter equitum, idem D. Iacobi Magiſter. ex Iſabella vxore, Alfonſo fratre Brigantino Duce nata, Diegum reliquit: cui paterni honores ſunt dati: filias tres, Iſabellam, Beatricẽ, Philippam. vnde magnorum Principum ſtirpes conſtabunt.

Viri inſignes. CAPVT XVIII.

SCalonę ſe Aluarus tenebat, ex quo de gradu fuerat deiectus, neq; nulla neq; magna ſpe priſtinæ auctoritatis recuperandæ. ingenii, ſatis diligentiæ habentẽ fortuna ſeu vis altior deſtituit. eius frater Toletanus præſul Talaueræ extinctus erat, pridie Nonas Feb. grauis calamitas tanto repente ſublato præſidio. ſupererat Rodericus Luna, quẽ ex patruele natum, Compoſtellæ ſuperiori tempore Epiſcopũ dederat, quãuis non ſatis idonea ętate. verũ parum in eo reb. aſperis ſubſidii fore cernebatur. & erat ingenio prauo maloq;, perditis morib. Proceres in ea temporum perturbatione, id ſe habituros confidebãt, ꝙ primi occupaſſent. à Petro Suario Ferdinãdi Oropeſiæ reguli filio Talauera capta, vix Rex ipſe Caſtellæ, cũ ex Vlteriori Caſtella accurriſſet, in oppidũ eſt exceptus. Defuncti Præſulis funus in tẽpli Toletani ſacellũ delatũ eſt: ꝙ Aluari impenſa extructũ erat magnificẽtiſſimũ. De ſucceſſore deligendo cõtrouerſia excitata. duo præ cæteris cãdidati opib. præſtabant. Garſiã Oſorium Ouetenſem Epiſcopũ, Præfecti maris propinqui fauor ſubleuabat. Guterriũ Toletum Hiſpalenſem Præſulẽ Aragonii fratres: penes quos rerũ poteſtas eſſe cœperat. is in contẽtione vicit magno vir animo, mediocri ſtatura, conſpicuus forma, candidus, flaua cæſarie, doctrina excultus, ſyncero reb. gerẽdis animo, ſeuerior aliquãto, quàm ætatis mores ferre poſſent. eò nonnullã inuidiã cõflauit. breuis pontificatus, ac fere trium annorum fuit. Fernandũ Albæ Comitẽ Caſorlæ ipſe Antelatũ iuſſit. Guterrii ęmulus Garſias Hiſpalenſi Epiſcopatu donatus eſt. Diegus Aurienſi Eccleſia Ouetũ tranſlatus. Aurienſis Eccleſia Ioãni Turrecrematæ cõmendata, ex Dominicano ordine Sancti Sixti Cardinali, multæ eruditionis viro, vti editi libri magno numero teſtantur. defenſa de ſcripto Romanæ Eccleſiæ maieſtate. in tãta tẽporum colluuione labeq;, immortalem laudẽ conſecutus eſt. Turrecrematæ æqualis, vt in minori ætate, fuit Alfonſus Tonſtatus Madrigale in Vaccæis patria, ſcriptorũ mole, cognitiõe antiquitatis, multiplici eruditione ad miraculũ clarus. Sermonis elegantia defuit, nõnulla iniuria ne cũ quouis antiquorum cõferatur.

annis

annis conſequentibus Abulenſis Epiſcopus creatus eſt. iunior Senis in Hetruria, vbi Eugenius Pontifex erat, theſes magno numero ex intima Theologia deprompta, diſputandas publice more Peripatetico propoſuit. in iis, locis aliquot offendiſſe Eugenius Pontifex edito diplomate notauit. dicato opere Turrecremata Cardinalis: defedit rurſus Tonſtatus libro, cui Defenſorio nomen fecit, in Pontificum etiam auctoritatem inuectus, iniuriuſque præ ſtudio tuendi placita. Atq; hæc fere accuſabantur capita. Chriſtum Deum occiſum ineunte ætatis anno trigeſimo tertio: neque ad octauum kal. Aprilis, vt vulgò veterum ſententia eſt, tertio Nonas eius menſis in crucem actum. Nulli quidem peccato veniam denegari, quantauis turpitudine ipſius, quacunqueve delinquentis conditione ſtatuque: à pœna tamen & culpa Deum non abſoluere. multo minus ſacerdotes iure clauium. Quod ille dictum ſubtili interpretatione explicabat: pleroſque nouæ vocis inſolentia conturbabat.

Libri vigeſimi primi Finis.

IO. MARIANÆ HISPANI, E SOCIETATE IESV,

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ,

LIBER XXII.

Rerum Hiſpaniæ ſtatus. CAPVT I.



ISPANORVM Res in Italia meliori inſtatu, quàm in Hiſpania erant. in ſimilibus ingeniis pro conditione rectorum mores fortunaque variabant. Aragonio Regi animus ingens erat, gloriæ maior cupido quam voluptatum: vigilare, laborare, locis omnibus adeſſe, corpus nullo labore fatigari, caloris ac frigoris peræquè patiens. quibus virtutibus, clementia, liberalitate, morum facilitate, vtriuſque gentis ſtudia promereri non deſiſtebat, haud ignarus in ciuiū beneuolentia certiſſimum præſidium rebus fore, in metu periculum, exitium in odio. In Caſtella non ſublata Aluari potentia, ſed dominus commutatus, Vaſcone alienæ dominationes nō vindice, ſed vicario, Rege Caſtellæ nunquam ſui iuris & mancipii: quæ magna calamitas fuit, nouorum diſſidiorum origo. Inerant nonnulla bona, ſed maiora vitia ſuperabant. corpus procerum & candidum: verum elati humeri, facies indecora. iudicium intelligens poetices & muſicæ ſtudiis oblectabat: venationi, & ludis militaribus deditus idoneuſque. exiguus animus. curæ imperandi graues, atque adeò intolerandæ. breui auditu quamlibet magna tranſire, ſatis magnum imperii fructum ratus, ſi otio, deſidia, voluptatibus marceſceret. Aulici, ac is maximè cui rerum permiſiſſet arbitrium, Principum legationes audire, reſponſa reddere, fœdera facere, dare honores & magiſtratus, regnare alieno nomine, pacis, belli, legum, inſtitutorum arbitri moderatoreſque. pudendam Principis ſocordiam, ac turpitudinem fœdam. Exoleſcente nimirum veterum Caſtellæ Regum indole virtutum, non ſecus atque in ſatis, & pecudib. ſemina cælo, terra, tempore maximè mutantur, degenerantque, præſertim ſede mutata. ſic ardens Principum ingenium copia plerumque voluptatum extinguitur in poſteris, euaneſcitq; : ni vitia inſtitutione corrigantur, coniugum delectu ex duriore hominum genere petitarum, ſanguis flacceſcens excoquatur, & ad priſtinum competentemque habitum reformetur, maiorum mollitie in fœtibus caſtigata. Magnis imperiis nihil eſt negligendum: audaciaque aulicorum, ante-

quam radices agat, in ipso exortu vindicāda. inueterata velut iure suo sæuit: neque euertitur, nisi magna multorum ruina, sępeque oppressis ipsis vindicibus. Accusare præterita superuacaneum esset: nisi ex alienis vitiis instituendę Principum vitæ atq; conformandæ præcepta repetantur: quantumque desidiæ vigor animi præstet, duorum Hispaniæ potentissimorum Regum exemplo dignoscatur. Aragonius post captam Neapolim cæteris vrbibus & arcibus, quæ in Andegauensium fide erant, ad deditionem subiunctis, confecto bello in nobilissimam vrbem triumphum inuexit quarto kalen. Martii, eius sęculi
1443 anno quadragesimo tertio veteri Romanorum instituto, curru inaurato sublimis agentibus quatuor eximii candoris equis, præcedente alio æque candido. currum pedibus sequebantur totius regni reguli optimatesque: pręibant viri sacrati cum infulis & velamentis Deo & superis concinentes carmen. circumfusa multitudo diuturnum, felix faustumque imperium acclamabat. Lauream capiti non imposuit, eum honorem superis habendum dictitans, quorum ope victoria parta esset. Viæ constratæ floribus, multa veste pretiosa tecti parietes, varia odorum suauitate cuncta fragrabant. nullus dies iucundior illustriorque illuxit, victis æque ac victoribus. Conciliandi Eugenii Pontificis cura solicitabat, minus iam ad Gallos propensi, Senis vbi Pontifex erat, Iulii Idibus fœdus ea lege factum: vt Neapolitanum regnum Aragonio cederet, & post eum Ferdinando filio, quem ex impari quamuis matre Rex in conuentu Principum eius quidem imperii hęredem designarat. Aragonius annuas vncias auri (genus id monetæ est) octo millia in Pontificum ęrarium inferret: operamque nauaret Francisco Sfortia impugnando: qui Mediolanensi affinitate superbus, Picenum magna ex parte occuparat. Plus præstitū, quam promissum. à Rege ipso capta arma, multaque oppida & arces in Piceno agro, Sfortianis detracta restitutaque Pontifici. quorum nomina, ac totius belli successus vt memoriæ prodantur, operę non est. Expetentibus Genuensibus pax ea lege est data: vt annuatim peluim auream iusti ponderis Alfonso quandiu viueret, penderet. quasi ex victis illis trophæum cum in populi conuētu accipere solitus esset, quia graue fœdus haud diuturnum fuit: neque vltra quartum annum stetit. Vasco etiam susceptam in Castella rerum potestatem acerbius exercebat: eo imperium minus diuturnum fuit. durant enim moderata. Castellę Regem captiui instar habebat. insignem audaciam confidentiamque. in alieno regno in pace, tanto Principi sermonis etiam liberi commercium abstulisse, adhibitis custodibus Henrico maris Præfecti fratre & Roderico Mendoza regiæ Magistro: qui sermones adeuntium Regem & vultus notarēt. Erant in eandem fraudem inducti, Præfectus maris atque Beneuentanus Aragonia affinitate deuincti, Henricus Castellæ Princeps, atque Regina. Ramaga, Madrigale, Tordesilla Vaccęorum oppida abs Rege Castellę lustrata. Barrientus Abulæ Pontifex rei indignitate commotus, & ex arcano Aluaro fauens, eius restituendi tempus venisse ratus Ioannem Paciecum adit, rerum statum deplorat. Aragoniorum vęcordiam detestatur. Quidquid in Regem admissum esset Henrici Principis ignominia peccari. Quibuscunque moribus & ingenio, parentem esse tamen. Si rebus gerendis impar esset, non externos homines Aluaro prohibito in eius locum, sed ipsum potius reponi æquum fore, & paterna cessatione rerum moderationi ad-
,, moueri. Quid enim Aluari casu lætemur, si eo submoto nihilominus seruituri eramus,
,, peiori conditione propter acerbitatem, maiori periculo ob ambitionem imperantium?
,, An credis vicaria potestate fore Aragonios contentos? vt est animus mortalium inexple-
,, bilis, ad vlteriora (mihi crede) contendent. parto externo imperio feroces noua in Hi-
,, spania regna meditantur. An Henrici secundi memoriam excidisse putas? iniuria Castel-
,, lam occupasse animis infixum habent. exitium vestræ familię moliuntur, nisi perierint perdituri. Mouebatur Paciecus Pontificis oratione: eumque vera prædicare, salutaria monere non ignorabat. conturbabat tamen viriū imbecillitas: & vt pares essent Aragōiis opibus verebatur. audendum tamen atque conandum visum est, tentādasque procerum voluntates: an satis esset animi ad euertendam Aragoniorum tyrannidem. Ea vt rectius perfici possent, Henrico Principi persuasum Tordesilla vitata se se Segobiam conferret, quasi venatione remissurus animum: inde ad Aluarum literæ datæ. Forte duo Comites Hari, atque Ledesmię, qui Regis dono Placentiæ iam Comes vocabatur, Curiele cōuenientes de Rege liberando consilia communicabant. ea res Henricum Principem Tordesillam necessario reuocauit. disturbati ii proceres atque fugati ab Aragoniis. nouorum dissidiorum fundamenta ponebantur. Vasconis & Ioanne nuptiæ ipsis Kal. Septembris
1444 salutis anno M cccc quadragesimo quarto omnium fere Principum, & duarum, Reginarum Castellæ nimirum & Lusitaniæ concursu, ad Lobatonem peractæ sunt. Henricus Aragonius per idem tempus suis ipse nuptiis Cordubę celebratis factionis opibus in

Bętica

Bętica confirmandis diligentem operam dabat. Ad Francorum Regem Diegus Valera legatus, per caussam Armeniaci Comitis nuper capti à Delphino, & Martino Alfonsi Gegionis Comitis filio, liberandi. cum Anglis sensisse crimen erat. data tamen libertas ea lege: vt si quando fidem falleret, oppidis Ribadeo, & Canicis, quæ in Asturibus possidebat dono Regũ Castellæ, an hęreditate spoliatus Cantabriæ etiam finitimæ viribus oppugnaretur. Cum Henrico Principi Aluari euertendi restituendiq; vno tẽpore consilia communicata. Vasco euertendum suadebat: in eam rem vires sociandas. Barrientus Paciecusque restituendum iudicabant: maturandumque priusquam eæ molitiones proditæ essent. eo consilio, ad Vasconem distinendum fallendumque de ineundo cum eo fœdere actum. Interea Henricus Princeps Segobiã rediit. Comites Hari, Placentiæ, Castanedę vt vires iungerẽt solicitati, adiũcti Albę Comes Ferdinãdus Toletus cũ patruo Toletano Pręsule; atq; Enecus Mẽdoza. Vbi ad Aragonios impugnãdos satis esse viriũ ẽst visum, Abulã, quo Princeps abiit, fœderati cõuenire iussi sunt. mille quingẽti equites cõtracti, nomẽ magis exercitus, quam robur. eodem Aluarus venit. Pecunię redigendæ in stipendium difficultas opponebatur. Burgos festinatum: vbi alii fœderati proceres erant. Castellæ Rex Portillium amandatur. eius custodiendi cura, Comiti Castri imposita. Vasco raptim delectu habito, duo equitum millia in proceres ducit, nouis identidem copiis confluentibus validiores. Ad Pampliegam in Burgẽsi agro, castris collata castra sunt. vtræque acies patenti campo, modico distantes interuallo constiterunt. affuere viri sancti ad periculum exciti. iis auctoribus de pace agi cœptum. pene res confecta erat: cum leuis pugna cœpta temere, confluentibus ab vtraque parte militibus, in iustum prælium exarsit. multum diei processerat. nocte diremptum certamen est: seque Vasco virium conscientia tenebris tectus Palentiam retulit vrbem satis munitam. nouum Vasconi accessit incommodum. Rex Castellæ Portillio quasi ad venationem egressus, Mogiado oppido pransus apud Diui Petri Cardinalem, dimisso abs se Castri Comite ad filium in castra abiit. Regis libertate vires coniuratis concidere. Vasco ad reparandum bellum, in Vascones abiit: proceres coniurati ad suę quisque ditionis oppida: Henricus Aragonius Ocaniam. Aragonia oppida in Vlteriori Castella à Regiis occupata: Medina Campestris, Olmedum, Roa Arandaque. Henricus Aragonius ab Henrico Principe, atque Aluaro fugatus in Contestanos, ab Alfonso Fagiardo (qui partibus infectus erat) Murciæ Antelato, Lorcæ intra mœnia exceptus est firmissimi iis locis municipii. sic in pręsenti vitatum periculum, nouæque auctoritatis & potentiæ recuperandæ spes tentatę. Hęc in exitu anni gesta sunt: quo anno Nonis Iulii Ferdinandus Lusitani Regis patruus in Africa decessit. corpus in vrbe Phuthensi tumulatum, consequentibus annis in maiorum sepulchra ad Aliubarrotam illatum est miraculis clarum: sic gens Lusitana persuadet, dedita religionibus, cultuique suorum Principum maxime. eius memoria consecrata templisque data non est: vita sancta, mores castissimi fuerunt, muliebri nunquam fœdati contactu. nunquam in vita mentitus est. Deum ardentissima pietate coluit. Quas virtutes in hoste admiratus Lazerachus, in cuius potestate erat, nunciata morte obstupuit primum. deinde, dignus, inquit, erat immortali laude, nisi Mahometi Vati tantopere infensus extitisset. Magnum atque admirabile virtutis numen, quod à prauis etiam & infensis pectoribus extorquet laudem. Ex Gastone Fuxensi Comite & Eleonora Vasconis minori filia, filius item Gasto natus est, breuis ætatis futurus, paternas auitasque opes, hęreditatemque Francisco & Catharinæ, qui postea sunt ex eo quidem & Magdalena coniuge geniti, relicturus: vti locis competentibus explicabitur.

Pugnatur ad Olmedum. CAPVT II.

PVlsis Aragoniis fratribus lux rebus aliqua affulsisse visa est, sublato tãtisper bello magis quàm belli metu. Medinę Campestris Castellæ conuentus agitati: nouaque pecunia imperata est in stipendium: non quantam res exigerent, sed quantam populi pati possent, multiplici imperio fessi, & sæuissimum bellum execrantes. Eodem se Henricus Princeps & Aluarus retulerunt, D. Iacobi oppidis magno numero de Henrico Aragonio captis. de belli summa deliberatum: quod grauissimum imminere prouidebatur: & ecce Vasco per Atiensæ fines, quod municipium præsidio obtinebat, in Carpetanos inuectus. sequebantur equites quadringenti, pedites sexcenti. maior quam pro numero belli terror. prouinciales pars infecti partibus erant: plerique citra periculum fortunarum spectatores belli quam participes esse malebant. Torigia, Complutum aliaque oppida à Vascone capta sunt. Castellæ Rex, ne prima negligendo

ſerperet malum, copiis raptim contractis, Spinale abiit. Parum virium erat tantis molitionibus. Lusitaniæ Regina Toleti obiit Februarii die octauo decimo anno MCCCC quadra-
1445 geſimo quinto ineunte. paucis poſt diebus Maria Caſtellæ Regina, ad Villacaſtinum in Segobienſi agro deceſſit. noxio medicamine herbiſque lethalibus corrupta, vtrique vitalia coniuncta funera, repentinique obitus indicio fuerũt: maculiſq; Mariæ extinctæ Reginæ corpus reſperſum. auxit vulgi opinionem, quod haud ſatis honeſte pudicitiam habuiſſe, frequenti rumore iactabatur. Luſitaniæ Reginę corpus in D. Dominici regio virginum collegio, vbi domicilium habebat, compoſitum eſt: inde Aliubarrotam translatum filii Regis cura. alterius funus in Guadalupeum templum illatum. obierat per idem tempus Lupus, Mendoza Compoſtellanus Præſul. in eius locum Aluarus Iſorna Concha eſt tranſlatus. Barrientus Conchenſis Epiſcopus inſtitutus, gratia meritis debita. Alfonſo Fonſecę, Abulenſis Eccleſia data: vnde illi gradus ad maiores honores fuit, viro ardentis ingenii multarumque imaginum. Spinali Madritum Caſtellę Rex abiit: inde Cõplutum ab opidanis euocatur. Vicinis locis tendebat Vaſco Hẽrici fratris aduentum aucto militum numero, omnino ad mille & quingentos equites. cum his copiis vicinos montes occupat, vbi vetus Complutum ſitum eſt, arduo & difficili aſcẽſu, niſi de ſuo loco non pugnaturus, virium conſcientia ſi æquo campo cõgrederetur. Ex iis locis Ferrerius Nuſa ad Aragonum legatur, ſi bello Neapolitano confecto in animum induceret in Hiſpaniam redire rebus prę̃ſidium, belli paciſque arbiter. ad eundem à Caſtellæ Rege legati erant viri primarii, qui de illatis à fratribus iniuriis conquererentur. Nihil à Regiis ad Complutum motum. Aragonii ſuperatis montibus, quibus Tablatæ nomen eſt, Areualũ feſtini contendunt: quo proceres coniurati venturi erant. iiſdem veſtigiis Caſtellæ Rex inſecutus, modico inter vtraque agmina ſpatio. vno die Areualum vtręque copiæ peruenerunt. à Vaſcone oppidum vi præoccupatum eſt: nam ſpe propinqui auxilii ei portas clauſerat. de conſilii auctoribus ſupplicium ſumptum. fides eximie culta exitio fuit, patriæque intempeſtiuus amor. Regia caſtra ad molas frumentarias, quibus ab abbatibus nomen eſt, metata. duo equitum millia erant, par peditum numerus. Henricus Princeps, Aluarus, Paciecus, Enecus Mendoza, Albæ Comes, Barrientus Pontifex venere. ad Aragonios maris Præfectus, Beneuentanus, Quignonii, Caſtri Comes, Ioannes Touarius. horum procerum aduentu mille equites adiuncti. colloquia principum vtriuſque partis ſunt habita. tempus extractum. Magiſtri Alcantaræ aduentum expectare arte cupiebant. ea Barrienti Epiſcopi calliditate Regiis viribus confirmatis, expedita ad pugnam arma. Aragonii neque obſidionem diu tolerare poterant, nullo commeatu: neque ad pugnam idonei erant, ob virium imbecillitatem. ad extremũ illud ventum: miſſi in caſtra feciales Angulus, & Cuellar Vaſconis ſcrinio præfectus. ii facta conueniendi Regis poteſtate, cauſas exponunt cur iure licuiſſet arma ſumere, nulla nocendi voluntate, ſed neceſſitate prohibendi iniurias, reipub. in libertatem vindicandæ: quæ miſe-
,, ra ſeruitute premebatur. Si Aluaro amoto, vt inſtituiſti, tui arbitrio Rex regnũ capeſſes,
,, morã haudquaquã, modo æqua & honeſta cõditione paciſci liceat, paci faciem⁹. Tu vide
,, ne aures difficiles præbẽdo, incẽſæ, vaſtatæ, direptæq; prouinciæ cauſa exiſtas: quæ mala
,, à nobis eſſe ſyncero animo deuitata, ſuperos hominesq; teſtamur: hancq; legationẽ nullo
,, metu, ſed trãquillitatis ſtudio reuocãdę ſuſceptã. Hęc cũ ardenti oratione pronũciaſſent, ſchedã eadẽ continentẽ capita, Regi in manus tradiderũt. Eo maturius conſideraturũ dictitãti, inter moras biduo poſt ad quartũ decimũ Kal. Iunii, qui dies Mercurii fuit, pugnãdi neceſſitatẽ caſus attulit. Hẽricus princeps iuuẽta feruens, muro cũ quinquaginta equitib. ſucceſſit, ad pugnã prouocaturus hoſtẽ. egrediũtur illi pari numero. à tergo cataphracti ſequebãtur. ea ſpecie Regios equites territos, & in fugã verſos Aragonii ad ipſa caſtrorũ munimenta inſequũtur. Grauis ea ignominia viſa eſt. regiæ copiæ inſtructæ ad pugnam, productęq; in aciẽ. In primo agmine Aluarus curabat: à frõte & laterib. quingẽti cataphracti muniebãt, doctorib. præcipuis Alfonſo Carillio Seguntino Epiſcopo, eius fratre Petro Acunio Donniarũ regulo, Eneco Mẽdoza, Albę Comite. ſecundũ agmẽ Hẽrico Principi eſt attributũ. ſequebantur à tergo Guterrius Sotomaior Alcantaræ Magiſter cũ trecentis triginta cataphractis. in Poſtrema acie Rex erat, Toletanus Epiſcopus, Hari Comes. claudebãt latera Prior Hoſpitalarius & Diegus Stunica ab vna parte: ab altera Rodericus Mẽdoza regiæ Magiſter, & Petrus Mendoza Almaſani regulus. ad multã diem in acie perſtitũ: neq; aliquid ex oppido mouebatur. Vix ſeptima diei pars reliqua erat: & regię copię in caſtra reduci iuſſæ. tum Aragonii clamorem tollere, atq; portis erũpere, rati noctem vicinam & victis munimento fore, & ſi viciſſent nullo impedimento: quod locorum notitia & equitatu valerent. Ab equitibus leuis armaturæ pugna cœpta, aliorum accurſu exarſit.

Arago-

Aragoniæ copię bifariam diuiſæ, pars ductore Hērico Aragonio in Aluari agmē incurrit. Vaſco, contra Henricū generum dimicauit. acriter ab vtraq; parte pugnatum eſt. Alcantaræ Magiſter, & Enecus Mendoza ſubſidio ſuis laborantibus accurrunt. metu vincente pudorem ab vtraque parte multi diffugiunt. Aragonii numero pauciores ab hoſtium multitudine vexati. iamque dies conſumptus erat: cū Vaſco Henricusque vterque cum turma peculiari, vagari per acies, laborantib. ſuis ſuccurrere, hoſtes, vbi cōfertiſſimi erāt, inuadere, locis omnibus adeſſe. quoniam imperare cōturbatis omnibus nō licebat. noctis tenebris pudore ſublato ſeſe Aragonii in pedes dant. dilapſis ſociis. Aragonii fratres Olmedū ſe receperūt. Beneuētanus & Præfectus maris in alia oppida cōfugerūt. Comes Caſtri, Henricus maris Præfecti frater, Ferdinādus Quignonius in pugna capti: præterea ducēti alii. cędes exigua fuit, ſeptē & triginta in acie ceciderūt; ex acceptis vulnerib. deinde periere plures alii. oppidi munitione diffiſi Aragonii fratres in Aragoniā cōcubia nocta feſtinarūt, vitatis oppidis ne qua mora eſſet. Henricus Aragonius Calataiubę breui extinctus eſt ex vulnere, quod in ſiniſtra acceperat, noxio, vt creditū eſt medicamine contabeſcente brachio, vir magni quidem ſed iniquieti tamen animi, neque otium patientis. Corpus in eo oppido ſepultum. proles de nomine patris haud leuiores illo turbas concitabit. à victoribus lecta ſpolia: literæque in omnes partes ſunt dimiſſæ: quibus parta victoria nunciabatur. loco prętereà vbi pugnatum eſt regia impenſa, vota ædicula extructa, Sancti Spiritus nomine, pugnæ monimentum, vnde loco etiam Pugnæ indita appellatio eſt.

Nuptiæ Ferdinandi Neapoli. CAPVT III.

MEliorem In Italia curſum res Aragoniæ tenebant. ceſſerat Picenum Alfonſi Regis armis. Sfortiani vrbibus & oppidis, quæ iniuria occupauerāt ſpoliati, Rege digreſſo non quieſcebant, memoria rerum in Italia geſtarum inſolentes. Aragonius rogatu Pontificis Eugenii, id bellum repetiturus, ad Populi fontem, quod oppidum non procul Theano eſt, cum copiis progreſſus, eo proceres cōuenire iuſſit. affuit cum aliis Antonius Centilia equites trecentos ducens. Is paterna ſtirpe Centilia, materna Vintimillius, fortem & fidelem operam bello ſuperiori nauarat, Brutiis, Calabris, Conſentinis, ſubiugandis, grandi etiam pecunia ex priuatis facultatibus in ſtipendium redacta. Henricotam Rufam, Cotronis Marchione genitam principatus hęredem, Rex Eneco Dauolo deſtinabat, pręſtitæ operæ pręmium. dederatque negotium Antonio. puellam ille ſibi feſtinatis nuptiis iunxit. aucta ex eo potentia creuit audacia. diſſimulata in præſens offenſa, mox redditum odium eſt. in necem prępotentis aulici Regique cariſſimi conſpiraſſe poſtulatus, metu iudicii è caſtris regiis, quæ ad Populi fontem erant, profectus non prius conſtitit, quam ad Catantianum ſuæ ditionis oppidum eſt peruentum. Commotus ea re, vt par erat, Rex Lupum Vrream, & duces alios in Picenum mittit. ipſe ne recenti imperio prima negligendo gliſceret malum: aut offenſa negligendo, contemtui prouincialibus eſſet, impunitatiſque ſpes audaciam confirmaret, Neapolim rediit. miſſi qui Antonium ad ſanitatem reuocarent. ſurdę aures erant monentibus ſalutaria. ad arma ventum. Rex ipſe in Brutios abiit. Roca Bernarda, Bellicaſtrum primo aduentu capta. Croto obſidione aliquot diebus ſuſtentata, portas aperuit, maioris mali metu. Ad Catantianum, vbi Antonius vxor & filii ac ſupellex domeſtica erant, promota caſtra. leuia modo prælia fuere. deſperata defenſione, cum ſe alii proceres non commouerent, largi promiſſis, in periculo cauti, veniæ ſpem tentat, impetratque ea lege: ſi ſe Antonius ſuaque victoris fidei permitteret. Eam vrbem & Turpiam arcē dedere iuſſus, Neapolim cum vxore, liberis, & domeſtica ſupellectile miſſus eſt: grauique documento ſancitum, in obſequio præſidium, in contumacia exitium eſſe. In Ioannem Nucæum Inſubrem præcipuū defectionis auctorem, ſeque Conſentiæ tenentem, impetus factus. in poteſtatem redacto venia eſt data, ob ſimilem erga Mediolanenſem Ducem, ad quem ſe contulit, fidei inconſtantiam pœnas aliquanto poſt daturo. Flagitiis vindicandis Dei numen apparet. ſic magni motus, quorum expectatione ſuſpenſa gens erat, breuem & facilem exitum habuere. Pacatæ totius prouinciæ lætitia nuptiis Ferdinandi, Regis filii celebrata auctaque eſt. Iſabella Claramontia ante deſponſa cōnubio, iuncta Neapoli tertio kal. Iunias die Dominico. Tarentino puellæ auunculo in fide confirmando, quoniam eatenus nutare viſus erat, datum vt regio ſāguini iis nuptiis miſceretur. In media lætitia multiplex luctus allatus. ſorores Reginas, Henricum Aragonium periiſſe nunciatum: victum Vaſconem, Caſtellæque finibus pulſum. triſtibus ſępe iucunda variantur. Legato, Vaſconis verbis, expetenti vti in Hiſpaniam Aragonius rediret, reſponſum datum: bellum in Piceno ſupereſſe, neque fidem ſuam, neque religionem pati, vti Pontificem in periculo deſereret. eo confecto bello, venturum quidem in Hiſpaniam: ita tamen de eius aduentu con-

fiderent,vt nihil propterea de ſua comparatione remitterent. Vaſconem vicarium conſtituere,adhibitis in conſilium Cæſarauguſtano, Ilerdenſi, iiſque viris primariis. Vaſconum & Aragoniis opibus Caſtellæ viribus obſiſtere haud difficile fore. Cum Granatenſibus, quod Vaſco petebat, annuę inducię fœdusque eſſet. Qua in gente imperii mutatio per idem tempus eſt facta.Mahomad cognomento Lęuus motus inteſtinis in Caſtella armis,aliquot annis quieuerat. ſublato externo timore grauiſſima in gente diſſidia exorta ſunt. in tanta temporum labe diu quieſcere Mauri non poterant,hoſtibus, ſi foris non erant,domi natis.Duo patrueles Regiſque Mauri fratrum filii, Iſmael quidem temporum metu, an patrui iram veritus, Caſtellæ Regi militaturus diſceſſit:per quem ſperabat patriam,opes & priſtinum auctoritatis locum recipere: alter cui à vitio cruris Mohamadi Claudo nomen erat, Almeriæ vbi ſe tenebat, procerum conſpiratione facta, Granatæ arce Alhambra occupata, patruoque Rege in poteſtatem redacto, traditoque in cuſtodiam, gentis Mauricæ regnum inuaſit, menſe Septembri: qui menſis Arabibus Iamad ſecundus eo anno fuit. Sciſſa ex eo barbarorum ſtudia. Andilbar Granatẽſis Prætor cum propinquis & neceſſariis Montem frigidum(arci munitiſſimæ id nomen erat, non procul Alcala Regia)occupauit Regis vincti reſtituendi exigua ſpes erat. Iſmael ad regnum capeſſendum euocatur. pecunia militeque à Caſtellæ Rege adiutus eodem feſtinauit.ſpes aliqua,metus amplior:quippe modicis viribus aduerſus multo maiorem gentis partem pugnaturo.officio ſeu adulatione noui Regis gratiam plerique aucupari, temporiq; ſeruire certabant.Hæc in exitu anni cõtigere.ad prætermiſſa narrationẽ reuocamus.

Aluarus Diui Iacobi Magiſter creatur. CAPVT IIII.

VIctoria Ad Areualum parta, de rerum ſumma deliberatur in Aluari tentorio, ſiniſtro crure vulnerato decumbentis.communi Regis & procerum ſentẽtia coniuratorum bona publicata. Cuellar captum,ad Septimancas caſtra poſita. Henrico Principi Fridericum maris Pręfectum eximi à coniuratorum numero placebat: veniamq; delictis eſſe. recuſabant alii:diſtinguique eius cauſam à cæteris negabant: omniumque iudicio etiam durior erat,quod princeps cæteros ad arma ſumenda concitaſſet. ergo Henricus Segobiam abſceſſit. commotus ea re pater Rex, verituſque ne nouorum motuum id initium eſſet,Petro Sarmento curam dat, reliqua coniuratorum oppida occupandi. Nieuam ſeu Niuariam ipſe abiit. filius non ante in partes attractus,quam Giennio, Lugrunio,caſtris Cæciliis ſibi,Paciecho,Barcarrota,Saluaterra,Salualeone ad fines Luſitaniæ extortis.vnde reprehenſio & ſupplicium expectari debuit,inde relata præmia.Sic tempora erant.Ad Medinam etiam, cui à Riuo ſicco nomen eſt, poſitis regiis caſtris venia maris Præfecto data,ſi intra quartum menſem ad officium rediret,Ioanna Regina Vaſconum obſidis loco,facturum quæ oportebat retineretur.His legibus arx eius oppidi Regi tradita. reliqua oppida in vlteriori Caſtella breui de coniuratis ſunt capta.Initio belli auxilia è Luſitania euocata erant Aluari conſilio,Hari quamuis Comite, & aliis proceribus repugnantibus. ea auxilia Maiorgam,vbi Rex erat,appulſa Petro Petri Conimbricæ Ducis filio ductore: qui nuper in Ioannis patrui locum Magiſter equitum creatus à patre erat. duo milla peditum,equites mille ſexenti,ſerum auxilium confecto ferme bello. adoleſcẽti tamen honores habiti,duces pro cuiuſque merito ſplendide donati. nullum præterea operæ pretium. Aluaro tantum agente,Iſabella Ioanne Luſitano Principe equitum antea Magiſtro nata,cum quo magna neceſſitudo fuerat,& mutuis officiis conciliatus amor,Regi Caſtellæ pacta ipſo inſcio.tantum ſibi auctoritatis Aluarus ſumebat. ſpecies vtilitatis prætenta facto eſt:parata ab ea gente auxilia:grandem pecuniam remitti,quę in militum ſtipendia impenſa erat. Dimiſſis Luſitanis auxiliis, Burgos itum.in ea vrbe proceribus aliis venia, etiam Beneuentano & Caſtri Comiti præter expectationem,cum exceptione tamen, ne biennio hic Lobatone ille Beneuento diſcederẽt:aliis præmia data vltra meritorum æſtimationem. Enecus Mendoza Sanctę Iulianæ(vulgus Santillaniam ait)Marchio, Comes Manſanarii regalis renunciatur. Paciecho Villena data. Præterea Abulæ Aluarus Diui Iacobi Magiſter ſuffragio eorum militum inſtitutus eſt. fortuna ſublimẽ ferebat in præceps maiori caſu datura. Petrus Gironius,Alfonſo Aragonio,qui patrem bello ſuperiori ſecutus erat,amoto,Calatrauæ Magiſter creatur. gratia magis Paciechi fratris datũ, quã ipſius meritis,quippe Aragonios fratres ante ſecuti. vterq; quaſi vitio creatus obtrectatoribus non caruit.Aluaro Rodericus Manricus obiectus eſt, Henrici Principis,vt mox dicetur fauore ſubleuatus.Petro Ioannes Guſmanius Calatrauæ Promagiſter: vnde magni motus,diuturnaque diſſidia extiterunt.Alburquerquium dedente Fernando Daualo in

regiam

regiam poteſtatem venit. Petro Aialæ Toletanæ arcis vrbiſq; cuſtodia adempta: Petroq; Sarmento concredita peſſimo publico, vti euentus declarauit: haud leui Henrici Principis dolore, qui Aialæ impenſè fauens, amici caſum iniquo tulit animo. Dum hæc in Caſtella mouentur, Guterrius Toletanus præſul Talaueræ obiit exeunte hoc anno pridie Nonas Decembris. Conſtans fama perhibet eo oppido in ſacrario templi maximi eſſe ſepultum nullo tumuli honore, ne inſcriptione quidem. Albæ in S. Leonardi Hieronymiano cœnobio ſepulcrum è candido marmore viſitur ſine inſcriptione, è medio temploq; vbi locatum erat, ad dextram aræ maximè tranſlatum, inane cenotaphium tamen, numquam defuncti corpore, contra quam ipſe mandarat, in eum tumulum illato. Alfonſus Carillius Paciechi auunculus, defuncti Guterrii Toletani Præſulis in locum cooptatus eſt, ineunte anno MCCCC. quadrageſimo ſexto, magno vir animo, turbido tamē & inquieto, vti conſequentes reipublicæ motus diuturni graueſque indicio ſunt. 1446.
Toleti Madritique de belli reliquiis conſultatum. Atienſa, & Torigia tantum in Vaſconis fide perſtabāt validis præſidiis ad omnes caſus munitæ: vnde excurſiones ſæpe in finitimos agros factæ. pecorum & hominum prædæ abactæ. præterea de Vaſcone fama in dies grauior, nouum bellum comparare, & cura creſcere prouincialib. Rex Maurus ſtudio noui imperii auctoritatem ſanciendi, & ab Aragoniis ſolicitatus, irruptione in fines Bæticæ facta, Benamurielem, & Benſalemam, munita iis locis oppida armis occuparat. maior ignominia metuſque quam clades. Vtriſque hoſtibus occurrere non licebat. vnde maius periculum extabat, in Aragonios ductæ copiæ menſe Maio. Atienſæ obſidione tribus circiter menſibus continuata, actum de pace. Placuit conſenſu, vti ea oppida Mariæ Aragoniæ Reginę quaſi ſequeſtræ darentur: dum delecti arbitri conſenſu partium, de controuerſia pronunciarent, vtris reddenda viderentur. fœdere facto Caſtellæ Rex in oppidum admiſſus pridie Idus Auguſti, cum mœnia quibuſdam locis diruenda, ædificia incendi curaſſet, quaſi violatis ab eo cōditionibus arce prohibitus, re infecta retro redire compulſus, Valliſoletum abiit. Toletanus tantùm Præſul, & Carolus Arellanus cum copiis relicti, qui Aragoniorum motus ea parte compeſcerent: & ſi qua occaſio eſſet, ea oppida in poteſtatem redigerent. Aragoniis haudquaquam eo fractus animus. frequentes excurſiones ex iis oppidis factæ & latrocinia Caracam vſque: vbi Toletanus Arellanuſq; erant. factioſi non pauci tota prouincia ſparſi, & reliquis permiſti hoſtilia moliri. ſuſpiciones inter Caſtellę proceres renatæ. in iis Vaſco maiorem ſpem habere, quam in armis. Aluarus, Paciechuſq; ſuas vterque opes ex aliena calamitate augere ſatagentes, diſſidii ſemina inter Principes patrē & filium ſpargere. Sæuam dominandi cupiditatem, cæcum ambitionis impetum. quantas ſtrages facis? vno in facinore quam multa ſcelera facta? Delectus militares ab vtraque parte habiti. Rodericus Manricus in eo magis quam in cauſa confiſus, nominatione Eugenii Pontificis, Aragonii Regis ſuaſu, nullo ſuffragio militari Diui Iacobi ſe Magiſtrū dicit: dum hic armis eius militiæ oppida occupare ſatagit, reſiſtit Aluarus, clades acceptæ redditæque. In tantis prouinciæ motibus, tantiſque diſſidiis, externa ſine cura erant. Mauri principio anni MCCCC quadrageſimi ſeptimi in noſtros fines inuecti, prædas agere ho- 1447.
minum pecorumq;, pagos incendere, vexare agros: oppida, Arenæ, Oſca, vtrunque Veles Album Rubrumque in Conteſtanorum finibus modico diſſita interuallo de noſtris capta. Neque præſidio militari, neque commeatu ſatis inſtructa, hoſtilem impetum diu ſuſtinere non potuerunt. domeſtici diſſidii fructus hi ſcilicet erant, maioris mali expectatio.

Bellum Florentinum. CAPVT V.

HAud abs re fuerit, vt opinor, belli Florentini cauſas per idem tempus in Italia geſti, ſucceſſumque compendio indicare. Philippi Mediolanenſis filia notha Blanca nomine, Franciſco Sfortiæ iuncta erat. dotis nomine aurei ſexaginta millia pacti. dum ea ſumma penditur, Cremona vrbs opulenta pignoris loco data eſt. eam gener in ſpē principatus impulſus, quamuis pecunia oblata reſtituere ſocero recuſauit, Venetorum ope fretus: qui eo tempore cum Florentinis & Genuenſibus ſocietate inita, mari terraq; potentes erant. Epiſcopus Nouarienſis ad Alfonſum à Philippo legatur, ſi Florentinos bello peteret, ſe Venetis viribus parem Cremonam recepturum. Eugenius Pōtifex Venetis ac ſociis infenſus, Philippo amicus, Regem ad id bellum incitabat. plura quā petebātur præſtitit. Raymūdum Buillū eximium ea ætate Ducē in Inſubres maturare iubet: ipſe hyeme quamuis per Latinos Tibur peruenit. dū ibi expectat quorſum res cōmotæ euaderēt (nam

Florentini meliora pollicebantur) à Venetis magna pars Inſubrum occupata eſt. Re neceſſaria compulſus Philippus generum in gratiam recepit. idem eius rogatu Alfonſus facit. pecunia etiam mutua adiuuat. verùm repentè mutata volũtate Alfonſus ad Inſubrum imperium vltro à Philippo vocatur. recuſat ille, indignum facinus ratus tantum principem, ad priuatam fortunam redigi. Inter hæc Eugenius Pontifex magnum reb. momentum, ad ſeptimum Kalend. Martii Romæ decedit. feſtinatis comitiis, omnino intra diem decimum Thomas Sarzana Lucæ in Hetruria natus in defuncti locum cooptatus eſt, Nicolai quinti nomine. generis obſcuritatem veris virtutibus illuſtrauit. quem ob humanioris literaturæ reſtitutę in Italiam lucem omnes viri docti ament, laudentque neceſſe eſt. Virtute non modo, ſed etiam fortuna eo ſeculo admirabilis fuit. ea infimo loco ad id faſtigium ſublatus. pacis ſtudium, quanta belli cupiditas deceſſori fuerat. In Inſubrib. bellum vario euentu gerebatur. Philippus Venetorum exercitu Abduam flumen tranſgreſſo, curis anxius, ac ſibi diffidens, cum Ludouico Dezpuchio Alfonſi legato principatus deponendi Regique tradendi conſilia ſerio communicat, vitam principalem nullis non curis obnoxiam cum priuata & beatiore mutare ſtatuens. Neque ſenili corpore bellicos labores, neque animo moleſtias pati poſſe. Iuuene opus eſſe ardenti: qui exultantes Venetos audacia & perpetua felicitate compeſceret. dum Ludouicus cum iis mandatis ad Alfonſum it, reditque, Philippus in Mediolanenſi arce febri & dyſenteria diem obiit, Idib. Auguſti. Præterea vitæ tædio. quid enim tantum paulo ante Principem niſi longa ætas vertenti fortunæ tribuit? quid alios veteri recentiq; memoria? vt nonnunquam longior vita exoptanda non ſit, magnis ærumnis obnoxia. tempore deceſſiſſe in magni beneficii loco poni debet. Eo menſe Madrigale in Vaccæis Ioannis Caſtellæ Regis & Iſabellæ Luſitanæ nuptiæ confectæ ſunt. modicus apparatus fuit propter inteſtina Principum diſſidia, neque magna lætitia. Aluari tamen opprimendi inter Regem & Reginam conſilia collata. Nondum maturum erat. poteſtatem ille acerbè exercens exitium accelerabat. ea merces nouis nuptiis conciliatis auſpici comparata. Alfonſus vt erat conſtitutum à Philippo Mediolanenſis imperii hæres nuncupatus teſtamento eſt. à Raymundo Buillio, cui continuo arx tradita eſt, belli duces in Alfonſi noui Principis verba ſacramento adacti. Vrbana multitudo in ſpem libertatis arrecta arma capit. vtraque arx in poteſtatem redacta eſt plebis: atque à fundamentis euerſa. ab Alfonſo parum opis erat bello Florentino inchoato. Ripa Marancia in agro Volaterrano, Piſcariæ Caſtellio Aragoniis armis occupata. Florentini, vt in repentino metu, Fridericum Vrbini, Malateſtam Arimini regulos auxilio euocant. Plumbinum ab Alfonſo obſeſſum. vicina inſula, cui Lilii nomen, capta, promiſſa aurea patera quotannis tributi nomine, pondere aureorum quingentorum vitatum Plumbini periculum. A Florentinis etiam pax impetrata, cùm ſe Sulmonem Alfonſus retuliſſet, Lilii inſula & Caſtellione Piſcariæ tamen retentis. De Mediolanenſi principatu contentio ſubſecuta. vicit Franciſcus Sfortia expedito conſilio iuuenis: Mediolanenſibuſq; libertatem, Alfonſo deſtinatum imperium ſua virtute, & Venetorum opibus abſtulit. vnde nouorum Principum ſtirpes, nouorumq; ac magnorum motuum materia extitit: quæ Galliam, cum Italia, cum vtriſq; Hiſpanos ad noſtram ætatem commiſit, variante ſæpe belli fortuna, vti competentibus locis indicabitur.

Multi proceres in Caſtella capti. CAPVT VI.

CAſtellæ res quietæ non erant. inde Maurus imminebat aſſiduus atque infenſus Chriſtiani nominis hoſtis: inde Vaſco, maiorem ſpem in domeſtica Caſtellæ procerũ diſcordia, quam in ſuis viribus habens: quæ calamitas grauior erat. A Toletano atque Eneco Mendoza, qui in Arellani locum ſubſtitutus erat, Torigia diuturna obſidione fatigata deditionem facere coacta eſt, militum qui in præſidio erant, incolumitatem pacta. id damnum compenſatum in Soriæ agro, arce ab Atienſæ militib. capta, cui Rupi Alcaſari nomen erat. Noua iniuria Caſtellæ Rex excitatus, Soriam menſe Septembri Madrigale abiit. ſequebantur tria equitum millia, ad inuadendum Aragonios fines idonea manus. Ipſo tempore Cæſarauguſtæ eius gentis conuentus erant. belli cura ſolicitabat, tantuſq; in Caſtella apparatus haud temerè futurus. Delectus extraordinarii inſtituti. decimus quiſque ciuis ſortitione facta, arma ſumere compulſus eſt: quod niſi in ſummo periculo vſurpari non conſueuit. Enecus Bolea, Raymundus Palomarius Soriam legati, quorſum eæ molitiones & copiæ ſpectarent rogatum. Societatis amicitiæq; iureiurando confirmatæ meminiſſet. Quamquam opibus confideret, incerta tamen pro certis mutari correptis armis. Bellum facile ſumi: non in eiuſdem poteſtate initum eius, & finem futurum. Ad ea

Rex

Rex ſenatu ad duodecimum kalend. Octobris dato, placide, ſibi in more eſſe reſpondit, gentis procerumque comitatu ſtipatum procedere. Aragonios commiſiſſe, vt hoſtium loco eſſent, Vaſconem conſilio & viribus adiuuando. niſi mutatum eſſet, armis vindicaturum feciales Surbanus Carabeuſque, qui de his iniuriis expoſtularent in conuetu Cæſarauguſtano, amandati. Noua rurſus ab Aragoniis ad Caſtellæ Regem miſſa legatio eſt. dum altercationibus tempus ducitur, Verdegium in Calataiubę agro arx, à militibus improuiſo capta. ea cauſa pacis mentio intermiſſa: ventumque continuò ad manus eſſet, niſi nouus nuncius, proceres in Caſtella intima, inter ſe coniurationes facere, Regem Caſtellæ Valliſoletum neceſſario reuocaſſet. In eo municipio Chriſti Dei natalis dies celebratus principio anni MCCCC quadrageſimi octaui. Quo tempore à Vaſconū quidem manu Campeſum captum: ab Albarracini autem præfecto Huelamum: quod oppidum in Celtiberis ſitum eſt, non procul vrbe Concha. ad eum modum aduerſæ res ſecundæque variabant. ſanandi Caſtellæ proceres præcipua cura erat: filiumque cum patre Rege conciliandi, mobilitate ingenii nunquam ſatis fidum neque ſatis conſtātem. Aluari & Paciechi ambitio impedimento erat. Vterque æmulo proſtrato per eius ruinam ad faſtigium nitebatur. Id Alfonſus Fonſeca Abulenſis Epiſcopus ſagaci vir ingenio conſiderans, pacis inter eos atque amicitiæ ineundæ auctor extitit: cum diceret coniunctis animis rerum ſummam poteſtatem penes ipſos, in diſſidio exitum fore. Ad certam diem pleroſque proceres capere conſilium fuit. Regis & filii Principis in eam rem colloquium inſtitutum, habitumque Medinam Campeſtrem inter & Tordeſillam ad quintū Idus Maii Sabbatho: quo die Diuini ſpiritus de cœlo in Apoſtolos illapſi memoria recurrebat. vti erat conſtitutum Alfonſo Pimentelio Beneuentano, Ferdinando Toleto Albano, Henrico Præfecti maris fratri, Quignoniis fratribus Petro Sueroque, vincula iniecta. Beneuentanus, Henricus, Suerusque Portillum in cuſtodiam amandantur. Albanus Petrusque Roam. crimini datum quod Vaſconis in Caſtella reuocandi conſilia agitaſſent. Prona hominum in deterius perſuaſio. confictum id ad inuidiam eius facti procurandam fuiſſe vulgo iactatum. Præfectus maris & Caſtri Comes forte an conſilio, vt ſui copiam facerent, adduci non potuere: & allato rei geſtæ nuncio ſe ſe in Vaſcones receperunt. eorum procerum oppida capta haud difficulter, quippe deſerta defenſoribus, neque cōmeatu inſtructa. Præcipua fuere Medina à Riuo ſicco, Lobatonium, Aquilaria, Beneuentum, Maiorga, alia magno numero. de Diego Manrico Antelato Nauarreti & Treuigni arces, ipſo dedente quaſi fidei obſides incertę dubiæque (ſic opinio erat). Læta hęc fœdiſſimo cuique, apud bonos inuidiæ fuere: neq; ſanatæ voluntates ſed exacerbatæ ſunt amplius: maiorisque belli metus oſtendebatur. Cæſarauguſtæ nondum ſoluto Aragonio conuentu, menſe Aprili inter Aragoniam Caſtellamque ſemeſtres induciæ pactæ. pacis conſtituendæ facultas an voluntas non fuit. Caſtri Comes in Vaſconibus ſubſtitit. Præfectus maris Cęſarauguſtam ad quartum kalendas Iunii peruenit. in ea vrbe cum Vaſcone de rerum ſumma deliberatum eſt: atque vti in Italiam contenderet perſuaſum, acceptæ contumeliæ teſtis: Aragonio auctor futurus in Hiſpaniam maturandi. Plumbinū, quod oppidum ab Alfonſo Rege obſidebatur (vti antea dictum) vno tempore Præfectus maris & Garſias Toletus Albani filius non eodem itinere peruenerunt. faciles eorum poſtulatis aures ab Aragonio præbitæ: ſeque præſidio affuturum recepit, datis ad proceres literis hoc exemplo. Amici, viri præſtantes. De veſtro caſu ex patrueli noſtro maris Præfecto cognouimus: quanto cū dolore explicare non attinet. Nobis curæ vos veſtraq; fore ac vero pro Caſtellæ incolumitate nullum neque impendium neque periculum recuſaturos rerum euentus breui indicabit. Valete. E Plumbini caſtris quarto Idus Auguſti. Procerum oppidis occupandis aliquot menſes extracti. conſilio inter patrem Regem & filium communicato præſidia ad fines regni contra Mauros diſponere idoneis locis viſum eſt. Alfonſus Gironius Paciechi patruelis, Hellino & Humillæ in Conteſtanis præfectus ducentique equites, pedites quadringenti. Cum ea manu Mauros ea parte inuectos cęcidit, maiori animo quam conſilio, ſucceſſuque. Conturbati hoſtes propinquum collem occupant: noſtros nimia animorum confidentia, legēdis ſpoliis occupatos ſecuroſque repente inuadunt, magno clamore ſublato. diſperſos ac toto campo palantes cędunt, neque fugere, neque arma capere valentes: neque omnino facere neq; prouidere quicquam. plerique interempti: paucos cum Duce fuga ſeruauit. arma & militaria ſigna capta. ad alias Caſtellæ calamitates, noua ea clades Regis animum perculit. eo amplius, quod per idem tempus Henricus Princeps Aluaro infenſus Madrito, vbi cū patre erat, Segobiam ſe ſubduxit. Impleuit ea res Regis animum nouo dolore. conuentus regni Valliſoleti agitare conſilium fuit. ſiqua ſe via daret ad tanta mala procuranda. Henricus patris monitu

Tordesillam accessit. eodem discessurus Rex conuentum procerum & aulicorum prius habet. Sibi in animo esse explicat, cum filio pacem conciliare: proceribus pro cuiusque merito præmia, pœnamve tribuere: ac omnino oppida, quæ de coniuratis erant capta, donare aliis. Regis consilium vrbium procuratores pro se quisque laudare: certare adulationibus: quod pessimum obsequii genus est, sed Principibus non ingratum. Vnus Valera Conchæ vrbis procurator, socio concedente primas in respondendo partes, insinuatione facta, haud obscurè tamen Regi suadet, ne inauditos proceres damnari patiatur, ea nobilitate, iis maiorum meritis. fore alioqui iudicium iniustum, etiam si iusta decernantur. Fernandus Ribadeneira robusti corporis viribus præstans in paucis, vasto animo, procax ore, in Valeram inuectus, verba malo ipsi fore minatus est. Vocis temeritatē conturbato Rex vultu, aut mox discessu castigauit. Octauo post die à Valera literæ ad Regem datæ hac sententia: Da pacem domine in diebus nostris. Quanta in remp. mala, domestica dissidia inuexerint, quid explicem? cum nostræ calamitates indicio sint. post hominum memoriam grauissimæ: vasta omnia, inculta, oppressa, deserta, miserabilem Hispaniæ faciem tertiò ruituræ, nisi maturè succurratur. Libet cum antiquis vatib. patriæ squalorem, luctum, exitium deplorare. sed in publica tamen calamitate lamentari modò, neq; aliud præter lacrymas remedium adhibere, vanum arbitror. ea res ad scribendum impulit. In tua prudentia spes nostræ secundùm Deum sitæ sunt. Si minus nostra, tui certè imperii calamitas moueat. si quid erit offensum commune omnium damnum erit, tua vnius ignominia peccabitur. Fama atque fortuna hominum pares sunt. atque hac conditione regnatur: prospera ad omnes pertinent, aduersa vni Principi imputantur. Duabus reb. communes res continentur præmio & pœna, seueritate & clementia: vti vsus docet, & magni viri testatur. Est scilicet, vtriusque rei modus, sicut reliquarum, & quædam in vtroque genere mediocritas. sed non tanta de re propositum est hoc loco disputare. Exempla tum vetera, tùm recentia in vtramq; partem afferre, quid iuuat? Multos clemētia euexit, seueritas paucos, nullum fortasse. Alexandrum, Cæsarem, Salomonem, Roboamum, Nerones intuere: quæ asperitas rigorq; necessarius fortassis, importunè tamen susceptus exulcerauit: lenitate sananda sunt: diuersaq; via insistendum. Quatuorq; omnino præstanda, sic mea sententia est, vtinam tam felix, quàm pia. filius conciliandus. exules reuocandi. liberandi vincti. atque obliuio iniuriarum sancienda. At facilitas contemptum pariet. verum, si in imperio contemneretur quisquam, nisi qui se ipse contempsit. Non sine periculo auctoritatem suam Princeps subditorum sanguine sanciet. At impunitas cōfirmabit audaciam: legibusq; improbitas, atq; infidelitas vindicari mandatur. esto: sed Regum propria laus clemētia est: & omne magnum exemplum habeat aliquid necesse est, quod reprehendi possit. si quid certe in leges peccatum erit, salute publica compensabitur. Ad vota in extrema tabula confugio. Deumq; precor, vt à nostra ex syncero animo profecta oratione, temeritatis suspicio absit: mentem tuam vt de rebus tantis statuas, lux maior, atque cælestis illustret, doceatq; quod opus sit facto. Eæ literæ Aluaro extitere graues. Regi & bono cuiq; gratissimæ. Quibus lectis Placentiæ Comes, Valeræ in familiam ascito, filium maiorem instituendum tradidit, hominis ingenio delectatus, & dicendi libertatem admirans.

Lusitaniæ Regis nuptiæ. CAPVT VII.

MAgnum reipublicæ vulnus inflictū erat, tot tantisq; proceribus, quà captis, quà Castellæ finib. discedere compulsis. eos restituendi in libertatem patriamq; ratio intus forisq; excogitata. timor impediebat obsequii magister haud satis fidelis futurus. reb. mutatis successit audacia. Beneuentanus è custodia elapsus. Alfonsus Leo (cui Diegus Ribera arci & custodiæ præfectus omnia credebat) magnis in præsenti donis, maioribusq; promissis quam pro eius fortuna corruptus, triginta militib. aditum in arcem patefacit. equi in vicino pineto relicti erant. iis conscensis Beneuentum Comes est deductus. incolæ regio præsidio deiecto venientes cupidissimè acceperunt. mox Alba, quæ ad Alistē est, obsidione liberata, qua à regiis premebatur: aliaq; minora oppida redacta in potestatē. Rei gestæ nuncio lætati boni, lætata multitudo. Rex conturbatus, Ocaniæ relicto Aluaro belliq; ei in Aragonios comparandi cura demandata, ipse Beneuentum festinauit. aduersus Regem nouo dolore irritatum, parum præsidii Beneuentano erat. munito oppido in Lusitaniam cōcessit, Regis sui nuptiis recēs celebratis lætam. Isabella Petro patruo, & regni procuratore nata coniugio iuncta, ante septem annos pacto. puella sanctissimis moribus, præcipua formæ dignitate erat. nati ex eo coniugio Ioannes prima ætate defunctus, Ioāna soror, Ioannes alter, cui vita diuturnior fuit, paternusque principatus obuenit. Regis ætas

tenera adhuc & regni curis impar erat. Petri diuturnum imperium graue cæteris proceribus inuidioſumq; eſſe cœperat. Multitudo rerum nouarum cupida, principum mutatione gaudet: futura ſemper præſentibus fore meliora credit. Alfonſus Barceloſii Comes ante alios Petri euertendi conſilia agitabat: nulla neque fratris commiſeratione, neq; memoria recens accepti beneficii. Gōſaluo enim Brigantii regulo, ſine prole defuncto, Dux Brigantinus fuerat paulo antè renunciatus. Sic ſæpe magna merita graui iniuria penſantur: naturæ iura, ambitio inuidiaq; reſoluunt, violantq;. Rei perficiendæ parum ſpei niſi in fraude erat. Regi adoleſcenti rerumq; ignaro ſuadet, vti rempublicam capeſſat. Reginæ matris primum pulſæ, deinde peremptæ noxio medicamine, contumeliam, Petri quē auctorem prædicabat, capite vindicandam. ſuperbè, auareq; eatenus imperaſſe, rempublicam prædæ habuiſſe. vt eſt humanus animus inſatiabilis, eo quod lege conceditur, ad altiora & non conceſſa tendere. regnumq; cuius ſolum nomen deſit, dies noctesq; cogitare. Commotus iis criminationibus Rex, Petrum vlciſci parat. Conimbricæ ſe is incluſit: ne in tam ſubita rerum mutatione ſe ſuoſq; contumeliæ offerret, & quorſum quę cōmota erant euaderent expectaturus. magni animi ægrè iniuriam ferunt. Oliſiponis occupandæ propoſito, cum eius vrbis ciuibus conſpirauit. res tanta latere non potuit. cum manu militari eo profectus inſidiis exceptus eſt: iuſtoq; prælio dimicatum ſalutis anno M CCCC 1449
quadrageſimo nono, de menſe non conuenit, auctoreſq; in diuerſum trahunt. Periit ipſe cum multis. vindictam cæleſtem interpretabantur earum rerum curioſi, ab eius rebus auerſi: quod medicata ſagitta icto corde occubuiſſet, vir meliori exitu dignus longiori vita. tametſi annos vixit quinquaginta ſeptem. magnus animus fuit, exacta prudētia, quam ex multo rerum vſu collegerat. Regem patrui & ſoceri necem ægrè tuliſſe iactatum. fama frequentior reſiſtit: & rerum euentus mendacium arguit. mortuo diu ſepultura negata, ad Aliubarrotam tandem, vbi Regum ſepulcra ſunt, occiſi manes ritè conditi ſunt, iuſtaque exequiarum facta. Iacobus filius in prælio captus, deinde ad Iſabellam amitā in Belgas abiit: ab ea Romam miſſus, purpura donatus eſt. Beatrix ſoror eodem ſubſecuta Adolpho Cleuenſi data eſt vxor. diuturna pax in Luſitania excepit. Rex ætate confirmata ſapienter rempublicam geſſit. Bello Maurico felicior fuit, quàm quod extrema ætate aduerſus Caſtellæ vires geſſit. Pręcipua animi pietate liberandis captiuis, qui vincti in Africa erant, magnam vectigalium partem effudit: ſi effudiſſe, dicendus eſt, & non potius in ſalutem publicam ſanctiſſimè collocaſſe. Aulicis ſe ſuaque regenda tradidit (id vnum in eius moribus accuſatur,) temporis vitio ſic arbitror, potiuſquam ſuo. quæ labes à pleriſque ea ætate Principib. ſuſcepta, occulta ſiderum vi in alias etiam prouincias magnas calamitates inuexit.

Tumultus Toletanus. CAPVT VIII.

OCaniæ relictus Aluarus bello Aragonio pecuniam conquirebat: quæ maxima difficultas opponebatur. Toleto amplæ opulētæq; ciuitati pecuniæ haud magna ſumma imperata aurei ad tria millia. paruæ ſæpe res maiorum momentum fiunt. eius pecuniæ redigendæ cura Alfonſo Cottæ ciui copioſo commendata. reſtitere ciues: ſeq; ab eo initio vrbis immunitatem violari eſſe paſſuros negarunt. monitus Aluarus in cœpto cū perſtaret, æris pulſu è Diuæ Mariæ populus ad arma concitatur. Ioannes Alfonſus, & Petrus Galues Canonici Toletani primi incitatores. conſternatæ ad arma multitudini ſe vtrium conſarcinator quidam ducem præbuit. nomen non traditur, de facto conſtat. In Cottæ ædes impetus fit. ignis iniicitur. materia auidè concipiente flammam, regio ea, vbi Diuæ Magdalenæ templum eſt, mercatorum frequentia nobiliſſima, magna ex parte incenſa. direptæ opes: miſeris ciuibus iniecta vincula, nulla miſericordia ſexus aut ætatis. fœdum atq; atrox ſpectaculum ad ſeptimum Kal. Februarii Toleti fuit: ciues à ciuib. non ſecus, ac ſi hoſtes eſſent, omni iniuria vexati. dira vrbis vaſtitas. In eos potiſſimum ſęuitum, quos ex Iudæis maiorib. prognatos, ac nouos homines eſſe putabāt. gentis inuidia poſterorū pœnis vindicata. Sarmentus vrbis Prætor, & Marcus Garſia eius Legatus (Marquillum Mazarambrotium ignominiæ cauſa vulgus vocat,) in quib. præſidium eſſe debuit, concitatę multitudini faces ſubdiderunt. audaciam, vt fit, ſupplicii metus excepit. bellum ex ea re imminere dubitabat nemo. vrbis portæ occupatæ ſunt. id vnum reliquum erat. ſcelus ſcelere cumulatum. læta in præſens, aliquanto poſt in perniciē vertere. In Aluaro tantis motibus pacandis parū auctoritatis erat, præſertim Sarmento infenſo. Rex eius monitu, Beneuento interea in poteſtatem redacto, ad incendium accurrit, veritus ne ex iis initiis maior rerum moles extaret. aditu vrbis prohibitus ad Diui Lazari noſocomiū ſubſtitit. globi

tormento è propinquo muro diſploſi addita verborum procacitate: Ea poma à ciuib. expectaret. Noua ex eo ſæuiendi occaſio Sarmento extitit. plures ciues in cuſtodiam traditi, quaſi vrbem Regi prodere tentaſſent. quæſtiones tormentis habitæ. nonnulli dolore victi, plura etiam quàm rogabantur confeſſi ſunt. direpta bona, non paucis gula fracta. fœdam carnificinam, fidei crimen obiici, quietis ſtudium accuſari, grauiſſimum ſcelus inter rebellantes. Miſſi ad Regem, qui Torrigios conceſſerat, oratores (nomina ne memoriæ prodantur, eorum poſteris & maioribus tribuendum puto) viri nobiles: Niſi Aluarus amotus eſſet, ciuitatibus ſua immunitas ſtaret, ſuę aliarumq; vrbium nomine mutationem imperii renunciarunt, in eius locum filio ſubſtituto. grauis contumelia audaciaq; : ſed ne violaretur ius gentium, dataq; fides valuit. reſponſum datum non eſt. obſeſſa vrbs, Henrico Principe à rebellibus in auxilium euocato periculo erepta. neq; vindici tamē quamuis intra mœnia admiſſo, aut claues portarum vrbis aut arcis datæ ſunt. Nihil in concitata multitudine moderatum. niſi pauent, terrent, impotenterq; rempublicam habent. plebiſcitum factum ad octauum Idus Iunii, quo Iudæorum ex gente prognati honorib. muneribuſq; publicis arcebantur: ac nominatim expreſſum erat, ne tabelliones eſſent, neve actores cauſarum, iuxta Alfonſi Sapientis legem: qua datum Toletanis affirmabant, ne in ea vrbe aut agro cuiquam ex ea gente, aut munus publicum, aut Sacerdotium eſſet. perturbatè omnia gerebantur: neq; inter arma vimq; quid legibus, aut more ſanctū eſſet, conſiderare licebat. impotens tantum dominatus, atroces iniuriæ. Decanus Toletanus cuius neque nomē, neq; genus prodere neceſſe eſt, fretus opibus atq; eruditione, fretus Romana gratia, nam Magiſter Pontificiorum diplomatum Romæ fuit, procedente tēpore Caurienſis Epiſcopus creatus eſt (vti nonnulli tradunt à maioribus accepiſſe) vrbe egreſſus, atque ad Sanctæ Eulaliæ oppidum ſubſiſtens, id edictum temeritatis, atq; impietatis de ſcripto accuſauit maiori animo, quam ſucceſſu. Septem theſes diſputandas obtulit. in eam ſententiam longiorem diſputationem ad Barrientum Conchenſem Epiſcopum dedit. in ea præter cætera nobiliſſimas Hiſpaniæ familias cum ipſius propinquis, aliiſq; ex eadem natione ſanguinem miſcuiſſe, deſignatis etiam ſingulorum nominibus notauit: verò an ſimulatò, quò cauſam meliorem faceret non arbitror, curioſius indagandum. neq; in eo reſtitit commotus hominis animus: quin Nicolao Pontifici maximo auctor extitit (ſic arbitror) eius diplomatis quo Toletani edicti capita omnia reprobantur, promulgandi tertio pontificatus anno: hoc eſt, eo ipſo quo turbæ Toletanæ extiterunt. Eius diplomatis exemplum, ſi hoc loco ſubiiceretur operæpretium me facturum exiſtimaui. Humaui generis inimicus illico quò verbum Dei cadere in bonam terram conſpexit, operam dedit ſeminare Zizaniam: vt conculcato ſemine nullum fructum produceret, pro vt vas electio. Paul. Apoſt. præcipuus huius Zizaniæ extirpator refert: q, initio inter cōuerſos ad fidem, differentia antelationis orta eſt, Iudæis cum Gentib. de prælatione certantibus, aliis aliter in Dei Eccleſia ſciſſuram inducere cupientibus: cum alii Cephæ, alii Apol. eſſe certarent. Redemp. noſter hæc præuidens ab initio naſcen. Eccleſiæ ordinauit, qui huiuſmodi Zizaniam extirparent, humanaq; imbecillitate peccantibus aut lapſis occurrerent. prout ipſe Apol. ad Rom. ſcribens omne huius antelationis diſſidium diuinis verbis euertit. atq; Petrus Apoſt. Princeps in ſingulis diœceſibus ordinatis Epiſcopis vniuerſam ſchiſmatum occaſionem ſubmouit. Nos noſtri Redemp. exemplo, cuius vice, ad huiuſmodi potiſſimè tollenda diſſidia, locum licet immeriti tenemus in terris, præfatorum exemplis edocti, omni vigili cura compellimur, operam dare, vt his quæ inter fideles poſſent diuiſionem parere, noſtri pontificalis officii auctoritate occurramus, vt inter fideles caritas, amor ac vnitas vigeat. Nihil enim eſt, q, tam inter fideles conueniat, quàm quod in omnibus, ſit velle vnum, inquiente Apoſt. Sicut enim corpus vnum eſt, & membra multa habet, omnia autem membra corporis, cùm ſint multa, vnum corpus ſunt: ita & Chriſtus. etenim in vno ſpir. omnes nos in v. c. Baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi, omnes in vno ſpiritu potati ſumus, vnum corpus & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vnā ſpem vocationis veſtræ, v. Domi. v. f. v. b. v. D. & pater omnium. Percepimus quoſdam nouos ſeminatores Zizaniæ affectantes huius vnitatis & pacis noſtræ fidei ſalutare fundamentū corrumpere, ac quod per vas electionis Apoſt. Pau. extirpatum fuerat, diſſidiū in diuerſis partibus, maximè in regnis cariſſimo filio noſtro Ioanni Caſtellę & Legionis Regi illuſtri ſubiectis, reuocare, auſu temerario aſſerere, quod qui aut ex Gentilitate, aut ex Iudaiſmo, aut ex alio quouis errore, Chriſtianæ fidei veritatē agnouerant, & baptizati ſunt, & quod grauius eſt, eorum filios, propter nouam aſſumptionem fidei non debere ad honores, dignitates, officia, tabellionatus, ad teſtimonium in Chriſticolarum cauſis perhibendū admitti, eos verbis & facto contumeliis afficientes. Quæ cū à Redemp. noſtri inſtitutis aliena ſint,

na sint, eodem Apost. Paulo testante, cum dicit. G. & honor & pax omni operāti. b. Iudæo & Græco. non est accep. personar. apud Deum. & omnis qui credit in illum non cōfund. Non enim est distin. Iudæi & Græci: nam idem Domi. omnium. diues in omnes qui inuocant illum. Et alibi: In Christo Iesu, nec circuncisio aliquid valet, nec præputium, sed fid. quæ per carita. operatur. Hos vt à veritate catholicæ fidei aberrantes, ad viam veritatis deducere: ac quatenus in præmissis excesserint animaduertere cupientes. cùm non tā præmissis diuinis auctori. contradicant, sed & Illustrium Principum quondam Alfonsi Sapientis cognominati, & Henrici, & charissimi filii nostri Ioannis moderni Castellæ & Leg. Regum, pro fidei augmento, perpetuis sanctionibus, authenticis literis, eorum sigillis munitis, grauib. pœnis vallatis, per nos visis, & maturè discussis: quibus sanxerunt, vt inter nouiter ad fidem conuersos, maximè de Israelitico populo, & antiquos Christianos, nulla in honoribus, dignitatibus, officiis tam Ecclesiasticis, quàm secularib. suscipiēdis & habendis, nulla discretio fieret. atque affectantes, vt quisque, quæ recta sunt sapiat, & qui contra Christianæ legis normam, falsa seminare, & proximos scandalizare, quæ vnitatis & pacis contraria sunt, præsumpsere, debitis pœnis affecti eorum errores agnoscant: præfatorum Principum ordinationes & decreta, vt iuri & sacris canonib. conformia super his edita, ex nostro proprio motu, & certa scientia approbamus & confirmamus, & Apostolicæ auctorita. munimine roboramus, ac omnibus & singulis, cuiuscunque status, gra. aut condi. fuerint Ecclesi. vel secularibus, sub excommunicationis pœna mandamus: vt omnes & singulos ad Christianam fidem conuersos, aut in futurum conuertendos, seu ex Gentilitate vel Iudaismo, aut ex quauis secta venerint, aut venire contigerit, ac eorum posteros, tam Eccle. quam seculares, catholicè, & secundum quod Christianos decet viuentes, ad omnes dignitates, honores, officia, tabellionatus, testiū depositiones, & ad omnia alia, ad quæ alii Christiani quantumcūq; antiqui admitti solent, admittant. nec propter fidei nouam receptionem inter eos, & alios Christianos, discretionem faciant. nec verbis aut facto, contumeliis afficiant, nec affici permittant. sed omni eorum possibilitate contradicant, & opponant, & eos omni caritate prosequantur. & profiteantur, sine personarū acceptione omnes Catholicos vnum esse corpus in Christo, secundum nostræ fidei doctrinam. Quos omnes tales esse, & pro talibus, ab omnibus haberi, harum serie decernimus & declaramus. Verum si qui ex his post baptisma reperiantur Christianorum fidem non sapere, aut Gentilium, vel Iudæorum errores sectari, vel dolo, aut ignorantia Christianæ fidei non seruare præcepta, quibus casibus in Toletanis conciliis, & maxime Cap. constituit, & alibi, contra huiusmodi à fide Christi apostatas, non pariter cum aliis bonis fidelibus, ad huiusmodi honores admittendos decreta sunt, locum sibi vindicant. prout præfati Reges rectè sacros canones intelligentes, in præmissis eorum cōstitutionibus, quasdam eorum regnorum leges interpretati sunt, aut alias minus quæ Christiano conueniat agere aut sapere. Qui de hoc scandalizatus fuerit, adeat competentem iudicem, & quod iustum est fieri publica auctoritate, iuris seruato ordine studeat. nec quisquam propria auctori. aut ordine iuris non seruato, contra diuina. humana. quæ legum doctrinam, aliquid in eos, aut eorum aliquem audeat attentare. Et quæ sequuntur. Datis Fabriani Camerin. diœcesis, anno Incarnat. Dominicæ M cccc xxxx viiii, octauo Kal. Octobris, Pontif. nostri anno tertio. Alterum eiusdem Nicolai Pontificis diploma biennio post datum tertio Kal. Decembris, vt inseratur operi non est necesse, de eodē argumento priori consonum. Hæc ferè ab annalium auctorib. prætermissa, ad inuidiam vt puto declinandam, ex schedis amici deprompta propter rei gestæ nobilitatem hoc loco referenda putauimus. de iure, iniuriave disputare non est necesse: liberum in vtramq; partem lectori iudicium esto, ex iis quæ exposita sunt, aliisq; de hac controuersia monimentis: quæ multa in vtramque partem circumferuntur, tranquillo neque infecto partib. animo syncerè si pronunciarit.

Nouæ procerum conspirationes. CAPVT IX.

SOlicitare Vasco Castellæ proceres non desistebat. ciuitates, Murcia, Conchaq; haud satis syncera erga suum Regem fide erant. inde spes aliqua pristinarum opum recuperandarum, Vasconi & procerib. aliis ostendebatur. Varię manus prædatum missæ. ad Requenam pecoris magna vis capta: incolæ etiam maiori animo quàm consilio obuiā progressi in pugna victi sunt. Murciæ occupandæ spes euanuit. Concha ab Aragoniis tētata, ductore Alfonso Aragonio Vasconis filio. Diegus Mēdoza euocarat, arcis præfectus: quę ea tempestate in summa vrbe posita erat. nunc rudera tantum & parietinæ extant nobilis ædificii reliquiæ vestigiaq;. Aragonii conatus vani euaserunt. Barriento Pontifex vrbem

magna virtute defendit. Eo periculo vitato nouæ molitiones in Aragonia extiterũt, Præfecti maris aduentu: quem in Italiam abiisse monstratum est. Vrbium procuratorib. Cæsaraugustam euocatis Aragonii Regis mandata in conuentu recitata sunt. secundum ea, vt vires gentis conferantur, bellumq; Castellæ denuncietur postulatum. excusant illi. pacem, quæ inter vtramq; gentem extabat, Rege absente ærario exhausto, bello importunè mutari. præsidia alia cõquisita. actum de coniugio Vianæ Principis cum filia Hari Comitis. de colloquio inter Castellæ proceres actum eos, quib. præsens rerum status displicebat. quod caput erat, Henricus Castellæ Princeps ad societatem ineundã inuitatur. Nondum gratia cum patre redintegrata, Toletum is in potestatẽ redegerat à multitudine populari adiutus. prioris tumultus concitatores Principe agente intra templũ maximũ, quo se receperant capti. duo Toletani Canonici, ad Diui Torquati in custodiam missi, diuturno, atque grauissimo carcere (qualis in eo oppido est) macerandi. ne capite pœnas darent ordinis sanctitati datum. Marcus Garsia & Fernandus Auila per plateas tracti, atq; omnibus tormentis excruciati, ciuium oculis. in quorum fortunas impotenter grassati erant, gratum spectaculum interitu præbuerunt, facinorib. consentaneo. Mauri præcipua licentia, frequentib. excursionib. finitimum Bæticæ agrum vexare, incendere, diripere: ingentes prædæ actæ. ad ipsa Giennii & Hispalis suburbia peruentum. pudendam nostrorum ignominiam. Domestica rerum perturbatio vsque eo animos extulerat, vt Vasconi delectus in Aragonia habẽti polliceretur Rex barbarus: si alia parte Castellæ fines inuaderet, non dubitaturum se Cordubam admouere castra: neque cessaturum, nisi nobilissima vrbe in potestatem redacta. gratiæ legatis actæ pro ea voluntate: dilatum id tamen: siue quia nondum maturum erat: seu ne noua inuidia factioni accederet. Cluniæ in Areuacis, procerum conuentus fuit ad septimum kal. Augusti. affuerunt Marchiones Villenæ, atq; Santillanius, Hari Comes, Præfectus maris, Rodericus Manricus, qui se Diui Iacobi Magistrum ferebat. Henricum etiam Castellæ Principem interfuisse non nemo ait. Aluari importunitate Castellæ nobilitatem exiliis, carcere, bonorum spoliatione multatã conqueruntur. nunquam illum maiori apud Regem gratia & auctoritate fuisse. nisi in mutua societate aliquid præsidii sit, afflictis nullã spem: cæteris confirmata Aluari audacia, omnib. vnà pereundum. constitutum, vti ad Augustum dimidiatum pro se quisq;, quammaximas copias cogerent: atq; in Henrici Principis castra venirent. quæ etsi designato tempore ad Pennafielẽ in Vaccæis posita sunt: à procerib. tamẽ cuncta serius administrata. suus queq; timor retardabat, & conatus toties irriti memoria. neq; satis Henrico Principi fidebatur, parum in vno proposito constanti. Præterea Vasco reb. domesticis & Gallicis districtus vno tempore erat. Maulisonium munita in Aquitania arx Vasconis præsidio obtinebatur Magistro equitum præfecto, Angli Regis beneficium. eam arcem Fuxensis Comes validis copiis, in quib. duodecim millia peditum, equitũ tria millia erant, impugnandã suscepit, vallo & fossa circumdata, castris maximis septa, aggere, vineis, turrib. oppugnata. Vasco raptim delectu habito ad periculum accurrit. vtraq; castra patenti campo modico interuallo constituta. Inter generum & socerum colloquium habitũ est. sed vt obsidionem solueret, adduci Fuxensis Vasconis oratione non potuit: cùm ad fidẽ Gallo datã pertinere iudicaret, nisi re confecta, arceq; capta ab obsidione nõ discedere. ita Vascone in Hispaniam reuerso ab obsessis deditio facta est. præsidiũ incolume dimissum. Vasconis & procerum mora de re concilianda inter Henricum Principem & patrẽ gratia denuo actum. spe pacis conficiendæ dimissæ copiæ. Castellæ Rex in Vaccæis substitit. Henricus Princeps Toletum cum abiisset, inter faustas populi acclamationes tripudiaq; more gentis in vrbem exceptus, Petrum Sarmentũ, quoniam rapinis & iniuriis neq; finis, neq; modus
1450 erat, arcis præfectura atq; vrbana pratura spoliauit, principio anni M. quadringentesimi quinquagesimi, multum conquerentem fortunæ vices, Principisq; fidem implorãtem. Præda ingens, aulæa, peristromata, vestis pretiosa, vasa auro & argento grauia ducẽtis iumentis sarcinariis exportata: impudentissimum furtũ, certissimum peculatum. Inter frementis populi clamores, quæ iniustè erant ablata, vi extorquenda dictitãtis, euasit tamen data à Principe fide munitus. prædæ tamen pars in itinere intercepta. pars maxima ad Gumielem oppidum, vbi vxor & filii erant, iussu Regis occupata. Sarmẽtus ipse in Vascones abiit. venia postea data à Romano Pontifice, cum quo res communicata est, eius iussu cæteris bonis ablatis ad Bastidam, quod oppidum in Vlteriori Castella relictum modò erat, vitam exegit morbis grauissimis, timoriq; obnoxiam, rerum gestarum maculis turpẽ. In socios rapinarum grauior ira fuit. Variis in vrbib. capti, exquisitis cruciatib. perempti sunt. crudele exemplum: sed paucorũ calamitate, populi inuidia, numinis ira, religio tantorum scelerum, ignominiaq; expiata est: ac documentum cæteris datum, ne magistratum violenter & sordidè gerant.

Res

Res Aragoniæ. CAPVT X.

VIx Toletana vrbe pacata, nouus Segobiæ, quo se Hẽricus Princeps retulit, tumultus concitatur. Paciechus, de quo crimine incertum, sed delatus tamen est dignum vinculis cõmisisse facinus. Petrus Portocarrerius, qui gratia Principis valere cœperat, index, adiutoribus Conchensi Episcopo, Ioanne Sylua Vexillifero regio, Pelagio Ribera Marescalo. Monent ii Principem vt omnem diligentiam ad dignitatem conseruandam adhibeat. vnde perspexisset fraudem paratam, in eum vteretur iure suo. pœnam de Paciecho sumptam, cæteris documento futuram, ne ingentia beneficia perfidia compensarẽt. consilio approbato, vt caperetur decretum est. rei perficiẽdæ haud facilis patebat via. Magnæ opes suppetebant reo: ipseq; cognita Principis ira, vrbis regione occupata, munitaq; vim propulsare parabat. ne pars cum parte pugnaret armis, vti Turueganum suæ ditionis oppidum concederet datum. Petro Portocarrerio conciliando opera data. gener factus filia Paciechi notha connubio iuncta. Metellinum amplum ad Anam flumen municipiũ dos dicta. ea arte inimicorum potentia debilitata est: Principisq; offensa mitigari cœpta. Cum Aragoniis bellum erat haud magno conatu moleq;. fessæ vires magis, quàm dissidia sublata. Bordalua arx ad fines Regni de Aragoniis capta: rursùsq; amissa. In Vasconem maior ira, nempe malorum omnium auctorem. opportuna vindicandi iniurias occasio. domi inter Vascones dissidiis enatis, pars Vianæ Principi suadebat, vti maternum regnum capesseret. patrem iniuriam ætati, iniuriam genti facere. ex externa gente regium nomen nullo iure occupare. magnorum motuum fundamenta ponebantur. Vasco Cæsaraugustæ erat: vbi conuentus Aragonii adulto vere habiti sunt. De quæsitoribus, quibus Præfectus Iustitiæ Aragonum quasi legatis vti consueuit, disceptatum. eorum munus certis legib. circumscriptum: ne concessa ad salutem potestate ad iniuriam abuterentur. Bona de quibus lis esset, penes sequestrum publicum deponi mandatum: ne iudicibus litium prorogandarum occasio essent, eorum arbitrio permissa, atq; in eorum relicta potestate. Alfonso Aragonio res Hispaniæ eatenus curæ erant, vt missis legationibus ad Principes, hortaretur ad pacem: si bellum esset in fratrem gentemq; propensior. alioqui obliuio patriæ cepisse videbatur: neq; vti in Hispaniam rediret adduci potuit, de ea re quamuis identidem appellatus. illecebræ omnis amœnitatis maritimæ terrestrisq;, in Italia detinebant: atque in nobilissima prouincia primum potentiæ & auctoritatis locum nactus. inter Hispanos in secundis, quod necessarium fore prouidebat, numerari recusabat. laborum fructus opima pax erat, famaq; nominis: qua inter sui temporis Principes celeberrimus fuit. vt finitimi longinquique eius amicitiam certatim expeterent, missis in eam rem honestissimis legationibus Græci maximè Principes Turcarum armis exagitati: qui feroces tantis victoriis, omni ex parte circumfusi vrgebant assidui atque formidabiles. nobilissimi imperii scilicet, appetebat interitus. ægra gentis spes vnius Constantinopolis munitione, amplitudineque stabat. præsidium id inualidum, atque imbecillum erat. Externa auxilia conquisita à Demetrio Palæologo (is Constantini Augusti frater erat Atticæ & Peloponnesi Princeps) missa ad Aragonium legatio. Si vires conferret, Turcici belli profligati amplas prouincias præmium futurum, idem ab Aranito factum Epiri Comite (Albaniam vulgus vocat.) Georgii Castrioti propter eximias viri virtutes, gloriamq; bellicam, legatio in eam rẽ missa prætermittenda non est: eaq; de illo Principe hoc loco dicenda quæ consequentibus commemorandis cognoscendisq; lucem afferant. Amurati Turcarum Principi datus fidei obses à patre Ioanne Castrioto in Epiri parte ea principatum obtinente, vbi olim Emathia fuit, à puero Mahumeticis sacris institutus Scanderberchius, hoc est Alexander vocitatus est. ætate confirmata id specimen præbuit, vt fortissimi Ducis in eo indoles appareret, in omni contentione atq; certamine æqualibus maior: procero compactoq; corpore, conspicua forma, animo magno, gloriæ appetentior quam voluptatum. Itaque eius ductu magnæ sæpe res breui confectæ. Patriæ inter hæc religionis amor incitabat, paternique principatus spes vrebat iniuria ablati. Insigni edito facinore transire ad nostros cogitanti, rei perficiendæ opportunitatem casus attulit. insigni ad flumen Morauam prælio à Ioanne Hunniade Turcis profligatis, Georgius fuga seruatus, literis nomine Imperatoris confictis, Croiam vrbem paternæ ditionis caput Præfecto decepto improuisus occupat: vrbes finitimas & oppida capit. Magnum Georgii facinus dolorem barbari Principis animo, magnam curam ingessit. literæ vltro citroque missæ. sublata spe voluntate quidquam facturum, Turcæ ad incendium accurrunt. multa prælia fuere. magnę sæpe hostium copiæ à paucis piis profligatæ. tantum in vnius viri virtute, præsidii rebus erat. Diui etiam locorum præsides aderant. qui enim humanis viribus & consilio

tamdiu ſuſtentare potuiſſent?inuictaſque barbarorū copias toties ſuperare? Singula commemorare longum eſſet:nominis certè gloria veteres heroas exæquaſſe viſus eſt,& auſpicio nominis Scanderberchii,virtute haud diſſimili felicitateq;. Vires exiguæ erant,& tantis conatibus impares. externa auxilia euocata ſunt. Veneti adiuncti: Romani Pontifices ad opem ferendam ſolicitati:ad Aragonium Regem Caietam,vbi ſe tenebat ineunte an-
1451 no M CCCC quinquageſimo primo legatio venit. Si milite & pecunia,in id bellum iuuaret,in eius fide futuram prouinciam,annuumq; vectigal repræſentaturos cum fide,quod Turcarum Principibus pendere ſoliti erant. Benignum reſpōſum datum: præſtita etiam auxilia. ſed quantulum id erat, in tanta hoſtium potentia frementium tandiu bellum ea parte ſuſtentari? Fuit hic annus Hiſpaniæ maximè fauſtus.Iſabellæ Principis exortu: cui Caſtellæ imperium defunctis fratribus numina deſtinabant. vulnera maiorum ſocordia reipublicæ inflicta,animi magnitudine,& perpetua felicitate ſanatura (egregium Hiſpaniæ decus æternumq;) ad nonum Kal.Maii Madrigale, vbi parentes erant, nata eſt. Alia parte Henricus maris Præfecti frater,quem captum ante tres annos,cum aliis proceribus diximus,è turri Langa,vbi prope Gormatium detinebatur,hoc aſtu aufugit. Monitis occultè ſuis quæ fieri vellet,nocte quadam veſtem in ſtrato ita componit,vt dormientis ſpeciem præberet pileolo nocturno impoſito: ſeq; è conclaui ſubducens in ſummam turrim euaſit.Cuſtos de more conclaui luſtrato, dormire Henricum credens obſerata ſilētio ianua diſcedit. Ille quietis omnibus glomere fili euoluto, reſtim nodis diſtinctam à ſuis accipit.cuius ope librato corpore reptanſq; manibus, & pedibus magno niſu,magno animi vigore incolumis euaſit,lætus ouanſq; non minus felici temeritate quam recepta libertate.Friderico Cæſari per legatos expetenti Eleonora Luſitani Regis ſoror promiſſa cōiux. data ſponſalia Oliſipone quinto Idus Auguſti,die Lunæ.mox puella nauibus miſſa longa & difficili nauigatione Piſas,Senaſq; in Hetruriam peruenit.

Bellum ciuile inter Vaſcones. CAP. XI.

NOuis fœderibus inter proceres,quod ictum erat fœdus,diſſipatum eſt. Vaſco præſidio nudatus domeſtico externoq;. vtrunque Aluarus conſilio perfecit (cuius capiti omnis ea concitari cœpta tempeſtas minari videbatur) in periculo ſæpe ab ingenio præſidium petere ſolitus.quod antea ſæpe proſperè ceſſerat,nunc exitio fuit. ſuperi vix ſinūt fraudes impunè abire. eo tamen auctore, fœdere in ſpeciem cum Vaſcone facto, Præfecto maris,& Caſtri Comiti venia denuo data. reſtituta etiam ditionis oppida ſunt. Alfonſo Vaſconis filio Calatrauæ magiſterium promiſſum: neque venienti præſtitum tamen. cùm ſe Petrus Gironius & Almagrum in Oretanis milite & cōmeatu ad vim prohibendam comparaſſet. ergo re infecta in Aragoniam ſeſe referre compulſus eſt, ægrè ferente Vaſcone deluſum ſe fraude eſſe: idoneumq; viſum, qui dolis circumueniretur. Acceſſit noua iniuria: Aluari conſilio Henricus Princeps patri conciliatus eſt.Præterea (qui grauiſſimus dolor fuit) belli flamma in Vaſconib.concitata diuturni,ciuilis,ſæuiſſimi hac de cauſa.ſciſſa eius gētis ſtudia ab antiquo erant in Beamontios Agramontioſq; infauſta Vaſconib.nomina: ex Gallia quidē aduecta, nobiliſſimis tamē atq; adeo regia ſtirpe familiis affficta,Lerini Comitibus,Corteſiis Marchionibus,quæ capita duarū factionū erāt. Agramontii Vaſconis maieſtate tenebantur.ægrum Vianæ Principis animū Beamontii ad ſumenda arma incitabant.iniuria interceptū regnū,bello vindicandum dictitare.diuinas& humanas leges à patre violatas.Si vires humanæ deeſſent,tamen æquiſſimam cauſam ſuperis curæ futuram.Cum Caſtellæ Galliæq; Principib.ſocietas armorum conſtituta.Caſtellæ Principes affuturos ſe pollicentur,ſi modò palam moueantur arma.Tantundē pollicetur Gallus,omni Aquitania recepta de Anglis,finitimus opportunuſq;. & erat per idē tempus Baiona in poteſtatē redacta,candida cruce in cælo ſub conflictum viſa. ſiue vera ſpecies fuit,q; nubium natura ferre poteſt, ſiue oculorū ludibrium præſtigiæq;, in omen verſum melioris deinde fortunæ.Crux rubra,quo bellico inſigni vti conſueuerant, Galli candida ex eo cruce mutata.nihil in continenti relictum Anglis præter Galitiū,& ei contributum anguſtum agrum. Motis inter Vaſcones ciuili diſſidio armis oppida & vrbes, pars à Beamontiis occupata,Pompelo regni caput, Olitum, Ayuar municipium. In fide Regis multo plura manſere. nam tempeſtate prouiſa fidiſſimos quoſque rebus & præſidiis præfecerat: ſeq; ad omnem occaſionem magna diligentia cōparauerat. Vianæ etiam principatus in poteſtatem redactus. Ab Henrico Caſtellæ Principe Stella munitum oppidum eſt impugnatum. eodem Rex pater appulit. intus Regina Vaſconum erat. Vaſco ſuarum rerum periculo permotus eo Cæſarauguſta citato abiit ad quartumdecimum kalend.Septembris.Exiguus comitatus erat,neque in Aragoniis ſatis virium ad motus prouinciæ compeſcendos. maiores delectus in Aragoniis habiturus, Cæſarauguſtam ipſe,

Caſtellæ

Castellæ Rex & filius quasi bello confecto, Caroli Principis hortatu sese Burgos retulere. Mite ingenium malo fuit: collectis à patre copiis, virtute magis & vsu pugnandi, quam numero validis ad Ayuarem castra posita, copia defensorũ & magnis operibus munitum oppidum. accurrit filius auxilio. castra iuxta posita. acies ad pugnam productæ quinto Nonas Octobris: viris sanctis inter vtrosq; commeantibus, quibus graue erat, ac detestandum videbantur propinquos & necessarios inter se confligere, filium aduersum patrem, tentatum si reconciliata gratia consensu ponerentur arma. Carolus faciles aures præbebat, his modò conditionibus: Vt venia omnibus à patre esset, etiam Ludouico Beamontio Lerini Comiti equitũ Magistro. Vianæ, principatus restitueretur. Regni vectigalium dimidium ipsi cederet: vnde vitam aulæq; cultum sustentaret. Fœdus id consensu Castellæ Regis sanciretur: vti iureiurando Carolus pactus erat. Ex his capitibus, quædam Vasco tolerabat, reiiciebat alia. filius spe ferox, quoniam multitudine superabat, pugnæ signum dat. Idem ab hostibus factũ. concurrere acies. primum Vasconis agmen loco pulsum. vnus Rodericus Rebolledus Vasconis cubicularius cæteris fugatis, hostes se ferociter inferentes sustinuit. eo virtutis exemplo reliquæ copiæ in pugnam inuectæ: ii etiam qui terga dederant, ignominiam fuga susceptam virtute audaciaq; delere studebant. eorum impetum aduersarii non tulerunt, in fugam conuersi, initio à Bæticis equitibus facto. collectitius exercitus par veterano non fuit. minor cædes quàm pro victoria. captiui multi. ipse Vianæ Princeps circumfusis omni ex parte hostib. periculo proximus, gladio, & chirotheca militari Alfonso fratri traditis, deditionem fecit. Nobilis in paucis pugna, fœda initia, detestandi progressus, exitus miserabilis. pugnantium cæsorumq; numerus memoriæ non est proditus: ac ne de prælii ordine auctores consentiunt: ne de tempore quidem quo est factum, nostrorum scriptorum pudenda socordia. Carolus Tafallæ primum, deinde Monroii seruari à patre iussus est. toto captiuitatis tempore infectis veneno cibis ne periretur formidasse, fama est: neque allata post conflictum bellaria attingere ausum, antequam frater gustu explorasset. Lætus victoria Vasco Cæsaraugustam rediit. secuta est vxor, breuique prægnans facta est. neq; Beamontii posuere arma, neq; demisere animos. & Henricus Castellæ Princeps infensus socero, illis auxilio accurrit. Præterea Aragonii proceres Caroli causæ fauere cæperant, & de eo liberando inter se consilia inire. miserabilis rerum conditio in Vasconibus maxime. in agris vagabantur milites latrocinantium more: intra oppida factiones dissidiaq; vigebāt: ex eo rixæ, pugnæ, cædes. In Bætica Maurorum audacia ad Arcobrigam castigata. equites sexcenti, pedites octingēti ea parte prædatum inuecti, à minori nostrorum numero, cæsi fugatiq; sunt quinto Idus Februarii anno M CCCC quinquagesimo secundo. ductor Ioānes Pontius Arcobrigæ Comes, Marciæ 1452
seu Marchenæ regulus. Maior ei gēti clades proximo mense in Cōtestanis est illata. sexcēti Mauri equites, pedites mille & quingenti ad Eliocrotam (nostris Lorca est) in pugna superati, præda etiam ingens ablata, quadraginta millia maioris minorisque pecoris. nostri trecenti equites erant, pedites ad duo millia: ductores Alfonsus Fagiardus Murciæ Antelatus, eiusq; gener Garsias Manricus: præterea Dieghus Ribera Murciæ iuridicũdo Præfectus. sic barbarorum conatus aliquandiu restiterunt: versaq; fortuna partium est. Mauri à Rege Claudo alienati ad nouum imperium retulere animos. nihil præterea hoc anno memorabile accidit in Hispania: nisi quod Vasconi Regi filius susceptus est sexto Idus Martii. Sosii, qui pagus ad Vasconum & Aragoniæ fines est, ipso itinere, quo se ad virum Sanguessā referebat, Reginam repentinus dolor partus inuasit: fœtumque matutum excussit: cui nomen Ferdinando fuit: amplissima regna & immortalis gloria, ob res præclare gestas bello, paceq;. Senis Fridericus Cæsar, & Eleonora sponsa conuenerunt. Repetita sponsalia. cæremoniæ antistes Æneas Syluius, Principis gratia, & eruditionis fama nobilis. Nuptiæ Romæ ex ritu Christiano sacratæ, ab ipso Pontifice: de cuius etiam manu sunt coronati. Festa nuptialia Neapoli celeberrimo post hominum memoriam apparatu celebrata sunt. noua in ea vrbe nupta ex sponsa coniux est facta.

Aluarus Luna captus. CAPVT XII.

IMmerito rerum humanarum inconstantiam mortales accusant: quasi fluxæ, caducæ, incertæ paruo momento in contraria vertantur, temeritateque potius fortunæ, quàm certo consilio regantur. cùm contra vitia & mores accusandi essent: quæ prauos homines in præceps sæpe agunt. Quid enim mirum si inerti iuuenta senectutem egestas premit? si luxu gulaq; maiorum opes effunduntur, pereuntq;? Si potestas sordide habita

aufertur? ſi ſuperbiam inuidia ſequitur, certaq; pernicies? Nimirum vera rerum vocabula amiſſa ſunt. aliena largiri, ſua prodigere liberalitas vocatur. temeritas in laude ponitur, præſertim euentu ſecundo confirmata: ambitio decori ducitur: impotẽs dominatus, atque violentus ſeueritatis nomen induit. Raro à moribus fortuna diſcrepat. nos inepti rerum æſtimatores alienas infelicitatis cauſas perſcrutamur: quæ latent ſæpe, nonnullæ tamen exiſtunt. Hæc præfari volui, funeſtum Aluari Lunæ exitũ ſcripturus. Ab humili ducta fortuna ad ſummum peruenerat, in præceps ambitio dedit. Bona inerant in natura moribuſq;, inerant mala: vtra magis euentus indicat. ardens ingeniũ, perſpicax iudicium, aptus ſermo & cum aculeo facetus, quadam tantùm hæſitantia tardior, profunda calliditas, atq; ſimulatio, audacia, ſuperbia, ambitio: ex quibus atque ex fraude, compoſitus videbatur. corpus exiguum, ſed firmum, & bellicis laboribus idoneum: facies minuta, venuſta tamen cum dignitateq;. hæc à primis annis ſuſcepta, confirmauit ætas, auxitq;. Acceſſit contemptus hominum, commune potentium malum, aditus difficiles. ætatis flexu ira peruicacior fuit. quaſi fera in cauea petita iaculis, deinde emiſſa, inimicorum odio exacerbatus, impotenſq; ſucceſſu, quas non ſtrages dedit vindictæ ſtudio ardens? His moribus non corruiſſe mirum eſt, ſed tandiu perſtitiſſe pudendum. Sępe antea occultis criminationib. de maieſtate poſtulatus fuerat, tanquam ingentes opes ſupra fortunam, ſupraq; conditionem nactus augere non deſiſteret. euerſa nobilitate graue etiam imperium in Regem exerceret. Nihil illi ad regnum præter nomen deeſſe. ſtudia ciuium habere, munitiſſimas arces: auri & argenti immenſam vim: exhauſtum eſſe publicum ærarium. Vera eſſe, quæ obiiciebantur Rex non ignorabat: ſępe etiam apud Reginam de iniuria ignominiaq; conqueſtus erat, cum aliis communicare non auſus, libera etiam gemitus ſublata facultate. Euertendi hominis opportunitatem exoptatus caſus attulit. Petrus Stunica Placentię Comes, ſe Begiare ditionis oppido continebat, publico in ea temporum colluuione abſtinens. id Aluarus odium interpretatus, eius perniciem molitur. Garſias Albani filius è Petrafita, quæ arx vicinis locis ſita eſt, prædas agere non deſiſtebat, paternæ iniuriæ, quoniam vinctus tenebatur, vindex. Aluarus eius obſidendi conſilium dat, improuiſo etiam Placentiæ Comitem occupaturus. Sic animus erat. numina, quod parabat aliis exitium, in eius caput verterunt. fraus fraude petita. Hari Comes, Santillanius Marchio Placentiæ Comitis ſuaſu, facta conſpiratione in Aluari necem coniurant. quingenti equites miſſi Valliſoletum ſunt: (quò Rex Burgis venerat in Bellum intentus, quod inter Vaſcones gerebatur) incautum Aluarum oppreſſuri. tametſi alia ſpecies erat Beneuentano opitulãdi aduerſus Petrum Oſorium Traſtamaræ Comitẽ, cum quo diſſidium erat. Procerum conſilio indicato Burgos auctore Aluaro reditum. quod ſaluti fore credebatur, maturauit exitum. Arcem eius vrbis Enecus Stunica obtinebat. Eneci frater Placẽtiæ Comes cum præſidio militari hoſtem vt opprimeret euocatur, quò res occultior eſſet legata abs Regina ad auunculum, Ribadei Comite principe fœmina prudentiq;. In Caſſes Aluarum incidiſſe: irretitumque teneri. omnium telis quaſi feram petendum: communeſq; iniurias vindicandas eius interitu. Neruis æger Comes venire non potuit. Aluarus filius miſſus, dum Curiele oppido Burgis vicino euocat equites, Aluarum Lunã Rex monet, vti in ditionem diſcedat: quanta inuidia flagret nõ ignorare. ſibi in animo eſſe, procerum conſilio rempublicam gerere. conſilii nimirum ſuſcepti pœnitentia ſubierat: aut rei exitum formidabat. Recuſat ille niſi Toletano Archiepiſcopo euocato: quem pro ſe vicarium ſubſtituere cogitabat. præterea Regis ex ſermone (neq; enim temere fuiſſe putabat) odoratus inſidias nouũ facinus deſignauit. Deus illi mẽtem eripuit. Alfonſum Biuerum, qui Regi à conſiliis erat, domi obtruncat, atq; è cancellis in ſubiectum fluuiũ præcipitem dat, nihil tẽporis ſanctitate motus tertio Kal. Aprilis, ipſo die Veneris Chriſti cruciatuum memoria ſacro, ſalutis anno M CCCC quinquageſimo tertio. Extruſus cõtinuò qui Alua-
1453 ri Stunicæ aduentũ vrgeret. Præceſſit is obuoluto capite. Sequebantur modicis interuallis octoginta equites. ad arcem noctu ciues quidã euocati, monitiq; vti cũ armis vrbis plateas obſideret. Rumores tota vrbe iactati Aluaro proxima luce parari vincula: nemo tamẽ renunciat. ſtupor animos occupauerat. vnus è familia Gotor, denunciato periculo, vt nocte in ſuburbanum hoſpitium ſe ſubduceret hortatur. ſalutaria monenti nõ paret. Variis conſiliis agitatus, quod probaret non habebat. quò enim ſe reciperet? vbi lateret? cui ſalutem crederet, vrbanis auxiliis infidis, longinquis arcibus, quas habebat fortiſſimas? Gotore ablegato, rei euentum expectare conſtituit. Si verum fateri conuenit, quoniam ſibi confidebat, contemnebat hoſtes: vtrunque in periculo nimium, exitialeque malum. Rebus comparatis Nonis Aprilis, cùm dies Iouis luceſceret, ædes Petri Carthagenæ, vbi Aluarus Luna erat, armati obſident. vim adhibere non eſt viſum, nonnullis quamuis

militibus

militibus è fenestris ædium vulneratis. Internunciis commeantibus, quod necesse erat, Aluarus Luna deditionem facit syngrapha à Rege missa: nihil eum per iniuriam passurum. speciosa verba rebus vacua. In eisdem ædibus custodiæ mandatus, Abulensem Episcopum è fenestra conspicatus Regis lateri adhærentem (nam eisdem ædibus pransurus sacris operatus veniebat) apprehenso mento suo: Pœnas, inquit, sacrificule huius nostræ iniuriæ dabis. ad quem ille: Deum testor, respondit, nullam me huius consilii partem fuisse. nondum domita malis Aluari ferocia erat. Peracto prandio, remotisq; mensis, cũ Regis conueniendi potestas facta vincto non esset, codicillũ in hanc sententiã mittit. Quintus & quadragesimus annus, Rex est, ex quo in tuis obsequiis sum. De præmiis non queror. maiora meritis, maiora expectatione fuerunt: non negabo. vnum felicitati meæ defuit, tantæ fortunæ tempestiua moderatio. Dum otio, quod magnorum virorum exemplo petendum fuit, negotium præfero à me debitum, tibi vt putabam, necessariũ, in hanc incidi calamitatem. Eripi libertatem, quam tibi non semel vt redderem magnis periculis vitam & fortunas obieci, graue est. Plura dicere dolor prohibet. Multis meis peccatis numina irritata certo scio. his malis si placantur, satis habeam. Opes vltra sustinere non possum. quarum tantam copiam in me cumulasse malo fuit. iis libens cederem nisi in tua potestate omnia essent, erepta nobis facultate hominibus probandi, eum ad summa euexisse te, qui res humanas vt parare, sic possit contemnere: atque vnde acceperit resignare. Illud obtestor, vt quoniam ærarii inopia inductus, vnde minime debui, decem aut duodecim millia aureorum redegi, quæ in loculis seruantur, ea reddi quibus sunt ablata cum fide facias. Hoc si nostris officiis qualiacunque fuerũt, non impetro: æquitati postulati concedere necessarium arbitror. Ad hæc Rex: Quod de obsequio & præmiis diceret, non negare, maiora tulisse, quam ab vllo Rege, aut Imperatore ab vlla memoria priuato contigissent. Eius causa ereptam sibi libertatem, eo adiutore redditam, non minus mereri vituperationis, quam laudis. Regiæ inopiæ ab eo potissimum factæ, suis copiis opitulari æquius futurum fuisse, quam aliena iniuria, se tamen ex eius bonis, iis qui damna pertulerant, facturum satis. maiore in eo conscientiæ ratione habita quam iniuriarum. Mirum est, in tanto numero eorum, qui Aluari beneficiis obstricti erant, nullum in periculo ad præsidium accurrisse. Verum miseros studia destituunt, cum aulæ gratia in contrarium circumacta. Tanti hominis supplicio Hispanis annum insignem, vniuerso orbi Christiano luctuosum reddidit, vrbis Constantinopolis casus, à Turcis vi captæ. Mahomad gentis Imperator multis de nostra gente victoriis insolens, cæteris circum vrbibus & oppidis in Thracia captis, ad Constantinopolim castra posuit. Mari terraque vrbs nobilissima dies quatuor & quinquaginta omnibus operibus impugnata. A Lõgo Iustiniano Genuensi aditus in vrbem hostibus est patefactus ad quartum kalendas Iunii. A quibusdam superior annus falso haud dubium & per errorem designatur, Pentecostis feria secunda, de die mensis non discrepantibus. Omnia barbaræ crudelitatis exempla in miseros edita, nullo sexus aut ætatis discrimine. Horret animus gentis ærumnas, nostram ignominiam meminisse, florentissimi quondam imperii opes momento temporis euersæ. violatæ fidei, quam in Concilio Florentino Ioannes Palæologus Imperator dederat, consentanea merces fuit. Frater Constantinus, qui in imperio successerat, ne ludibrio maiestas esset, cum hostes videret irrumpere, posito paludamento, inter confertos pugnans occubuit, turpi seruituti honestam mortem præferens. id vnum virtutis specimen præbuit. eius fratres Demetrium & Thomam ad maiorem ignominiam fortuna, Deus verius, seruauit. Perculit ea res, vt par erat, piorum toto orbe animos, intempestiuæ lacrymæ erant, post acceptam cladem. Ex eo vrbs illa Turcici imperii sedes, domiciliumque fuit, suis copiis & nostris malis nobilis atque præclara. Carolo Vianæ Principi, Cæsaraugustam deductos agentibus Aragoniis cum patre reconciliata gratia, libertas est reddita decimo Kal. Iulii, Icti fœderis caput fuit. Vt ipse in patris potestate esset. Ex vrbibus & arcibus, quæ in eius fide erant, præsidia deducerentur. Fidei obsides dati Ludouicus Beamontius Lerini Comes equitum Magister, eiusque filii, aliique Vascones viri primarii, breuis lætitia fuit, noui motus sunt breui concitati, paterna auiditate filii impatientia, respublica diu iactata.

Aluari Lunæ supplicium. CAP. XIII.

VNo tempore à Rege Castellæ Aluari oppida, & thesauri occupabantur, ipse è vinculis causam dicere est compulsus: quæ bona esse non poterat, aduersum Regem tantis præsertim iniuriis exacerbatum. Dati iudices, maiestatis damnarunt. Portilio, quo deductus erat, Vallisoletum relatus, pœnitentiaq; & eucharistia procuratus, ad supplicii locum mula vectus est per plateas, voce præconis sententiæ summam de more incla-

mantis,his verbis:Hoc ſupplicium huic crudeli tyranno abs Rege eſto. Quod præcipiti temeritate & amentia cum regiæ maieſtatis diuinæ in terris vicariæ ſugillatione, aula in poteſtatem redacta, rep.que vniuerſa ad arbitrium reuocata.Supra conditionem,ſupraque priuati hominis modum elatus ſuperbia, in Deum, Regemq; contempta regia maieſtate,regii patrimonii magna iactura,fœda iudiciorum perturbatione,ea crimina,flagitia,maleficia,peculatus perpetrauit,pro quibus ſecuri ſubiicitur: vt diuina regiaq; vindicta ſancita vnius ſupplicio,cæteris documentum detur ſimilis audaciæ vitandæ. Sic qui deliquit,pœnas dato.In medio foro ſuggeſtus erat amplus,cruxq; in eo, & geminæ faces accenſæ tapete ſubſtrato.eo conſcenſo,crucem veneratus aliquotq; paſſibus confectis,amanuenſi puero ſignatorium annulum,galerumq; dat.Hæc inquiens,poſtrema à me munera habe.Ingens pueri ploratus,circumſtantium gemitus conſecutus eſt.variæ rerum imagines mentibus occurrebant. proximæ fœlicitatis cum præſenti fortuna comparatio, inimicis etiam excuſſerat lacrymas.Aderat Barraſa Henrici Principis ſtabulo Præfectus. Huic ad ſe vocato. Vade,inquit,Principi ex me dicito,famulis gratificandis ne Regis hoc exemplum ſequatur.Erat vncus ferreus ſublimi ligno cõfixus. rogat carnificem ecquem in vſum paratus eſſet?Sciunctum,ille,à trunco vti imponatur caput.Poſt mortem,ſubdit Aluarus,de corpore vt libet,facito.viro forti mors turpis eſſe non poteſt: neque immatura tantis honoribus defuncto. Hæc dixit: ſimul diloricatis tunicis intrepidè ſecuri caput ſubiecit,tertio Nonas Iulii, vir verè magnus, ipſaq; fortunæ varietate admirandus. Triginta circiter annos ita in aula dominatus eſt, vt nihil neq; maioris neq; minoris rei, niſi eo arbitro gereretur: ne veſtes quidem Rex, aut tibi genus, aut aulæ miniſteria, niſi eius voluntate mutabat.Sed exemplo tamen calamitatis,monendi ſunt aulici,vt amari à Principibus quam metui malint: qui metus domini exitium ſerui eſt: & fata vix ſinunt ſuperbos famulos feliciter mori.Alfonſus Spina monachus Franciſcanus morienti affuit:is qui fortalitium fidei edidit,ſplendido titulo, voce barbara, eruditum opus & diuinarum rerum cognitione præſtanti. Truncus tribus diebus in ſuggeſtu relictus pelui iuxta poſita, ad ſtipem colligendam,qua ſepeliretur homo paulo ante Regibus potentia exæquandus. ſic res humanæ variant.In Diui Andreæ vbi cæteri ſupplicio affecti,ſepultus eſt. inde in Diui Franciſci translatus intra idem oppidum.annis conſequentibus in templum Toletanum,inſtaurato ab amicis funere,Regum permiſſu. Vulgo fertur, conſulenti vatè Aluaro prædictum,Cadahalſum exitio fore. eum, quod ad ſuggeſtum referre debuiſſet (id ea vox Hiſpanis ſignificat) oppidum interpretatum illo in Carpetanis nomine,ſuũ quam uis per totam vitam vitaſſe.Nos hæc,vt vana,parum curanda putabamus. Ad Scalonam regia caſtra erant.id oppidum poſt Aluari exitum,deditum ea conditione ab vxore eſt: vt viri theſauri æquis partibus ipſa,& Rex partirentur.cætera omnia fiſco addicta. Ioannes Luna Aluari filius, Sancti Stephani oppidum à patre datum retinuit. huius filia nupta Diego Paciecho cum Villena paternum comitatum iunxit. filia altera iuſta Aluaro fuit Ioanna nomine. ex impari matre Petrus Luna Fontidoniæ regulus: filiaq; vxor Ioannis Lunæ propinqui, Soriæ vrbis præfecti.De Aluari caſu hactenus. Ab Iſmaele Mauro,quẽ annis ſuperioribus ad Mauros abs Rege remiſſum fuiſſe monſtratum eſt, factionis opib. noſtriſq; auxiliis confirmato,Rex Claudus patruelis regno ſpoliatus eſt: quo tẽpore non traditur: de facto nemo dubitat.acceptæ ſuperiori anno calamitates ſtudia gentis auerterant,alioqui nimium in Principum mutationem pronæ.Iſmael regno ſuſcepto, fide erga noſtros haud diuturna fuit:in tenui fortuna benignus amicuſq;, poſt victoriam accepti beneficii immemor.In Luſitania nummi aurei recens percuſſi cum primis probi, cruciati ex eo dicti,quòd per idem tempus venia conceſſa Luſitanis eſt:quicunque cruce inſigni aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes, pro religione arma ſumerent. Aluarus Gonſaluus Lameci Epiſcopus, eam veniam à Romano Pontifice Nicolao quinto abſtulit, vir in ea gente clarus prudentia,doctrinæ opinione præſtanti.

Caſtellæ Rex obiit. CAPVT XIV.

SVblatus Aluarus Luna, neque rerum conditio tamen magnopere in Caſtella mutata. Regi quidem propoſitum erat,ſi diuturnior vita contigiſſet,rempublicam per ſe gerere adhibitis in conſilium Conchenſi Epiſcopo, & Guadalupeo Priore Gonſaluo Illeſca viris ea ætate integerrimis ſanctiſq;: iis adiutoribus incommoda accepta maioribus com modis ſanare: ſummæ diligentiæ ſummam imperii ſeueritatem addere: quæ ſæpe inani ſpecie clementiæ ſalubrior eſt.Itaque vtrumq; Abulam eo conſilio euocauit:quo Scalona diſceſſerat. Octo millia equitum ad continendam in pace prouinciam, externã vim prohiben-

prohibendam ordinariis ſtipendiis alere cogitabat. Regia vectigalia ſingulis vrbibus exigenda tradere, toto genere mancipum & publicanorum amoto: quoniam omnes vias pecuniæ norunt,& pecuniæ cauſa ingentes fraudes ſuſcipiunt. Cœperant Luſitani extima Africæ littora anniuerſariis nauigationibus tentare: aperireque, longiſſimo tractu vſque ad Bonæ ſpei promontorium: quod litoribus vtrinque in cuſpidem extenuatis, vltra mediam cęli plagam triginta quinque gradibus porrectum eſt. vnde genti magnę opes acceſſere, gloria par. Henricus Luſitani patruus cognitis aſtrorum conuerſionibus, cuius rei peritiſſimus erat, & in ſtudium incitatus, Chriſtianæ religionis amplificandæ, auctor primus extitit. quo nomine immortalem laudem habeat neceſſe eſt. Caſtellæ Rex ea Africæ litora ad ſuum ius pertinere exiſtimabat: neque interceptum à Luſitanis iri, paſſurum. legatus de ea re Ioannes Guſmanius, ni mutarent minas addidit: bellũ ſæuiſſimum finibus illaturos. à Luſitano mite reſponſum datum: Putare ſe nihil contra ius factum eſſe: atque fidere, niſi re diiudicata Caſtellæ Regem haud motũrũ arma. Medinam is Campeſtrem & Valliſoletum abierat, ſi mutato cœlo morbum pelleret, quo lento ſed diuturno cœperat laborare. Vno tempore Ioannes Guſmanius è Luſitania cũ eo reſponſo rediit: & Aragoniæ Regina ſpe Principes Hiſpaniæ facta pace inter ſe conciliandi, Valliſoletum appulſa eſt. Inanis conatus non fuit, Regina rem ſuſceptam magna cura adminiſtrante, cunctis fere Hiſpaniæ prouinciis diuturno bello feſſis, exhauſtiſque. etſi noua offenſionis occaſio extiterat. Blanca ab Hẽrico Principe repudiata remiſſaque ad patrem eſt, quaſi maleficio, ſacriſque magicis veneris vſu prohibita. is erat prętextus: re alienæ culpæ pœnas direpto coniugio dedit, viro præpoſteræ libidinis auido,(quod ſæpe vitium caſtigare pater conatus erat,) conceſſæ neque cupido neque potenti præſertim vitiandis virginibus. ſic conſtans opinio fuit, multis argumentis confirmata. A Ludouico Acunio Segobienſis Eccleſiæ Cardinale Ioanne Ceruante Adminiſtratore, diuortii ſententia pronunciata primum: confirmata deinde ab Archiepiſcopo Toletano, Nicolai Põtificis permiſſu, datis ad eum literis ea de re, non ſine admiratione orbis terrarum, dimiſſa Blanca, neque Henrici toro (quod fuiſſet conſentaneum) diu cælibe. Caſtellæ Rex noua prole eſt auctus, Reginæ ad Tordeſillam partu menſis Decẽbris die ſeptimodecimo. Alfonſo illi nomen fuit: neque vltra adoleſcentiæ annos vixit, belli cauſa grauis & diuturni prouincialibus, magis quã dux aut auctor futurus. vti rerũ euentus declarabit. Aragoniæ Regina annitente, Caſtellæ & Aragoniæ arma vt ponerentur mandatum: idem de Vaſconibus conſtitutum patre filioque, dum ſtabilis pax æquis conditionibus ſanciretur. in eam rem proximi anni induciæ conceſſæ. rem prope confectam Regis Caſtellæ obitus moratus eſt. Ingraueſcente valetudine, ſacris omnibus procuratus, Valliſoleti deceſſit ad tertiumdecimum kal. Auguſti eius ſeculi anno quinquageſimo quarto. Corpus in Bur- 1454.
genſi cœnobio, quod à patre extructum, Carthuſianis ipſe monachis dederat, vt tumularetur teſtamento cauit. Extemporale ſepulchrum in Diui Pauli Valliſoleti paratum. funus magnificè factum. iuſta exequiarum per oppida & orbes perſoluta. Ipſa ętiam vrbe Neapoli menſe proximo. vbi inter atratam cohortem & luctus vnus Venetus legatus in oſtro põpę funerabili interfuit. Inſolenti ſpectaculo lacrymæ riſu mutatæ. accẽſis tamen funalibus lignei tumuli, quod in medio templo ad funus peragendum dandas inferias extructum erat, magna pars arſit. Alfonſo Infanti nuper nato Sancti Iacobi militia commendata à patre teſtamento eſt, idem præterea Magiſter equitum renunciatus. vtrũque in Aluari locum. tutores deſignati Conchenſis Epiſcopus, Prior Guadalupeus, Padillia Cubicularius. eum ne regni ſucceſſorem nuncuparet imbecilla ætas tenuit, & maiorum motuum metus. cogitaſſe ſatis conſtat. Iſabellæ Cuellarem oppidum legauit, ingenſque auri pondus. Reginæ coniugi Soriam, Areualum, Madrigalem: vnde vitam principalem, viduitatis incommoda ſuſtentaret.

Henricus Rex Caſtellæ renunciatur. CAPVT XV.

REgis obitu Caſtellæ res in Henricum filium, vt erat neceſſe, tranſlatæ ſunt. in cõuentu procerum, quorum pars aderat, alii ad rei famam confluxerãt, quarto poſt die infulis, & cæteris regni inſignibus exornatus eſt. Albę, & Treuigni Comitibus libertas continuo data: quod inaugurationis lætitiam vehementer auxit. cęteri proceres, qui capti fuerunt, alius alia cauſa euentuve fuerant antea liberati. paternæ aulæ miniſtri omnes retenti ſunt. de Hiſpaniæ pace denuo agi cœptum abs Regina Aragoniæ, penes quam viro & Vaſcone deferentibus, decernendi poteſtas erat. Hæ conditiones ſcriptæ, Vaſco, Alfonſus filius, Henricus Henrici Aragonii filius, iis oppidis & honoribus, quæ in Caſtel-

la erant,abſcedunto. Pro iis deſignatum auri pondus quotannis Caſtellæ Rex cum fide pendito. Præfecto maris,Henrico eius fratri,Ioanni Touario Valeranicæ regulo, ceteriſque Vaſconis partes ſecuti, poteſtas eſto in patriam ditionemque redeundi. Caſtri Comes Diegus Sandoualius extinctus erat, atque Borgiæ tumulatus. præmium fidei cultæ erga Aragonios fuit Dianium & Lerma in Valentino agro, atque vlteriori Caſtella: quæ oppida Ferdinando filio reliquit.Is cum paucis è coniuratis exceptus eſt,ne in Caſtellam rediret,niſi à nouo Rege prius facultate impetrata. Sancitum præterea, vt arces ad fines Caſtellæ & Aragoniæ belli tempore captæ,ab vtraque parte reſtituerētur. Atienſa quindecim florenorum millibus de Vaſcone redempta, aliquanto poſt tentatum, ſi bellum Vaſconum pace mutaretur. minor ſpes erat,prouentus nullus, quoniam maioribus odiis gerebatur, quippe inter filium & patrē. quo maior neceſſitudo eo ſimultas grauior.Dum fœderis conditiones Principum, quorum intererat, conſenſu firmantur, in annum proximum induciæ prorogatæ. His rebus conſtitutis, Regina quidem in Aragoniam ſeſe retulit: Villenę Marchio ſine riuali gratia noui Caſtellæ Regis & opibus validus, Ferrerius.Nuſa Reginę Aragonię Comes antea datus, Ioannes Beamōtius Ludouici Magiſtri equitum in Vaſconibus frater, tres hi trium Principum legati, Henrici, Vaſconis,Caroli 1455 Agredam conuenere,ineunte anno M cccc quinquageſimo quinto. Loci commoditas inuitabat: quoniam ad fines Vaſconum & Aragonię in Caſtella ſitum eſt, vt colloquio deligeretur:& Henrici maieſtati datum, in cuius ditione erat.parum profectum fœderis conditionibus nondum à Vaſcone & ſociis conſenſu firmatis, occultis Paciechi artibus inter patrem & filium impedita pace, formidantis, ne rebus tranquillis minus ipſi potentię & auctoritatis eſſet. Inducię modo ad menſem Aprilē partium conſenſu continuatę,ſpes concepta prouincialium animis breui euanuit. res communes, quaſi turbato ventis mari ſęuaque procella inflatis fluctibus cum agitatur nauis, viro & gubernatore opus habebant:quod vnum maxime deerat, Nouus Rex ſocordia patri perſimilis,neque impendentia mala conſiderare:neque ſatis animo prouidere tempeſtates. Ardenti quidem erat ingenio,puſillo tamen, oppletoq; fœditate. reipublicę curę grauiſſimæ. Paciechus rerum arbiter, cautior Aluaro modeſtiorque, an felicior, nam ad vitę finem perſtitit. Caput Regi magnum, lata frons,cęſii oculi,naſus non natura ſed caſu ſimus, cęſaries ſubflaua, vultus rubedinem fuſcedo temperabat: toruus aſpectus ac ferus, ſtatura procera,crura oblonga, forma non indecora,totius corporis habitus firmus vereque militaris. venationis & muſices pręcipuum ſtudium. cultus moderatus, aqua potus, cibus nimius, mores diſſoluti,atque omnibus turpitudinum maculis vita deformis. quibus rebus corpus labefactatum, atque morbis obnoxium fuit.nulla actionum conſtantia. Liberalis illi atque Impotentis cognomina vulgo affictа ſunt: alterum naturę vitio, alterius cauſa profuſa liberalitas extitit: prorſus vt donandis oppidis, pro fundendis ſine iudicio, eoque nulla gratia,quos auide congeſſerat,theſauris maiores omnes ſuperaſſe videretur, imperii etiam maieſtatem imminuiſſe, vires debilitaſſe, alieni appetens, ſui prodigus. Data beneficia obliuiſci: accepta recordari: eaque properantius compenſare quam ęs mutuum.Mitis ſermo atque comis fuit: quoſuis benigne appellare. clementia nimia, quę niſi ſeueritate aſtringatur non minora ſępe mala,quam crudelitas affert.Legum contemptus, impunitatis ſpes prauorum audaciam alit, atque confirmat. hac morū varietate factum, nulla vt tempora turbulentiora extiterint, quam Henrici regno, quod annorum viginti fuit, menſium quatuor, dierum duorum. Prudentia non magis ad ciues in pace regendos defuit, quam inteſtinis regni motibus pacandis.

Pax Italiæ. CAPVT XVI.

MOta in Italia arma ante tres annos hac occaſione erant. Franciſco Sfortię poſt Mediolanenſes ſubactos, imperii partem, quę ad Abduam eſt,repetenti de Venetis, & quoniam non reddebatur, bellum meditanti,Florentini fauere cęperant occulta armorum ſocietate conſtituta. id ęgre Venetis fuit. Florentini omnes finibus commercioque prohibiti. Leonelli Ferrarienſis Marchionis opera, Aragonius ad ſocianda arma impulſus: ſi Florentinis in ſuis ſedibus bellum inferret, Sfortiam iniurię fore opportunum. facto fœdere Guillelmus quidem Monferratus Aragoniis ſtipendiis in Alexandrię fines immiſſus eſt, cum quatuor equitum millibus, duobus peditum. Ferdinandus Aragonii filius Calabrię Dux(trinę iam prolis pater, Alfonſi, Friderici, Eleonorę) quo maior eſſet auctoritas,maiorque hoſtibus terror,in Florentinos amandatur.adiuncti ſex millia equites,pedites duo millia: nobiles Duces copiarum Neapolio Vrſinus atque Vrbini Comes.

In

In Cortonę Aretiique fines impetus factus. vastatus ager, direpti, incensique pagi sunt. Foianum oppidum expugnatum. Astor Fauentinus, qui primus opem Florētinis laturus eorum inuitatu accurrerat, acie victus. nonnullæ præterea eo tractu arces occupatæ. alia parte Vadum in agro Volaterrano Antonius Olzina de hostibus ceperat: finitimosque agros vexare incursionibus non desistebat. In Insubribus bellum non minori conatu administratum est. Renatus Andegauensis à Francisco Sfortia ex Gallia euocatus, spe facta, Cisalpino bello confecto communibus armis regnum Neapolitanum pulsis Aragoniis recuperandi, à Sabaudo atque Monferrato Alpium aditu insesso Venetorum hortatu, ipse binis nauibus Genuam appulsus est. exiguo comitatu deformi aulæ cultu, contemptui esse cœpit. Paruæ sæpe res magnarum momentum afferunt. A Ludouico Delphino, qui postea Rex Galliæ fuit, eo nomine vndecimus, copiæ terrestri itinere Astam vsque perductę. Gallorum alacritas cum qua expeditionem susceperat, breui consenuit. tribus exactis mensibus, de causa non constat, sed repente se se in Galliam retulerunt, Renatum accusantibus sociis, imperioque ineptum iudicantibus. venerat in periculum summa rerum. Insubres, & Florentini à sociis deserti, impares hostibus fore videbantur. Aliena calamitas saluti fuit. Constantinopolis amissę nuncius, famaque animos ad concordiam reuocare cœpit. nam barbarus victoria insolens factus, de Italia cogitare, propemodum affore nunciabatur. metus ab intestina discordia reuocauit animos. Simone Camerino Augustiniano monacho, viro prudente, magis quam erudito, vltro citroque commeante pax inter Venetos, Insubres, & Florentinos æquis conditionib. ad Laudum oppidum facta erat, proximo superiori anno ad quintum Idus Aprilis. Societas armorum adiecta Venetiis tertio kal. Septembris. Vtrunque Aragonio ægre fuit, se inscio fœdus factum, Venetorum inconstantia atque infidelitate (sic ille putabat.) Ferdinandus filius Neapolim reuocatur. Tanto Rege placando, in quo certissimum præsidium fore rebus credebatur, opera data. à Venetis, Insubribus, & Florentinis oratores missi, qui fœdus festinatum excusarent, viri prętantes. Celeritate opus fuisse: ipsi locum relictum: ac vero primas partes datas. Siquid offensum esset, publicæ vtilitati, atque saluti Italiæ priuatam iniuriam, vti facere consueuisset, condonaret. A Nicolao Pontifice Dominicus Capranicus Cardinalis Firmanus præcipua probitatis, pietatis, modestiæque opinione, innocentia, atque doctrina singulari, quo maior esset auctoritas, aliis oratoribus adiunctus Caietæ, quo Rex venit, sociis sacratæ dignitati deferentibus, remotis arbitris hac sententia orationem habuit. Rem facilem vltroque tibi expetendam ad te, Rex, oratum venimus: pacem societatemque tibi honorificam, hoc tempore necessariam. Quo vniuersum Christianum orbem ingens ex præterito luctus, maior in futurum metus occupauit. Nostra cessatione (ferme dixerim socordia, amentiaque) grauissima plaga, maior ignominia accepta est. Sit semel peccasse satis. sit errantibus medicina, mala esse passos. Quæ acta sunt redargui magis, quam mutari possunt: ea pessima malorum præteritorum conditio est. Sed dum priuatas tamen cupiditates publicis cōmodis potiores ducimus, dum mutuis dissidiis digladiamur, nulla pietatis, nulla religionis cura, alter Christianæ reipublicæ oculus lumenque extinctum est. quanto hęc cum dolore loquor. sed vltro tamen manantes lacrymas, motumq; animi tenere necesse est, dum cætera differo. Incommoda sane intestinis dissidiis accepta, concordia publica sananda sunt. aut hæc, aut nulla faciendæ medicinæ via est, in tam recenti vulnere publico priuatoque. In nostris ruinis atrox Christiani nominis hostis ferus ac barbarus insultat. Orientis prouincias vastauit, diripuit, incendit: ipsa Constantinopolis lux orbis terrarum, atque arx, subito vno incendio concidit. Versatur ante oculos tristis eius diei imago, & furor gentis in ciuium cæde bacchantis. matrum familias captiuitas, fuga puerorum, sacrarum virginū vexatio, violata tēplorum sanctitas. horret animus tantæ cladis cōmemoratione. Cōstrata classibus maria sunt. Aegeum mare conclusum nauibus nostris. Orientis commercio prohibemur. Quæ si vehementer videntur, vt sunt, misera atque miseranda, debent animos nostros ad sumendam vindictam concitare. Sed quid vindictam expetamus alienę iniuriæ? de patria, de libertate laborandum. neque enim eatenus resistit furor. de Italia meditantur: Romam caput ac sedem religionis in potestatem redigere satagunt. Proh scelus audaciamque intolerandā. Manabit, mihi credite, malum, non solum per Italiam, verum etiam transcendet Alpes obscure serpens: reliquas Occidentis prouincias, nisi resistitis, occupabit. Paruum quiddam instar eorum quæ sæpe ac vasto animo conceperunt, euersum Græcorum imperium est. id agunt, moliunturque vt oppressis omnibus è piorum natione, nemo ne ad deplorandum quidem rei Christianæ nomen, atque ad lamentandum communem calamitatem relinquatur. Scythæ, Syri, Afri, gentes militum nume-

ro, corporum robore, & bellandi vsu formidabiles hostium sequuntur castra. Num æquum videatur in tanto periculo ad reipublicæ præsidiũ non excitari? patriæq; & religioni atque adeo humano generi non succurrere? Si Italiæ tranquillitatem rogaremus, erat humanitatis tuæ morem gerere. quid enim aut ad dignitatem honestius, aut ad laudem gloriosius, aut ad fructum salutarius, quam nobilissimæ prouinciæ diuturno bello afflictæ publica pace mederi? nunc non de tranquillitate vnius prouinciæ agitur: sed de salute, de incolumitate, de libertate vniuersæ piorum nationis. Eam opem à te potissimum resp. præstolatur. & quoniam ductore est opus, ad quem summa imperii in bello redeat: te Ducem atque Imperatorem negotio maritimo, qua parte bellum grauissimũ imminet, vniuersa Italia iubet. qui honos ante te nemini est habitus. Omnia abunde suppetunt, prudentia, vigor animi, auctoritas, pugnandi scientia. bellica gloria, multis in Italia, Gallia, Africa victoriis parta, hac vna expeditione illustranda est. eo amplius quod absque inuidia erit: quippe aduersus Christiani nominis hostes. Pone ante oculos Carolum, cui res præclare factæ Magni cognomen pepererunt, Gotifredum, Sigismũdum, Hunniadem gratissima genti nomina. an alio itinere putas ad cælum fama euectos, quam piis bellis fortiter administrandis? nõ alia causa tot populi, & Principes consensu posuerunt arma, quam vt tuis potissimum auspiciis pro salute communi, pro vindicandis religionis iniuriis, vires sociarent, sanctissimum bellum gererent. Id eorum omnium nomine nobilissimi oratores, quos ex meo ore locutos puta, omnibus precibus flagitant. Id sanctissimus senex Nicoalus Pontifex lacrymis toto ore manantibus, (quo habitu reliquerim succurrit animo) cum imperare posset, precatur, vix ægram dolore animam vna spe sustentans pace publica Italiæ sacita, iniurias acceptas vindicãdi. qua sublata non dubitanter occidet. te non arbitror tam durum fore vt his vocibus, precibus, gemitibus non mouearis. Ad hæc Rex, neque se belli causam fuisse, neque moram paci facturum. in bello pacem, non in pace bellum quærere solitum. Nolo, inquit, consentienti Italiæ deesse. Quod fœdus me inscio est factum, libenter quidquid id fuit iniuriæ communi causæ condono. Pontificis Maximi auctoritatem, studia populorum ac Principum, pro eo ac debeo, plurimi facio: duxque vel comes in hanc expeditionem ire non recuso. Fœderis à Venetis cum Francisco, ac Florentinis nuper icti tabulæ recitatæ, in hæc ferme verba. Amicitia, fœdus, ac societas Venetis, Francisco Sfortiæ, ac Florentinis, eorumque fœderatis cum Alfonso Rege pro communi Italiæ quiete, & salute, potissimum pro reprimendis Turcarum conatibus, à quibus graue bellum Christianæ genti imminet, his legibus inuiolabilis in annos quinque & viginti esto: & eo amplius quoad cunctis sociis placuerit. Alfonsus Venetorum, Francisci & Florentinorum, ac fœderatorum statum aduersus eos qui bellum inferant, aut lacessant, siue Italicus, siue externus hostis fuerit, itaquã iuris sui res sit, defendito. Rebus quietis mutuæ opis causa, siqua forte repentina vis ingruat, Alfõsus, Veneti, ac Franciscus, singuli octo millia equitum, peditum quatuor millia, Florentini quina millia equitum, duo peditum in armis parata habento: singulique, militibus, & copiis suis stipendia persoluunto. Si bellum alicunde oriri contingat, nulli partium, nisi de communi omnium cõsensu pacem componere liceto. nec Regi, nec sociis cũ vlla Italica natione societatẽ, aut fœdus facere absque communi consensu fas esto. Premente bello singuli dimidiam saltem equitatus partem, & peditatus auxilio ad eum quẽ lacessiri continget, impigre mittunto: nec illud donec patratum sit bellum, inde reuocanto. Si cõtingat auxilia ad aliquem è sociis mitti belli causa: qui auxilium acceperit, auxiliarib. copiis loca in quæ diuertant assignato: annonamque & cætera necessaria eodem pretio, quo popularibus suis venundato. Si quis fœderatorum bellum intulerit, fœdus ex eo violatum, quoad cæteros pertineat, non esto, sed integrum atque incorruptum habento: cæterique lacessito auxilium præbento non minore studio, quã si is qui lacessat in ipso fœdere comprehensus non esset. Si cui sociorum bellum inferatur, nulli reliquorum per eorum fines trãsitũ concedere, aut commeatus præbere fas esto: sed omni vi lacessẽtis conatibus obstanto. Hæ conditiones paucis immutatis abs Rege probatæ sũt. omnes Italiæ ciuitates, ac reguli cõprehẽsi. Genuẽses tãtũ, Sigismũdus Malatesta, Astor Fauẽtinus abs Rege excepti. Genuẽses quidẽ ꝙ pacis ante aliquot annos ictæ cõditionibus nõ stetisset: Sigismũdus, & Astor ꝙ accepta Aragonia in stipendiũ pecunia, ad hostes se bellis superiorib. cõtulissent.

Calixtus Pontifex. CAPVT XVII.

Erecta vniuersa Italia; ac vero reliquæ prouinciæ ad meliorem spem erant, publica pace fundata: cum Nicolaus Pontifex, in cuius humeros rerum moles incumbebat maxime, annis curisque grauis decessit ad nonum kal. Aprilis. eius obitu cœptæ molitiones impeditæ sunt, ac penitus disturbatæ. tametsi de successore deligendo continuo comitia

habita:

habita: & quoniã res cũctationem non recipiebat, intra diem quartumdecimum Alfonſus Borgia Cardinalis in defuncti locum cooptatus, voto ſe obſtrinxit belli Turcici inſtaurandi: quod ſe facturum ſi Pontifex renunciatus eſſet, in minori fortuna ſcripta ſcheda nuncuparat, Calixti etiam nomine deſignato. tanta fiducia erat eius honoris adipiſcendi, ex Vincentii Ferrerii vaticinio (ſic vulgus prædicat) à prima ætate concepta. Meritis & ſanctitati gratia data, conſecratus Vincentius, ac templis dicatus eſt. is honor Emundo etiam Anglo communicatus. vtrunque noui Pontificis decreto. Is Setabi in Valentino regno natus, ingenium ſublime, erectumque, ac maioribus rebus aptum, in minori ætate literis dedit. cõſequentib. annis per omnes honorũ gradus decurrit. Rom. Pontificatũ acta ferme ętate adeptus eſt: nihil in eo humile tamẽ, nihil ſordidũ apparuit. Aragonio Regi maxime infenſus fuit: ſiue dignitatis tuẽdæ ſtudio, ſeu quia inſitũ natura eſt, vnde ingentia merita extiterũt, quaſi creditores auerſari. Itaq; rogatus, vt nouo diplomate regni Neapolitani iura Alfonſo filioque confirmaret, adduci non potuit. Propinquis augendis vehementius incubuit, quàm ea ætas, & ſacroſanctæ perſonæ, quã gerebat, dignitas paterentur. Id maximè in eius moribus accuſatur. Sororum filios Catharinę quidem Ioannem Milam, Iſabellæ autem Rodericum Borgiam, vno die nouo exemplo Cardinales creauit. Petrus Borgia Roderici frater imperio Pontificio Præfectus pro auunculo Vicarius. vnde Alexander Pontifex, Valẽtinus Dux, adeo inuidioſa nomina auorum memoria, prodierunt. Inter Caſtellam & Aragoniam pax firmata. Vaſco iis oppidis ceſſit, quę in Caſtella ablata erant. annui vectigalis, vt conuenerat, compenſatio facta. Vaſconum tumultus nondum quieſcebant, ſciſſa prouincia in partes. Carolo Vianæ Principi paſſim fauebatur, arma tenenti, iure potiori. (ſic pleriſque viſum) fauebat Blanca ſoror pro virili parte, tanta ex eo Vaſconis moleſtia, vt fœdere cum Fuxẽſi genero iuncto, Vaſconum regnum in eum trãsferre cogitaret Carolo & Blanca repudiatis. ſatis idonea cauſa, quod in patrem rebelles exiſterent, niſi iniuriam prior feciſſet. ad id fœdus Rex Gallus ſolicitatur. Henricus Caſtellæ Rex Caroli partes ſubleuabat: ac periculum erat ne cum Gallia vires Hiſpaniæ committerentur. Tametſi Henricus Rex belli Granatenſis, nouique coniugii apparatu vno tempore diſtrictus erat. Cuellare vbi regni conuentus fuerunt, quaſi claſſico ſummi, medii, infimi, ad ſumenda arma excitati. & pro ſe quiſque nouis officiis certabat Regi fidem, diligentiamque approbare. Toletanus Archiepiſcopus, Hari Comes Vallisoleti relicti ſũt rerũ moderatores & arbitri, ad quos ſũma imperii, & iudiciorum rediret, dum Rex abeſſet. Primo quoque tempore validis copiis contractis, in quibus quinque equitum millia erant, ſemel Granatæ ſuburbanus ager, mox noua irruptione Malacitani fines omni belli iniuria vexati tanta celeritate, quanta vix eques in pace tantum ſpatii oculis luſtrare, pedibus peragrare potuiſſet. Ioanna Alfonſi Luſitani Regis ſoror, Caſtellæ Regi per legatos deſponſa erat. Nuptiæ Cordubæ celebratę ad duodecimum kalendas Iunii magna gentis & procerum lætitia, ex vniuerſa prouincia magno numero ad bellum confluentium. Sudibus inter ſe milites in modum iuſtæ pugnæ concurrere. alii ludi & ſpectacula commiſſa. Quoniam in medio belli, & armorum fragore id coniugium eſt perfectum, in omen à quibuſdam vertebatur, quaſi ex eo coniugio magnæ calamitates impenderent: lætumque in pręſentia, exitu fœdum futurum ſuſpicio erat. nuptiarum auſpex Turonenſis Pręſul à Carolo Galliæ Rege in Caſtellam legatus: cum qua gente Gallo fœdus erat. cum Anglis ſimultas, infenſis ac diuturnis Gallici nominis hoſtibus. Ad belli Maurici famam nouæ militum manus identidem conuenire, equites quatuordecim millia, pedites ad quinquaginta millia, rebus magnis perficiendis exercitus par. cum iis copiis tertio in Maurorum fines penetratum. ipſe Granatæ vrbis ager in ciuium oculis incenſus. vt iuſta pugna confligeretur cum hoſtibus ſe ex omni parte oſtentantibus, conſilium Regi non fuit. animus modo erat, triennio corruptis ſegetibus barbaros ad ſupremam annonæ inopiam redigere. Vulgo milites in cõſiliis rapidi, ac lingua immodici ignauiam interpretari: ſeque, quando tantæ commoditates amitterentur, cum vellent Duces, ac iuberent non eſſe pugnaturos. Proceres etiam inter ſe coniurare, Rege capto alia ratione bellum adminiſtrare ſtatuebant. coniurationis auctor præcipuus Petrus Gironius Calatrauæ Magiſter. Enecus Mendoza tertius Santillanii filius, Regi ſuadet vti Alcaudeto, vbi vis parabatur, ſe citato Cordubam conferret, aliis confictis cauſis. ſic periculum in pręſentia vitatum. inſidiæ nondum indicatę. quib. cognitis tandem Cordubę propter anni tempus milites quidem perſoluto ſtipendio in hiberna dimiſſi ſunt, ad prima tamen veris ſigna redire iuſſi. Proceribus miſſio data vacatioque. ea vindicta concepti ſceleris fuit. Rex ipſe Abulam & Segobiam venatione remiſſurus animum contendit. In ſtudium tamen concitatus Bæticam primo tempore

repetendi,ad clypei limbum geminos maligranati ramos affingi iussit inter se cōplicatos:
quoniam Regum Granatæ ea insignia sunt,quasi destinata voluntate, nisi Maurico bello
confecto,genteque ab stirpe excissa,ab armis non discedendi. Neapoli ineunte proximo
1456 anno M cccc quinquagesimo sexto Aragonii Regis nepotes, Alfonsus Capuæ Princeps,
& Eleonora, Francisci Sfortię filiis Hippolytæ, & Sfortiæ Mariæ, connubii lege iuncti
sunt. ea necessitate, vtriusque familię opes vehementer confirmatæ: haud obscuro dolo-
re Calixti Pontificis, cuius conatibus eæ molitiones opponebantur. A Castellę Rege
bellum Mauricum remotis proceribus, nouo impetu, eodem consilio administratū est.
agri modo vastati,direptique: neque quid maioris rei factum,gemente quamuis exercitu,
,, atque quoniam pugnare prohibebatur, ad arma consternato. Rex concione aduocata:
,, Aequum,inquit,fuerat ciues militem ab Duce regi,non regere. Expectare signa non ex-
,, torquere. Parendo potius quam imperia Ducum sciscitando res militares continentur.
,, Fortissimus in discrimine est,qui ante conflictum modestus maxime. Vobis arma & ani-
,, mus sit,mihi consilium,& virtutis vestræ regimen relinquite. Arte potius, quam viribus
,, hostes superandi: quod nobilissimum victoriæ genus est. Inter circumfusos barbaros,
,, sine ignominia seruasse exercitum: sine vulnere,sine sanguine tantum confecisse bellum,
,, quanta gloria? multo certe maior, quàm hostes innumeros peremisse. vestra salute nihil
,, nobis milites carius: pluris vnius vestrum vitam, quàm mille barbarorum cædem facio.
Regis verbis milites indignatione compressa magis quam pacata, Cordubam reducti
sunt: domosque diuersi amandati. Rex fine anni Madritum festinauit. Quo tempore à
Lusitano Rege valida classis instructa, missaque in Italiam sociali classi auxilium. etsi ar-
dor Italiæ Principum refrixerat: nouique motus Senis Genuęque importuno tempore
concitati erant. Ea causa Lusitani apparatus inanis fuit. & quoniam pridie Idus Decem-
bris Isabella Regina Eborę in Lusitania extincta est, non absq; noxii veneni suspicione,
prouinciæ luctu maximo. Rex in viridi quamuis iuuenta, ad multam ætatem cęlibem vi-
tam exegit. Fuit hic annus Neapolitanis terræ concussione infaustus, iuxta ac nobilis de-
sidentis terræ hiatu. multa oppida & arces sunt euersæ. vis mali ad Iserniam & Brundu-
sium in extrema Italiæ ora inualuit maxime. non pauca ædificia suis conuulsa sedibus de-
ciderunt. ex Boiano oppido lacus factus,æternum tantæ cladis monumentū. magna ho-
minum strages fuit. ad sexaginta millia capitum periisse memorantur. Pius secundus,&
Antoninus Florentinus eum numerum dimidiatum ponunt.

Regis Aragonii obitus. CAPVT XVIII.

QViescere Hispania non poterat, diuturnis quamuis vexata motibus. tumultuabātur
Vascones maioribus quam vnquam odiis. finitimi Cantabri licentia temporum ad ar
ma consternati erāt, cędibus inter se factis feri. plebē nobilitas prædę habebat, ædium
præsidio: quas instar arciū vniuersa prouincia singula familiarū capita habēt. Eæ magno
numero ab Henrico Rege disturbatæ euersæque sunt: cum ad periculū cū exercitu Se-
1457 gobia acurrisset mense Februario eius seculi anno quinquagesimo septimo. Sic pauco-
rum supplicio prouincię motus pacati: cæteris documentum datum iniuriæ vitandæ. in
ea expeditione Petrutius Munsarius Durangi municipis filius,in ætatis flore in familiam
à Rege admissus,eo multum deinde & familiariter vsus est. Carolo Vianę Principi ami-
co & fœderato, ne ex propinquo opem ferret,eius pręcipiti fuga factum est. Aragoniis &
Fuxensis sororii armis impar futurus erat,& maior metus à Gallo Rege proponebatur. er-
go vt eum conciliaret in Galliam abiit. verum repente mutato consilio, ingenii leuitate,
an quia parum genti fidebat ab aduersariis præoccupatę, patrui Aragonii Regis accitu
Neapolim festinare decreuit: si minus ęquitate causę rebus opem impetraret, in exilio
vitam acturus. Ex itinere Romę conuento Pontifice patris acerbitatem, atque ambitio-
nem accusauit: neque eius arbitrio recusabat vniuersam controuersiam permittere. Ro-
ma digressus via Appia, Neapoli splendide acceptus, & benigne habitus est, castigatus
tantum eum verborum honore,quod in patrem arma sumpsisset. quantumuis ęquitate
causę confideret,parendum tamen genitori fuisse, doloremque dissimulandum. id diui-
nis legibus sanctum,humanis honestū esse. Ad ea Carolus pauca in facti excusationem,
,, respondit, seque in eius potestate fore est pollicitus. Vt lubet, inquit,decernito, memor
,, modo omnes homines aliquo errore duci. hic in illo, sibi in hoc alius indulget. nonne
,, fecistis senes imprudentia ętatis quod à parentibus corripi posset? cogita ergo & me iu-
uenem esse,& parentem aliquando fuisse. Rodericus Vitalis in Hispaniam continuo a-
mandatus,dū de fœderis cōditionibus inter Vascones agit, Carolus quāuis absens Pōpe-
lone Rex est proclamatus. quo cognito pacis tūc quidē intermissa est mētio. Castellę Rex
Vasconis inuitatu,acceptoque fidei obside Ferdinando eius filio,.cū eo ad Alfarū muni-
cipium ad fines vtriusque gentis de mense Martio Victoria discedens, collocutus est. ve-

Ætere Reginæ Castellæ & Aragoniæ. plena omnia ludis hilaritateque fuere. Inter duos Reges pax constituta. Ludouicus Dezpuchius Montesiæ Magister, nouus subinde ab Aragonio legatus venit. eo agente fœdus quod inter Vasconem & Fuxensem Comitem & istum ante fuerat, abrogatum est. totius controuersiæ arbitrium partium consensu, Aragonio Regi permissum. spes diuturnæ tranquillitatis ex tantis molitionibus concepta animis inanis fuit. Castellæ castra in Bætica ad Maurorum fines erant: eo Henricus Rex mense Aprili venit. non minori quam antea impetu, neque minorib. copiis in Granatæ fines penetratum est. dum ager vastatur, nostrorum manus iniussu Ducum cum circumfusis hostibus pugnatum progreditur. à multis paucorum audacia compressa. Cecidit in pugna Garsias Lassus D. Iacobi miles eximie fortis. viri nobilissimi casus Regem maiori impleuit ira. non in segetes modo, vti antea facere consueuerat, sed in vineas & arbores igne ferroque sæuitum, quibus antea parcere moris erat. Mena oppidum admotis copiis vi captum. perempti incolæ absque discrimine. crudele exemplum, sed ea tamen clade Maurorum audacia vindicata est. Supplicibus venia induciæque in annos aliquot concessę tributi nomine, annua duodecim aureorum millia, sexcentosq; captiuos Christianos, aut si non essent, parem Maurorum numerum pactis. ignominiosa conditio, sed tantus terror eam gentem inuaserat. Additum vt qua parte Granatæ fines Giennium attingunt, belli nihil omnius facultas esset. iis finibus Garsias Manricus Castanedę Comes præfectus est. adiuncta duo equitum millia. In huius belli subsidium Calixtus Pontifex anni huius initio Cruciatam indulserat, non modo viuentibus sed etiam vita functis. nouum in Hispania exemplum. Eius euulgandæ cura Alfonsus Spina Palētiæ, vbi Rex erat, demandata monuit, ne pecunia ex ea redacta in alios vsus conuerteretur. Qui aut arma sumeret contra Mauros, aut ducentos quadrantes conferret, ei quiuis sacerdos sub mortem peccatorū omniū veniā dabat: etiamsi interclusa voce nil aliud quam conceptū animo dolorem signo aliquo declararet. Eadem venia vita functis cōcedebatur. Quadriennium eius veniæ promulgationi pręfixū: quo tempore ad trecenta millia aurei in regium fiscū redacta. Sed quantulū ex ea summa in bello sacro consumptum? Præterea legatus Roma Madritum eo confecto bello ad Regem venit, ensem galerumque gestans Pontificis donum, sacra prece natalis Christi peruigilio lustratū, magnisque Principibus, qualem esse Henricum fama ferebat, mitti solitum. additæ honorificentissimæ literæ. Nulla syncera lætitia est. nuncius allatus, Castanedæ Comitem Maurorum manui obuiam progressum, exceptumque insidiis fuisse. captū ipsum, magna suorū strage. In eius locū Duce alio substituto maioris animi, consilii, atque integritatis, magno is auri pōdere redemptus est, induciis pace mutatis. hic belli Maurici finis fuit, nouarum rerum initium. In Italia bellum Genuense gerebatur. Aragonius Adurniis fauebat. Ioānes Lotaringius Renati Andegauensis filius, qui se Calabriæ Ducem ferebat, Fregosiis opitulatum accesserat. eo maior iniecta cura: cum Regem Aragoniū octauo Idus Maii eius seculi anno quinquagesimo octauo repēte morbus Neapoli inuasit: ex quo in Arce noua cum ad Idus Iunias decubuisset, ingrauescente valetudine in arcem alteram, cui ab Ouo nomē est trāslatus, si mutatione loci melius haberet, ad quintū Kal. Iulias sub auroram extinctus est, Princeps sua ætate clarissimus, nulli veterum posthabendus, Hispanæ gentis lumen, decusque perpetuum. Literas in pretio habuit: virisque eruditione præstantibus, tantū tribuit, vt iis se inclinata quamuis ętate recoquendum præberet. Laurentio Valla familiariter est vsus, Antonio Panhormita, Georgio Trapezuntio immortali laude viris. Bartholomæum Faccium, cuius extant de rebus Alfonsi commentarii, mēse Nouembri superiori extinctum tulit ægerrime. Rege quodam Hispano dictum referente quopiam, literas Principem nō decere: eam vocē nō Regis, dixit, esse, sed bouis. Faceta Alfonsi dicta, sales, iociq; notātur magno numero, ad indiciū acuti ingenii, elegātis, prōpti atq; præstātis: quæ vt hic referretur visū non est. Ante obitum stella crinita visa Cancrum inter, & Leonem, cauda duorum signorum longitudine. rem prodigiosam, & magnorum Principum capitibus minantem. Testamentum pridie mortis nuncupauit. quo Ioannem fratrem Regem Vasconum Aragonii regni hæredem scripsit. Neapolitanum imperium quasi armis partum Ferdinando filio notho legauit: vnde magni motus concitati sunt, bellaque. Reginæ nulla mentio. fama fuit, & magni viri testantur ea repudiata, Lucretiam Alaniam pellicē ducere cogitasse. Extāt Calixti Pōtificis literæ ipsius manu ad Reginā scriptæ: quibus amplius quam matri sibi eam debere ait. sed rem tantam euulgandam non esse. Lucretiam regio apparatu Romam venisse: neq; impetrasse tamen quod maximè sperabat. concepti sceleris pœnas vnà cum illis dare noluisse. id maximè intemperantiæ vitium in Alfonsi moribus accusare licet. Verum peccata sub mortem omnibus sacris humillimo

1458

corporis habitu expiauit. corpusque ad Populeti, vbi maiorum sepulcra sunt, ipso templi aditu sepeliri mandauit, nullo excitato tumulo, modestiæ argumentum singulare. Alfonsus Carthagena Burgensis Episcopus per idem tempus decessit. eruditionis monumenta extant, Breuis historia de Regibus Hispaniæ, quã Anacephalæosim dixit: Defensorium fidei, aliaque. in eius locum Ludouicus Acunia cooptatus est.

Pius secundus Pontifex Maximus. CAPVT XIX.

CVm Alfonso pax Italiæ sublata est, imperii Neapolitani opes concussæ: quæ aduersus omnes fortunæ impetus stabilitæ esse videbantur, nouo ac sæuissimo bello concitato, non tam retentæ quam denuo partæ. Erat Ferdinando Regi ingenium sublime, studiis iurisprudentiæ excultum non minus quam militaribus: quæ duo ad rempublicam bello paceque gubernandam aptissima præsidia erant. lucta, saltu, iactu, equestrique certamine nulli cedere: æstus, frigoris, inediæ, laboris patientia, morum comitas, ac modestia singularis: faciles aditus, nullum offendere, cunctos benigne appellare. His tantis virtutibus procerum inuidiam vitare non potuit, humani ingenii vitio noua imperia meditantium. Carolus Vianæ Princeps à plerisq; inductus ad capessendum imperium quasi legibus debitum. Ferdinandum obscuris natalibus esse: non liberis suffragiis reb. prçfectum: sed vi ac terroribus gentis consensum expressum. faciles ille aures calumniis accommodare. magisque facultas deesse, quam voluntas eius imperii occupandi. Polliceri facile est, præstare difficile. adductus in suspicionem nauibus in Siciliam abscessit, quorsum res commotæ euaderent, expectatum, exilii tempore geminæ prolis pater, Philippi, Ioannisque, ex Capa infimo loco matre, quam nihil præter formam commendaret. Anãm tertiam prolem ex Maria Armendaria, quæ Francisco Barbastro nuptui data est, furto etiam susceptam, Ludouicus primus Medinæ Celinæ Dux vxorem habuit. annua duodecim aureorum millia ab Alfonso Rege legata exuli, Ferdinandus rata habuit. Caroli discessu procerum Neapolitanorum studia non conquieuerunt. à Tarentino Principe & Crotonis Marchione, Ioannes nouus Aragonię Rex ad capessenda Neapolitani imperii sceptra euocatus est. cautior ille, Hispaniæ opibus contentus, longinquas haud magnopere curabat: Tudelaque profectus Cęsaraugustę mense Iulio Aragonii regni curã suscepit. non vt antea alienæ potestatis vicarius, sed propriæ arbiter. Maior à Calixto Pontifice, vnde minus expectabatur, tempestas extitit. qui notho deferendum regnum, Romanę Ecclesiæ vectigale negabat. illiusque integrum ius ad se reuocatum contendebat. nimirum Petro Borgię, quem Spoleti in Vmbria Ducem creârat, noua imperia parabat, importuna ambitione, confecta senex ætate, & fortunę in qua natus erat immemor. Apparebat Italiam bello arsuram, haud dubia pristinorum malorum specie renascẽte. lenire ægrum Pontificis animum Ferdinando curæ erat: plenas officii & humanitatis literas ad eum hoc exemplo dat. His diebus in media doloris acerbitate, beatissime pater, paternum obitum renunciaui. Breuis epistola fuit, quippe inter lacrymas data. Nunc collecto animo, luctuque tantisper mitigato, significandum duxi: patrem pridie obitus obtestatum, nihil vt in terris, vestra gratia & auctoritate præstantius ducerem. Cum sancta Ecclesia non contenderem, ne prouocatus quidem. impios ausus raro feliciter cadere. His ego præceptis institutus, quod facturus alioqui eram, impensius, vt faciam, accepta beneficia hortantur. Neq; enim obliuisci possum, à primis annis me in tuam disciplinam traditum. Soluisse vna ex Hispania: prouectosque eadem naui ad Italiæ litus: non absq; Dei nutu, tibi iam Pontificatum summum, mihi nouum regnum destinantis: præclaro omine futuræ felicitatis, mutuęque concordiæ. Itaque à puero tibi traditus, tuus, ad mortem esse cupio: me in filium accipito: aut accepto potius, paternam gratiam & humanitatem exhibe, daturo operam, ac præstituro, ne aut grati animi obsequium, aut pietas debita in nostris actionibus requiratur. Vale. Neapoli Kalendis Iulii. Nihil his literis & pollicationibus Pontificis animus mouetur. Principes & ciuitates Italię ad arma solicitat. magnę molitiones Pontificis obitu dissipatæ. decessit octauo Idus Augusti. id commode Neapolitanis rebus accidit. Aeneas Syluius Senensis, ex Picolominea gente nouus Pontifex, Pii secũdi appellationem, pace Italiæ restituta sanxit, adhibitoque conatu ad piũ bellum instaurandum. Ferdinandum Regem nuncupat, ea duntaxat exceptione, ne id factum præiudicio cuiquam esset. Mantuam ex toto orbe Christiano Episcoporum & Principum conciliũ indicit, de expeditione aduersus Turcas acturus. Neq; cõstiterunt tamẽ semel cõmotæ Neapolitanorũ voluntates. Calabri ad arma concitati. Ioãnes Lotaringius cũ classe triũ & viginti triremium Genua euocatus, ad litus Neapolitanum venit. Belli præcipua fax Antonius Centillia Crotonis Marchio, susceptam Alfonso Rege ignominiam noua rebel-

rebellione vindicare parans, Aragonio, hoc est, suæ gentis imperio Gallicum præferre non dubitabat. furor animi agebat præcipitem. magni & diuturni motus fuerunt: quorum successum sigillatim explicare longum esset, in Hispaniam historia reuocante. Vbi ab Henrico Castellæ Rege noui homines honoribus aucti: Michael Lucas Irantius arcanorum omnium non particeps sed moderator, natus Belmontii in Celtiberis, Magister equitum creatus est. Agreda oppidum dono datum. præterea Veratonum & Voxmedianum arces. Gometius Solisius regiæ Magister, cui Castra cæcilia patria erat (vnde & Cacerius dictus est ab eius oppidi appellatione vulgari) suffragio militum, Regis volūtate Magister Alcantaræ in Guterrii Sotomaioris locum suffectus est. horum fratres nouis principatibus aucti. Valensola Prior Hospitalarius factus est. hos aliosq; pari conditione homines, infensis proceribus opponere cogitabat. prauo consilio par exitus. Rex ipse Madriti, vbi multus esse consueuerat, indulgere voluptatibus, vacuus curis, quibus idoneus non erat. Socordiam animi, vnde in omnia mala præcipitatū est, satis indicat, quod tabulis ab aliis confectis, ne cognitis quidē subscribere erat solitus, alieno arbitrio semper obnoxius, quæ grauissima ignominia fuit. Pares insanis sumptibus aulæ, imperii opes non erant. Dieghus Arias ærario profectus monet, ministrorum turbam imminuendam videri. remp. arrodere plerosque annuis salariis, qui nihil opis conferrent. ingratum Principi consilium fuit. Itaq; vt finem dicendi fecit: & ego, inquit, si Arias essem pecuniæ magis quàm benignitati seruirem. Tu fortunæ in qua natus es consentanea locutus es: ego, quæ Regem decent, faciam, nullo paupertatis metu, ne nouis quidem vectigalibus imperatis. Regum officium est largiri, effundere, imperium non priuata vtilitate, sed publica multorum salute definire. is diuitiarum verissimus fructus est. Aliis dandum, quia vtiles sunt: aliis ne sint praui. dignam magno Principe vocem. cętera consentanea non erant. Ea tamen popularitas multitudinis studia adiunxit, nullo vt tempore obsequentior fuerit, alienata procerum pars maxima. Ioannes Luna Soriæ vrbis præfectura spoliatus est, atq; libertate. Paciechus consilii auctor. cum Aluari Lunæ ex filio Ioanne Luna neptim, quæ in Præfecti, quippe propinqui, potestate erat, patre puellæ defuncto, Diegho filio sponsam destinaret, & cum ea S. Stephani dotalem comitatum. Alfonsus Fagiardus Murcię Antelatus nouam Carthaginem, Lorcam, aliasq; arces in Contestanis licentia temporum occuparat. in eum Gonsaluus Sacuedra abs Rege missus nō modo iis oppidis expulit, sed & paternis euertit, satis magnum beneficium arbitratum, quod vita relicta esset. Decessit Santillanius Marchio. filios reliquit Dieghum, Petrum tum Calagurritanum Episcopum, Enecum, Laurentium, Ioannem. ab his amplissimæ familiæ extiterunt in Hispania. Aragonię Regina vidua Valentiæ pridie Nonas Septembris decessit. corpus in virginum collegio, cui à Trinitate nomen est, tumulatum. funeris pompa neque nulla neq; magna. virtus animi ad cælum fama extulit. A Rege Lusitano valida contracta classe Alcassarum oppidum Septæ vicinum in Africa, de Mauris captū quintodecimo Kal. Nouemb. qui dies Mercurii fuit, D. Lucæ memoria sacer. Ferdinādus frater Visei Dux, atque Henricus patruus expeditionis comites. capto oppido Eduardus Menesius Præfectus, Maurorum impetum, qui Rege digresso magno numero concurrerant, semel & iterum magno animo sustinuit: fregit audaciam, Dux ea tempestate inter Lusitanos clarus. A Carolo Vianę Principe legati ad patrem è Sicilia missi, si veniam impetraret, se in eius potestate fore: iuuenili errore commissa Rex & pater condonaret, syncerus animus non erat: cum eodem tempore Castellæ Regem, & Franciscum Britannum Ducem ad fœdus ineundum solicitaret, pudenda iuuenis leuitate, armis vindicaturus, quod pater denegasset. ea cura & ne à Siculis, à quibus omnibus officiis cultum audierat, Rex præficeretur, promissa venia euocatus, ad litus Hispaniæ appulit principio anni Milesi. quadrin. quinquagesimi noni. inde in Balearem maiorē cōcessit, quid pater deliberaret in ea 1459 insula expectaturus, neq; magna neq; nulla spe materni regni recuperandi, vitæ exitu propinquo. Cōtinuatę ęrūnę miseros in pręceps agunt, atq; de statu mētis immutāt. Petebat legatis ad patrem viris primariis, sibi suisque veniam, datis obsidib. libertatem Ludouico Magistro equitum & necessariis. Iusiurandum, à populis non alium regnorum hæredem fore. Facultatem quacunque in vrbe vellet, morandi curia vitata. Vianæ & Gandiæ principatus sibi dati, ne inanes tituli essent, ditione & vectigalibus occupatis. Ea si data essent, ex vrbibus & arcibus, quæ in Vasconibus in fide perstabant, pręsidia primo tempore deducere non recusabat. Eleonoram sororem Fuxensi nuptam, rebus Vasconum gerendis præfici molestum erat: id etiam vt mutaretur adiectum. multum tempus consultationibus extractum: neque tamē concessa omnia: neq; quę sunt pacta, integra fide seruata. nouercę odio (sic creditum vulgo est) priuigno pernicies comparata, de filiis solicitæ, de se veritæ, si Carolo paterna regna patre defuncto obuenirent.

Prodigia in Caſtella viſa. CAPVT XX.

MAgnorum in Caſtella motuum ſemina breui ad maturitatem venere. Inſanis Rex amoribus occupatus erat, nulla reipub. cura: primum Catharinæ Sandoualiæ, quam noui probri compertam à ſe amouit, & aliquanto tamen poſt Toletanis D. Petri virginibus Præfectam dedit. diſciplinam laxatam cauſabatur. honeſta ſpecies, ſed qui à regia pellice aſtringeretur? de eius amaſio Alfonſo Corduba, capitis ſupplicium Medinę Campeſtris ſumptum. in Catharinæ locum Guiomaris ſubſtituta, cui forma præter Reginã comparari nulla poterat. puellæ Alfonſus Fonſeca Hiſpalenſis Pręſul fauebat: Reginæ Villenę Marchio. ſic aulæ ſtudia in ambas deducta erant: famulaq; in heram efferebatur. Vẽtum ex eo ad rixas, iurgiaq;. turpitudines & probra inuicem obiicere, neutra falsò. æmula aliquando à Regina pugnis male eſt mulctata. Addita noua turpitudo. Bertrandus Cueua regiæ Magiſter, Principis gratia potens, magniſq; ab eo opibus auctus ad Reginæ familiaritatem eſt admiſſus, nulla maieſtatis cura. vulgus in deterius pronum perſuaſione, turpem conſuetudinem interpretabatur: nonnullis etiam perſuaſum Rege conſcio, & hortante: quo impotentiæ maculam elueret. Incredibilis turpitudo dedecuſq;. In Regum Eliſabethæ & Ferdinandi, cum rerum potirentur, gratiam conficta quidem fabula, probabilis tamen ex Principis ignauia, Reginæ vitæ licentia maxima. conſequentibus certè annis aucta fides, cum Britanni legati aduentu, ludicrum militare Madritum inter & Pardum à Bertrando inſtitutum eſt, additumque conuiuium priuatis opibus ſplẽdidius lautiuſq;. Sed tanta ex eo Henrici Principis lætitia, vt eodem loco cœnobium Hieronymianis monachis extruendũ curarit, nulla maiori religione, quàm vt rei geſtæ monimentum eſſet. vnde propter loci inſalubritatem in locum, vbi nunc Madrito vicinum cernitur, translatum eſt. Principum exemplo laſciuire populus, neque voluptatibus, neq; veſtium pretio modum facere. proceres nullo Principis metu inter ſe coniurare, priuati compendii ſpe inducti, an vt tantum dedecus depellerent. Impendentia ex his rebus mala multis prodigiis vno tempore ſignificata creditum eſt. flamma in cælo ingens viſa. qua bifariam diſiecta, parte ad Orientem excurrente, euaneſcenteq;, pars altera aliquanto ſpatio perſtitit. In Burgenſi & Valliſoleti agro lapidibus prægrandibus pluit, magna pecorum ſtrage. Ad Penaluerem, quod oppidum in Carpetanis eſt, Celtiberiæ vicinum, infans triẽnis impendentes calamitates, niſi pœnitentia mutarent, denunciaſſe fertur. Segobiæ, vbi regii leones alebantur, fœda inter eos laniena extitit. A minoribus maior diſcerptus eſt, parte etiam deuorata. nec defuerunt, qui coniectarent, quoniam regium animal, id eſt, periculum Regi à regulis eo oſtento portendi. His prodigiis territa multitudine procurandis, ſacrificia peracta, nuncupata vota: quod præcipuum erat futurum, mores nihilo meliores facti ſunt. Fœda ſacrati ordinis licentia. nam per hæc tempora inuenio, à Roderico Luna Compoſtellano Epiſcopo, puellam virginem ex ipſa nuptiarum lætitia ad ſtuprum fuiſſe raptam. ingens ſcelus atque intolerandum. ad quod excitati prouinciales ductore præcipuo & vindice Ludouico Oſorio Traſtamarę Comitis filio hominem facinorib. fœdum, ſede, boniſq; pulſum vindicarunt. meritis exitus conſentaneus. noua ea inuidia deformis atque inteſtabilis in ſordibus & egeſtate reliquam vitam exegit. Ita tantiſper ex flagitio lætatus, grauiſſimas, atque ſempiternas pœnas breui perſoluit.

Libri vigeſimi ſecundi Finis.

IO. MA-

IO. MARIANÆ HISPANI, E SOCIETATE IESV,

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ,

LIBER XXIII.

Concilium Mantuanum. CAPVT I.



NTEREA Pius Pontifex Mantuam confluentibus, vti erat edictum, Episcopis & Principibus magno numero, eodem ipse contendit. Legati ex Hispania ad conuentum sunt, à Castellæ Rege Enecus Mendoza Tendilliæ regulus: ab Aragonio Ioannes Margaritus Helenæ in Ruscinonensi agro Episcopus, Petrus Peralta Regiæ Magister. Finitimi longinquique ad iungendas vires aduersus communem hostem solicitati. Dauid Trapezuntis Imperator, quæ vrbs ad pontum Euxinum est vetusta admodum, Vsluncassanus Armeniæ Rex, Georgius qui se Persidis Regem ferebat, numerosas equitum & peditum copias validam classem missuros se auxilio pollicebantur, periculo proximi. his pollicitis quantum esset credendum, nostri haud facilè statuebant. In Occidentis prouinciis parum præsidii fore videbatur, intestinis dissidiis in Italia, Gallia, Hispania vigentibus, prę iis communi Christiani nominis causa posthabita. Sic est, communis religionis iniuria parum sentitur, vindictę si cupiditas priuatim stimulat. His difficultatibus Pontificis animus non vincitur. tentare omnia atque experiri constituens in frequenti totius Christiani nominis conuentu orationem tépori conuenientem habet: quod disertissimo, atq; à prima ætate dicendi artem professo facile fuit. Imperii nobilissimi casum cum lacrymis explicuit: tot regna oppressa, tot prouincias Christiano nomini ereptas. vbi Christi numen tot seculis sanctissimè cultum erat, vnde viri sanctissimi eruditissimique magno numero prodierunt, ibi impietatem & superstitionem vigere. Si verum fateri conuenit, non nisi nobis deserentibus tanta plaga accepta est. nunc saltem has semianimes reliquias piorum seruate. Si parum publica ignominia mouet: at impendens singulis periculum excitare ad arma debet. conspirandum vniuersis, ne singuli cessatione nostra prædæ, ludibrio, cædi simus. Formidabilis hostis est, tantis victoriis insolentior effectus. seu vicit ferociter instat victis: seu victus est, instaurat cum victoribus certamen. Eo amplius excitandi animi. iunctis nostrorum viribus par non erit. aderit concordibus numen: quod continua dissidia remouerunt. Veteres Duces ob oculos proponite: magnasq; in Syria victorias de impietate, piorum consensu partas. Qui fortes & strenui domesticis dissidiis sumus: an ignaui reddamur in communi periculo, in religionis ignominia? Ecquis se bello sacro Ducem profiteatur? Ecquis Christi Dei crucem humeris præferat secuturis aliis? Ecquis Christi miles esse velit? Profiteamur nos Duces, non deerunt fortes strenuique viri ac generosi comites, germanaq; maiorum soboles atque indoles. Stat animus si cæteri desint, me piæ militiæ antesignanum prębere. Ego ego in medias hostium acies cruce desumpta irruam: nostroq; sanguine, si minus victoria parta erit, at certè placabo superûm iram, vestrosq; animos virtutis exemplo inflámabo. Christo & Ecclesiæ quibus omnia debeo, supremum hoc obsequiũ exhibere certum est. Mouebantur qui aderant, Pontificis oratione. sed dum oratores Principum priuatis contentionibus & controuersiis tempus terunt, tantus conatus euanuit. Ioannes Renati filius grauissimè expostulabat, Ferdinando hosti suo, Neapolitanum regnum esse confirmatum. verbis modò sacrum bellum decernitur: atq; illud edicto cautũ, contra quã Pontifex in minori fortuna cum Basiliensib. Patrib. senserat, ne à Romani Pontificis sentẽtia ad generale conciliũ cuiquã prouocandi ius esset. cõuentus dimissus, octauo quã haberi

cœperat menſe. Aragonii Legati Neapolim abierunt, Ferdinando de nouo regno gratulaturi. Enecus Mendoza à Pontifice venia impetrata, iis qui pecuniam certam conferrēt, ex ea ſtipe nobile Tendilliæ cœnobium Iſidorianis Monachis, atque pręclarum extruxit D. Annæ nomine. Huius interim fratri Diegho Mendozæ Carraca oppidū, hoc eſt Guadalaiara, quod incerto iure poſſidebat, ablatum Galindi ducis improuiſo aduentu, armiſque. aucta ex eo procerum offenſio eſt: factioniſq; vires amplius confirmatæ Regi aduerſæ. A Frederico maris Præfecto Aragonius gener ad iungendas vires ſolicitatur, atque ad mouendum in Caſtellam arma. Toletanus Archiepiſcopus, Gironius Calatrauæ Magiſter, Manricorum familia opibus & clientelis valida ſequebantur. Mendozæ adiuncti noua ea offenſa irritatis animis. honeſta ſpecies prætenta: rerum ſtatum immutādi, qui multis modis erat deprauatus. Eæ molitiones occultæ eſſe non poterant, ab Alfonſo Fonſeca Hiſpalenſi Præſule Henrico Principi indicatæ. Compoſtellana Eccleſia præmium fuit obitu Roderici Lunæ tum vacua Alfonſo Fonſecæ propinquo Decano Hiſpalenſi data. Inuaſerat eius eccleſiæ iura (vti paulo ante dictum eſt) Ludouicus Oſorius Petri patris Traſtamaræ Comitis potentia confiſus. auctoritate opus erat. permutatione facta Alfonſus Fonſeca ſenior Compoſtellanus Epiſcopus Regis conſenſu factus eſt. Alfonſus qui Iunior, Hiſpalenſis. Pompelonenſem Eccleſiam Martino Peralta eius vrbis Epiſcopo defuncto, Beſſario Cardinalis natione Græcus præſtanti eruditione vir, pietate pari, commendatam ſuæ curæ abſens adminiſtrabat.

Scanderberchius in Italiam tranſmittit. CAPVT II.

PII Pontificis conatus, dies noctéſq; de bello pio aduerſus Turcas cogitantis, Neapolitani motus maximè retardabant: bellumq; quod Ioannem inter Renati filiū & Ferdinandum nouum Regem geri cœperat, Italiæ ſtudiis in ambos diſtractis, pleraq; Neapolitana nobilitate Aragonio imperio feſſa, & ad Andegauenſes reſpiciente. qua ſpe? quibus viribus? cæcus animi impetus effecit, vt certis dubia præferrent. Princeps Antonius Centillia Crotonis Marchio mutatione temporum liber, in vindictámq; præceps arma ſumpſit: & hoc Ferdinandi celeritate oppreſſo, denuóq; capto, Marinus Martianus Sueſſę Dux ſpreta regia affinitate Eleonora coniuge Ferdinandi ſorore, ſe rebellibus ducem præbuit. Graue id vulnus fuit: pleriq; eo exemplo concitati dederunt nomina. Tarentinus Princeps voto, primùm clamq;, deinde apertè: Antonius Caldora, Petrus Io. Paulus Soræ Dux ſimplicius. minoris nobilitatis numerus iniri non poteſt. Franciſcus Sfortia Mediolani Dux, quibus diebus Mantuani conuentus habebantur, conſilium Pontifici præſens dat, vti cum Ferdinando Rege vires iungat. eam expeditiſſimam fore viam ad Gallos pellendos. Italia pacata, cætera prona fore. Intra Barlettam Apuliæ vrbem Ferdinandus obſeſſus tenebatur, in repentino periculo metuq; haud ſatis ad reſiſtendum paratus. Lōginquo itinere, viis ab hoſte præoccupatis, auxilia terra mittere promptum non erat. Georgius Scanderberchius, perpetua felicitate bellorum, ea tempeſtate clariſſimus miſſis in Epirum legatis auxilio euocatur. cognitis ille mandatis Pontificiis, Ferdinandi precibus præclaram occaſionem de religione benemerendi, ſuumq; ſtudium probandi, non eſſe prætermittendam iudicauit. Præmiſſo Coico Stroſio propinquo cum quingentis equitibus, eodem ipſe proficiſci parat. commodum accidit, inducias annuas cum Turcis eſſe. Comparata claſſe Raguſam tenuit: quæ vrbs veteribus Epidaurus eſſe creditur. inde breuiſſimo traiectu Barlettam nauigauit. Aduentum eius hoſtes non tulerunt. continuo motis caſtris procul receſſerunt. auctus iis auxiliis Ferdinandus, Pontificiis & Mediolanenſibus copiis confirmatus, factis aliquot leuibus præliis ad Troiam caſtra promouit. hoſtes Nuceriæ ſtatiua habebant octo inde millibus paſſuum. Medio ſpatio mons Segianus aſſurgit: quem montem qui priores occupaſſent, facturi operæpretium videbantur. eodem conſilio Scanderberchius, & Iacobus Picininus Andegauenſiū partium primarius Dux contendunt. præcedunt Epirotæ expeditiores & intempeſta nocte profecti. Cum luce vtræque acies inſtructæ ad pugnam ſunt. dato ſigno concurritur pari animorum ardore. Pugna ad veſperam tenuit. victis demum cæſis atque fugatis Andegauenſibus, cum victoria, rerum ſumma atque imperii penes Aragonios ſtetit, vrbibus & oppidis, quæ ab hoſtibus occupatæ erant, breui receptis. Scanderberchius ſplendidè donatus, ac nominatim Trano vrbe, & Siponto à Ferdinando acceptis, milites hoſtium ſpoliis lętos atque ouantes vertenti anno, ex quo venerant, reduxit in patriam. Nouis deinde victoriis de Turcis clarior quam ante ac perpetua felicitate admirabilis, ad Aleſſium ditionis oppidum graui morbo oppreſſus ſeptimo poſt anno deceſſit. Iohanne filio relicto in

Vene-

Venetorum tutela quidem, iusso tamen Neapolim contendere: ibiq; ad iustam ætatem sustentare iis oppidis legatis, quæ dederat Ferdinandus nauatæ operæ præmium. Ab hoc Castriotti nobilissima familia propagata est in Italia, Siponti (vulgus Sancti Angeli ciuitatem vocat) in Apulia principatu. Epiri res continuo conciderunt. tantum sæpe præsidii rebus est in vnius viri virtute, consilioq;. vsque adeo vnus homo pluribus præstat. Scanderberchii pronepos fuit Ferdinandus Castriottus, qui proximo seculo discissis habenis ad Ticinum periit manu Francisci Regis Galli cæsus. In Hispania Carolus Vianæ Princeps concessa à patre sibi quisque venia, pactusq; vectigal annuum, vnde vitam sustentaret, è Baleari Barcinonem appulit ad vndecimum Kal. Aprilis, salutis anno Millesimo quadringentesimo sexagesimo. Ignarus ad exitium festinabat. de eius & Catharinæ 1460
Lusitani sororis nuptiis agebatur, missis ab vtraq; parte legatis. Henrici Castellæ Regis arte res propemodum confecta, disturbata est. legati ab eo, electus Mirobrigæ Episcopus sacerdos quidam cucullatus, cuius nomen proditum memoriæ non inuenio, & Dieghus Ribera Regius metator, Carolo persuadent, Isabellam Henrici Regis sororem Lusitano coniugio vti præferret. Inito fœdere Castellæ opibus à duro patre impetraturum quæ cu peret. Faciles ille aures iis verbis præbere. Ita Lusitani coniugii mentio intermissa est. Catharina Princeps ea spe depulsa, se Olisipone in D. Claræ virginum cœnobium inclusit: ibiq; ad vitæ finem perstitit: extincta deinde in ipso noui coniugii apparatu, quo Eduardo quarto Regi Anglo destinabatur vxor. corpus in eadem vrbe ad D. Eulogii sepultum est, testamentum curauit Georgius Acosta virginis à prima ætate institutor. qui illi gradus ad magnos honores fuit: & factus Cardinalis Romæ consequenti tempore obiit. Carolus, conatu eius à Frederico maris præfecto indicato, Ilerdam vbi Catalauniæ gentis conuentus erant, Aragoniæ Fragæ, à patre Rege euocatus dissuadentib. nonnullis, ac fraudem subesse disputantibus cùm venisset, osculo quamuis à patre exceptus, duci in custodiam iussus est, Decembris die altero. graue id, eo amplius quod contra opinionem accidit. Dant animum ad loquendum liberè vltimæ miseriæ. Vbi, inquit, regia fides nobis priuatim data, atque in commune concessa omnibus ad conuentus generales venientibus? qua clementia à regio osculo amplexuq; paterno, in vincla ferrumq; trador? Præteritæ offensæ quales eæ fuerint non dico: sed condonatæ sunt certè. noui quid cōmeritus sum? quid amisi? An vlcisci filium, nostroq; sanguine cruentari paternas manus æquum videatur? facessat tantum nefas. apage dedecus familiæ, ignominiamque. Hæc flagrans oculis, contenta voce, quò latius exaudiretur, ita effudit vt astantes permoueret. plura dicere conatus in custodiam ducitur. Fremere populus: nouercales fraudes accusare: proceres inter se conspirationes facere, iurati nisi Principe liberato haudquaquam quieturos.

Caroli Vianæ Principis obitus. CAPVT III.

CVm Mauris pax constituta, triennio fermè steterat: nunc hac occasione lacessita est. erant Ismaeli Granatensi Regi duo filii præ cæteris insignes maximè, Albohacenus Boabdelinusq;. otii impatientia & virtutis ostentādæ studio Albohacenus, exercitu scripto, in quo equites duo millia & quingenti erant, pedites ad quindecim millia, in Bæticæ fines incurrit. Astapæ ager omni iniuria deformatus: pecoris ingens abactus numerus. Nunciato periculo Rodericus Pontius Arcobrigæ Comitis filius, adiūcto Ludouico Pernia, qui Vrsaonis præsidio præfectus erat, & collectis ducentis sexaginta equitibus, peditibus sexcentis, ad hostem pergit grauem præda, atq; vt in nullo tali metu cura solutū. vires nostris exiguæ erant: furoriq; simile fore videbatur, cum tanta multitudine dimicare. Maurorum pars Equarum flumen cum præda transmiserat: in postremo agmine equitatus restiterat. Id Rodericus ex vicino tumulo conspicatus, quamuis suis exhorrentibus certamen, signa canere iubet. truci clamore impetus factus in hostes: quem illi trifariam diuisi constanter exceperunt. diu pugnatum. victi tandem Mauri sunt. mille & quadringenti ceciderunt. è nostris equites triginta, pedites centum quinquaginta desiderati. Ea nocte ad Petræ fontem perstitum. Proxima luce, dum legunt nostri spolia, pecora cateruatim redire vident. fraudem primo, & ex nube pulueris hostium aduentum suspicati, deinde quod res erat, intelligunt, fugatis prę metu custodibus, instinctu quodam naturæ solita pascua repetere. eo lætior victoria fuit, ditiorque præda. per vrbes & oppida pro diuino munere ad omnia templa supplicationes decretę. ad eum modum violato à Mauris fœdere, ab vtrisque in alteros sępe excursiones factę sunt, & latrocinia euentu haud memorabili. Ioannes Gusmanius primus Assidoniæ Dux Nieblæ Comes, Heracleam, quæ ad freti angustias est, bello repetere cogitat, patris calamitate infelicique casu magis irri-

tatus quàm territus. Maior belli moles in Aragonium Regem concitata erat domeſticè. Catalauni quia Vianæ Principi libertatem reddi miſſis legatis non impetrabant, à verbis ad arma veniunt. Barcinone magno numero progreſſi, Fragam in Aragoniæ finibus occupant. miſſus à Caſtellæ Rege Gonſaluus Saauedra cum mille quingentis equitibus conſternatæ multitudini animos addit. Ductor vniuerſi exercitus Catalauni Ioannes Cabrera Modicæ in Siculis Comes. Alia parte Ludouicus Beamontius ſe ad fines Vaſconum in armis oſtendit, in Aragoniam irrupturus, niſi æquiſſimo poſtulato eſſet ſatisfactum. Re neceſſaria Aragonius compulſus, filio libertatem reddit. Morella vbi detinebatur, dimiſ-
1461. ſum Kal. Martii anno Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo primo ad Villam frãcam Regina nouerca deductum Catalaunis de manu tradidit. vt Barcinonem ipſa iniret, non eſt datum. Principis libertate poſitis armis, animi non conquieuerũt. Carolus Catalauni principatus hæres gentis conſenſu inuito patre eſt renunciatus. extortum præterea vti, quod Regum filiis maioribus dari erat ſolitum, rerum moderator eſſet vniuerſo imperio pro patre vicarius: Catalauni principatus arbiter cum ſumma decernendi poteſtate. quod patri grauiſſimum erat, nomine modò Principis retẽto, nobiliſſimam imperii partem detrahi, imminui maieſtatẽ. Gens ferox & ingenii durioris, niſi his poſtulatis conceſſis quietura non erat. iis conditionibus retractandis multum tempus eſt extractum. Quo tempore de Caroli & Iſabellæ nuptiis maiori quam vnquam contentione actum: & quaſi re confecta à Carolo miſſi legati in Caſtellam, puellam regiam, matremq; ſalutatum iuere Areualum, Ioannes Cabrera & Martinus Cruillius viri præſtantes. Bellum in Vaſconibus erat. Carolus Artieda Lumbierem oppidum Caroli Principis libertate nunciata eius nomine occupauit. Alfonſus, qui Villæ Formoſæ Dux fuit, patris Aragonii Regis iuſſu eò profectus circumſedit: atq; omnibus operibus impugnare cœpit. parum præſidii in factione erat. miſſi à Caſtellæ Rege Rodericus Pontius & Gõſaluus Saauedra obſidionem diſſiparunt. maiore mole bellum parabatur. Cum Caſtellæ Reginam, quæ Arãdæ ad Durium erat, ferre vterum vulgatum eſt. Eo gratior fama quod præter opinionem accidit. Procliuis in deterius hominum perſuaſio, vulgò iactatum à Bertrando Cueua grauidam factam, obſcuris tum rumoribus. confirmata deinde opinio rerum potiente Ferdinando Aragonio, ex fide an ad gratiam memoria etiam recenti dubitatum. In locum Petri Caſtellæ, qui Valliſoleti è ſcalis domi graui caſu, extinctus eſt, Guterrius certè Cueua, Palentinus Epiſcopus eſt creatus. id Bertrandi fratris gratiæ datum: qua vnus maximè in aula ea tempeſtate valebat. Alfonſus Fonſeca Præſul è curia ablegatur per ſpeciem honoris: vt quoniam Rex de bello Vaſconum cogitabat, ipſe Valliſoleti rebus gerendis vicarius præficeretur. callidi conſilii auctor, æmulus Villenæ Marchio, quò ſolus in aula dominaretur, cæteris maior. Eo propenſius fides habita eſt, quod ad proceres conciliandos ſuam operam pollicebatur, Toletanum & maris Præfectum. nam Calatrauæ Magiſtrum fratrem ſuum antea ſubduxerat è coniuratorum numero. Ergo Alfonſo Fonſeca Valliſoletum amandato, Villenæ Marchione in Carpetanos profecto, Arandam Calatrauæ Magiſter venit, duo millia & quingentos equites ſub ſignis habens. cum iis copiis Caſtellæ Rex Almaſanum verſus iter intendit. magnus Aragoniis terror: ſed belli impetus in Vaſcones abiit. Lugrunium, quod oppidum in Riuogia eſt, Maio menſe eſt ventum. confluentibus vndique copiis aucto exercitu, in Vaſcones penetratum. oppida: S. Vincentii fanum, & Guardia dedita: Viana obſeſſa, ac multis diebus impugnata, dedente Petro Peralta Præfecto ac Magiſtro equitum venit in poteſtatem. Lerinum loci munitione defenſum eſt. ſic bellum in Vaſconibus gerebatur, non eodem ſemper euentu. nam Abarzuſa oppidum ab Alfonſo Aragonii filio vi expugnatum eſt, cæſo captoque Caſtellæ præſidio. Cum Carolum Vianæ Principem morbus lethalis Barcinone inuaſit: quẽ animi ægritudo ac perpetuæ curæ conciliarunt. ſic nonnulli crediderunt. Inter Beamontios conſtanti opinione vulgatum, lento veneno, quò fortuitus morbus putaretur, corrupta in cuſtodia vitalia fuiſſe. deceſſit nono Kal. Octob. qui dies Mercurii fuit Teclæ virginis memoria ſacer, veniam à patre ſub mortem precatus. Corpus ad Populeti ſepultum. vixit annos quadraginta menſes tres dies viginti ſex perpetuis ærumnis, quàm re alia nobilior. virtuti & eruditioni fortuna non reſpondit. Oſias Marcus Carolo familiaris in primis fuit, pangẽdis lingua Lemouicẽſi carminib. in paucis ea ætate celebris. ſermo incõptus acutus tamen, multiſq; ſententiarum & ingenii luminib. illuſtris. Ad familiæ clypeũ gemini moloſſi rictu diducto feroces, vnumq; os contentione arrodẽtes, à Carolo Principe affiĉti fuerãt. Inſigni argumento Galliæ & Caſtellæ Reges ſignificabat: quorum importunitate Vaſconum regnum ferme conſumptũ erat. Alia Principũ funera extiterunt: Caroli ſeptimi Galli Regis ſucceſſore Ludouico vndecimo. Henrici, Luſitani Regis patrui, cælibe vita, nulloque fœmineo

fœmineo contactu fœdata. Septem & septuaginta natus annos Sagrę suæ ditionis oppido ad Algarbium decessit Idib. Nouembris. Corpus Lacobriga, vbi extemporario sepulcro erat compositum, Aliubarrotam deinde delatum est. Supererat ex omnibus fratribus Alfonsus impari matre Brigantinus Dux. hic etiam vertente anno extinctus est, ex vxore Beatrice Nunnii Pereiræ filia, Ferdinando filio relicto: vnde Brigantinis Ducibus nunquam intercisa post eorum sobole, generis origo.

Motus Catalauni. CAPVT IV.

CAroli morte sublata dissidiorum causa, neq; dissidia sublata, tametsi Ferdinandus extincti frater, Calataiubæ, primùm vbi Aragonii conuentus erant, paterni imperii hæres est renunciatus, deinde Barcinone deducente matre. spes ex eo nõnulla futuræ tranquillitatis vana euasit, vrbana multitudine repente ad arma concitata, infensis Aragonio proceribus. Dolis nouercæ innocentem priuignum, sanctissimum iuuenem, circumuentum oppressumq;, clam & in circulis accusabant. Indignum facinus, impium scelus commissum. Ioannes Gualbes è Dominicano ordine seditiosis concionibus populum inflammare amplius: impium atque crudele imperium euerterent armis. quoniam tantum nefas esset commissum, si cessarent ipsi, cælitus ipsorum sanguine vindicandũ: se & gentem ea religione expiarent sumpta prius vindicta. Commota multitudine Regina se ex vrbe subduxit, quasi Emporitanorum tumultus pacatura, re, quoniam maiestatem publico offerre metuebat in tanto animorum motu. Gerundæ quorsum res euaderent, in Ausetanis expectare constituit. ab Aragonio prouisa tempestate externi Principes ad ineundum fœdus solicitati sunt: Galliæ Rex vt opem ferret petitum. Castellæ, ne certè noceret: & quando Carolus, pro quo arma sumpserat, defunctus erat, præsidia militum è Vasconibus deduceret. Ille se Madriti dimissis copiis tenebat, vxoris partu lætus. quã lecticariorum humeris eò deferendam curarat, ineunte anno Millesimo quadringẽtesimo sexagesimo secundo. proli Ioannæ nomen inditum: atq; in eius verba à cunctis regni ordinib. iuratum, 1462
si vita suppeditaret, hęredem regni futuram. vidit Castella quod vltimum in ignominia erat: regiæ stirpi insertam, quam furto genitam fuisse vulgo fuerat persuasum. habitus præterea honos patri, mercesque stupri data. Bertrandus, Ledesmiæ Comes renunciatus est. Regiæ procuratore in eius locum Andrea Cabrera amico eius & familiari. qui gradus illi ad amplas opes fuit, non absque multorum obtrectatione, priuati paulo ante hominis crescentem felicitatem malignis oculis intuentium. Aderant Armeniacus Comes à Gallo Rege de pace legatus, Toletanus Præsul reconciliata cum Rege gratia rerum arbiter. Iudicum conuentus singulis septem diebus, in eius ædibus iuridicundo haberi cœptus. Aragonii legati pacem flagitantes, fœdusque, vt fieret peruicerunt tandem. Ad decimum kal. Aprilis hæ Madriti conditiones scriptæ. Castellę & Aragoniæ pax esto. Arces Guardiam, Sancti Vincentii, Arcos, Ragam, Vianam, Castellę Rex retineto, datæ fidei obsides. cætera restituito. pręterea ad fines Vasconum & Aragonię Iuberam Cornagumque, in Contestanis Eliocrotam tradito, Toletano Præsuli, Calatrauæ Magistro, atq; Ioanni Galindo quasi sequestris, Aragoniiq; in potestatẽ tradituris, si à Castellæ Rege fœdus violatum sit. Oliti vbi Aragonius se tenebat in omnes partes prospiciens, cum Gallo fœdus factum est pridie Idus Aprilis ea lege: Vti Gallus septingentos cataphractos equites auxilio mitteret, ducenta aureorum millia in stipendium. Dum ab Aragonio redderentur, Ceretani Ruscinonẽsesque pignoris loco essent: in Galli potestate neque pro vectigalibus tamen annuis, quę pendere consueuissent, aliquid deduceretur de capite. Quo fœdus sanctius esset, Regum Galli, & Aragonii colloquium institutum ad Saluaterram in ditione Bearnensi. Fuxensi Comiti expetenti datum, vt Blanca Caroli soror, ad quam Vasconum regni iura deuoluta erant, eius in potestate esset. grauis iniuria cum regno libertatem eripi. Sed quid non peruertis funesta dominandi cupiditas? Olito deducta est vti conuenerat. multum superûm hominumque fidem obtestata, datis ad Henricum mandatis afflictæ misereretur. ad alias ærumnas eripi libertatem: mox vitam ereptum iri. nisi quid in eo præsidii sit perituram. fraternæ certe necis suarumque miseriarum condignas pœnas expeteret, pristini amoris memor, infelicis quidem sed coniugis tamen. In Ortesia Fuxensis arce asseruata, veneno haud multo post periit nullo vindice. Necis iniustæ atque crudelis fama diu compressa. ærũnæ vitæ infelici exitu terminatę. quos premere fata seu vis altior cœpit, hos vrget. Corpus in vrbe Lescare tumulatũ. Aragonius T[illegible] delæ erat. Henricus Rex per Segobiã Arandamque Alfarũ accessit. Internuncio Villenæ Marchione fœderis cõditiones, quæ Madriti scriptæ erãt, cõfirmatę sunt. Quo tempore

Regina Aragoniç intra Gerundam obsessa à Catalaunis est tertio kal. Iunii de filio magis, quam de sua salute solicita. ductor multitudinis Hugo Rugerius Pallasius Comes. propugnator acerrimus Ludouicus Dezpuchius Magister Montesiç. Capta vi vrbs. in arcem veterem cui Gerundelæ nomen, vbi se Regina inclusit, impetus factus. superuentu equitatus Gallici vitatum periculum; vrbs etiam seditiosis ablata. Aragonius ad periculum aduolauit, de vxore filioque solicitus. multis locis prælia facta. incondita multitudo par militi veterano non erat. multis vrbibus & oppidis captis Barcinonem regia castra sunt promota. Castellæ Regina nouo sed immaturo partu de vita Arandæ, vbi relicta fuerat, periclitata. Solis radio per vitream fenestram scilicet capilli arserant. repentino terrore fœtus vtero excussus. tristis ex ea re nuncius lætitia mutatus breui est. Bertrando Ledesmiæ Comiti minor Marchionis Santillanii filia vxor data. nuptiç maximo apparatu Regis & Reginæ pręsentia Caracæ celebratæ sunt. Regina inde Segobiam amãdata, Rex Atiensam abiit venatione, cui studio regio idonea est, animum remissurus. Ad eum Augusto mẽse Caponius Barcinone legatus, si auxilia mitteret, tuereturque tumultuantes, gentis principatum est pollicitus. Magna res moueri videbatur. consilio habito duo millia & quingenti equites in auxilium missi, notis tramitibus in fines Catalaunos peruenerunt. cum spe defensionis animus multitudinis creuit. quę promiserant pręstitere. Henricus Barcinonensis Princeps proclamatur: eius nomine pecunia signatur. Commota semel audacia gentem in præceps dabat. noua lætitia Henrico Regi allata: à Ioanne Gusmanio Assidoniç Duce Heraclea capta de Mauris: à Calatrauæ Magistro Archidona. ad alia regnorum nomina publicis tabulis Heraclea adiici placuit, Abomelici Mauri exemplo: quem ex Merinorum familia se Heracleæ, hoc est, Gibraltaris Regem dixisse superioribus annis, monstratum est.

Regum Castellæ & Galliæ colloquium. CAPVT V.

ALiç è Castella militum manus in Valentinos & Aragonios fines immissæ. ingens trepidatio terrorque. Aragonius ad periculum accurrit. Exhaustis atque exanguibus extorqueri imperium, & libertas potuit si quantę vires Castellæ erant, tantum ardoris
1463 Henrico fuisset. eius conciliandi pręcipua Aragonio cura. Principio anni sexagesimi tertii à Gallo Rege maris Gallici Præfectus Almasanum, vbi Henricus erat, legatus splendide acceptus atque habitus est. lauta conuiuia fuere, varii ludi. choreas ad lyræ modos pedibus, nunc plures, nunc cum singulis virginibus aulici singuli plausere. cum Regina Regẽ spectante iubenteque Gallus legatus, fine tripudio imposito obtestatus iureiurando est, habiti honoris memorem se cum alia fœmina nunquam choream ducturum. Si fallo, vindicate superi. Vt Reges Castellæ Galliæque inter se conuenirent decernitur, de cunctis controuersiis disceptaturi coram. vti conuenerat, sic est factũ. ad Fonterrabiæ fines mense Aprili extremo colloquium fuit. cum Gallo Gastones pater, & filius Fuxenses Comites, Dux Borbonius, Turonensis Archiepiscopus, maris Præfectus erat. cum Hispano Episcopi Toletanus, Calagurritanusque, Villenæ Marchio, Alcantarę Magister, Prior Hospitalarius splendido cultu, ac plane singuli regio. ante omnes Ledesmię Comes, aurum distinguentibus gemmis peculiari nitore fulgebat. viles Gallorum vestes erant, Regis maxime: vnde scommata dicteriaque. Vedasum flumen multis cymbis à nostris traiectum: quod Gallicæ maiestati datum puto. nostrates historici factum affirmant, quoniam id flumen ad Hispanorum ditionem totum pertinet. Eo congressu sententia à Rege Gallo, cui rerum arbitrium permissum erat, quam Baionæ pronunciarat, recitata denuo est. Eius hæc summa capita fuerunt. Vt Castellæ copiæ è Cataulaunis, præsidia è Vasconibus deducerentur. Stella cum oppidis ei vrbi contributis Henrico cederet in parte Vasconum. Aragoniæ Regina filiaque Ragę, datę fidei obsides essent in Toletani potestate. Eo decreto vtraque gens offensa, Vascones maxime: quorum insigni detrimento fœdus factum querebantur. nullo maiori fructu ex eo conuentu est discessum. Verum de re tota, ac vero de toto hoc colloquiorum inter Principes genere Philippum Comineum nobilem in paucis huius ætatis Gallicæ historię scriptorem, veteribus comparandum præstat audire, ex Gallico meis verbis loquentem Latine. Stulte inquit, pari potentia Principes faciunt, cum in colloquium conueniunt ipsi: decursis præsertim adolescentiæ annis, iocisque & lusibus, quibus ea ætas est dedita, ęmulatione succedente. Neque sine periculo inuicem contingat: neque si id absit operępretium aliud sit, quam inuidia, odiumque maius. vt cõmodius sit cõtrouersias inter Reges, & si quid aliud negotii est, per legatos viros prudẽtes componi. Multa me vsus docuit. ex iis quędam exẽpla proferre commodum

dum arbitror. Nullæ prouinciæ in piorum natione maiori fœdere deuinctæ sunt, quam Galliæ Castella, amicitia Regũ cum Regibus, gentis cum gente omnibus execrationibus sancita. ea amicitia freti Rex (Ludouicus Galliæ eo nomine xi) paulo postquam regium insigne desumpsit, & Castellæ Rex ad fines vtriusq; prouinciæ conuenerunt. Henricus Fonterrabiam accessit, septus splendido comitatu. magnus D. Iacobi Magister, Toletanus Archie. sequebantur, ante alios Ledesmiæ Comes Hẽrico intimus. Rex Gallus ad D. Ioannis fanum restitit, multis de more proceribus stipatus. pleriq; ex vtraque gente Baionæ erant, primo aduentu rixati grauiter. Affuit Regina Aragoniæ, cui cum Henrico lis erat de Stella aliisque Vasconum oppidis Regis arbitrio permissa. Ad fluuii quo ab Hispanis Gallia dirimitur, citeriorem ripam semel aut secundo sunt collocuti breuissime: quantum D. Iacobi Magistro & Toletano est visum: penes quos rerum arbitrium erat. Eo à Rege magnis culti officiis sunt, ad D. Ioannis oppidum accedentes. Ledesmiæ Comes auro intexto velo fluuium transmisit. cultus par ocreæ elegantes gemmisque distinctę erant. Henricus fœda facie, vestium forma ineleganti ingrataque Gallis Rex noster vili cultu conspicuus, breui veste, galero vulgari plumbea imagine assuta. Inde dicteria sannæque: cum Hispani sordes & auaritiam interpretaretur. sic nullo operæpretio conuentus solutus est: nisi quod inter vtrosque proceres eę conspirationes sunt factę, quibus Henricum ad mortem vexatum, desertum à suis & ad miseram conditionem redactum ipse vidi. Aragoniæ Regina, pro Henrico à Rege nostro pronunciatum dolebat: tametsi bello Barcinonensi laborantibus tulit opẽ. excepit ex eo nouũ inter Aragonios & Gallos bellum, ad hanc diem sedecim iam annis continuatum. Ad alia est progrediendum.

Petrus Lusitanus à Catalaunis euocatur. CAPVT VI.

AFfuerunt colloquio Principum Cardona & Coponius Barcinonenses lagati: suamque gentem contra fœderis fidem iniuria deseri conquesti sunt nullo fructu. eorum vocibus aures Principum maioris compendii spe erant obturatæ. Tolosæ in Guipuscoa Gaon Iudæus populi concursu interfectus est pridie Nonas Maii: quod Regis pręsentia fretus, ad Fonterrabiam se tenentis, vectigal exigeret, cui postulato nomen est: de quo magnę olim contentiones genti extiterant: nunc immunitatem imminui ægre ferebant. Impune id facinus fuit. quin Segobiæ, quo paulo post se Henricus contulit, inter duos monachos contentio grauis exarsit. affirmabat alter pro concione, multos è piorum numero ad Iudaicam superstitionem traduci: liber cum Iudæis atque Mauris conuictus carpebatur. & sane multi ex vtraque gente à nostris alieni in aula, & per prouinciam libere vagabantur. negabat factum monachus alter, ad gratiam Principum magis quam ex vero: sic arbitror. Nunquam in Hispania maior labes morum & temporum fuit. Hispalis ciuili tumultu æstuabat. Alfonsus Fonseca maior Ecclesiam propinqui fidei datam repetebat: sic iura sancire: sic moribus susceptum: sic Romanum Pontificem iubere. Populo & nobilitate in partes distractis tumultus erat: ac periculum, ne pars cum parte dimicaret. Accurrit magnis itineribus Henricus. Ecclesia Alfonso seniori reddita, de sex pręcipuis seditionis auctorib. capitis suppliciũ sumptũ. A Lusitano valida classe repetita Africa. secuti sunt, Ferdinandus frater, Petrus patruelis equitum Magister. Catalauni Castellæ pręsidio nudati, Gallis atque Italis ab Aragonio occupatis, quod vnum supererat, longinqua auxilia euocare constituũt. Petrus Lusitanus equitum Magister Septa ad capessendum gentis principatum inuitatur, sibi debitum quoniam Vrgelitani Comitis maiori filia natus erat. desperata causa iura obsoleta tentantur. paret ille: conscensisque nauibus ad Barcinonense litus appulsus ad duodecimum kal. Februarii anno Milesimo quadringente- 1464
simo sexagesimo quarto, continuo Barcinonensis Princeps, Rex Aragonius proclamatus est. Inanis sine viribus audacia. honos exitio fuit. Petri quidem discessu, in Africa Lusitanæ vires imminutæ. Tingis tentata. repulsi cum cæde nostri à Mauris. Irruptiones in vicinos agros factę: nulla ad memoriam insignis: nisi quod ad Benasam monte Rex ipse Lusitanus cum copiis omnibus magnum periculum adiit. Eduardus Menesius de salute Regis solicitus, dum nullum virtutis finem facit, in conflictu periit. cecidere alii. Postremi agminis defensi laudem Villęregiæ Comes tulit regio etiam testimonio: ad se enim venięti, Hodie, inquit, penes te vnum fides perstitit. Henricus Hispali Heracleam concesserat. eo Septa soluens Lusitanus venit eius inuitatu. dies octo in ea vrbe consumpti. Ab Henrico Rege Astigi in Granatenses fines penetratum est: neque discessum, nisi vectigali accepto, quod Mauri pacti antea erant, aliisque magnificis muneribus allatis. Sic per Giennium vbi Irantius Magister equitum limiti præfectus erat, Madritũ festinatum.

Luſitanus Gadalupeo in tẽplo vota ſoluturus eo venit. Ad Archiepiſcopi pontẽ,in Carpetanorũ finibus,eius & Henrici Regis colloquio affuit Regina Caſtellæ virũ comitata, inuiſura fratrem. Eo congreſſu gemina coniugia pacta cum Luſitano eiuſque filio atque hærede,Iſabellæ ſororis Ioannæque filiæ Henrici Regis.dilatas in aliud tempus nuptias, mora tandem diſturbauit. Aragonium imperiũ Luſitano præſtantius Caſtellæ imponere numina deſtinabant, non ſine magno tamen ac diuturno Hiſpaniæ motu. quę mala ingens ventorum procella Hiſpali portendiſſe viſa eſt, quantam non meminerant. par boum cum aratro per aera ſuſpenſum. E D. Auguſtini turri decuſſa campana,proculque proiecta: annoſæ arbores euulſæ: ędificia multis locis labefactata: armatorũ acies in cœlo viſæ inter ſe concurrere:ſiue vera ſpecies fuit,ſiue pręſtigiæ. nam à pueris tantum viſas memorant.tres aquilę roſtris & vnguibus diu in aere cruenta pugna dimicantes,exanimatæ exangueſq; ad terram decidere. His oſtentis mortalium mentes in vota preceſque conuerſæ ſunt, ſi forte numinum iram placarent.

Procerum Caſtellæ conſpiratio. CAPVT VII.

TOletanum Paciechumque inuiſos Henricus habere cęperat, cõtrouerſiis Aragoniis haud ſatis fidos expertus.Itaque neque in Bæticam euntem ſecuti erant, neque ad Archiepiſcopi pontem Regum colloquiis interfuerunt.quin vim veriti,aut ſimulato metu Madrito Complutum conceſſere.adiuncti mox maris Præfectus, Manrici reguli, Calatrauę Magiſter acceſſere paulo poſt Albæ, Placentiæque Comites Paciecho ad eos alliciendos occulte profecto. Aragonius magnis promiſſis ad idem fœdus eſt pertractus. Hęc ſæuę tempeſtatis prima fundamenta fuerunt:qua diu vniuerſa Hiſpania iactata eſt. Honeſta aliqua coniurandi cauſa quærenda erat:optima viſa eſt, Ioannę Principis abdicatio. quaſi ex adulterio natę, Alfonſum & Iſabellam regios fratres, qui Maquedæ cum matre erant,in poteſtatem vindicandi,idoneos arbitrari, per quos ima ſummis confunderent,turbarent omnia. Expetente Rege, datiſque obſidibus Paciechus Madritum rediit,ſimulata beneuolentia, dolis & fraude armatus, proceres alios à Rege alienare ſatagens. Alfonſi Fonſecæ capiendi conſilium dat, niſi eo amoto, ſe in aula tuto verſari non poſſe cauſatus.Rege perſuaſo,geminata perfidia præuaricator Alfonſum imminentis periculi admonet.dictis ille fide habita, fuga ſubductus ad coniuratos re neceſſaria tranſiit. Ferocior Paciechus,Segobiæ,quo in æſtiua itum eſt, die in regiam cũ armatis impetum facit,ad Regem & fratres capiendos,refractis etiam conclauis foribus. quoniam id non ſucceſſit Rege & Bertrando in penitiorem,atque munitiorem ædium partem in repentino metu ſubtractis,tenebris tantum facinus noua fraude tentat. Aderat nox: coniurati mutua fide læti expediebant arma:cum indicio facto vitatę inſidiæ ſunt. auctor ſceleris in aula erat. ferro vinciendum plerique ſuadebant. Regem tanta ſocordia inuaſerat, vt inanem clementiæ ſpeciem ſaluti præferret, cum negaret fide publica tutum, violari æquũ fore.ſic periculum in præſentia vitatum:in peius tamen ruere omnia cęperunt. Bertrandus tantum Diui Iacobi Magiſter inſtitutus eſt, concedente Romano Pontifice:fremente populo eum honorem Alfonſo Principi Regis fratri iniuria detrahi. Sed audacia tamen Paciechi nullo alio ſupplicio præterquam æmulo aucto vindicanda videbatur. Nouo conatu tentatum, ſi inſidiæ procederent, Rege Villacaſtinum per ſpeciem colloquii attracto. Id etiam periculum indicio facto vitatum. Burgis,quo ſe coniurati detecta fraude contulerant,ciuium parte in fœdus attracta, contumelioſæ literæ ad Regem ſunt datæ.earum hæc capita erant. Mauros apud eum verſari,flagitiorum omnium impunitate conceſſa. Magiſtratus venales eſſe. D. Iacobi Magiſterium Bertrando iniuria datum. Ioannã adulterio natam, regni hęredem contra fas & auſpicia eſſe renunciatam. hæc ſi mutata eſſent,libenter poſituros arma. Lectæ eę literæ Valliſoleti: neq; Regis tamen magnopere commotus animus. Excæcat diuina vindicta mẽtem,cum vim ſuam retũdi non vult.præpoſteris voluptatibus vires eneruatæ erant corporis atque iudicii. Aderat Barrientus Conchen. Epiſcopus: palamque armis vindicandam iniuriã propemodum cum conuitio hortatus, nil tamen profecit: obteſtatus quamuis, quoniam ſalutaria monentibus parere recuſaret, eum prę omnibus Hiſpaniæ Regibus ludibrio futurum, ſera atque inutili pœnitentia præſentis ignauiæ.Concordiæ ſpes tentata denuo,quando diſplicebãt arma. Cabeſonium inter & Cigales,quę oppida in Vaccæis ſita ſunt,cum Henrico Paciechus qua fronte?qua ſimulatione?ſed diu in patenti cãpo remotis arbitris collocutus, his conditionibus pepegit. Vti Alfonſus frater regni hæres eſſet iure ſuo, Ioanna vxore. Bertrandus ſe Diui Iacobi Magiſterio abdicaret. Quatuor rerum arbitri eſſent, bini ab vtra-

que

que parte delecti. Alfonſus Oropeſa ordini Hieronymiano Præfectus, quintus accederet. Quod maior pars in iis controuerſiis ſanxiſſet, id ius faſque eſſet. Fœdere facto Alfonſus Segobia in caſtra regia deductus eſt, annos vndecim natus. In eius verba à cunctis qui aderant, iuratum, Bertrando Alburquerquium Ducis nomine datum, Cuellar, Roa, Molina, Atienſa. quibus oppidis annui reditus in Bætica additi ablati honoris haud iniqua compenſatio. Dati arbitri à coniuratis Paciechus & Placentiæ Comes: abs Rege Petrus Velaſcus, & Gonſaluus Saauedra Paciecho infenſi Toletanus, & maris Præfectus Paciechi odio Regi conciliati ſunt. breuis ea gratia fuit: aut vt vulgo creditum eſt ſimulata ad tempus. Alcantaræ Magiſter & Metellini Comes cum copiis abs Rege euocati ſunt, ad quatuor iudicum potentiam comprimendam armis: à quibus perturbate omnia gerebantur. & verebatur Rex, ſi ſententia eſſet pronunciata, ne inane illi imperii nomen relinquerent: cętera auferrent. Vnus ex eo numero Gonſaluus Saauedra, & pari perfidia Aluarus Gometius qui Henrico à ſecretis erat, eoque quamuis obſcuro genere in Carpetanis Maquedam, Turregionium & Syluestri fanum adeptus erat, à Rege euocati ſunt. Venientibus magno metu à quibuſdam propoſito, ſi Regi ſe crederent, perſuaſum eſt tū his duobus, tum Alcantaræ Magiſtro, & Metellini Comiti, vti ſe ad coniuratos cum copiis conferrent. Ea re cognita, Turregionium Petro Ariæ ciui Segobienſi, cuius pater ærarii rationibus pręfectus fuerat, expugnandum conceditur. Petrus Velaſcus coniuratis ſe adiungit, ægre quamuis, patre Hari Comite filii leuitatem ferente: prorſus vt neque milite neque pecunia iuuaret: ſoluſque aut cum paucis inter alios proceres viſeretur. Quo tempore Pius Romanus Pontifex Anconæ Piceni vrbe deceſſit nonodecimo kal. Septembris. Conuocatis toto orbe Principibus ad pia arma, tentata quamuis valetudine eo delatus fuerat ſubeuntibus inuicem ſatellitibus lecticam, tranſmiſſo mari Supero, bello Turcico Dux futurus. ingens animi confidentia. breuis pontificatus fuit omnino annorum ſex, ingens gloria. eius tamen obitu totus apparatus euanuit. In eius locum feſtinatis comitiis Petrus Barbus Cardinalis natione Venetus cooptatus eſt, tertio Kal. Sept. Pauli ſecūdi nomine vigēte adhuc ætate, ſeptimū & quadrageſimū agēs annum, propenſo in Hiſpanam gentem animo, rebus in Caſtella aſperis Henricū ope, & auctoritate iuuit.

Aragonia bella. CAPVT VIII.

PEtri Luſitani aduentu, Catalaunis maiores viribus animi acceſſere ſpei aliquantulum, metus amplior, quippe victis aduerſus eos qui ſæpe vicerant pugnaturis: obſtinatio maxima. Ilerda longa obſidione fatigata, vſto direptoque circum agro deditionem Aragonio facere compulſa eſt. multis vno tempore partibus belli flamma oppida, agrique vexantur. fœda rerum facies atque miſerabilis. Ioannes Cæſarauguſtanus Epiſcopus alter Aragonii filius ex impari matre præcipuus belli dux, armis quam infulis aptior. Burgundionum manus auxilio Petro miſſa eſt à Philippo Burgundiæ Duce, exiguum rebus præſidium: ſed eorum aduentu tamen, copiæ Catalaunorum Minoreſam conuenere, quod oppidum Manreſa hodie eſt, duo millia peditum equites amplius ſexcēti. Cerueram oppidum pro Aragonio Pradis Comes obſidione vrgebat. Obſeſſis fame & rerum inopia oppreſſis, ac dē deditione cogitantibus Petrus opē ferre conſtituit. ad Vaſconū fines Aragonii caſtra erant, motibus eius gentis pacandis intenti. Cum copiarum parte Ferdinandus filius feſtinare, ſeque cum Pradis Comite coniungere iuſſus eſt. tenera quamuis ætate ac omnino tredecim annos natus in eo bello tyrocinia poſuit. ſic in caſtris educato ad literas addiſcendas otium non fuit. Ad Regis prata (loco nomen id eſt) Luſitana caſtra promota, prælio dimicandi deſtinato animo. ſic exploratores nunciabant. locus vicinus erat. Ferdinandus rebus omnibus inſtructis, comparatiſque, ad hoſtem pergit: tumulumque occupat, vnde in hoſtium caſtra deſpectus erat. idem Luſitanus facit: vicino colle caſtra munit, pugnam vt videbatur detrectaturus. acies ad prēlium inſtructæ tamen. In primo agmine Petrus Deza curabat: ſequebantur Burgundi modico interuallo proximi. In ſecundo agmine Bertrandus & Ioannes Armendarii Vaſconibus & Caſtellæ militibus duces dati. Poſtremum agmen ipſe Petrus Luſitanus ductabat. Ferdinandi copiæ minori quamuis numero ſeptingenti equites, mille non amplius pedites, hoc modo ordinatæ. Prima acies Pradis Comiti commendata, Hugone Rocabertio Ampoſtæ Præfecto, & Matthæo Moncada dextra læuaque munientibus. Henricus Henrici Aragonii filius in ſubſidiis collocatus. In poſtremo agmine cum multis proceribus Ferdinandus ſubſtitit. Peditibus Bernardus Vaſco præfectus, ac montes vicinos radere iuſſus eſt: ne ab aperto latere impeterentur. Priuſquam pugnæ ſignum proponeretur, nobiles aliquot à Ferdinando balteo militari donati ſunt. Truci mox clamore edito pugna

à precurſoribus inchoatur. primum ac ſecundum Luſitani agmen loco mota diſiectaque Aragoniorum virtute. perculſis parum præſidii fuit in poſtrema acie, vbi Petrus Luſitanus erat, roburq; copiarum. Effuſa fuga facta, peditum per vicinos montes, equitum per plana. Petrus Luſitanus poſito paludamento, atque victoribus immixtus, proxima luce euaſit incognitus. Burgundi, in quos primus impetus factus eſt, ad vnum ferme cæſi: nam in primo agmine dimicabant: & referre pedem in pugna gentis inſtituto in rebus turpiſſimis habent. Ex aliis plerique capti, in iis Pallaſii Comes, belli præcipua fax. pugnatum
1465 eſt pridie kalend. Martii anno Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo quinto. eò victoria lætior quod paucis ex Aragoniorum numero vulneratis, nemo cecidit. Petrus Minoreſam ſeſe retulit. à Bertrando Armendario Ceruera oppidum, parte victi exercitus in illud inuecta munitum, nihilo minori animo, quam ſi victor extitiſſet. In Emporitanos vis belli conuerſa, meliore quoque Aragoniarum partium fortuna quam Luſitani. victorib. cætera fore procliuia videbantur: eò amplius, quòd Beamontiis ad officium reuocatis, Vaſconum tumultus tādem cepiſſe finem videbantur. Ludouico Magiſtro equitum defuncto, Ludouicus & Carolus eius filii venia donati, bonis & honoribus priſtinis reſtitutis. idem Ioanni Beamontio conceſſum Priori in Vaſconib. Hoſpitalario, Ludouici Magiſtri equitum fratri. Regni hæreditas Gaſtoni Fuxenſi confirmata, atque Eleonoræ vxori, iam Vianæ Principibus. Iſmael Rex Granatenſis cum opimæ pacis bonis florere cœpiſſet, diem obiit ſeptimo Idus Aprilis, qui dies Dominicus fuit, Arabum anni Octingente. ſexageſimi noni, menſis Xauam dies decimus. Succeſſit in imperio Albohacenus filius magno vir animo atq; militari virtute præſtans. huic duæ vxores fuere, altera ſtirpe Maurica, vnde Boabdiles filius eſt natus, cui Regi Paruo, deinde nomen fuit: altera Chriſtianis ſacris eiuratis Zoroyra nomine, filios peperit Cadum Nacremq;. hi Ferdinando Rege Catholico, quo tempore Granata capta eſt, noſtri ſunt effecti. maiori Ferdinando nomen inditum: minori Ioannis. mater filiorum exemplo ad noſtram religionem reuocata Iſabellæ nomen ſuſcepit. Albohaceno Rege pax aliquandiu cū ea gente fuit, Irantio Magiſtro equitum Giennenſi limiti præfecto, Aſtigi Martino Corduba. Ferdinandus Neapolitanus Rex, victis ac profligatis hoſtibus tum domeſticis tum externis imperium in Italia confirmabat. victus ad Sarnum in Campania inſigni prælio cum hoſtibus facto ante annos quatuor, reparatis viribus adiutuſq; nouis à Pontifice Romano, & Mediolanenſi Duce copiis, atque Scanderberchio, vti antea dictum eſt, vertente anno, ex quo victus erat, hoſtem exultantem compreſſerat, ad Troiam Apuliæ vrbem acie victum. neque prius conſtitit, quàm Lotaringio Duce in Aenariam inſulam pulſo, procerum motib. compreſſis, prouincia pacata: ſic vt Lotaringius rebus deſperatis, inglorius in Galliam abire fuerit compulſus, par virtute maioribus, inſigniq; probitatis fama, fortuna haud diſſimili. Ad hunc modum Ferdinandus procerum Neapolitanorum bello finem impoſuit, ancipiti atque diuturno: triumphumque nobilem de victis hoſtibus Neapolim inuexit octauodecimo kalend. Octobris. Ingredientem populus & proceres nullo non honoris genere cumularunt. gaudii lætitiæque ſigna promiſcuè præbita ſunt. Iſabella Regina victoriam ſuperis acceptam referens, templa adire paruos liberos præ ſe agens, ad omnia altaria procumbere, vota ſoluere, ſupplicia facere inſigni pietate fœmina, dignaq; cui longior vita, & victoriæ fructus diuturnior contigiſſet, fataq; extenderent vitæ tempus. ferme in ipſa pacati regni lætitia extincta eſt. Ferdinandus pace parta, rebuſq; ex ſententia compoſitis, ſupra triginta annos regnauit. multa bella pro ſociis, atq; amicis ſuſcepta, geſtaq; fortiſſimè eius ductu. Turcæ quoq; qui Hidruntem, bonamq; Salentinorum partem ex improuiſo adorti occupauerāt, Alfonſi filii virtute atque opera victi, Italiaq; expulſi ſunt. Si quibus artibus initio regnum ſibi comparauit, eaſdem in pace otioq; retinuiſſet, vt maximè felix eſt habitus, ſic inter bonos Principes numerari potuit.

Alfonſus Caſtellæ Rex renunciatur. CAPVT IX.

CAſtellæ motus haudquaquam conquieuerunt, Alfonſo Regis fratre in procerum poteſtatem contradito. quod ad concordiam videbatur excogitatum eſſe præclarè, maioris mali occaſio extitit: malis conſiliis pares adepti exitus. Rex Cabeſonio, vbi colloquium fuerat, in Carpetanos diſceſſit: coniurati proceres Placentiam: Calatrauæ Magiſter in Bæticam abſceſſit: vbi Vrſaonem ditione obtinebat (Vreniam in Vaccæis) eā gentem ad arma concitaturus, vario vir & inconſtanti ingenio, amicitia parum firma, ſancti honeſtique non tanta cura, quantum ſtudium aſſequendi eius, quod deſtinaſſet animo. Valenſolæ Priori Hoſpitalario is honos detrahitur. Giennēſis Epiſcopus bonis ſpoliatur.

fides

fides malo fuit, grauiſſimum apud deſciſcentes crimen. vniuerſa prouincia ad ſociandas vires populi ſolicitati: reguli maximè, vt cuiuſque res erant, multa iis pollicendo, magno numero ad commune fœdus inuitati, pertractiq; ſunt, Hiſpalenſes, Cordubenſes publicè: Aſſidoniæ Dux, Arcobrigæ Comes, atque Alfonſus Aquilarius priuatim. Prouiſa Henricus tempeſtate, Madriti de ſumma rerum deliberaturus, concilium aduocat. Ecquid facto opus ſit rogat? num ſumenda arma? an quando priora conſilia non proceſſerat, noua concordiæ via tentanda? Toletanus cæteris tacentibus Alfonſum repetendum eſſe ait. Securæ pacis, certumq; pacti nuper coniugii pignus, apud quem melius quàm apud fratrem, & mox ſocerum futurum? niſi morem geſſerint armis contumaciam vindicandam. In eam rem Salmanticam feſtinandum, bello computando ex propinquo opportunam ciuitatem. Syncero hæc animo dici videbantur: itaque aliorum conſenſu etiam expreſſo, ac nemine eorum, qui meliora iudicabant contra mutire auſo, cùm non ratio, non æquitas dominaretur, ſed vis & potentia, legatione ad proceres miſſa, militares copiæ Salmanticam conuenire iuſſæ ſunt: quo Rex iuit. Inde Areualo, quod à proceribus occupatum erat à Rege obſeſſo, Toletanus perſona detracta Abulam (quam vrbem paulo ante & Medinæ Campeſtris arcem ab Henrico expreſſerat ipſius præſidio teneri) proceres euocat. eodem ipſe contendit. à Præfecto maris, ex compoſito Valliſoletum occupatur, belli ſedes futura. Ad nouæ calamitatis & maioris periculi nuncium, Rex torpore tantiſper diſcuſſo, remotis arbitris atque in genua procumbens, protenſis ad cælum manibus, his verbis Deum compellaſſe fertur. Tuam Chriſte Rex, opem, per quem Reges regnant, & iura imperandi ſtant, ſupplex imploro: tibi fortunas, vitamq; committo, illud precatus modo, vt vindicta, quam minorem ſceleribus eſſe fateor, mihi priuatim ſalutaris ſit, data tuo munere conſtantia animi: minimoq; reipublicæ incommodo luatur. Hæc dixit: ſimul citato itinere ſe Salmanticam retulit. A coniuratis procerib. ingens facinus deſignatum. horret animus tantam noſtræ gentis ignominiam recordari. ſed dicendum eſt tamen: vt diſcant Reges hoc exemplo ſibi primum, deinde ſubditis imperare: commotæ multitudinis quantæ ſint vires: fulgorem regii nominis opinione potius, quam virib. ſtare. neque Regem, ſi propius inſpicias, eſſe aliud, quam hominem deliciis emollitum, purpuræ ſplendore magna vlcera tegentem, moleſtiaſq; graues. ſi miniſteria detrahas, eo infirmiorem quod molli otio deditus imperare didicit non facere. Pro Abulæ mœnibus in patenti campo ſuggeſtum ex materia ædificatum eſt, impoſita Henrici ſtatua, cum trabea, reliquoque regio ornatu. conuenere proceres, infinitaque populi multitudo. Voce præconis, grauiſſima Henrici crimina publicata. ad ſingula ſententiæ capita, ſtatua ſigillatim omnibus regiis inſignibus nudata, ac tandem cum verborum contumelia in præceps eſt data. Nonis Iunii Mercurii die id accidit. Alfonſus, qui toti actioni aderat, ſuggeſto impoſitus, atque humeris procerum elatus, Rex proclamatur Caſtellæ, regiis vexillis de more explicatis, atque Alfonſi & Caſtellæ nominibus promiſcuo multitudinis clamore ingeminatis. Tanto facinore euulgato, non vna opinio fuit: aliis laudantibus, plerique factum accuſabant. non ſine exitio imperia mutari: neque geminos Soles in orbe eſſe: neque vnam prouinciam duos ſummos rectores tolerare. Burgi Toletumq; procerum auctoritatem continuò ſecutæ ſunt. non pauci proceres Henrici cauſæ ardentius fauere cœperunt. poſt ignominiam miſericordia ſucceſſerat, & emendaturum putabant: quæ in moribus, quæ in repub. deprauata erant. Garſias Toletus Albanus Comes, iam antea conciliata gratia, præſto affuit, cum equitibus quingentis, peditibus mille. Regina Iſabellaque ad Luſitanum ablegantur: ſi gratia, & auctoritate auxilium mitti impetrarent. Guardiæ ad Luſitaniæ fines colloquium fuit. præter verba nullum operæpretium. Coniuratorum copiæ Valliſoletum conuenere, regiæ Taurum. illæ obſtinato animo: hæ numeroſæ magis quam validæ. A coniuratis Penafloris mœnibus proſtratis, Septimancæ obſeſſa, haud minori periculo obſidentium, quam obſeſſorum, propter Galindi virtutem: qui Tauro miſſus cum tribus equitum millibus, in oppidum eſt inuectus, tanta confidentia animorum, hoſtiumque contemptu, vt à calonibus per ludibrium ſententia in Toletanum pronunciata, eius ſtatua per plateas tracta, atque combuſta fuerit. exiguum illatæ ad Abulam contumeliæ leuamen: impar vindicta facientium iniuriam accipientiſque conditione non eadem. obſidio ſoluta. Nouis confluentibus copiis numeroſus exercitus Tauri conflatur, octoginta peditum millia, equitum quatuordecim. cum iis copiis verſus Septimancas itur. Ex itinere Ioannes Carillius ex hoſtium numero dux, in tumultuario conflictu vulneratus captuſque ad Tordeſillam, aduocato Henrico inſidias eius capiti parari cum animam ageret, renunciauit: coniuratorum etiam nomina remotis arbitris edi-

dit: quæ Henricus perpetuo silentio texit, fortassis in gratiam, aut ex odio indicium con-
fictum quamuis à moriente ratus. regia castra Vallisoletum promota. oppidum copia de-
fensorum munitum expugnari non potuit: & regios torpor quidam occupauerat, incre-
dibilis pudendusque exemplo rectoris. In agro vtriusque partis consensu, Henrici Regis,
& Villenæ Marchionis colloquium fuit. multa promissa, nihil præstitum. Regi tamen
persuasum, vt quoniam tantis sumptibus pares facultates non essent, copiæ dimitteretur.
breui Alfonsum regio nomine abdicato, cum aliis proceribus, in eius potestate fideque
futurum. Sic milites ab vtraque parte dimissi. Proceribus quamuis nullo operæ pretio
facto, ingentia præmia data Medinæ Campestris sunt. Episcopo Calagurritano Petro
Mendozę decumarum tertia pars: quę Regibus Caracæ atque in eius oppidi agro obue-
nire solita erat. Santillanio fratri in Asturibus Sancti Emeterii oppidum (Santanderium
vulgo dicitur) Medinæ Celinę Comiti Agreda, Albano Carpium, Osorio Trastamarę
Comiti Asturica in Calæcis Marchionis nomine. aliis proceribus alia dono data sunt.
Coniuratis Areualum profectis, Vallisoletum ad regiam ditionem rediit. Alfonsus capti-
ui instar tenebatur. Redire ad fratrem cogitāti minæ intentatæ: periturum veneno, nisi
regnaret. miseram conditionem imperii, à subditis occupati inuersique in contrarium.
De concordia tamen nouo conatu actum est. si Isabella Princeps Calatrauæ Magistro
nuberet firmiores in fide fore pollicebantur, quam re alia, eum fratremq; penes quos
belli & pacis arbitrium esset. Auctor consilii Fonseca Hispalensis. Consensit Rex. re con-
stituta, Duceque Alburquerquii, atque Calagurritano Episcopo è curia amandatis, iis in-
fensus Magister Calatrauæ aduocatur. Iacebat Isabella ægro animo, luctu oppressa, vt in
tali metu indignitateque. Cubiculo Præfecta Beatrix Bobadillia pro iure familiari, Ec-
,, qua mœroris causa sit rogat. Cum lacrymis illa & singultu. An nostram inquit ærūnam
,, non sentis? Regibus satam in spē melioris fortunæ, pudet dicere, homini propemodum
,, priuato coniugem destinari. Proh dedecus ignominiamque. plura dicere dolor prohibet.
,, Absit, vita, tantum nefas Beatrix ait. me superstite non erit, non patiar. hoc ferro (nudam
,, sicam ostentabat) per omnia sacra iuro, cum primum huc aduenerit, securi latus haurire,
,, vitamque eripere certum habeo. Virili animo virginē. Meliora superi. Almagro ad nu-
ptias festinabat, cum repetina vi morbi in itinere oppressus Villarruuiæ diem obiit, prin-
1466 cipio anni Milesi. quadrin. sexagesi. sexti. Corpus Calatrauæ in proprio sacrario constitu-
tum est. castissimas Isabellæ preces, tantum dedecus auersantis, auersata numina exaudis-
se vulgo persuasum: cui excellentius coniugium & maiora imperia destinarāt. in defuncti
locum duo filii quamuis nothi Rodericus Gironius, Calatrauæ Magister institutus est,
Pontificis diplomate in id superori tēpore impetrato, Alfonsus frater Vreniæ Comes ex
patris testamento factus est. Ante Magistri obitum in agro Giennensi, tanta ciconiarum
multitudo extitit, vt Solem auferrent. suspensæ ex eo mortalium mentes id ostentum vt
sit varie interpretabantur. Similia homines magis euentis rerū moniti, quam ratione do-
cti formidare cōsueuerunt. Quo tempore Romæ Rodericus Sanctius vtriusq; iuris cum
primis peritus, moli Hadriani præfectus, de rebus Hispaniæ piam magis quam elegātem
historiam conscribebat, Palentinam ex eo dictam, quod is Palentinæ Ecclesię cōsequen-
tibus annis Episcopus est datus in Henrici gratiam, cui eam historiam nuncupauit, Pauli
secundi Pontificis dono, cum quo vetus amicitia erat, multaq; familiaritatis iura homi-
ni Hispano.

Prælium ad Olmedum factum. CAPVT X.

Rerum omnium perturbatio in Castella erat. misceri omnia: non modestia aut ratio,
sed superbia libidoq; dominari. latrocinia vigere, iniuriæ, cædes, nullo iudiciorum
metu, fluxa ad coercendum flagitia auctoritate magistratuum. Itaque per vrbes & oppi-
da conspirationes factæ, societatesque institutæ, ad scelerum licentiam vindicandam, o-
ptimis legibus & institutis Regis concessu temperatæ. ne veterum calamitatum orbis re-
curreret, prudentes verebantur. quod Roderico Gotthorum Rege factum erat, Mauris
ex Africa euocatis, non minori occasione, neque minori periculo, propter fatalem gentis
discordiam, Principum libidinem ignauiāque. Itaque Toletanus vulgo Oppas ignomi-
niæ causa vocabatur: quasi simili ingenio, paremque cladem allaturus patriæ. Ea res Fu-
xensem prouocauit, vt arma quibus Vasconum regnum inuadere cœperat spe imperan-
di impatiens, in Castellæ fines conuerteret, nimirum vitio humani ingenii, quod accusa-
bat in leuiro Carolo, hoc sibi licere putabat, iniquus rerum æstimator. oppidaque in Va-
sconibus Castellę pręsidiis occupata extorquere illato bello, erat in animo. Primo impetu
Calagurris capta. Alfarum circunsessum. Dieghus Castillius, qui Hērico à sacris, assiduus-
que

quie in aula, de eius rebus commẽtaria cõfecit, ad Fuxensem legatus, cùm monendo non proficeret, raptim contractis copiis effecit, vt obsidione soluta sese vnde venerat citato referret. Calagurris etiam à ciuibus pręsidio deiecto ad Castellæ ditionem rediit. Sic in Vasconibus res erant haud tranquillæ. In Catalaunis melior fortuna Aragoniis affulgere visa est: hostibus non vno loco superatis, multisq; oppidis tota prouincia receptis: prętereaq; quod caput erat, Petro Lusitano ex morbo sublato. Minoresa Barcinonem contendebat; cũ Granolliæ decessit die Dominico tertio kal. Iulii. Corpus ad D. Mariæ iuxta mare Barcinone tumulatum non absq; funeris pompa. veneno extinctum vulgò creditum est, more ea tempestate nimium vsitato Principib. perimendis: aut quia de Principum exitu atrociora vero nunciat fama. Ipse laboribus fractum corpus, molestia victum animum suspicor: quem fructum collati principatus fuisse non alium, affictus insignibus accipiter indicabat, his verbis subiectis. Molestia pro lætitia. Ioanni Lusitanæ iuuentutis Principi sororis filio eum principatum testamento legauit. Dertusa vrbs, aliaq; oppida Aragoniis armis cessere, interregni beneficio, haud diuturni. frequentes enim Catalauni Barcinone Renatum Andegauensem, perpetuum Aragonii nominis hostem, Regem iusserunt, iræ potius quam consilio & æquitati datum. Sed parum in Lusitano præsidii futurũ erat: Andegauensi euocato Gallicis auxiliis Aragoniũ nudari erat necesse: atq; Fuxensi in Vasconibus tumultuante, vires impares vtriq; bello fore augurabantur. aduersus eam tempestatem Sabaudus, Galeatius Mediolanensis, qui Francisco patri successerat, ad iungendum fœdus ab Aragonio solicitati sunt. Renatum noui principatus accessione, nisi prouideretur, finitimis Sabaudis, Insubribus longinquis, memoria iniuriarum formidabilem futurum. Angli etiam inuitati. Petro Peraltæ Magistro equitum ineunte salutis anno Millesi- 1467
mo quadringentesimo sexagesimo septimo cura data, coniuratos Castellę Principes conciliandi, geminis nuptiis pactis Ioannæ Ferdinandique filiorum Aragonii, cum Alfonso Principe Henrici Regis fratre, atque Beatrice Villenæ Marchionis filia. tanta erat auctoritas hominis paulo ante priuati, vt regio suum iterum sanguinem inserere tentaret, adiutore Toletano: Henrici Principis imbecillitatis haud dubium argumentum. Neutrum coniugium perfectum: & nuper Alfonsus Princeps è Toletani potestate ereptus erat. Beneuentanus cum Henrico reconciliata gratia, Portillium, quod armis ante temporum licentia occupauerat, vt daretur obtinuit. nouum beneficium insigni aliquo officio cõpensare parans, Alfonsum & Toletanum Toleto, vbi aliquandiu hæserant, in Vlteriorem Castellam venientes hospitio accepit, Alfonsum in arce: aliis in oppido hospitia data. Proxima luce proficisci maturantib. negat, Alfonsum in Toletani potestate amplius futurum: vim adhiberi non licebat, exiguo comitatu, nullis bellicis tormentis. Henricus nuncio lętus, expetenti nouam operæ mercedem, vt Diui Iacobi Magister esset concedit. regium donum Villenæ Marchionis calliditate interceptum est. cui rem omnem Beneuentanus indicauit, arbitratus generi honori haudquaquam eum moram facturum. Sed nullis legibus necessitudinis ambitiosus animus mouetur. inde internecina inter vtrunq; Principem odia, insidiæq; comparatæ. verum id in præsentia occultatum. Beneuentanusq; soceri suasu procerib. coniuratis Alfonsum Principem restituit. sic spes pacis disturbata, reditumq; ad arma est, magno Henrici dolore, pacis cupidissimi, atque prę eo studio maiestatis immemoris. Itaque inter eum & Villenæ Marchionem Caucæ primũ in Vaccæis colloquium habitum est: deinde Madriti, oppidi præsidio Hispalensi concredito. nullum vtrobiq; operæpretium est factum: etsi Eleonora Pimentelia Comitis Placetiæ vxor, consensu partium euocata venit. magno animo fœmina, perpetua erga Regem fide idonea visa, viro aliisque coniuratis pace facta sanandis. Insidiis faciẽdis Villenæ Marchio intentus, magis quam Henricus vitandis cautus, nouo colloquio Placetiam designauit. verum is conatus à proceribus, qui Regem sequebantur, disturbatus est. Periculum fraudemq; subesse disputabant: negabantq; ferendũ callidi hominis ludibrio toties maiestatem obiici. Segobiam itum æstatis principio. à coniuratis Olmedum occupatum, oppidum dedente Petro Sylua præsidii præfecto. Medina Campestris à coniuratis vexatur, arcem obtinentibus Toletani nomine. periculum erat, ne id etiam oppidum occuparent. vtraq; iniuria Henricus prouocatus, magnos delectus haberi mandat. proceres nominatim euocati. affuit Medinæ Celinæ Comes, Episcopus Calagurritanus, Alburquerquii Dux, qui eatenus curia abstinuerant. Petrus etiam Velascus impetrata superioris defectionis venia, cum septingentis equitibus, & valida peditum manu à patre missus, decumas mercium, quæ mari importantur, allati auxilii præmium impetrasse memoratur, magis ductâ per manus opinione, quam certo aliquo testimonio nixum. Ioanna Princeps Santillanio Marchioni fidei obses à patre data, Butracumq; deducta est. grãdis ignominia: sed singu-

li proceres carissime suam operam ignauo Principi venditabant, id habituros rati, quod rebus turbatis extorsissent. Idoneo exercitu conflato, Medinam versus Rex iter instituit. Olmedum, quod deuium non est, ventum erat. Coniurati transitu regias copias prohibituri, instructa ad pugnam acie, portis egrediuntur. Henricus certamen exhorrebat: verum auctoritate fluxa, ardentibus proceribus cupiditate dimicandi prohibere non potuit. insignis pugna fuit in paucis ea tempestate memorabilis. duodecimo kal. Septembris ipso Diui Bernardi festo die, magno impetu concursum. diu pugnatum. ancipiti victoria est discessum: eaque opinio præferebatur, vt vtrique victoriæ lætitiam celebrarent, noctis superuentu dirempta pugna. coniurati se se Olmedum retulerunt cum Alfonso Principe. regii duo millia pedites, equites mille septingenti itinere instituto Medinā abierunt. Neque Henricus prælio interfuit, Petri Peraltę consilio, periculo sub ipsum conflictus tempus subductus (non absque suspicione fraudis, quod coniuratis ex arcano faueret ad eos legatus: Toletano amicus esset, filia paulo ante Troilo Toletani filio nuptui data) neque Villenæ Marchio militaribus Diui Iacobi comitiis in Carpetanis districtus: vbi suffragiis militum ipso tempore eius militię Magister institutus est. Impudentissimum facinus, potentia immensum aucta, atq; cęteris Principibus maxime formidabili, vniuersæ tragœdiæ auctor princeps, atq; præclarus, vnde supplicia vereri debuit, noua præmia cumulabat, struebat opes In Vasconibus Eleonora Fuxensis pro patre Aragonio vicaria res gerebat. quo tempore Viana Pompelonensis Episcopi Nicolai Echauarrii diligentia recuperata pulso Castellæ pręsidio, natus est Eleonorę nepos Franciscus, cui Phæbo inter eius gētis Reges cognomen fuit, ex Gastone Fuxensis filio & Magdalena vxore. nouo deinceps partu Catharina edita est: qua fratris hęrede Vasconum regnum ad Labretos transiit, nobilissimam in Gallia familiam: vti competenti loco est explicandum. Tarracone Aragonius intentus bello Catalaunico, multusque erat: quamuis annis grauis, atq; vtroque captus lumine, viuidum spiritum retinens. In ea vrbe Eleonoram filiam notham Ludouico Beamontio Lerini Comiti connubio iunxit. data sponsalia die viges. secundo
1468 Ianuarii nouo anno Millesimo quadringentesimo sexagesimo octauo, auspice Petro Vrrea Tarraconensi Præsule Alexandrino Patriarcha. dos dicta quindecim florenorū millia. id blandimentum ad eā Vasconum familiam promerendam, cumprimis potentem ac validam datum est. Sed nullis beneficiis perfidia vincitur. Cęsaraugustę Aragonii conuentus erant. Regina pro viro actionum præses morbo oppressa, atque extincta est Idibus Februarii, magno viri luctu, atq; diuturno, se sene, filio, puero rempublicam importunissimo tempore tali præsidio destitui dolentis. erat enim magno ac constanti animo, ingenio bellicis rebus iuxta ac ad rempublicam gerendam idoneo. Paulo ante obitum Exeæ ad Aragoniæ fines, cum Eleonora Fuxensis vxore, priuigna sua, collocuta, fœdus pacemque sanxerat, eosdem amicos inimicosq; ambabus fore. Animum virilem, sermonem militarem. defunctæ corpus ad Populeti compositum est, vna nota ad posteritatem deformatæ, quod Carolum priuignum veneno peremisse credita est: flagitiiq; memoriam morientis animum in primis sollicitum habuisse. conscientiæ stimulis sedandis, mœrore depellendo nullum satis idoneum remedium solatiumq; inuenisse.

Alfonsi Principis obitus. CAPVT XI.

CAstellæ motibus frequenti fama Romam perlatis, & ex Henrici literis ad Paulū Pontificem, seditiosos Episcopos loco moueri, proceres anathemate feriri postulātis, Antonius Venerius Legionensis Episcopus cum potestate legatus in Castellā, prælio ad Olmedum facto, Henricum Medinæ Campestri priorem adiit. id maiestati datum. à factiosis vix impetrata colloquii facultate semel & iterum cum verborum contumelia repulsus est. ne violaretur personæ, quam gerebat, dignitas valuit. diras denuncianti, Pontificis partes negarunt esse de republica statuere: & ad concilium proximum ab ea denunciatione prouocarunt. Suscepta prauitate in peiora præcipitat obduratus animus: neque vlla religione mouetur. Nouo incommodo Henricus perculsus. Ioannes Arias Segobiensis Episcopu, quòd Petrum fratrem ærarii rationibus præfectum, in custodiam tradidisset, nulla culpa, Hispalensis tantum fraude, memor iniuriæ, beneficiorum immemor, quamuis liberato fratre, Prexano eius vicario, Mesaq; Priore Hieronymiano consciis, adiutoribusq;, Segobiam coniuratis prodere statuit vrbem munitam atque amplam montibus impositam, quibus Vlterior Castella à citeriori discluditur, Vaccęi à Carpetanis. Re constituta proceres aduolant. in repentino metu, Regina & Alburquerquii vxor vix impetrarunt, vti in arcem reciperētur, à Petro Munsario Præfecto infecto partibus ex arcano.

Isabella

Isabella Regis soror conspirationis conscia, in regia restitit: vrbeque capta ad Alfonsum fratrem se contulit, eius partes secutura. Celeriter hęc fama, ac nuncii ad Henricum perferuntur, Medinę Campestris se tenentem, nihil in vita molestius accidit eâ vrbe amissa, quam patriæ instar habebat: vbi thesauri erant, & voluptatum instrumenta. Ex eo non minus consilii, quam auxilii inops aberrare mente nemini satis fidere: suos hostesque iuxta metuere: circumspectare omnia: seque repente in contraria vertere. nunc placere arma, rursus ad pacis consilia reuocare animum. quę ob insitam ignauiam præualuere. colloquio cũ Villenæ Marchione Cauca oppidum designatum dissuadentibus suis, deinde quia nil proficiebatur deserentibus. Ergo Caucę nihil effectum est. in arce Segobiensi colloqui placuit. fœdus nihilo stabilius, quam priora futurum, in has tamen conditiones fit. Segobiæ arx Alfonso traditor. Thesauros inde mouendi, Henrico facultas esto, Madriti in arce asseruandos Petro Munsario præfecto. Regina, Hispalensis potestati permittitor asseruanda, datæ fidei obses. His rebus confectis intra sextum mensem rerum administratio Regi à proceribus redditor. Pudendam conditionem, miserum reipublicę statum. quam turpe leges Principi à subditis dici, ludibrio toties maiestatem haberi. Id ignominiosum maxime, quod Regina ad Alahegium arcem, à iuuene quodam, in quem procaces oculos ipsa coniecerat, stupro oblato prægnans effecta est. Proh nefas, dedecusque gentis Hispanæ. Sic opinio de eius fœminæ impudicitia suscepta animis, vehementer confirmata est: causaque coniuratorum procerum melior quam antea visa. Rex in tantis malis pene ab omnibus destitutus, mente etiam pererrare, vagarique priuati propemodum habitu, decem tantum equitibus stipatus. quod extremum erat, Placentiæ Comitis fidem experiri, seque eius potestati permittere consilium fuit. in eius vrbis arce splendide acceptus, habitusque quatuor mensibus hæsit. Quo tempore Ioanne Mella Cardinali defuncto (cui Seguntina ecclesia commendata erat à Pontifice, post Petri Luxeni obitum) Petrus Mendozius in eius locum cooptatus est, Diego Lupo Decano Seguntino deiecto: qui superiori tempore Canonicorum suffragio Mellæ Cardinali obiectus fuerat. Noua à Romano Pontifice legatione proceres ad sanitatem inuitati: & quoniam non parebant, piorum numero sunt exemti. Sic quoque non terrentur: graue id tamen decretum fuit. legati Romam amandati: neque facta tamen iis Pontificem conueniendi potestas, ac ne ad vrbem quidem accedendi, nisi iuratis Alfonso regios titulos haudquaquam adscripturos admissis tãdem, grauissimisque verbis increpitis mandatur: vti Pontificis nomine diras omnes coniuratis denunciarent, nisi mutarent. Impios ausus nemini impune extitisse: neque fore ipsis vindicatura numina si homines cessarent. Iuuenem Principem alienæ culpæ reum immatura morte daturum pœnas. Inane oraculum non fuit: & eo Pontificis studio aliquid momenti Henrici rebus allatum. præsertim per idem tempus Toleto vrbe in potestatem redacta, hac occasione. Petrus Aiala Toletanis iura dabat vrbis Pretor. eius leuir Petrus Sylua ex Dominicano ordine Pacis augustæ Episcopus, consilio cum Maria Sylua sorore sua. Pretoris vxore communicato, Regem Placentia euocat. Ille nuncio lætus biduo peruenit festinato itinere: vt si quid à Toletanis moueretur, celeritate pręcurreret. Intempesta nocte in Dominicanorum cœnobium inuectus est: quod in ipso vrbis vmbilico eminet. Indicio facto, populus æris pulsu ad arma concitatur. Henrico in periculo Petrus Aiala, qui rei gestę erat ignarus, auctor impulsorque fit, ne in ea colluuione publico maiestatem offerret: ac potius de media nocte, cum tumultus resedisset, vrbe discederet. sic factum. deducentibus Perafanio Rifera Pelagii filio, atque duobus Petri Aialæ filiis Petro Alfonsoque mœstus abscessit. Petrus etiam Episcopus vrbem relinquere est compulsus. Successit facti pœnitentia. importunis vxoris precibus ac lacrymis victo animo, Pretor Henricum intra diem quartum reuocat. omnia opinione faciliora fuere. Importuna tantum plebis efflagitatione vetera vrbis priuilegia confirmata, noua extorta. Petro Aialæ fidei præmium fuit Fuensalidæ Comitem renunciari. eidem denuo vrbis cura est concredita. Henricus Madritum abiit: Petrumque Munsarium arci præfectum, quoniam in fide nutabat, vinctum pręfectura amouit: deinde liberum abire iussit. Toleti amissę nuncius coniuratos proceres perculit. Areualo profecti sese eam vrbem obsessuros minabantur. Eo consilio Abulam festinantes, res inopina luctu grauissimo perturbauit. In via pagus est Cardegniosa nomine. In eo pago Alfonsus Princeps repentina vi morbi oppressus, atque extinctus est ad tertium Nonas Iulii. Corpus Areualum relatum, & in D. Francisci sepultum, consequentibus annis in Burgense Carthusianorum monasterium translatum est. de obitu non vna opinio fuit, alii peste decessisse, quæ lues iis locis vehementer grassata est, plerique veneno affirma-

runt, trocta medicata: idque certis indiciis in corpore extincto à medicis deprehensum. Alfonsus Palentinus in Henrici Regis historia, qua in cęteris libertate, id pro certo ponere non dubitauit. tetri parricidii auctore etiam designato Villenæ Marchione. quid enim vir eximius tanto dedecore familiam fœdasset? aut quæ culpa in puero esse potuit vix sedecim annos nato? in tantis motibus, tantaque rerum omnium labe, vituperationibus æque ac laudationibus, corruptam huius temporis historiam arbitror.

Ferdinandus Rex Siciliæ renunciatur. Cap. XII.

RENatus Andegauensis vltro delatum à Catalaunis principatum sine cunctatione arripuit, ambitione mala inductus, & in studium incitatus acceptas ab Aragoniis iniurias vindicandi. ætate grauis venire ipse non potuit. filius Ioannes Lotaringius, is quem ex Italia pulsum diximus, ad capessendum imperium amandatur, propriis viribus pollens, & Gallicis auxiliis formidabilis: quorum partem Gallus bello ciuili, atque difficillimo, quod cum fratre Bituricum Duce & Carolo Burgundo gestum erat, liberatus miserat, fœderis Aragonii immemor: pars aliquanto post à Ioanne Armeniaco adducta: cum quo Lotaringius non modo fœdus iunxerat, sed fraternum etiam ad rem bellicam nomen. Tantis præsidiis initia Lotaringio læta, parem exitum non habuere. venienti Barcino portas aperuit. versis ad arma animis, belli pondus in Emporitanos maxime incubuit. Accurrit Aragonius ad pręsidium mari, senex quamuis cæcusque. ad Rhodopem seu Roses Aragoniorum manus in pugna tumultuaria victa est. Gallicus exercitus Gerundam adductus: si pedem Roccabertus præsidio Præfectus, aliique Duces portis efferrent, acie decertaturus: si bellum mœnibus propulsarint, vrbem munitam & opulentam in potestatem assidendo redigere spes erat. Magno animorum ardore erumpentibus Aragoniis aliquoties pugnatum, maiori obsidentium quam obsessorum damno. Ferdinandi aduentu, cum copias omnes in vrbem induxisset, obsidio soluta est. Verum ea lætitia graui molestia commutata est, Ferdinando, ex vrbe egresso & ad Villademarium oppidum à parte Gallici exercitus acie superato cæsi ex Aragoniis multi. Princeps fuga euasit. Rodericus Rebolledus tanti nominis dux, dum eius tuendi studio nullum virtutis finem facit, in hostium potestatem venit. Gallorum primi impetus plusquam virorum validi, arte potius quam viribus sustentandi sunt. id consilium captum. præsidia modo locis idoneis disposita. appetente hyeme, Alfonso Aragonio eius belli cura concredita, Ferdinandus Cæsaraugustam abiit, vbi conuentus gentis erant: matrique Reginæ, vti paulo ante dictum est, ex morbo decumbenti atque agenti animum affuit. Matre defuncta, patre cęco ac septuagenario, rerum & belli moles in Ferdinandi humeros incubuit, in minori quamuis ętate, virtutum indole eximia, atque præstanti. Auctoritate opus erat ad tantas res administrandas. Siciliæ Rex in ea vrbe renunciatur paterni imperii ea parte consors, iisdem propemodum diebus quibus Alfonsum Castellę Principem decessisse monstrauimus. Superi illi ingens imperium destinabant in Italia, Hispaniaque: gloriamq; regni Granatensis sublati. Nunciata Cęsaraugustæ Alfonsi morte, continuo Petrus Peralta cum amplissimis mandatis & procuratione ad coniuratos Castellę proceres remittitur, Isabellam Ferdinando coniugem expetitum. Cæsaraugustæ Aragonius substitit: in Catalaunos Ferdinandus rediit: vbi bellum mari terraque gerebatur, magno periculo Aragoniarum partium. Lotaringio summa votorum erat Gerundam occupare. ea vrbe capta, cætera prona fore iudicabat. Eo consilio sese in Galliam retulit, ad belli subsidia colligenda. breui operæpretium factum. in Ruscinonensi agro & Ceretanis, quindecim millia hominum sunt scripta. iis copiis ad veteres adiunctis pares Aragonii non erant: neque ad Gerundenses denuo obsessos, magnoque conatu impugnatos quidquam commeatus inferendi facultas. Ioannis tamen Margariti eius vrbis Episcopi, atque aliorum ducum virtute & diligentia in magno periculo & inopia sustentatum. Ferdinandi Regis vires alio conuersæ: Bergaque oppidum ex deditione in potestatem redactum, Septembris die septimodecimo. Eo successu melioris fortunę omen apparuit, præsertim Aragonio restituta per eos dies videndi facultate. res comparanda miraculo. Abiabar Iudæus Ilerdensis artis medicę & astrologiæ peritissimus, curationi est adhibitus. Considerata astrorum positione ad tertium Idus Septembris acu dextri oculi albugo detersa est, lumenque repente oculo insinuatum. recusabat Iudęus tanti discriminis aleam rursus subire: negabatque astra nouo conatui fauere. alterius luminis vsum sufficere. quid humanis viribus maiora tentarent cum periculo? Consilium cautioribus probabat. Rege tamen vrgente ad

te ad quartum Idus Octobris repetita curatione sinister oculus sanatus etiam est. Susceptam ex Regis sanitate lætitiam, vti par erat singularem, soluta Gerundensis obsidio, quo metu cunctorum animi suspensi erant, breui confirmauit. hyemis superuentu & rerum difficultate alacritas, cum qua Galli venerant, concidisse videbatur. In Lusitania, Ioanni Regis Lusitani filio Eleonora patruelis desponsa est. Ioannam Castellæ Reginæ filiam antea pactam, fuisse furto conceptam, matris male tectę libidines confirmarant. Eleonoræ nouæ sponsæ pater Ferdinandus Visei Dux classe instructa, sua an Regis impensa, transmittit in Africam: aliquotque victoriis de Mauris partis in patriam reuerso, fine anni ex vxore Beatrice Ioannis Diui Iacobi in Lusitania Magistri filia, proles suscepta, cui Emanueli nomen fuit: consequentibus annis, regnum Lusitanum hęreditate obuenit. In eius ortu signa in cælo visa, quæ infantis gloriam & maiestatem portenderent Lusitani memorant: gens suis Regibus celebrandis, colendisque, atque earum rerum obseruationibus cum primis addicta.

Castellæ regnum Isabellæ oblatum. CAP. XIII.

ALfonsi Principis obitus multorum animos ad Henricum auertit. concordia haud stabilis fuit, mox bellum diuturnum & graue: quo Hispaniæ opes attritæ sunt. Burgenses Toletanorum exemplo ad Henrici imperium rediere. consilii auctor Petrus Velascus. ab Hispalensi, Beneuentano, aliisque proceribus, qui Madriti cum Henrico erant, in eius verba nouo sacramento iuratum. coniurati tanto repente pręsidio nudati, vt esset cuius nomine ipsi regnarent, Isabellæ Areualo Abulam deductę, regni nomen & insignia deferenda censuerunt. Toletanus puellæ animum longa oratione ad capessendum imperium incitare conatur, iure suum. Regiæ dedecus, ignauiam, socordiam, impudicitiam, suppositos partus in spem alieni regni, æternas gentis maculas commemorat, eius auctoritate & præsidio vindicanda. Nullum laborem, aut periculum patriæ denegare fas esse. Ad hęc illa. Pro vestro studio gratias, inquit, ago maximas, vtinam referre aliquando possim. sed conatus istos tamen, optimo animo quamuis susceptos superis non placere, fratris heu immaturus obitus indicio sit. Qui res nouari, & regna cupiunt mutari, q̃d aliud quã grauiora accersunt mala? factiones, dissidia, bella? quæ vt vitentur, alia reipub. vulnera dissimulari, an nõ satius iudicatis? Duos Reges neq; rerũ natura, neq; dominandi conditio fert. Nullus est idẽ & diuturnus & præcox fructus. Ego serũ regnũ mihi obuenire cupio: vt vita Regi diuturna sit, & æterna maiestas. prius ab oculis mortalium auferri necesse est: quam ipsa imperii nomen inuadam. Henrico ergo regnum, reipublicæ pacem reddite. nobis vestri huius studii is erit fructus multo maximus. Expressit ea modestia non assensionem modo sed laudem, magnitudinẽ animi cunctis qui aderant admirantibus, contemnentis quod ab aliis per flammam gladiosque petitur: dignamque eo ipso iudicabant imperio, quod offerebatur: sed grauis erat tam longa reipublicæ iactatio. Itaque ad concordiam reuocati animi, præsertim missis ab Henrico legatis: qui proposita venia coniuratos ad sanitatem inuitarent. Hispalensis procerum rogatu, Regis permissu Abulam contendit. Eo internuncio, annitenteq; Andrea Cabrera regię Magistro, hę conditiones scriptæ futuræ pacis. Isabella fraterni regni heres renunciator, Abula, Vbeda, Medina Campestri, Olmedo, Scalonaque disiunctis oppidis in eius potestatem contraditis, iuratæ modo, ne cuiquam nubendi fas sit, nisi regio consensu. Regina filiaque in Lusitaniam amandantor, permissu Pontificis Romani, repudii libello dato. Coniuratis venia esto, bonis omnibus restitutis & honoribus, quæ dissidii tempore erant ablata. His rebus perficiendis quatuor mensium spatium designatum. Eę leges Sanctillanio Marchioni & fratribus, qui sub idem tempus Madritum venerant, non placuerunt. Ioannam, quam in potestate habebant, præferendam iudicabant. confirmatum id studium est Reginę fuga: quę adiutore Ladouico Mendoza è custodia elapsa, noctu ad filiam Butracum abierat, magno Hispalensis dolore, cuius fidei erat concredita, geminę prolis custodię tempore mater effecta, Ferdinandi atque Apostoli: quos Toleti in D. Dominici regio virginum monasterio educatos occulte, pro constanti traditur, pręfectę cura: quæ Petri Reginę constupratoris, eiusdem arcto consanguinitatis gradu Hispalensem attingentis propinqua erat. Colloquio Principum nihilominus Guisandi monasterium delectum est: quod Cadahalsum inter & Cebretum oppida cernitur medio ferme itinere, quo Madrito Abulam itur. Eo loco multa fœdera sunt facta. singuli proceres id habituros sperabant, quod à Rege sororeve extorsissent, bello defessis pacis auidissimis. Henricus & Villenius arcano collocuti memorantur. quid sanxerint

memoriæ non est proditum. opes potentiamque Villenii iis sermonibus confirmatam euentus indicauit. Aderat Antonius Venerius Pontificis legatus. ab eo proceres iurisiurandi, quo se Alfonso Ioannęque Principibus, obstrinxerant, religione exoluti sunt: quæ per se tamen rebus mutatis, & capitis diminutione sublata erat. In Henrici verba nouo sacramento adacti. Isabella soror pari consensu & religione regni hæres est renunciata. vtrunque ad tertium decimum kal. Octobris die Lunæ peractum est. Cæteris proceribus venia data. in Arias fratres, qui Segobiam obtinebant, ira peruicacior fuit: cuius explendę occasio venit. pace facta, restitutisque vrbibus, ii pręfectura amoti: atque Andreas Cabrera Segobiæ præfectus est datus: qui illi gradus ad magnam potentiam fuit, paresque opes. In agro Toletano oppido Petromoro metentibus segetes, inter manus sanguis copiosus effluxit è manipulis manans: quæ res in pręsenti miraculo fuit: deinde eas calamitates portendisse obseruatum: quę Hispaniam oppresserunt. Villenius non minori quam antea gratia rerum arbiter esse cœpit, cæteris proceribus tantam in Henrico socordiam frementibus accusantibusque. eo amplius quod cum Isabella sorore Ocaniā abiit, 1469. appetente anno Milesi. quadringesi. sexagesi. nono, nunquam sui arbitrii sed in alieno mancipio futurus. & erat Villenio destinatum, Isabellam Lusitano Regi connubio iungere: eiusque suasu legatus in eam rem venit è Lusitania, Alfonsus Noguera Olisiponensis Episcopus, adiunctis aliis viris primariis. Toletanus contra tendere: missoque Petro Peralta Isabellę animum ne expugnaretur confirmare, ad Aragonium propensæ. Ita de coniugio Lusitano appellata, pręcise se id facturam negauit. Dabat consilium Villenius, Isabellæ vim adhibendam, maloque cogendam fraternis iussis obtemperare. Henricus ancipiti cura distractus, quod tutius videbatur, Lusitanos legatos in præsenti dimittit. rem nondum maturam esse, atq; in aliud tempus reiiciendam videri. & noua occasio erat oblata. Cardinalis Atrebatensis à Gallo legatus, Isabellam Carolo sui regis fratri Duci Bituricum coniugem dari expetebat. Ex eo procerum studia in varias partes diducta: nouique dissidii semina iacta, vix veteri sublato. Bętica enim vna ex omnibus prouinciis, vt arma poneret adduci non potuerat: vbi Ioanne Assidoniæ Duce defuncto, Henricus filius nothus successerat, paterni principatus non magis quam factionum & simultatum hæres. ei adiuncti Arcobrigę Comes, atque Alfonsus Aquilarius Isabellæ nomine tumultus concitabant. Eo maturandum iudicatum. Dieghus Villenii filius patre expetente, Villenę Marchio renunciatur: ipsi Villenio Diui Iacobi Magistri nomen, & auctoritas, regia & Pontificia auctoritate cōfirmata, Isabella Ocaniæ relicta, denuo nisi fratre conscio, de suis nuptiis nihil constituturā iurata. Beneuentanus & Petrus Velascus Vallisoletum amandantur, reip. moderatores Rege absente eius vicarii futuri.

Nuptiæ Isabellæ & Ferdinandi. CAP. XIIII.

Rebus ad hunc modum compositis, Henricus quidem in Bęticam abiit: sequebantur D. Iacobi Magister, Episcopi Hispalensis, Seguntinusque. modicis itineribus ad Ciuitatem regiam peruentum: vbi Hispalensis substitit morbo tentatus. Giennii ab Irantio Magistro equitum splendido apparatu exceptus, cultusque Rex Cordubam mox Alfonso Aquilario per conditiones dedente, in potestatem redegit: pacatisq; vrbanis tumultibus qui inter eum & Cabræ Comitem Petrum Cordubam erant, Hispalim ęstate festinauit. Par ibi successus fuit. regia auctoritate motus procerum in ea vrbe pacati sublataque dissidia sunt. Mauri quiescebant, quod mirum videri potuit in tanta rerum nostrarum perturbatione, motuque. verum limitibus præfecti præstanti virtute Duces, atque in primis Magister equitum ad omnem occasionem erecti, vigilesque vim inferri nostris finibus vetabant: motusque intestini recens inter Mauros concitati impedimento erant, bellum meditantibus. Alquirsotes Malacæ Præfectus, magna militari scientia, magnaque nominis fama, ea vrbe occupata, ab imperio Albahaceni defecit. Aderant gentis studia à Rege Mauro alienę: & fere ea natio pro mobilitate ingenii imperiorum mutatione gaudet. Ventum ad arma. pars cum parte ferro conflixit. Alquirsotes viribus inferior & causa, Henricum Regem de fœdere appellare constituit. Archidona ad fines vtriusque gentis oppidum, colloquio delectum est. eo Maurus cum magnis muneribus lætus venit. ab Henrico auxilia promissa: qua occasione Albohacenus correptis armis sæpe in nostros fines incurrit, hoc & proximo anno. hominum pecorumque ingentes prædę ablatæ. agri atque oppida incensa. Barbari dolore perciti eo prouecti sunt, vt supremo conatu virtutis edito, multo longius quam antea terrorem bellicum circumferrent. magna clades ea fuit, ac veteribus comparanda. nullum tamen

insigne

insigne oppidum nostris ablatum. variæ modo manus militares vniuersa Bętica, & per Conteitanos vagari: latrocinio bellum simile fieri. Ad Isabellam referenda narratio est. quam Ocaniæ relictam, tot tantique vno tempore Principes in coniugium expetebant. Inerant magnæ virtutes, prudentia, pudicitiæ laus, forma conspicua, idonea ætas, sed dos multo amplissima. Pluribus licitantibus, Lusitano viduo, Bituricum Duci externo iuueni, Ferdinandus est prelatus, felici omine atque præclaro. multum Aragonii diligentia contulit: muneribus (quę ars nimium multorum experimentis tutissima visa est) aulę asseclæ illecti. Principem auctoritatis & gratię locum apud Isabellam Guterrius Cardenas inferre epulas, & explorare gustu solitus, atque eius auunculus Gonsaluus Chiaconius obtinebant. hic oppido Casarruuio, ille Maqueda promissis expugnati. addita plura alia dona promissaque. His & Toletano agentibus coniugii conditiones scriptę sunt: quarum summa eo referebatur: Vt Henrico Regi superstiti sua auctoritas constaret: defuncto rerum Castellę summam Isabella administraret. neque Ferdinandus suo nomine quidquam donaret: ne magistratus externis mandaret. De immunitate, iure & legibus gentis ne quicquam diminueret: ac nisi vxoris voluntate reip. vllam partem attingeret. Hæc omnia arcano constituta sunt. Ferdinandum Catalauni belli cura detinuit: vbi Gerunda nouo conatu ab Aragonii hostibus obsessa deditionem facere compulsa est. Noua etiam tempestas in Vasconibus erat concitata, Nicolao Episcopo occiso: quē Tafallam ad Eleonoram Principem venientem eius accitu, occisum esse constabat, Petro Peralta cædis auctore. Missi, qui coram Aragonio scelus vindicandum disputarent: ne impunitate confirmaretur audacia, & sceleris religio non vindicati infixa animis, gentis calamitate lueretur. ab eo Tudelam fraude occupatam: præterea multis oppidis immunitates concessas abs Rege querebantur, quasi de alieno liberaliter. Stellam & contributum agrum Castellæ imperio detraheret. Fuxensis impatientia imperandi agitari, resq; spectare ad arma videbatur. eo non minus Aragonio exosus erat, quam eadem de causa antea Carolus. mite tamen responsum legatis Vasconibus datum, ac tempori conueniens. Petro Peraltę impune tamen fuit sacram Pontificis personam violasse. Isabella vim verita si diutius Ocanię subsisteret, in vlteriorem Castellam abiit. Olmedo exclusa, quod oppidum Placentię Comitis præsidio erat occupatum, Madrigalem contendit, vbi eius mater erat. Tantæ molitiones occultæ esse non poterant. D. Iacobi Magister Hispalensi Caucę se tenenti post confirmatam valetudinem, vt Isabellam in potestatem redigat impense suadet. Illius conatus, Toletani & Præfecti maris celeritate occupantur. cum iusto equitatu puella Vallisoletum deducta est, amplissimo municipio securior futura, Toletani præsidio. Non minori solicitudine Ferdinandi animus angebatur. In ipso belli ardore, quod in Catalaunis erat, Valentiam abiit, ad pecuniam redigendam, quæ ex pacto sponsę numeranda erat, vnde aulę cultum sustentaret. Inde Cæsaraugustam repetens, quoniam res moram non recipiebat, dissimulato habitu, tantumque quatuor comitibus, ad Vxamam Manricum Treuigni Comitem, qui in parte coniurationis erat, obuium habuit. Eo & ducentis equitibus stipatus Donnias peruenit: quod oppidum in Petri Acunii Comitis Buendiæ, Toletani fratris ditione erat. Sponsa conuenta, rebusque omnibus instructis, Vallisoleti in ędibus Ioannis Biueri, qui ærarii rationibus præfectus erat, vbi nunc iuridicundo conuentus habentur, sponsalia præbita die Mercurii ad quintumdecimum kalen. Nouembris. Proxima luce nuptiæ confectæ. lege propinquitatis Romanus Pontifex Pius secundus soluerat. hic à Toletano affirmatum inuenio, tempori accommodato mendacio: vti Sixti Pontificis de ea re diploma indicio est postmodum datum. Erat Ferdinandus ętate minor, ac vix sedecim annos natus, conspicua tamen forma, militari corpore. Litterę ad Pontificem, Henricum, Reges, aliosque Principes & proceres datę: quibus festinatas nuptias excusabat. moderatus cultus fuit: precario pecunia in quotidianos sumptus corrogata. Per idem tempus Henrico Aragonii filio Segorbii ducatus est datus: Alfonso Aragonio Ripagorsa Comitis nomine, ea parte sita vrbs, vbi Ceretani fusi erant Hispaniam à Gallia dirimentes ea parte.

Ioanna Duci Bituricum desponsa. Cap. XV.

Hispali Rex erat, procerum controuersiis componendis districtus: cum à D. Iacobi Magistro, qui Cantillanæ vicino oppido substiterat, de sororis nuptiis per literas certior est factus. Magno ex ea re dolore percitus, repente profectione denunciata Castra Iulia contendit: quam vrbem ad Bęticæ fines sitam Alfonso Stunicę Placentino Comiti dare destinabat, fidei cultæ rebus asperis præmium. Res tanta latere non potuit. ciues

genus hominum inquietum feroxque, consilio cum Gratiano arcis præfecto agitato, se
id passuros negarunt, armis parati susceptam à maioribus libertatem tueri. Repugnantes
malo cogere periculosum erat. Areualum in Vaccæis eius permutatione datum: quod
oppidum Placentino mutuæ pecuniæ pignus ab Alfonso Principe superiori tempore
datum erat. de iniqua commutatione, Ducis adiecto honore & nomine aliquid mitiga-
tum. In ea vrbe Magister Alcantaræ venia donatus est: Guterrius frater Cauria etiam
vrbe. Id erat Henrici ingenium, vt plerique vnde vindictam merebantur, inde ampla
præmia referrent. Allatę præterea ab Isabella literę, supplices quidem, sed graues; qui-
bus delatum à morte fratris imperium repudiasse se prefata, matura ętate, Rege cessan-
te nuptias acceleratas excusabat. Aragonium cæteris coniugiis, quæ offerebantur, ma-
gnis rationibus fuisse prælatum. Sibi matrique iniurias factas multas & graues obliuisci
malle. Filiorum loco futuros se virumque, paternam modo beneuolentiam officia-
que præstanti. His in conuentu literis recitatis, nullum aliud responsum datum: quam
Regi Segobiam, quo festinabat, perlato eam rem curę fore. sic nuncius dimissus. Sego-
1470. biam noui legati amandati sub principia anni Millesi. quadrin. septuagesimi, sui vti co-
piam faceret, seve adeundi nouis coniugibus potestatem postulatum, offensam egregiis
officiis compensaturis, reipub. vulnera communibus opibus curaturis: quæ superiori
tempore iactata, oppressaque erat. neque iis legatis aliud responsum datum, quam de re
tanta consilio procerum statuendum videri. Ea causa prætexta est. re Isabellę infensus ad
Ioannam, quam suam filiam dicebat, retulerat animum. Eam repetita legatione Lu-
douicus Gallus Carolo fratri suo, quem pro Bria & Campania ex fœdere nuper icto de-
bitis, Aquitaniæ Ducem iusserat, coniugem expetebat. Legationis principes Cardina-
lis Albigensis idem antea Atrebatensis, atque Comes Bononiensis. Pręterea Henricum
postulabat, vti vires aduersus Paulum Pontificem, cum quo controuersia erat, sociaret
ad indicendum ex toto orbe Christiano Episcoporum concilium. Hoc præcise negatum,
nempe certissimum dissidiorum fomentum, tetri schismatis fons: cuius rei superioris tē-
poris memoria multū exempla suppeditabat. Quod de coniugio petebatur, in aliud tem-
pus sustentari placuit, metu, arbitror, nouorum motuum: quibus proceres & populus de-
fessi erant, veteribus dissidiis nondum plane sublatis. Nam quo hęc tempore Segobię a-
gitabantur, Cordubæ Alfonsus Aquilarius Diegho Cordubæ Marescalo (is Magister
castrorum est) ad senatum venienti securoque manus iniecerat, nulla memoria amicitiæ
Rege arbitro cum patre Cabræ Comite nuper constitutæ. libertati is redditus Henrico
mandante, cum ab eo iniuriæ vindictam non speraret fluxa auctoritate, socordi ingenio,
Granatam profectus Mauro concedente aduersarium ad singulare certamen prouoca-
uit, viridi iuuenta ferox, præceps in vindictam. suburbana Granatę planicie certamini
designata, dies dicta. qua die Diegho in armis ad Solis obitū perstante, quia aduersarius
non comparuit, eius effigies ad equi caudam raptata est, ignominię causa: missæque in
omnes partes literæ in Alfonsum contumeliosæ, rei gestę pictura repræsentantes imagi-
nem. Alia parte Alcantaræ Magister sui ordinis militibus imperium recusantibus, reque
deducta ad arma, vnus multis, viribus impar Guterrii fratris opem implorare necesse ha-
buit. pecunia in stipendiū quærenda erat. ea ab Albano affini & necessario mutua sumpta
Cauria vrbe, dum pecunia redderetur, pignore. Ea occasione Albani reguli nobilem eius
vrbis principatum nacti sunt, regio etiam consensu confirmatum, atq; in hoc tempus re-
tentum. In eo bello nihil præterea memorabile gestum: nisi quod eę copiæ ab aduersariis
Tagi fluminis transitu prohibitæ: ac deinde nullo successu dissipatæ sunt. Magister ditio-
ne spoliatus, & morbo oppressus quem animi ægritudo attulit, proximis annis decessit.
Substitutus in eius locum Ioannes Stunica Ducis Areuali filius, militum consensu ma-
gna ex parte muneribus, aut terroribus expresso, in Alcantarę Magistris postremo loco
numeratur. Ocaniæ se D. Iacobi Magister per idem tempus tenebat, febri quartana labo-
rans, maiori quam vnquam gratia, & auctoritate. Iniecisse magicis sacris Regi amentiam
fama erat, mendacio probabili: quod tantis iniuriis violatus, se suaque illi permitteret:
prorsus vt Madritum, quo vicinior esset, se contulisse crederetur. venientem certe in cu-
riā obuius ipse excepit, auxitque Scalonæ principatu. quem quia oppidani dominum re-
cusabant, maioris beneuolentiæ argumento, nulla maiestatis memoria, eo profectus de
manu tradidit. Armeniaci Comes Madritum venit ex Gallia profugus, insidias, vimque
veritus: quod Fuxensis filiam inscio patre sibi connubio iunxisset. Splendide habitus,
cultusque, fide publica quam Galli nomine Albigensis Cardinalis dedit, remissus in pa-
triam est, exitium vrgente morum & vitę prauitate. Cantabri veteri instituto in factio-
nes duas Ognios & Gamboinos scissi, per hęc tempora grauiter tumultuati sunt. Iis pa-
candis

candis Petrus Velaſcus, qui patre eodem nomine recens defuncto, & ad Medinam Pomariam tumulato, Hari Comes renunciatus erat, Madrito amandatus, vtriuſque factionis principibus Petro Abendanio & Ioanne Muxica finibus prohibitis, tranquillitatem ex longo interuallo in eam prouinciam retulit. Erat à Paulo Pontifice venia peccatorum conceſſa, iis qui certam ſtipem contuliſſent (quatuor argenteos nummos qui maiori cenſu erant, medii trinos, tenuiores binos pendere iubebantur) adiecta lege, vt confectæ pecuniæ duabus tertiis in ſtructuram templi maximi Segobienſis collatis, pars tertia ipſi Pontifici ſeruaretur. Vt eam veniam obtineret, Henricus Madrito Segobiã abiit. Setubale in Luſitania Viſei Dux octauo Septembris die deceſſit, ſeptem & triginta natus annos hærede Diegho filio. Corpus è D.Franciſci, vbi translato ſepulchro in eo oppido iacuit, Pacem Iuliam translatum eſt, in Conceptionis tumulo extructo: quã ędem adiuncto virginum collegio vxor Beatrix extruendam ſua impenſa curarat. Valliſoleti iis diebus grauis tumultus concitatus à populo, correptis armis eſt, in eos qui ex Iudæorum ſanguine erant, Chriſtianis quamuis imbuti ſacris. Parum abfuit quominus Ferdinandus & Iſabella Donniis ad compeſcendos populares motus accurrentes armatorum concurſu violati fuerint. A parte quæ minus ſibi confidebat, maiorique inuidia flagrabat, quaſi Iudęis progenitoribus orti eſſent, Henricus aduocatus nobile municipium in poteſtatem redegit. Beneuentano eius cuſtodia concredita datis etiam Ioannis Biueri ædibus: qui factioni alteri impenſe fauens, magnoque ſtudio Iſabellæ & Ferdinandi partes complexus, Henricum Regem offenderat. Donniis ex Iſabella Principe filia nata ad ſextum Nonas Octobris, cui Iſabellæ nomen fuit. Legati Galli denuo ea cauſſa venientes de ſuperioribus nuptiis nouo conatu appellabant. re conſtituta Ioanna Princeps à Sanctillanio Marchione deducta eſt. operæ merces tantique pignoris compenſatio Alcocerium, Valdoliuæ, Salmeroniumque fuere, ad veteres Carpetanorum & Celtiberiæ fines municipia præclara. Villenio cuius in ditione erant, cum vxore dotalia, Requena in Conteſtanis, vectigalque ex portorio & mercibus in eo oppido amplum datum. Ad Loſoiæ vallem, Segobiam inter & Butracum, vbi Carthuſianorum monaſterium nobiliſſimũ eſt Paularis nomine, Rex, Regina, filiaq; cõuenere: p̃terea D. Iacobi Magiſter Hiſpalenſis, Areuali Dux, Seguntinus & fratres inſigni apparatu. Eo loco Iſabella publicis tabulis abdicata, Ioannæ Principis ſponſalia celebrata ſunt ſeptimo kalen. Nouembris, Rege & Regina iuratis iuſtam prolem eſſe, proceribus nouo Sacramento adactis non aliam regni hæredem fore. Bononienſis Comes pro Carolo vicarius, in manum traditam accepit. cæremoniæ antiſtes Albigenſis Cardinalis. fœda procella fuit. ventorum, imbrium, & niuiũ tantum, vt Gallis legatis, peracta eius diei celebritate, Segobiam repetentibus in vitæ diſcrimine, nonnulli è familia vi tempeſtatum perierint. Inauſpicatum ex eo coniugium fore quidam augurabantur otio curioſi alendis rumoribus apto. Inde honoris cauſa deducente Seguntino Epiſcopo Burgos vſque in Galliam ſeſe legati retulerunt rebus ex ſententia patratis lęti: noui & grauiſſimi belli inter Hiſpanos Galloſque parata materia, niſi numina de cœlo miſerata tempeſtatem auertiſſent. Gallo Regi paulo antea proles erat nata cui Carolo nomen fuit. Dux Aquitanus cum ſpe fraterni regni obtinendi hęreditate, vita etiam ſpoliatus eſt, non toto deinde biennio circumacto: quod competenti repetendum loco eſt.

Trium Principum obitus. CAPVT XVI.

VNo tempore Aragonię opes nouo coniugio auctę, multiſque partibus concuſſę ſunt. Vigenti in Catalaunis bello, in Sardinia, atque Vaſconibus mota arma occaſione non eadem, pari conatu. Sardi Duce Leonardo Alauona ſunt tumultuati. Natus is Saſtagi regulo, maternum genus ad Arboreas referebat, veterem in ea inſula & præpotentem familiam: quo fretus iure, Saluatore Arborea Oriſtani Marchione ſine filiis defuncto, eius principatum quoniam legibus non fidebat, armis petere conſtituit. Non vno loco pugnatum eſt. multa oppida & arces de Rege aliiſque proceribus capta. in Prorege Nicolao Carrocio, plus auctoritatis ad compeſcendos inſulanos, quam virium & potentiæ erat. Eo bellum diuturnum fuit. Fuxenſis imperandi cupiditate armis correptis, adiunctiſque Beamontiis, magnam in Vaſconibus prouinciæ partem Aragonio detraxerat. Tudelam caſtra promouerat. parum ſpei erat voluntate ceſſaturum. pręmiſſo Cæſarauguſtano Epiſcopo, ipſe Aragonius eius pater, ea quamuis ętate, arma ſumpſiſſe memoratur, ſeptumque validis copiis coegiſſe generum, vti obſidionem ſolueret. Miſſis ab vtraque parte legatis, de compoſitione agi cœptum. Oliti tandem facto fœdere poſita arma ſunt. Regium nomen Aragonius retinuit. rerum adminiſtratio Fuxenſi

& vxori perpetuo est commendata. Cum vtrosque nuncius ex Gallia allatus vehementer perculit. Carolo Aquitaniæ Duce noui principatus, atque pacti cum Ioanna coniugii lętitiam, conuiuiis, ludis, spectaculis celebrante, in ludicro militari Gasto Fuxensis & Eleonorę filius, confractæ ipsiusmet hastę in aduersarii pectore assula per castidis bucculam in os reflexa, lethali vulnere afflictus est, viginti sex annos natus nono kal. Decembris, die Veneris. Cadauer Liburna, vbi extinctus est, Carolo leuiro curante funus, Burdigalam delatum, atque in Diui Andreę templo eius vrbis maximo tumulo est compositum. Franciscum cognomento Phœbum, & Catharinam ex Magdalena vxore reliquit, teneris annis ineptos imperio, deinceps Vasconum Reges. Tantis curis, tantoque dolore perculsum Aragonii animum, maior solicitudo de filii salute vrebat: quem neque in Castella relinquere tutum erat, multis aduersariis circumfusis, Rege infenso: neque reuocare commodum, eius imperii successionis ambiguo iure, euentu incerto. Toletanus, in quo certissimum rebus pręsidium erat, alieno esse animo ferebatur virum ambitiosum, cupidumque imperandi Ferdinandus offenderat adhibitis ad arcana consilia Guterrio Cardena, Alfonsoque Henrico auunculo. suo aliquando etiā iuuenili impudentia palam edixerat, sibi deliberatum esse, nullius imperio seruire: quod aliis Principibus calamitosum extiterat, ignominiosumq;. Altius id verbum in Toletani pectus descendit, quam par erat. de discessu cogitantem arte Aragonius detinuit, filio per literas castigato, iussoque rebus omnibus Toletani consilium cæteris præferre omnibus: vnumq; parentis instar omnibus officiis colere. Parum ea diligentia profectum est. omnem medicinam ęger Toletani animus respuebat. Belli Catalauni breui conficiendi magna spes affulsit Io. Lotaringio Barcinone, vbi erat in hibernis, morbo opportune sublato, die Decembris sexto decimo. corpus in templo maximo sepultum, pompa funeris exigua, populariq;. Factiosi eo quamuis pręsidio nudati, haudquaquam animos remisere. Gallū euocare cōstituunt, haudquaquā recusaturum ad Ruscinonenses Ceretanosq; reliquā Catalaunorū prouinciam adiicere. eo consilio, edicto sanciunt neminem in arces vrbesq; admittendū viduas rectore: nisi Renatus ipse Andegauensis veniret, aut nepos Nicolaus defuncti filius: qui iā se Aragoniæ Principem ferebat, Calabrię Ducem. inanes tituli, & sine prouētu nomina. Vtriusq; ætas inutilis bello erat: & occasio quæri visa est, eos Principes abdicandi, maioriq; præsidio mutandi. Proceres Castellæ variis artibus versati agitatiq; sunt ab Aragonio: Paciechus nouæ ditionis, cuius erat auidissimus, iniecta spe: Toletani animus ad mutandam fidem procliuis, vt videbatur, promisso amplo principatu filiis Troilo Lupoq;. vt cuiusque studia erant, aliis pecuniam, aliis honores, aliis oppida pollicebantur, fidem opemque magno licitantes. donis fallacibus neuter cessit. Toletanum quoque in partes attrahere Henricus Rex satagebat. nulla arte obstinatus animus vincebatur, malo cogēdus visus est. à Vasco Contrerio Peralium illius oppidum præsidio occupatum. Toletanus omnis insolentiæ impatiens, fortiq; ad sustentandum fortunæ impetum animo, collectis copiis eo continuo aduolauit. sequebatur Arias Segobiensis Pontifex. Henricus ne prima negligendo graue bellū existeret, Madrito quo Segobia celeriter abiit, nouo
1471. anno Millesimo quadringentesi. septuagesi. primo octogentis equitibus stipatus, & numeroso peditatu obsidionem disiecit: Toletanoque Complutum profecto sese ipse Madritum retulit. Noua tentata via factiosos Pręsules sanandi atque Henrico Regi conciliandi, cui erant vel maxime infensi. à Pontifice Romano gemino diplomate ablato, altero Ariæ Romam dies dictus, ex eo die, quo denunciatio facta esset, nonagesimus. Toletano Præsuli diplomate altero vt mutaret, mandatum, Henricoque satisfaceret. Si obtemperare recusaret, quatuor sacerdotibus Toletanis cognitio data: quam de scripto conceptam Romam mitterent. Ii iudices à Collegio Toletano Sacerdotum summi templi designati, ne quod iussi erant præstarent, Magistri Diui Iacobi arte impediti sunt. Præuaricatio ea tempestate ignominiosa non erat, inter proceres maxime: quorum augendis opibus controuersias existere commodum erat, nulla honesti cura, præ ambitione mala, cupiditateque. prorsus vt vniuersa prouincia prædę haberetur. varia oppida proceres pro se quisque occupabant. Alcarassum Diui Iacobi Magistro abs Rege data. Roderico, Pontio Arcobrigæ Comiti Gadeis insula adiuncta eodem agente, Marchionis nomine quasi dotalis de publico: quod per eos dies defuncto patre suo Beatricem Magistri Diui Iacobi filiam sibi connubio iunxisset, idoneus, qui Assidoniæ Duci, cum quo eius socero grauis simultas erat, opponeretur. In Cantabria noui tumultus extabant, Abendanio & Muxica partium capitibus ab exilio reuersis, ope Treuigni Comitis; quam ille libenter contulit Petro Velasco à quo fuerant expulsi, ex priuata contentione infensus. Ab vtroque collectis raptim copiis in Cantabriam penetratum. prælium ad Munguiam op-

pidum

pidum ancipiti marte factum ad tertium kal. Maii. Treuigni Comes peditatu præstabat: equitum non magnus vsus erat locis asperis, qualis omnis ea regio est, pro locorum conditione ingenia durata. Aduersarii pulsi, cęsique. nonnulli viri nobiles desiderati. plerique capti. Iis libertas est reddita Regis iussu: qui periculo cognito Burgos, Orduniamque magnis itineribus festinarat. Vtrosq; prouincię finibus discedere mandat, pactis induciis dum de compositione ageretur. Mox tota Castella magni delectus haberi: proceres nominatim euocati: vt collectis regni viribus Ferdinandus & Isabella finibus discedere cogerentur. consilio tamen D. Iacobi Magistri cessatum: arte potius quam viribus superandos disputantis: nobilissimum id victoriæ genus fore, reipublicæ tantis vexatę malis necessarium. Ea sententia vicit nemine contradicere auso: ne Rege quidem tametsi secus existimabat. Toleti, atque Hispali vno tempore tumultus concitati. Toletani ciues veteri instituto in duas factiones distracti erant, Aialas, Syluasque. his Cifontanus, illis Fuensalidæ Comes caput erat. Annitente Petro Sylua Pontifice, coniugium pactum Cifontanum inter & Eleonoram Fuensalidæ Comitis filiam. quod erat ad concordiam excogitatum non imprudenter, maius certamen accendit, Cifontano & Ioanne Ribera eius auunculo, quasi ad communem lætitiam, in vrbem contra Regis voluntatem admissis. Reducto capite Sylue in aduersarios armati sæuire aggressi sunt. Ea causa ab Henrico, cum ad periculum festinasset, vrbe pacata, Fuensalidæ Comite vrbana prefectura amoto, quam multos per annos continuarat, substitutus est Garsias Lupus Assistentis nomine, qui ciuibus iura daret. Marchio Gaditanus ab Assidonię Duce Hispali pulsus, duos aduersarii fratres materno genere impares tumultuaria pugna sustulit. Assidoniam expugnauit. contentio in iustum bellum exarsit: quam Enecus Mendoza Tendillię Comes eo missus, arte magis quam viribus pacauit, Assidonia etiam restituta. Motibus Castellæ pacandis magnum præsidium decessisse videbatur, obitu Pauli secundi Romani Pontificis octauo kal. Augusti, cuius in nostram gentem magna beneficia extiterant. Successit quinto Idus Augusti ex Minorum ordine Franciscus Ruuereus Cardinalis, Sixti quarti nomine, haud minori probitate, humanitateque in nostros. Io. Margaritum Gerundensem Episcopum Romæ pro Aragonio Oratorem donauit purpura. cuius extant de rebus Hispaniæ Paralipomena: & Romæ sepulchrum in D. Mariæ de Populo ad portam Flumentanam. Maurorum manus in Bæticę agros inuecta est: atque Alcantarę contributa oppida. ferro igneque vexata. tantum prædę & spoliorum auexere, vix vt explicare agmen possent. Gaditanus Marchio vindictę studio, iussu Regis in barbarorum finibus Cardellam municipium vi cepit quidem: sed infirmo præsidio munitum breui ad veterem ditionem rediit.

Carolus Aquitanus defunctus. CAP. XVII.

FElix hic annus Lusitanis fuit, felix Aragoniis. Alfonsus Rex Lusitanus instructa numerosa classe, omnino nauigiorum maiorum minorumque trecentorum. Africam bello repetiturus, Olisipone soluit Augusto mense dimidiato. Sequebatur Ioannes filius prima militiæ rudimenta in pio bello positurus: ex vniuersa gente nobilissimus quisque, promiscui generis homines ad triginta millia. his copiis primo aduentu Arzilla vi capta est. è barbaris duo millia trucidata. captiuis ad quinque millia sub corona venditis, magna pecunia in ęrarium redacta. victoria nostris incruenta non fuit. cecidit nobilissimus quisque: Aluarus Castrius, Ioannes Coutinus Montis sancti & Marialuæ Comites. Huius cadauere cõspecto Rex ad filium conuersus: Vtinã te, inquit, talẽ tantumq; militẽ superi præstent. Arzillæ clade Tingitani Mauri territi, vrbe deserta fugerũt. Captę ei vrbi Rodericum Merlum, Arzillæ, atque Alcassari Henricum Menesium Valentię Comitem præfectos cum Rex dedisset, tantis rebus breui patratis classem triumphans incolumem in patriam reuexit, Alfonso Basconselo in ea expeditione Penellæ Comite creato. ea meritis continuis & maximis cõpensatio fuit. In Catalaunis Gerunda vrbs post Lotaringii obitum, in Aragonii potestatem ciuium deditione redacta Octobri mense. reliquię hostiũ, quibus Reinerius Scãnis Lotaringii filius nothus, Iacobus Galeotus præcipui duces erant, pars ad fanum Hadriani ad ripam Besis fluuii obsessæ: pars quę Barcinone vicina obsessis opitulatũ accurrit insigni pugna superata cęsaq; est ab Alfonso Aragonio, qui ei bello fuerat à patre prefectus. Ad Emporitanos ipse ea q̃uis ætate, hostes magna diligẽtia persequebatur. cui castris ad Toroellã positis, per quietem speciẽ strenui militis in eo bello occisi oblatam memorant, monẽtis ne castra inde moueret: alioqui imminere malum Regem earum rerum contemptu quasi fortuitarum, motis castris capta Rhodope,

obſeſſoque oppido Peralada,nocturno impetu Cãpobaſſi aduerſarię partis Ducis ferme oppreſſum,vigiliis trucidatis inermem ac ferme nudum Figherę mœnibus ſalutem tutatum: ſed próximo tamen die repetita obſidione,atque agrorum vaſtatione, deditionem tandem ab oppidanis factam: totoque eo tractu ad ditionem ſubiuncto, Barcinonem promota caſtra. Longa ea obſidio fuit. Vim prohiberi erat Aragonio deſtinatum: arteq; potius commotas ciuium voluntates ſanare. Quid enim vrbem nobiliſſimam vaſtaret, deriperet,incenderet? quid militum prædam faceret? & non potius ſibi à clementia immortalem gloriam quæreret, fructumque multo maximum,ciuium ſalute & opibus cõſeruatis? In Vlteriori Caſtella Ferdinandus & Iſabella multis oppidis tentatis,quibuſdam etiam,atque in his Sepulueda deditis,Toletanum,qui ſe in Carpetanis tenebat, euocare conſtituunt.& quod Aragonius pater præceperat, ſe ſuaq; eius poteſtati permittere velle pollicentur. Fide fides obligatur maxime.Itaq; eo placato, atq; cum firmo equitatu proſequente Tordelacunam,quod oppidum in Carpetanis Toletano ſubditum eſt, fertiliſſimo agro migrarunt.Carolus Aquitanus Ioannę nuptiis contemptis, incertis natalibus,ambigua dote ad Burgundi filiam, patris inuitatu, ſuaque ſponte animum retulerat.
1472. Ea re cognita Henricus, Segobia vbi ſe tenebat principio anni Milleſi. quadringenteſi.ſeptuageſ.ſecundi, Pacem auguſtam ire pergit.eam vrbem Comes Feriæ obtinebat Magiſtro infenſus: ita venientibus portæ clauſæ. grauis contumelia fuit:neque melior colloquii ſucceſſus:ꝙ inter eam vrbẽ & Helbes (Heluiam quidã vocant) Portugaliæ oppidum, eſt habitum. de nuptiis Luſitani Ioannæque, qua potiſſimum cauſa is labor erat ſuſceptus,nihil certi conſtitutum. Luſitano Paciechi Magiſtri fides ſuſpecta erat, ſeſe in omnes partes vertentis,vndecunque melior ſpes oſtentaretur.Ferdinandi & Iſabellæ in dies creſcere vires in Caſtella conſiderabat,& ipſorum virtutib. & gentis beneuolentia excitata;& Toletani artibus,ſingulas ciuitates ſolicitari,trahique in partes. Ira in Comitem Ferię in præſens diſſimulata.Madrito Henricus,quo ſe à Luſitani colloquio retulerat repetita Bætica,exceptus Cordubę Hiſpalis aditu abſtinuit:eam vrbem Aſſidoniæ Duce cum numeroſo equitatu obtinente Magiſtri,vt ferebat,metu: quem rebus ſuis infenſum antea ſæpe erat expertus.Nullo itaq; magno operępretio Toletum feſtinatum ad vrbanos motus pacandos:qui capta à Ciſontano,cũ in eã vrbẽ rediiſſet arce,quæ ad Diui Martini pontem erat firmiſſima,captoq; vrbis Præfecto, grauiſſimi extiterunt. vix ea ſeditione pacata Henrici præſentia,ſacerdotumq; templi Toletani virtute & armis, Segobiã ciuili diſcordia ardere nunciatũ eſt.magna iniecta ſolicitudo: quoniam regii theſauri in eam vrbẽ relati erant. eo quam primum feſtinatur. nulla erat facies mali,quam in ea temporum atrocitate vniuerſa prouincia nõ pateretur.rapinę,cædes,iniurię,promiſcuę libidinis ſcelerum omniũ licentia volitabat impune: ſacra atq; profana iuxta contemtui erant:pecunia paſſim adulterata,magno mercatorũ commerciiq; dãno. Ea ſæpe de ſcripto capita Regi explicata: vt remedium adhiberet fruſtra poſtulatũ. Henrici væcordiã, procerum artes,reipublicæ vniuerſæ iactationem,paſtoritio quidem,ſed eleganti carmine Ferdinandus Pulgarius nobilis ea ætate ſcriptor,ſuppreſſo nomine ad vitandam inuidiam,deplorauit,lingua vulgari, eglogæ forma, ſatyrę amaritudine,Dominici & Egidii paſtorũ inter ſe colloquẽtium de reipub.ſtatu affictis nominib.ſermone dato. Hoc anno quarto Idus Maii Carolus Aquitaniæ Dux Burdigalæ diẽ obiit, in medio apparatu noui belli:quod eis, Burgundi, atq; Britanni iunctis viribus in Gallum parabatur. Aquitania omnis defuncto Carolo, Galli Regis Præfectos oppidis arcibusq; accepit. Burgundus inuidiam Regi conflare,parricidii inſimulans,corruptis ab eo familiaribus fratrẽ veneno ſublatũ. ventum ad arma.quędam,ſed ea ignobilia oppida vtrinq; capta: maiora fruſtra tentata.plus iratũ Burgundo,plus virium atq; conſilii Regi Gallo.Inducę ſępe factę:ante diem ſępe ruptę.verum totius belli ſucceſſus,& qua ratione ab iis initiis Burgundus tandem quinto poſt anno in exitium pręceps datus, ad Nantium in Lotharingia ceciderit victus ab Heluetiis acie, hiſtoricis eius gentis explicandum relinquatur. Gaſto Fuxenſis Comes res Hiſpanię attingit, Eleonorę coniugis iure, Vaſconum regni hæres futurus, ſi vita longior contigiſſet.In ſaltu is Vaſconum ad Rocidam vallem hoc anno deceſſit: cum ex Gallia iret in Vaſcones,multis Gallicis bellis atque imperii finibus prolatis,in paucis ea ætate nobiliſſimus. fratrem habuit Petrum Lautrechii Vicecomitem pari virtute, gloriaque, bellis omnibus adiutorem, Lautrechiæ familiæ nobiliſſimæ conditorem, defunctus enim Mirandę, quod eſt Gallię oppidum, ſuperioribus annis vxore grauida, poſthumum filium habuit Ioannem nomine.ex hoc Odetus,atq; Andreas cognomento Sparroſus ſunt geniti clari Duces:hic bello Vaſconum, quo tẽpore mortuo Ferdinando Rege Catholico ciuilia arma in Hiſpania mota ſunt: ille Mediolanenſi & Nea-

& Neapolitano aduerſus Carolum Cęſarem.præterea Thomas Leſcunius iuxta nobilis in Gallia. Odeto filius Henricus fuit: cui vita longior cæteris fratribus contigit, ad noſtram ætatem propagata.

Rodericus Borgia Cardinalis in Hiſpaniam legatus. Cap. XVIII.

HOnorem purpuræ Seguntinus nobilitati congruum, meritis debitam gratiam, à Pontifice Romano regia opera impetrare cupiebat. Aeger mora, impatienſque, animo vehementer alienatus, neque in Luſitaniam, neque in Bęticam euntem Regem proſecutus erat: multus alioqui in aula aſſiduusque. magnum in eo momentum rebus erat propter familiæ amplitudinem, paresque opes. ægri animi ſanandi ratio excogitata. Magiſter Diui Iacobi obitu prioris vxoris domum ſecundis nuptiis vacuam, filiam Hari Comitis patre concedente duxit. Ea quoniam Maria Mendoza nata erat, Velaſci Mendozæque reguli affinitate deuincti ſunt; Aſſidoniæ Dux eo prę́ſidio nudatus, quod à Mendozis certiſſimum expectabat & ipſe aduerſus inuidiam procerum aliorum, plus vnum omnibus poſſe dolentium, opes vehementer ea affinitate confirmauit, homo callidus, ingenii dexteritate ad verſandos homines, vitādaq; pericula pollens in paucis. Purpuræ haud dubia ſpes Seguntino iniecta, Roderici Borgię Cardinalis Valentini aduentu: quem à nouo Pontifice legatum, patrium Valentię litus tenuiſſe ad duodecimum kal. Iulii, cultumque in ea vrbe, vt par erat, omnibus officiis, pedeſtri itinere Tarracone Ferdinandum Sicilię Regem conueniſſe nunciabatur, per id tempus Barcinonem ad patrem profectum, eoque conuento, ſeſe ad vxorem referentem. Suſcepti à Ferdinando itineris aliæ cauſſæ vulgatæ ſunt. illa veriſſima: de Henrici Segorbii Ducis, & Ioannæ connubio agi, renunciare cupiebat: quod diſturbandum filius diſputabat. pater non credebat, falſis ſępe delationibus deceptus, ob ætatē cautior, & indulgentia in Henricum fratris filium propenſus. Omnino Ferdinandus Tarracone in Valentinos abiit. Inde ſeſe in Caſtellam feſtinus retulit, cura ne ſe abſente à prauis hominibus, quorū erat magnus numerus, reſp. turbaretur amplius. Cardinalis legatus Barcinonem ad Aragonium peruenit. Quo tempore obſeſſi ciues diuturnæ obſidionis feſſi malis, atque rerum omnium inopia laborantes de obſtinatione tamen animorum nihil remittebant, duro homines ingenio atq; aduerſus mala peruicaci. Inuitati ſæpe ad ſanitatem, ſurdas aures ſalutaria monentibus præbuere. Aragonius literas teſtes ſui animi, teſtes clemētiæ ad extremum dedit. Eo loco res eſſe, vt neque ſuis, neque alienis viribus ſtare diutius poſſent. Debere eos vrbis pulcherrimę, quę caput gentis eſſet, nulli in Hiſpania de nobilitate, atque elegantia concederet, ruina, incendio direptioneq; moueri. ſibi decretum eſſe, dum ſpes eſſet, voluntate ad legitimum imperium redituros, neq; vim, neq; metum intentare: eoque niſi neceſſitate nō venturum & quaſi viſcera ſecantem ſua. Huius ſui animi teſtem inuocare Deum: nō alio loco neque habuiſſe quam filiorum, neq; habiturum vnquam. ac (per ipſos modo liceat) prouinciæ calamitatem omnibus regni opibus ſanare propoſuiſſe. His illi emoliti literis, ac ſpe defenſionis abiecta legitime dedentium vrbes verba nuncupare conſtituunt. Dati iudices, qui de ſingulis controuerſiis ſtatuerent. Gallicum prę́ſidium Ioanne Lotharingii filio Duce dimiſſum. Venia omnibus data, quicunq; eo bello in Regem arma ſumſiſſent. Vnus exceptus Pallaſii Comes, quædā in Pyrenæi iugis oppida retinens, vnde Gallicis opibus fretus diu moleſtus finitimis extitit, ſuſtentauitq;. Quæ geſta eſſent eo decennio, ex quo tempore bellum tenuit, atque decreta à ciuibus, approbata. Sic Octobri menſe extremo Barcinonem Aragonius inuectus, nobiliſſimum clementiæ exemplum poſteris reliquit, vrbe ea, vnde tantæ iniurię extiterant conſeruata. cæteris omnibus clarius trophęum. Caroli filii ſublati pœnitentia ſucceſſerat: & pro eius ſalute, non pro externo hoſte arma ſumpta, optimo animo conſiderabat. Neapoli gemina coniugia pacta. duo Ferdinandi Neapolitani filii, Fridericus, Eleonoraq;, hæc Sfortiæ Mariæ Barenſi Duci & Mediolanenſis fratri, cui ſtipulatam diximus detracta, Herculi Aſtenſi nupſit Ferrarienſi Duci: Friderico Ioanna Aragonii filia deſponſa eſt. Hoc tamē deinde mutatū. Eleonora Princeps cū Sangueſſæ in Vaſconibus eſſet, viro defuncto, vti paulo ante diximus, à Gallo ſolicitata eſt, vti in eius poteſtatē Vaſconum arces contraderet. ad ſtabiliendū nepotibus imperium gentis, id maxime pertinere: firmiſſimumq; præſidium ad omnem ſtatum dignitatis. eorum quippe ſorore nati, ad aliquā ſolicitudinis partem pertinebant. Ea noua iniuria Aragonius prouocatus ad alias, quæ toto belli Catalaunici tempore multæ & graues extiterant, correptis in Gallum armis Ruſcinonenſes Ceretanoſque ad ditionem reuocare conſtituit. Barcinone ad quartum kal. Ianuarii principio anni Milleſi. quadringenteſi. ſeptuageſi. tertii profecto, accedentique ad fines Helena, Perpinia- 1473.

numque continuo portas aperuerunt. Gallico imperio fessis omnibus Aragonio victori passim fauebatur. Reliqua omnia similia fore credebatur. Cardinalis Legatus Aragonia discedens Madritum tenuit. acceptus splendido apparatu sub vmbella, prçeũtibus proceribus, sacratisq; viris in augusto ornatu, Henrico Rege sinistrum latus stipante: quod more gentis maximo honori ducitur. In id oppidum Episcopi ac Sacerdotes alii ex vniuersa ditione euocati à legato, frequentes conuenerunt. actum de pecunia, quã designato annorum numero, à sacerdotiis redigi in subsidium belli Turcici Pontifex postulabat. graues difficultates opponebantur, iactatione temporum exhaustis omnibus. Vicit tamẽ legati auctoritas, regia voluntate adiuta. subsidium Pontifici Romano, vti expetebat, decretum. imminuendę quamuis Ecclesiarum libertatis exemplum ab eo facto induci, alioque auertendi copias Hispaniæ considerabant. Inuaserat pudenda literarum inscitia in sacerdotes Hispanię: vsque eò vt pauci Latine scirent, ventri, gulęque seruientes. auaritia rapaces in Ecclesiam Dei manus iniecerat. emere sacerdotia olim simonia, tunc industria erat. neque intelligebant cęci Principes, cęcique Pontifices, irato Deo fieri impium commercii genus: quod facias an patiaris perinde est. Medicinæ faciendæ ratio, iis sacerdotum conuentibus excogitata est. impetratum à Pontifice Romano, vti in singulis ecclesiis cathedralibus bina sacerdotia, quos Canonicatus vocant, suffragio Episcopi, atque collegii Theologo vnum, alterum Iureconsulto obuenirent. Pontificium diploma, quoniam publice cognosci vtile foret, eius iniuria temporis sublati partem, diplomate altero post biennium concesso comprehensam, hoc loco subiicimus. ” Kal. inquit, Septem. ” Pontifi. nostri anno quinto per quasdam statuimus, & ordinamus: quod de duobus ca- ” nonicat. & totidem præbendis, qui primo per cessum vel decessum, aut quamuis aliã di- ” missionem illos obtinentium extra Rom. curiam, in quibusuis mensibus simul, vel succes- ” siue vacarent in qualibet Ecclesiarum earundem, etiã si dispositioni Apostolicæ ex qua- ” uis causa (non tamen prima vice) generaliter reseruati forent, perpetuis futuris tempo. ” quoties illos vacare pro tempore contingeret, vnus qui in Theologia Magister, seu Licẽ- ” ti. & alter in vtroque, vel altero iurium Doctor seu Licenti. existeret, posset, & deberet ab ” Epis. vna cum capitulo cuiuslibet earum Ecclesiarum ordinaria auctoritate prouideri, in ” omnibus & per omnia, perinde ac si aliquæ gratiæ expectatiuæ speciales, vel generales ” reseruationis, & nominandi, seu nominatis conferendi facultates & mandata à nobis, seu ” sede Aposto. vel eius legatis, seu alias eius auctoritate, etiam Regum, Ducum, Principum ” vel Prelatorum, aut quauis alia consideratione nullatenus emanassent, seu in posterum ” emanarent. Ita tamen, vt de eis qui primo Doctori, vel cum rigore examinis Licenti. in al- ” tero iurium, & aliis qui post modum vacarent simul, vel successiue canonicati. & præ- ” bendis huiusmodi Magistro, vel Licentiato in Theologia prouideretur. Et si inter Do- ” ctores & Licen. eosdem ad illos pro tempore nominatos aliqui de nobili genere procrea- ” ti forent, aliis non nobilibus: & inter ipsos nobiles, qui ex vtroq; parente nobiles fo- ” rent, nobilibus ex altero tantum: & inter ex vtroque, & vno latere tantum nobiles de ” maiori nobilium genere procreati per eosdem ordinarios collatores & Capitula pręeli- ” geretur. qui si in eadem Ecclesia beneficiati & alias, si qualificati reperiantur, aliis præfe- ” rantur. sicque perpetuis futuris temporibus obseruetur. Hactenus diplomatis pars.

Perpiniani obsidio. Cap. XIX.

Pacandis Castellæ motibus, componendisque dissidiis, magna à Cardinali Legato contentione adhibita, parum profectum: & ipse, vt natura cogebat, in Ferdinandum ex arcano propensior, ad confirmandam eius causam omnes neruos contendit. Complutum profectus, vbi Ferdinandus, Isabella vxor & Toletanus erant, inde Caracam, nõ alio consilio abiit, quã vt Mendozas regulos in partes traheret: ab Henrico Rege, & D. Iacobi Magistro deduceret, ingenio fretus ad simulandum, dissimulandumque idoneo. Vno tempore tumultus per vrbes & oppida concitati sunt in eos, qui Iudęorum ex sanguine prognati erant, profunda homines auaritia fraudeque. initium Cordubæ factum. ferro, rapinis, incendiisque in miseram gentem sæuitum, furente populo nullo supplicii metu. Numinum iram prudentes interpretabantur, ob abdicata passim ex arcano, quæ ante susceperant Christiana sacra. Cordubæ exemplum alia oppida & vrbes Bæticæ secuta sunt. vis maior in Giennium incubuit. Irantius Magister equitum gentem calamitosam ab iniuria vindicare ausus, seque furenti populo opponere, magnam inuidiæ flammam apud populares accendit. ita facta conspiratione ad aras, sacris operantem, crudeliter obtruncarunt. Therasia vxor, & filii vix arcem tenuerunt. Regii scrinii præfectura Segun-

Seguntino poſt Irantii cædem concredita. Hari Comes Magiſter equitum renunciatus eſt, honore antea per multas familias vagato, deinde in eius poſteris ſtatario ad noſtram ætatem. Magna ea clades fuit: magnumq; præſidium Henrici rebus ob eximiam Irantii conſtantemq; fidem, ſublatum. Magiſtri D. Iacobi arte conquiſita alia. Henricus Aragonius ad certam coniugii cum Ioanna Principe ſpem, per Valentinos fines euocatus venit in Caſtellam: tum ipſe, tum mater Beatrix Pimentelia, obuio ad Requenam Magiſtro ipſo, deducenteque. maior expectatio, quàm ſucceſſus fuit. quem ex fama probarant, viſum contempſere, inſigni hominem arrogantia: qui proceribus complexum ferentibus, manum oſculandam in os ingereret, nondum opibus fundatis, neque veritus rerum mobilitatem. Eiuſdem magiſtri arte coniugium eſt impeditum. Erat enim ex arcano Henrico Aragonio infenſus, repetituro paterna oppida, ſi imperium obtinuiſſet: Beneuentanumque metuebat, Henrici auunculum, memoria intercepti Magiſterii in primis iratum. alia tamen obtendebatur ſpecies. magno aliquo Principe opus eſſe ad motus gentis pacandos. At regiam fidem fallere, ludere eum Principem, graue fore Regi videbatur. ad defendendum bellum magna pecunia opus eſſe Magiſter ait, Andreæ Cabreræ, cui theſauri cum arce Segobienſi concrediti erant, fraudem nectens. Vbi tumultum in gentem ex Iudæis maioribus ortam, Bæticæ exemplo Magiſtri fraude concitatum, atq; Cabreræ imprimis capiti minitantes populares quaſi miſeros tegeret, vix ipſe arte & induſtria pacarat. Seguntino honos purpuræ datus Madriti, miſſo in eam rem proprio à Pontifice legato. noua muneri gratia addita, conceſſum à Rege, vt Hiſpaniæ Cardinalis vocaretur. Henricus Aragonius Madriti aditu prohibitus, Setaffii, qui pagus ſecundum viam militarem, qua Toletum itur protenſus eſt, expectare iuſſus, Rege conuento in agro vicino, Odonem eſt amandatus. Pontificis Romani venia excuſabant, niſi lege propinquitatis ſoluta, inita coniugia inter propinquos, neque eſſe iuſta, neque fauſta. ſic ille deluſus ſpe eſt. Henricus Rex Segobiam abiit, per cauſam expediendæ pecuniæ, quam Andreas Cabrera maligne ſuppeditabat, D. Iacobi Magiſtro infenſus (quem Segobieſis arcis præfecturam ambire exploratum erat, Madriti iam arce per ſpeciem ſe muniedi detracta eidem Cabreræ) in Ferdinandum ex arcano propenſus, & ſuapte voluntate, & vxore Beatrice Bobadillia in Iſabellæ Principis obſequiis educata. Contrà noui Cardinalis opes vehementer confirmatæ ſunt, defuncto Caucæ Alfonſo Fonſeca, magni ingenii ardentiſque animi viro. In eius enim locum Hiſpaniæ Cardinalis, Hiſpalenſis Epiſcopus agente Rege eſt renunciatus, retenta Seguntina Eccleſia, nouo damnatoque exemplo. Sed ita erant eius ætatis mores: quod libebat, licitum videbatur. In Ruſcinonenſi agro Perpinianum obſeſſum tertio Idus Aprilis fuerat, Galliarum copiarum ad viginti peditum millia milleque cataphractos ductore Philippo Sabaudo. Aragonius intra oppidum erat, certus quoduis prius adire periculum, quam vt firmiſſimum municipium, quà aditus eſt in Galliam, hoſtibus deſereret: quò maiores animos obſeſſis faceret, concione in templum aduocata iuratus, ſe inde pedem niſi obſidione ſoluta non elaturum. Inſignis audacia, animique præſtantia in ea ætate, exemplum neſcio an probandum: cùm in vnius capite, ſumma rerum & imperii verteretur, ſi ab hoſte eſſet intra oppidum captus. ſed numina tantam calamitatem auerterunt. Oppidanorum virtus egregia fuit. In Regis oculis quiſque ſupremo conatu propugnabat, dimicabatq;. Petri Peraltæ Magiſtri equitũ in Vaſconib. fides maximè celebratur. qui in veſte Fräciſcana Gallicæ linguæ ſciẽtia, qua multũ vtebatur, per medias hoſtiũ acies tutus ad Aragoniũ penetrauit, periculi ſocius futurus, à quo omnia acceperat, ſupremum id officium deberi ratus. Aragonii filii tres, Alfonſus cũ patre erat: Cæſarauguſtanus Helenam finitimam vrbem valido præſidio occupauit, paterna iuſſa facturus: Ferdinandus Talamanca cognito periculo profectus, quadringentos equites è Caſtella auxilio duxit. ei numero ex itinere centum alii ſunt adiuncti. cum iis copiis menſe Iunio ad opprimendum Emporias delatus, tantum hoſtibus terrorem iniecit, vt ſoluta obſidione ac mox ad menſem Octobrem pactis induciis, finibus diſceſſerint. Sic confecto bello Aragonius, triumphi perſimili ſpecie, curru ſublimis cyanea veſte conſtrato, agentibus quatuor candidis equis, dextra læuaq; ſtipante nobilitate & magiſtratibus, effuſo ad ſpectaculum populo, Barcinonem iniit ea porta, cui à Daniele nomen eſt, ipſa canicie, luminibus reſtitutis, rebuſque geſtis clariſſimus. Corpus deſtitutum viribus vigor animi ſuſtentabat. Abſceſſerat Ferdinandus filius Dertuſam, Aragoniæ gentis conuentus agitaturus, pro patre Rege vicarius. cæterũ morbo tentatus, conuitioque in Caſtellam reuocatus, vbi multa nouabantur, eo conatu deſtitit. Ferdinandi Auiſii Magiſtri, quem obiiſſe in captiuitate dictum eſt, oſſa per idem tempus à Mauro quodam è Phuthenſi vrbe clam ſublata, atque in Luſitaniam aduecta, ad Aliubarrotam, vbi maiores ſe-

pulti erant, compoſita tumulo ſunt. Inferiæ defuncto ex ritu Chriſtiano magnificè datæ.

Arandæ Concilium. CAPVT XX.

FVere hæc tempora cæteris quidē Hiſpaniæ prouinciis nulla re, niſi quod præcipuum eſt, feſta pace nobilia. Vna Caſtella non quieſcebat indies grauiori metu. fœdis Principum certaminibus modeſtia multitudinis corrupta, oppida & vrbes in factiones ſciſſa erant. Ferdinandi & Iſabellæ vires nouis acceſſionibus augebantur. Henrici Regis ignauia opes minui, plebiſque alienatione. & vt in corporibus, ſic in imperio grauiſſimus eſt morbus, qui diffunditur à capite. In Cantabria tumultus erant. dum equitum Magiſter armis conatur, Henrici ad imperium reuocare duriore ingenio gentem propoſitiq; tenacem: Petrus Manricus Treuigni Comes Aragoniis partibus infectus defendere conatur, illata regioni vaſtitas per ſe ſterili, & rerum omnium indigēti. Toleti noui tumultus concitati. Fuenſalidæ Comes Paciechi fauore, qui in eam vrbem oculos etiam auidos cōiecerat, armis intra mœnia irrumpere conatur. atque Ferdinandum Ribadeneiram Mareſcalum Henrico fidum, vrbe deturbare. Verum ciuium concurſu repreſſa audacia eſt: & Regis aduentu, qui periculo nunciato aduolauit, motus vrbani compoſiti. Sontib. venia data lex impunitatis confirmari viſa eſt. Ex ea audacia Paciechus, ſiue inuidiam veritus, ſiue otii cupidus Pennafielem ad vxorem abiit. tot annis in aula aſſiduus ſatietatem abſentia procurare cogitabat, miſſo tamen pro ſe Diegho filio vicario: quem Villenæ Marchionem renunciatum iam diximus. Venientem Henricus ea amoris ſignificatione accepit, ac ſi ingentia beneficia à patre extitiſſent: & erat conſpicua forma, ætas integra, fortunæ cultus par. Segobiam Toleto itum. In ea vrbe gratia frequenti vſu amplius conciliata. ad Villenium in Hieronymianum cœnobium, cui Parrali nomen eſt, hoſpitio datū Henricus quotidie ventitabat. Cum Andrea Cabrera actum, vti gratia cum Paciechis conciliata, in Henrici poteſtate eſſet, arce cum theſauris tradita, Moiæ permutatione: ꝙ municipium ad Celtiberorum & Conteſtanorum atque Valentinos fines ſitum eſt, Conchæ vicinum Cabreræ patriæ. Eò faciles aures prębere pactioni videbatur. Res non latuit. oppidani animis ex eo vehementer offenſis, Aragonium præſidium intra mœnia accepere Duce Ioanne Heredia, qui ad rem certam è Valentino tractu aduolauit. ægrè id fuit Henrico Regi. Illud grauius. Arandam, quod oppidum in Vxamenſi diœceſi eſt ad Durii ripam, Iſabella Princeps Tordelacuna, vbi ſe in Carpetanis tenebat viro abſente, ab oppidanis conſenſu euocata, illud imperio ſubegit. Ioannæ Reginæ detractum. Fœminæ impudicitia, amoreſq; male cauti, totius prouinciæ inuidiam commouerant, Regis etiam. Sed eſt quibuſdam inſitum, vti magis peccari nolint: quàm quod ſatis animi ad vindicanda delicta habeant. vti Henrico Regi per totam vitam accidit. Illa & filia Madriti in arce erant Villenii curæ concreditæ. Arandæ exemplum ſecuta eſt Agreda (prope olim Auguſtobriga ſita fuit) magno dolore Medinæ Celinæ Comitis, cui Henricus id oppidum donarat. A Toletano, cùm Iſabellam eſſet ſecutus, Arandæ, prouinciæ Epiſcoporum concilium indictum, habitumq; eſt. affuere Epiſcopi, atque Archipresbyteri ex vniuerſa prouincia euocati, ex vtroque ordine viri non pauci. Diſciplinæ eccleſiaſticæ inſtaurandæ, ſpecies obtendebatur, vitio temporum labefactatæ. Propior tamē cura erat (ſic arbitror) factionis vires confirmandi. Nonis Decembris quatuor tantum hæc decreta promulgata. Epiſcopi in publico ſemper linteati viſuntor. Presbyteri minimum ter aut quater, diuina hoſtia annis ſingulis ſacrificanto. Sacro ordine viris ſeſe obſequiis procerum addicere, aut eorum ſtipendia facere, præterquàm Regis, nefas eſto. Cura eccleſiarum, & maiora ſacerdotia, quæ Dignitates vocantur, ne cui creduntor, qui Latinè neſciat. Vix ſoluto conuentu Ferdinandus per Almaſanum, & Valeranicam à Medinæ Celinæ Comite, & Petro Mendoza Almaſani regulo, omnibus officiis ex itinere cultus, Arādam ad vxorem appulit, partium ſtudia præſentia vt confirmaret. Deceſſere hoc anno in Caſtella quidem Fridericus Maris Præfectus & Gometius Cacerius Alcantaræ Magiſter ſucceſſore Ioanne Stunica, vti paulo ante dictum eſt: in Gallia autem Nicolaus Ioannis Lotaringii filius Renato auo ſuperſtite. huius ex filia nepos Renatus auiæ maternæ iure Lotaringiam obtinuit, præclara virtutum indole Princeps: cæſo Carolo Burgundo Audaci ad Nancium quarto poſt anno quàm re alia fama maiori. Ioannes Armeniacus Comes nunquam Regi Gallo fidus, gratus ve ex quo in Hiſpaniam pulſum diximus, Burgundi copiis bello in Aquitania cōcitato, Petrum Borbonium Aquitaniæ Præfectum à ſuis proditum ceperat: neque dimiſerat, niſi Lectorio oppido ſibi reſtituto. In illum continuò miſſæ abs Rege Gallo copiæ ductore Albigenſi Cardinali. Lectorium recuperatum, euerſumque eſt.

Comes ipse cõtra datam deditirio fidem peremptus, ancipiti fama facti: eo minori inuidia quod confictο pontificio diplomate, vt sibi ius fasq; esset sororem germanam ducere, ei vitium attulerat. Pudendam turpitudinem, probrumq;. Impietas suscepta, væsanaque libido sic est vltore numine exitio vindicata.

Libri vigesimi tertii Finis.

IO. MARIANÆ HISPANI, E SOCIETATE IESV, HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ,

LIBER XXIV.

Isabella Henrico fratri conciliatur. CAPVT I.



On quiescebant diuisa Castellæ procerum studia, maiori indies Aragoniarum partium fiducia viribusq;. neque D. Iacobi Magister desistebat opibus opes struere, præsidia præsidiis addere maiori habendi auiditate: metuque, ne si Aragonii rerum potiti essent, ipsi cedendum esset principatus magna parte: quam in eorum ditione fuisse superiorib. annis meminerat. Quo consilio Ferdinandi & Isabellæ coniugio aduersum se præbuerat, Henrici Aragonii & Ioannę pactas nuptias disturbare pergebat, alias ex aliis moræ causas & difficultates nectens, Rege quorsum ii conatus spectarent, præ socordia non intelligente, aut dissimulante præ ignauia. Ad Madriti arcem, Segobiensem adiicere contendebat si id assecutus esset, Regem quasi iniectis compedibus fore in potestate prouidens, & quemcunq; cursum res habuissent, certum rebus præsidium. ea summa votorum erat. Andreas Cabrera vnus maximè opponebatur & gratia Principis & ingenio pollens, neque eius pollicitis quamuis magna erant, satis credens. Exortis inter eos suspicionibus atque confirmatis, vterque dolos ad euertendum alterum nectit: cautus vterque & callidus, maiori Magister potentia atque opibus. Cabrera felicior omnes ingenii neruos intendit, vt Isabellam conciliaret Henrico fratri. æmuli absentia opportuna conatui erat, Villenii filii haud pari propter ætatem calliditate. Henrico assiduus, officiis ad tempus accommodatis amplius confirmata gratia, multo sermone persuadet, vti Isabellam sororem ad se accersat. Id publicè salutare fore, priuatim vtile, honestumque. Magistri conatus quorsum tendant ignorare neminem: vt republica turbata priuatas familiæ opes augeat, immensa auiditate ambitioneque, inconstanti fide atque venali. Quod reipub. motus eo concitatore graues & diuturni, me silente indicant, ex dolis atque fraude ingenium moresque compactos. At filię caritas mouet: indignumque iudicas innocentem ætatem paterna hæreditate spoliari. Sed liceat modò vera loqui, quî id populo persuadeas ex te genitam? & est prudentis non amplius in repub. conari, quàm quod ciuibus probare possis. Non vt corporibus, sic animis vis afferatur. Opinione multorum, quæ vna famæ vox est, stant imperia caduntque. Vtcunque res habeat, an duabus sororis filiæq; dotibus, amplitudini nobilissimi regni pares opes non sufficiant inter vtranq; per conditiones tributi? At imperii maiestatem imminui graue est. sed ciuili discordia, & perpetuis ex eo malis implicare rempubl. multo grauius. Mihi crede, aut hæc via aut nulla est tantis malis medendi. si quid priuatis rationibus contrarium est, id pacis studio, patriæ caritati condonandum censeo. Quanta mala ex ciuili discordia impendeant, debes cùm tempus est considerare: curare etiam, atque præstare. Mouebatur Cabreræ oratione Henrici animus, actionum consiliorumque mirabili per totam vitam inconstantia, regio

nomine indignus,ſoliique probrum.Cabreræ diligentia, hortatuque, Hērico in ſententia euocandæ ſororis confirmato, Beatrix Bobadillia viri ſuaſu Arandam proficiſcitur: quo res occultior eſſet,vecta aſino,atq; in ruſticana veſte obuoluto capite. conueniendi Iſabellam Principem opportunitatem nacta perſuadet,vti quam primum Segobiam improuiſa abeat: fratris, in eam procliuem animum explicat: ſi mutet arcis munitione fore ab iniuria tutam:ſi quid periculi ſubſit tamen,audendum magna conatibus. In eo rerum momento celeritate opus eſſe:cunctationem fore noxiam. Parua ſæpe mora magnas fieri inclinationes.Re conſtituta Bobadillia ſe ſe ad virum refert. ſubſequitur Iſabella haud magno proxima interuallo:ſeque in arcem Segobienſem infert ad quintum kal.Ianuarii principio anni Milleſi.quadrin.ſeptua.quarti. Vulgato eius aduentu varie,vt cuiuſq; ani-
1474 mus erat,commouentur ciues,perturbantur aulici. Villenius fraudem ſubeſſe & coitionem ratus,conſcenſo equo Ayllonem vicinum oppidum ſe ſubducit feſtinus & pauidus. Henricus ex Balſaino nemore,vbi venationi dabat operam,Segobiam accurrit,ſororem inuiſit: magna lætitiæ ſignificatione inter ſe ſalutant, in mutuosque amplexus ruunt, eo maiori ſtudio quod ante multos dies non viderant. Arcanis ſermonibus longum tempus conſumptum.fine colloquii Iſabella ſuam cauſam fratri commendat,iure minime dubio nixam.Rex ſumpturum ſe tempus ad deliberandum ait.ſic à colloquio diſceſſum ad multam diem.die poſtero in arce cum ſorore cœnatus Rex.tertio per plateas ciuitatis Iſabella vecta eſt,honoris gratia,eodem equi habenas regente.Nullus illuſtrior dies ciuibus, atq; adeo Hiſpaniæ vniuerſæ illuxit, certa concordiæ ſpe, malorum metu ſublato. auxit opinionem,confirmauitque,Ferdinandi Principis rei geſtę fama & vxoris literis prouocantibus, Turuegano (quo acceſſerat quorſum res euaderent expectatum) aduentus. Ad octauum Idus Ianuarias,qui dies Magorum memoria ſacer eſt, Henricus, Ferdinandus, Iſabella per vrbem vna equitantes, celeberrima pompa ciuium oculis gratiſſimum ſpectaculum prębuerunt. Poſt geſtationem in Epiſcopi aula conuiuio ab Andrea Cabrera inſtructo, vt par erat ſplendido lautoque, excepti eidem accubuerunt menſæ. quartum adhibitum Rodericum Villandrandum Ribadei Comitem Caſtillius ait. lege in perpetuum lata patri datum erat, vti ſuperius eſt demonſtratum, vt Ianuarii Kalendis regiæ menſæ conuiua accederet. Remotis menſis lyriſtę,comœdi,cantoreſque acceſſerunt. fine bellaria tragemataque illata.Celebritatis lętitiam Henrici valetudo nonnihil conturbauit,lateris dolore tentati oppreſſique: ſic vt in regiam diſcedere neceſſe habuerit. caſu factum, vti ſaniores iudicabant, inſidias vulgus interpretabatur, prona ſemper in deterius perſuaſione.Eam opinionem, venenum inter epulas datum, Principis perpetua deinde valetudo confirmauit,ac non toto euoluto anno ſubſecuta mors. perpetua Ferdinandi & Iſabellæ felicitas amplitudoque rerum geſtarum,iis certe conſciis factum ſcelus fidem abrogat,imperium à parricidio auſpicatos fuiſſe.quod ęmuli in primis accuſabant, accenſis odiis,promiſcua inter ſe affingendi crimina libertate. Pro Principis incolumitate ſupplicationibus ad omnia templa habitis,ſacrificiis,precibus,votis placati ſuperi:eiusque valetudo recreata eſt.

Magiſtri D. Iacobi obitus. CAPVT II.

VT Rex conualuit,de concordia agi cœptum eſt,per conditiones inter Principes ſanciendas. Petebat Iſabella,vt ſibi ſacramento à regni ordinibus dicto ſucceſſio confirmaretur iure debita. ſi id fieret,ſe & virum perpetuo in officio fore: neque recuſabat filiam vnicam,Abulæ arcem quaſi fidei obſides tradere in poteſtatem Cabreræ quaſi ſequeſtri. Vt Ioanna Henrico Aragonio nuberet, Beneuentanus amitini ludibrio commotus, conuitio poſtulabat, Henrico aſſiduus, ipſo poſtulato gratior, niſi concederetur, fœdus diſturbaturus.Nec conſilium vnum inter proceres,nec voluntas erat.aulicorum pars Ioannæ fauebat. ad Iſabellam plerique res trahere, animi conſiliorumque Henrici potentes, ſublato inter fidem, perfidiamque diſcrimine: quod Iſabellæ cauſam vehementer confirmauit. Ad eam Mēdozæ proceres inclinare cęperant,opibus,numero,clietelisque prævalidi:eoque Toletanus nutare,atque ad Ioannæ partes reſpicere: vnde maiora præmia,certiorque ſpes oſtendi videbatur. Ancipiti ſententia ſuſpenſum Henrici Regis animum,D. Iacobi Magiſter arcanis literis impellit: vti nocturna vi vrbe capta, Ferdinandum atque Iſabellam in poteſtatem redigat. præclari facinoris occaſionem oblatā,quando veluti indagine cincti in arce tenerentur. in id operam induſtriamque ſuam pollicetur.Res tanta latere non potuit: nec diuinum conſilium humana arte diſturbari. Indicio facto Ferdinandus quidem raptim Turueganum abſceſſit:Iſabella in arce Segobiēſi ſubſtitit,

ſtitit, quorſum eæ molitiones euaderent expectatura: nec ferens nobiliſſimę arcis poſſeſſione decedere: vbi erant theſauri regii, & ampliſſimus regiæ cultus: vnde regnandi principium fore prouidebat, magno fœmina animo, prudentia, conſtantiaque ſupra ſexus ætatiſque conditionem. Diductos Henricum Ferdinandumque, nouus caſus loco iunxit. Carrionem nobile in Vaccæis municipium, ſuperioribus annis licentia temporum, Beneuentanus Henrico concedente extortum, arte munierat. idęgre erat Santillanio, quod incolæ ab antiquo in eius clientela erant, eorum precibus præterea & lacrymis fatigatus Petro Manrico Treuigni Comiti ſuadet, vti improuiſa vi oppidum præſidio occupet. facit ille imperata. auxilio cum copiis Santillanius Caraca feſtinat. Beneuentanus ferro iniuriam vindicare parans, idem facit, Segobiæ eo nuncio perculſus. Diductis in vtramque partem aliorum procerum ſtudiis copiiſq;, periculum erat, ne inſignis clades acciperetur vtrauis parte proſtrata. Accurrunt Principes Henricus Ferdinanduſq;: hic adiutor Santillanio futurus, ſi ventum eſſet ad manus. ille pacis arbiter poſitis iuxta caſtris, inter vtraque agmina oberrans, vix tandem, vt arma ponerent, impetrare potuit. Regiæ auctoritati, Beneuentanus ſuum dolorem condonauit. Magano oppido à Toletano dato, Carrionis arx à fundamentis euerſa eſt. pace conſtituta, Sanctillanus quidem Iſabella ad Segobiam conuenta Caracam ſe ſe retulit, ad nouas ſpes penitus conuerſo animo ſuorumque. Henricus Valliſoleto obita, atq; Segobiæ tantiſper moratus cum D. Iacobi Magiſtro conſilia de republica communicaturus, eius conſilio & hortatu Madritum diſceſſit. Luſitano cõnubio Ioannam Principem elocandam, importunus auctor euicit, vt Henricus Rex ea cura ad Portugalię fines progrederetur, afflicta quamuis tenuique valetudine. Hæc ſpecies profectioni obtendebatur. ſed maior Magiſtro cura ſuberat, Caſtra Iulia in poteſtatem redigendi, immenſa habendi, opeſque ſtruendi auiditate ambitioneque pari. regiæ voluntati ciues paruerunt. Magiſtri artibus magna ſenatus parte præoccupata, nobilitatem plebs eſt ſecuta. arcis munitio opponebatur: quam Gratianus Seſę Præfectus dedere recuſabat ingentes de ſuo ſumptus factos excuſans: neque vacabat ad calculos impenſam reuocare. Henricus ingraueſcente locis inſalubribus valetudine, iniquo anni tempore Madritum repetiit. Magiſter ex morbo, quo & ipſe oppreſſus erat, tantiſper recreatus lecticariorum humeris Caſtra Iulia defertur. Ventum ad Sanctæ Crucis fanum: qui pagus ab ea vrbe ad Auſtrum diſſitus eſt, octo millium ſpatio. Præfecto ad dedendam arcem inducendo dabatur opera: cum inter eas molitiones maxillæ alterius inflatione abſceſſuque repente oppreſſus interiit, concreto in faucibus multo ſanguine, ex oreque manante & naribus: an arx eſſet tradita, intermorientibus vocibus ex aſtantibus, labentique animæ facilem exitum, placatos ſuperos precantib. quæritans, nihil aliud. Pulchrã in morte cogitationem, vitæ conſentaneam ſcilicet. obitus vſque ad deditionem arcis occultatus eſt. Felicis fanum in Calæcis Præfecto Gratiano datum iure perpetuo. quod illi infauſtum fuit. In tumultu populari, de cauſa non conſtat, ſed ab incolis tamen eius oppidi, lapidibus eſt oppreſſus ob fidem venalem vindicta numinum ſic vulgus interpretabatur, ad excitandos alendoſque id genus rumores aptum procliueque.

Ferdinandus Barcinonem abiit. CAPVT III.

DE Ruſcinonenſibus & Ceretanis Gallos inter & Aragonios lis erat: his repetentibus, atque ad ius ditionemque priſtinam reuocantibus, excuſabant Galli oppignerata ea oppida eſſe, neque pactum auri pondus in ſtipendium militare bello Barcinonenſi repræſentatum. Poſita per inducias vti ante dictum eſt, arma haud obſcure repetebãtur. noſtris non minus timoris quam ſpei, quippe aduerſus ampliſſimas Gallię opes Regemque præualidum bello futuro: Caſtellę rebus nondum compoſitis, vnde magna multaque negotia implicabant. Lutetiam de pace legati viri nobiliſſimi, Ioannes Folchius Cardonæ Comes, Hugo Rocabertius Ampoſtę Præfectus, quo maior auctoritas eſſet cum ampliſſimo comitatu, cauſas explicatum ob quas pecunia ea reddenda non videretur. Gallica auxilia bello Barcinonenſi neque tempore miſſa, neque vſui fuiſſe. Contra fœderis conditiones Ioannem Lotaringium Gallicis copiis adiutum. Expoſita legatione nihil profectum eſt: ac contra patriam ad Lugdunum cuſtodiæ circumdatæ, contra ius gentium, diuinas atque humanas religiones. Eorum periculo quaſi datis obſidibus oppignerati Aragonię gentis animi haud ſe fortiter ad reſiſtendum commouere: tametſi per idem tempus ineunte vere quingenti equites Galli ductore Ioanne Alone Aludæ regulo in Ruſcinonenſes inuecti, adiunctique ad reliqua Gallica præſidia Helenam vrbem obſederant, præ metu inferiore parte à ciuibus deſerta. Aragonius Barcinone vbi Catalaunicę gentis con-

uentus erant, comparando defendendoq; bello intentus erat, extrema quamuis ætate homo atque ex febri quartana laborans. longinqua euocata auxilia. quingenti equites nauibus à Ferdinando Neapolitano Rege missi, quantulum rebus præsidium? Ferdinandus Aragonii filius Iunio mense Tordesillam firmum in Vacçis municipium vi occuparat, euocatus ab incolis aduersus Petrum Mendaniam Castri nũnii Præfectum, cum latronum manu (quorum magnus numerus tota prouincia vagabatur impune) iniurium, importunumque finitimis agris & oppidis. Re patrata cum se Segobiam ad vxorem retulisset, patris periculo & valetudine denunciata eo maturare contendit sexto Nonas Iulii, inuiso ex itinere ad Cõplutum Toletano: si æger offensa animus eo humanitatis officio sanaretur. Ad Caracam Sanctillanio in recenti fide confirmato, Cæsaraugustam peruenit. inde Barcinone patrem adiit strenuum senem & nunquam cessantem. Importuno tempore in Valentinis arma mota. Segorbium, & Exerica, firma atque munita in Edetanis oppida arma corripuerunt, pari conatu cõtrario studio. Exerica vt Sarsuelæ imperium depelleret: vnde magnæ iniuriæ extabant. Segorbium vt aduersus regiam voluntatem in Henrici Aragonii ditione permaneret. motus diuturni magis quam difficiles extitere. Ferdinandum Principem de bello Ruscinonensi consultantem, nuncius è Castella perculit Diui Iacobi Magistrum decessisse ad quartum Nonas Octobris. eius obitu seditionem inter proceres maiori mole coortam, hac occasione. D. Iacobi Magisterium multi reguli ambiebant contentione pari, causa dissimili. Alburquerquius, Beneuentanus, Sanctillanius, Assidonius opibus magis quam re alia freti. ante alios suffragio militari, duo erant designati geminis comitiis Legione atque Vrcesię, vbi eius ordinis cænobia sunt, inclyta diuitiis non sanctitate tantum. Legione Alfonsus Cardenas antea in Legionensi regno ordinis Promagister cæteris prefertur. Vrcesię Rodericus Manricus Paredius Comes. Villenius regio fauore armatus, propriisque viribus pollens vtrunque deiicere satagebat, causatus sibi à Pontifice Romano, patre superstite eum honorem destinatum, concessumque. sed pontificiæ voluntatis nullo prolato testimonio, confictum plerique suspicabantur, tempore extrahendo, dum nouus conatus in eam rem esset adhibitus: nouumque à Pontifice diploma esset allatum. Singulos proceres prehensanti atque incautius Villaregium progresso, per causam conueniendi Osorni Comitem eius ordinis in Castella Promagistrum, manus iniectæ sunt: deductoque Fontidoniam erepta libertas. Grauis contumelia fuit. nouo dolore Henrico Regi irritato, quia nihil Osorni Comes facturus voluntate videbatur, vim adhiberi placuit. afflicta quamuis valetudine cum copiis Fontidoniam obsedit. affuere Episcopi Toletanus, Burgensisque, Beneuentanus, Magister equitum, Sanctillanius, Cluniensis, officio in Principem, & facinoris atrocitate commoti. grauis mora erat, Regis morbo recrudescente, alieno anni tempore. fraus fraude vindicata. Ferdinandus Lupus Acunius Toletani frater, qui non minus de Villenii iniuria laborabat, Osorni Comitis vxorem cum filio per speciem colloquii captam, Optam deducit. ea arte victo viri animo Villenius liberatus est, eo maiori gaudio, quod prope metũ res fuerat. Sic Osorni Comitis conatus delusi sunt Villenio capto (quoniam Ioanna Princeps eius fidei erat concredita, & Scalonę seruabatur à matre disclusa ob eius impudicitiam) Ferdinandi Principis studia promereri, eoque annitente Magisterium D. Iacobi præripere cęteris omnibus cogitantis. His rebus Barcinone nunciatis, belli defendendi cura Aragonio patri relicta in Emporitanum tractum profecturo quam primum, Ferdinandus Princeps Cęsaraugustam rediit, si res Castellæ pateretur, conuentus Aragonios habiturus ad conquirendam pecuniam, cuius præcipua & maxima difficultas opponebatur: prefertim nouis subinde Gallorum copiis confluentibus ad nongentos equites, pedites decem millia. Helena, vt cœperant supremo conatu circũsessa oppugnataque: fames vrgebat, & rerum omnium inopia obsessi laborabant. Ita Nonis Decembris die Lunę deditionẽ facere cõpulsa est incolumi præsidio, Ducibusque: quib. plus inter se irarũ, quàm aduersus hostes animi fuit. de Perpiniano grauis cura incesserat, Helena capta, propter hostium pręsidia omni ex parte circumfusa: ipsaque Perpiniani arx ab hostibus obtinebatur. ne diutius sustentare possent, metus solicitabat. Fuit hic annus Siculis memorabilis, Iudæorum per vrbes & oppida strage edita. multitudo incertum qua causa, sed lymphatis similes ad arma populariter consternati, ac ne Lupi Vrreę Proregis auctoritate edictisque, ne supplicio quidem de nõnullis sontibus sumpto coercito furore, multos ex ea gente peremerunt. Mauris quies erat: belli sacri nulla cura, in tanta rerum nostrarum colluuione. In Vasconibus intestinæ seditiones vigebant. Beamontiis Eleonoræ Principi studentibus, Agramontii Aragonii maiestate veteri instituto tenebantur Principum exemplo, furente etiam populo, atque ad arma concitato.

Henrici

Henrici Regis obitus. CAPVT IV.

INgraueſcebat indies Hẽrici Regis affecta dudum valetudo, ipſa agitatione itineris, curiſque grauibus morbus lethalis medicorum permiſſu Madritum relatus, nullis ſalutaribus herbis, ſucciſq; iuuantibus: contra lateris dolore denuo ſæuiẽte, ſalute prorſus deſperata, vicino exitu, ſacris omnibus ex ritu Chriſtiano expiatus, ad tertium Idus Decembris die Dominico, ſecunda hora noctis, placide efflauit animam ætatis anno quadra. quinto extremo. regnauit annis viginti, menſibus quatuor, diebus duobus & viginti. Nullum teſtamentum conſcripſit. pauca tantum Ioanni Oueto, qui ei à ſecretis erat, & cui multum credebat, excipienti dictauit. curatores eorum, quæ ſtatuebat nominauit Hiſpaniæ Cardinalem, atque Villenæ Marchionem. De ſucceſſore rogatus à Petro Maſuelo Hieronymiano Priore, qui morientis confeſſionem exceperat, ecquem ſibi ſubſtitueret, Ioannam Principem nominauit, curæ fideiq; concreditam, tum duorum teſtamenti curatorũ, tum Sanctillanii, Beneuentani, Magiſtri equitum, Ducis Areuali, quos maxime fidos fore exiſtimabat. Corpus propter maciem ex diuturno morbo, nullis odoribus curatum, in Diui Hieronymi Madriti extemporario ſepulcro compoſitum eſt, pompa funeris, neque celebri admodum, neque vulgari. deinde, vti ipſe moriens mandarat, in Guadalupeo tẽplo, prope matris ſepulcrum tumulatus eſt: Princeps nulla re magis quam fœdo vitæ genere, ignauia, ſocordia atq; imminuta ex eo imperii maieſtate nobilis, nulla virili prole ex Henrici nothi poſteritate Regum poſtremus, vt numero ſic fama. Subit memoriam admirari rerum inconſtantiam: neq; mori tantum homines, ſed & ingeniorum ſobolem exoleſcere, in Principum poſteritate, vbi minime oportebat, maximè: vtque ſinguli morituri naſcimur, ita indolem ſtirpium, ſatorum, animantium, atque familiarum ſuos veluti natales, incrementaq; habere, ac tandem conſeneſcere extinguiq;. Fuit in Henrico familiæ conditore viuidum ingenium, & ſupra ortus conditionem animus maior. in Ioanne filio felicitas multo minor, neque par induſtria vigorq;. In Henrico nepote ignea mens, animus orbis terrarum ac cæli capax: ſed imbecilla valetudine, breuique ætate præſtare diu non potuit, quas promiſerat virtutes. Ioannes eo nomine ſecundus ingenio fuit erudito magis literis, quam ad res gerendas idoneo. In huius filio Henrico, cuius res geſtas modo, & obitum explicauimus, conſenuit maiorum gloria fœdataque eſt: induſtriaque & virtus ſibi viam ad Caſtellæ regnum, atque adeo vniuerſæ ferme Hiſpaniæ patefecit, nouorumq; & magnorum Principum ſobolem, ambiguo tum iure, publico deinde commodo.

Ferdinandus & Iſabella Caſtellæ Reges.

CAPVT V.

HEnrici Regis obitu, omnia in Caſtella mutauere. plurima pars ad Iſabellam ſororem translata eſt: non pauci in Ioannæ Principis fide perſtiterunt, Villenæ Marchio, Areuali Dux, horum propinqui & neceſſarii: quoniam tutorum primi erant, regni nomẽ penes eam futurum exiſtimãtes, regimen atque arbitrium rerum penes ſe, marito puellę dè manu tradito: eo quem priuatis rebus (ea prima cura erat) commodum maximè iudicaſſent. horum auctoritatem totus ille tractus Caſtellæ, qui Toleto Murciã pertinet, ſequebatur: Calæcorum nobilium pars maxima, correptis etiam in Compoſtellanũ Alfonſum Azeuedium Fonſecam armis à reliquis diſſentientem. Segobiæ in foro, ſuggeſtu è lignis excitato Iſabellæ coram ab iis qui aderant, ſacramentum dictum, contactis more gentis ſacris: mox regiis vexillis explicatis concuſſiſque voce præconis nominibus inclamatis, Ferdinandus Iſabellaq; renunciati Reges ſunt. ſubſecutus aſtantium plauſus. petitæ oſculo manus. In trabea, equoq; impoſita Princeps ad templum maximũ deducta ſuperis pro diuino munere gratias agit, vt iis quæ dederant adderent perpetuitatem precata. Magna tunc procerum ſolitudo Segobiæ erat: Dynaſtæ, quos magnates dicunt, nulli primi Hiſpaniæ Cardinalis, Beneuentanuſq; celeritate fidem ſtudiumq; vt probarent, Segobiã feſtinarunt. ex interuallo Toletanus, Santillanius Marchio, Garſias Albanus Dux, Magiſter equitũ, Præfectus Maris, Alburquerquiuſq; ſubſecuti ſunt. ab aliis miſſi qui eo officio fungerentur, atq; ipſorũ nomine in Iſabellæ Principis verba iurarẽt. Ferdinando ſacramentũ dicere non placuit, niſi præſenti regniq; cõmoda & leges, gentis inſtituto, exẽplo vxoris iurato. Erat is Cæſarauguſtæ conuentib. Aragoniis diſtrictus, atq; in ſtudium pecuniæ in belli Ruſcinonenſis ſumptus redigendæ intẽtus. Ea ſpes quoniam in longum trahebatur, nũciata Henrici morte, Ioanna ſorore (paulo ante Ferdinando Neapolitano Regi erat pacta ex prioribus nuptiis cælibi) pro ſe ſubſtituta præfectaque conuentui, continuo in Ca-

ſtellam iter arripuit, in domeſtico diſſidio ratus nihil celeritate tutius fore: vbi facto magis quā conſulto opus eſt. Caſtellæ proceres fide & opera venali niſi magnis præmiis perſtituri in officio non erant. Eo ergo Almaſanum delato Ludouicus Medinæ Celinæ Comes miſſo Frāciſco Barbaſtrio Vaſconum regnum Annæ vxori debitum affirmabat, Caroli Vianæ Principis filiæ. vitium natalium ſubſecuto cum matre coniugio, veniaq; Pontificum procuratum: de quibus rebus publicæ tabulæ proferebātur, veræ an cōfictæ non conſtat, magna ſanè confidentia animi, maiori quàm pro viribus conatu. niſi quid opis in Ferdinando eſſet ad id imperium obtinendum, aliunde præſidia fore. Gallici belli nimirum importunæ minæ, impudenſq; poſtulatum. Itaque Barbaſtrio repulſo, Turueganum continuato itinere peruentum eſt. Segobiam vrbem obire diſtulit, dum opportunus ap-
1475 paratus adornatur. poſtridie noui anni Milleſimi quadringenteſimi ſeptuageſimi quinti, rebus omnibus inſtructis, in vrbem eſt receptus. ſummi, medii, infimi dixere ſacramentum manus regias deoſculati. De forma regiminis controuerſia excepit. Iſabellæ aulicis negantibus Ferdinandum ad aliquam reipub. partem accedere fas eſſe, ac ne Regis quidem Caſtellæ nomen adſcribere. de qua re è Neapolitano regno, non vnum exemplum proferebatur: vtraque Ioanna imperante, viros regio abſtinuiſſe nomine, coniugio contentos, atque eo honore, quem Regina vxor dediſſet. Magna ingenia in ea contentione iactata. Aragonii contra tendere: atque nulla Henrici virili prole diſputabant ad Ioānem Aragonium ſtirpis maximum rediiſſe res. Verū id Francorum moribus legeq; ſanctum, facilè eludebatur, multis tum nouis, tum antiquis exemplis prolatis, Ormiſindæ, Odiſindæ, Sanctiæ, Vrracæ, Berengariæ: quibus ad fœminas rerum in Caſtella ſummam rediiſſe ſæpe conſtabat. Ergo eo conatu deſtitere. Inter virum & vxorem fœdus his legibus eſt ſcriptum. Vt in regiis tabulis, edictis, moneta, Ferdinandi prius, deinde Iſabellæ nomen exprimeretur. Contra in communi clypeo, Caſtellæ inſignia Aragoniis potiorem locum occuparent. hoc gentis prærogatiuæ, illud viri dignitati datum eſt. Iſabellæ nomine arces obtinerentur. Eius ſacramento teſſeraq; quæſtores vectigalia regia adminiſtrarent. Sacerdotia vtriuſque nomine, Reginæ voluntate darentur, modo viris literatis. Ab ambobus cum vno loco eſſent, iura populi peterent finitimi longinquique: diſiuncti, quo loco vterque eſſet, ſuo nomine ius diceret. aliis vrbibus, & prouinciis, is penes quem eſſet regius ſenatus. Idem ordo Prætoribus iuridicundo creandis ſeruaretur. Graues hæ conditiones Ferdinando fuerunt: à ſubditis, vt acciperent, leges dici. Sed patientia firmato imperio, omnia ſui arbitrii fore iudicabat. Simul Iſabella Princeps pro inſita prudentia, ægrū
,, viri animum accommodata oratione deliniiſſe memoratur. Suſcepta de iure regni diſce-
,, ptatio non minus mihi moleſta accidit & grauis. Quid enim iura imperandi diſtinguere
,, neceſſe fuit, inter quos amor caſtiſſimus & ſancti coniugii nexus conſtringit corpora, ani
,, mos, fortunas? Sit coniugibus aliis liberum, ſecretum aliquid à viris habere propriumq;:
,, in cuius me ipſam poteſtatem animumq; contradidi: decus, opes, ſceptra, vitā non com-
,, municarem? tantumq; in mutuum amorem nefas committerem? ſtulta ſim, niſi vnum
,, omnibus imperiis maioris multo facerem. Vbi ego Regina, tu Rex, hoc eſt, rerum omni-
,, um domi foriſq; (nihil excipio) moderator, & arbiter. Hæc nobis ſententia ſtat, æternū-
,, que animo ſtabit, vtinam tam felix quam certa, piaq;. Tempori aliquid dandum fuit: le-
,, guleiorum ſtudiis in vmbra, otioq; magnum prudentiæ nomen velantium. Rebus geren
,, dis ſi hac contentione aulici & proceres aliquid ſe promouiſſe credunt, næ ſe ſua opinio-
,, ne deluſos breui ſentient: niſi te volente nihil impetrabunt, honores, magiſtratus, opes,
,, præfecturas. Duo tamen in hac moleſtia commodè accidiſſe arbitror. Cautum filiæ com
,, muni, quā tuum ius aſſerēdo à paterna hæreditate excluſam oportuit: quo quid iniquius,
,, nobiſq; ipſis moleſtius contingat? cautum in omne tempus Caſtellæ populis: nam hono-
,, res, regni arces, vectigalia, magiſtratus cæteris credere, neque ipſe velis neq; ſine inuidia
,, gentis motuq; contingat. Id niſi placet, tua ſum: de me, pro voluntate, procq; arbitratu ſta-
,, tuas licet. Hæc ſumma votorum eſt, deſtinataque voluntas. His verbis placatum Ferdināndus animum ad rempublicam retulit, ſuperiorum temporum perturbatione, & imminenti noui diſſidii periculo multis partibus iactatam.

Luſitanus Ioannæ cauſam ſuſcipit.

Capvt VI.

FErdinandum principem, Alfonſumq; Luſitanum vno tempore Villenæ Marchio habere ludibrio viſus eſt, non minori quā pater ingenio, neq; maiori fide, in eā ſe partem daturus,

daturus, vnde certior spes ostenderetur priuatas familiæ opes augendi: quarum prima eu ra erat, nulla famæ memoria, ne æquitatis quidem. Petebat à Ferdinando, vt eius ope duobus æmulis quasi vitio creatis loco motis, ipse legib. auspicatoq; D. Iacobi Magister substitueretur. graue postulatum: hominis nunquam fidi potentiam immensum augeri eo adiuncto principatu. mite tamen responsum datum, temporiq; conueniens. Si Ioannam sequestro traderet idoneo coniugio elocandam, haud moraturos spem. ille præcise facturum se negare: neque commissurum, vt fidem falleret Hērico Regi de filiæ salute datam. Eius vt patrocinium susciperet iure propinquitatis tutorum primus, rempublicamq; capesseret per fidos homines Lusitanum hortabatur. molliciem metumq; accusare: testari superos, monere ne innocentem ætatem, regiam puellam ex sorore natam Rex opulētus & maximus in periculo desereret. Superesse gentis studia, superesse procerum, eruptura cum occasione maiora. Ducem magis quam voluntatem deficiendi deesse. Erat Lusitanus Stremotii ad regni fines, quo tempore Henricus Rex obiit. De rerum summa, Villeniiq; postulatis consilio habito, variæ dictæ sententiæ. Plurimi bellum decernebant, continuoque armis in Castellę fines penetrandum, vaniloqui, feroces, procaces, neque bello neque pace boni. Ingentes thesauros pace congestos, peditum equitumq; nubes, numerosas mari classes iactant. Ioannes Lusitani filius eius consilii præcipuus auctor, belliq; funesti concitator, pro insita iuuenibus audacia temeritateq; præceps. Vnus Ferdinandus Brigantinus Dux ætate grauis, cautior prudentiorq;, quod alii metum interpretabantur, amoremve in Isabellam propinquam, fratris neptim, resistendum iudicabat: neque temere sumenda arma. Villenium, & necessarios eos esse, qui paulo ante contra Henricum Alfonso fratre Rege proclamato, Ioannam quasi adulterio natā repudiassent. Quod qua nunc fronte, quo nouo argumento mutarent, nisi venali pretio fide, vnde maiora præmia extarent eo vela daturi. Quas arces obsidum loco darent, fidem pari leuitate non mutaturos, si maiora præmia Ferdinandus polliceretur? Qui populi conceptam animis opinionem euellerent, Ioannam illegitimis natalibus esse, ab ipsomet Alfonso Rege confirmatam, cum Isabellam coniugem expetiuit, Ioannæ oblatas ab Henrico nuptias constanter repudiauit? Mentiendo nimirum iactandoq; vires, quas non habent, vana spe inflant, inflatique ipsi sunt. Timidi canes vehementer latrant. modici sæpe torrentes, quàm altissimi amnes, cum maiori sonitu fluunt. Eos proceres, easque ciuitates suam sectam esse secuturos affirmant, quos certò scimus, qua fide Henricum secuti sunt, eadem Isabellæ causam complexuros. Vtinam rerum statum subiicere vestris oculis possem, & vt corpora sic animi conspicerentur: Villenii vanitati minus credendum iudicaretis. Vera hęc esse prudentissimus quisque iudicabat. vicit tamen plurimorum sententia: quæ iniquissima conditio est, dum numerantur in consilio suffragia non ponderantur, apud Reges etiam rerum arbitros. Prius tamen quam se commouerent, Lupus Alburquerquius ad considerandum rerum statum missus, multorum procerum syngraphas abstulit, Eboramque ad Lusitanum adduxit fidei testes, si Ioannam Principem sibi connubio iungeret, tempore haud defuturos. Toletani alienatio commoda conantibus erat. Is multos annos in aula Regum assiduus, quæ res minus verendos magnos homines ipsa satietate facit, otii cupiditate (sic videri voluit) Segobia se subduxit Februarii die vigesimo, haud obscurè iratus nouis Regibus: à quibus inani spe lactatum se esse conquerebatur, nullis præstitæ operæ præmiis, contra exhausto patrimonio, magnisque sumptibus factis, vt ingratis Principib. regnum quasi de manu daret beneficium suum. Præterea Cardinalis crescentem gratiam malignis oculis aspiciebat, omnium apud Reges arcanorum arbitri, moderatorisque. Ad eum sanandum frustra conatus adhibitus: cum minaretur potius intellecturos æmulos quanti constaret Toletanum Archiepiscopum iniuriis violasse: læsæ irritatæque patientiæ suæ quantæ vires essent. inanes etiam fratris Petri Acunii Buendiæ Comitis preces obiurgationibus mixtæ fuerunt, ne se & familiam perditum iret obtestantis, dubia spe incertum præcipitare periculum. Superbum ingenium, immodicaq; lingua magis monitis irritabatur: ac præsertim Ferdinandus Alarconius, quē è domesticis vnum maxime intimum ingenii væcordia effecerat, incauti Principis auribus insidiando, noua identidem implebat eius animum ira.

Lusitanus se Regem Castellæ dicit. CAP. VII.

MOuit Toletani discessus, præcepsq; alienatio animi, iniecitque curam: ne suscepto aduersæ partis patrocinio more suo remp. turbaret ardenti vir ingenio, inquieto animo, magnis opib. eo maiori studio præsidia ab omnib. conquisita, domestica externaque.

sanandi proceres cura præcipua. Henricus Aragonius ad officium est pertractus Segorbio, Emporitanisq; restitutis, eorumque quæ commiserat venia data. cum eo Beneuentanus amitinus in fide confirmatur. vtrunque eo procliuius factu fuit, quod coniugii ab Henrico Rege pacti spes intercisa erat, Ioanna Scalona, vbi tenebatur, Castra Iulia amandata, quasi ad Lusitani nuptias: quem Villenę Marchio Aragoniis viribus opponere cogitabat, distractis bello Gallico, & intestinis Vasconum motibus Perpiniani supremo periculo. Quod oppidum ex diuturna obsidione oppressum malis omnibus, nulla auxilii spe, ad deditionis conditiones compulsum est, pridie Idus Martii: legatis quos detentos in Gallia diximus, libertate concessa, oppidanis facultate, vt cuiusque mens esset discedendi, resistendive. semestres inducię inter vtranq; gentem additæ. Ad Gallũ à Ferdinãdo de pace Ruscinonensiq; principatu per conditiones restituendo, legatus benignũ responsum tulit, amplissimaq; promissa. Si Ferdinandi filia Delfino nuberet, tantum se copiarum suppeditaturum annuæque pecunię, quantum ad Castellæ motus pacandos, regnumque confirmandum satis esset. De Ruscinonensi principatu non recusaturũ iuris disceptationem. quod dati arbitri iudicarent id ratum habiturum. In eam rem Guillelmus Garrus è Gallia missus benignis auribus audiebatur, magno Aragonii dolore: qui se inscio res tantas moueri per literas accusabat. Vrebat maxime acre Toletani ingenium alienatum esse: verebaturque ne delecto is Rege alio, rursus sui muneris remp. facere tentaret. Serum consilium erat, vsque adeo exulceratis volũtatibus. Lusitanus se ad regni fines ostentabat cum validis copiis: in quibus equitum quinque millia erant, peditũ millia quatuordecim, instructi omnes militaribus armis, vincẽdi confidẽtia maxima. Quod erat proximum, desperata concordia bellum à nouis Regibus cõparatur. Cabrera quod eatenus facere distulerat, vt maior muneri gratia esset, amplioraque præmia, regios thesauros tradidit, belli subsidium certissimum. Moia illi ad Valentinos fines Marchionis nomine nobile municipium, sed modicum datum est. Chincbionium in Carpetanis Comitis honore, arciumque Segobiensium Præfectura iure perpetuo accessere, meritis fideique constanter cultæ debitum præmium. Nam si verum fateri conuenit: parti retentique imperii Ferdinando & Isabellę Regibus magna pars Cabrerę opera & industria fuit. Segobia cum Reges in belli curam intenti discessissent, Medina Campestris in potestatem venit, forum rerum venaliũ vniuersa Hispania maxime celebre, eoq; idoneum noua pecunia à mercatoribus redigenda. arcem Albanus eximia in nouos Reges fide venientibus tradidit. Vallisoletum copiæ militares euocatæ erant. eo Reges concesserunt. confluebant in dies copiæ equitum peditumq; neque numerosæ, neque validæ. Partita rerum cura Ferdinandus in Vlteriori Castella substitit: vbi maiora gentis studia erant. Isabella in Carpetanos abiit Toletanum si facultas esset sanatum. Vitauit ille congressum; Briocamq; Compluto discessit, exiguum oppidum, sed loco & opere munitum. Literas interceptas accusabat, quibus vitæ suæ insidias fieri constaret. Ne Velascus quidem Magister equitum ad eum sanandum à Regina missus quidquam profecit. Suscepti itineris operæpretium fuit, Toletum in fide confirmata, præsidiis à Regina dispositis, vti res atque tempus monebat, Cifontano & Ioanne Ribera ex ea vrbe pulsis, quos Toletano esse addictos erat exploratum. Madritum vitatum arce in Villenæ Marchionis potestate. His rebus confectis Segobiam Isabella rediens, argentum aurumque regium rude factumve in formam pecuniæ mutauit. Quo tempore à Ferdinando Salmantica in fide confirmata est, eius in eam vrbem aduentu, direptis aduersę sanctionis ciuium ædibus, quorum erat magnus numerus. Zamora eadem felicitate venienti portas aperuit, pontis præsidio à Francisco Valdesio prius tradito. dedita arx non est, eius præfecto Alfonso Valentia Villenii propinquo & necessario. Vim experiri longum erat. Taurum locis vicinam vrbem adire non est visum ob incertam Ioannis Vlloæ primarii ciuis fidem, ad Lusitanos procliuis, non tam Ferdinandi odio, quam metu supplicii: quippe regium consultorẽ peremerat & multis aliis flagitiis erat obnoxius. Regibus Vallisoletum reuersis, Alcarassum oppidum ad eorum imperium subiunctum est. Villenii imperium recusantes oppidani arma corripiunt: arcem obsident. missi eo à Regibus Comes Paredius, atque Alfonsus Fonseca Caucæ regulus cum sibi cognomine Episcopo Abulensi. Horum viribus Villenius, qui ad famam rei gestæ cum copiis accurrerat impar, conatu dissipandæ obsidionis destitit. eoque ardentiori studio Lusitanum vti festinaret, datis ad eum literis monet: facto non consulto in tali occasione opus esse: seque si adiuuaret languentibus aliis aduersarios oppressurum. Accepta iniuria irritatus, ferociaque maximum bonum in celeritate putabat. Erat Lusitanus ad Pacis augustæ fines mense Maio. Quibus diebus omnino ad quintumdecimum Kal. Iunii, die Iouis natus ei ex filio nepos Olisipone est, cui de aui appellatione

pellatione Alfonſus nomen fuit. Breuis ætas auiti regni ſpes intercepit. ſacramentum tamen dictum illum defuncto quamuis patre hęredem auo futurum. Ex iis natalibus inter Luſitanos quidam expeditionem auſpicatam fore ominabantur, fatum eſſe regno Gaſtellæ potiri, leues homines & vani, nimium ſpei indulgentes, deluſi euentu rerũ. Ad Pacem Auguſtam Feriæ Comes erat in armis, fidus Ferdinando, Seria oppido iis locis capto de aduerſariis (Xerez nunc vocant.) Ad dextram Luſitani deflectendum fuiſſet, vbi Carmo, Aſtigis, Corduba, cauſæ fauebant, vt capta Hiſpali nihil hoſtile à tergo relinqueretur: ad læuam verſo itinere per Alburquerquii & Vectonum fines Placẽtiam peruenere, modicam vrbem lætiſſima ſoli facie, cælo graui. In ea vrbe Ioanna in Luſitani manus conuenit, celebratis ſponſalibus. toro ne iungeretur, religioni datum eſt, priuſquam propinquitatis vicium, venia Pontificum remitteretur. Iis tamen Regibus Caſtellæ proclamatis regium inſigne eſt impoſitum. Lupus Alburquerquius in ipſa lætitia Penamacoris Comes creatur: vt eſſet gratia meritis, atque labori prehenſandis Caſtellæ proceribus ſumpto. Iura quibus cauſa nitebatur de ſcripto promulgata, atque in omnes partes miſſa ſunt; prolixo codicillo comprehenſa, verbis haud obſcure in Reges aduerſarios cõtumelioſis. Hæc in exitu Maii menſis geſta ſunt: ſimul de ratione belli deliberatũ, in quam partẽ primum impetum darent.

Zamora à Luſitano capta. CAPVT VIII.

BElli flamma multis vno tempore locis exarſit, certamine vti de regno par erat acerrimo, conatu ſupremo & maximo. Villenam & contributa oppida Valentinorum manus vexare cęperat. eo incolæ præſidio, & à Paredio Comite incitati, correptis conſenſu armis in fidem Ferdinandi conceſſere: ea lege vt in Regum ditione perpetuo manerent. Magiſtro Calatrauę Ciuitas regia erepta eſt, quam in Oretanis occuparat Luſitani partes ſecutus nullo meliori iure. Ad fines Bæticę, atque in Calęcis, ab vtraque parte in alteros excurſiones factæ & latrocinia pręcipuo agreſtium damno. à Petro Aluarado Tude vrbs Luſitani nomine occupata eſt. contra Burgenſium multitudine ad arma conſternata, Luſitani partes ſecuti Enecus Stunica arcis Præfectus, atque Epiſcopus Ludouicus Acunia impugnantur. Luſitani animus ancipiti ſententia ſuſpenſus erat, incerti cui primũ parti occurreret: aliis alio vocantibus, vt cuiuſque res erant, proceribus maligne ſuppeditantibus, quæ prolixe erant polliciti, pecuniam, militem, commeatum, populis eam militiam quaſi infauſtam auerſantibus. Ea res nouam inuidię flammam apud Luſitanos accendit. mens eorum & conatus labare cępit, præſertim cum Ferdinandus, cui vix quingenti equites erant quo tempore Luſitani primum in fines irruperunt, firmiſſimas copias numero, & virtute habere nunciaretur, equitum ad decem millia, peditum ad triginta. Ad Tordeſillam, vbi ſtatiua erant, luſtratus recenſituſque exercitus eſt, ad prohibendos Luſitani conatus ardentibus cunctorum animis, accenſis ſtudiis. Re is conſtituta Areualum prius, quod in fide erat, inde Taurum petiit, aduocante Ioanne Vlloa, præterea Zamoræ obtinendæ ſpe. Neque defuit euentus. vrbem vtramque Luſitanus occupauit ſine ſanguine. Locorum commoditas inuitabat, commeatu importando idonea: quoniam eę vrbes ad Portugaliæ fines ſitæ ſunt. Eo incommodo commotus Ferdinandus, continuato itinere ad Taurum poſitis caſtris per fecialem Luſitanos ad pugnam prouocauit, ardẽti homines ingenio: certo periculo, ſi in aciem prodirent, quoniam minori numero erant, quinque equites millia, pedites ad viginti millia, ſed lecta Luſitaniæ pubes Caſtellæ incrementis aucta: ſi detrectarent, minori deinceps audacia, bellique laude. Cautior Luſitanus copias diſſipatas excuſare: ad ſingulare certamen prouocare: in quo minus periculi erat, cunctationis maior occaſio. non vltra verba proceſſum. Ferdinandus, triduo ſtatiua eo loco habuit; nulloque alio moræ pretio pecuniæ in ſtipendium commeatuſque inopia preſſus, quod itinera hoſtis occuparet, retro conuerſo itinere Medinam Campeſtrem abiit. In eo oppido ordinum conſenſu conceſſum, vti ad belli neceſſitates templorum aurum dimidia ex parte mutuum ſumeret, rebus tranquillis integrum fide integra redditurus. Eo ſubſidio ad obſidendam arcem Burgenſem contendit. Varia regii diſceſſus & itineris retro conuerſi relicta Tauro vrbe, opinio fuit. Pleriſque metum & res inclinatas interpretantib. Toletanus ea ętate cum quingentis equitibus mõtib. ſuperatis ad Luſitanum ire pergit: ne bello confecto deſertæ cauſæ culpam incurreret, cuius ſe fautorem præcipuum fore profeſſus erat, nihil fratris Comitis lacrymis commotus, atque eius filiorum Lupi Caſorlæ Antelati, Alfonſique qui in patrui gratiam Pompelonenſis Epiſcopus erat creatus, Ferdinandi Petrique: quib. ægre erat patruũ præcipiti temeritate in certum periculum ruere. Toletano atque Areuali Duce auctorib. Luſitanus cũ mille

& quingentis equitibus, idoneoq; peditum numero, ad diſſipãdam Burgenſem obſidionem ire pergens, intra Baltanaſiam arcem, quæ locis arduis impeditiſque Piſoricam inter & Durium ſita eſt, Beneuentanum ex deditione cepit: miſitq; Pennafielem. Ipſe ſatis ſe profeciſſe ratus ad fructum laudemq;, præda lætus, an diffiſus vt par Ferdinando eſſet, ſi venirent ad manus, repentè retro conuerſo itinere, conatu abſceſſit Burgenſem arcem iuuandi. Ioanna Zamoræ ſubſtiterat. Iſabella Vallisoleto, virili atque expedito animo Princeps, viri periculo permota, raptim iis locis delectu habito, Palentiam eſt progreſſa, Burgos ſi opus eſſet cum idoneis copiis continuò aduolatura. Expectatione tantæ rei ſuſpenſos omnium animos, hoſtium repentinus regreſſus ſedauit. A Caſtellæ & Aragoniæ Regibus legati Romam, quò maior eſſet auctoritas, viri principes, magnoq; numero, dato menſe Iulio ſenatu, mandata explicarunt: ſuoſque Principes in fide officioq; fore ſunt polliciti. Eatenus dilatum officium nouo Põtifici debitum, propter inteſtinos prouinciæ motus & graues, excuſarunt. Benignè Pontifex reſpondit, rebus Aragoniis impenſe fauens, cum quibus ſanguinem miſcuerat, Leonardo fratris filio vrbis Præfecto, iuncta Ferdinandi Neapolitani filia notha. Ægrè id Luſitanis oratoribus fuit: & controuerſia nondum diiudicata affirmabant, debuiſſe eum mediam perſonam gerere belli ſpectatorem, aut arbitrum non participem. Ad id remedium recurſum, quo ſimiles diſceptationes ſanatas meminerant edictum, ne cuiquam Principi eo facto præiudicaretur. Legationis princeps Dezpuchius Monteſiæ Magiſter, bellicæ virtutis & prudentiæ fama per omnes prouincias celebratus, nouis Italiæ bellis parta: quæ ab Alfonſo Aragonio Rege geſta meminimus ſæpe eius ductu. Lupo is Semeno Vrrea, qui ipſo tempore Siculis præfectus cum laude fuerat, defuncto menſe Septembri, Rege deferente eum honorem conſtanter repudiauit, tantulum vitæ certus religionis & pietatis ſtudiis dare, in cœnobium ſecedens non à bellicis tantum, ſed ciuilibus muneribus. Ioannes Aragonius Cæſarauguſtanus Præſul diem obiit in arce Albalate ad Sicoris ripam, ad tertiumdecimum Kalend. Decemb. patre Rege Aragonio, materno genere haud ignobili, magna auctoritate, par opib. Vniuerſo orbe hic annus celebris maximè fuit, venia ſeculari à Sixto Pontifice ad hunc annum, ac deinde ad quemq; vigeſimum quintum redacta. Qua inuitati multi mortales Romam confluxerunt: in his Ferdinandus Neapolitanus, ætate ingraueſcente maiori quàm antea religionis ſtudio.

Zamora Vrbs à Ferdinando recepta. CAPVT IX.

FIne anni Catalaunicæ gentis conuentus, Aragonius Barcinone agitabat ſenex ſtrenuus, neque ætate, neque laboribus fracto animo, de vtroque bello ſolicitus Gallico Luſitanoque. Nam violatis induciis Trahiguerus cum Gallorũ manu, per Ruſcinonenſes in vicinos Catalaunorum fines inuectus Laurentii fano capto, magnã prouinciæ formidinem incuſſerat: prorſus vt quod in extremo periculo fieri conſueuit, omnes, quorum ætas ad bellum eſſet idonea, edicto ad ſigna euocarent. In Caſtella Luſitani arma vigebant, ſpe allata nouas in Gallia copias comparari, inter eum Regem & Luſitanum nuper icto fœdere. quo ſtudio, Anglus Galluſq; eatenus infeſtiſſimi hoſtes in finibus Ambianorum ponte facto, inter ſe collocuti, pacem ſanxerunt. Britannus etiam eo fœdere comprehenſus eſt. præterea Burgundus Ludouico Lucemburgio Magiſtro equitũ Galliæ, qui ad eum confugerat, Gallo donato. Indignum facinus viri inconſtantia excuſabat, fideíque ex fortuna ſemper ſuſpenſa: qua ſæpe vtroſque ludibrio habere viſus eſt. alii falſa inuidia laboraſſe affirmant, ex opulentia, vt fit nata. Sic ſunt res & opiniones humanæ. Aduerſus eas molitiones in Aragonia gente parum præſidii erat, diuturni belli ſumptibus exhauſtæ, anguſtis finibus prouinciæ. ad artes conuerſo ingenio, ab Aragonio menſe Nouembri induciæ vſque ad menſem ſeptimum inſtauratæ cum Gallorum gente. Belli Luſitani cura Toletanus ad colloquium inuitatur. Quanta beneficia in regiam Aragoniam extitiſſent non ignorare: quod par meritis gratia non eſſet reddita dolere maximè. ſi poſitis tantiſper offenſionibus ſui copiam faceret emendaturos. Repulit ille Aragonii preces, perdendi aut pereundi obſtinato animo: ſæpe vt comminatum fuiſſe fama ſit: Iſabellam a ſe Reginam factam: effecturum tamen, vt ſceptra colo mutaret. Regibus Caſtellæ hominis offenſæ curæ magnopere non erant verentibus, ne eo reuocato Cardinalis Hiſpaniæ, in quo tantum præſidii rebus erat, alienaretur, præſertim indies aucta potentia, confirmatis viribus. nam per idem tempus Villenio Almagrum profecto, Ocania quam in ditione retinebat, orta populari ſeditione ab illo defecerat. Aduentu Ciſontani Comitis, & Ioannis Riberæ in fide ſtudioq; oppidanis cõfirmatis, id oppidum Paredio Comiti

eſt reſti-

eſt reſtitutum, quaſi Diui Iacobi Magiſtro. Zamoram Ferdinandus ipſe euocatus Burgis à Franciſco Valdeſio, qui turribus præfectus aditum ſe patefacturum pollicebatur, occultus venit: vrbeque in poteſtatem redacta ſupremo conatu, arcem quæ Luſitano præſidio firmata erat, oppugnare ſtatuit, niſi re confecta non diſceſſurus. De colloquio inter Aragonium & filium actum: Eleonora etiam Vaſconum Principe euocata. pacandi eius gentis tumultus erant ex Biamontenſium & Agramonteſium diſſidiis, quæ fœminæ imperio maximè recruduerāt. & cura Gallici auxilii ſolicitabat: quod Iuone Duce accedere nunciabatur: ac per fines Vaſconum, ne in Caſtellam irrumperet, & ſe Luſitanis coniungeret verebantur. Cantabros ne ea parte Galli inuaderent, locorum aſperitas, commeatus inopia, & gentis virtus ſatis tutari videbantur. Ferdinando ad Zamoram reſidente, fratris Alfonſi Aragonii cura & virtute, qui dudum cum quinquaginta equitibus delectis auxilio ex Aragonia venerat, Burgenſis arcis præſidiarii milites ſpe defenſionis abiecta deditionem fecere ineunte ſalutis anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto. Iſa- 1476
bella Regina, cui deditæ arcis laus eſt reſeruata, conſenſu vtriuſque partis, in id Valliſoleto euocatur. Magnum id momentum fuit, vrbe regia, atque arce penitus excluſis Luſitanis. arci præfectus eſt Dieghus Ribera, Alfonſi Principis inſtitutione ſorori Iſabellæ gratus, caruſq;. Madriti Ioanna Caſtellæ Regina deceſſit ad ſextumdecimum kal. Febr. quidam ſuperiori anno dicunt Idib. Iunii. Corpus ad D. Franciſci ſepultum. tumulusve candido marmore cum inſcriptione conſtitutus defunctæ cernitur ad aram maximam, motis ex eo loco Roderici Gonſalui Clauigii cineribus: qui legatione ad Tamerlanem Scytham functus, eam templi partem ſua impenſa conſtructam moriens ſepulturæ delegit. Sic ſunt rerum vices. tenuioribus etiam mortuis irrogatur iniuria. De obitu Reginæ varia & atrox fama fuit. quibuſdam ex partu extinctam affirmantibus, plerique veneno Luſitani Regis fraude periiſſe malunt. Alfonſus Palentinus in hanc partem inclinat: ex partu fama tenuit in peiora vulgi opinione prona.

Pugna ad Taurum Vrbem. CAPVT X.

RESTITERAT in Luſitania Ioannes Luſitani Regis filius rebus Præfectus. Indole is animi, ætatis ardore, & ſpe victoriæ ferox, cognitis reb. quæ geſtæ erant, fortunam partium inclinaſſe, in Caſtellæ proceribus haud ſatis præſidii eſſe: nouo delectu equites contrahit ad duo millia, peditum millia octo. ſed minor pars militaribus armis inſtructi: cæteri vt quemq; caſus armauerat bello haud vtiles admodum erant futuri. cum his copiis Ledeſmiæ ponte tranſmiſſo S. Felicis fano tentato, Taurum peruenit ad quintum Idus Februarii. vbi pater tria millia quingentos equites, pedites ad viginti millia habebat, vicinis locis in hiberna diſtributos. In collectitio exercitu plus animorum & fiduciæ, quàm vigoris & præſidii erat: ſed ea tamen cura Ferdinandus cum Zamoræ arcem obſideret, minori multo numero, equitum ad duo millia & quingentos peditum duplicato numero, ex omnib. partibus copias militares euocat, nouo bello ſupplementum. Neque enim quieturi Luſitani erant, niſi Zamoræ arce liberata periculo, aut pugna commiſſa: cuius diſcrimen Aragonius vitandū omnino per literas & nuncios diſputabat: monebatq; filium ne ſortem totius certaminis ſubiret ardenti iuuenis animo. Quid enim in vnius pugnæ euentū, dubio ancipitiq; marte, rerum & imperii ſummam committeret? quid præcipitaret ſpes pulcherrimè fundatas exiguo fructu, vt maximè victoria eſſet explorata? ætatis impetum ratione, conſilioq; frænaret: parentiſq; monitis obtemperaret, ob ætatem à multo rerum vſu cautioris. Erant cum Ferdinando, Mendoza Cardinalis, Albanus Dux, maris Præfectus cum patruo Henrico Albæ ad Aliſtem Comite, Lemoſii Comes, Aſturicæ Marchio officio in Principem certantes. Validas equitum turmas ad Alahegium locis vicinum oppidum Ferdinandi Regis patruelis Henricus, Alfonſuſq; frater, præterea Treuigni Comes tenebant. Ipſa etiam Iſabella è propinquo, quàm poſſet opem latura viro, Burgis Tordeſillam accurrit. Luſitanum quamuis tantis auctum copiis, haud ignarum, numero virtutem non reſpondere, anxium in diuerſum arcis defendendæ, & vitandi periculi curæ trahebant. vicit tamen honeſti cura. obſeſſis opem ferre conſtituit. In Vaccæis ad Durii fluminis ripam geminæ vrbes ſitæ ſunt, Taurus Zamoraque. quibus Romanorum imperio nominibus fuerint vocatæ, ſæpe eſt dubitatum. plures inuenio qui Tauro Sarabis, Zamoræ Senticæ, vetera nomina adſcribunt: quos vt ſequar, inclinat animus. Agro vberi, ſoli amœnitate atque prouentu, cæli ſalubritate nulli cedunt. numero ciuiū modico ſunt. in plano ſitas mœnium firmitas & arces muniunt. Zamora Epiſcopali ſede eſt illuſtrior. ab ea Taurus ſacra petit, alioqui nobilitate, cultuq; fermè par. modico diſſitas inter ſe in-

teruallo, flumen ad austrum alluit, gemino lapideo ponte iunctus. Tauro egressus Lusitanus, cùm speciem præbuisset rectà aduersarios petiturũ, mutato repente consilio transmisso flumine ad D. Francisci quod cœnobium in aduersa ripa est, è regione Zamorę castra locauit ad caput pontis, quo aditus ex vrbe erat, tormentis etiam obiectis. Ita neque impugnationem arcis impedire poterat, interfluente flumine: neque pugnæ copiam faciebat. Verborum altercationib. tredecim dies sunt consumpti. nihil proficiebatur. Martii Kalend. die Veneris vasis ante lucem conclamatis discedit, Lusitanus pontis parte rupta, ne hostis insequi posset. Cognito hostium consilio Ferdinandus, cum copiis omnib. progredi statuit: dum pons reficitur, multum temporis consumptum est. Aluarus Mendoza cum trecentis equitibus nouissimum hostium agmen carpere, atque pugna distinere iussus est. Sic acies hostium impedimentis graues Ferdinandus est consecutus, angustiis egressus in patentes campos, quinque millibus ab vrbe Tauro, vix reliqua exigua diei parte, nam præceps in occasum Sol erat. vitare pugnam hostis non poterat, Ferdinãdo propinquo, angusto ponte, quo transitus erat. conuersis agminibus acies ad pugnam instruit. Locus æquior, subsidium ab vrbe vicinum, victis perfugium, noctis tenebrę munimento futuræ faciebant animos. contrà Ferdinando curam iniiciebant. Prudentib. certamen exhorrentibus, Ludouicus Touarius studio pugnandi ardens, contentaque voce. Aut cedendum regno, inquit, aut dimicandum est. Opinione famaque virtutis imperia parantur, bellaq; constant. quid autem huc processimus, nisi pugnandi voluntate? quid detrectatum certamen, nisi metus significationem continebit? Tu quidem Rex, macte animo, virtuteq; esto: hostes pauidos, & quia tenentur, ad pugnam conuersos, in ea fluctuatione animorum citius opprimes quàm ventum ad manus erit. Hæc dixit. simul procerum sententiis exquisitis, pugna decernitur. Dato signo prælium ab equitibus incipitur. Erat in primo hostium agmine Ioannes Lusitani filius, octingentis equitibus pedites immixti, qui globos igneos disploderent. Eius impetum, Aluari Mendozæ agmen sustinere non potuit. fugati dispalatique equites sunt. Maius certamen inter Reges fuit. ibi aliquandiu est certatum. pugna nullo more prælii sed latrocinio similis fieri, sine signis, sine ordinibus. Ad regium Lusitani vexillum magnum certamen fuit. Sotomaior Almeidæ extorserat. confluentes ab vtraque parte milites concerpsere. Almeida ipse capitur. eius arma in templo Toletano appensa victoriæ monimentum in Regum sacello visuntur, vexilli concerpti vicaria. Ad extremum fugatis Lusitanis, Rex ipse cum paucis ad montes progressus non prius constitit, quàm ad Castrum Nunniũ peruenit: & cum fugæ nulla indicia extarent, occisum fuisse creditum est. Fugientes hostes insequi non licuit, tenebris prospectu adempto. Henricus Alistis Comes ad Tauri pontem prouectus, in reditu ab hostium manu captus est: eorum, qui cum Ioanne Lusitani filio integri ad multã noctem in armis perstiterunt. Eam manum Ferdinando, quamuis proximo cliuo occupato, inuadere consilium non fuit, suis dispalatis toto campo, atque ad prædam conuersis. vtriq; horis aliquot eisdem vestigiis perstiterunt, diutius Lusitani. Id solamen aliquod acceptæ calamitatis fuit, ignominiæ leuamen: quod historici Lusitani laudibus celebrant: atque à Ioanne Principe victoriam esse partam affirmant. Sic semper Christiani nominis hostes vincant. Ferdinandus Zamoram sese retulit: eoq; digresso Lusitani Taurum abeunt. Toletanus prælio interfuit, Ioannis Principis à latere nunquam discedens. Cædes minor quàm pro victoria fuit, neque captiuorum numerus magnus: præda maior direptis Lusitanis impedimentis magna ex parte.

Rex *Lusitanus in patriam redit.* CAPVT XI.

MVltis vno tempore locis mouebantur arma: nullaq; ferme pars à belli malis immunis erat. ex eo, vt fit, scelerum licentia confirmata. vniuersa prouincia milites vagari, dispersi per vrbes, oppida, & agros. cædes & latrocinia facere, vi & stupris cuncta fœdare, in omne nefas præcipites, atque venales. In magistratibus parum præsidii erat, aduersus eas calamitates. inter ciues, quod superiori tempore factum diximus, ad ea vindicanda scelera veteres societates instauratæ, nouæ institutæ, militibus in eam rem de publico stipendio dato. Auctor salutaris consilii Alfonsus Quintanilla ærario regio præfectus, consilio bonus manuque. eæ societates optimis legibus astrictæ institutisque temperatæ in vigesimum annum perstiterunt: cum externis hostibus victis, domesticis dissidiis compositis, rebus est reddita pax. Maior belli moles in extremos Cantabros incubuit, ea parte cui Guipuscoæ nomen vulgo est. Ad Olarsonem promontorium in extrema Hispania, arx imminet Galliæ finitima, maritimo atque terrestri situ inexpugnabilis: cui Hondarribiæ

darribiæ incolis nomen est. firmissimas munitiones longa dies addidit Gallicis irruptionibus prohibendis,quibus sæpe finitimi vexantur. In id oppidum à Gallicis copiis impetus primum est factus,ad Ferdinandi vires, quo tempore ad Zamoræ arcem assidebat, alio euocandas consilium callidum.Igneis tormentis,quorum conficiendorum librandorumque gens Gallica peritissima est, murorum pars maxima corruens cum fragore latè stragem fecit.Ruderibus completæ fossæ facilem aditum præbebant,exigua defensorum manu, atque iis,continuis vigiliis & laboribus imminutis.Dieghus Sarmetus Salinarum Comes,rerum summæ præfectus,cùm se in eam arcem intulisset,quoduis periculum adire certus,obsessis animus creuit,locorum asperitate ingenia quoque & corpora duratis. Eruptione facta in hostium munimenta prorumpunt.Disturbatis operibus,euersis atque incensis machinis,quoniam bene prima successerant,nouis copiis subinde è Gallicis castris ad periculum accurrentibus, acie cum hoste dimicare non dubitarunt.maior reddita,quam accepta clades est,neque obsidio dissipata. Madriti arx quæ in Villenii iure erat, magnum factioni præsidium,ab oppidanis correptis armis obsessa est. Petrus Arias,& Petrus Toletus primarii ciues multitudinem ad arma concitarunt. Missa à Regina auxilia sunt.affuit etiam Sanctillanius,quo maior esset auctoritas,vires maiores.Castra Iulia,Biatiaque vno tempore Ferdinandi nomine obsidebantur,in Bætica & Lusitania. In Contestanis Chinchilla,Almansaque orta inter oppidanos seditione defecerant:Valentinosque finitimos auxilio euocarunt, magno Villenii incommodo, cuius ditione ea oppida tenebantur:tametsi eius industria in officio tum quidem perstiterunt. Aragoniis omnia secunda erant,aspera Lusitanis:eo amplius quod quartodecimo Kalendas Aprilis Zamoræ arx dedita Ferdinando est cum tormentis & omni apparatu bellico. Alfonsi Aragonii aduentus,vt deditionem maturarent, multum contulit, impugnandarum arcium scientia præstantis.Eo incommodo fractis Lusitanorum animis,vt extra periculum esset, Ioannes Princeps Ioannam nouercam amitinamque cum præsidio equitum quadringentorum,in Lusitaniam abduxit belli causam. cũ pari numero Toletanus in Carpetanos abscessit, quasi vacillantes procerum mentes, & mutata repente voluntate locum gratiæ apud Ferdinandum quærentes,in fide confirmaturus,re victus tædio,nulla victoriæ spe. À Ferdinando Cantalapetra in Segobiensi agro obsessa:vbi Lusitanorum firmissimæ copiæ erant. ea tamen lege semestribus induciis ab eius oppidi impugnatione cessatum,si Villalba, Maiorga,Portillium,Beneuentano redderentur:quas arces fidei obsides pro libertate dederat Lusitano. Vrcesiam Rodericus Manricus, qui se eius militiæ Magistrum ferebat,occuparat:arcem obsidebat, quoniam Villenii præsidio tenebatur. ab eo & Toletano festinatum,si obsessis opem ferret.nullo operæpretio facto, repulsi cum ignominia, ac periculo sunt, tum Roderici patris, tum Georgii Manrici filii virtute: cuius hoc bello præclara rudimenta extiterunt.vitæ breuitas prohibuit,ne virtutis indolem,præclarique ingenii lumen exereret factis: vti alio loco est commemorandum. Sic bellum terra gerebatur: neque mari quies erat. Lusitaniæ litoribus Andreas Sunierus cum paucis Aragoniis triremibus imminebat assueueratque. Tot aduersis casibus debilitati Lusitani Regis, debilitati procerum Castellæ animi, quantum sibi virium decessisset non ignorantium, quantum studii popularis, infaustam militiam auersati, pars multo maxima ad sanitatem redire cæperunt.Primus Areuali Dux,Roderico Mendoza, cui præmium operæ in agro Toletano Pintus oppidum fuit, ad Isabellam legato illi sacramentum Madrigale dixit. Pro quibus supplicium merebatur, præmia amplissima retulit: ad veterem ditionem Alcantaræ Magisterium, de quo lis erat Alfonso Monroyo cum Ioannis Stunicæ Ducis filio, à regibus promissum, datumque. accessit Beatrix Paciecha Metellini Comes fratre Villenio cautior,fide haud constanti. Iisdem diebus, omnino quarto Nonas Maii coniugium Ferdinandum inter Neapolitani Regis nepotem,& Isabellam Ferdinandi filiã,pactum est. In cultum puellæ ducenta aureorum millia à Neapolitano promissa: tantundem quarta minus parte à patre, si alia proles mascula in spem regni esset suscepta. alioqui amplissimi regni spes dos esset. Fœderis maturandi occasio præcipua, ingens mutuæ pecuniæ vis oblata Ferdinando, magnum rebus momentum in earum rerum difficultate,ea inopia ærarii. Omnino Lusitanus ad eius rei famam,quam referentes,augebant,desperata victoria, temeritatem susceptæ expeditionis noua leuitate luere constituit, Castellaque deserta redire in Patriam.quoniam parum virium in domesticis opibus,parum in factiosis proceribus fore prouidebat,externa auxilia conquirere parat, Gallicaque arma in Hispaniam commouere.tentata tamen prius concordiæ spes,controuersiæ arbitrium Aragonio & Toletano permissurum profitebatur. Serum consilium lite martis arbitrio ferme diiudicata repudiatum. Marialbæ Comite Tauri cum præsidio relicto, ipse

tristis atque re male gesta deformis in Lusitaniam Iunii Idibus abscessit. Pauci exules ad omnem adeundam fortunam abeuntem sunt prosecuti, magis desperata venia, quàm factionis studio.

Lusitanus discedit in Galliam. CAPVT XII.

LVsitani opes in Castella eius discessu magis etiam inclinabant. In Ruscinonensibus & Ceretanis Gallica arma mouebantur, initique fœderis conditiones. Salsulæ arx munitissima Narboni obiecta, firmissimum ea parte Hispaniæ propugnaculũ, aduersus Gallicos impetus ex deditione à Gallis capta: Lebia in Emporitanis circumsessa. Externa iniuria, intestina discordia aucta est: Ludouici Mudarræ milites, quorum præclara opera extiterat in Perpiniani obsidione, secessione facta tumultuantes, non tam nocendi voluntate, quàm ob stipendia multorum mensium non soluta, nonnullis oppidis captis ad arma spectare cœperunt: ac periculum erat, ne Gallos in societatem asciscerent. Non ante ea tempestas sedata, quam iustum auri pondus se breui persoluturos, à regiis Ilerdæ datis prædibus est cautum. Gallicæ excursiones prohiberi non poterant, exhaustis gentis viribus, Rege Aragonio longinquo, atque in Vascones profecto: vbi intestini partium tumultus nihil remittebant, meliori Beamontiæ factionis fortuna, à quibus Pompelo regni caput obtinebatur, Stella erat obsessa. His Ferdinandus fauere magna Aragonii Regis molestia. Sed ne Gallis ea parte aditu patefacto nouam tempestatem in Hispaniam attraherent, erat prouidendum. quibus erat persuasum de Vasconum imperio Ferdinando tradendo inter eum, Eleonoram, & vtriusque patrem Aragonium Regem consilia agitari: excluso Francisco Phœbo, quem ex Gastone Fuxẽsi ortum diximus, Eleonoræ nepotem. Vt eos motus pacaret, Ferdinandus in Cantabros abiit de Hõdarribiæ periculo solicitus, euocare auxilia parans, comparare classem: cui Latronem Gueuaram nobilissimo loco natum præfecit. Patrem vt Victoriam accederet inuitauit. Isabella Tordesillę substiterat: quod oppidum Durio alluitur, & Lusitanorum excursionibus prohibẽdis erat idoneum. Trecentorum equitum præsidium aderat ductore Alfonso Aragonio leuiro. Repetebat ille Calatrauæ Magisterium annis superioribus ablatum, neque magna neque nulla spe: nam Gironios conciliandi, præcipua Regibus cura erat. æger mora impatientiaq; Eleonoram Sotum, quam adamare cœperat in Isabellæ obsequiis versantem, quamuis inclinata iam ætate vir vxorem duxit, professa castitatis lege à Pontifice Romano solutus. optimo sane publico ambitio importuna de Magisterio sublata est. quod molestum Aragonio patri accidit. adeo vt Ioanni, quem ille furto genuerat, Ripagorsam atque Villaformosam patri detractas daret: quas illi Rex adduxerat vindicato Iacobo Aragonio & occiso Barcinone: qui patris Iacobi Alfonsique aui Gandiæ Ducis iura, & secundum ea duo illa oppida repetebat, ferox conatu audacia exitiali. Ea maiorum meritis & nobilitati gratia fuit scilicet. Arx Segobiensis, vbi Isabella Ferdinandi filia erat, circumsessa in ciuium tumultu, ac ferme capta nunciabatur. Seditionis auctor Cabreræ ex re priuata infensus ob ablatam eius arcis præfecturam, Alfonsus Maldonadus, adiutoribus Ioanne Aria Episcopo, & Ludouico Mesa ciue primario. Isabella non magis filiæ, quàm arcis periculo permota, citato itinere ad incendium accurrit. Sic tranquillitas rebus & vrbi restituta est, seditiosis quà pulsis quà iudicio vindicatis. mense Augusto id gestum est. Quo mense Aragonius, cùm pede altero æger distulisset, Victoriam accessit. Nullus dies iucundior seni accidit. maximũ vitæ fructũ cepit, cũ filiũ aspexit, vnde ipse fuerat ereptis bonis omnib. cũ ignominia reiectus, Castellæ Regem effectum. Et ô superi, inquit, vt huius diei lætitia propria sit, facite. nulla molestia obscuret, nulla calamitas. & quoniam fortuna ad summum perducta retro volui consueuit, date, vt mutationem eius ipse potius priuatim, si quid est peccatum, si vindicare paratis, sentiam: quàm publico incommodo, aut filiorum calamitate luatur. Hæc lacrymis toto ore manantibus precatus, in filii complexum ruit, primum honoris locum deferens, prohibito dextram deosculari, ad læuam assidens, atque ad hospitium vsque comitatus. Id Castellæ maiestati datum. Aderat Eleonora Vasconum Princeps, magna spectaculi pii, atque susceptæ lætitiæ pars. De rebus communibus consultatum: ac Aragonium constituisse scribunt, Aragonium imperium filio de manu tradere. quod in ea ætate verisimile est otii cupiditate tentatum: destitisse tamen ob Castellæ motus nondum compositos. Colora Gallicæ classis præfectus, Cantabriæ & Calæciæ litoribus tentatis, euastatisque in Lusitaniam discessit, vt Regem Lusitanum in Galliam ea classe veheret. Ad Olisiponem is erat, rebus omnibus, quæ ad profectionem opus erant, comparandis intentus. Inde cõscensis nauibus in Africam nauigauit primum. Duo Brigantini

gantini filii euntem proſecuti ſunt, Comes Penamacoris amicorum princeps, Ocrati Prior, Ioannes Pimentelius Beneuentani frater: pręterea duo millia, & ducenti milites Tingi Arzilæque præſidium. Septa ſoluens Illiberim tenuit menſe Septembri: qui portus in Galli poteſtate erat. Inde Perpiniani, & Narbone regio cultu exceptus eſt. Luſitani aduentu maiori impetu concurſum ad arma in Ruſcinonenſi tractu eſt. A noſtris Laurentii fanum receptum: a Gallis Emporitani fines vſti, direptique. Domeſticis diſſidiis tumultuabantur prouinciales, eoque aduerſus externam vim nullo cõmuni conſenſu. Quo tempore Aragonius ſe victoria Tudelam Vaſconum oppidum retulerat, in vnam curam tumultus eius gentis pacandi incumbens. Ioanna eius filia in Catalaunis pro patre res gerens, imbecillitatis conſcia bellum auerſabatur. ablata tantum iure feciali vtrinque repetita fruſtra: & inducias tamen tenere placuit antea pactas. Luſitanus pedeſtri itinere Turonum vrbem triſtis contendit: vbi Rex Gallus ea tempeſtate erat. ſplendide acceptus atque habitus die conſtituto ſecundum ſalutem hac ſententia locutus fertur. Cogor prius oneri, quam vſui eſſe, quo nihil in vita moleſtius accidit. Sed bonis tamen noſtri regni rebus gratorum ſociorum officio functi ſæpe, munus tamen officiumque noſtrum veſtris meritis minus fuiſſe ſcimus, fatemurque. Hæc mittantur. Eſt enim fœda meritorum miſeris in ærumna iactatio. Nullæ mihi cum Rege Siculo inimicitiæ ſunt, niſi quæ publicæ: nec gentem Aragoniam ſed ſcelera ſed latrocinium perſequimur. Ereptus Ioannæ ſponſæ ex ſorore natæ paternus principatus, opeſque, proh dedecus indignitatemque omnium gentium armis vindicandam, belli ſumendi impoſuit neceſſitatem, infelicis hactenus. ſic eſt cælitibus viſum, triſtes ſæpe caſus ſolitis læto exitu mutare. Quod in tua manu Rex inuicte ſitum eſt. tu iuſto pioque dolori mederi vnus potes, & in noſtris malis veſtras etiam iniurias vindicare, bellum Ruſcinonenſe & Cantabricum optato exitu terminare, Vaſcones è faucibus eripere auidiſſimi tyranni. An eo imperio occupando, rationes defuturas creditis ei, qui dotale imperium armis inuaſit, eripuit, oppreſſit nullo commodiori iure? An facultatem, Caſtellæ & Aragoniæ præſidiis circumſeſſo, regionibus modico? Erratis ſi vllis finibus ambitionem reſiſtere putatis. Scimus auro & lectiſſima pube Galliam abundare: Neque vniuerſæ quamuis Hiſpaniæ collatas vires, pares vnquam fuiſſe. Neque nos ita deſtituti ſumus, tametſi ſupplices veſtram opem imploraturi, tãtum laboris ſuſcepimus. ſuperſunt integræ Luſitani regni opes, in Caſtella ſtudia partium partim aperta, plura cum vſus erit, & victoriæ ſpes maior, eruptura. Veſtris tantum auſpiciis bellum, quod iam eſt inchoatum, geratur. Nihil vanitatis in noſtra oratione eſt, & alioqui ſupplicibus Regibus opem ferre, malis publicis mederi, commodis omnibus, ſi nulla oſtenderentur vt ſunt maxima, honeſtatem, dignitatem, officium præferre, quorum niſi magnorum Principum, quales vos eſtis, munus eſt? Ad hæc Gallus pauca: ſibi id curæ fore reſpondet, daturumque operam, ne fruſtra ad ſuam opem confugiſſe videatur. Verbis facta non reſponderunt. Lutetiæ quo diſceſſum eſt vrgenti Luſitano belli gemini neceſſitatem aperte excuſauit, cum Burgundo Angloque inſtaurati, ac maiori erumpentis impetu. Præterea lege propinquitatis irrito coniugio pia arma non fore. ſic Luſitani conatus deluſi ſunt: etſi Burgundo is cognatione propinqua, nempe amitino & fœdere iunctus ad eum profectus pacis vniuerſæ ſe interpretem auctoremque offerebat, nihilo feliciori conatu. Nouo Caſtellæ commodo in Gallia mouebantur arma. Ad Hondarribiam enim in ea rerum Gallicarum difficultate induciæ à Gallis conceſſæ ſunt, breues primo, terraque tantum, deinde agente Cardinali Hiſpanię longiores & ſine exceptione.

Taurus de Luſitanis capta. CAPVT XIII.

REges pater & filius Victoria diſgreſſi, rurſus ad ſextum Nonas Octobris Tudelam conuenere, ſi Vaſconum tumultus componerent. Habebat vtraque pars ſuas clientelas & domeſticas & externas: in aulis etiam eorum Principum factionum ſtudia gliſcebant. Euocati Lerini Comes & Magiſter equitum Petrus Peralta factionum capita, ſe & ſuos in auctoritate Regum fore profeſſi ſunt: quod illi ſanxiſſent habituri ratum, ſi fallerent, dira caput ſuum obteſtatione execrati. à Beamontiis etiam Pompelo Ferdinandi fidei quaſi ſequeſtro cõcredita, ab aduerſa factione arces aliæ Aragonio contraditæ ſunt. Aderat Alfonſus Carrillius Buendiæ Comitis frater Pompelo. Epiſcopus. Moleſtæ eæ molitiones Magdalenæ Fuxenſis iunioris vxori acciderunt, coitionem & dolos ſuſpicatæ, ac de filiis ſolicitæ: ne hereditate paterna excluderentur. Berengarius ad eam legatus conſtitutæ concordiæ cauſas & conditiones explicuit. Debere illam bono animo eſſe: de Regib. patre & filio ſecunda omnia expectare. Periculi amplius ex Gallia impende-

re. ne ſe in fraudem induci pateretur iungendo cum ea gente vires ad Hiſpaniam inuadendam. Eſſe quidem Gallum fratrem: cum Aragonio & filiis maiora neceſſitudinis iura ſuppetere. Ad hæc illa pro beneuolentia proq; officio gratias agere. De fide dubitaſſe nunquam: neque à fratre, de viribus ſociandis appellatam. ne commiſſuram quidem, vt neceſſitudinis cum vtriſque initæ oblita videretur: & ſi facultas ſit, pacis potius quàm armorum auctorem fore. In medio conatu Vaſcones pacandi, noua lætitia acceſſit. ad tertium Nonas Octobris legatis vltro citroque commeantibus, coniugii leges ipſo in oppido firmatæ ſunt, Neapolitanum inter & Ioannam Aragonii filiam antea pacti. Sponſalia Ceruera præbita in Catalaunis, vbi ſponſa res gerebat: ipſaque Neapolis Regina ſalutata eſt. Nouis nuptiis ea regia vacua effecta erat, Beatrice Neapolitani filia ad Matthiã Hungarum, cui erat deſponſa, nauibus amandata, præſtanti probitate pudicitiaq;, vetre infœcundo, geminis quamuis nuptiis initis: his & deinde cum Ladislao Rege, qui in Matthiæ locum eſt annis inſequentibus ſubrogatus neque pari virtute, neque felicitate. Non ceſſabat interea Iſabella Regina. Taurus vrbs à Caſtellæ copiis, ductoribus Alfonſo Fonſeca Epiſcopo Abulenſi & Friderico Manrico Roderici filio, nocturna vi, furtoque capta eſt. paſtor quidam Bartholomæus nomine aditum in vrbem monſtrauit, qua parte colle munitæ minor cuſtodia adhibebatur. Re patrata circumſeſſa arx eſt. aduolauit ad rei geſtæ nuncium Iſabella Segobia: vbi priori ſeditione pacata, ciuibus confirmandis diſtricta erat. Eius aduentu Maria Ioannis Vlloæ vxor defenſione deſperata arcem dedidit quartodecimo Kalend. Nouembris. Gener Marialbæ Comes vicina arce relicta, cui Villalfonſo nomen erat, cum paucis qui ſupererant, Luſitanis militibus, magnis itineribus, notiſque tramitibus in Luſitaniam abſceſſit. Magnum erat operæpretium factum. Supererat Caſtrum Nunnium, vnde Petrus Mendania latiſſimè prædas agere, & omnia circùm infeſta reddere, vir ardenti animo, magna militari ſcientia. Vt Taurus eſt capta, in eam arcẽ promotæ copiæ ſunt. tormenta atque alia impugnationi idonea aliquot dierum labore eo deuecta. ſi de hoſtibus eſſet recepta, omnia eo tractu fore pacata ſperabant. Verum conatus ille inanis fuit. De Toletano, & Villenio conciliandis agebatur. Villenius æquiorem ſe præbebat: videbaturque ſupplex à Ferdinando pacem legeſq; accepturus modo æquas, & Villena, ac viginti amplius oppidis quæ eo tractu erant, ablata, reſtitutis. Toletanus duriorem ſe præbebat: tametſi Aragonius non deſiſtebat filium obteſtari, vt tantum virum bonis maliſve conditionibus pacaret: inconſtantiam fortunæ vereretur, ex ſummo ſæpe retro conuerti ſolitæ, ac verò præcipitare. Prioribus meritis, quæ maxima fuerant, nouas offenſas condonaret. eo pacato Luſitani factionem penitus debilitatum iri. Rei perficiendæ nondum maturitas venerat: & iam tamen appropinquabat. Venia certè Villenio promiſſa, atque ditio vniuerſa, arcibus quæ Madriti, & Caſtris Iuliis obtinebat, Ferdinando reſtitutis. Idem Toletano datum: qua ſpe Lupus Acunia eius ex fratre natus Optam dedidit, quam Ducis nomine Henrico Regi extorſerat in ea temporum perturbatione, labeque. Interea duo magni Principes pari prope fato vno tempore occiſi ſunt, Galeatius Mediolanenſis, Carolus Burgundus. Galeatius ad aram D. Stephani, eius memoria die celebri paucorum coniuratione, priuatos dolores vlciſcentium, effuſas Principis libidines. Carolus dum Nancium Lotaringiæ vrbem iterum obſidet, tempore anni alieno, atroci hyeme, male augurantibus ſuis, diſſuadente Luſitano ſub illud tempus ad eum profecto, Nicolao Campobaſſo deſerente, cum Italorum parte, prodenteque hoſti arcana, Nonis Ianuarii à Renato Lotaringio Heluetiiſque, quorum ab eo tempore nomen celebre eſſe cœpit, acie victus cecidit, vnica filia Maria relicta: quæ Maximiliano Auſtriæ Duci iũcta, quantam belli molem atrocis ac diuturni attrahet in Hiſpaniam, captas continuò à Ludouico Gallo Burgũdias, Quintinum, Peronam, aliaq; ad Somonam amnem oppida, ad ius priſtinum reuocare dum Burgundi dum noſtri tentant maiori conatu, quàm prouentu. Maria tres filios peperit Philippum, Margaritam, Franciſcum. quarto anno ex quo nupta fuerat, cùm eſſet grauida, ex equi caſu concuſſo vtero periit. Ex Galeatio Ioannes Galeatius relictus eſt (Iſabella ei Aragonia Neapolitani ex Alfonſo filio neptis iuncta erat) impar ætate ad remp. gerendam: præterea Blanca Maria Maximiliani iam Cæſaris vxor altera futura infœcundo coniugio, tum Anna tertia Galeatii proles.

Arces aliæ receptæ. CAPVT XIV.

NOuam importuno tempore contentionem de D. Iacobi Magiſterio concitatam Iſabellæ prudentia cõpoſuit. Rodericus Manricus Paredius Comes D. Iacobi Magiſter menſe

mense Nouembri decessit Vrcesiæ, præclaris maiorib. egregius ipse, Osca in Bastitanis de Mauris capta annis superioribus magnam adeptus famam. corpus ad aram templi maximam eo in oppido sepulcro illatum: supremusque honos defuncto est habitus. Optimi parentis obitum Georgius Manricus nænia elegāti deplorauit: in qua multæ poeticæ virtutes insunt, clara ingenii & sententiarum lumina. æmuli mortem Alfonsus Cardenas suam occasionem facturus, Vrcesiam petere constituit, armato milite formidabilis vim adhibere paratus, si morarentur spem honoris adipiscendi Tredecim viri, quorum eæ partes erant, ad comitia conuentu facto. Multis aliis proceribus bonis malis artibus eum honorem ambientibus, ne res ad arma deducerentur, periculum erat. Eo metu an ditionis amplissimæ auiditate, inter Ferdinandum & Isabellam consilia Tauri agitantur. armis vim coercere longū erat. ad artes conuersis animis, Ferdinādus Tauri substitit: Isabella Ocaniam Vrcesiamque contendit festinatione tanta, vt tridui itinere Vallisoleto Vrcesiam peruenisse Pulgarius sit auctor. Suadet militibus, vti concordię studio se Ocaniam sequantur. nobilis municipii amplitudine tutiores ad decernendum fore multis exemplis in eo Magistri palatio comitia celebrata fuisse confirmat. hortatur in eo oppido sermonum ministris Fonseca Abulensi Episcopo, & Fernando Aluaro Toleto à secretis Reginæ, vti ad vitandos tumultus eum ordinē consensu Romani Pontificis Ferdinando Regi administrandum ad tempus permitterent. Ad sanandas militū voluntates reuocādamque concordiam, haud minori auctoritate opus esse. Re deliberata milites Reginæ postulatis annuunt, parata multorum assentatione: plerique non tam certa obsequendi voluntate, quam excludendi deiiciendique aduersarios: quæ magna sed frequens comitiorum labes est. Id initium fuit, militum eorum potentiæ imminuendæ, exemplum, quod ad Calatrauæ & Alcantaræ ordines breui est propagatum: etsi Alfonso Cardenæ, paulo post datum est, vt ordinis Magister esset, magna multorum procerum offensione, vnum sibi prælatum dolentium, nullis meritis, neque comparanda familię nobilitate. sic illi conquerebantur. Ferdinandus rebus in vlteriori Castella compositis, factisque induciis cum Gallis & Lusitanorum reliquiis Ocaniam abiit initio anni Milesimi quadringentesimi septuagesimi septimi. 1477 Vreniæ Comiti Ioanni Tellio Gironio ad officium syncera voluntate redeunti, venia est data. Toleto, atque Madrito lustratis, nunciatum est, Lusitanorum varias manus Pacis Augustæ & Mirobrigæ fines vrere importunas infensasque. Gometio Figueroæ Feriæ Comite præmisso ad vim arcendam, partita reipub. cura, Isabella quidem ad Lusitanię fines abire constituit, rebus præsidium: Ferdinandus aliquot diebus Madriti consumptis, Toletani sanandi spe, nam pacatus ferox animus non erat quamuis paulo ante venia impetrata, eo regium colloquium, ad quod inuitabatur, vitante, ad nonum Kal. Aprilis die Lunę in Vlteriorem Castellam discessit cura Vascones pacandi: vbi nouo partium conatu multa mouebantur: recensque Stella ab imperio defecerat ab Agramontiis occupata: idque oppidum Eleonora Princeps suis & Castellæ viribus parabat impugnare. Quibus diebus nouus metus est allatus. Albohacenus Granatę Rex improuiso violatis induciis, quę aliquot annis steterant, cum quatuor millibus equitum peditibus ad triginta millia in Contestanos incurrit. securos incautosque opprimit. octauo Idus Aprilis, ipso Christi ad vitam reducis memoria sacro die Ciesam iis locis ignobilem pagum incendit, euertit incolis trucidatis. Magnæ inde prędę abactę pecorum armentorumque. Petro Fagiardo Murciæ Antelato quamuis ad defendendum excitato sese incolumes barbari in fines retulerunt, maiori incussa formidine, quàm damno illato. Sed noua moueri arma, & necessitatem impositam iniurias vindicandi graue erat, intestinis motibus nondum pacatis. Eo studio geminæ arces, quæ in Lusitanorū fide erant, Cantalapetra, atque Castrum Nunnium nouo conatu circumsessæ impugnatæque, deditione facta in potestatem venerunt. Cantalapetra citius ad quintum kalend. Iunii: Castrum Nunniū Mendaniæ virtute defensa diutius restitit. sed dedita tamen, atq; prouincialium concursu euersa est: ne latronibus receptui esset, quippe locis arduis sita. præsidiariis vtriusque arcis militibus facultas est concessa incolumibus, & cum supellectile in Lusitaniam migrandi. Mendanię septem florenorum millia adiecta, Duci, si nihil aliud fecisset, arce ea tandiu defensa nobili claroque. A Regina Castris Iuliis subigendis non minor opera data est, arcem Villenii nomine Petrus Biatia præfectus muniebat. de deditione appellatus, negare primo facturum, nisi Villena & contributis oppidis Villenio restitutis. (sic antea conuenisse dictum est) vir eximie constans fortisque: Non recusabat Regina oppida ea tradere, quibus ille nominasset. penes eos quasi sequestros semestri spatio postquam fuissent, Villenio reddendam. Ille fraudem & dolum subesse ratus cunctari, recusareque, vix à Villenio ipso, in arcem ingresso, victa constantia viri, non tam de suis

rebus,quam de heri dignitate & commodo laborantis. Ita dedita is arce,amicitiam Villenio clientelamque renunciauit,ignauiam eius pertęsus:qui neque sua dignitate moueretur,neque de suorum salute laboraret: nam præ festinatione neque ipsius præfecti,neque militum incolumitatem fuerat pactus. Ferdinandum res Bæticæ,quò Isabella euocabat,& ipse in animo habebat,adire Vascones non permiserunt:neque Ioannam sororem priusquam in Italiam nauigaret amplecti. Mense illa Augusto classi imposita,qua Alfonsus priuignus,Petrus Gueuara Vasti Marchio,alii viri principes ad litus Barcinonense erant appulsi,omnibus officiis in Liguria culta,ad virum tandem peruenit. Nuptiarum lætitia Neapoli ludis,spectaculis, conuiuiis, cultuque & splendore ciuium celebrata est.

Bætica pacatur. CAPVT XV.

RELiquis Castellæ partibus vix quiescentibus,motus in Bætica extabant. proceres pro se quisque vrbes arcesq; præsidiis occupare: vt cuiusque vires erant prædæ remp. ludibrio maiestatem habere. Ab Assidoniæ Duce Hispalis obtinebatur: à Marchione Gaditano Cæsarianum:ab Alfonso Aquilario Corduba. species obtendebatur, se muniendi aduersus finitimos regulos,vim externam propulsandi Lusitania vicina. spoliis prouinciæ,augere opes erat in animo:quod malis reip.temporibus ferme accidit:imminutis publicis opibus priuatæ crescunt. Et erant intra eas vrbes factiones populares. Hispali ciuitate inter Assidonium & Gaditanum diuisa studiis,Cordubæ Aquilarium inter & Cabrę Comitem dissidia vigebant,vt si vllo tempore grauissima. Isabella prior Hispalim multis quāuis dissuadentibus,neq; enim iis venerat copiis, vt vi agere posset, delata tamē in eam vrbē,arcem naualeq; occupauit:detraxitq; Assidoniæ Duci,maiori,quam pro sexu,& viribus animo, Ferdinandus rebus in Vasconibus ferme desperatis, in Vlteriori Castella compositis, Ribadei Comite Petro Villandrando Calæcis præfecto, Alfonso Aragonio fratri, & Magistro equitum reliquæ prouinciæ cura data, ipse in Bæticam festinare constituit,rebus præsidium certissimum. Guadalupeum Virginis fanum ex itinere iniit venerabundus,supplicationesque habuit. Albano & Beneuentano sequi iussis, quoniam dubia fide inter se & cum aliis proceribus conspirare nunciatum erat, Hispalim idibus Septemb. peruenit. Gaditanus aduerso rumore erat, quasi Lusitanis fauens in Regum oculis Alcalam Guadairam præsidio obtineret. Actum de eo conciliādo. remotis arbitris noctu ad colloquium venit. de reddendis arcibus appellatus, facturum se negauit, nisi Nebrissa, Vtrera,aliisque arcibus ab Assidonio,Regi restitutis. se nudato pręsidiis,quid aliud quæri,quàm vt inimici potentia opesque crescerent? æqua postulare visum. ab vtroque arces Regi redditæ sunt. alii proceres horum exemplo haud difficulter imperata fecerūt: præsertim cum Granatæ Rege,in quo præsidii magnam partem ponebant,iisdem diebus pactis induciis, opera Dieghi Cordubæ Cabræ Comitis præstanti fide viri: cui cum Rege barbaro vsus erat,multa familiaritatis iura. sic in Bætica res erant sanitati proximæ. In Vasconibus desperatæ ob studia factionum nunquam satis composita. Eleonora Principe quamuis identidem obtestante, sedecim mensium tempus componendis controuersiis designatum Tudelæ in conuentu Principum ferme exiisse, quoniam in patre, fratreque parum præsidii esset, externam opem conquisituros. ad auctores redituram culpam impositæ necessitatis. nisi occuparent gentis conatus, exitium instare. Dant animum ad loquendum liberè vltimæ miseriæ. æquissima postulata surdis auribus accipiebantur,longinquis Regibus,multisq; reipub. difficultatibus,aliis super alias. Aragonio præter Ruscinonense bellum, Siciliæ atque Sardiniæ res curæ erant. Raymundus Folchius Cardonæ Comes Siciliæ moderator Neapolim Ioannam Reginam secutus, res in Sicilia gerebat: cum in ea insula defuncto in minore ætate Ioanne Cabrera,paternum auitumq; Modicę Comitatum,ad Annam sororem hæreditate deuolutum,multi vno eum tempore ambiebant,alii exclusa puella,alii eam in coniugium expetentes. Aragonius,quoniam publicè referebat quē illa maritū ascisceret,ampla ditione opibusq;,Alfonso Aragonio Ferdinādi Regis filio notho eas nuptias destinabat. Verū Fridericus maris Præfecti filius iis nuptiis postmodum potitus nobilem principatum in suam familiam inuexit. Leonardus Alauona Oristani Marchio nunquam satis fidus,in Sardinia tumultuari cœpit,à Carrocio Prorege contra icti antea fœderis conditiones violatus. Inuictum Aragonii animum ætas imbecilla, tantæ curæ non obruunt: quasi in specula præsidens in omnes prospicit partes: Alauona more maiorum accusatus, vt spoliatione principatus puniretur sancitum est. sententia Idibus Octobris Barcinone pronunciata. exercitui supplementum naui missum, neque numerosum neque validum. sic bellum extractum in multos dies. Ferdinandi rebus in Bætica pacatis, spei mixtus metus solicitabat. Lusitanum in patriam

triam relatum nauibus, quamuis venia nuptiarum à Sixto Pontifice conceſſa tandem nulla externa auxilia impetraſſe. Id ſolamen erat. à Toletano tamen euocatum fama ferebat: quæ vereri cogebat, ne occultæ inſidiæ ſubeſſent. Sed is vitio ætatis vacillante ſenſu parum prouidebat animo: ira conſilio inimica, atque ambitio impotens malum agebant præcipitem, oculiſque officiebant. & erat fama cognitum Luſitanum ante reb. deſperatis Lutetia noctu profectum, vt Romam & Hieroſolymam obiret, mutataque veſte monachum indueret, tædio magis quàm certa voluntate. eum aliquanto ſpatio progreſſum, è tribus comitibus vni claue data iuſſiſſe, vti ſcrinium quod Lutetiæ reliquerat aperiret. In eo geminæ literæ inuentæ. alteræ ad Gallum quibus conſilii ſui rationem aperiebat: filium monebat alteris, vti quamprimum regium nomen capeſſeret, ſui nulla cura quem ſuperi, homineſque deſtituiſſent: delictis tamen veniam ſperare propitiaque numina deinceps fore, ea calamitate & ignominia placata. Eam ſummam votorū eſſe. Lectis literis, filius cū ſingultu & lacrymis regium inſigne deſumpſerat tertio idus Nouembris. A fuga pater conſilioque, Galli diligentia eſt retractus. deinde ad Caſcales oppidum appulſum, quinto die poſt inaugurationem filius ingenti lætitię ſignificatione mœſtum, atque inſolita macie deformem obuius excepit: in regnumque reſtituit. Ad hūc modum Luſitanus feroces primos impetus habuit: extrema ludibrio fuere. Proximum annum Milleſi. quadrin. ſeptuage. octauum fauſtum effecit Philippus in Belgis ex Maria Caroli 1478
Audacis filia & Maximiliano Auſtriæ Duce ortus decimo kal. Feb. imperii amplitudine & poſteritate felix futurus: breui quamuis vita in flore ætatis eſt raptus. Florentiæ, quæ libera ciuitas erat, in templo Liberatæ coniuratione ciuium in Mediceos fratres, quaſi libertati ciuium inſidiantes impetu facto, Iulianus occiditur, Laurentius ærarii ſacri munitione euadit. Eo facinore commoti ad arma populares. Saluiatus Piſanus Archiepiſcopus coniurationis conſcius & particeps, quaſi re patrata ad palatium, vbi Senatores iura dabant, aduolans inde populum ad arma concitaturus, facie turbata capitur: ac mox re cognita laqueo è feneſtris ſuſpenditur. crudele impiumque ſpectaculum. Cardinalem Sācti Georgii, qui Florentiæ aderat, & coniuratis fauiſſe fama vulgabat, Pontificis auūculi metus, & perſonę ſanctitas, ne eodem impetu violaretur, tutata eſt. Noui id belli initium fuit, quo Florentinæ opes aliquandiu vexatæ ſunt, Pontificis & Neapolitanis armis. ciuib. Florentinis ob cæſum Archiepiſcopum in impiorum numero habitis, agente Franco Rege, atque nouos terrores ex Gallia oſtentante, conuentu Aureliæ inſtituto de Pragmatica ſanctione reſtituenda, ius tandem ſacrorum Pontifex, pacemque dedit, illibata vſq; dum eius vrbis libertate.

Ioannes Ferdinando naſcitur. Capvt XVI.

Bellum in Sardinia erat atrox cruentum, anceps. Inſulæ copiis in duas partes æquas diuiſis, factioſi maiori quam regii ardore pugnabant, quippe pro ſalute libertateq;. ſpes victoriæ in externis conſtituta Genuenſes ne Leonardo ferrent opem ob antiquas neceſſitudines vtriuſque gentis, induciis Neapoli factis retenti ſunt. contra ex Aragonia & Sicilia noua auxilia miſſa ſunt. Comes ipſe Cardonæ Siciliæ Prorex cum claſſe ad periculum nauigauit. Leuia prælia multis locis facta. ad extremum ad Machomeram arcem collata caſtra: atque iuſta pugna eſt dimicatum. cæſo Artaldo filio, fuſis fugatiſque copiis, Leonardus Lembum ad litus nactus mari profugiens, cum in duas triremes Aragonias incidiſſet, à Villamarino claſſis Præfecto in Hiſpaniam deductus, Setabi in cuſtodiam eſt datus. bona fiſco addicta: oppidaq; omnia tum in Sardinia magna multaque, tum in continenti ablata. Oriſtanumque & Gotianum lege perpetua addicta Regibus, atque ad alios principatuum titulos adiuncta in tabulis publicus ab eo initio ſunt. Pugnatum eſt ad quartumdecimum kal. Iunias victoria non modo in præſens læta, ſed in futurum ſecuritati fuit, ea inſula penitus ſub imperio Aragonio quieſcente: de cuius poſſeſſione toties erat cum externis & cum domeſticis, & tanta animorum contentione dimicatū. Ferdinandum nondum Bæticæ rebus compoſitis, vxore grauida, duæ res in Carpetanos reuocarant neceſſario. Toletanus ſanādus erat, ne Luſitanū denuo attraheret in prouinciam: quod facturus nunciabatur: Societates quas inter vrbes & oppida inſtitutas diximus annis ſuperioribus, ad latrocinia cædeſque prohibendas, nouo conatu ſanciendæ erant: quoniam feſſi prouinciales magnitudine vectigaliū, languebant: quæ alēdis de cōmuni militib. indicebātur per capita, ne ingenuis quidē immunib. magno reip. cōmodo, quādo nō modo ſcelerū licentiā cōprimerēt, ſed in magno vſu eſsēt, belli ꝙ gerebatur ea cauſa. Madriti cōuētus generales ſūt habiti. In iis cōuētib. Societates in tres alios annos cōſenſu

prorogatę sunt. De Toletano nō idem successus fuit: suspicionibus quāuis detergēdis data est opera, quia homini erat persuasū insidias vitæ suæ factas. Soluto cōuentu vicinus Isabellæ partus Ferdinandum Hispalim reuocauit. Qua in vrbe oratores à Granatæ Rege missi eius verbis inducias, quæ inter vtranque gentem erant, concedi denuo postularūt. Negauit Ferdinandus nisi vectigali repræsentato, quod ab antiquo pendere essent soliti. legatis de ea re Granatam responsum à Barbaro Reges, qui vectigal pendissent, iam pridē esse extinctos: ea tēpestate in ædibus monetariis Granatę, neq; aurū, neq; argentū cudi: sed lāceas, sagittas, acinaces cōflari. Offensus insolenti respōso Ferdinandus, parendū necessitudini iudicans inducias tamen concessit. Reginæ maturo partu quarto kalend. Iulias Ioannes est natus, hora vna ante meridiem, in spem paterni auitique imperii: nisi eum Hispaniæ fata in flore ætatis inuidissent. Aragonius non rerum modo pondere, sed viuendo fessus Aragoniis moribus imbuendum nepotem ad se mitti postulabat: ac illud verebatur maxime à multo vsu cautus, ne fidei alicuius concreditus, quod superioribus annis factum in simili exemplo meminerat, occasio esset male sentientibus, res in Castella eius præsidio nouandi. Neque maior Aragonio contentio erat, de Cæsaraugustana Ecclesia. vacuam enim Ioannis Aragonii obitu, Aragonius Alfonso nepoti destinabat: quem Ferdinandus Ceruerę in Catalaunis susceperat furto. vitium natalium facile supplebat Pontifex Sixtus. ætatis veniam vt daret induci non poterat puero sexenni. Inter has contentiones vacuus diu pontificatus Ausię Dezpuchio Cardinali datus est, spe Aragonium Montesiæ Magistri, cui erat Cardinalis sanguine proximus, id meritis daturum. Non tulit ille tamen dolorem, adiunctis minis, atque in Cardinalis bona & cognatos grassatus, peruicit tandem annuente pręsertim Neapolitano Rege, cui multum Sixtus Pontifex tribuere erat solitus, vt ea Ecclesia Alfonso puero iure perpetuę administrationis daretur. nouum damnatumque exemplum inductum, vincēte pontificiam constantiam Regum importunitate, in ecclesię iura inuadentium atque libertatem: quod semper accusabitur, & semper erit. Et erat ea tempestate moribus vsurpatum, ne Episcopi ecclesiis Hispaniæ darentur, nisi quos Reges postularent, nominarentque. Qua occasione paulo post noua cōtentio de Turiasonensi ecclesia orta est: cui Andrea Ferricio Cardinali defuncto, Pontifex Andream Martinum Episcopum dedit. restitit Rex Ferdinandus. vt Hispaniæ Cardinalis mutata sententia daretur, contendit atque peruicit. Controuersia finē accepit cum Raphaele Galeotto quarto post anno Conchensi ecclesię tum vacuę à Sixto Pontifice propinquo præfecto, effecit Rex eo amoto Alfonsum Burgensem regiæ conscientię procuratorem è Dominicano ordine Cordubensem Episcopum, rectorem Conchensibus dari Castellę in perpetuum, vt quos ipsi expediissent, ii Episcopi præficerētur, addita prærogatiua. Dederat etiam ante quatuor annos idem Pontifex Henrico Regi, ne externi homines amplius in Castella sacerdotia expectarent: de quo lis tandiu fuerat cum Romanis. Alfonsus in extrema ætate Palentinus Episcopus, suo ordini D. Pauli monasterium Vallisoleti construxit.

Inquisitores Castellæ dati. CAPVT XVII.

MEliori Hispaniæ fato, quod eatenus factum non erat, quæstionibus habendis aduersus religionis desertores, atque hæreticos, aliisque in veram pietatem criminibus vindicandis, certi iudices designati in Castella sunt, discreti ab Episcopis, (quorū eę partes ab antiquo erant) Romani Pontificis auctoritate, & fauore Principum armati, Inquisitorum ab officio nomine. Morem in aliis prouinciis frequentē Italia, Gallia, Germania, ipsaque Aragonia, hoc demum tempore Castella est imitata. neque in studio impios conatus vindicandi, se ab vlla gente vinci passa est. auctor consilii Hispaniæ Cardinalis. Licentia superiorum temporum, multa in ea prouincia erant deprauata Mauris Iudæisque cum piis promiscue versantibus, nullo non commercii genere. Praua consuetudine vsuque non paucos è piorum numero infici necesse fuit: plures sacra Christiana, quæ susceperant patria superstitione abdicata, fide inconstanti, nullo vetante deserebant. labes Hispali maxime est grassata. in ea vrbe primum quęstionibus arcano habitis, de sontibus grauissimis pœnis vindicatum est. Nam maiori commisso delicto, igne post diuturnum carcerē & tormento necabantur. leuiori de causa, ignominia inurebatur familiæ perpetua. nō pauci bonis publicatis æternis tenebris vinculisq; mādati. Rubra crux obliquis radiis ac decussatim in crocea veste, quam S. Benedicti vocant, plerisq; data insignis, a cæterisq; discreta: vt essent documento & magnitudine supplicii terrerent alios. Quod vsu salutare extitit, graue initio prouincialibus visum est. Illa maxime: Parentum scelera filiorum

pœnis

pœnis lui. Occulto accusatore reos fieri: neque cum indice compositos damnari. Contra quam olim factum erat, peccata in religionem vindicari morte. Illud grauissimum, adimi per inquisitiones loquendi libere, audiendique commercium: dispersis per vrbes & oppida & agros obseruatoribus, quod extremum in seruitute credebant. Ita discrepantibus iudiciis, nonnulli mortis pœnam remouebant. cæterum suppliciorum acerbitates omnes complectebantur. In hoc numero Fernandus Pulgarius arguto atque eleganti ingenio: cuius extat de Ferdinandi Regis rebus gestis historia. alii quorum melior sententia fuit, qui fœdare religionem, & sanctissimas cæremonias mutare conati essent, eos frui vita & communi spiritu non putabant oportere: bonis & ignominia multandos videri, nulla filiorum cura. Præclare id legibus comparatum, vt caritas liberorum cautiores parentes reddat. Occulto iudicio tergiuersationes vitari: neque nisi de coniunctis aperte, aut confessis pœnas sumi. In multis sæpe antiquos ecclesię mores, prout res & tempora exigunt mutari: & maiorem licentiam maiori seueritate coercendam videri. Successus opinionem superauit. Ii iudices ne amplissima potestate ad quæstum sæuitiamque abuterentur, optimis legibus cautum initio. plures dies & maior rerum vsus adiunxit. Quod caput est, viri integerrimi atque sanctissimi ei muneri præficiuntur, ex vniuersa prouincia delecti: quorum arbitrio singulorum fortunę fama, salusque permittitur, disceptatque. Toti administrationi Thomas Turrecremata, tum quidem est præfectus, ex Dominicano ordine vir prudens doctusque, præcipua apud Reges gratia, quorum peccata per pœnitentiam expiare consueuerat, Segobiensi sui ordinis cœnobio præfectus. Auctoritas initio Castellæ finibus terminata, quarto post anno in Aragoniam transit, Gualbe & Ortesio ex eo ordine veteri instituto Inquisitoribus amotis. Ab eo competentibus locis, prout res erant, iudices delegati nullo statario tribunali. consequentibus annis supremus Inquisitor, quinque viris adiunctis, iudicia religionis maiora exercet in curia regia: vbi suprema alia tribunalia sunt, minora bini, terniue Inquisitores. Certa loca iis designantur. Nostra ætate Toletum, Concha, Vallisoletum, Calagurris, Hispalis, Corduba, Granata, Ellerena in Aragoniis Valentia, Cæsaraugusta, Barcino. A Turrecremata edictis proposita spe veniæ homines promiscuæ ætatis, sexus, conditionis ad decem & septem millia vltro crimina confessos memorant: duo millia crematos igne, maiori numero in vicinas prouincias fuga dilapsos. Ab hoc initio res in hanc auctoritatem creuit atque potestatem: qua nulla prauis hominibus toto orbe Christiano formidabilior est, reip. vniuersæ maiori commodo. pręsens remedium aduersus impendētia mala, quib. aliæ prouincię exagitantur, cælo datum. nam humano consilio aduersus tanta pericula satis caueri non potuit.

Aragonii obitus. CAPVT XVIII.

DIscessere Hispali Ferdinandus Isabellaque Assidoniæ Duce, & Gaditano Marchione eius vrbis aditu prohibitis. sic amotis factionum capitibus pax rebus reddita est. Lupus Vascus homo Lusitanus Moram cui erat præfectus ad fines Castellæ, Ferdinandi nomine occuparat. de ferendo auxilio actum. Ardebat Ferdinandus studio in Lusitaniam irrumpendi: id ad sanciendam imperii auctoritatem pertinere iudicans, si tantum audaciæ esse videretur, viriumq;, vt hostes in suis finib. bello implicaret, non modo illatū defenderet. Id neq; Aragonius pater, neq; prudentiores probarunt. quid enim haud magna spe in periculum suam salutem vocaret? quid de belli & rerū summa periclitaretur imperio fundato? Ergo ea cura D. Iacobi Magistro data est, adiunctis mille quingentis equitibus peditum millibus quindecim mense Augusto. quàm operæpretium apparatus maior: & Mora à Ioanne Principe Lusitano recepta, ii conatus præoccupati sunt. Castra Iulia in fide firmanda erant. Eo Ferdinandus & Regina vxor accesserunt Corduba obita. Quo tempore in Gallia ad Laudum in Cadurcis tertio Idus Septembris coniugium est institutum per oratores Fridericum inter alterum Neapolitani Regis filium, & Annam Amadei Sabaudi Ducis filiam. Nuptæ quoniam sorore Galli Regis erat nata, ab auunculo dos dicta, amplus in Gallia principatus. dum is redderetur, & donec auri pondus, de quo lis erat, ab Aragonio esset repręsentatū, pignoris loco Ruscinonēses & Ceretani. Perculit ea res Reges patrē & filiū: ac in Neapolitanū maxime iram accendit: ꝗ ea propinquitate Gallicam amicitiam Hispanę præferre videretur, atque principatum accipere quamuis oblatum, de quo ipsis cōtrouersia esset belluque. Induciarū quę cum Gallo erāt tēpus exibat: & periculū erat, ne rediretur ad arma importuno vtriusq; gētis tēpore. nā Gallus Belgis magna ex parte occupandis districtus, alia contemnere videbatur. In Castella nondum res erant plane quietæ, Lusitano nouum bellum comparante, Metellini Co-

mite virili animo fœmina,& Alcantaræ militię Clauigero alienatis. Camboa Hondarribiæ præfectus,& Almaſani Archidiaconus Ferdinandi iuſſu cum Galli legatis, qui Baionę ſe tenebant, de fœdere agunt. Eorum diligentiam induciæ pace mutatæ ſexto Idus Octobris,non aliis legibus,quam quæ ante belli tempus inter vtranque regiam ab antiquo fuerant, Aragonius etiam ea pace comprehenſus. quo quid aliud quam ludibrium continebatur,non reſtituto,de quo lis erat,principatu? Cautum modo vt binis ab vtraq; parte iudicibus tum ea controuerſia,tum aliæ componerentur. Publicam ex ea re Caſtellæ lætitiam duę res auxere: Henricus Ferdinandi propatruus libertati à Luſitano redditus Caſtra Iulia venit. Toletanus malo coactus (nam omnes reditus intercepti erant, & pleraque oppida ablata) tandem in Ferdinandi fide & poteſtate fore recepit, traditis tota ditione arcibus,vt regio præſidio tenerentur. Luſitanum Regem denuo in Caſtellam euocaſſe crimen erat.nouam hero veniam dari Tellius Archidiaconus Toletanus impetrauit,vir ea tempeſtate doctus & ſanctus. Præterea venia propinquitatis quæ facta erat Luſitano,Romę à Sixto Pontifice abrogata:Ioannæque coniugio eſt illi interdictum. In quo maior ratio eſt habita Neapolitano Regi gratificandi, id conuitio expetenti,quam vt quibuſdam videbatur,maieſtatis atque conſtantiæ. Miſſæ de ea re literę pontificię menſe Decembri in Hiſpaniam. De rebus omnibus,ac de Gallica pace collocuturi Reges pater & filius Molinam atque Darocam venire parabant: cum Aragonium Barcinone morbus oppreſſit extinxitque ad quartumdecimum kal. Februarii die Martis principio anni
1479 Mileſi.quadringenteſi.ſeptuage. noni. Corpus ad Populeti ſepultum. inferias vt darent funusque curarent, regius cultus oppigneratus eſt: tanta erat pecuniæ inopia. Vixit annos vnum & octoginta,menſes ſeptem,dies viginti,vegeto ſemper corpore,& belli ac venationis laborib. par,animo viuido,magnitudine & varietate rerum geſtarum,ac diuturnitate imperii magnis Regibus exæquandus.Extremam ætatem ſugillauit amoribus puellæ, cui Franciſcæ Roſæ nomen fuit, forma conſpicua, libidinis auidus magis quam potens.Eam Iacobo Aragonio,quem Barcinone occiſum diximus, vxorem deſtinabat. Teſtamentum decimo ante nono nuncuparat. In eo tum multa pie & prudenter, tum duo templa ſanctitatis opinione celeberrima, in domicilium Hieronymiani ordinis conformari mandauit: D. Engratię Cæſarauguſtæ vnum vrbis muro coniunctum, in Catalaunis alterum,cui D. Mariæ Belpuchiæ eſt appellatio. Vtrumque filius prę́ſtitit. Ad Aragonii regni hæreditatem nepotes Ferdinandi filii ex filia,etiam, ſi maſcula proles deeſſet, filiabus eiuſdem præferendos ſanxit. Sic ſępe ad Regū arbitrium iura regnandi cōmutantur.

Eleonora Vaſconum Regina. CAPVT XVIIII.

ARagonii obitu,vt erat neceſſe, & vt teſtamento eius cautū erat, diuiſo imperio, Ferdinando Aragonii acceſſerunt, Eleonora Princeps materno iure Vaſconū regnum obtinuit,annum iam ſeptimum viduata viro, eoque continuis & maximis ærumnis obnoxia. impiam ob cædem Nicolai Pompelonenſis Epiſcopi nondum religione exoluta, gens in factiones ſciſſa erat,meliori fortuna potentiaque partis Beamontiæ,Eleonoræ aduerſę. Principum familiam atque animos,Caroli Vianæ Principis & Blancę ſororis iniuria peremptorum manes tot annos peruagati ad expetēdas pœnas non quieſcebāt,quamuis nullo ſonte relicto. Sic Eleonoræ regnum breuiſſimum fuit, ne menſtruum quidem. alioqui prole fœcunda fuit poſteritate felicior quam vita. quatuor filios genuit, Gaſtonem natu maximum,Ioannem,Petrum,Iacobum,filias quinque Mariam,Ioannam,Margaritam,Catharinam,Eleonoram.De ſingulis pauca dicenda ſunt: quoniam magnorum Principum ex iis ſtemmata texuntur.Gaſto obiit, vti ante dictū eſt, Franciſco Phębo & Catharina relictis. Ioanni Narbonis auro paterno redemptę vrbis principatus fuit: filii Gaſto & Germana. ille cęde ad Rhauennam, hæc Ferdinandi Catholici nuptiis nobiles. Petrus literarum & pietatis ſtudiis exculto ingenio,à Sixto Pontifice purpurę eſt honore donatus. Iacobus magno animo bellica munera exercuit coniugio liber: ſolutę veneris licentia nōnullos filios ſuſcepit,neque magni in Gallia,neq; nullius nominis. Maria Guillelmo Montisferrati Marchioni,Ioanna Armeniaco Comiti Ioanni nupſerunt.Franciſco Britanno Duci,Margarita filiam enixa eſt Annam appellatione:quę dotis nomine paternum principatum in Francorum regiam intulit Caroli octaui,& Ludouici duodecimi vxor.Catharina Gaſtoni Fuxenſi Candallę Comiti iuncta,duos filios genuit,filiam vnam, cui Annæ nomen,Hungariæ regnum fuit Ladiſlai Regis coniugio. Eleonora natu minima in minori ætate deceſſit,iam viro matura. Eleonora tantorum Principum mater,fracto laboribus corpore,animo moleſtia victo,pridie Idus Februarii deceſſit. Tudela initium

tium regni, & vitæ finis fuit. Tafallæ Minorum ædem de ſuo extrui, teſtamento, eoque corpus ſuum & matris Blancę oſſa Nieua, quod eſt oppidum non procul Segobia, afferri ac ſepeliri mandauit. Imminutis, propter inteſtina diſſidia, regni vectigalibus tanta inopia laborauit, vt nullo fortunæ ſubſidio aurum in ornatum ad alendam familiam venderet. Succeſſit nepos Franciſcus, cui à formæ venuſtate Phæbo cognomen fuit, vndecim annos natus. Imperium Magdalenæ matris & Petri Cardinalis patrui auſpiciis, dûm ad iuſtam ætatem perueniret, vt in ea temporum labe prudenter eſt gubernatum. In Caſtellæ Rege parum præſidii fuerat: eoque ne nominato quidem in Eleonoræ teſtamento, eius iuſſu ad Gallum, vt natura etiam cogebat, aperte inclinare cœperunt. quod malo fuit, & vetuſti regni ac nobiliſſimi opes breui euertit. Hęc in Vaſconibus gerebantur. Quo tempore in Caſtella vetuſtate fixę de religione opiniones mouebantur. auctor Petrus Vxamenſis, qui Salmanticę Theologicas ſcholas explicabat audaci ingenio prauoq; ; librum vulgarat multis mendaciis fœdum: quorum vt hic numerus ineatur, non eſt neceſſe. In Romanæ Eccleſiæ maieſtatem, & Pœnitentiæ ſacramentum contumelioſus maxime, Romana reſponſa errori obnoxia affirmabat. Sacerdotes vim habere ad condonāda peccata, negabat: neq; à Chriſto Deo præceptum, ſed ab hominibus inuectum Pœnitentiæ remedium, non incommodum tamen ad hominum prauitatem coercendam ſanādamque. Toletanus Compluti, vbi multus erat, iuſſu Sixti Romani Pontificis viris doctiſſimis in conuentum euocatis, re diu multumque deliberata, impia placita reprobauit: auctorem niſi mutaret, anathematis ignominia notauit, ſententia pronunciata ad nonum Kalend. Iunii. quam paulopoſt nouo diplomate Sixtus Pontifex ratam habuit. Ioannes Prexanus nobilis ea ętate Theologus, de ſcripto Petrum exagitandum ſuſcepit iuſto volumine, ſtilo rudi nempe eius ætatis, ſed arguto, atque ſcholaſtico. De Villenæ principatu bellum erat. Chinchillam obſidentibus regiis, Villenius præſidio accurrit. obſidione ſoluta duo regii Duces Alarconius & Georgius Manricus à Petra Biatia, ille ad Albercam eſt victus, Manricus etiam nouo ad Canauetem commiſſo prælio, vulnere afflictus, ex quo aliquanto poſt deceſſit. crudelitas fati ei ingenio & ætati non debita. Excuſabat Villenius in eo bello non contra fidem datam ſumpſiſſe arma, ſed neceſſitate regiorū Præfectorum inſolentiam frænandi. neque cum Luſitano aut Toletano denuo conſilia communicaſſe. quæ tandem excuſatio valuit, ne quid in eum grauius decerneretur. Accidit in eo bello, vt regii, ſex è captiuis hoſtibus laqueis ſuſpenderent. Ioannes Berrius pro Villenio copiarum Dux è ſuis captiuis totidem ſorte lectos ad ſimile ſupplicium rapi ſanxit. In eo numero ne quidam, cui vxor & filii erant periret, minor natu frater & ipſe captiuus magna contentione & lacrymis euicit, vt pro fratre vicarius ſubſtitueretur, grata ſuperis victima, exemplum miſerabile.

Caſtellam inter & Luſitaniam facta pax. CAPVT XX.

IN Beturia, quæ noſtris Extremadura eſt, Ferdinandus & Iſabella erant, quo tempore Aragonii imperii hæreditate aucti ſunt, pacandis motibus inteſtinis diſtricti, qui à Metellini Comite Beatrice Paciecha, & Alfonſo Monroio Alcantaræ Clauigero fuerāt concitati. Illa maiori, quam pro ſexu animo, quippe filium aliquot annis vinctum tenuerat, ac domo tandem expulerat, Emerita vrbe præſidio occupata, ne ea poſſeſſione caderet. filio quę cogeretur comitatum reſtituere, iudicio paternam hęreditatem repetenti, arma corripuit. Clauigerum erepti iniuria (ſic ille putabat) Magiſterii ſui ordinis, atque Ioanni Stunicæ dati dolor vrebat: multaque eius ordinis oppida armis occuparat. Prętereà bellum defendendum erat: quod à Luſitano omnium grauiſſimum imminere credebatur. Verum feſſis omnibus, ac bello ciuili nihil eſſe miſerius reputantibus, victoria nihil triſtius, quæ ferociores homines impotentioreſque reddit: cum multa victori eorum per quos vicit arbitrio facienda neceſſario ſint, alienaque calamitate, ſaginandi ſint ſocii periculi: de ineunda pace mentio iniecta: eo maiori Luſitanorum ſtudio, quod ad Albuferam octo ab Emerita paſſuum millibus à Magiſtro Diui Iacobi inſigni pugna victi fuerant, ad ſextum Kalend. Martii. Pauci ex fuga Emeritam tenuerunt: quę in Metellini Comitis poteſtate erat. Beatrix Iſabellæ Reginæ matertera, quæ Viſei Duci nupta fuerat, Ioannis Luſitani Principis ſocrus, magna auctoritate, parique prudentia fœmina, curā conciliādi vtranque gentem ſuſcepit. Eius molitionis exitum expectare longum erat Ferdinando, noui regni hæreditatem cernere cupienti, vbi multa turbata erant: vt Vaſconum audacia fręnanda, qui in Aragonios fines irrumpentes, caſtella nōnulla temere munita ceperant, multamque prædam abigere non deſiſtebant, conuentus Aragonii nullo noui Re-

gis consensu essent indicti. Neque id flagitium in ea gente ducitur. Ita se mores habet. Ergo pacis conditiones sanciendi cura Isabellæ coniugi demandata, & Alcantara municipio designato consensu, vbi cum matertera de rebus omnibus constitueret, Ferdinandus obito Guadalupeo Virginis templo, votisque tum solutis, tum nuncupatis, per Eulaliæ fanum, quod oppidum Toleto vicinum est, atque per Harisam & Calataiubam Cæsaraugustam regni caput, ad quartum kalend. Iulias inuectus est, celeberrimo apparatu, plausuque ciuitatis ad spectaculum effusæ. Senatus princeps Ludouicus Naia regium latus de more claudebat. Rex ipse lugubri veste, trabea mutata auro intexta, galeroque pari pulchritudine, equo vectus, sub vmbella vrbem iniit, inter faustas populi voces, felix, diuturnumque imperium comprecantis. Iurisdictioni data opera. quicunque se iniuria læsos existimarent, iis facilis ad Principem aditus erat. Inde Barcinonem itum est. De Ruscinonensibus & Ceretanis ad ditionem reuocandis actum, inani tunc conatu, quoniam rei perficiendæ nondum maturitas venerat: & appropinquabat tamen. Iudices tantum quatuor, cum potestate omnes controuersias finiendi Regum Galli & Aragonii, sunt designati. Valentia petita. par locis omnibus lætitia celebrata. Noui tumultus extabant. Semenus Vrrea Biotæ Vicecomes, Iacobum Pallasium Cheluæ Vicecomitem & vxorem improuisa vi ceperat, Cheluam & Mansaneram oppida sui iuris facta obtendens. quod iudicio obtinere promptum erat, irritatis audacia iudicibus perdidit. Agente Rege in præsenti arma sunt posita. in annum tertium controuersia tenuit. Pro Iacobo Pallasio in causa est pronunciatum. Iisdem diebus Isabella & Beatrix, Alcantaræ vt placuerat, collocutæ inter se, has futuræ pacis conditiones scripsere. Vt Lusitanus Castellæ Regis appellatione & insignibus abstineret: idem de Lusitaniæ faceret Ferdinandus. Ioanna Princeps nuberet Ioanni Ferdinandi filio, cùm primum ad iustam ætatem perueniret. Si is sui arbitrii factus recusaret, centum aureorum millia mulctæ nomine penderentur. Ioanne liberum esset virginem sacram induere, si mora coniugii longa videretur. Alfonso Lusitani nepoti Isabella Ferdinandi filia iungeretur. Castellæ nobilibus ne ad res turbandas perfugium in Lusitania foret. Extima Africæ litora nauibus explorare, aperireque Lusitanis Principibus nullo obsistente, ius proprium fasque esto. Eas conditiones ratas fore, designati obsides sunt, Ioanna ipsa Princeps, Isabella Ferdinandi filia, Alfonsusque infans Ioanne Lusitano Principe natus, in Beatricis potestate futuri oppido Mora. Adiunctæ à Lusitano ad Castellæ fines quatuor aliæ arces fidei datæ pignus. Sic arma consensu posita: quæ tandiu viguerant, præcipuo vtriusque gentis incommodo, maiori Lusitanæ. Octobri mense ob ea quæ feliciter acta fuerant, superis decreta vniuersa Hispania supplicia. vtraque natio trepida antea & solicita de belli euentu, læta agere: meliorem spem animis agitare: de Beatrice fama præclara esse. Ferdinandus ea lætitia Valentiæ nunciata, Toletum accurrit: vbi fine anni Isabella coniux clarior quam antea atque nobilior pace suo commodo facta, eius aduentum morabatur. Nouum gaudium Regibus ortum. nouam Isabella prolem peperit, octauo idus Nouembris: cui Ioannæ nomen fuit, paterna auitaque regna superi destinabant. Præterea aliquanto post, Ioanna Princeps specie honoris obiecta, ludibrio se haberi cernens, Conimbricæ in Diuæ Claræ vestem mutauit: sacratæque virginis officium susceptum necessario, ad multam ætatem egregie præstitit, pertæsa rerum humanarum inconstantiæ varietatisque. & nihilominus Isabella Alfonsusque infantes, in Beatricis vt conuenerat, potestatem sunt contraditi, obsides reliquarum conditionum pacis. Metellini Comes, Alcantaræ Clauiger ad officium vltro reuocantur. Idem alii Castellæ nobiles faciunt, præsidium firmissimum Lusitanæ causæ, Villenius etiam in gratiam mutatis pri-
1480 oribus conditionibus receptus est, principio anni Millesimi quadringentesimi octogesimi. Scalonam Belmontiumque retinuit, Villena, Almansia, aliaque oppida Villenæ contributa, quæ contra eum arma sumpserant, Regibus cessere. & erat stultum sine vllo laboris effectu conari: dum veteres spes captat, de iis quæ erant reliqua periclitari. Imminutis Villenii opibus potentiaque, firma concordia fuit. Renatus Dux Andegauensis non modo aduersis rebus, sed etiam longa vita nobilis, mense Ianuario extinctus in Gallia est, ad vitæ finem se Aragoniæ, Siciliæ, atque Hierosolymæ Regem nominans, inani appellatione, præterea prouentu nullo, ne spe quidem, amissa recuperandi. Hæredem testamento reliquit Carolum fratris Caroli filium ex asse. Renato Lotaringio suo ex filia nepoti, Bari Ducatum legauit, quem satis amplum in Gallia obtinebat.

Luſitani Regis obitus. CAPVT XXI.

TOleti generales conuentus agitati omnino frequentes. voces liberæ fuerunt, ac plenæ expoſtulationum. nobiles in tenuiorum fortunas graſſari populi conquerebatur: eorum auaritia regiũ ærarium exhauſtum, occupata vectigalia, imperari noua indies magna prouinciæ calamitate. remedium excogitatum. Dati in cauſa iudices, ab Henrico Rege factas imprudenter donationes, aut temporum neceſſitate extortas, iniuſtas fore pronunciarunt. Nobilium audacia coerceri nondum poterat, neque iudicia reſtitui magnopere labefactata. Menſe tantum Maio omnes ordines ſacramento adacti Ioannẽ Regum filium poſt eorum fata Caſtellæ Regem fore. ad ſanciendam maieſtatem, imperiumque ſtabiliendum id pertinere viſum eſt, dubiis prouincialium voluntatibus ea religione ſanandis, confirmandiſq; in fide. Sic rebus in Citeriori prouincia compoſitis, Medinã Campeſtrem atque Vallisoletum itum eſt. Iis locis regiæ ſeueritatis nonnulla exempla conſtituta, ſontibus vindicatis viris nobilib. Magnitudine ſupplicii deterriti alii. Calæci imprimis, vbi vis eius mali vigebat maximè, feroci homines ingenio, Lucus, Auria, Mindoniũ, Biuerum, atque Brigantinus portus imperata facere recuſabant. Ferdinandus Acunia, & Garſias Chinchilla iuriſperitus eo miſſi, conuentu gentis Compoſtellæ habito, Petro Pardo Mareſcalo, aliiſq; factioſis è nobilitate interfectis, latè terrorem vniuerſis incuſſerunt. ſic imperii maieſtas in ea prouincia ſancita eſt; legibus & magiſtratibus vetus auctoritas ex longo interuallo reddita: quamuis Ferdinando Rege abſente, atque in extremos Catalaunos hac occaſione profecto. Mahumetes Turcarum Imperator, curſu tot victoriarum ferox, Rhodum inſulam firmiſſimum ea parte piorum nationis propugnaculum, è mari claſſe, à terra poſitis ad vrbem caſtris impugnandam ſuſcepit. Tres ibi mẽſes fruſtra conſumpti. geminę à Neapolitano Rege onerariæ miſſæ, commeatus affatim & recentẽ militem ad obſeſſos cum intuliſſent. irrito Turcæ conatu cum claſſis parte Apolloniam Macedoniæ vrbem tenuerunt Adriatico ſinui imminentem vicinamq; Apulis. Ea claſſe Acomates Satrapes prouectus, in Italia Hydruntem expugnauit Idibus Auguſti. nemini armato inermive pepercere barbari. Excurſiones tota Apulia faciunt, ferro flammaq; ſæuiunt. Ingens terror oſtentatus reliquæ Italiæ, ſed & remotis nationibus Reges incitauit, vt coniunctis viribus oriens incendium comprimerent. A Ferdinando Gonſaluus Beteta in eam rem ad Sixtum Pontificem legatur, haud ſatis tunc noſtris rebus æquum: ꝙ multis antea argumentis perſpectum, recens confirmarat, Carrillio Toletano Præſule Legato in Hiſpania creato, nullo Regis conſenſu. Sed Principes antea diſſidere inter ſe ſolitos, periculi nunc ſocietas iunxit. miſſo denuo Barcinone Io. Margarito Epiſcopo Gerundẽſi ad Italiæ Principes menſe Februario anno M. quadrin. octoge. primo per cauſam conſti- 1481 tuendæ ſocietatis, claſſem inſtrui curat, nauigiorum maiorum minorumq; quinq; & triginta. Idem Luſitanus facit, viginti nauibus comparatis. ſerius tamen opinione cũcta procedebant: Alfonſuſq; Calabriæ Dux iunctis Italiæ viribus ægrè in iuſtam obſidionẽ barbaros compulit. Mors Mahumetis nunciata fregit animos, extincti Nicomediæ in Bithynia ad quintum Nonas Maii. Turcæ incolumitatẽ pacti, quinto obſidionis menſe vrbem dediderunt. Eorum partem Calabriæ Dux retinuit ad mille quingentos, quorum opera vteretur aduerſus Florentinos: à quibus barbaros in Italiam fuiſſe euocatos rumor erat. multis ſuſpecta fraus Alfonſi ea fingẽtis: & paulatim in plures cœpit manare ſuſpicio. Mahumetis obitu, Byzantii graues tumultus extitere. alii Baiazetem pręferebant defuncti filium natu maximum: pars Gemen natum patre eodem iam Auguſto ad imperium vocabant. A Baiazete victus frater ad Pruſiam Bithyniæ, primum in Ægyptum, deinde Rhodum aufugit. Rhodii honorificentiſſimè exceptum cultumq;, multis expetentib. Principibus in Galliam tranſmiſere, gratum Ludouico Regi donum. In Aragoniis Luſitaniſque auxiliis parum opis fuit, poſt deditam Hydruntem appulſis ad ea litora noſtris claſſibus. & erant Regibus noua impedimenta nata, alieniſſimo reip. tempore Ferdinandus diſtrictus conuentu, qui Calataiubæ eſt habitus, ad quem Iſabella Regina viri iuſſu Ioannem communem filium adduxerat, Alfonſo maris Præfecto & Petro Velaſco Magiſtro equitũ, rerum in Caſtella cura commendata. Ab ea gente ſacramentum acceptum hæredẽ paterni imperii futurum, cæremonia peracta ad quartũ Kal. Iunii. idem factum Barcinone aliquanto poſt. Ferdinandum tantis rebus perficiendis intentum, noua de Vaſconũ regno cura ſolicitauit. Petrus Cardinalis, & Iacobus pueri Regis patrui, Cæſarauguſtæ dato ſenatu, gentis calamitates accurata oratione explicarunt. à factioſis vrbes & oppida occupari: à Beamontiis Pompelonem, ab aduerſariis Stellam, Sangueſſam, Olitum. Regiã maieſtatem ad inanem appellationem redactam. pupilli, imbecilli, ac propinqui Regis cala-

mitate moueretur. Ludouicum Lerini Comitem impotenti audacia virū in aduersarios cæde, incēdiis, direptionibus grassari. Petrum Nauarram, & Philippum Petri filium Vasconum Marescalos fraude peremisse. Defuncto Petro Peralta Magistro equitum, eo honore occupato ferociorem euasisse. Ex immanis cupiditatis faucibus reliquam remp. eriperet. In Troilo Carrillio Peraltæ genero, ad quem cæteræ opes soceri dotis nomine redierunt, haud satis virium erat ad resistendum ęmuli audacię. vnus vniuersis plus poterat publice priuatimq;. Pollicetur Ferdinandus sibi Francisci Regis res curæ fore. mittit cū iis Principibus idoneos viros, qui eius verbis tumultuātes, modestię monerent: obsequiumque Regi suo debitum commēndarent. Tafallę gentis conuentu indicto, mandata ii exposuerunt. negant illi communi consensu factum, quominus Regi liber esset ad regnum aditus: paucorum tantum temeritate impeditum. Veniret modo, daturos operam, ne aliquod officium à subditis populis desideraret. Gratum id responsum fuit. de Rege Pompelonem deducendo consilia cum Ferdinando communicata. armato visum: ne in tanta rerum colluuione maiestas ludibrio esset. Regem Lusitanum iisdem diebus mors oppressit, Sintræ in quo conclaui erat natus ad quintum Kal. Septembris. Corpus ad Aliubarrotam tumulo est illatum. Gentis imperium Ioannes eo nomine secundus à morte patris suscepit, ab animi præstantia, & rerum gestarum gloria cognomento Magnus. Graues simultates cum Castellæ Principib. per totam vitam, quas pater simplicius, ipse callidius eoque implacabilius exercuit. Odium in proceres vertit: quos Castellæ reb. fauere suspicabatur, vti mox est explicandum. Clementia, pietate, seueritate in sontes, ingenio sublimi atque præstanti, expedita memoria atque tenaci, cæteros sua ętate Reges exæquauit: multos etiam vicit. Eius illa vox fuit: Imperium prudentes Principes accipere, aut facere commercio perpetuo hominum in omni sapientiæ parte præstantium: quales in aulis Principum ardenti ingenio versantur. & qui cum Principibus loquuntur, ii accurata prudentique oratione, quę dicunt seque probare illis conantur.

Trium Principum funera. CAPVT XXII.

TRibus annis totidem Principū funera continuata sunt. Massiliæ Carolus Andegauensis obiit fine huius anni, hęrede scripto Gallo Rege. Quantum id turbarū & tempestatum in Italiam concitabit? nobiles sane principatus Andegauensis atque Prouinciæ ei Regi accesserunt. Consequenti anno Mille. quadrin. octoge. secundo Alfonsus Carrillius Toletanus Archiepiscopus ipsis kalend. Iuliis, annis grauis, viuido ingenio, eoq; non ciuilibus modo, sed etiam militaribus muneribus idoneo: à quibus tamen necessitate magis temporum, iraque, quam voluntate abscesserat. Tumulus defuncto Compluti, vbi extremam ætatem melioribus studiis propagabat, in D. Francisci, quod ipse monasterium construxerat, constitutus est ad aram maximam. Troili filii extincti consequentibus annis coniunctum ad læuam sepulchrum, incontinentiæ paternæ fœdum monimētum, Ximenius Cardinalis remouendum ab oculis multitudinis, atq; in monasterii exedram vbi conuentus monasterii sunt, transferendum curauit. Ad Troilum eiusq; filium Alfonsum, qui in Vasconibus Magister equitum fuit, Falcis Marchiones generis originem referunt. Carrillii Præsulis æmulus Hispaniæ Cardinalis, Reges in Aragoniam secutus Toletanam Ecclesiam regēdam suscepit, vir magnus, maiorum gloria non magis, quam suis virtutibus clarus. Ea meritis gratia est habita, perpetuæque iuuandæ reipub. voluntati. Enecus Manricus Giennensis Episcopus in eius locum Hispali Præsul est datus. In Vasconibus nouum gaudium maiori luctu mutatum. Franciscus Rex ex Gallia, vbi se tenuerat, ob graues & diuturnos Vasconum motus, tandem vt erat constitutum, matre, patruis, atque pleraque ex vtraque gente nobilitate deducentibus. Pompelonem delatus, atque insigni plausu atque apparatu exceptus, in eius vrbis templo primario, regio insigni desumpto tertio Non. Nouembris Rex est proclamatus: in ipso ætatis flore quindecim annos natus, formæ dignitate, venustateque conspicua, indole virtutum omnium præstanti. Beamontios Agramontiosque inuidiosa exitialiaque nomina compellari capite sanxit. Ludouico Lerini Comiti vt Magister equitum esset confirmauit. Larragam aliaque oppida adiunxit hominē pręualidum promerendum blandimenta, Rex bonis artibus, bonoq; consilio popularis. Prouincia lustrata, sublata maleficia, auctoritas restituta magistratibus. cura posteritatis suberat. A Ferdinando Rege Ioannæ filiæ sponsus destinabatur. Gallus auunculus Ioannam alteram pręferebat, quamuis in Lusitania virginē sacram Castellæ regni spe dotali, Gallicis armis recuperandi. Magdalena Vasconis mater fœmina ambitiosa ad Gallos propensa, eo magis cōsilio probato, vimque aut fraudē verita, au-

1482

ctor

ctor filio extitit, vti Galliam repeteret: vbi ampla ditio erat. Vix eo delatū mors oppressit ad D. Pauli fanum tertio Kal. Februarii, anno salutis Millesi. quadringentesi. octuage. ter- 1483
tio importuna inuida tristisque. Sic adolescentiæ flos quasi ventorum turbine decussus, occidit, cum primos honores ostentaret. Corpus Lescare sepultum est, Bearnæ vrbe. Soror Catharina Vasconum regnum suscepit, vt opus erat: initoque in Gallia coniugio imperium ad Gallos transtulit, neque diuturnum neque felix: Excepere varii rerum motus, multiplices hominum conatus, temporum conditio misera: qualem fuisse fides est, puella in minori ætate, regni hęrede matre in Gallia orta, eoque à rebus Hispaniæ auersa.

Coniuratio in Lusitanum Regem. CAPVT XXIII.

IN Lusitania Ioannes Rex coniuratos in suū caput proceres suppliciis vindicabat, comparatum parricidium multorum sanguine expians. Mores asperiores, seueritas iudiciorum, ad hæc linguę procacitas nobilitatem alienarat: atq; illud maxime, q contra Maiorū morem in regulorū ditione iis inuitis lictores regii sontes plectere non dubitarent, Regis fauore & præceptis insolētiores. Irritati proceres iniuria, in commune consultant: armisque decernunt, si foret opus, vindicandam libertatē, & iura maiorū meritis data. Duo Duces regia nobilitate, opibus validi, Ferdinandus Brigantinus, Iacobus Visei, cōiurationis capita erant. hos multi alii sequebantur, Montis maioris Marchio, Fari Comes, Brigantini fratres, Garsias Menesius Eboræ Episcopus cū fratre Ferdinando, Lupus Alburquerquius Penamacoris Comes. Atrocis conspirationis indicium hac occasione factum est. Cōuentus gentis Eboræ à nouo Rege habebantur, omnino frequentes. In iis conuentib. tū alia præclara sancita sunt, tum procerum libertas astricta lege, ne impune popularibus nocerent: neque plus legibus & æquitate possent. Conquerebatur Brigantinus, datam maioribus auctoritatem, violandam non videri. veteres schedas excuti mandat, Regumque diplomata Brigantinis Ducibus data. Inter eas schedas Lupus Figueredus rationum Magister inuenit tabulas, quibus cum Castellæ Rege inita consilia reipub. exitialia constabat. Eas clam desumptas ad Regem perfert. quibus ille cognitis dissimulare iubet, & exemplo transcripto, vnde acceperat, referre tabulas. Accidit vt Regina ex maturo partu decumberet Almerini primo vere ipso anno huius seculi octuagesimo tertio. Eius inuisendæ & confirmādæ studio frater Visei, & sororius Brigantii Duces accedunt. splendide accepti abs Rege, atque omni comitate culti, die quodam, facto sacrificio, Brigantinum secreto in hunc modum Rex alloquitur. Dux amice. Sacris operati & ad sanctissimas aras verissima loqui, certo tibi persuadeas velim. Consilia contra nos cum Castella agitasse, neque tibi honesta, neque debita nobis, manifestus cum sis, vix credo tamen, tanta superiorem gloriam & merita, ignominia fœdasse. Quanto hæc cum dolore loquor? Sed quid quid id est tamen, perpetua obliuione delere fixum animo habeo: atque cum offensa beneficio certare: nouisque honoribus cumulare mutantem modo, nobiscumque sentientem: quem Deus huius imperii sceptra tenere voluit: te proximum potentiæ & auctoritatis locum occupare, opes regiis æmulas, coniugio certe parem, cum duas sorores habeamus vxores. Quis tanta vincula amicitiæ disrūpat? aut à quo expectare possis ampliores honores? Excæcauit mentem dolor nimirū. sed si quid in nouo regno offensum est mutabitur. si à lictoribus nostris aliqua irrogata iniuria, exemplo patientiæ debuisti prælucere aliis. etiam ego cum me docueris, errata libenter emendabo. Ad tuendam remp. non consilium tantum à te expecto, sed arma. Quod vt eo studio, quo opus est facias, te rursus cupio exoratum. Commouit Brigantini Ducis animum oratio Regis. Ne faciles criminationibus præberet aures obsecrat. Se haudquaquam maiorum gloriam perfidia obscuraturum. Acceptis iniuriis maiora beneficia fuisse. Procul tantum facinus superi auerterēt. Ne cogitasse quidem tantum nefas. Si falleret, dira caput suum imprecatione execratur. Sic à colloquio discessum est. Rex Scalabim abiit, Duces in suæ ditionis oppida haudquaquam mutatis animis. Ferdinādus Talauera ex Hieronymiano ordine Prati Prior, Castellæ Regibus à sacris confessionibus in Lusitaniam legatus, vt cōmuni consensu firmato fœdere obsides reciperent, obtinuit. In veteri fœdere id mutatū tantum est, vt Alfonso Lusitani filio Ioanna nuberet Ferdinandi Regis filia minor, ætate simili aucta dote. Extremo mense Maio Isabella ad parentes in Castellam missa, ad Lusitanum Alfonsus puer. Redeūtem ad patrem officii causa Brigantino prosecuto, Eboræ, vbi curia erat, iniiciuntur vincula. Nouo indicio cognitum erat, Petro Iusarte internuncio, cum Castellæ Rege vetera concilia repetita. Id Gaspar Iusartes Petri frater indicauit Regi. pro quo officio consequenti tempore honores vtrique fratri habiti sunt: Petroque

Arroiolium oppidum datum est. Dicta causa Brigantinus maiestatis lege, capitis supplicium subiit ad decimum Kalend. Iulii. cęteris documentum datum est, res nisi magno discrimine magnoque motu non nouari, ipsis etiam persępe oppressis auctoribus. Idem supplicium de sex aliis nobilibus Lusitanis, qui in parte coniurationis erant, sumptum est. Magister equitum cum aliis præceps è prouincia exturbatur. Brigantini fratres celeri fuga se se è periculo eripuerunt. Filii Philippus, Iacobus, Dionysius à matre Isabella in Castellam amandati, quam primum tristem nuncium accepit, virum esse captum. Ex iis Philippus in Castella obiit. Iacobus rediit in Lusitaniam venia accepta. Dionysius Lemosii Comitem in Castella duxit. Visei Ducem ætas tutata est. Proxima die à Brigantini supplicio verbis modo castigatum Rex, atque ferme periculo exanimatum incolumem dimisit. Nihil neq; seueritate priori neq; noua clementia, animi coniuratorum mouentur. clanculum inter se conuenientes, temporum conditionem conqueruntur seruituti proximam. In paucorum potentiam, ius ditionemque concessisse: reliquos vulgus esse sine auctoritate gratiaque: Brigantinum quoniam ea ferenda nõ putasset, capite pœnas soluisse. Eius exemplum ad singulos posse recidere. Quæ quousque patiemur viri Principes? nisi prauos conatus insigni aliquo facinore occupamus, omnib. simul pereundum est. Quin cædem cæde expiamus? & tyranni sanguine, optimi atque innocentis Principis manibus parentamus? Id communi sententia decretum. Rege sublato Visei Duci gentis imperium destinatur. Ingens cœptum, pertinax conatus, fœdus exitus. dum tempus rei perficiendæ expectatur, detecta Regi coniuratio est. Erat Diegho Tinoco soror Eborensi Episcopo stupri consuetudine familiaris. ea cognitum periculum fratri denunciat: ille Regi Setubale in oppido in veste Franciscana, quo indicium esset occultius. Idem Vascus Coutinus renũciauit, cuius frater Guterrius Coutinus coniurationis factę particeps erat. Vasco indici post depulsum periculum Borbæ Comitatus, Stremotiũque præmium fuit. Regresso forte in agrum vicinum Rege, vt templum inuiseret opinione sanctitatis pręstans, adsunt coniurati mutua fide læti: cuius documentum tot diebus fuerat silentium seruatũ. Templo egressum perimere parabant. sed fortuna Regis & Fariæ cubicularii diligentia protexit. Ad aurem denunciato periculo, cum coniuratos comiter appellasset, furorem illi continuerunt. Ad suburbium oppidi mareq; templum alterum est Antiquæ Virginis nomine. In id Rex dissimulanter ingressus, dũ plures aulici cõuenirent ad præsidiũ moratus est, cũ Vasco Coutino de industria producto sermone. Grauis erat cõiuratis mora, solicitis ne ex tanto numero aliquis fidẽ mutaret. Dies is Veneris erat sexto kalend. Septemb. cum Rex vitato periculo, Visei Ducem Palmela, vbi cum matre euentum morabatur, venire ad se iubet, confictis aliis causis. Pertinax est animus, quem ingens spes deuouit. in tanto quamuis periculo Regem adire non dubitat. Iussum in cœnaculũ ascendere paucis pręsentibus adacto in pectus pugione peremit. Illud modo fatus: Ito Brigantino renũcia coniurationis exitũ ab ipso inchoatæ. Erat is viginti annos circiter natus. mathematici gentis imperium quasi ex astrorum inspectione denunciarant, genus hominum fallax & vanum: cuius in omnibus nationibus mendacia viguerunt, vigebuntque. Emanueli occisi Principis fratri omnia, quæ ille habebat, continuo sunt data: vno tantum principatus nomine mutato, vt Pacis Iuliæ Dux vocaretur, imperatum. Huic numina imperium gentis destinabant. quod sphęra orbis similitudine clypeo adiuncta temerè, portendisse visa est. Diegho Syluæ eius pędagogo institutionis præclarę præmium fuit oppidum Portalegre Comitis nomine. E coniuratis aliis, nonnulli capti, Eborę Episcopus cũ fratre Fernando Menesio & Guterrio Coutino. maior pars in Castellam aufugit vagi, inopes, atque mœrore oppleti. Is finis tetræ cõspirationis fuit, ea merces. Iisdem diebus Ludouicus Galliæ Rex ad tertium Kal. Septembris in suburbano Turonum nemore decessit, postremis testamenti tabulis mandans Ruscinonenses & Ceretanos veteri Aragonii imperio restitui. Successit Carolus filius tredecim annos natus imbecilla valetudine. Pater Ambasiæ educandum curauerat, præter domesticos ministros, ceteris omnibus eius visendi, conueniendique potestate sublata, ne Latinę quidem linguę præceptore dato, illud si sciret satis fore dictitans: Qui nescit simulare, nescit regnare. Verum longius prouectam narrationem retro reuocemus opus est, in Castellamque referamus nouo facto principio.

Libri vigesimi quarti Finis.

IO. MA-

IO. MARIANÆ HISPANI, E SOCIETATE IESV, HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ,

LIBER XXV.

Belli Granatensis initium. CAPVT I.



NITIVM nouæ narrationis, susceptiq; operis optata meta bellum Granatense erit: quod Regum Ferdinandi & Isabellæ auspiciis ductuq;, decem annis gestum est, plenum variis casibus, atrox præliis, successu lætum faustumque Hispaniæ, piorumq; nationi vniuersæ, barbarorum imperio ab stirpe conuulso: quod septingentis amplius annis, ea parte steterat in Hispania, magna nostræ gentis ignominia probroq;. Terram è propinquo cernentibus, longa, ac difficili nauigatione iactatis detur occupare portum: & confirmatis ingenii virib. labori finem imponere. Cōcedite Superi votis parem facultatem. Bæticam inter & Carthaginensem prouinciam Granatæ regnum iacet, vtriusque prouinciæ pars, ambitu colligens septingenta passuum millia, maiori longitudine, latitudine impari. Arunda enim Oscam ducenta & quadraginta millia, Cambile Almunecarem vsque centum millia numeramus. Murciæ regnum, hoc est, veteres Contestanos ab ortu Solis terminum habet, à meridie Mediterraneum mare. ad Occasum septentrionemque, aliis Bæticæ regionibus clauditur. Lætissima cæli soliq; facies est. agri omni fertilitate terræ inter primos Hispaniæ conspicui. Ipsi montes, quib. regio magna ex parte impedita est, aquis manantibus irrigui idoneique culturę, mites arbores alunt, perpetuaque viriditate amœni sunt. vnde aeris temperies hyeme atque æstate, corporibus imprimis salutaris, præsertim qua parte regni caput vrbs Granata sita est, in paucis nobilissima frequentissimaque. De cuius nomine vniuersæ prouinciæ appellatio facta est. ipsi ab spelunca longissima ad Alfaharium pagum pertinente: vbi arcanis olim sacris, & damnatis artibus incolas operatos fama est. Gar enim Arabum lingua spelunca est: & ex Nata Syriæ vrbe, sic aiunt, aduecti à Tariffio milites, oppressa Hispania iis locis fortunarum sedes collocarunt. ab vtraq; voce Granatæ vocem conflatā maiori prudentia & eruditione auctores affirmant. alias notationes nominis afferunt alii. Sed chartas inficere, & abuti patientia, non est necesse incertis originibus & opinionibus commemorandis. Sanè eo tractatu vrbes quatuordecim erant, municipia septem & nonaginta, quo tempore postremo bello petiti, oppressique Mauri sunt. in eo numero Almeria, Malaca, Guidixium, quæ Plinio Acci est, maiori frequentia & nobilitate celebrantur. Belli causæ ab antiquo multæ extabant. Maurici nominis inuidia, discrepantes de rebus diuinis opiniones, regnum iniuria in Hispania constitutum, retentumque diu, pudenda ignominia nominis Christiani, multæ & graues inter vtranque gentem iniuriæ: quod fere finitimis regnis accidit. Reliquias eius gentis ad Hispaniæ angulum redactas, nostrorum Regum imbecillitas texit, prouincia in plures principatus distracta, fatali inter Principes dissidio, nullo communi consensu: vt fere tantum de publicis damnis sentimus, quantum ad priuatas res pertinere putamus: religionis amor parum mouet, prę cupiditate iniurias vindicandi, proferendi imperium. Si quando præclari conatus extabant, Africæ vicinæ vires opponebantur, vnde certa auxiliorum spes erat: sæpeque torrentis instar sese numerosæ Afrorum copiæ infuderunt in Hispaniam rapidæ, feroces, formidabilesque. sic factum, vt impiæ gentis imperium non toto triennio constitutum, tandiu steterit. sic cælo visum. nostræ gentis peccatis iustissima ea merces fuit. Superis irritatis, atque nolentibus, inanis conatus omnis fit: placatis cuncta prospere cadent: vti ea tempestate accidit. Quæstionibus de religione constitutis, magistratuum auctoritate fundata,

quæ fluxa eatenus fuerat,iniuriis,latrociniis,cędibus vindicatis,continuò nouum lumen affulsit. Rebus numine propitio, prouinciæ viribus confirmatis excisi,oppressiq; Mauri sunt. Ad veteres belli caussas noua accessit. Zahara munitum opere oppidum Arundam inter & Assidoniam situm nostrorum ditione tenebatur,à Ferdinando Ferdinandi Regis auo captum de Mauris,vti superius est demonstratum. Præsidio præfectus Fernãdus Sahauedra,vt in nullo tali metu securus, parum erat à milite & commeatu paratus. Id Regem barbarum Albohacenum non latuit.cum suorum manu nocturna vi,improuiso ad-

1481 uentu oppidum capit ad sextum Kalend.Ianuarii,ineunte anno Millesimo quadringentesimo octuagesimo primo. & erat nox opportuna conatui, imbrium & ventorum tépestate turbida: oppidanis res trepidæ,metus ingens,repentinum malum. Pecudum instar trucidantur,quicunque armis resistere ausi sunt. aliorum greges munito oppido præ victoribus aguntur Granatam,nulla commiseratione ætatis,sexus,aut conditionis. Graue id detrimentum visum est, neque ferenda contumelia. nonnulli vt in malis lætabantur iniectam necessitatem recentes & veteres iniurias vindicandi,impiæ gentis exitio. Ferdinandus & Isabella Medinæ Campestris, vbi nuncium rei gestæ acceperunt, præfectis limiti & vicinis vrbibus mandant,se se ad bellum comparent:nihilque de diligentia & vigilantia remittant:alienę calamitatis exemplo cautiores sint: nullam barbaris fidem esse sanctam. Excusabant illi induciarum tempore latrocinia vtrosque in alteros exercere consueuisse:prædas agere:carpere oppida,triduano modo conatu,nullisq; in obsidionis formam iuxta positis castris. Ea licentia,parique fiducia Castellarium atque Olbera tentatur

1482 à Mauris principio anni proximi Millesimi quadringentesimi octogesimi secundi. Nostri nouis identidem prouocati malis vindicare parant. Magna militari manu contracta, qua parte irrumpendum in fines hostium sit, deliberatur: cum cognitum est Alhamam oppidum iniuriæ opportunum fore,exiguo pręsidio,imbecilloque,raris vigiliis. Id Dieghus Merlus Vrbanus Hispali pretor, cui rerum & belli summa erat à Ferdinando Rege commendata,cum Roderico Pontio Marchione Gaditano communicat. auiis nocturnisque itineribus aduolant. sequebantur equites duo millia quingenti,pedites,ad quatuor millia. Trinis castris ad vallem peruenitur,locis paulo superioribus circũuentam. milites itinere fessos docent duces,Alhamam non amplius duobus millibus passuum abesse. decere eos libenti animo pati reliquum laborem,dũ Mauros vindicent, perpetuos Christiani nominis hostes:præterea prædam ostentant. Ex omni copia trecenti delecti præcedunt nocte intempesta: omnia quieta esse in arce considerant. Admotis scalis in muros conscendunt. primus Ioannes Ortega: deinde Ioannes Toletanus ciuis, & Martinus Galindus præcipua milites audacia. vigiles somno sepultos perimunt, aliisque trucidatis, porta, quæ ad campos pertinet, patefacta, reliquæ copię admittuntur. Oppidani improuiso metu perculsi corripiunt arma: aditum obsident arcis. Lucente die, Sanctius Abula & Martinus Rogius arcium pręfecti Carmonę Arcobrigæque signo dato, in oppidum irrumpere ex arce primi conati infelicis audaciæ pœnas dant in ipso aditu strati hostium telis. Res moram non recipiebat, quoniam id oppidum Granata abest triginta modo passuum millibus. Quantum ergo auctoritatis audacia partum erat, tantum periculi suberat,nisi continuo oppidum in potestatem venisset. par vtrinque difficultas. Quidam euertendam arcem incendendamque disputabant: atque in pacata concedendum. Audaciores in temeritate spem habere, periculum, vulnera, cædes victoriæ & prædæ auiditate pensare soliti. supremum conatum adhibere visum est:oppidumque vno tempore variis partibus impugnare. Per muri ruinas quidam scandunt: dumque oppidanorum vim in se vertunt, data facultas nostris est, ex arce in oppidum penetrandi. pugnatur acriter in plateis. Nostri virtute vincebant, numero oppidani, sed imbelles ferme, commercio dediti atque balneis, quæ in eo oppido sunt nobilissima emolliti, fractique viribus. præcipites tamen desperatio agit, acre in periculo telum. Pugna ad noctem tenuit. hostium obstinatio,nostrorum constantia victa est. qui ad templum confugerant magno numero, pars trucidati,alii in seruitutem capti sunt. Sic amissę Zaharæ leuata ignominia,maiorique illato,quam acceperant damno,vindicata iniuria est. Cruenti belli & diuturni hæc initia prima fuerunt. Extat de ea victoria carmen vulgari lingua ea tempestate laudabile, neque nunc inconditum, & agreste si referatur. Alhama in potestatem redacta est pridie kal. Martias. Magnus terror barbaris,magna nostris cura incussa est. terrebat Mauros audacia:finemque imperio Maurico ne appropinquaret verebantur. ostenta de cœlo angebãt,senexq; fatidicus Zahara capta clamasse fertur. Huius oppidi rudera, vtinã falsus vates sim, in nostra capita incident. Imperii finem in Hispania venisse, præsagit animus.

mus. Eo maiori diligentia delectus vniuersa prouincia habentur. Rex ipse Albohacenus raptim Alhamam progreditur, tria millia equitum, pedites ad quinquaginta millia trahens. Terrebat nostros is apparatus: sed eò progressum erat, vnde sine pernicie & dedecore nisi victores redire non possent. Ea cura nuncios in omnes partes dimittunt, auxilia postulatum. Ipsi non nocte, non die ab oppido muniendo cessant: atque eas muri partes reficiunt, quæ hostibus opportunæ maximè erant. Præ festinatione hostes neq; tormenta adduxerant, neque machinas oppido expugnando. Id saluti fuit, vani hostium impetu, nostris egregiè pro muro defendentibus, saxaq; & alia, quæ ad manum erant, in subeuntes prouoluentibus. Ad vicinum fluuium maior pugna fuit: vnde quoniam oppidani aquabantur, nullis intra mœnia fontibus, ne cisternis quidem, Mauri alio auertere contendebant: multisque quamuis à nostris vulneratis, perfecere tamen. Bætici ad periculi famam excitantur. Corduba missi mille equites, pedites triplicato numero ductore Alfonso Aquilario, insessis ab hoste montibus retro redierunt. In Duce Assidoniæ Henrico Gusmanio, reliqua spes erat: tenuis tamen quoniam infensum ex priuatis contentionib. Gaditano, noua iniuria exacerbarant, eo inscio tantum facinus aggressi. Patriæ caritas generosum animum flexit. ante diffidere solitos, communis nunc periculi societas iuxit. Sublato Hispalẽsi vexillo, adiunctisq; aliis proceribus, Roderico Gironio Calatrauæ Magistro, Diegho Paciecho Villenæ Marchione opitulatum obsessis ire constituit. quinque millia equitum erant, pedites ad quadraginta millia. ex omnibus partib. voluntarii magno numero confluxerant, tanta erat cupiditas pro religione pugnandi. Ferdinandus Rex, quo die Alhamam fuisse captam, & de nostrorum periculo nunciatum est, Medina Campestri profectus Reginaq; sequi iussa, magnis itineribus festinat. Dat literas proceribus, ne se absente in hostium fines irrumpant, maiori conatu & viribus opus esse. Regiæ voluntati obtemperare integrum nõ erat. longius prouecti erant: maius in mora periculum obsessis, siti vehementer laborantibus. Consilium salutare fuit. nostrorum aduentum barbari non expectarunt. ne tentata quidem pugna ab obsidione discessum. Venientib. obsessi obuiam progrediuntur. arma posita. salutatio facta. dextræ iunctæ. in complexum itum. manantibus præ gaudio lacrymis, prior Gaditanus Assidoniæ Ducem complectitur. præsidium, columen appellat. Detersis simultatibus, quæ multis annis viguerant inter vtranq; familiam, ad totius belli summam, haud dubium prosperi euentus omen accipitur. Eam lætitiam parum abfuit, quin contentio inter milites exorta conturbarit. petebant auxiliarii spoliorum participes esse: fructum victoriæ non minus ad ipsos pertinere: qui tantum periculi tuendo oppido suscepissent. A verbis ventum esset ad manus, ni Assidoniæ Dux periculo cognito, suorum animos compescuisset. Sibi, inquit, spolia milites, quibus fortuna dedit, habeant: nos pro gloria, pro communi salute certauimus. Is fructus in præsenti esto: in posterum quoniam bellum ducetur, vniuersi imperii Maurici, opes vestræ virtuti profiteor paratas esse. Sic rixa pacata, oppidoque nouo militari præsidio munito, in pacata reliquæ copiæ concesserunt. Non defuit occasioni barbarus. repetita continuo obsidio maiori impetu est: variæ etiam manus prædatum in vicinos Bœticæ agros irruperunt. Erat superior Alhamæ pars loco munita, arduo ascensu, saxisque extantib. impedita. Eo minor custodia erat. nocte quadam albente cælo ad duodecimum Kal. Maii Mauri ea parte solitudinem intelligentes, ad summum montis egressi in oppidum transcenderant: cum ad periculum nostri exciti, pro extrema salute enixè dimicantes, barbaros alios trucidant, alios è muro deturbant præcipites. Sic ex magno periculo seruati sunt. Duo ciues Hispalenses Petrus Pineda, & Alfonsus Pontius defensi oppidi, præcipuam eo die laudem tulerunt.

Rex Albohacenus pellitur Granata. CAPVT II.

ALhama impugnabatur, simul de belli summa Cordubæ deliberatio erat. Cautioribus deserendam eam vrbem disputantibus, circumfusos hostes, auxilia procul, incertos belli exitus, martemq; communem, Regina virilis animi fœmina defendendam censuit. quid enim arcem desererent, se Regibus de Mauris primò captam? quid eo consilio nisi timoris turpissimi significationem contineri, vnde animus hostibus crescat, minuatur nostris? Ea valuit sententia. Quo maior esset auctoritas nouam expeditionem adornare visum est: Loxãq; obsidere firmã iis locis vrbẽ, nec procul Ahama distitã. Astigim omnes copiæ conuenire iussæ. quinq; millia equitũ erant, peditũ octo millia, numero tãtis conatib. impares. cũ parte Rex digressis iã barbaris Alhamã nouo præsidio muniuit, eò delatus ad tertiũ Kal. Maii, præfecto Ludouico Portocarrerio Palmæ regulo, pręstanti ea ætate viro.

mox Granatæ planicie vaſtata impune ſe ſe Cordubam retulit, reliqua quæ ex belli vſu futura erant, comparatum. & erat Regina vicina partui, quo geminam prolem enixa eſt, ad tertium Kal. Iulii, tempeſtiue alteram, cui Mariā nomen fuit. fœtus alter immaturus fuit: vnde anceps omen captatum vulgo, variiſque ſermonibus materia extitit. Mali ſuſpicionem auxit inſolitus mœror in vultu conſideratus, eorum qui publica ſupplicatione inſtituta vexilla ſacra precatione luſtranda in templum detulerunt. Ab aliis hęc vt fortuita ridebantur. Die poſtero Aſtigim Rex petiit multis proceribus ſtipatus: & fere nullus erat alicuius nominis, quin eo cuperet reipublicæ operam nauare. Multis quamuis contra diſputantibus, alioque contendendū affirmantibus, Merli ſententia valuit, quoniam ei Rex multū credebat. Loxa petita. caſtra ad ſuburbia poſita, inter vicina oliueta: qua Singilis amnis labitur altis ripis difficili vado. Erat locus anguſtus, neq; idoneus equitatu explicādo: ponteq; à ciuib. munito difficilis trāſitus in vlteriorē partē. Erat prope cliuus Albohaceni nomine. Eius occupandi, quoniā, ad prohibēdas hoſtiū eruptiones idoneus erat, imminebatq; vrbi, cura data Calatrauę Magiſtro, Villenio, atq; Gaditano. Erāt in vrbe ad tria millia equitū Duce impigro Alatare. Ab his tū aliæ eruptiones factę: tum die Sabbatho nouis auxiliis aucti, maiorum ſpe facta (nam Rex ipſe Maurus Granata eo feſtinabat) bipartito agmine in noſtrorum ſtationem, eorum qui in cliuo erant, impetum faciunt. Iis in fugam verſis, reliqui milites in pugnam progrediuntur, nullo militari ordine, nulloque in caſtris præſidio. Quo cognito, alterum hoſtium agmen prope ſine certamine caſtra cepit. Metus ingens, ex eo ac trepidatio pugnātes inuadit. In caſtra reuerſi acriter pugnam inſtaurant fruſtra, cum ab vtraque parte hoſtium telis peterentur. Cecidit in conflictu Calatrauæ Magiſter, duabus ſagittis vulneratus, alterius ſub brachio ictu lethali, in flore ætatis, viginti quatuor annos natus.* crudelitas fati tanto viro indigna importunaque. periere multi alii, pars effuſa fuga ſeruati. Haud ſecus quam par erat, ea clade commotus Rex, feroque intelligens, vera fratrem Villæformoſæ Ducem monuiſſe, caſtra imperite fuiſſe metata, neque vires idoneas tanto conatui: ſimul de hoſtium itinere certior factus proxima luce, vaſis conclamatis, ſeſe retro retulit: neque prius conſtitit, quàm ad Petram amantium ventum eſt, viginti octo inde millibus paſſuum. Saluti fuit, quod ſe intrepide receperunt: & in barbaros, qui poſtremum agmen carpere non deſiſtebant, à Gaditano cum ſuorum manu impetus factus: quem illi non tulerunt, reiectiq; in vrbem ſunt. Hic fuit exitus huius expeditionis. Nec deerant ſermones, qui Ferdinando inſidias à ſuis paratas euulgarēt, eaque neceſſitate diſceſſiſſe. Ipſe literis in omnes partes datis militum paucitatem excuſauit: & plerique ſigna deſeruerant, infrequentiaque reliquerant, ex vrbanis delectibus collectitii, ſuarumque vrbium ſtipendia facientes: quod neceſſitas temporum ęrariiq; inopia excuſabat, alioqui magnis obnoxium incommodis, vti tunc accidit. Paruæ plerunque offenſiones maximas trahunt. Mauri ſucceſſu feroces Alhamæ obſidionem repetunt, non minori quam ante conatu. Obſeſſorum periculo commotus Ferdinandus, eo profectus, commeatum intulit in nonum menſem Auguſti quartodecimo die: nouumque Præfectum dedit Ludouicum Oſorium, quamuis in infulis Giennenſem Epiſcopum deſtinatum, ſcientia militari magnoque virum animo. & quo maior eſſet auctoritas rurſus Granatæ planiciem, agroſque incendio & direptionibus vaſtat. Sexcentos Mauros equites Granata egreſſos ad reſiſtendum, Cabræ Comes, atque Calatraue Promagiſter magna ſtrage in vrbem reiiciunt. Rebus aſperis in ea gentę extremum malorum diſcordia acceſſerat. plerique ciues Granatenſes correptis armis, Albohacenum vrbe expulerunt. Remp. impotenter habere accuſabant, temerarioque conatu tantum bellum in ditionem attraxiſſe. In eius locum filius Mahomad Boabdiles cognomento Paruulus ſuffectus eſt, (Hali Muleius Alcadurbilis à quibuſdam vocatur.) in Albohaceni fide Malaca, Baſta, aliæque vrbes perſtitere. ſic diuiſa in factiones gēs eſt: neque minus inteſtinis diſſidiis, quam externis hoſtibus laborabant, conditio miſera atque perturbata, qualem fuiſſe fides ſit, duobus in exigua prouincia Regibus. Mirum videatur tamen in tanta quamuis diſcordia, à neutra parte noſtros in auxilium fuiſſe vocatos: quin in ipſo ardore belli ciuilis conſtat, tum alias irruptiones tentatas, tū Cagnetum oppidum ad confines vtriuſq; gentis, de noſtris captum fuiſſe. Inſignem animorum fiduciā, audaciāque.

Noſtrorum ad Malacæ montes ſtrages. CAPVT III.

REges à Bello Maurico tantiſper aliæ regni curę euocabant in Carpetanos. Ergo Petro Manrico, quem nuper ex Treuigni Comite, Anagari Ducem crearant, Aſtigi, & Alfonſo Cardena Diui Iacobi Magiſtro Giennii bellum curare, & limiti præeſſe iuſſis, atque

queIoanne Sylua Cifontano Comite in Merli defuncti locum Hispali Præfecto dato, Madritum ipsi hyeme appetente perueniunt. In eo municipio vrbium societates, quas ante aliquot annos institutas esse diximus, nouis astrictæ sunt legibus. ne concessa potestate abuterentur, prouidendum erat scilicet. subsidium etiam in belli Maurici vsus concesserunt, sedecim iumentorum millia ad comportandum commeatum. A Sixto Pontifice impetratum, vt centum aureorum millia sacerdotiis imperaret. data etiam peccatorum venia Cruciatæ nomine iis, qui aut voluntarii arma sumerent, aut certam stipem in ærarium conferrent. Quod tertio anno repetitum, neque intermissum consequēti tempore, ab hoc initio magnam pecuniæ vim iam omnibus annis in regium ærarium infert. Eę viæ pecuniæ redigendæ nuper inuentæ, ab iis qui talia acriter speculando gratiā Principum aucupari solent, magis incommodæ, quam molestæ: vti tempus, & maior rerum vsus aperuit. A mensariis & subditis aliis, grandis præterea pecunia mutua sumpta est. Aragoniis Raymundum Folchium Cardonæ Comitem, rectorem destinatum accipere detrectantibus, legesque patrias excusantibus, quæ externum hominem rebus pręfici vetarent, filium Alfonsum Aragonium Cæsaraugustæ præsulem rectorem dedit. De Lusitanis & Vasconibus maior cura suberat, ne resp. incommodo tempore, iis partibus, nouis motib. agitaretur. Lusitanus Ioānam Henrici Castellæ Regis filiam cōnubio iungere Regi Vasconum cogitabat: Vascones ad Gallos propensi erant. Lusitani placandi cura Lupo Datouguiæ homini Lusitano, & Ioanni Orteghę Caurienſi Episcopo data est. ad Vascones Rodericus Maldonatus legatur vt Catharinam nouam Reginam fratre interim defuncto, in coniugium expetat Ioanni Ferdinandi filio, iussus prehensare, & sollicitare quoscunque idoneos inueniret, præsertim è factione Beamontensium: in quorum potestate Pompelo vrbs erat, & multo maxima regni pars. penes Principes nomen magis imperii, quam auctoritas imperandi. Abenæ quidem regulus pro Rege rebus præfectus erat homo Gallus præstanti prudētia, magnoque rerum vsu. Magdalena Reginæ mater, audita Castellæ legatione, siue vera siue simulata lætitia negat honestiorem vllam conditionem offerri posse: se moram coniugio non facturam. In Calæcis tumultus erant inter duas familias Magistrum equitum, & Beneuentanum. vtraque factio Episcoporum arces inuadebat, vnde in aduersarios grassarentur. Eas Rex Ferdinando Acunio prouincię præfecto præoccupare mandat. Petrus Osorius Lemosii Comes, dū fratris Episcopi Lucensis patrocinium suscipit, ad eam vrbem obsessa ab eo arce pene iustū bellū exarsit. Ea necessitate Ferdinandus Madrito profectus ad tertiū Idus Februarias, eius seculi anno octogesimo tertio. In ipso itinere nūciatur, Lemosii Comitem decessisse, ex filio Alfonso, 1483
Roderico nepote superstite: quem quamuis furto genitum, venia Pontificum hęredem scripserat, viuensque in principatus possessionem miserat. Ex ea re nouæ contentiones exarserunt, Ioanna defuncti Comitis filia quę nupta erat Ludouico Beneuentani filio, eum principatum ad se reuocante. ventum ad manus erat, eos Rex pacate constituit iussos abstinere ab armis, iureque potius & causa quam vi disceptare, in defuncti nepotem propensior. His rebus in Calęcia districto Rege, grauis clades ac qua nulla maior eo bello, à Mauris ad Malacam inflicta est. Petrus Henricus Bęticæ Antelatus Cagnetum suę ditionis oppidum receptum adiutore Gaditano, reficiendum curauit. Alia parte Alfonsus Aquilarius, & Diui Iacobi Magister, contracta suorum manu, quoniam prima successerant, elati in hostium fines incurrere constituunt. simili studio Ioannes Sylua Comes Cifontanus Hispali præfectus, cū eius vrbis equitib. Zaharā Mauris eripere cogitabat. Frustra iis conatus fuit. sed communicato tamen Duces consilio, triplici agmine in Malacæ agros pergunt penetrare, bombycis artificio nobiles, eoque diuites præda præ aliis: cuius maior, quam religionis aut æquitatis cura erat. Studio par exitus. mōtes prope Malacam sunt dumetis & rupibus horridi. Ea parte nostri inuecti agros populantur: pecora abigunt: villas vicosque incendunt: nulli omnium rerum parcitur. nonnulli etiam è nostris equitibus iuuenta feroces ad ipsa Malacæ mœnia procedunt. Dementia non temeritas erat: qua Malacæ ciues irati, simul montani homines, quos locorum asperitas durauerat, dolor accenderat, se omnibus partibus effundunt. Duę in pacata ferebant vię: altera præter oram maris planior, sed longior, arceque Malacitana, & æstuariis impedita: altera qua venerant, breuior, sed saltibus, perpetuisque montibus aspera. Ac præsertim duo montes sunt, perpetuis circa se iugis clausi. iacet in medio profundā vallem mediam secans amnis. In eam vallem dimissos nostros, satis iam pauentes, prædaque graues vrgentibus à tergo Mauris, terribilior à fronte clamor exterruit. Erant duorum dierum itinere & inedia fatigati: neque procedere, neque regredi poterant. A Mauris plerique vulnerati, interemptique certo ictu, destinata ferire assuetis. Noctis tenebræ au-

gebant terrorem, perpetuo hoſtium clamore. Cum Magiſter. Quouſq; quaſi mutæ pecudes trucidabimur milites? Ferro animoq; aperienda via eſt. Prouidendum certè ne inulti moriamur. Simul cliuum aſcendere cœpit. Ventum ad iuga. pugnatur acriter. pleriq; cadunt: plures è noſtris iiq; nobiliſſimi genere, factiſq;. Gaditanus duces itineris nactus, per occultos tramites, alia parte euaſit. Cifontani agmen, quod poſtremum erat, maiorẽ cladem accepit. Ipſe & Petrus frater capti ſunt, Granatamq; deducti. Stupor omnium animos, ac velut torpor quidam inſolitus membra occuparat. Ex bis mille ſeptingentis equitibus, octingenti ceciderunt: in his Gaditani tres fratres, Iacobus, Lupus, Bertrandus, propinqui alii. Captiuorum numerus duplicatus ferme fuit: quadringenti è præcipua Hiſpaniæ nobilitate. Pauci cum magiſtro per teſqua & inuia Syngiliam fuga tenuerũt. alii quò quemq; ſpes ducebat, aut pauor, diuerſi diſſipantur. Ad duodecimum kal. Aprilis grauis ea clades accepta, diem D. Benedicti memoria celebrem & fauſtum, in atrum Hiſpaniæ vertit. Ductor Maurorum Abohardilles Albohaceni frater Malacæ Præfectus, magnam eo die opinionem virtutis apud gentem peperit.

Mahomad Boabdiles à noſtris capitur. CAPVT IIII.

EX magno mœrore & luctu breui piorum animi recreati ſunt. maiori quàm acceperãt reddita clade, frænata barbarorum audacia. Pertinaci inter ſe contentione duo Reges Mauri pugnabant, Albohacenus Boabdileſq;, aduerſus gentem noſtram conſenſu, odioq; implacabili, in eo ſpem aduerſæ factionis ſuperandæ habentes, ſi noſtris inſectandis vlciſcendiſq; laudem ad populum & fauorem conciliaſſent. Paterna victoria Boabdilem excitabat, vt vltro bello laceſſeret. Ergo collecta numeroſa manu equitum, peditumque, tum ex ſuis, tũ ex aduerſaria factione in Aſtigitanos agros incurrere ſtatuit, ſpe Lucenam expugnandi amplum magis & lautum municipium, quàm validum. Conſilii auctor Alatar ſocer, quem ex infimo genere, cum ſcruta aromataq; iunior vendidiſſet, (id certè nomen ſignificat) bellica virtus per omnes militiæ gradus ad eum honorẽ euexerat, pareſq; diuitias. & erat noſtris finibus aſſuetus, identidem Lucenæ agros vexare ſolitus. Dieghus Corduba regiæ aulicorum cohorti præfectus, cum aliis oppidis, Lucenam ditione obtinebat. Is Maurorum conſilio cognito, patruo ſuo Cabræ Comiti periculum denunciat: poſt ſuperiorem cladem raros ea parte equites ſupereſſe: incolarum animos metu debilitatos: Lucenæ mœnia haud ſatis firma eſſe ad barbarorum impetum ſuſtentandum. Ad vndecimum Kalend. Maii Maurorum copiæ accedunt. Dieghus incolis in ſuperiorem oppidi partem traductis, inferiora, in quę futurum impetum prouidebat, ſubitario opere, & militum præſidio munit: quos ex vicinis locis ducentos amplius equites, octingentos pedites contraxerat. Iis egregiè defendentibus, repulſi hoſtes ſunt nonnullis occiſis, pluribus vulneratis. in oliuetã verſa eſt rabies. præterea Ametus Abenſarraxius cum trecentis equitibus ad euaſtandos agros Montiliæ dimiſſus eſt. Erat illi vſus cum Diegho Corduba Præfecto, & contracta ſuperioribus annis familiaritas: quibus Abenſarraxii Granata pulſi, diu Cordubæ fuerant. Ergo perfecto opere, Lucenam reuerſus Præfectũ ad colloquium inuitat, ſpecie amicitiæ fallax inſidiaſque tendens. Fraus fraude deluſa. ſpe deditionis tempus extrahitur, dum Cabræ Comes accederet: quem vt appropinquare barbarus cognouit, motis caſtris, retro redire cœpit, præda lætos milites reducturus in patriam. Cognito noſtri conſilio ex oppido egrediuntur, poſtremos inuadunt, moranturque iter. Interea Cabræ Comes adueniens turbatos hoſtes metu, impeditoq; incedẽtes agmine inuadere ſtatuit. Vix hęc poſteritas credat. Mauri decuplo maiori numero, noſtrorum primum conſpectum non tulerunt. Deus illis mentem eripuit: famaq;, vt fit, maiora vero de noſtrorum numero prædicauerat. Torrẽs ſex paſſuum millibus abeſt ipſa militari via, qua Loxa mittitur, amœnis ripis multa fraxino, ſalice, myrica, & tunc vernis imbrib. auctus. Eo Mauri pedites tranſmiſſo, ſeſe effuſa fuga in pedes dant, prædam modo præ ſe agentes, nulla honeſti cura. Equites ſimili metu perculſos, Rex barbarus retinet tamen. Quò ruitis milites inquiens? quis furor mentes inuaſit? An obliti eſtis hos eſſe, qui nuper à minori numero noſtrorum victi ſunt? Erit igitur in hoc certamine is vobis illiſq; animus, qui victoribus & victis eſſe ſolet. Parcite vobis, parcite famę. an torpentibus manibus, pedes ſaluti fore ſperatis? Parum ea oratione proficitur. Cum noſtri pleno gradu inueherentur, & quadraginta equites paucis peditibus adiunctis à latere aggrederentur, ductore Alfonſo Aquilario, qui Syngilia ad periculi famam aduolarat, maiorem numerum ſuſpicati, diuinituſque incuſſo timore (ſic interpretari iuuat) ſeſe in fugam dant. Rex equo candido deſiliens, quo inſigni eo die vtebatur, vicini torrentis inter arbores & dumos ſe occultare

cultare parat. Iis locis à tribus pedibus, ipsomet metu mortis indicante cognitum, captumque, Præfectus regiæ cohortis, qui fugientium vestigia sequebatur, Lucenam mittit. fugientium magna strages vsque ad noctem facta est. Mille amplius equites ceciderunt. cum his Alatar ipse nonagenarius. Pedites ad quatuor millia, pars capti, pars cæsi sunt. prȩda ablata. Rei bene gestȩ fama nunciusque Reges qui Madriti erant, excitauit vt partita rerum cura, Isabella quidem ad fines Vasconum contenderet, filii coniugio maturando, cuius prima cura erat, Gallis prohibendis Hispaniæ aditu, possessione Vasconum, Ferdinandus autem in Bæticam iuit res bellicas curaturus. Ad quartum kal. Maii discessum Madrito est. Cordubȩ de ratione belli deliberatur, maiori quam vnquam apparatu, impetuq;. & fuerat Albohacenus Granatæ acceptus: vniusque imperio deuincti barbari tenebantur. Capite tamen ablato manebat plerisque ciuibus conscientia prioris studii: nec deerant sermones senium, crudelitatem, auaritiamq; Albohaceni increpantium. Ingenti delectu sex mille equites, pedites ad quadraginta millia contracti. cum iis copiis bellum instauratur. ductor Ferdinandus ipse Illoræ suburbia vastat. Tagiara vicinum Granatæ oppidum vi expugnatum, euersumque est. In ea expugnatione Henricus Regis auunculus regiæque Magister accepto vulnere Alhamam curandus mittitur. In Granatæ planiciem mox ferrum ignesque circumferunt, castris loco munito positis: vnde vastatores cum iusto prȩsidio in vicinos agros dimittebantur: eo minori periculo suo, maiori hostium damno, quod Albohacenus ciuium voluntate diffisus vrbe egredi non est ausus. Pauci modo milites sese per agros ostentare: vagos palantesque carpere, aut de suo loco pugnaturi. Missi tantum Granata legati: qui si Boabdiles Albohaceno patri traderetur, Comitem Cifontanum & nouem alios è prȩcipuis captiuis æqua permutatione pollicerentur. addebat alias insolennes fœderis conditiones, ferox animo barbarus, & parta nuper victoria superbus: quas Ferdinādus reiecit, venisse se dictitans, vt leges daret, non acciperet. Arma tenenti nullam pacis conditionem fore. Et erant nostrorum animi ad Boabdilem propensi. Fauor & misericordia acres impetus habent. Itaque Regi suadere non desistebat cum aliis Gaditanus, vt eum libertati redderet: factionesque potius inter eam gentem aleret, nostris conatibus inprimis opportunas. Motis castris, Alhamaque munita, Præfectus Enecus Mendoza Tentilliæ Comes iussus est, non modo tueri vrbem sed de hostibus prædas agere. Vbi Cordubam ventum est, Boabdiles Regis iussu Porcunȩ arce, quȩ veteribus Obulcū fuit, adductus, in genua procumbens dextramque Ferdinandi deosculari contendens, amplexu & amicis verbis acceptus est. Erga Regem quamuis barbarum, & captiuum hospitii iura sacraque minuenda non videbantur. Fœderis conditiones hȩ fuerunt: Boabdiles filium natu maiorem obsidem dato, adiunctis duodecim aliis principum filiis, in fide & obsequio Castellæ futurum, patris sacris modo retentis. Duodecim aureorum millia quotannis pendito. Ad regni conuentus venito. Captiuos quadringentos reddito libertati, quinq; annorum spatio. Sic barbarus in patriam dimissus est. Ferdinandus nouis præsidiis limiti impositis, ac Ludouico Portocarrerio in D. Iacobi Magistri locum Astigitanis prȩfecto, Corduba discessit Reginam inuisurus. Cū mille quingenti equites Mauri, pedites quatuor millia ductore Bexiro Malacitano Prȩfecto, in Vtrerȩ agros inuecti Portocarrerii & Gaditani accursu repulsi sunt: victiq; ad Lethem fluuium magna Maurorum strage, Gaditano data vestis, qua Reges vterentur sexto Idus Septembris, Virginis matris natali die, virtutis prȩmium. lege in perpetuum lata. qui intra eundem mensem non vicisset modo exultantes Mauros, sed etiam Zaharam recepisset, vi improuisa expugnatam. Victoriȩ Ferdinandus & Isabella erant, minori iam spe coniugii perficiendi: quod Magdalena mater à Rege Gallo persuasa, cœperat imparem Catharinȩ filiæ, Ioannisque ætatem excusare: hunc puerum, filiam viro maturam. similia coniugia infeliciter cadere. Ad eam vrbem Cabrȩ Comes, & Prȩfectus regiæ cohorti, Ferdinandi & Isabellæ iussu splendido apparatu excepti sunt cunctis proceribus & Episcopis obuiam progressis, deducente Toletano Cardinali Petro Mendoza. Is honos virtuti est habitus. merces centena ȩris minuti millia annua dum viueret, è regio fisco Comiti Cabrȩ data. Ad vetera gentis insignia, caput Regis coronatum adiectum est, circum oram clypei nouem vexilla de Mauris eo die capta, rei gestȩ monimentum, posteris omnibus incitamentum, ad audendum conandumque pro patria & religione prȩclare. Hibernis aquis, Alhamæ muri pars magna repente corruit: militibusque de vrbe deserenda consultantibus, Enecus Tendilliæ Comes expedito consilio linteum prȩtendit ruinæ, imaginem muri, ita pictoris arguta manu mentiente, vt prius prostrati muri pars fuerit refecta, quam hostis periculum cognouerit, casumq;.

Res Vasconum. CAP. V.

VAscones quieti non erant,discordes olim factionibus,&nunc cōtemptu regentium
minus coercitis odiis. nunquam fida inter eos pax iungi potuit. sępe arma posita
sunt, sępe repetita. Ita vexatis rebus, vix vt se possent diuturna pace recreare,nouum a-
liunde bellum accessit. Ioannes Vicecomes Narbonensis Catharinæ Reginæ patruus,
rerum arbitrium ad se reuocabat:fœminæ imperium illegitimum accusans,legibusq; ve-
tantibus constitutum.præterea post mortem Gastonis fratris se Eleonoram matrem pro-
pius quam ex defuncto nepotes attingere.sexus ętasque Principis despectui erat.alioqui
quo id iure vsurpare potuit:cum sępe meminissent rerum summam in ea gente ad fœmi-
nas recidisse?patruis nepotes ex maiori filio pręferri,iuri & æquitati sit consonum ? Sed
nimirum sunt opportuni magnis conatibus transitus rerum:regnandi inexhausta auidi-
tas,nulla ęquitate mouetur.Sumptis armis in Fuxensi ditione oppida & arces eius sacra-
mentum acceperunt, pars vi,alii voluntate parati imperata facere: passimq; eius cona-
tibus fauebatur memoria superiorum Principum,externi imperii metu inuidiaque. Iis
pacandis motibus maiori præsidio opus erat:virum ac gubernatorem resp. desiderabat.
Reginæ coniugium maturari placuit.Magdalena Principis matre ad Gallos propensa,
nouę difficultates exortæ sunt. Vascones veteri gentis instituto disputabant, ordinum
consensu,de Regum suorum coniugio deliberari statuiq; consueuisse. matrimonia ipsis
insciis aut nolentibus inita,infausta extitisse. Tudelæ ciues in fide Ferdinandi fore,si se-
cus esset factum,professi sunt. Turiasone is Aragonios conuentus agitabat, principio an-
1484. ni M.quadrin.octoge.quarti nulla re alia memorabiles, nisi quod Catalauni venire initio
excusarunt,maiorum instituto negantes, licere eos extra prouinciam vocare. Interea
Catharina Regina Vasconum Ioannni Labreto Alani filio nobilissimo, amplaq; ditione
in Gallia Petragorios, Lemouices,Druides aliosque populos obtinenti iuncta est.Noui
ex ea re motus animorum in Vasconibus concitati. Alienam calamitatem, Ferdinandus
ad occasionem vertens,imperii proferendi repulsæque dolorem vindicandi,commuta-
to superiori consilio, ipse quidem iis locis substitit: Isabellam coniugem in Bæticā aman-
dauit ad bellum Mauricum comparandum:vnde nunciatum erat Albohaceni potentiā
crescere,vniuersa ferme gente sub eius imperium reuocata: filii maiestate paucos teneri,
ac vix Almerię mœnibus regiam appellationem tueri. Gens quasi impium auersabatur,
& ad nostra sacra propensum. concionatores per omnes partes à patre dimissi diris exe-
crationibus eius caput defigere:ac furiali carmine deuouere non desistebāt.Nostri Cor-
dubenses Hispalensesq; supra decem hominum millia,facta manu de mense Aprili Ma-
lacę agros, vbi maturę segetes erant, depopulati sunt, belli terrorem circumferentes,
acceptamque superiori anno iniuriam ipsis locis maiori damno vlciscentes : speran-
tesq; malis domitos Mauros , tandem in ditionem venturos:nullum ex Africa subsidiū
certe exiguū,ea gēte suis bellis implicata, an mari nostris classibus cōstrato,ne se possent
commouere.Quæ res Genuenses prouocauit vt Duce Iordieto Oria pirata, Catalauniæ
Valentiæq; litora nudata præsidio,igne,ferro,direptionibusque vexarent olim Aragonię
glorię æmuli : & nunc recenti discordia,ad prohibendos eos conatus fluxa reip. auctori-
tate. Petrus Fregosius gentis Dux à Paulo Fregosio Genuensi Præsule, & Cardinali vrbe
& principatu pulsus erat,nullo propinquitatis respectu.Mediolanēses aduocare, ad vrbis
imperiū accusabat:quos impotenter dominari erant experti,degustata libertate, nullius
q̄uis leue imperiū laturi.Ea necessitate nostra litora tuendi, publico gētis stipendio noua
classis instructa Valentię,Duce Matthęo Scriba ad piratarum excursiones prohibendas.
Sed & res ecclesiasticę suo morbo laborabant: quę Ferdinandi pręsentia sanandę erant.
defuncto Dezpuchio Montesiæ Magistro,quem ea ætas virum strenuum & prudentem
in paucis experta est,comitiis militaribus Philippus Boilus in eius locū suffectus erat.Ex-
cusabat Ferdinādus,datum sibi à Pontifice,ne nouus Magister,nisi eius voluntate creare-
tur. Regię voluntates vehementes sunt.Boilo abdicato Philippus Aragonius Carolo Fer-
dinandi fratre Vianæ Principe natus,Panormitanū episcopatū,cui destinatus erat,Mon-
tesiæ magisterio mutauit.Pręterea Sixtus Pont.Max.in defuncti Eneci Manrici locū,Ro-
dericū Burgiā Cardinalē Hispali Pontificē dederat. Verū Ferdināndo Rege multū aduer-
sante atq; Petro Ludouico Gādiæ Duce Roderici filio in vincula duci iusso, effectū tādē
est, vt inducto priori decreto,Dieghus Mēdoza Tendiliæ Comitis frater Palētinus tū E-
piscopus,in defuncti locū substitueretur Pōtif. Hispalēsis.gratiæ id &meritis patrui Cardi
nalis Hispaniæ datum.Alfonsus Burgēsis Concha Palentiā migrauit.Cōcham, Abula Al-
fonsus Fōseca.In huius locū Fernādus Talauera Abulēsis Episcopꝰ creatur Prati Prior.Sic
in Hispania nominādi Pōtifices potestas Regib. q̄rebatur,fundabaturq;.Sed res Ecclesię
non

non minus in Italia turbatę, vt Principibus multa condonaretur, effecerunt. & erat bellum inter Venetos, & Neapolitanos, haud magna causa excitatum: quod reliquos Italię Principes traxit in partes: dum hi Herculem Ferrariensem Ducē, qui Ferdinandi Neapolitani Regis filiam vxorem habebat, ab iniuria tuentur: impugnant Veneti. In eius belli ardore Sixtus R. Pont. obiit pridie Idus Augusti. Successit Ioannes Baptista Cybo Cardinalis, patria Genuensis, Innocentii octaui nomine. Quo tempore Enecus etiam Daualus extinctus est, patre Roderico Daualo Magistro equitum, gratia suorum Principum magnisq; opibus & virtute militari in paucis ea ętate clarus. numerosa prole felix, ex Antonela Bernardi Aquinatis Piscariæ Marchionis filia, Alfonsum Piscariæ Marchionem, Martinum, Rodericum, atq; Enecum reliquit Vasti Marchionem, prӕterea Edmundum, atq; Constantiam filiam. Ab his multorum Principum in Italia genus ducitur. Ex Alfonso Ferdinandus est natus Piscariæ Marchio: is qui parentum ætate rerum gestarum gloria Italiam atque adeo vniuersum orbem impleuit, magnus copiarum Dux, ac veteribus comparandus. Ex Eneco Alfonsus Vasti Marchio haud minori fama virtuteq;: qui patrueli sine prole defuncto, eius principatum cū suo coniunctum posteris reliquit. Piscariæ Vastiq; appellatione alternante, haud incōmodo tēperamēto, cuius pater Piscarię Marchio dictus est, filius Vasti Marchio vocatur: & ordine cōmutato more perpetuo.

Abohardilles nouus Granatæ Rex. CAPVT VI.

INterea Bætici milites ducesque & sua sponte, & Reginę hortatu in vnam belli Maurici curam incumbere, quoniam priora ex sententia sine offensione ferme processissent, reliqua prospera futura augurantes. hostium cōsilia, conatus, itinera explorare: nihil neque apud se remissum, neq; apud illos tutum pati: non dies non noctes cessare, neq; per hyemem, neq; æstatē: identidem incursionibus fatigare, locis omnibus instare. De noua expeditione deliberatio Cordubæ erat, in quam maxime partem impetus esset futurus: ac Magistro D. Iacobi contra disputante, in Gaditani sententiam passim ibatur, Alloram petendam videri. Est id oppidum medio propemodum itinere, quo Syngilia Malacam itur, ignobili fluuio præterfluente, (veteribus quidam Saducam fuisse putant) firmum magis natura loci, nimirum magna ex parte impositum rupibus, quam mœnibus, aliave munitione. Contractis copiis Rex Ferdinandus pridie kalen. Iunii Turiasone profectus continuato itinere superuenit, belli particeps ductorque magno ad victoriam momento. suorum is consilio approbato tectoque, quo barbari animus ancipiti periculo in varias partes traheretur, Alhamam nouo præsidio muniendi speciem præbet. vbi Syngiliam ventum est, festinato itinere improuisus cum omnibus copiis Alloræ aduenit. oppidanis metus ingens luctusq;, portæ mœniaque obsessa. excussę tormentis ferreæ pilæ strauere muros: Maurorumq; animos earum rerum insolitos fregere. Deditionem faciunt pacti incolumitatem, libertatemq; discedēdi, efferendiq; res suas. Captum oppidum ad vndecimum kalen. Iulii eo maiori lętitia, commodoque, quod nulli ex nostris ceciderunt: barbarique diu sustentare potuissent, iugi aqua fluuio inter rupes præterfluente inediæ assueti. Cibus potusque illi genti aduersus famem atq; sitim, non libidini neque luxuriæ sunt. Sed nostri eas difficultates cœlesti magis ope, quam humano consilio superarunt. Dum vicina tamen oppida tentantur, nostrique studio elati ad Casarabolam tumultuaria pugna cum hostium manu dimicant, Guterrius Sotomaior Bellalcassaris Comes flore iuuentę, & regia affinitate superbus, incautiusque in acie versans sagittæ medicatæ ictu, confossus est. Eo nihilominus incommodo trecentis Calatrauæ militibus, præsidio Alhamæ impositis, nam Garsias Padillia se Alhamam defensurum receperat, ea lege eius militię Magister factus in Gironii locum, cum reliquis copiis in Granatę conspectum penetratur. Castra loco munito posita sunt, in quibus sex millia equitum, pedites, ad decem millia vix erant. Intra vrbem septuaginta millia militum numerabant. Sic vulgo iactatū. vt & multitudinē augeat fama, magnum tamen fuisse numerū ex mēdacio quis neget? sic Rex Ferdinandus vastato circum agro, lateque terrore facto intra diem quinquagesimum, lætum victoria militem, spoliisque Mauricis superbum in patriam reduxit. Allorę Ludouicus Portocarrerius præfectus est; classibus Aluarus Mendoza Castri Comes magno viri animo, prudentiaque. & id prouidebant, ne quid ex Africa moueretur, haud ignari plerunque paruis offensionibus corrumpi spes maximas consueuisse. Aestate transacta bellum pari alacritate repetitum est. Septinilium arx locis munitis posita, vicinaque Malacæ impugantur. Eadem fortuna fuit. tormentorum fragore territi propugnatores arcē dediderunt: discedēdi quo vellēt facta potestate, additaq;

pecunia pro frumento, commeatuque, quantam delecti arbitri iudicarunt. Nostrorum impetus Arūdam versus est. Ea vrbs montanis inaccessa locis modica quidem sed valida: flumen circumductum mœnium maiorem partem cingit, cætera rupes horridę. Eius vrbis ciues à cultu prouincię, & humanitate alieni, feroces maxime habebantur, aduersus hostes viris etiam, armisque muniti finitimis oppidis, quæ multa sunt pari locorum asperitate pręsidia inde petebantur. Eo vrbis potiūdæ maxima cupido nostros inuaserat, prouidentes eo propugnaculo sublato, reliqua facilia fore Malacam vsque. Ergo situ lustrato, vastata oliueta, hortique præcipua nobilitate sunt. Pecuniæ in stipendium inopia, ne diutius iis locis morarentur compulit, malum magnis sæpe conatibus aduersum. Copiis in hiberna distributis, Rex & Regina Hispalim ad sextum Nonas Octobris tenuerunt læti victoria, speq; reliqui belli ex sententia conficiendi. Media hyeme ipso Ianuario mense bellum repetitur salutis anno M. quadrin. octogesi. quinto. Inuictum Regis animum & nunquam cessantem. Loxam nocturna vi capere spes erat: sed ab itinere hibernę tempestates, & Orteghæ militis consilium reuocauit, dementiam non temeritatem id videri disputantis. Confluxere tamen nouæ è Castella copię: Petrus Magister equitum, Bertrandus Alburquerquius, Petrus Mendoza Casorlæ Antelatus, Ioannes Stunica Alcantarę Magister cum sua quisque peculiari manu. D. Iacobi Magister, atq; Anagari Dux bellis etiam superioribus interfuerunt. Iis auxiliis aucti nostri, ad nouem equitum, peditum viginti millia erāt. Cum iis copiis bellum repetere visum est, maiori quā ante impetu. Quo tempore aduersus Boabdilem Regem Almeriæ ciues arma corripuerunt. vt impium gēs illa auersabatur: ignauiaq; eius accusabant superiora incōmoda fuisse accepta. Impetu in regiam facto Boabdilis frater interfectus est, mater capta. intestini fatalisq; inter patrē & filium dissidii pars maxima. Rex ipse Barbarus, cum ea vrbe abesset, nuncio calamitatis accepto, rebusque desperatis cum paucis Cordubam abiit. Arundę ciues numero imminuti erant metu maximo. Id Iuzephus Seriffius indicauit Gaditano Marchioni. sic belli impetum quamprimum eo conuertere visum est. prius tamen alia oppida tentata, captaque sunt. Cohinum Alloræ vicinum vi expugnatur, soloque ęquatur, ob mœnium amplitudinē defensione difficili. cecidit in ea expugnatione Petrus Alarconius, qui eo bello specimen virtutis dederat singulare: multaq; præclare gesserat. Cartama antiquum retinens nomen vnius modo permutatione literę, nam Cartima olim fuit, vnde vallis etiam ea appellationem habet, Petro Mendozę deditionem fecit. Eius oppidi tuendi cura Diui Iacobi Magistro, ipso expetente est demandata. Vniuersis copiis Malaca petita, vbi Abobardilles Albohaceni frater erat: in quo spes & opes gentis Mauricæ ea tempestate sitas inuenio: & magnam virtutis opinionem nactus erat, nostris ad Axarquiam superatis, oppresisque. Inde leui prælio facto, eodem itinere quo venerant, reductis copiis Arunda petita est. Quina circum vrbem castra posita. Rex ipse cum maiori copiarum parte exaduersum arcis constitit. vię circum occupatæ, ne auxilium obsessis adueniret: ne cōmeatus: & erat pars ciuium ad euastandos vicinos Bæticæ agros profecta. cōmodissime rebus nostris id accidit. Periculi magnitudine, fœminarū eiulatu, nostrorum diligentia dies noctesque continuantium, victis barbarorum animis, deditio facta eius vrbis est decimo kal. Iunii. Ciuium nobilissimis Hispali, vt cōuenerat, agri dati: quos Gonsaluo Piconio, & aliis de religione postulatis Inquisitores abstulerant. Munita ea vrbe, Casarabonela, Marbellaq; ad mare sitū oppidum deditionis verba nuncuparunt. Vniuersam gentē insolitus terror occuparat. In Regibus suis parū præsidii rebus erat, altero profugo, Albohaceno morbis, oculorum caligine & senectute impedito. Noua consilia captata. Muleus Abohardilles ad imperium gentis Malaca euocatur, magno vir animo consilioque. Maurorum genus mobile, infidum, neque beneficio neq; metu, ac ne vllis quidem naturæ legibus coercetur. Oblatum imperium barbarus haudquaquam repudiauit. Eo maiori gloria speque Granatam aduenit, quod nonaginta è nostris equites Alhama prædatū profectos, vsq; ad Granatæ mōtes, quos Niuosos vulgus vocat, incautius tēdentes oppressit. Triūphi specie inuectū Granatā, cupidissimis animis Regē ciues proclamant. Albohaceno, principio tumultus Almunecarem, vbi thesauri regii erant, profecto ab impio fratre vis infertur nullo crimine, imperii tantum nomen exitium attulit: & quorundam studia fratris perfidiam ambitionemque auersantium, senisque commiseratione diuersa consilia captantium. Quod ille periculum parricidio remouendum iudicauit, impius iuxta ac crudelis.

1485.

Catha-

Catharina Ferdinando Regi naſcitur. CAPVT VII.

BArbarus cęſo fratre,& parto per ſcelus regno,nomen ſibi ingens fecerat magis quam clarum.malis artibus quæſita potentia haud erit diuturna. Noſtris quo propior ſpes erat,eius imperii opes euertēdi creſcebat ardor animorū,cūraq; ne duce mutato creſcerent animis hoſtes:maioriq; periculo bellū eſſet. Quantū animi eſſet,quantū viriū noua expeditione tentare Ferdinandus ſtatuit,cæteris q̃uis cōtra diſputantibus,dandaq; militi quietem affirmantibus, continuatis laboribus defatigato. Sed omnes difficultates Regis conſtantia peruicit,exemplumq; virtutis, cum nullum ipſe laborem recuſaret primus in acie,caſtrenſia opera obire primus ſolitus. Sic eſt,diſplicet hominibus imperatum obſequium. exemplo facillime obtemperamus. Alcalam Regalem,quoniam id oppidū ad fines hoſtium pertinebat,copias conuenire iubet.eodem ipſe Corduba proficiſcitur kal. Septembris,nondum in ea regione ſedatis ardoribus æſtatis. Ardebat Cabræ Comes cupiditate virtutis oſtentandæ.res ab aliis proceribus præclare geſtę ad audendum conandumq; incitabant. Expetenti datum,vt in Maurorū fines primus incurreret.cum ſua manu equitū ſeptingentorum,peditum ad tria millia,adiuncto Alfonſo Montemaiore,Moclinum tentare iubetur:quod oppidum Granatę vicinum eſt, ſitu & opere munitum. eodem ſe pollicetur Rex cum copiis omnibus venturum.Comes noctem continuato itinere Abohardillē improuiſus opprimere cogitabat, vicinis locis caſtra habentē,equites mille quingentos, maiori pedites numero. Id conſilium hoſtem non latuit. ſubductis in collem copiis luceq; expectata,iniquis anguſtiſque locis noſtros circumuētos opprimit. cecidit optimus quiſque: ac maiori peditatus parte proſtrata, Comes Gonſaluo fratre deſiderato,ipſe vulneribus acceptis cum nonnullis equitibus in eam partem fuga euaſit, vbi Garſias Padillia Magiſter Calatrauæ erat pręcedentium veſtigia ſubſecutus. Ferdinandus cognita ſuorum clade,pauliſper mœſtus è conſpectu abiit: deinde ægritudine animi reſidente.Comitis,inquit,imprudentia, & nimia obſequentia reliquorum hoc incommodum accepimus:quod tamen celeriter maioribus commodis ſanare eſt animus: atque veſtra milites virtute pro ciuibus viris fortiſſimis atq; miſerrimis pœnas capere. Erant ad fines hoſtium,qua Giennenſes agros attingunt,geminę arces atq; oppida Cābile & Albahar interfluente aqua fluminis Frigidi, tenui quidē præſertim eo anni tēpore,ſed coercita ripis eoque difficili vado.Ea oppida copiis omnibus circumſeſſa ſunt. Imminet Albahari,quod in vlteriori ripa erat,cliuus propugnaculi inſtar in metę modū erectus.In eum montē hortatu Regis tormenta magno labore comportata,tantum obſeſſis terrorē ingeſſerunt, vt arces & oppida continuo dediderint.Ad nonum kal.Octobris in noſtrorum poteſtatem redacta, antiquitus infauſto die,quo ante centum viginti ferme annos, Petro Rege à Mauris ea oppida occupata meminerāt.Tantis victoriis Ferdinādus,totq; oppidis potitus ac pleriſque exercitu incruento,maior & clarior haberi cœpit. omniū in ore eſſe. Ipſe copiis in hiberna dimiſſis, Complutum cum vxore abiit. In eo itinere Alfonſus Aragonius Ferdinandi frater Villę formoſæ Dux, in primis ea tempeſtate clarus, multiſque bellis exercitus deceſſit.Corpus ad Populeti inter maiorum buſta eſt compoſitum.multiplicem prolem reliquit: ex Maria quidem Iuncia concubina Ioannem Ripagorſæ Comitem,& Eleonoram. Ex aliis amicis Alfonſum,quem ſuperior ætas Dertuſæ prius,deinde Tarracone Pontificem vidit,Ferdinandum,Henricum.Ex iuſtis nuptiis Eleonoraq; vxore Alfonſum atque Marinam. hæc Roberti Salernitani Principis vxor, Fernandū peperit in eorum Principum numero poſtremum futurum. Alfonſus Villæformoſæ Dux fuit:quē auctorem generis Villæformoſæ Duces,Ripagorſæ Comites nominent neceſſe eſt. Toleti religionis deſertores,ac Iudaicos ritus quos abdicarant, repetentes ſeueriſſimis ſuppliciis ab Inquiſitoribus vindicabantur.aliis maiori numero venia data,meliora in poſterum pollicentibus.Hęret in domeſticis narratio: ſed externa quoque referre nexus rerum,& ſuſcepti operis officium hortantur. Ardebant Neapolitani proceres bello, ꝙ in Regem ſuum Ferdinandū coniurati, iunctis viribus comparabant, graues & frequenres iniurias vindicaturi. Innocentii Pontificis inſtinctu auſpiciiſque magis nomine, quam viribus iuuaturi propter ingenii imbecillitatem, curaſque alias. Coniurationis capita,tres Principes erant Salerni,Biſiniani,Altamurę,Antonellus,Hieronymus, Pyrrhus Bautius, præterea Petrus Gueuara Vaſti Marchio, alii magnis etiam à Rege beneficiis obligati. quin fama ferebat Fridericum Regis filium, ſpe regni acceſſiſſe in partes, vero an falſo ne tunc quidem conſtitit. Alfonſus Calabrię Dux magnam eius inuidiæ partem patri Regi conflauit, incommodus moribus: in quo nec luxuria crudelitati obſtabat, nec crudelitas luxuriæ. Arte magis quam armis eos

tumultus Rex prouidus, & à multo vſu callidus compoſuit. Annitente Pontifice quia prima factioſis non procedebant, & Petro Fuxenſi Cardinale deprecatore, quem ea ſpe Romam Pontifex ipſe euocarat, venia tumultuantibus data eſt. Fuerat etiã à Ferdinando ad eos motus pacandos legatus Tendiliæ Comes. Is ſui Regis nomine fideque, tutos fore proceres cõiuratos recepit: modo poſitis armis ad officiũ redirent: ſi falleret dira omnia precatus. Verum Rex Neapolitanus ea promiſſa ludibrio habuit, cum ætate præceps ad deteriora credenda, & ad irroganda ſupplicia: aduerſus quaſuis tempeſtates opibus fretus, quas à patre traditas habebat: & ipſe longa imperii poſſeſſione ingentes cumulauerat. Fœdere facto opprimere aduerſarios cogitabat. Sic ſpecie nuptiarum, quæ in arce Noua Neapoli celebratæ ſunt, Sarni Comes vnus è coniuratis cum aliis nonnullis comprehenſus capite pœnas dedit. Principes Altamuræ Biſinianiq; variis temporibus capti cum multis aliis, diuturna cuſtodia perierunt, lenta grauique morte, multũ quamuis expoſtulante per legatos Caſtellę Rege Ferdinando, minis additis, fidem ſuam haud quaquam ludibrio fore paſſurum. Sed vicit omnia peruicax Neapolitani animus, immemor rerum humanarum inconſtantiæ. venturi ſecurus euertendi imperii certiſſima fundamenta cęde procerum, inuidia prouincialium ponebat. vti breui factum eſt. verũ hæc aliquanto poſt. Compluti ex Iſabella Decembris ſexto decimo die, filia nata eſt, cui Catharina nomen fuit, gemino Anglicano coniugio propriaq; ad extremũ infelicitate ſua, totiuſque gentis Anglicæ nobiliſſima. Quantos ærumnarum fluctus innocentiſſima fœmina tolerabis, vnam ob viri fœdam intemperantiam? Alienæ culpæ pœnas dabis. Sic viſum ſuperis. Fatalis mali fundamenta à diſſidio gentis ponebantur. Nam Eduardo, & Richardo vinctis interfectisque, Richardus puerorum patruus regnum occupauit. Initiis media atque exitus conſentanei fuerunt. Superbe imperantem Henricus Richemondæ Comes ab Armonico Duce Franciſco, à quo fuerat captus, redditus libertati acie ſuperauit, interfecitque. Oppreſſi tyranni merces fuit, imperium quod impię occupauerat. Huius Henrici filius, Henricus fuit, eo nomine octauus Angliæ Rex cum vxore Catharina, patria religione repudiata, omnibus turpitudinis maculis grauique impietate inuidioſum poſteris nomen, infauſtumque.

Aragonii motus. Cap. VIII.

Leues in Aragonia tumultus extiterunt: ciuilia in Catalaunis arma maiori contentione & periculo mouebantur. vtrique malo Regis Ferdinandi prudentia & auctoritate eſt occurſum. In planicie ad Iberum flumen Cæſarauguſta ſita eſt, ędificiorum elegantia, ciuium frequentia, copiis, cultu, nitore, amplitudine in paucis nobiliſſima, aduerſus hoſtes armis, viris, mœnibusque munita: leui imperio & ob id fideliſſima, niſi iura acceptę à maioribus libertatis imminuãtur. Qua cauſſa ſæpe in ea tumultus concitatos inuenimus incredibili animorum ardore, ciuibus aliorum exemplo cautis: neque ignaris paruis ſæpe offenſionibus maiora incommoda exiſtere, graueſque caſus. vti hoc tempore accidit. Ioannes Burgius lictor regius, vt eſt id genus hominum inſolens, ſenatus principem Petrum Cerdanum verborum procacitate violauit. aliorum accurſu lictori iniectæ manus: dictaque è vinculis cauſa, gula laqueo fracta eſt, lęſa in ea Principis maieſtate. In ipſo procinctu belli Ferdinandus, cum Granatæ agros inuadere cogitaret, huius anni principio, vti paulo ante dictum eſt, re cognita Ioanni Heredię Prętori mandat, vti eius facinoris pœnas expetat ſontibus vindicatis. Interim legatis à ſenatu miſſis ſe quidquam acerbe in eos ſtatuiſſe negat callidus, ſagaxque, ad ſimulanda negotia altitudine ingenii incredibili. Senatus princeps comprehendi non potuit, Prędecti iuſtitiæ, cuius ſuprema & maxima auctoritas gentis inſtituto eſt, prędidio tutus. De Martino Pertuſa, qui proximum auctoritatis locum in ſenatu occupabat, & cæſi lictoris præcipuus auctor extiterat, feſtinato ſupplicium ſumptum eſt, regiis literis ad populum continendum, qui ad arma erat cõſternatus, in ſude prælatis. Sic gliſcens in graui cauſa tumultus in ipſo exortu eſt oppreſſus. vnius animaduerſio, cæteros imperii oblitos admonuit, Regum feroces impetus eſſe, vires graues. Grauiori facinore aliquanto poſtea ciuitas vniuerſa turbata eſt. Petrus Arbue quæſtiones in ea vrbe de religione habere cæperat. Nonnullis irrogata ſupplicia, prauos quoſdam homines libertino è genere natos, ſiue libertatis ſpecie, ſiue ex conſcientia ſimilia metuentes incitarunt, vt coniuratione multorum facta Inquiſitoris capiti inſidias ſtruerent. In ſtrato nocturna vi opprimere cogitantes feneſtrę qua irrumpendum erat, firmiſſimis clatris excluſi, ſpeque falſi, in templo opprimere ſtatuunt. Ad nocturnas preces progreſſo Septembris Idibus, qui dies Mercurii fuit, (biduo poſt alii

tra-

tradunt) ad arma templi maximi procumbēti prope cancellos, vis illata. Vitalis Duranſius vnus è cōiurationis principibus, toruus & minax voce, vultu, oculis ardens in ceruice primum vulnus inflixit. ſubſecuti ſunt alii. Proxima nocte defuncto, nihilq; præter diuinas laudes eo ſpatio locuto, ſupremus honos eſt habitus. Corpus eodem loco, vbi vulnera ſunt inflicta, ſepulchro illatum: quo tempore feruere ſanguis viſus eſt, niſi oculorum ludibria fuerunt. Decreto ſenatus aliquanto poſt, addita lampas ſepulchro: quod niſi conſecratis hominibus, cæloq; dicatis non datur. Id etiam vt Pauli tertii Pontif. auctoritate fieret, Carolus quintus Auguſtus curauit. Sic meritis honos debitus eſt habitus. nam & quintodecimo Septembris die memoria eius celebratur anniuerſariis ſacris. De conſceleratis hominibus intra annum ſupplicia ſumpta. variis caſibus ad vnum periere. Proh magnum atque ineuitabile diuinæ vindictę numen, quam vitare praui homines haudquaquam potuiſſent, vt maxime humana ſupplicia liceret euadere. & habet neſcio quos internos mens ſcelerata carnifices, aut ipſa ſibi conſcientia carnifex eſt mentem eripiens. Inquiſitoribus deinde pręſidii cauſa datum, vt intra arcem habitarent, cui Algiafarię nomen eſt. In Emporitano tractu ſubditi, quos Pageſes vulgo vocabant, impotenti imperio à regulis, in quorum ditione erant, premebantur proxima ſeruituti conditione, neque ferenda inter Chriſtianas nationes. Quę vectigalia Mauri rerum domini imperauerant Chriſtianis grauiſſima, ea mutato quamuis imperio regulis pendere cogebantur ducta ex antiquo conſuetudine. eo vniuerſa prouincia aduerſo rumore erat. Quę illa tributa eſſent, neque gentis hiſtoriæ declarant: neque nobis diuinare licet. Malos tantum vſus à grauitate vocabant: à quibus eximi, niſi pretio redempta libertate ſeruorum inſtar, nemini concedebatur. Sic ſępe incolæ correptis armis, aut ſeruitutem depellere, aut miſeriis remedium, mortem imponere cogitabant. Et ſunt grauiſſimi impetus irritatæ neceſſitatis: ſed fallax ſine viribus multitudinis audacia. Appellati de ea re Reges Alfonſus prior, deinde Ioannes eius frater, & Carolus Vianæ Princeps ea vectigalia minui quodam temperamento mandarunt. ſed parum auctoritatis inerat ad coercendam nobilitatis audaciam, armis tueri paratæ, quæ maiorum virtute parta erant. Maiori maieſtate opus erat. denuo continuatis iam aliquot annis popularium motibus, Ferdinandus, qua in cęteris felicitate, fine impoſito, magnā ex eo prudentiæ & dexteritatis laudē peperit. Compluto is cum vxore Segobiam abierat, atq; Medinam Compeſtrem. Garſiam Toletum iam Ducem Albanum (abſceſſerat is militaribus curis Friderico filio pro ſe in bello Granatenſi vicario) Albę inuiſit, cum Petro Magiſtro equitum conciliaturus, vt fecit: quem & Alfonſum Fonſecam Compoſtellanum, rebus præficere in Caſtella deſtinabat, bellum Mauricum repetiturus. Eo conatu, ad Guadalupeum templum peruentum eſt, ad quartum kalen. Maii. eo loco in cauſa Pageſium ſententia pronunciata decreuit eam ſeruitutem tanquam piis hominibus grauem, neque vlla in gente vſurpatam, antiquandam videri, mitioreque conditione mutandam: vt ſubditi per capita ſexaginta ſolidos Barcinonenſes annuos penderent. Magnum vectigal libentiſſimis animis incolæ ſuſceperunt, pręſertim conceſſa poteſtate redimendæ libertatis, ſi vnica penſione pro vno quoque annuo ſolido viginti numerarent. Sic ex diuturnis motibus, quæ eam Hiſpanię partem diu ſolicitam habuerant, pax facta eſt. In Luſitania ſublatis, vti ante dictum eſt, proceribus coniuratis, quies erat, Rege omnia ad ſplendorem imperii reuocante. Azamor Tingitanæ vrbs ad litus Oceani Atlantici, ad læuamq; egreſſis freti Gaditani fauces, veteribus Thymiaterium, vt quidam diſputant, ſuperiori tempore Luſitano vectigalis, denuo ſacramentum ſuſcepit: ſe in eius fide futuram, tributique nomine decem millia alauſas, quarum piſcatu abundant, miſſuram quotannis in Luſitaniam. Quod glorioſum erat genti, non modo imperium fundaſſe ancipiti iure, armis, virtuteque: ſed etiam remotis nationibus iugum ſeruitutis imponere potuiſſe, ad maiorem gloriam opeſque aditu patefacto.

Multa oppida de Mauris capta. CAP. VIIII.

FErebantur in pręceps Mauri, non minus domeſticis diſſidiis, quam externo metu laborantes. In ipſa vrbe Granata euocatus à factione altera Boabdiles Albaicinum occupauit. ciues cum ciuibus in ipſis plateis pugnabant pertinaci inter ſe contentione, à noſtris cum bellum ingrueret, ad defendendum conſenſu. maioris periculi metus animos ad concordiam reuocabat. eo ſedato ad ciuilia arma redibatur. Rebus deſperatis Mozerus, ex Alfaquinorum ordine, quorum eſt ſacrificia procurare, religiones interpretari, vt in ea gente vir ſanctus, quaſi diuino inſtinctu concitus. Quouſque ciues inſani-

tis (per compita & fora clamare) in sanitate vęsani, quę grauior dementia est, alienis cu-
piditatibus & ambitioni seruientes, vestræ salutis obliti, coniugum, liberorum, patrię?
Graue est dicere: sed nisi à me auditis, quod nostris malis remedium? Quin animos ad
virtutem erigitis? & si minus dedecus mouet, tantum certe periculum propulsatis? An
hos reges iustos putabitis, qui imperio gentis per scelus occupato, non præsidium rebus,
sed inane sine viribus nomen afferunt? An horum vmbra teget? Nimirum nisi istam igna-
uiam mature excutitis, instare exitium denuncio tristis vates. Mouebatur his vocibus
populus. etiam qui nolebant, probabant tamen. Ergo aliis ex eo numero Sacerdotib. an-
nitentibus, & conditiones nuncupantibus, fœdus inter duos Reges Mauros fit. Vt Gra-
nata, Almeria, Malaca patruus retentis, reliqua Boabdili concederet. Albaicino Boabdi-
lem discessisse non arbitror, ac ne coaluisse pacem, etsi historiæ silent, magna scripto-
rum securitate. Ac illud imprimis eo fœdere prouidebatur, vt quoniam Rex iunior Fer-
dinandi beneficiarius erat, ea ipse ditione obtineret, in quę primū nostrorum impetum
fore existimabant. Ea fraus nostros non latuit. collectis vndiq; copiis Loxam petere sta-
tuunt, certiori quā antea spe, vindictæ maiori cupiditate. Boabdiles siue tuēdæ inter suos
auctoritatis necessitate, siue fortunā in consilio habiturus, cū quingentis equitibus ea vr-
be nostris venientibus occurrit. Loca aspera & impedita erant. ad suburbia pugnatur a-
criter. cæsis reiectisque Mauris, trina castra circum vrbem metantur, rupto ponte erum-
pendi facultas hostibus sublata. liberam nostris commeandi vltro citroque facultatem,
geminus pons sublicius suppeditabat subitario opere magno commodo futuri. tormen-
tis prostrata mœnia: nostrisq; per strages lapidum in vrbem irrumpere parātibus, obsessi
nono ex quo ventum erat die, deditionem faciunt, pacti libertatem efferendi, quæcunq;
ex suis bonis possent. Boabdili in castra progresso, atque in genua procumbenti eodem a-
nimo fuisse semper, supplicantique ne fortunam conuerterent in culpam, æquum nō fo-
re voluntatem ex necessitate interpretari, venia data est. Et erat commodus ad fatale gen-
tis dissidium alendū, vt maxime fons esset. Ferdinandus ea vrbe munita, atq; Aluaro Lu-
næ Fontidonię domino concredita, alterius Aluari nepoti, ad alia oppida pergit. Pauca
repugnātibus barbaris, plura ex deditione capit. Illoram ad quartum kal. Iulias, Zagram,
Balnea, Moclinum. ex iis licet quędam, ita erant loco & opere munita vt diu sustentare
potuissent, in ipsisque Granatæ oculis ob idque certiori auxilii spe. Nimirum caussis ti-
moris maior timor erat. Illorę Gonsaluus Fernandus Corduba præfectus est, Alfonsi A-
quilarii frater, ab his rudimentis quantus breui Dux futurus in Italia? Ipsi Granatenses
ciues soliti Illoram regni & vrbis dextrum oculum, Moclinū clypeū vocare, eo accepto
incommodo spem ferme abiecerunt, præsertim vicino agro igne corrupto, luctuq; & cę-
de completis omnibus partibus. Abohardilles tamen, qui Singilis transitum prohiberēt,
ad Pinorum pontem multis ea tempestate Mauricæ gentis cladibus nobilem equitatus,
peditatusque partem mittit. Ipse ne quid moueretur, in vrbe restitit. Postremum illi no-
strorum agmen, in quo Enecus Mendoza Infantatus Dux curabat, cum transitum pro-
hibere non possent, pro more gentis magnis clamoribus inuadunt. resistunt nostri acri-
ter. Verum Maurorum multitudine circumfusa equites mille, pedites ad decem millia,
proximi periculo, aliarum copiarum aduentu, seruati sunt. reiectis Mauris nostri à tergo
instare, rursus ad oliueta suburbana pugnatur. similis fortuna fuit. In ea pugna Ioānes Ri-
pagorsę Comes egregie pugnans, nunc ad prima signa, nunc in medio, nunc in vltimo
agmine, confosso quamuis equo, magno adiumento fuit, paternamq; laudem æquasse
visus est. Adulta ęstate, oppidis, quæ capta erant, militari præsidio firmatis, bello, pace-
que rerum moderator à Ferdinando est constitutus Fridericus Albani Ducis filius. Ad
amouendam contentionem, quæ inter Bæticos proceres, de ea præfectura esse cœperat,
remedium opportunum, longinquum hominem Ducem creauit. Regem, Calæciæ mo-
tus in eam prouinciam vocabant: vbi Lemosii Comes contra Regis edicta auctorita-
temque Pontemferratum firmissimum iis locis municipium, tanquam suę ditionis pulso
regio præsidio occupauerat. Ferdināndo, Isabellæque in ea loca delatis, continuo oppida-
ni portas aperuerunt. fraudem milites excusabant. Id Regis voluntate factum Comitem
prædicasse. Ipsi etiam nihilominus ad Regem profecto, sequi in eius potestate fore profi-
tenti, eo & aliis oppidis detractis, & ad regiam ditionem subiunctis, mulctato quidē venia
est data. Sic vno tempore Mauri acriter impugnati: proceres superbia ab hoc initio do-
mita, cœperunt æquo cum cæteris iure viuere in Hispania, insolescere antea atque in mi-
serorum fortunas grassari soliti. præsertim cum Reges votis ad Compostellanū templum
persolutis, Salmantica, vbi principio anni Millesi. quadrin. octogesi. septimi aliquandiu
1487. hæserunt, nouum conuentum iuridicundo in Calæcis constituissent, antea solutę le-
gibus

gibus prouinciæ perturbatæque, iudicibus datis, cum ſuprema decernendi poteſtate. Ardebat interea Fridericus Albanus ſtudio ſe proferendi, probandique inſigni aliquo facto. Nunciatum erat Malacæ in arce magnum captiuorum numerum in ſubterraneis carceribus incluſos teneri: & ſpes erat eius arcis obtinendæ, ſi noſtrorum ſuperuentu ab iis ex compoſito, rupta vincula eſſent. ſexcenti equites ad id miſſi, inflatis continuis imbribus fluuiis impediti, inani conatu deſtiterunt. Intra vrbẽ Granatam nõ minor quam antea contentio erat inter Reges barbaros. Abohardilles nouis militib. Guidixio & Baſta euocatis, impetu facto in Albaicinum irrupit. Boabdiles, vt in tali periculo, cum ſuorum manu occurrens hoſtem repulit. pugna acerrima ad ipſum templi maximi forum multi ex vtraque parte ceciderunt. Ferdinandus, Rex Salmantica Cordubam delatus ad ſextum Nonas Martii, amici Regis periculo, vti par erat commotus, auxilia miſit, Fernando Gadea Duce: quibus ille confirmatus, non illatam vim propulſare, ſed vltro hoſtem laceſſere non deſiſtebat, ferox formidabiliſque magnam miſerorũ ciuium ſtrage, quorum periculo ambo Reges delirabant.

Malaca capitur. CAPVT X.

CORdubæ deliberatione ſuſcepta, de belli Maurici ratione cum ſententiæ variarent, aliis Baſtam, alii Guidixium petendas primo confirmantibus, Malacam Rex cenſuit: auxiliis, quæ ex Africa tranſmittebantur haud inualida, excipiendis idoneam anguſto mari, breuique traiectu. Conſilio tamen occultato Corduba proficiſcitur ad ſeptimum Idus Aprilis. ſequebantur equitum duodecim millia, peditum quadraginta. poſtquam ad fines hoſtium peruenerunt, conſilio Rex indicato, paucis milites alloquitur. Ad certam eos ſe victoriã ducere ait:: quippe imbecillis hoſtibus diſſidio metuque. Vires quæ ſupererant, in plura præſidia diſtractas eſſe. Si, qua alacritate conſueuiſſent antea, feſtinarent, haud dubiam victoriam fore. Gloriæ quidem ex re bene geſta fructũ, prope omnem ipſorum fore. Magna parte prouinciæ ſubdita, aliis oppidis & vrbibus vectigalibus, quid tandem hoſti prçter nomen ſupereſſe? caſurum impellente nemine: & poſtremum tamen conatum rem totam confeciſſe viſum iri. Quo fauore piorum, quo concurſu expeditio celebretur vniuerſa prouincia cernere ipſos. & ſane quacunque iuerant viri, pueri, mulieres vndique ex agris effuſi in vota ac preces conuerſi, illos reipublicç columen, vindices Chriſtianæ religionis, imperiique vocare. In eorum dextris communem ſalutem ac libertatem eſſe repoſitam. fauſtum iter felixque, maturam ex hoſtibus victoriam comprecari, votaque ſuſcipere. Inuitare pro ſe quiſque, vt quibus opus haberent, abs ſe potiſſimum ſumerent. Modeſtia certare milites. nihil morari, nec ab ſignis diſcedere. Maiori animo alacritateque poſtquam Regis conſilium cognouere, quo vellet duceret, aiũt. Ipſius auſpiciis ductuque nullum periculum aut laborem recuſaturos profitentur. Motis caſtris Veles, quod oppidum prope Malacam ſitum eſt, primo impugnare conſtituunt. Ad præterfluentem amnem caſtra faciunt. Erumpunt portis oppidani. Calçcos nulla diſciplina militari turmatim, vt quemque ſors conglobauerat, pugnantes durum hominum genus cçdunt: aliorum ſuperuentu cçduntur ipſi, ad ipſa oppidi mœnia compulſi. ſuburbia capta. mœnium impugnatio inſtituta. Accurrunt circum pagani ad oppidi præſidiũ, maiori conatu, quam profectu. Abohardilles Granata, noſtrorum conſilio cognito, obſeſſiſque opem ferre conſtituens, in eius vrbis diſcrimine conſiderans rerum & imperii ſummam verti, Roduanum Vanegam vrbis Prætorem ducem impigrum, cum cohortibus expeditis, & trecentis equitibus præire iubet, ſe poſt paucos dies eodem venturum pollicitus. Nihil à Roduano præſtitum: qui nocturna vi noſtros opprimere & tormenta clauis defigere, qua parte concipiunt ignem, cogitabat. ſubſecutus Rex barbarus, arduis impeditiſque locis, prope oppidum caſtra metatur: in quibus mille equites erant, pedites viginti millia. Numero & virtute minores noſtris, locorum munitio tutata non eſt. Caſtris impedimentiſque exuti qua cuique data via eſt, fuga diſſipantur. Barbarum Regem victum ſtudia etiam hominum deſtituerunt. amiſſo exercitu redeuntem, Granatæ ciues Boabdile æmulo in Regem conſenſu ſalutato mœnibus excluſerunt, anxium ac miſerantem fortunas ſuas. Obſeſſi ſpe defenſionis abiecta, Roduanoque interprete, cui cum Ciſontano, ex quo tempore Granatæ captiuus fuit, vſus erat, conditionibus deditionem faciunt ad quintum kalen. Maii. Vt incolumibus liceret res ſuas quo vellent efferre. Eo oppido in noſtram poteſtatem redacto, integro exercitu ac ferme incruento, Bentomitium vicinum oppidum Velis exemplo leges præſidiumque accepit. Petrus Nauarrus præfectus ei oppido eſt, ex obſcuro loco, nautçq; arte, magnus Dux præſertim

consequentibus annis. Vicinos Malacitanos ingens pauor inuasit, ne diu sustentare possent, externi auxilii nulla aut modica spe. Connixa præfectus vrbe egressus de deditione agit. internuncius Ioannes Roboreus diu Malacæ captiuus. Iis molitionibus cognitis Afri, qui eam vrbem præsidio obtinebât, veriti ne ipsi hosti traderentur, simul indignantes, quod rem tantam non cõmunicassent, facto impetu, præcipuam arcem, cui Alcasabæ nomen supra vrbem est, occupant. deiecto trucidatoque presidio, ipso etiam Connixę fratre, ad mœnia aduolant: colloquia ciuium interrumpunt, interficiuntque, si quos contra conari deprehendunt: magnitudine supplicii cæteros desistere compellunt. Ergo tormentis maioribus Syngilia comportatis, nostrorũ castra ad Malacã promota sunt ipsis Maii mensis Idibus. Est ea ciuitas in plano sita, nisi qua parte collis assurgit gemina arce munitus (inferiori Alcasabæ, superiori Gebalpharo nomen est) modica spatiis, elegans tamen in paucis, & pro amplitudine frequens, portu atque nauali nobilis, qua parte alluitur mari. A tergo montes erigit vineis, hortis domiciliisque nitentes. Vtranque arcem geminus murus coniungit munitione perpetua. ager conspicuus: lęta cœli facies: late in vicinum mare prospectus: commercio Africæ, atque Orientis ea tempestate nobilissima copiosaque. Erant in Regis castris D. Iacobi Magister, Præfectus maris, Villenius, Beneuẽtanus, Alcantaræ Magister, Andreas Cabrera Moię Marchio, plerique omnes Bæticę reguli, ex Aragonia valida auxilia. Eam vrbem fossa, valloque à mari ad mare ductis circumuallare consilium fuit. collemque vbi minor arx erat, præsidio occupare. vtrunque factum. In nouis castris Gaditanus curare iussus est. Regina in castra abiit, deducentibus Petro Mendoza Cardinali, atque Ferdinãdo Talauera: quem ex D. Hieronymi monacho spectata vitæ probitas (vti ante dictum est) ad Abulensem Episcopatum euexerat. Priusquam opera perficerentur, Maurorum eruptione leuia sæpe prelia facta. Contra à nostris in mœnia impetus fit. cecidit in conflictu quodam Ortegha, capta Alhamæ arce, multisque aliis pręclaris facinoribus hoc bello nobilis. Tria millia Mauri ad quartum kalen. Iunii vrbe egressi, Gaditani castra improuisi inuadunt: vigiles qui in prima statione erant, obtruncant: mox in munimenta penetrant. In repentino metu Gaditanus nihil territus, nec prorsus demisso animo instructis reliquis obuiam progreditur. fit acris pugna. multi è nostris ceciderunt. Gaditanus ipse vulnus accepit. hostium maior strages fuit. vicinum perfugium cęteros seruauit. Noua in Regis caput, fit in vrbe coniuratio. Maurus in ea gente sanctus vir, destinata voluntate Regem interficiendi, se capiendum vltro præbet. Rege quiescente ad tentorium Marchionis Moræ deductus Reginę iussu, cum ex apparatu reputasset, prętorium esse, districto acinace in Aluarum Portugaliam (is forte cum Beatrice Bobadilia colloquebatur) irruit ferox, toruoque ac minaci aspectu. Corporis inclinatione ictus vitatus, aliorumque accursu Maurus comprehensus peremtusque est. sic diuino beneficio periculum deuitatum. Auctus nostrorum numerus aduentu Assidonię Ducis. è Belgis Maximilianus Austriacus mox Cæsar, duas onerarias misit onustas omni bellico apparatu Latrone Gueuara ductore. Auctus & hospitum numerus. nonnulli per stationes mari vicinas in vrbe penetrarunt, auxilium obsessis. Famis malum vrgebat: neque Afrorum contumacia remittebat. Ciuibus tamen vt in maiori periculo, metuque, ad deditionem propensis, Dordux ex eo numero præcipua auctoritate & opibus in castra progressus, de conditionibus agit. Negat Rex vllam conditionem fore, nisi vrbe ad eius voluntatem dedita. ex arcano tamen Dorduci pollicetur, si fortem & fidelem operam præstet, ipsum & propinquos omnes inuiolatos fore, magnis beneficiis additis. Fide data, nostrorumque præsidio adiuncto in arcem aditu patefacto, in summa homagii turri regia vexilla explicat. Ciuibus Africanisque magnus terror iniectus spei mixtus. Reputantib. incolis Dorduci promissa facta, ad cæteros pertinere, ac colligentibus sarcinas studio discedendi, concursu nostrorum bona omnia, & libertas est ablata. Idem de vicinarum arcium præsidiariis militibus fit, simili errore ad mare progressis. Afri etiam cum eorum duce Zegri venerunt in potestatem. Transfugis, quorum erat magnus numerus, irrogata supplicia, ac religionis desertoribus, qui ex Iudaica gente nostra sacra susceperant, ignis pœna fuit. Aliis Iudæis atque ciuibus Mauris permissum, vt moderato pretio redimerent libertatem. Ad quintumdecimũ kal. Septembris vrbs nobilissima capta. dies festi vniuersa Hispania agitantur. superis aguntur gratiæ. votorum damnati, ea promptissimis animis persoluunt. Sedes Episcopi captæ vrbi restituta, Pontificum venia, Gothorum ætatis exemplo qua proprium Episcopum habuit. Lætitiam nonnihil obscurauit metus ex Oriente allatus. Baiacetũ Turcarũ Imperatorẽ cõtracta valida classe de Sicilia cogitare vires nostrorũ in eã partẽ à bello Granatẽsi auertere cogitabat pace etiã cũ Ægypti Sultano facta.

In

In Aragonia ciuitatum ſocietates inſtitutæ. CAP. XI.

FErdinandi Regis armis premebantur Mauri Granatenſes ruinę proximi. Simul Luſitani ad Orientis prouincias viam aperiebant anniuerſariis nauigationibus: quod ab Henrico Principe inſtitutum fuiſſe diximus ſuperioribus annis, extima Africæ litora explorare, longiuſque in ſingulos annos prouehi non deſiſtebant. Tantis laboribus fructus non reſpondebat. Beatas Indiæ prouincias adire, opesque celebratas fama, quas benigna cælum manu iis gentibus copioſius quam aliis dedit, in patriam auehere cogitabant aromata, gemmas, margaritas, aurum, ebur, argentum, aliaque quibus hominum ambitio, magis quam vitę neceſſitas pretium adiunxit. Summas rerum nunciat fama, maiora ſæpe vero: ſyluas eſſe proceribus, & in maximam altitudinem editis arboribus, cynamomi, caſſiæ, garyofoli, piperis, zinziberis vim magnam: prodigioſas animantium formas; hominumque inſolentes mores, habituſque. Non prudentia, ſed temeritas fore videbatur, relegatas in vltimam terrarum regionem, gentes opesq; perſequi, exiguis Luſitaniæ viribus, immenſo terrarum ſpatio Oceanique diſiunctas. ſed omnes difficultates auaritia habēdi, & glorię cupido ſuperabat. Ergo ſuperiorib. annis Bartholomeus Diacius rei nauticæ in paucis pręſtās, miſſus abs Rege ſuo, vt Bonæ ſpei promontoriū adiret: vbi extenuatis vtrinque litoribus, Africa ad Auſtrum procul porrigitur. Eo promontorio tranſmiſſo ad flumen cui in altera parte Infanti nomen effecerunt, nauigando peruenit. Ingens cœptum, pertinax conatus. Antonius ex Franciſcano ordine Bartholomeo ſocius datus vir acer, impiger, ſolers, atque audax, inde pedeſtri itinere Africę, atq; Aſiæ magnis ſpatiis luſtratis, Hieroſolymam peruenit. Inde in Luſitaniam ipſe terra Bartholomeus mari reuerſi, viſa ambo Principi gentiq; nunciarunt. Quoniam prima ſucceſſerant maius ſtudium acceſſit perficiendi, quę inſtituta erant. Duo viri ardenti ingenio, magnoque rerum vſu, & quod caput erat, Arabicæ linguæ cognitione præſtantes delecti operi perficiūdo ſunt: Petrus Couillanius, Alfonſus Payua. Claſſem inſtruere magni ſumptus erat. terra iuſſi ſunt Africę, atque Aſiæ regiones intimas conſiderare. Ii Idibus Maii Oliſipone egreſſi, obitis Neapoli, Rhodo, Hieroſolyma, Alexandria, Cayroque Aegypti vrbe primaria, diuerſi Petrus quidem Ormucium, quæ inſula ad ſinus Perſici fauces iacet, Calicutiumq; obiuit. Alfonſum autem Aethiopię interioris regiones luſtrantem mors oppreſſit. Petrus literis abs ſuo Rege acceptis, vt niſi prouinciis omnibus conſideratis non rediret in patriam, in Aethiopiam profectus, cum gentis Imperatori Alexandro, quem vulgus præſto Ioannem vocat, Nahu, & Dauidi ſucceſſoribus, operam & ingenium probaſſet, diſceſſu eſt prohibitus, coniuge data atque amplis poſſeſſionibus, vnde vitam ſuſtentaret. De ſcripto tamen ad Regem Luſitanum viſa explorataq; renunciauit. Calecutium nobiliſſimum emporium eſſe totius Orientis maxime celebratum. Gentem fuſco colore, viribus imbellem, morum inſolentia maxima: ſuperiori corporis parte nudos crura lumboſque veſte tegere, pleroſque auro purpuraque diſtincta: lacertos & brachia margaritis onerare: ex humeris acinacem pendere: nuptiis coire fœminam vnam multis maritis: eoq; incerta prole, patribus non filios ſuccedere, ſed ex ſororibus natos. In Aethiopia late fuſas gentes, nigro omnes colore, atque Chriſtiano nomine eſſe: veterem religionem ſylueſcentem, plurimum ex Iudæorum ritu & hęreticorum erroribus confuſam eſſe: Regi parere potentiſſimo innumeras copias equitum & peditum alenti, tendentique ſub pellibus: gentis ſanandæ magnam ſpem eſſe, ſi vltro citroque miſſis ad eam legatis in ſocietatē aſciſcerent. Verū hæc cœpta hoc tempore, conſequentib. annis geſta ſunt. Ferdinandum capta Malaca operi inſiſtentem, Aragonii tumultus in eam prouinciam euocarunt: vbi ſcelera, latrocinia, cædeſq; vigebant maxime. Valentiæ à Philippo Aragonio Monteſiæ Magiſtro, cum ex bello Granatēſi rediiſſet, Ioannes Valterra obtruncatus erat magna nobilitate iuuenis, atq; in amoribus Eleonorę Crotonis Principis riualis, quod exitiū attulit. Ea res tumultus graues in ea ciuitate concitauit. Ferdinandus Iſabellaq; Corduba profecti, Cæſarauguſtā ad quintū Idus Nouēbris tenuerūt. In ea vrbe creādi vrbanos magiſtratus ratio vetus immutata eſt: ſenatuq; cōcedente, ciuib. detracta poteſtas ea, vniq; Regi permiſſa, vitandis contentionibus, atq; tumultibus remedium opportunum. Præterea Caſtellæ exemplo ciuitatum inter ſe ſocietates inſtitutæ, ſtipendio militari imperato, vnde centum & quinquaginta equites alerentur: qui in omnes partes ſcelerum licentiam & maleficia, aut metu prohiberent, aut pœna vindicarent. Additum, vt vniuerſæ ſocietati nō niſi Cęſarauguſtanus ciuis è trib. quos ſenatus nominaret, à Rege delectus præficeretur, circumſcripta certis legibus poteſtate. Id principio conſequentis anni geſtū eſt M. quadringente. octogeſimi octaui. Quibus diebus à Rege Neapolitano 1488.

legatus Leonardus Toccus domo Grçcus atq; à Græcis Auguſtis genus ducens,opulento principatu à Turcis euerſus,profugus in Italiam de nuptiis appellauit pactis ſuperiori tempore, Ferdinandi Capuæ Principis cum Iſabella Ferdinandi filia. Eo conatu impedito,quoniam IſabellamFerdinandus Gallo Regi,aut Luſitani Regis filio coniugem deſtinabat, ęternum concordię inter eas gentes vinculum (ſic putabant) Maria altera Iſabellæ ſoror in eius locum eſt ſubſtituta priori modo pacto inducto, irritiſque ſponſalibus.ſed neque hoc coniugium effectum eſt. Valentiam quo Reges Ferdinandus Iſabellaque abierunt,Alanus Labreti Regis pater improuiſus forte aduenit,cura ditionem aduerſus Galli vires muniendi,magna ex parte detractam: Vaſcones pacandi,vbi tumultus vigebant,à Beamontiis magna prouinciæ parte occupata,excluſis adituRegibus.tametſi ante tertium annum fœdere cum Lerini Comite facto,ei & neceſſariis honores & oppida conceſſerant, quæ maiores tenuerant, multis de nouo additis homine ſanando. ſed nullis meritis perfidia flectitur.Franciſcus Dux Armoricus erat tuendus:quem quod, virili prole careret, Annę hæredis coniugium multis expetentibus Gallica arma ſolicitabant.defendebant Labretus Aurelianuſque Maximilianū Cæſarem Brugenſes ciues captum cuſtodiis circundederant,impetu in regiam facto feroces & rapidi: vnde noua cura acceſſerat Labreto confœderato,noſtriſq; amici Principis calamitate cōmotis. Cum ſupplici Alano, neque vllas pacis conditiones recuſanti, fœdus eſt factum, ſocietaſque armorum conſtituta, aduerſus omnes Principes, vno excepto Rege Gallo: cui fidem fallere neque tutum erat,neque fas,quod Labreti ditio ſubdita vniuerſa Gallico imperio eſſet atque finitima. Verum ea ſpecioſa verba erant,rebus vacua,quando præſidia externa contra Gallum maxime quærebantur. Additum, vt in ora Cantabriæ claſſem ædificandi, delectuſque militares habendi facultas eſſet,Iohāne Gralla homine Catalauno ductore earum copiarum. De eo fœdere tabulæ geminę confectæ ſunt, ad duodecimum kal.Aprilis.quarum exemplum ſubiicere non eſt neceſſe.

Bellum Mauricum repetitur. Cap. XII.

VAlentinæ gentis conuentus in ea vrbe inchoati Oriuhelæ ad exitum peruenere,ſceleribus vindicandis, quorum non minor in eā gente quam in Aragonia licentia erat. Ex propinquo Ferdinandus iis motibus pacatis,per Conteſtanos in Mauricos fines nouo conatu apparatuque incurrrere feſtinabat.vbi Abohardilles imperii nomen ægra iam ſpe,ſuſtentabat: quamuis æmulo maior potentia, Guidixio, Almeria Baſta ſubditis mōtibuſque Granata ad mare pertinentibus, maiori prouentu, quod à belli malis locorum aſperitas eatenus ſeruarat immunes,& ex bombyce certiſſima genti vectigalia conſtarent. Accedebant ſtudia prouincialium, à Boabdile auerſa, quaſi ignauus, impiusq; eſſet,& nomine tenus Maurus,pectore noſter. Auxerat auctoritatem irruptio per ſaltus, impeditaq; loca,in Alcalę regalis agros facta, noſtriſque inopinantibus remiſſiſq;, quod prope Boabdilis ditio eſſet,præda ingens Guidixium abacta, domiti pecoris maioris minoriſq;.ſed eam iniuriam Ioannes Benauidius iis finibus præfectus continuo vindicauit, Almeriæ agris incenſis, vexatiſq;. Regis Ferdinandi bellicus apparatus haud ſatis animo reſpōdebat(& Bætica hoc &ſuperiori anno peſtis lue vehementer laborarat)ſi vires ſuppeterent,maiora conaturus.Murciam vbi ipſe erat copiis cōuenire iuſſis, Verā quod oppidum,ad mare ſitū Melæ Vergi fuiſſe creditur,aut Varea Antonino, impugnare ſtatuit. Nec mora oppidani defenſione deſperata, ad quartum Idus Iunias deditionem faciunt. Veræ exemplū Muxacra (quę veteribus Murgis fuit)ſequitur,vtrunque Veles Albū Rubrumque: multa alia caſtella, & oppida temere munita, aut ſine pręſidio acceſſerunt. magnus terror,neq; minus periculum hoſtium animos fregerat, ne agri vaſtarentur ad deditionē inclinatos. Almeriæ locis finitimę aditu, Taberna arx ſitu inexpugnabilis prohibebat. Eē nouo pſidio firmatū Rex ſenior Guidixio accurrit,mille eqtes, vigintimillia peditū ſub ſignis habēs.ſimul inſidere ſaltus noſtroſq; diſpalatos carpere cogitabat,in caſum vniuerſæ dimicationis non venire ex conſcientia ſuarū imbecillitatis viriū: quod collectitius exercitus exiguo rei bellicæ vſu. Cum pugnam barbari detrectarent, noſtri ferociores facti, multas paſſim manus ad campeſtria deuaſtanda dimitttunt. vis mali in Almeriæ planiciē maxime incubuit: deinde Baſtę agri vaſtantur aquis irrigui, ob idq; inſigni prouētu & amœnitate.Riuis,quib.ea planicies diſtinguitur,impediti noſtri,haud leue damnū accepere.cōcurrentib.Mauris multi ceciderūt.in eo numero Philippus Aragonius Mōteſiæ Magiſter iuuenta ferox, ferox nobilitate. Imminuto copiarū numero Ferdinandus idoneis locis præſidia diſponit. ipſe Oſcam primū vicinā Baſtę vrbē, deinde ſecundum Staberi fluminis ripā,Murciā contendit.Toletum inde atq; in vlteriorem prouin-

prouinciā,quo aliæ regni curæ vocabant,diſceſſurus.Eius digreſſu Rex barbaris, oppida quæ amiſſa erāt,aggreditur.quædā partim ſpe,partim metu in poteſtatē reuocat. Interim Gauſini incolæ, ꝗ oppidum ſatis munitum prope Arundam ſitum erat, noſtrorum imperio feſſi,aut pro more gentis ingenii leuitate perfidiaque,inter ſe coniuratione facta, milites præſidiarios obtruncant palantes ſecuroſque,vt in nullo tali metu. Lętitia diuturna non fuit: vicini Mauri,ne ipſi quaſi facinoris cōſcii pœnas darent, manu facta Gauſinum obſident. Gaditanus Cifontanuſque Hiſpali cum noua manu ad vindictam accurrunt. Sic recepto oppido,incolæ pœnę cuncti,aut prædę fuerunt. Ferdinando Valliſoletū appulſo ad octauum Idus Septembris, qui dies Sabbathi fuit, noua ſe ſe occaſio obtulit Placentiæ vrbis recuperandæ,ignauia ſuperiorum Regum alienatæ, Stuniciſque regulis addictæ. Aluaro Stunicæ per eos dies defuncto, nepos eodem nomine ex maiori filio ſucceſſerat.litem iuueni Dieghus Stunica patruus intendebat,quaſi potior iure.Familiæ clientumque ſtudiis in vtranque partem diductis,Caruaialiis factioni in ea vrbe præualidæ opportunas data eſt,vrbis in poteſtatem redigendæ.Impetum in arcem factum præſidiarii ſuſtinuerunt. Ferdinandus per ſpeciem eos tumultus pacandi, in eam vrbem aduolauit: dedenteque Aluaro nouo Duce,atque Begiarem digreſſo in poteſtatem redegit, Ledeſmiæ permutatione datam à Iohanne ſecundo, Petro Stunicæ Aluari proauo. Magnus procerum timor,ne quę perturbatione temporum ſuperioribus Regibus extorſerant,reſtituere cogerentur Regi,maiori potentia conſilioque. In Aragonia noui tumultus extabant. proceres ciuitatum ſocietatem nuper initam diſturbare cogitabant quaſi grauem nimiumque priuatis ipſorum commodis obſiſtentem : neque prius reſtiterunt, quam ea ſocietate in decem annos abrogata,comitiis Turiaſone habitis conſequentibus annis. Ad Maximilianum è cuſtodia Brugenſi liberandum,legati à Regibus in Belgas Ioannes Fonſeca atque Aluarus Arronius rem ex ſententia confecerunt.expetenti tamen in coniugium Iſabellam Regum filiam Maria priori vxore defuncta, denegatum,ſpe facta Philippo eius filio,atque hęredi futuro,vnam ex Iſabellæ ſororib. ætate idonea collocandi. quem Auſtriæ Archiducis per eos dies nomine, Auguſti indulgentia, nepotem auxerat nouo exemplo: (nam maiores Auſtrię Duces vocabantur) nouiſque honoribus augere deſtinabat, Hiſpanicæque affinitati idoneum præſtare. Medina Iureconſultus, & Bernardinus Caruaialius in locum Garſiæ Toleti Aſturicenſis tunc Epiſcopus, deinde Cardinalis & Placentinus Epiſcopus,apud Romanum Pontificem pro Ferdinando legatorum partes implebant.iis mandatum, vt Maximiliani legatis, quos ad Pontificem miſerat præter morem maiorum,vt quidam diſputabant ſuperſtite patre Auguſto,ita priores partes concederent,ſi Galli Regis oratores idem facerent: medios aſſidere non paterentur. Multum ad Maximilianum liberandum claſſis fama contulit à Labreto,vt conuenerat, in Cantabriæ litoribus ędificatæ.Terra tamen in Britannia Armorica grauis clades accepta eſt. ad fanum Albini à Galli Regis copiis victi Aurelianus Dux ſociiq; ſunt. Ioānes Gralla quoque Hiſpanorum Dux amiſſis ſuis magna ex parte,in victorum poteſtatem venit.

Tres vrbes de Mauris captæ. CAPVT XIII.

VNo tempore Caſtellæ regia nouis opibus augebatur, à Turcis ingens metus extabat aſſiduis atque infenſis Chriſtiani nominis hoſtibus,mari terraque potentibus. Defuncto fine anni Garſia Padillia Calatrauæ Magiſtro (ſepulcri inſcriptio, quod in eo oppido ad aram templi maximam cernitur,ſuperiori anno ait) extincto certe,multiſque vna ambientibus,Ferdinandus Rex concedente Innocentio Pontifice,eum honorem,paresque opes vtendas,fruendas , adminiſtrandas ſtabili poſſeſſione ſuſcepit : quod exemplum ad alios militum ordines manauit,effecitque, vt aucta Regum potentia eorum militum auctoritas euaneſceret.cum præmia virtuti dari ſolita emeritæ militiæ viris, rebus conuerſis aulæ aſſeclis plurimûm cedant. At tumultus in comitiis vigebant: regiique ærarii tenuitas erat ſupplenda. recte, niſi omnia mala exempla ex bonis initiis deriuarent. Verum hæc reip. vulnera ſanare quis poſſit in tanta aſſentatorū frequentia? prætermittere ſatius arbitror. Tametſi quis ęquo animo ferat, opes maiorū pietate conceſſas ad profligādos Chriſtiani nominis hoſtes effundi nullo certe exiguo reip. fructu? quantum iis terræ mariſque parari potuit? Ex Oriente fama percrebuerat, numeroſas equitum & peditum copias à Baiaceto Turcarum Imperatore contractas eſſe,valida claſſe conſtratum mare. ne in noſtros fines ſæua verteret tempeſtas, metus erat : neque voluntas barbaro deerat ad occaſum proferendi imperium,vlciſcendi dolorem, ob denegatum Gemem fratrē. Aegypti Sultanus morabatur ſpem, Turcarum incrementis maxime inuidens. Ergo in eū con-

uerso impetu, vndecim prædatorum biremes à reliqua classe diuulsæ, Melitem insulam pene omnem prædę habuerunt, & direptioni, ipsa etiam ciuitatis suburbia: quę gemino portu quātumuis magnæ classis capax est, vtrumq; portū cuspide terræ distinguēte, cui à Sancto Anselmo nomē est. ea parte propugnaculum ędificari visum, prohibēdis hostibus: ne eam insulam belli sedem efficerent, assueti nostris litoribus. Aduersus prędones, ex Sicilia quidem missa classis est, ductore Patela. serum auxilium hoste cum præda dilapso. Ex Hispania noua classis dimissa nouo Sicilię Prorege Ferdinando Acunia, non modo ad nostros fines tutandos, sed tentanda etiam Africæ litora idonea. Cum Angliæ atque Austriæ Principibus fœdus instauratum aduersus Galli Regis potentiā. Ea præsidia comparari dubitabat nemo ad Neapolitanum regnum armis occupandum: ad quod proceres Neapolitani patria exules, pars Ferdinandum, pars Gallum, vnde maior spes erat, o-
1489 pes validiores prouocabant. Quo studio proximo anno M cccc octogesimo nono mille equites, duplicato peditum numero Annę Britanæ defuncto patre Armorico Duce, mitti decretum est ex Hispania aduersus Galli potentiā auxiliares. ductor Petrus Sarmentus Salinarum Comes. De bello Maurico maior cura erat: & quo propius spes admouebatur imperii Maurici opes euertendi, crescebat animorum ardor. Sic Reges ad sextum Kalen. Aprilis Medina Campestri bellum instauraturi in Bæticam concessere. Giennii bellici apparatus erant. Corduba obita lustrato exercitu, inuentum duodecim millia equites, pedites quinquaginta millia sub signis esse. delecta vniuersa ditione inuentus, bello viuida virtus. Ex vna Cantabria & vicinis locis numerosa manus aduenerat: quæ gens molli imperio ob idque fidelissima apud Reges est; locorum asperitate duratis corporibus militiæ laboribus idonea. Cum his copiis Bastam obsidere visum est. Cuiar oppidum in ipso aditu captum: quoniam munito loco erat, ne nostrorum conatus impediret. Ineunte mense Iunio ad Bastam castra sunt posita. Perspecto Vrbis situ Ferdinandus adhortatus pauca pro tempore milites, obsessos impugnare constituit. Ipsum erat oppidum in collis latere: cuius collis partem & subiectam planiciem flumen alluit ignobile, ex aliis partibus colles assurgunt. in vrbe virorum atque armorum satis magna vis, frumentum in quindecim menses comparatum. locus opportunus vineis agendis, aliisque machinationibus. Egressis ex vrbe præsidiariis militibus prælium in planicie fit. summa vi ab vtrisque contenditur. laborantibus nostris, atque inter riuos, quibus aqua diducitur in agros, & cæcas fossas impeditis cadentibusque, nouę è castris copiæ submittuntur. sic nostris animus creuit. hostes in vrbem reiecti sunt maiori damno accepto, quod multo minori essent numero, ad tria millia milites, tertia equites parte. Sic sæpe erumpentibus Mauris pro castris munitionibusque pugnatū est. Nostri segetes, hortosque corrumpere, magno ciuium dolore. Cecidit Ioannes Luna Illuecæ regulo natus, prima iuuenta & gratia Regis florens, multisque præclaris factis nobilis: vti Petrus Martyr Mediolanensis: qui præsens de hoc bello commentaria confecit auctor est, patria Mediolano vetus Hispaniæ hospes. Pares nostri tumultuaria pugna Mauris non erant, assuetis, se in fugam vertere, pugnamque incredibili celeritate repetere, vulnerare, cædere. Locus & genus pugnę pro hoste erat: nostri numero & virtute vincebant. Sic obsidio in multos dies ducta est. Rex anxius trahere cum animo suo, omitteret ne incœptum, quoniam frustra erat an exitum expectaret, quo sæpe prospere vsus fuerat. Terrebat maxime anni tempus multis funeribus lugubris. Insalubrium ciborum noui succi vulgauerant morbos: pestisque lues nondū plane sedata multos indies absumebat. Gaditanus Regio concessu per eos dies Marchionis nomine in Ducis honorem transformato, mouenda castra disputabat: neque tanti exercitus periculo, ignobilem vrbem emendam videri. Vbi periculo respōdent præmia, & secundis reb. ampliorem fructum esse, & aduersis solatium maius. Si obsidio in hyemem ducatur, inflatis fluuiis, quæ spes, quis receptus? Pereundum vnà omnibus, nisi mature consulimus. Horret animus meminisse, tua tibi salus vilis Rex est: cuius spiritu omnes viuimus, vincimusque. Vera Gaditanum prædicare nemo ignorabat. vicit tamen Regis constantia. Ignauos premunt numina, fortes iuuant. Assidere vrbi constituunt, mœnia circumuallare. fossa circumducta est. sepesque labro prætenta. Nouem castella ex interuallo posita: quibus in castellis stationes disponebantur, ne qua subito irruptio fieret. copiæ distributæ idoneis locis sunt. Gaditanus cum quatuor equitum millibus apud tormenta agitare iussus. Sed externis quamuis auxiliis prohibitis, commeatus affatim in vrbe ęrat. contra in castris rei frumentariæ inopia, pecuniæque in stipendium. Nouæ in dies manus auxilio aduentare. Mense Octobri Duces Petrus Manricus Anagari, Albæ Fridericus, ob nuper defunctū patrē in veste squalida, Fridericus maris Præfectus, Asturicæ Marchio. subsecuta paucis post dieb. Regina est cū Isabella filia, Toletano atq; Episcopis aliis quorum

rum aduentu (sic arbitror) fracti obsessorum animi sunt. repente enim Hacenus cognomento Senex vrbis Præfectus, ad quem bellici etiam imperii summa redibat, colloquio flexus Guterrii Cardenæ Promagistri Legionensis, cum diu sustentare potuisset, re cum suo Rege, qui Guidixii erat, communicata, deditionem facere constituit. Res comparanda miraculo visa nostris est. Conditionibus pridie Nonas Decembris nuncupatis, Rex Reginaque triumphi persimili pompa in vrbem die proximo inuecti sunt. deditæ vrbis cura Carsolæ Antelato Diegho Mendozæ, Cardinalis Hispanię fratri concredita est. Ea formidine multa circum oppida vltro dedita, obsides, frumentum, & alia quæ vsui forent affatim prębuerunt. Taberna, Seron, quod mirere amplius, Guidixium Almeriaque, quæ diuturnam obsidionem tolerare potuissent, ne tentata quidem defensione ipso seniore Rege dedente, captæ sunt. Ad Almeriam, Regem barbarum in castra venientem, Ferdinandus Rex obuius benigne accepit. paratum imperata facere, seq; & sua victoris voluntati permittere. Accessere præterea in victoriæ partem duę arces munitissimæ locis inter se coniunctę marique imminentes, Almunecar vbi regii Maurorum thesauri, cultusque esse consueuerat, & Salobrena quæ veteribus Selambina in Bastulis ad mare Ibericū fuit, locis arduis, ea munitione, vt Regum filiis & fratribus custodiendis, carceris instar esset. Ei arci Franciscus Ramirus Madriti municeps, tormentis bellicis præfectus, Prætor est datus: cuius præclara facinora multa hoc & bello Lusitanico meritaque præclara extiterant. Enituit etiam in Bastæ impugnatione Martini Galindi ciuis Astigitani vnius maxime virtus, Ioannis parentis laudes exæquare contendentis: quo fortior miles ea tempestate nemo fuit. Tantis rebus confectis, recensito ad Guidixium exercitu, pridie kalendas Ianuarii, ineunte salutis anno Millesimo quadringentesimo nonagesimo, inuentū viginti 1490
millia capitum è nostris desiderari. tria millia in pugna ceciderāt: cæteros vulgati morbi, hyemis asperitas consumpsit, concretis frigore membris, corruptis tabo vitalib., morte tristius, lethi genus: sed plerosq; è lixarum calonumque numero, eoque minori damno.

Alfonsi Lusitani Principis nuptiæ. CAPVT XIV.

FInis appetebat, iamque aderat, gentis barbaræ atque imperii inauspicatô in Hispania fundati. vrgebat Ferdinandus Rex, neque indulgenti fortunæ deerat, acer, impiger, solers, cautus, in acie ferox, post victoriam mitis. Supplici prostratoque Regi barbaro conditiones ferente Guterrio Cardena D. Iacobi Legione Promagistro, cuius magnus vsus eo bello fuerat, virtus pręclara, Fādaraxium donat, in montib. Granatę situm municipiū. adiicit alias circum villas & pagos, prædiaque vnde ad vitam sustentandam decem aureorum millia annua prouenirent, exiguum vectigal, leueque regni erepti solamen: eo minori commiseratione, quod imperium meminerant à parricidio inchoatum. Mauris recens subditis datum, vt retentis agris exclusi mœnibus, in suburbiis habitarent, nudati omni munitione. rebellandi facultate sublata, arma etiam & ferramenta detracta. Eo promulgato fœdere Guidixio Ferdinandus Isabellaque discedunt ad quartum Kalendas Ianuarii, per Astigitanos Hispalim petunt tantis rebus breui confectis, maiores augustioresque quàm antea: per circumfusos studio visendi populos, ad cælum ferentes laudibus prædicationeque, tanquam cælo dilapsos in salutem patriæ magis quam mortales metuere & colere. Externi Principes rei gestæ fama permoti, missis legationibus gratulari, certatimque Hispanam amicitiam appetere Lusitanus maxime Alfonso filio, quod agi ante cœptum erat, Isabellam maiorem Regum filiam coniugem expetebat, pacis perpetuæ inter vtranque regiam, pignus securum. Ferdinando Sylueira iustitiæ Præfecto, & scrinii regii Magistro Ioanne Texeda è Lusitania legatis, fides nuptiarum Hispali data est quartodecimo kalend. Maii. Et erat spes Gallici coniugii intercepta, Gallo Rege ad Annam Britanniæ Ducem respiciente. Magna vtriusque gentis lętitia fuit. Lusitanæ minor, Ioanna sponsi amita lectissima, de cuius pietate multa ea gēs prædicat, proximo mense Aueri extincta cælibe vita. Castellæ haud diuturna. Puella ad tertium Idus Nouembris Constantina in Lusitaniam missa est, deducentibus Hispaniæ Cardinali, Ludouico Osorio Giennensi Episcopo, Diui Iacobi, & Alcantaræ Magistris, Comitibus Gometio Figueroa Feriæ, Beneuenti Alfonso Pimentelio, multa alia nobilitate. Omnia ad decorem imperii composita, suscepto inter eas gentes de splendore, cultu & elegantia certamine. Ad Caiam quod flumen Pacem Augustam, Helbesque interfluit, noua sponsa in Lusitanorum procerum potestatem contradita: qui non minori numero obuiam processerunt, cum Emanuele Duce: cui iam numina id coniugium regnūque destinabāt. Ad Stremotium Lusitaniæ oppidū Rex Lusitanus & filius præsto fuere. media spōsa ad sinistrā socer assedit. In

eo oppido in ſponſi manum conuenit ad octauum Kalen. Decembris: qui dies Mercurii fuit. ſacra nuptialia die proximo peracta antiſtite Bracarenſi Epiſcopo: cuius inter Pontifices Luſitaniæ primæ honoris partes ſunt. ludi nuptiales Eborę atque Scalabi in ſextum menſem continuati. Nihil eſt ſyncerum conſtanſque in rebus humanis. Lætitiam vniuerſæ gentis inopinus caſus conturbauit. Regem in eo oppido ad ripam Tagi fluminis die quodam ſub veſperam progreſſum, Alfonſus Princeps honoris cauſa comitatus, cum Ioannem Meneſium ad currendum admiſſis equis prouocaſſet, ferocis quo ferebatur, equi repentino caſu oppreſſus eſt, breuique extinctus. quanto parentum & ſponſę, atque totius prouinciæ luctu dicere non eſt opus. Tot ſpes, tot gaudia, diem vnum in contrarium vertiſſe veriſſimis lacrymis querebantur. Corpus ad maiorū ſepulcra tumulo cōtectum, & inferię more patrio datæ, Rege & reliqua nobilitate atrata in veſte funus proſequentibus. Iſabella vix primis gaudiis delibatis, tam breui ſpatio ſponſa, coniux, vidua ad parentes in Caſtellam contecta lectica remiſſa eſt. Sic res humanæ & gaudia leui momento permutantur. Regem ſocerum ex mœrore lentus morbus inuaſit, oppreſſitque quarto poſt filii obitum anno, fundato ſub vitæ finem Oliſipone regali xenodochio nobiliſſimo: cuius fundamentis auri ſtipes ipſe ſubiecerat, perpetuitatis omine. Nulla iuſta prole relicta, Georgium ex Anna Mendoza pellice ſuſceptum, in primis quamuis annis, Auiſii atque D. Iacobi Magiſtrum renunciandum curauit, atque perfecit. Noua Regum ſtirpes excepit in Luſitania. Emanueli Regis extincti patruelis, Ferdinandi Viſei Ducis filius, iure propinquitatis cæteris deferentibus imperiū gentis ſuſcepit. Ex eo Ioannes eſt natus. Ex Ioanne filius eodem nomine: quem ætatis breuitas ad imperium paternum auitumque peruenire non conceſſit, eius Sebaſtiani patrem, qui auo proximus, gentis Rex in Africa graui ac perpetuo ſuæ gentis luctu occiſus, Philippo Caſtellæ Regi Emanuelis ex Iſabella filia nepoti feliciſſimo, Luſitanum regnum reliquit, tertio anno antequam hęc ſcriberemus. Sic in fatis Hiſpaniæ erat, quibus nihil eſt arduum. Verum hæc maiori eloquentia & eruditione viri explicabunt: nos ad iter Granatam redeamus.

Granatæ planicies vaſtata. CAPVT XV.

Bellum Mauricum conficere cogitanti Ferdinando, vnius modo Granatæ vrbis munitio opponebatur: fideſque Boabdili Regi ſuperiori tempore data, cum ſuis omnibus inuiolatum fore. Eius ſubigendę præclara occaſio eſt oblata. ciues ne externo quidem metu coerciti, correptis armis Regem, quod ſæpe fecerant, intra Albaicinum compulerant, ægra ſpe non iam de imperio, q̄ pereunte obſequio nullū erat, ſed de ſalute, de libertate laborantē. Cōmota multitudo indignari, fremere, tumultuari, minari exitiū. Amicū Principē in periculo deſerere auxilia poſtulantē iniquū erat, tametſi noui ex Oriēte terrores oſtētati erant. Aegypti Sultanus potētiſſimus, niſi incepto deſiſteret Ferdinādus gētis Mauricæ impugnandę eiſdem imbutæ ſacris, cæde vindicaturum ſe omniū, quicunq; ex piorum natione in Aegypto, atque Syria reliqui erāt minabatur: ne à ſacris quidem & templis temperaturum. legatus in eā rem Antonius Millanus Franciſcano monaſterio Hieroſolymæ Præfectus, eadem Neapolitani Regis verbis, eo ex itinere cōuento, monuit, vt fama ferebat, Mauricæ genti æquioris quam honeſtum eſſet, & fas Principi Chriſtiano. Nulla iniuria prouocatum debere ab iniuria tęmperare, neque mouere vnde grauiores calamitates extarent. Sacris quamuis diſcrepantem gentem temere violandam non videri. Neque barbari minis, neque Neapolitani præceptis Ferdinandus eſt territus. Ad Sultanum tamen bello peracto Petrus Martyr legatus eſt facti rationem redditurus: ad Neapolitanum in ipſo nouę expeditionis procinctu, codicillis explicatæ cauſæ, cur iure Chriſtiano imperium iniuria conſtitutum ab antiquo, & vnde multæ recentes offenſæ prouocarent, euertere honeſtum faſque eſſet. De piorum ſalute laborare: ſed tēperaturos dolori barbaros cognita veritate: neque commiſſuros vindictæ ſtudio, vt vectigalia amitterent, quæ genti grauiſſima imperabant. Nominis ſanctitas non modo tutum à periculo indignitateque Antonium legatum præſtitit: ſed effecit, vt reuerentiſſime officioſiſſimeque haberetur, dimittereturque. Simul ad Granatenſes ciues miſſi, qui Ferdinandi verbis nunciarent. Si poſitis armis imperata facerent, eadē conditione, qua cæteri deditítii futuros. Commouit ea denunciatio vtranque factionem, vt poſitis odiis de communi ſalute conſultarent. Neque ignorabat barbarus Rex, Ferdinandum magis nomen ad præſidium eius quam vires afferre. pro ſe verbo, pro ſe ipſo re pugnaturum: neque ceſſaturum, niſi vrbe in poteſtatem redacta. Viri in ea gente Sancti inter vtroſque commeantes ad concordiam prouocare, obteſtari, monere, quod in rem foret. Seu finis belli

eſſet,

eſſet,ſeu reſumere arma mallent,vnicum genti in pace præſidium:diſſidio vtroſq; prædæ fore. Ergo ſancita concordia inter Mauros, noſtri prædabundi in Granatæ planiciem irrumpunt Rege ductore,Regina Moclini relicta. vaſtatæ circum ſegetes magno ciuium dolore,metuque,ne fame premerentur. Ioannes expeditionis comes à patre Rege balteo militari donatur,laboris præmium,ad maiora incitamentum. Abacta Cordubam præda, lateque terrore iniecto, Villenæ Marchio limiti præficitur. Alfonſi fratris in ea irruptione amiſſi ſolamen,dextrique brachii debilitati haſtæ ictu: dum quendam è ſuis à Mauris circumfuſum periculo eripit,magno Princeps animo,magnoque rei militaris vſu. Mauri vix metu depulſo,ductore Boabdile Alhendinum arcem noſtrorum præſidio recens munitam euertunt. Ea iniuria vindicata,noua irruptione vaſtatis abs Rege panico millioque quæ vna ſpes ſupererat vitæ,ſequenti anno ſuſtentandæ. quindecim diebus ea clades continuata eſt. Guidixienſes Mauri correptis armis tumultuantes, noſtros,qui in arce erant, adacta vi perimere parabant: ſed Villenii celeritas ſeruauit. Per ſpeciem Fandaraxium impugnandi,quod oppidum ab imperio Abohardillis defecerat,Guidixiũ inuectus cum valida manu equitum peditumq;,Mauros vrbe egreſſos quaſi numerũ luſtraturus,clauſis portis aditu prohibuit:noſtroſque periculo eripuit. Rurſus Ferdinandus de menſe Augusto in Granatæ fines igne,ferroque populationes fecit. Nouo Boabdiles conatu Salobrenam obſidebat:ſed magna virtute & diligentia Franciſco Ramiro defendente,nouoque à tergo terrore vrgente,incœpto abſiſtere,Granatamque ſe ſe referre compulſus eſt. Abohardilli datum ſubditis tumultuantibus recuſantibusque eius imperiũ,vt in Africam traiiceret,ampliſſimis muneribus donatus: vti erat in ſuperiori fœdere cautum.

Granata obſeſſa. CAPVT XVI.

HYeme Hiſpali exacta,Reges Ferdinandus Iſabellaque bellum repetunt. ad Alcalam Regalem Regina cum filiis reſtitit ad omnes caſus parata, breuique iiſdem veſtigiis ſecutura,gloriæ & periculi futura particeps. Ferdinãdus procerum aduentu, & militum quos vrbium conuentus ſuis ſtipendiis ſubmittebant,aucto exercitu,trinis caſtris in Granatę conſpectum Sabbatho ad nonum kal. Maii ſalutis anno Milleſimo quadringenteſi- 1491 mo nonageſimo primo ad Guetaris (id pago nomen eſt ſexto ab vrbe lapide) ſcaturigines,cum ventum eſſet,ex iis locis Villenæ Marchionem & tria equitum millia in vicinos montes prædatum mittit:ipſe ſe eodem ſubſecuturum, cum copiarum robore pollicetur præſidio futurus:ſi quid montani homines durum in armis genus,,aut ex vrbe hoſtes mouerent. Fecit imperata Marchio Rex verſus Padulium progreſſus repulſis Mauris,qui ad premendum noſtrorum agmen, ex vrbe erant egreſſi, coniectiſque in fugam, Marchionem rè ex ſententia patrata nouem pagis Maurorum incenſis, multaque præda redeuntem accepit lætus,& quoniam prima proſpere euenerant,in vlteriores montes belli terrorem infert. late populationes, direptioneſque factæ. Mauri equites pediteſque notis tramitibus montium,qua tranſitus erat,anguſtias obſidentes victi deiectique ſunt. Cœptis fauebant numina. quindecim alii pagi direpti euerſique: magnaque præda capta: cuius copia erat,montanis à belli ſuperioris malis immunibus, idoneiſque in vrbem commeatus affatim importando:quod omnino prohibendum erat. His rebus ſine vulnere confectis,intra triduum vnde diſceſſerant,læti redierunt. factis caſtris munimenta addunt, ſubitarii operis foſſam,vallumque. Quinquaginta millia militum erant, quinta equitum parte,Hiſpanę iuuentutis flos ingenti delectu contractæ,viuida virtus, vigenſq;. Vrbem equitum peditumque numeroſæ copiæ muniebant: quoſcunque belli ſæuitia reliquos fecerat,magno rei militaris vſu. In vrbana multitudine parum prę ſidii rebus erat, in pace feroci,in periculo ignaua. Vrbs Granata natura loci,opere,muris, propugnaculis inexpugnabilis tutaq; erat. Ab occaſu panditur planicies agri optimi, multo effuſo in ea ſanguine,vberi gleba, centum decem millium ambitu. longitudo maior quam pro latitudinis modo fontibus qui ex vicinis montibus ſex & triginta deriuantur ac riuis irrigua, amœnaq; ac humano prope cultu felicior. Ab ortu Illiberritanos montes erigit, vbi quondam Illiberris ſita fuit: Niuoſos ad auſtrum iugis perpetuis inter ſe ſerie cohęrentibus ad Mediterraneum mare. Latera leniter decliuia, & cultura lęta & domiciliis frequentia ſunt. vrbs gemino impoſita colle,Darro amne interfluente tenui aqua quem Singilis mediam interſecans planiciem,vrbe dilapſum excipit. Mœnia validiſſima ſunt, mille & triginta turribus diſtincta, horrentiaque ſpecie minaci, ſeptem olim portis, nunc duodecim. Circumuallari coronaque militum cingi non poteſt, egregiis etiam à planicie vnde aſcenſus æquior eſt,operibus propugnaculiſque firmata. Ea parte templũ eſt maximum,

Mauris rerum potientibus rudis ſtructuræ,noſtra ætate eleganti opere, eiſdem veſtigiis perfectum humano prope cultu auguſtius,ſanctum omnibus circa populis, inclytũ non tam diuitiis,quam Sacerdotum numero probitateque. Prope forum ducentos pedes latum triplo longius ad lineam directum ędificiis ambientibus & mercatorum tabernis elegans. Geminæ arces ſunt:ad auſtrum nobiliſſima pertinet,vrbi imminens,proprioque cincta muro, cui Alhambrę hoc eſt,Rubræ nomen vicini ſoli color effecit, an ex alio oppido eiuſdem nominis eam appellationem ſumpſit, ſpatiis iuſtæ ciuitatis inſtar. Fundamenta Mahomad cognomento Mirus poſuit.extruxere conſequentes Reges: ſed gloriam perfecti operis Iuzephus cognomento Bulhagix tulit. Supra eius arcis portam in læui marmore inſcriptio legitur Arabicis literis, eo Rege demonſtrans fuiſſe perfectum opus,dedicatumque gentis anno ſeptingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, ad noſtram rationem anno Milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſexto.Eundem, Albaicinum in aduerſo colle ſitam vrbis regionem,proprio muro cinxiſſe conſtat:eo ſumptu,vt arte metalla permutaſſe,cum opes regni non ſufficerent,fama ſit.Reliqua vrbs interiecta eſt, vicis deformis,anguſtis plateis,vitio gentis Mauricæ ædificandi oppida minime curioſæ. Domorum ſexaginta millia complectebatur, ingens numerus, ac vix fidem facturus. illud mirabilius quod à legatis Iacobi ſecundi Aragonii Regis Clementi quinto Romano Pontifici,Viēnenſes conuentus habenti,affirmatum inuenio.Ducēta millia capitum Granatæ eo tempore,numerari,vix tamen ex tanto numero quingentos ex Mauris parentibus auiſq; prognatos eſſe: quinquaginta millia Chriſtiana ſacra eiuraſſe:pios ad triginta millia captiuos teneri.Illud certius,ciues in viginti tres tribus noſtra ętate diſtinctos. de numero ciuium laborare non attinet, nihil ad liquidum fama perducitur in eo genere maxime.Ex vrbe & ex reliqua prouincia ſeptingenta aureorum millia Mauris Regibus prouenire erant ſolita.Inſana vectigalia erant: ſeptimaque frugum & pecorum pars pendebatur.decedentib.ſine liberis Reges hęredes ex aſſe erant,cæteris pro portione quantum vnus ex filiorum numero.Regina cum filiis venit in caſtra. Quo tempore Romæ, Pompelonenſis eccleſia Alfonſi Carrillii obitu vacua,Cæſari Borgiæ tunc Protonotario, deinde Cardinali pridie Idus Septembris commendata eſt. Ferdinando Regi animus erat, ſupremo abhibito conatu eam vrbem in poteſtatem redigere:agris identidem vaſtatis ciues ad extremã inopiam redigere, locis vbi caſtra erant ædificata vrbe cui à ſancta Fide nomen fecit.Surgebat incredibili celeritate opus:breuique ad faſtigium peruenit. Intra mœnia ſuis quæque partibus tentoria deſcripta, tum tendentium ordine, tum itinerum interuallis ſpecie mirabili, adinſtar iuſtę vrbis. Interim variæ manus prędatum dimiſſæ, cum Mauris ex vrbe egredientibus ſæpe pugnare.captis aliquando tormentis, magnoq; hoſtiumque numero malo compulſos in vrbem reiicere. muro ſuccedere propius quam ante meminerant.turres vnam & alteram capere,earum quibus prope vrbem & ſpeculis & munitione hoſtes vtebantur. Succeſſu lætos inopinatus caſus conturbauit. Ad ſextum Idus Iulii noctu in Regis tentorio incendiũ excitatum, maioris periculi metum incuſſit. Erant tabernacula ex ramalibus plurimum intexta. iis auide concipientibus flammam (candela forte à Regina neglecta) repente tum prætorium tum vicina tentoria arſerunt. neque ſiſti ignis poterat.Fraude Rex hoſtium id contigiſſe putabat. In publicum nudus prodit arrepto clypeo militari.Certe periculũ erat,ne Mauri occaſione captata, in noſtra caſtra impetum facerent.Gaditanus eo metu cum equitatus parte totam noctẽ in armis, qua parte hoſtibus tranſeundum erat,ſuſtentauit. Maior turbatio,quam periculum fuit. Proxima luce populationes repetitæ:variæ etiam manus diebus conſequentibus in montes miſſæ prædatum, nihil hoſti tutum faciebant, enixe quamuis locis omnibus propugnabat,deſperatione,qua nihil eſt acrius,faciente animos. Verum noſtris nihil remittentibus, Mauri malis omnibus domiti ad deditionem flexere animos. Bulcacino Mulcho vrbis Pretore in caſtra egreſſo, atque è noſtris vltro citroque commeantibus Gonſaluo Fernando Corduba,& Fernando Safra,qui Regi à ſecretis erat,hæ conditiones conſenſu ſcriptæ ſunt,atque vtriuſque partis ſacramento firmatę, ad ſeptimum kalendas Decembris. Intra dies ſexaginta vtranque arcem, turres, portas Mauri traderent. Regis Ferdinandi ſacramentum acciperent, in fide & poteſtate futuros. Chriſtianos captiuos ſine pretio mitterent. Dum ea eſſent perfecta,intra diem duodecimum obſides quingentos darent,ciuiũ nobiliſſimorum filios.Iidem poſſeſſiones retinerent, arma, equoſq; tormentis modo cõtraditis,templa ex ritu gẽtis,patriaq; ſacra.Suis legibus viuerent iudicib. ex gẽte creatis:quorũ cõſilio regii Prętores iura dicerẽt Mauris. Vectigalia triennio remitterētur magna ex parte:neque deinceps maiora imperarentur,quam ſuis Regib. pendere conſueuiſſent.

conſueuiſſent. Qui in Africam nauigare mallent, iis ſua pretio vendendi facultas eſſet: nauigia cum fide darentur quibus ipſi portubus nominarent. Boabdili filius ac cæteri ſuperiori tempore fidei obſides, Moclino, vbi erant, deducti redderentur. Vrbe dedita nullo amplius fidei pignore opus fore.

Tumultus in vrbe concitatur. CAPVT XVII.

HIs conditionibus pactum fœdus, haud magna occaſione diſturbatũ ferme eſt. Vulgus, Maurorum maxime infidum, mobile, ſeditioſum, quieti & otio aduerſum. Maurus quidam, cuius nomen nõ proditur, quaſi panicis actus, turbida oratione ad arma concitare populum non deſiſtebat. In ſimulatione beneuolentiæ, proditionem, fraudem, inſidias contineri. Boabdilem & proceres nomine Mauros eſſe, voto cum hoſtib. ſtare. Perpetuæ ſeruitutis iugum imponitur, adeſte animis. Sed præſentes miſerias & pericula ferre graue eſt? Animi eſt iſta mollities, pauliſper in malis tolerare non poſſe: minora, ac temporaria mala perpetuis, & grauioribus mutare. Quid vero ad ſpem affertur inuiolatos vos fore. de bonis non ago, quæ pari vanitate integra fore perſuadent: nempe nouos ciues alienus ager ſuſtentabit? An ignoratis quanta veſtri ſanguinis hauriendi ſitis ſit? ſuperiorib. bellis parentibus, propinquis magna ex parte deſideratis, vindicare prætermittant? Vetera omitto. annum iam circumuallatos & nos macerant, & ipſi non minores clades pertulerunt, circa munimenta ſæpe trucidati, neque magis obſidentes, quàm obſeſſi, nouæ vrbis munitione bellum defendentes. Ferrei ſint, niſi vrbe dedita veſtris capitib. peremptorum manibus parentarint. Quaſi beſtiæ cæco impetu, ac rabie concitatæ ſitiunt ſanguinem. Sed viri ſane non ſumus. alioqui mecum ſuſtentate. Aderit numen, Mahometeſque vates. reſponſa vetera, & ſiderum motus fauent fortibus, ſed deſtituunt ignauos. At annonæ inopia premit. ſed ſi parcitis, & quæ à priuatis recondita ſunt, in commune confertis in multos dies poſſumus tolerare: iiſque conſumptis eorum corporibus, qui ad bellum inutiles ſunt, famem propulſare quid vetet? Graue, inquis, & horrendum facinus. ſed exemplum tamen à veteribus in ſimili periculo ſi non haberemus, inſtitui denuo, & poſteris prodi pulcherrimum iudicarem. Stat ſententia: ſi mortem recuſare fas non ſit, cruciatus contumeliaſq; vitare. Capi, diripi, incendi patriam non videbo: matres, virgines, pueros ad ſtuprum & in ſeruitutem rapi. Idem ſi perſuadeo corripite viri arma: fœdus importunũ diſturbate. nec cunctatione opus eſt, vbi pernicioſior eſt quies quàm audacia. Hæc ardentibus oculis, vultu minaci per compita & plateas voce væcordi concionatus, viginti hominum millia ad arma concitauit. Furore & rabie, & cauſis incertis, eoq; difficilioribus remediis agitabantur. Boabdiles nulla iam auctoritate, ne in tanta colluuione, ludibrio haberetur, intra Alhambram arcem ſe tenuit. Feroces primos impetus multitudo habet: mox conquieſcit, ſine capite, ſine viribus vano conatu. Idem ſedatis tantiſper animis, proxima luce in Albaicinum deſcendens, vbi gentis ſtudia integra erant, conſternatas ſuorum mentes ſanare contendit. Veſtra inquit, cauſa nõ mea, vt quidam inuerecundè ſuſpicati ſunt, huc monitorem veniſſe, vel hæc fides ſit, quod arce in noſtra poteſtate poſita, hoſtem aduocare nolui, veſtra ſalute neglecta quamuis nouis iniuriis prouocatus: neque antea dum veſtris viribus reſtitiſtis, dum auxilia aliunde ſperaſtis, dum frumẽtum in vrbe fuit, pacis conſtituendæ vnquam auctor fui. Mittantur vetera. ſæpe à nobis peccatum eſſe confiteor, fide hoſti habita, regno aduerſus patrem ſumpto: ſed pœnarum nihil minus datum eſt. Rebus deſperatis fœdus pepigi cum hoſte, ne honeſtum dicam, tempore certe neceſſarium. Quid fanatici homines, vt pacem pulcherrime inſtitutam euertant afferre poſſint, non intelligo. Si alicunde præſidium eſt, pacta conuenta mecum fallite. ſed ſi omnia ſublata ſunt, opes, præſidia, cõmeatus, mens propemodum ipſa: quid furore perciti, vel alieno ſi prouidetis, vel veſtro ſi morem geritis in perniciem irruitis? E duobus cum neceſſaria ſunt, minus incommodum ſuſcipere ſapientes decet. quales vos eſſe conſiderem, niſi ſuperior tumultus hanc opinionem debilitaſſet. Sed cùm omnia victoris ſint, cum neceſſitas vrgeat, quidquid relinquitur pro munere habituri eſtis. De fide hoſtium non diſputo. non ſemel violatam fuiſſe confiteor. Verum fides obligatur fide. obſides exigere accipereque quid prohibeat, aut arces, aut viros principes. belli conficiendi cupidine omnia hoſtis dabit. Hac oratione commoti multitudinis animi conquieuerunt. Sic ſæpe popularis tumultus non maiora remedia, quam cauſæ ſunt. Quid Mauro multitudinis concitatori ſit factum non inuenio. fuga euaſiſſe ſuſpicabar. Sed præterito Boabdiles periculo admonitus, interiecto dierũ ſpatio, multa rurſus nouari poſſe, literas continuò ad Ferdinandum Regem dat: munuſq; adiicit duos equos

generoſos,acinacem,ephippia. Quæ in vrbe contigerant, renuntiat.celeritate opus eſſe, exiguam ſępe moram magnorum motuum cauſam extitiſſe.Quod felix fauſtumq; eſſet, quando ſuperis ea ſententia ſtaret, Alhambram proxima luce iniret. de manu ſe arcem regnumque victori traditurum.

Granata capta. Capvt XVIII.

EÆ literæ ipſis Kalend.Ianuarii vertentis anni miſſę in caſtra ſunt:quibus Ferdinãdus lectis, quanta ſit lætitia affectus diiudicare promptum eſt. Rebus in diem proximum comparatis,qui dies in faſtis Granatenſibus eius vrbis captæ memoria ſacer eſt, veſte lugubri ob Alfonſi Luſitani Principis caſum,trabea repente mutata,inſtructas armataſque acies quaſi ad pugnam in arcem vrbemq; ducit,gratum oculis ſpectaculum.Regina filiique ex interuallo ſequebantur: intertextis auro veſtibus proceres luxu pretioq; ornatus certantes.Ea pompa apparatuq; accedenti propius arcem Regi,Boabdiles obuiam egreſſus,quinquaginta equitibus ſtipatus occurrit.In pedes deſilire,regiamq; victoris manum deoſculari prohibitus,demiſſis in terram oculis haud læta fronte,id modo elocutus. Tui ,, Rex inuicte ſumus,tibi imperio & vrbe cedimus,vtere vt libet moderato vt ſperamus,& ,, leni,arcis claues in manum dedit,ille Reginæ,Regina filio. Ab eo Enecus Tendilliæ Comes arci præfectus, belloq; dux in ea prouincia futurus acceptis clauibus, cum valida equitum manu in arcem ingreſſus eſt. ſubſequebatur ſplẽdidus procerum & Sacerdotum ordo. In quib. Toletanus Hiſpalenſiſque Epiſcopi eminebant,D.Iacobi Magiſter, Gaditanus Dux. ante omnes Fernandus Talauera ex Abulenſi Præſule captæ vrbi deſignatus Archiepiſcopus,ſacra precatione è libris pontificalibus recitata,vti moris eſt,legitima capientium vrbes verba nuncupauit:ſimul crucem,quam Toletanus præferebat poteſtatis inſigne,in ſumma turri conſtituit,gemino vexillo addito Regio & D. Iacobi. ſubſecutus eſt plauſus,& lætitiæ permixtus clamor militum & procerum. viri ſacrati hymnum Deo pro diuino munere concinuerunt. Regem in genua procumbentem, atque humillimo corporis habitu gratias agentem numini,quod ſuo ductu dediſſet gẽtis impiæ imperium, & nomen in Hiſpania excindi:crucemque inſignem erigi,vbi diu impietas viguerat altis ſtabilita radicibus:atque vt ea rata,propria,fixaq; eſſent precantem,peracta oratione proceres adierunt, gratulanteſq; de nouo imperio, dextram ex ordine deoſculati ſunt in genua procumbentes. Idem officium Reginæ,filioque Principi cum eſſet præſtitum, peracta eius diei pompa,poſt prandium,ſecundum vicinam vrbis portam in caſtra eodem ordine reditum eſt.Purchenæ vallis in Conteſtanis paulo ante Mauris erepta Boabdili tradita eſt:vectigaliaq; deſignata,in Africam nauigaturo tandem,tædio vitæ priuatæ,cui impares Reges ſunt. Quingenti captiui, vt conuenerat, libertati redditi ſine pretio, habita ſupplicatione Regem ſacrificio peracto die altero ſupplices adiuerunt.militibus,quod ſibi patriam,ſe patriæ reſtituiſſent, egere gratias: quod pro religione, pietate,Hiſpaniæ ſalute,& gloria res humanis maiores confeciſſent,accurata oratione collaudarunt,reſtitutores,parentes,vindices nuncupantes. Vrbem ingredi non eſt viſum,priuſquam omnia tuta eſſent,portis,turribus,propugnaculis,præſidiis occupatis. Priori perſimili pompa in vrbem inuecti quarto poſt die, ad aras procubuere, laudes diuinas hymnoſque repetẽtes Duces militeſq;:concelebrantes numen,quòd victorias victoriis cumularet,triumphoſque de hoſtibus Chriſtiani nominis præberet.Ferdinandus,Iſabellaque auguſtiores ſolito viſi ſunt,ſplendido cultu,vigenti ætate, nouo imperio,tantoq; bello confecto cõſpicui pareſq;: maiores conditione mortali. cælo certe dati ad ſalutem Hiſpaniæ, conſtituenda iudicia,quæ labefactata erant, leges ſanciendas, vnde iura populis dantur, vindicandam religionem, pacem publicam fundandam domeſticis externiſque diſſidiis ſublatis: proferendum imperium non in Hiſpania modo, ſed ipſo tempore ad extremas cæli oras: ingenia prouincialium ad virtutis, & eruditionis ſtudium excitanda, præmiis, quæ ſunt ampliſſima in Hiſpania, non maiorum imaginibus, neque ad cuiuſquam gratiam, ſed ad veram meritorum rationem tributis. Doctrinæ cultu ſuſcepto, quantum profectum ſit, explicare non eſt neceſſe. res ipſa indicat. maiori eruditione & ſanctitate Sacerdotes & Epiſcopi, maiori prudentia & integritate magiſtratus,vbi terrarum inueniantur? Itaque ante hæc tempora paucos quoſdam literarum laude præſtantes numerare licet: qui deinceps in Hiſpania in omni eruditionis genere excellentes fuerint,recenſere quis audeat? Erat vtrique ſtatura mediocris, omnibus membris æqualis & congruens, facies honeſta, maieſtas in vultu inceſſuque par, aſpectus gratus. colorem candidum nonnulla

fuſcedo

fuſcedo temperabat, Regi maximè militiæ laboribus aduſtiori. ſpadicea & prolixa cæſaries erat, barba detonſa, lata ſupercilia, caluum caput, os exiguum, labia rubra, dentes minuti & rari, lati humeri, erecta ceruix, vox acuta, ſermo expeditus, perſpicuum ingenium, iudicium graue, mores faciles. Se adeuntib. comis clemenſq;, bellicis fuit iuxta ac ciuilibus muneribus par: tam aſſiduus in negotio, vt labore refici ac reparari videretur. Corpus nullis mundiciis emollitum, ſed cultu & victu frugali & parato militare. Equos arte incitare, atq; in varios orbes flectere cum dexteritate. Iunior teſſeris & alea, maior aucupio animum curis grauem remittere ſolitus. Regina præſtanti formæ venuſtate, flauis capillis fuit, cæſiis oculis, nullo fuco mentita facie, totius oris dignitate modeſtiaq; ſingulari, religionis ſtudiis dedita, atq; literarum, viri amans ſed cum zelotypia ſuſpicionibuſq;. Latinæ linguæ non planè expers fuit. quo præſidio Ferdinandus caruit, nullo literarum cultu in minori ætate: cognoſcendis tamen ex hiſtoria maiorum geſtis, & literatorum hominum colloquiis animum oblectabat. Quo die natus eſt Ferdinandus (ſic affirmatum inuenio) Neapoli quidam è Carmelitano ordine vir ſanctus, Alfonſo Regi. Hodie, inquit, in Hiſpania citeriore puer tui generis eſt natus: cui cęlum noua imperia pollicetur, ingentes opes, felicitatemq;, pio præ cæteris, religioniſq; cultori, & amplificatori præclaro. In tantis virtutibus quædam vitia ineſſe propemodum neceſſe fuit: vt nihil eſt in rebus humanis ſyncerum. Sed auaritiam tamen, calamitas vectigalium excuſare potuit: ſeueritatem, temporum morumq; labes. Callido ingenio fuiſſe fidemq; ex commodo nonnunquam mutaſſe externi auctores accuſant, ex fide, an ex inuidia gentis non diſputo. & ſolet hominum malitia virtutib. veris, vicina vitiorũ nomina affingere: ſicut è contrario fallunt, atq; laudãtur vitia, quæ virtutes imitãtur. Magnos ſibi principes toto orbe Chriſtiano affinitate deuinxit, Luſitanos, Auſtriacos, Anglos. Plures regias propinquitate complexus eſt, Ferdinãdi Neapolitani patruelis, Annæ Britannæ, quæ Galliæ Regina fuit, tũ Catharinæ Vaſconum Reginæ auunculus maior. Id etiam in Ferdinandi actionib. accuſatur: quod Catharinam & virum nullo conſanguinitatis reſpectu, immenſa imperãdi ambitione, auito regno expulit in Galliam conſequentib. annis. Sed ſpecies religionis prætenta facto eſt, & Romani Pontificis iuſſa: vnde diuturni graueſq; motus extiterunt. Henricus Labretus his Principib. natus, paternum regnum repetiit maiori conatu quàm ſucceſſu. Ex hoc & Margarita Franciſci Regis Galliæ ſorore, Ioanna principatus hæres nata eſt, Antonio Borbonio Vindomienſi Duci coniux: eius Henrici mater, quem ducta Margarita trium Regũ Galliæ ſorore Franciſci, Caroli, Henrici, proximum affinitate, proximum ſanguine per viros ſtemmate generis continuato, peruerſæ de religione opiniones, patriaq; ſacra repudiata, præcipitem agunt: aliis procerib. eum negantibus imperio Gallico idoneum videri, qui prauis de religione opinionib. infectus ſit: ſucceſſoremq; alium nominandum eſſe affirmantibus, ſi Henricus Rex eius leuir ſine prole deceſſerit. Eam controuerſiam tempus Marte arbitro diiudicabit. Ipſe portu occupato ſub finem laborum vela traham: & longæ feſtinem ſcriptioni finem facere. Obita à Regibus, atq; luſtrata vrbe Granata, Mauri ſub Chriſtianum imperium ſuperis auctoribus, auſpicato, in æternum, ea in Hiſpaniæ parte conceſſerunt, ſalutis anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecũdo, octauo Id. 1492. Ianuarii: qui dies Veneris fuit, anni Arabum octingenteſimi nonageſimi ſeptimi, menſis Rabih Haraba, dies octauus. Piis omnibus, vt Magorũ memoria ſacer veteri inſtituto celebriſq;, ita recenti victoria vniuerſæ Hiſpaniæ ſalutaris, fauſtuſq; illuxit: cũ ſublata euerſaq; impietate, ſuperior gentis ignominia depulſa eſt: Hiſpaniæq; pars non exigua in formam prouinciæ redacta magiſtratus legeſq; accepit. Lętitiæ particeps reliquus orbis fuit. Literę ad Innocentium Pont. Max. Regeſq; datæ: ac miſſi qui gaudiũ ingens nunciarent. Confectum Mauricum bellum, cæſos, domitoſq; hoſtes, impoſitum Granatæ iugum, vrbi quondam noſtrorum ſpoliis extructæ ſuperbęq;: ac Chriſto redditum tandem vniuerſæ Hiſpaniæ imperium. Eo nuncio vrbes & prouinciæ finitimæ, longinquæ, dies feſtos agitare: ludos & ſpectacula inſtituere. Omne genus, ætas, ordo, conditio, templa adire, ad aras procumbere, vota perſoluere. Romam pace ante triduum Pontificem inter & Neapolitanos Principes facta, lætam Ioannes Strada à Ferdinando nuncius ex Hiſpania, ipſis Kalend. Februarii noua ea lætitia cumulauit. Supplicatione ad D. Iacobi Hiſpanorum ædem decreta habitaq; Regum & Hiſpaniæ laudes præconiis haud immeritis accommodata tempori oratione celebratæ ſunt.

Libri vigeſimi quinti Finis.

IO. MARIANÆ HISPANI, E SOCIETATE IESV, HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ,

LIBER XXVI.

Iudæi ex Hiſpania pulſi. CAPVT I.



CONFECTO Granatenſi bello, Hiſpaniæ totius gloria fructuque maximo, conuulſoque in ea Maurico imperio tandem: quod multis ſæculis ſteterat altis nixum fundamentis: Ferdinandus & Iſabella reges ad noua, & illuſtriora bella, conatuſque retulerunt animos. Generoſi principes & nunquam ceſſantes, qui dies noctéſque nil cogitabant aliud, quam ad exitum qua ratione perducerent ea conſilia, quæ pro pietate & vera religione ſuſceperāt præclare: & qua via cæperant ad laudem & immortalitatem nominis peruenirent. Neque verum erat pace Hiſpaniæ & felicitate fundata in medio ætatis curſu conquieſcere, vitæ ſe mollis iucunditatibus dare: ac ne pati quidem, nobiles milites, quos ſuperioribus bellis magno numero parauerant militię claros & fide maxime inſignes, otio & voluptatibus, qui fructus victoriæ eſt, in patria & vmbra marceſcere: ſed quando in Hiſpania nulli hoſtes ſupererant, nulla laudis bellicæ materia, procul eos ad nouas ſpes tentandas amandare, longinquas ſubiugare nationes: vti in præſenti accidit, quo prouentu dicere non eſt neceſſe: res ipſa indicat. Ab eo enim tempore eoque aditu nomen Hiſpanorum eatenus ignobile, certe anguſtis Hiſpaniæ finibus incluſum, breuiſſimo deinceps tempore non modo Italiam, Galliam, Africamque curſu victoriarum maximo peruaſit, ſed ad extremos orbis terrarum fines peruenit vltra ſolis vias & ipſius Oceani limites. Magna rerum moles incumbit humeris, grauiuſque onus quam imbecillæ noſtri ingenii vires ſuſtinere poſſint: pelagus immenſum, quo tranando par eſſe quis audeat? Itaq;, quod ſum initio præfatus huius operis in Granatenſi bello reſiſtere, neque vltra procedere deliberatum erat. Nimirum ſuo ſe quemque pede metiri neque maiora viribus conari æquum eſt: præter alia incommoda quæ eo loco ſunt à nobis indicata. Verum ab ea ſententia vt tantiſper deflecterem amici fecerunt viri eruditione præſtantes conuitio hiſtoriam mutilam relinqui accuſantes earum rerum explicatione ſublata, ad quas lector feſtinare ſolet, minori veterum cura. Porro quæ proximis annis ab Hiſpanis geſta ſunt propter amplitudinem rerum & gloriā quibus iacta ſunt fundamenta eius imperii, quod hodie tenet Hiſpania latiſſimum, magnam operi gratiam à fine pulcherrimo allatura contendebant ſcilicet. Quod negligendum pręceptum non erat: ſed curandum potius, vt extrema narrationis pars, quaſi poſtremus actus fabulæ, multo quam cætera elegantior, illuſtriorque eſſet. Hæc illi afferebant viri prudentes & graues. Quid facerem? quod conſilium captarem potiſſimum? Repugnarē nihilominus? cautus eſſem: idem ne præfractus viderer & durus cauendum erat. Obtemperarem amicè monentibus? modeſtiæ fortaſſis laudem tenerem: ſed ne inconſtantiæ vitium incurrerem, metus ſuberat. Quid ergo? morem eatenus gerendum duxi, vt receriori nihilominus memoria deuitata, proximis modo annis geſta explicarem. Sic enim ſine aliqua offenſione cogitabam commemorari poniquein extrema hiſtoria poſſe ea: quæ amplitudine & gloria longe ſuperant quæcunq; ab omni memoria à noſtra gente geſta ſunt: ac neſcio an ab vlla vnquam natione tā breui ſpatio res æque illuſtres ſint perfectæ, fineſque adeo imperii & famæ prolati tantopere. Verum priuſquam iis rebus explicandis ſtilum applicamus, meminiſſe operæpretium erit quod alio loco dictum eſt: Franciſco Britanno Duci nupſiſſe annis ſuperioribus Margaritam filiam Eleonoræ, quæ Regina Vaſconum fuit, ſoror Ferdinādi Regis. Ex eo coniugio

iugio Anna & Iſabella natæ ſunt, nulla proles maſcula. Harum virginum nuptias multi principes ambiebant,pari contentione ſucceſſu vario. Annæ imprimis in paternas opes ob ætatis prærogatiuam ſucceſſuræ. In ea contentione Carolus octauus Galliæ rex riuales alios facile ſuperabat opibus maior propinquiori principatu: præter alias neceſſitudines,quæ cum Armoricis Britannis erant,quippe Galliæ Regum beneficiariis.Tametſi & ipſi Gallo Regi à ſuperioribus annis Margarita pacta erat Maximiliani Regis Romanorum filia: & is Princeps poſt Mariæ vxoris obitum cælibe toro, ſibi Annam Britanni filiam iungere cupiebat pactis adeo puellæ patre concedente ſponſalibus.Verum Gallo neque vires deerant neque artes ad præoccupandum aliorum Principum conatus. Religionis atque honeſti exigua cura,quoniam de proferendo imperio agebatur.Sumit in Britannum arma, quaſi Gallos proceres ad ſe confugientes tegeret: ac nominatim accuſabat,quod Ludouicum Aurelianenſem ducem ſororium ſuum Ioanna vxore,Galli ſorore iuniore,à ſe alienatum ditione tectoque accepiſſet.Magnum videlicet crimen amitinum texiſſe.Carolo enim Aurelianenſis,Britannus Caroli ſororeMargarita nati erant.Verum filiæ nuptias extorquere ea ſimulata ſpecie ſatagebat. In eo diſcrimine Britannus ad Angliæ Germaniæque opem ſupplex confugit.Ac in primis Alanum Labretum,Vaſconum Regis patrem & ipſi ſpe facta eius coniugii à multis tantopere expetiti in Hiſpaniam legauit: qui ſuperiori tempore Ferdinando Rege Valentiæ conuento, ab eo impetrauit vt claſſe ad Sebaſtiani fanum in extrema Cantabria inſtructa auxilia in Britanniam mitteret.Claſſis ductor deſignatus Ioannes Gralla natione Catalaunus inferre,& explorare guſtu epulas regias ſolitus. Inter Gallos Britannoſque varia extitere certamina, quæ ſigillatim recenſere operę non eſt.Ad Albini fanum tandem iuſto prælio eſt dimicatum. Vicere Galli.Labretus fuga euaſit.Aurelianenſis Grallaque capti: tum Ioãnes Auraneius princeps,qui Catharina ſorore Britanninatus auunculi in eo bello partes eſt ſecutus. Vix dimidia pars Britanni exercitus ſuperfuit:è Gallis mille ducenti cecidere nihilominus.Pugnatum eſt menſe Auguſto eius ſeculi anno duodenonageſimo. Poſt eam victoriam in fœdus itum eſt.Gallus captiuis dedit libertatem quamuis non vno tempore omnib. neq; vna de cauſa. Britannus niſi conſenſu Galli Regis filias nuptui nõ daturum recepit. Id præſtitit proximo anno ſublatus morte.Filiarum tutelam Britãniæ Mareſcalo,quem imprimis fidum erat expertus,moriens commendauit, ad Labreti nuptias propenſo ante fœdus cum Gallo ictum pactas. Reſtitere Dunenſis & Britanniæ Cancellarius ei coniugio: ante omnes Auraneius qui propinquitate fretus virgines ſorores in ſuam redegit poteſtatem earum nuptias ſui arbitrii facturus.Vnde noui motus extitere.Mareſcalus, Angliæ opem implorauit,Auraneius Ferdinandi Regis. Vtrinque miſſæ ſunt militares manus: ac ex Hiſpania mille equites duce Petro SarmentoSalinarum Comite initio anni M cccexc in Britanniam appulere.Hiſpanica auxilia Britanni pleriq; habuere ſuſpecta. Scilicet nationis odio,veritique ne verbo pro illis,re pro ſeipſis pugnarēt. Sic parum profectum eſt. Princeps ipſa accerſa ab aliis ad Regem Romanorum erat propenſa:idque iniri coniugium decretum eſt.Sic Labretus ea ſpe depulſus: ac ne Iſabellæ minoris Britanni filiæ cum filio ſuo item minori,de quo etiam actum erat,coniugium ſperans per hoc ipſum tempus vita functæ,dolore repulſæ facile ad Gallos animum retulit. Nannetes, quæ vrbs Britanniæ caput in poteſtate erat, tranſitionis pignus dedit equitum magiſterio illectus maxime,qui honos in Gallia præcipuus & maximus mutatæ fidei pretium offerebatur. Ab eo aditu cætera procliuiaGallo fuere:Ferdinandus etiã rex copias ſuas euocauit ſpecie quaſi parum proficeretur ob alienatos prouincialiũ animos,re quoniam in ſpem veneratRuſcinonenſes & Ceretanos recipiendi.SicGalli reddituros ſe pollicebantur,in eo Ludouici vndecimi Regis Galli ſecuti voluntatem. Is enim ſub mortem conſcientia victus, & Frãciſci de Paula Minimorum conditoris monitis caſtigatus,quem ab extrema Italia acciuerat ſalutis à medicis deſperatæ tutelarem , Lumbenſi Epiſcopo & Dunenſi Comiti Perpiniani reſtituendæ negotium dederat. Verum Rege interea defuncto ab itinere re infecta reuocati ſunt ab iis qui ad Galliæ gubernacula patre defuncto,Rege pupillo ſedebant.Hiſpanorum qui in Britannia erant,diſceſſu Gallus maximam eius principatus partem armis præſidiiſque occupauit. Anna eius ſoror natu maior Borbonii vxor pro ea poteſtate qua res omnes in Gallia ad nutum moderabatur, vt ſpretis nuptiis Margaritæ ob maturam ætatem,Annam Britannam duceret auctor fratri extitit. Hoc coniugio nobilis principatus ad reliquam ditionem adiunctus, opeſque & vires eius gentis magnum incrementum accepere.Prorſus vt Galli pacatis eius regni motibus,de Italia ſubinde cogitare cæperint. In Hiſpania Ferdinandus & Iſabella Reges bello Maurico exempti, quam primum de pellendis vniuerſa ditione Iudæis, quæ alia peſtis ſupererat, inter ſe conſulta-

bant. Eo conſilio Granatę, vbi morabātur, mēſe Martio ſalutis an. M CCCCXCII per edictū voce præconis denunciarunt, Iudæi omnes, niſi mutarent, vti ex omni ditione diſcederent. Parando exilio quatuor menſes dati ſunt, cum facultate eo ſpatio vendendi bona ſecumue, quo vellent aſportandi. Id edictum noua Thomæ Turrecrematæ Inquiſitoris ſanctione amplius eſt aſtrictum menſe Aprili piis omnibus vetantis cum ea gente commercium: grauique ſupplicio ſancientis ſiquis eo decurſo tempore victu aut re alia quapiam eos homines iuuaret. Sic innumera Iudæorum multitudo mari ex Hiſpania ſoluentes, tum Africam, Italiam & orientis ſolis oras tenuerunt: vbi in hunc diem patriam Hiſpanorum linguam mordicus retinent: tum plerique in Portugaliam vicinam abiere. Fecit eo migrandi poteſtatem Ioannes eo nomine ſecundus Portugaliæ Rex ea tamen lege, vt per capita octonos aureos ſinguli penderent hoſpitii pretium: atque intra certum tempus rurſus ex iis finibus commigrarent, captiuitatis pœna propoſita iis qui ſecus feciſſent. Itaque multi in ſeruos eo tranſacto tempore dati ſunt: quos omnes tamen Emanuel Ioannis ſucceſſor, cum primum regni infulas ſuſcepit, mitiori cenſura reddidit libertati. Iudæorum multitudinem, qui ex Hiſpania diſceſſerunt, ad certum numerum reuocare promptum non eſt. Plerique ſcriptores centum & ſeptuaginta familiarum millia abiiſſe confirmant: quidam ad octingenta millia capita perueniſſe ait. Ingens numerus, ac vix fidem facturus. Sed vnde tamen multis occaſio extitit hoc decretum accuſandi gentem copioſam, & quæ omnes vias pecuniæ nouerant amouere, à prudentia Ferdinandi alienum exiſtimantibus. Magno vtique compendio fructuque earum prouinciarum, ad quas copiarum Hiſpaniæ magnam partem, aurum, argentum, gemmas, veſtemque pretioſam ſecum detulere. Multi ex eo numero, ne patria carerent, Chriſto dedere nomina, pars ſynceris animis: alii ſimulata pietate tempori ſeruientes breui ad ingenium fraudes & mendacia redierunt.

Alexandri Sexti Pontificis electio. CAPVT II.

INterea Romæ Innocentius Pontifex deceſſit ad octauum Kalendas Auguſti. Patres conclauis, vbi comitia haberentur, cuſtodiam cum aliis Ferdinandi Hiſpani Regis legatis credidere. ii erant duo epiſcopi Aſturicenſis, atque Pacis Auguſtæ. Ignotus ille, hic Bernardinus Caruaialius ab his initiis maiorem famam quam laudem olim conſecutus. Die proximo in ſuffragia deſignando ſucceſſore conuenere, diuiſi ſtudiis bifariam pertinaci inter ſe certamine. Pars Iuliano Rouereo adhærebat ingentis ingenii Cardinali, ſi minus ſibi pontificatum obtineret, in Georgium Acoſtam Portugaliæ Cardinalem propenſius haud obſcure. Alii Aſcanium Sfortiam Ducis Mediolanenſis fratrem, & Rodericum Borgiam Vicecancellarium ſequebantur diuitiis & amplitudine ſenatus facile principes. Qui plura largiri poterat, turpi, vti fama tulit, ambitu victor in ea contentione. Borgia pontificatum adeptus bonis malis rationibus Alexandri ſexti nomen deſumpſit. Multum illi Aſcanii tum diligentia tum gratia & auctoritas contulit ad conciliandas collegii voluntates: eoque merito, vt merces operæ eſſet, Vicecancellarius continuo S. R. E. eſt deſignatus. Primo dein Patrum conuentu Ioannem Borgiam Archiepiſcopum Montis regalis nouus Pontifex ex ſorore natum donauit purpura. Ex inuidia odioque nationis multa affica Alexandro Pontifici crimina ſuſpicabamur: maiora certe vero atrocioraq; prædicatione hominum eſſe facta. Et eſt vulgus ad deteriora credulitate pronum. Natus eſt in Hiſpania vrbe Valentia, pater Gotifredus Lenzolius, mater Iſabella Borgia. Renunciata Calixti auunculi electione, ad non dubiam purpuræ ſpem continuo Romam iunior aduolauit. Cardinalis factus tum alia intemperantia fœdus extitit, tum iuſtę propemodum vxoris loco & cultu habuit Zanoziam Romanam puellam: ex qua quatuor filios genuit: Petrum Ludouicum natu maximum, Cęſarem, Ioannem, Gotifredum, filiam vnam nomine Lucretiam. Petrum Gandię Ducem fecit auro redemptæ, vſque adeo erat locuples. theſauros ab auunculo Pontifice relictos opimis ipſe ſacerdotiorum vectigalib. auxerat. Defuncto maiori filio antequam ipſe eſſet Pontifex prætermiſſoque Cæſare, vnde illi irarum cauſæ, Ioannem in eo principatu ſubſtituit: deditque coniugem Mariam Aragoniam Alfonſi ſecundi Neapolitani Regis filiam notham. Vnde natus eſt Ioannes Franciſci pater, eius quem abdicato paterno & auito principatu noſtri ordinis ſocium deinde Præpoſitum generalem vidimus, præcipuum noſtræ ætatis miraculum. Incidit Alexandri Pontificis electio in tertium Idus Auguſti: diadema capiti impoſuit ſeptimo Kalendas Septembris. Quo die Valentiam patriam metropolitano iure paulo ante donatam eſſe, nouo ipſe diplomate ratum habuit: ſimul eius eccleſiæ Archiepiſcopum Cæſarem filium

ſuum

ſuum dixit relicto illi etiam Pompelonenſi Epiſcopatu, famæ perſonæque quam gerebat, nulla cura. Proximo anno duodecimo kalendas Octobris eundē in Cardinaliū collegiū cooptauit, quaſi Dominici Ariniani cui Zanozia nupta erat, iuſtum filiū. Impotens eſt animus, quem ingens cupiditas deuouit, vecordia viribus armata neque pudore mouetur, neque veritatis conſcientia. legibus, vt ita crederetur, cautum multorum ad gratiam loquentium teſtimonia confirmarunt. Contra hiſcere nemo Rotæ iudicum, nemo Cardinalium, cum quibus rem communicauit, auſus eſt. Tantam improbitatem tam perditos eius ſeculi mores ingemuiſſe orbem Chriſtianum arbitror. Hinc vero proxima mala quibus premimur: Gotifredus minimus natu Alexandri filius, ab Alfonſo Neapolitano Rege annis conſequentibus Squilatii principatu in extrema Italiæ ora donatus eſt, vxor Sanctia eius Regis filia ſed ex obſcura matre. Lucretia Piſaurienſi regulo primū deinde Alfonſo Aragonio Viſelis duci eius Alfonſi Regis filio ex impari etiā matre nupſit. Atque hoc à Cæſare leuiro qui abdicata purpura, Dux Valentinus vocabatur immaniter interfecto, poſtremo coniux data eſt Alfonſo Ateſtino Herculis Ducis Ferrarienſis filio maiori. Hoc Pontifice quatuordecim Hiſpani Cardinales in ſenatum lecti ſunt: in hoc numero Bernardinus Caruaialius ardenti atque inquieto ingenio vir Aſturicenſis prius deinceps Pacēſis, Carthaginenſis, Seguntinus ac Placētinus in Hiſpania Epiſcopus. Hæc initia quanta conſequentur mala? Mouebantur Vaſcones nunquam plane quieti. Hinc Ioannis Narbonenſis Vicecomitis arma premebant: inde Lerini comitis conatus ſolicitabant ſuis ſemper regibus infenſi. Fortuna eorum Principum contemtui erat homini factioſo & regia Aragoniæ affinitate ſuperbo. Narbonenſis quidem iniuriam ſibi factam expoſtulabat Franciſco & Catharina Gaſtonis fratris filiis in regni eius ſucceſſione deinceps prælatis: cum Gaſtone defuncto ſuperſtite Cleonora matre ad ſe qui matri propinquior quam nepotes erat, ſucceſſionis ius pertinere diſputaret. Lis hæc ſæpe exagitata, neque vnquam ſatis compoſita recurret tamen. Lerini Comes Pompelone pridem in poteſtatem redacta vrbe primaria, Olitem recens aliasq; arces occupare non deſiſtebat. Miſerabilis rerum facies, fæda malorum colluuies. Ad Ferdinandum Regem Hiſpanum conſenſu decurſum: vt pro ea neceſſitudine quæ illi cum iis regibus eaque gente erat, ſua auctoritate & arbitrio eas controuerſias componeret. Ille in Vicecomitis Narbonenſis cauſa, ſe Regibus non defuturum indicauit quaſi potioribus iure, neque paſſurum vti iniuria auito regno pellerentur à patruo. Ea tunc mens fuit. Eo reſponſo Narbonenſis haudquaquam quieuit. Correptis armis in Fuxenſem principatum inuaſit: vbi aliquot oppidis captis, ſimul lite conteſtata Pariſienſium iudicum opem implorabat, quoniam is principatus in parte Galliȩ poſitus, Galli Regis in fide ditioneque erat. Verum fædere inter diſſidentes tandem facto, tunc quidem ea cōtrouerſia finem habuit rurſus eruptura. De Lerini Comite conſenſu eorum principum ſanxit Ferdinandus rex, vti quȩ per vim occupabat ac Olitē nominatim reſtitueret. Simul Vaſconum finibus perpetuo abiret cum vxore (quamuis Ferdinandi ea ſoror erat) & filiis Ludouico & Ferdinando. Oſca in Baſtetanis data Marchionis nomine exilii ſolamen, amiſſæ patriæ nonnulla compenſatio: præter alia quæ inpoſterum ſunt promiſſa. Quæ omnia ad eos Reges promerendos gentisque motus pacandos expectabant. Verum anno proximo hæ conditiones agitatæ, non ante tertium poſt annum finem habuere. Ad intermiſſa redeat oratio.

Nauigatio ad Indos occiduos inchoatur. CAP. III.

ORbem terræ vniuerſum tres in partes antiqui diuiſerunt. inuentæ demum auorum ȩtate nouæ nationes, terrarum tractus immenſi quartam adiacere: quȩ reliquis omnibus magnitudine ferme par noui orbis nomen inuenit, ad quem nullæ antiquorum litterȩ nulla penetrarunt arma. Rem plane mirabilem, maioribus denegatam laudem, noſtris hominibus noſtroque ſeculo ſeruatam, qua nihil ab omni memoria contigit in Hiſpania, neque ad dignitatem honeſtius, neque ad celebritatem illuſtrius, neque fructu vberiori. Id qua ratione contigerit, & quibus opibus & induſtria ad Indos occiduos maris Atlantici fluctibus ſuperatis fuerit peruentum, explicandum eſt. Nauis quædam in Africæ commercio occupata ſuperioribus annis, ventorum violentia. abrepta ad ignotas terras & littora appulit. In reditu vectoribus & nautis fame extinctis, Nauarchus cū tribus aut quatuor ſociis Maderam inſulam, quæ in ditione Luſitanorum erat, tandem tenuit mortuo quam ſpiranti ſimilior. Agebat forte in ea inſula Chriſtophorus Columbus natione Ligur (nam & vxorem in Luſitania duxerat) ingentis animi vir, ſingulari induſtria, quod erat prȩcipuum rei nauticæ imprimis peritus. Excepit is hoſpitio Nau-

archum: qui longinquæ nauigationis laboribus fracto corpore, breui extinctus commentaria quæ de tota nauigatione confecerat, Columbo reliquit. Quę ſi vera cauſa fuit: ſiue ex Aſtronomica diſciplina, aut à quodam Marco Polo medico Florentino edoctus ſtatuit quaſi rem minime dubiam, trans noti orbis terminos etiam ad occidentem ſolem, magna terrarum ſpatia patere, nouas & incognitas gentes habitare lingua, moribus, ſuperſtitionibus diſſonas. Hanc ſui animi cogitationem cum Luſitano Rege primum, deinde cum Henrico ſeptimo Angliæ Rege communicauit. Somnia vtriuſque afferre viſus eſt. Auctoris humilitas contemnebatur, vt maxime probabilia afferret. Repulſus tamen non deſtitit non quieuit. Quin ad Ferdinandum Regem Hiſpanum ſe contulit, & cum nihilo magis audiretur ſeptennii patientia peruicit tandē, quo tempore Granata de Mauris capta eſt, vt tres naues regiis ſumptibus inſtructæ eo duce experirentur an promiſſis reſponderent facta. Decem & ſeptem millia aurei mutuo ſumpti, propter inopiam ęrarii bello Granatenſi exhauſti tantæ molitioni initium præbuere. Sic ſolent ex paruis momenta maximarum rerum pendere. Inſtructis Columbus nauibus ad Palos Bæticę portum in Oceanum Atlanticum egreſſus tertio nonas Auguſti paſſis velis Canarias primum inſulas petiit. Inde in occaſum directis proris ſuperatiſque vaſti pelagi fluctibus, cum quibus non maior illi lucta fuit quam cum ſociorum contumacia & deſperatione conuitio efflagitantium temerario vt incœpto abſiſteret: neque eos in certum exitium raperet: tandem de menſe Octobri inſulas plures inuenit ad eius regionis ſpatioſa littora quam Floridam deinde dixere. Ea & inſulas Lucaias ab incolis nuncupatas, ipſe in Regis gratiam Principis dici voluit. Dum terrę eius conditionem & diuitias explorat, atque agreſtes feroſque hominum mores cicurare contendit, aliquandiu in illis inſulis moratus, deinde extructa arce in qua triginta octo è ſociis reliquit. Diegho Arana duce, decemque ex incolis in naues impoſitis rediit in Hiſpaniam confectæ nauigationis nuncius lętiſſimus, auri & copiarum, quas ea terra fundit ſecum deferens ſpecimen, atque primitias. Prouocauit is ſucceſſus tum Reges tum prouinciales, vt maiori ſtudio in eam nauigationem incumberent. Itaque Columbus repetitis nauigationibus plures alias inſulas, in his Hiſpaniolam & Cubam ſpatiis præ cæteris latiores, magnamque continentis partem explorauit, eius quod à freto Magellanico ad Boiadoris promontorium, immenſo marium & littorum tractu ab Antarctica ad Arcticam plagam excurrit vltra quinque millia leucarum legentibus littora. Ad medium quidem ſpatium ſinuoſa ea littora & exeſa efficiunt, vt à portu Nominis Dei, qui ad mare noſtrum eſt, vſque ad Panamam aduerſo atque Auſtrico mari adiacentem vrbem, vix decem & octo leucas conficiant, quibus ea iter eſt. Vtriuſque maris litora ad ſeptentrionem longiſſimo tractu noſtrorum diligentia ſunt explorata: neque hactenus tamen cognitum, an occidui Indi cum orientalibus ſint coniuncti: an vero ſupra Cataium Sinarum portum, ſupraque Cipangrim aut Iaponem dirimantur freto aliquo. Obiit Columbus poſt annos quatuordecim vir immortali gloria, æterno pręconio prædicandus. Viuo & mortuo honores habiti, minor meritis gratia (neque enim par merces eſſe poterat) dux quamuis Beraguæ præfectus maris Indici fuerit conſtitutus. Nouis alii nauigationibus tum Columbo ſuperſtite, tum maxime defuncto, eius imitatione varias inſulas & littora aperuerunt ad occaſum: ſingula recenſere longum eſſet. Sed in hoc numero tamen Americus
1500. Veſpucius Florentinus Emanuelis Luſitani Regis auſpiciis anno primum M.D. Breſiliam vniuerſam explorauit partem haud dubium noui orbis. Tametſi inuentæ Breſilię laudem hiſtorici Luſitani ad Petrum Aluarum Capralem ablegant, vti alio loco explicabimus. Poſt littora omnia ad mare noſtrum decurſa Vaſcus Nunnius Balboa Pacis Auguſtæ ciuis magnorum ſpirituum vir apprime pugnax, conſtans aduerſus metus Iſthmū, qui caſtigatis immenſum ab vtraque parte littoribus à portu Nominis Dei ad Panamam pertinet, primus noſtrorū aperuit: mareq; Antarcticum inuenit anno M.D.XIII. magna noſtrę gentis gloria fructuque. Ex Columbi & Americi nauigationibus Caſtellę & Luſitaniæ regibus orta lis eſt. Contendebat Luſitanus ignoti orbis exploratione venia Pontificum Romanorum, ac nominatim Eugenii quarti ad ipſum vniuerſam pertinere. Quid Caſtellæ rex in alieni iuris prouincias inuaderet? Quid nouo conatu alieni laboris & induſtrię fructū occuparet: Ille contra Alexandri Sexti diplomate cauſam tuebatur anno M.CCCCXCIII. cōcedentis, vt linea cogitatione deſcripta per vtrumq; cæli cardinē centum omnino leucas vltra inſulas Heſperides, quæ ad viride promontorium iacent, quidquid terrarum ad ſolis occaſum inueniretūr, ipſi cederet, cætera Luſitano relinquerētur: quod aliquanto poſt nouo diplomate correxit, additis ad centum leucas priores aliis trecentis & ſeptuaginta, vt Breſilia recens reperta intra fines Luſitanię conquiſitionis com-

comprehenderetur. Osorius in Emanuelis Regis vltra Olisiponis meridianum triginta sex gradus ad occasum lineam cogitatione descriptam affirmat. Omnino ex ea concordia, eaque pactione lis noua nata est apta nexaque ex priori. Malucas insulas, vnde aromata aduehunt, Castellani contendebant, intra eam orbis partem comprehendi, quę ipsis est à Pontifice attributa. Negabant Lusitani, & per lunæ deliquia, quæ vna ratio est terræ longitudinis dimetiendę, obseruatum aiunt, Indi fluminis ostium Olisipone distare nonaginta non amplius gradibus: inde ad meridianum qui per extremas Molucas mente designatur, duos & quadraginta gradus absolui: cui summæ si adiiciantur triginta sex gradus, qui Olisipone versus occasum numerantur, vnde ea nauigatio inchoatur, nondum subducta ratione peruenietur ad centum octoginta partes è trecentis sexaginta, in quas terrarum longitudo vniuersa vulgo tribuitur. Illud constat Ferdinandum Magalianem natione Lusitanum à Rege suo alienatum quod diu in India orientali versatus & multis stipendiis factis Alfonso Alburquerquio Prętore paria meritis non accepisset præmia, post mortem Ferdinandi Regis catholici, Carolo eius nepoti persuasisse, Castellæ naues directis inter occasum & meridiem proris posse nouo itinere ad Malucas insulas peruenire. Opem monitis addit: datisque quinque nauibus Hispali soluit salutis anno M.D.XIX. Canarias primũ insulas non deuias, tum Brasiliam pe- 1519.
tit: emensisque iis littoribus ad gradum tertium & quinquagesimum vltra mediam cæli plagam fretum inuenit, quod de eius nomine Magellanicum est dictum. In aditu eius freti nauis vna ad scopulos fracta est: altera tædio nauigationis obscurę noctis tenebris tecta Hispalim rediit. Transmisso freto post multorum dierum nauigationem per mare vastissimum ad Subum tandem insulam excensione facta ducem & socios aliquot, barbari specie amicitiæ fallaces conuiuio exceptos perfide peremerunt. Eorum cæde quoniam in tres naues neque nautæ neque vela sufficiebant, incensa vna naui, qui superarant, ad Molucas tandem non longe dissitas peruenerunt. Noua ibi laborum facies, noua discrimina. Ad Tidorem tamen vnam ex iis insulis aromata in naues imponunt petitum ex iis locis specimen. Atque è duabus nauibus vna amissa, quoniam sentina aquam accipiebat, quę reliqua erat, diuerso itinere superato Bonæ spei promontorio post multa & varia discrimina Hispalim peruenit tertio anno postquam inde discesserat. Nauis Victoria Nauarchus Ioannes Sebastianus Canus Cantaber, Guetaria patria, animi constantia & inaudita felicitate promeritus, vt nomen ipsius æternitati consecretur. Tentarunt alii consequentibus annis semel iterum, & tertio ea nauigatione ad Molucas penetrare: sed quoniam fructus labori & impensę non respondebat, tandem destiterunt. Ac Ioannes tertius Lusitaniæ Rex Carolo Cęsari trecenta quinquaginta millia aureos mutua dedit ea lege, vt à comercio Malucarum tandiu ipse & posteri abstinerent, donec ea summa cum fide reddita esset, litem pecunia diremit. Hoc tempore ea controuersia penitus sedata est, vniuersa Hispania ad vnius potestatem ditionemq; reuocata. Vltra Isthmum noui orbis ad mare Australe noua Hispania ad dextram iacet latissimis fusa spatiis, vrbsque Messicana regionis caput in palude sua humilibus cæcisque circa vadis. In ea & finitimis regionibus late imperabat Motezuma, quem Ferdinãdus Cortesius anno M.D.XX. intra suum palatium viuum cæpit. Eo tamen per impruden- 1520.
tiam ictu lapidis à suis occiso, quos tumultuantes atque in nostros exitium parantes è fenestra prolato capite pacare volebat: pulsi prius vrbe Hispani, deinde refectis viribus reuersi vicere aduersarios. Sic latissimæ illę prouincię Carolo Cæsari cesserunt. Cortesius tanto subiugato imperio immortalem sibi laudem peperit, posteris opimum principatum Vallesiis Marchionibus. Ad Isthmi læuam Franciscus Pizarrus anno M.D.XXV. 1525.
Peruam inuenit, & sexto post anno capto occisoq; Atabalipa eius prouinciæ imperatore, vniuersam eiusdem Caroli Cęsaris subegit imperio, omniũ, quæ repertæ sunt, venis auri & argenti beatissimam gentem, si sua nosset commoda, adeo vt domesticum omne instrumentum ollæ & caldaria & lebetes ex auro & argento conflarent. Ingens miraculum. Prædam, quam credi possit, maiorem Pizarrus cum Almagro pręcipuo eius expeditionis socio non optima fide diuisit. Vnde irarum causæ & cędes mutuę. Sed singulis tamen gregariis militibus ex ea præda supra nouem aureorum millia obuenerunt, quanta spolia satis constabat nunquam ab vlla memoria, vllaue gente relata. Ii milites trecenti circiter supra centum millia indigenas commisso prelio vicerunt gentem inermem & imbellem scilicet sudes tantum & sagittas ferentem nullo pręfixas ferro. Ex copia insolentia nata superbiaque opulentię comes. Ferdinandus Francisci frater Almagrum palam hostilia molientem vi adacta peremit. Almagri ex impari Indicaque matre filius Dieghus in Francisci Pizarri ædes dato impetu eius sanguine perempti patris mani-

bus parentauit. Hunc alter Francifci frater Gonſaluus adiutore Vaccacaſtrio regio deinde Prætore interfecit: & ſucceſſu ac copiis elatus poſtea ſuperbia, à regia auctoritate palam defecit. Verum ſuis & multorum opibus præualidum, tam procul ab Hiſpania vi opprimere difficile erat. Ad artes conuerſo ingenio Petrus Gaſca ſacerdos ad eos motus pacandos miſſus à Carolo Imperatore in toga vicit rebelles: easque regiones motusque ſumpto de præcipuis factionis capitibus ſupplicio pacauit. Reuerſus in Hiſpaniam Palentino primum deinde Seguntino Epiſcopatu donatus ad vltimam proceſſit ętatem maiori induſtriæ & integritatis fama, quam opibus. Ferdinandus Pizarrus è tribus fratribus diu ſuperſtes in Hiſpania, quo vltro venerat Almagari cædem excuſatum, cauſam è vinculis dicere multis annis eſt coactus. Sic ira cęleſtis occiſi crudeliter Atabalipæ innocentis manes vlta, ac per omnes domos aduerſariorum vagata, nullo innoxio relicto breui tempore pœnas à ſingulis improbæ cupiditatis & cædis iniuſtę habuit.

Ruſcinonenſes & Certani Regi Aragonio reſtituti. CAPVT IIII.

ARdebat Carolus octauus Rex Galliæ incredibili cupiditate Neapolitanum regnum armis occupandi ſuorum conſiliis propter ętatem imbecillitatemque obnoxius. Ad vetera iura, quæ certiſſima exiſtimabat, nouæ cauſę nouęq; commoditates accedebant. Vires opesque ad perficiendum, quæ verſabat animo, deeſſe non poterant florentiſſimum regnum poſſidenti viris armisque præualidum. Hęc cogitanti Regis Romanorum ira opponebatur ad priores offenſiones intercepta recens ſponſa Britanna, repudiataque Margarita filia denuo irritati. Simul ne à tergo eo in bello longinquo diſtricto aliquid Rex Aragonius moueret, verendum erat patrocinio Neapolitanorum ſuſcepto pro ea neceſſitudine quę illi cum iis erat ſanguine iunctis: proque ſtudio Ruſcinonenſes & Ceretanos, de quibus lis erat, ad veterem ditionem reuocandi. Ergo de Aragonio conciliando in fędusque attrahendo primum actum eſt. Conſtitutum vt delecti ab vtroque Principe viri primarii ad fines vtriuſque ditionis conuenientes de pacis conditionibus ſerio conſultarent. Regi Gallo præ ſtudio expeditionem Italicam maturandi omnis mora longa erat: & quacunque ratione paciſci, ſtatutum cum animo ac deliberatum habebat. Ferdinandus & Iſabella Reges ne occaſioni deeſſent, quæ momento temporis prætervolat feſtina & pręceps, relicto Granatę Eneco Mendoza Tendillię Comite, quem Alhambræ arci præfuerāt, bello ea parte ducem, in Aragoniam feſtinare conſtituunt. Eo conſilio Iunii menſis initio in viam ſe dant. Sequebantur filius & princeps & filię, ſplendidus procerum numerus. Borgiam ventum ad confines Vaſconum & Aragoniæ: quo vrbium ſocietates ante aliquot annos ad prohibenda ſcelera inſtitutas venire iuſſerāt geſtæ reipublicę rationem reddituras. Eo conuentu ſoluto Cæſarauguſtam feſtinatum eſt. In ea vrbe, ne vrbani magiſtratus ciuium ſuffragio, vti facere conſueuerant, ſed nominatione Regis deinde legerentur nouo decreto cautum, quod non diu ſtetit. Antiquis homines ſtare malunt, vt maxime vſus manifeſte arguat quam nouis inſtitutis, pręſertim iis quibus ius libertatis minui videtur. Barcinonem tandem menſe Octobri eſt peruentum. In ea vrbe atrox facinus in Regem nihil minus cogitantem commiſſum eſt. Conſueuerat ſingulis hebdomadis ſtato die publice omnibus ſe adeuntibus aures dare, vindicare iniuria oppreſſos. Ad ſeptimum Idus Decembris die Veneris diutius ſolito in ea auditione moratum equo cænatione egredientem proditionis ſecurum Ioannes Canamarius natione Catalaunica Remenſæ natus nemine eorum, qui aderant, conſiderante propius accedens diſtricto repente gladio ſecurū ſub aure vulnerauit. Atroci temeritate commoti aulici, conturbata ciuitas, pro eo ac par erat, de conſcelerato homine quæſtione tormentis habita cognouerunt, nullo auctore nullo ſocio tantum flagitiū deſignaſſe. Sed furore percitum per quietem ſomniaſſe Rege interfecto fore ſucceſſorem. Ea re & quoniam leue vulnus fuit concepta animis moleſtia eſt mitigata. Neq; tamen excuſatio valuit, quo minus fanaticus homo exquiſitis cruciatibus perimeretur. laniato occiſoque corpori ignis à victimariis ſubiectus. Agebatur interim de fæderis inter duos Reges faciendi conditionibus. Conuenere ab vtraq; parte legati viri primarii pro Gallo Ludouicus Amboeſa Albigenſis Epiſcopus, pro Aragonio Ioannes Coloma, ipſi à commentariis. Ad Figueras oppidum in finibus Ruſcinonenſium & Emporitanorum de conditionibus coram diſceptatum eſt primum, deinde Narbone. In ea vrbe ad
1493. quintū decimū kal. Februarii anno M.cccc.xc III. conſenſu hæ conditiones ſancitæ ſunt. Pax Regib. Gallo & Hiſpano eſto fędusq; aduerſus omnes principes vno excepto Pontifice Romano. Filias ne Ferdinandus Rex cuiq; principi iūgito niſi ex Galli Regis volūtate

Ruſci-

Ruſcinonenſes & Ceretani ad Aragonium imperium ditionemque redeunto detractis inde præſidiis Gallicis. Eo beneficio habere ſibi Gallus Hiſpanos obſtrictos volebat: quod aliquot menſes dilatum eſt priuſquam ea redderetur oppida. In rebus magnis nouæ identidem ſuboriuntur difficultates: ægreque homines imperii antiqua poſſeſſione decedunt. Supererat Maximilianus Rex Romanorum: cum quo poſt multas quidē difficultates fœdus item eſt factum. Margarita filia reſtituta, quæ eatenus in Gallia erat, cum dote Arteſiæ comitatu, certaque ſpe Burgundiæ etiam reddendæ, de quo principatu à Gallis per vim antea occupato maior lis erat, retractata ſæpe neq; ad hanc diem compoſita. Hoc fœdus ipſo tempore ſancitum eſt, quo Fridericus Cęſar grauis annis vix trahebat animā, ætate & laborib. fracto corpore ac nuꝑ enato Carcinomate noxio; q̄ ne latius ſerperet, crus alterum eſt præciſum. Vim doloris ſenex ſuſtinere non potuit. Subſecuta continuo mors eſt ad quartum decimum kalendas Septembris. Eius obitu imperium Romanum, aliique defuncti auiti principatus in Maximilianum filium, vti opus erat, translati ſunt iam Regem Romanorum cui Ludouicus Bari dux Ioannis Galeatii ducis Mediolanenſis patruus illius ſororem Blancam Mariam toro iungere parabat. Dotis nomine quadringenta aureorum millia oblata: ea vtrumque lege, vt pro ea auctoritate qua fungebatur, Mediolanenſem principatum imperatorum beneficium ipſi donaret iure quoque optimo poſſidendum fruendumque. Immane facinus, diram dominandi cupiditatem: eo amplius quod ſummę pactę vadem dedit Ioannem ipſum Galeaciū, in quem eæ machinationes comparabantur. Vnius hominis ambitio quantas procellas concitabit. Iniquiſſimæ pactionis ſpecies erat: quod neque Franciſcus Sfortia neque eius filius Galeacius vnquam eas tabulas ab imperatore impetraſſent. Eoque eum principatum quaſi legitimo poſſeſſore vacuum, & ad imperii ius reuocatum dari denuo pluris licitanti poſſet. In Aragonia & Catalaunis moram trahebat Ferdinandus quorſum euaderent Gallorum promiſſa expectans. Ita menſe tandem Septembri Ruſcinonenſes & Ceretani reſtituti ſunt Aragonio imperio, Gallicis præſidiis ex omnibus arcibus vt pacti erant, detractis. Quam liberalitatem omnes admirati ſunt: Hiſtorici ac præſertim Gallici ſine fine vituperant, dum maiora incerta ſpe captant, opimos principatus reliquiſſe, ac tandem amiſiſſe vtraque ex euentu nimirum, vt vulgo fit, de conſiliis Principum temere pronunciantes. Plerique Albigenſem Epiſcopum auro Hiſpano corruptum ſugillant vero an falſo dicere non poſſum, confictum ſuſpicabar.

Militarium ordinum magiſteria Ferdinando Regi data. CAP. V.

VNo tempore Ruſcinonenſes & Ceretani Aragonio imperio ſunt redditi: & in aduerſa extremaque Hiſpania Gadeis inſula ad Caſtellæ Regum ditionem rediit anguſta quidem ſpatiis, agri tamen omni fertilitate feracis & amœni, commercio externarum gentium propter portus celeberrimi commoditatem frequens & copioſa cum primis. Henricus quartus Caſtellæ Rex qua in cæteris profuſione eam Ioanni Pontio Leoni Arcobrigæ Comiti Marchionis Gaditani nomine dono dederat: quod poſteri retractarent. Eo enim defuncto aliquot menſibus poſtquam Granata capta eſt, Roderico Pontio eius nepoti, qui in auitas opes ſucceſſit, Regum iuſſu detracta eſt, & ad regiam ditionem reſtituta. Datum tamen oppidum Caſares in Africa, tum Comitis Arcobrigæ nomen ducis appellatione eſt mutatum, leuis vtraque ablati eius principatus compenſatio. Sed Regum imperium ferendum eſt quamuis graue. Illud ſine inuidia, quod Palma inſula vna ę Fortunatis Alfonſi Luci virtute & ductu, Regum Caſtellæ auſpiciis & ſumptu domita ſubditaque eſt. Nihil tamen ad memoriam præclarius in hunc annum incidit ea mutatione, quæ in tribus ſacris militaribus Caſtellæ ordinibus facta eſt. Multum ii milites iuuerāt Mauris ex vniuerſa Hiſpania deturbādis impio imperio euertēdo, genere & factis nobiliſſimi, ſtrenui, pugnaces. Confecto Granatenſi bello, cū parū iam terroris ab hoſte eſſet, pro gratia odiū redditū. Dolebant Reges ab eorū poteſtate Magiſtros eorū ordinum eſſe liberos, iis opibus eaque auctoritate vt Regibus formidabiles eſſent, tumultus & bella ſæpe in prouincia concitarent. Ea ſpecies facto eſt prętenta, vera an conficta non diſputamus. Certe in comitiis non lex & æquitas ſæpe valebant: ſed vis & ambitus. Itaque ab Innocentio octauo diploma eſt ablatum, quo ſublatis Magiſtris eorum ordinum adminiſtratio procuratioque omnis Regibus credebatur. Sic Garſia Padillia defuncto ante ſex ferme annos Calatrauæ Magiſtro, eius locum Ferdinandus Rex occupauit nullo amplius militum ſuffragio, vti moris erat, Magiſtro ſubſtituto. Quod exemplum ad diui Iacobi ordinem manauit hoc anno Alfonſo Cardena

eius militiæ magiſtro defuncto. Et vt finis eſſet, proximo anno à Ioanne Stunica Alcataræ Magiſtro impetratum eſt, vt eum honorem in Regis gratiam Hiſpalenſi Pontificatu mutaret. Acceſſit eidem poſt aliquot annos purpura Pontificis dono Regis auctoritate & gratia. Sic Regi tres illi ordines ceſſerunt vt dum vita maneret, eorum ditionem & opes ipſe procuraret. Alexander Pontifex ad Innocentii veniam adiecit porro in ea adminiſtratione Reginam ſociam cum iure ſuccedendi, ſi quid viro humanitus contigiſſet. Poſtremo Hadrianus ſextus in gratiam Caroli alumni, cui debebat pontificatum, ei & ſucceſſoribus conceſſit lege perpetua ius præſentandi Epiſcopos Hiſpaniæ, qui ante ad eorum ſupplicationem precario à Pontificibus Romanis inſtituebantur. Et vt eos ordines in omne tempus ipſi adminiſtrarent, liberalitas quam nulla poſteritas taceat, cuncti admirentur, nemo retrectet. Ioannis Stunicę iam Cardinalis in familiam aſcriptus fuit Antonius Nebriſſenſis immortali laude vir, eique dictionarium Latino Hiſpanum nuncupauit, eruditione & ob reſtitutam in Hiſpaniam Latinam linguam barbarie profligata promeritus vt nomen eius Hiſtoriis Hiſpaniæ inſeratur; ſed & multorum librorum editione: in quibus de belli Granatenſi & Vaſconum commentaria confecit atque reliquit, aliquanto quidem maiori diligentia & fide quam dictionis elegantia. Multis procerum funeribus hic annus inſignis fuit. Deceſſere præter Marchionem Gaditanum, & diui Iacobi Magiſtrum, Henricus Guſmanius Aſſidonię dux, Petrus Fernandus Velaſcus magiſter equitum in Caſtella. tum Petrus Henricus Bęticę Antelatus. ſucceſſere filii parentibus Aſſidonię duci Ioannes Guſmanius, Magiſtro equitum Bernardinus Velaſcus: cui nupſit Ioanna Aragonia Ferdinandi Regis filia notha. Ex hoc coniugio nulla maſcula proles ſed filia tantum Iuliana nomine ſuſcepta eſt, de qua rurſus mentio redibit.

Belli Neapolitani cauſa.

CAPVT VI.

QVieſcebat Italia viris, opibus & fama florens. Italis Principibus inter ſe & cum liberis ciuitatibus qua iunctis ſanguine, qua multiplici deuinctis fœdere. Cum repente periculoſum & graue bellum, vnde minime putabatur, exortum eſt. Neapolitana expeditione ſuſcepta qua nihil per hæc tempora illuſtrius extitit maiorique fama, Carolus octauus Gallię Rex Italicas rationes atque adeo vniuerſę Europæ tranquillitatem vehementer conturbauit: Tanti mali origines & prima initia explicare, operæpretium erit. Vrbanus ſextus Carolum Dirrachii Principem ex Hungaria euocarat olim aduerſus Ioannam Neapolitanam Reginam Clementi ſeptimo eius ęmulo, vt in nomen Pontificatus inuaderet, auctorem præcipuam, quo facto eccleſiæ pax turbata eſt vniuerſus orbis Chriſtianus ſciſſus in partes. Ludouicum illa Andegauenſem Ioannis Regis Galli minorem filium, quem opponeret aduerſario ex Gallia operę amplo præmio excitum ſucceſſorem adoptauit. Fruſtra is conatus fuit, vita & regno Regina ſpoliata. Ludouici filius item Ludouicus cum Ladislao Caroli filio Neapolitano Rege bellum geſſit, nihilo tamen meliori euentu quam pater. Nepos item Ludouicus à Martino quinto Pontifice euocatus aduerſus Ioannam Ladislai ſororem Reginam etiam Neapolitanam haud maiori quam ſuperior pudicitiæ laude, Alfonſum Aragonium Regem ea ad depellendam tempeſtatem adoptatum, deinde ob enatas ſuſpiciones reſciſſa adoptione abdicatum expulit in Hiſpaniam. Ludouico tertio ſine prole defuncto Renatus frater ſucceſſit: cum quo Alfonſus conuerſa fortuna diu bellum geſſit extincta iam Neapolitana Regina in Galliamque redire compulit. Renati filius Ioannes Lotaringius Ferdinandum Alfonſi filium bello fatigauit eo quod à proceribus Neapolitanis eſt concitatum eorum dux. Victus tamen atque ex Italia deturbatus non quieuit. Quin bello Catalaunico aduerſus Ioannem Alfonſi fratrem Regem Aragonium è rebellibus ducem præbuit: eoque Barcinone in ipſo belli ardore extincto Carolus Renato patruo ſucceſſit. Hic teſtamento hæredem ſcripſit Ludouicum vndecimum Galliæ Regem, quoniam in Renato Lotaringio Renati Andegauenſis ex filia nepote propinquo ſuo ad euertendas Aragonias opes Neapolitanũ regnum occupandũ, cuius rei prima cura erat, impares vires fore prouidebat. Belli Neapolitani hæc prima origo extitit. Acceſſit altera Galeacio duce Mediolanenſi à ſuis occiſo, vt eſt ſuperius indicatum, Ludouicus Sfortia dux Barenſis ob teneram ætatem Ioannis Galeacii, qui extincti fratris filius erat Mediolanenſis principatus procurationem arripuit apprime ſagax & cautus. Habebat is in matrimonio Beatricem Herculis Ducis Ferrarienſis ſororem

ſororem. Alfonſus quoque Calabriæ dux Ferdinandi Neapolitani Regis filius Hippolytam duxerat Sfortiam Galeacii & Ludouici ſororem : vnde Ferdinandus & Iſabella ſunt nati Ferdinando quidem auitum atque paternum regnum poſt aui fata & parentis abdicationem obuenit : Iſabella autem Ioanni Galeacio duci Mediolanenſi data eſt coniux. Hæc geminæ iam prolis mater facta, iniuriæ impatientia virili animo fœmina patri auctor extitit, vt Ludouico patruo euerſo, qui haud obſcuro ſuo quam alieno nomine dominari malebat, principem generum in maiorum opes reponeret: eam ignominiam diutius in Aragonia gente hærere nefas eſſe. Non deeſſe ciuium ſtudia cum occaſione eruptura haud dubium. tantum ſe viros eſſe oſtenderent iis maioribus ea nobilitate ſenſit Ludouicus tempeſtatem, quæ in eius caput parabatur. Ad artes conuerſo ingenio, quoniam viribus par non erat, Carolum octauum Galliæ Regem iuuenta ferocem gloriæ cupidum, in arma promptum, magnis pollicitis & certa victoris ſpe, aduerſus Neapolitanos Principes armauit. Veniſſe tempus vindicandi iniurias, quæ ab Aragoniis extabant repetendi antiqua iura nobiliſſimo principatu occupato. Eos conatus Stephanus Belcarius ei Regi in primis carus, quippe à pueritia nutritius omniumque adeo arcanorum non particeps modo, ſed moderator & arbiter, & Guillelmus Briſſonetus ærario præfectus Maclouienſis Epiſcopus homo copioſus iuuabant. Accedebant plerique Neapolitani proceres ob ſæuitiam Ferdinandi Regis extorres patria. In eo numero Antonelus & Bernardinus Sanſeuerini Salerni & Briſiniani Principes finem malis & exilio exoptantes, incenſum Regis animum quaſi nouis facibus admotis ad eam expeditionem inſtigare non deſiſtebant. Eo ardentiori ſtudio quæ in Gallia initio quamuis benigne accepti, parca deinde manu adiuti vti Comineus ait, multa ea nobilitate indigna patiebantur haud idoneis in alimenta vectigalibus datis. Ergo inopiæ malo & moræ impatientia adacti, ſeque in omnes partes verſantes, vnde ſpes aliqua proponebatur priſtinarum opum, Ferdinando item Aragonio Regi, Neapolitanum regnum obtulerunt, de alieno munifici ſcilicet vitium natalium in Neapolitano Rege accuſantes. Verum is cautior eos proceres vindictæ tantum cupiditate incitari nulla æquitatis cura intelligens, eoque continuo daturos vela vnde melior ſpes affulgeret patriæ recuperandæ & auitos principatus, eorum pollicitis ſurdas aures præbuit. Ac illud potius deliberatum habebat, quacunque ratione poſſet, ſubleuandi Neapolitanos, Regem Gallum ab eo conſilio deducere Italiæ bello vexandæ. Quod erat plane difficile, longius prouectis rebus omnibus & apparatu bellico, quam vt reſiſtere poſſent. Sic ab vtraque parte præſidia conquiſita diligenter ſunt concordiæ ſpe ſublata. Ludouicus Sfortia cæteros Italiæ principes ſibi & cum Gallo fœdere conciliare, auxilia vndique comparare. Vni Florentini ex vniuerſa Italia à Ludouici conſiliis auerſi initio quidem ab Aragoniis ſteterunt. Veneti, vti facere conſueuerunt, quorſum eæ molitiones euaderent expectare decreuerunt belli ſpectatores potius quam pars, ex euentu conſilium capere vt res ſe darent. Alexander Pontifex, tametſi initio ſe auerſum ab Aragoniis oſtendit, mox ſpe facta filios in Neapolitano regno nouis principatibus augendi, ad hæc annua ipſi penſione promiſſa, mutata voluntate ad eos inclinare conſtituit, vnde maiora beneficia extabant proxima ſpes oſtendebatur maioris vtilitatis. Honeſtatem reſpexiſſe non arbitror. Ipſi Neapolitani principes haudquaquam ſe in periculo deſeruere quos poterant omnes ad communicandas opes ſolicitarunt communi patriæ opitulandum. Excitato ſimul incendio cunctorum opes arſuras. Ac in primis ad Ferdinandum Aragonium legarunt, qui eorum nomine omnibus precibus patrocinium imploraret. Debere eum & patruelis & regis & ſororii periculo moueri, eiuſque calamitatem ſuam ducere. Quod ſi iura propinquitatis & amicitiæ parum valerent, Siculis ſaltem rationibus moueretur, quæ Neapolitano principatu à Gallis euerſo in manifeſtum periculum veniebant. Rebus integris ſuccurreret, perditis inanem, certe intempeſtiuam opem fore. Cupiebat Ferdinandus Aragonios principes propinquos & neceſſarios periculo eripere, vera eſſe, quæ prædicabant, non ignorabat, memoria tamen recentis fœderis & ſacramenti religione detinebatur, ne in Gallum arma ſumeret. Ac in præſenti ſatis habuit Garſiam Laſſum prudentia iuxta & nobilitate virum conſpicuum, facundum, callidum, audacem Romam legare, qui Pontificem in voluntate & ſententia confirmaret tegendi Neapolitanos. Simul Alfonſum Siluam Cifontani fratrem, Calatrauæ Clauigerum miſit in Galliam, vt eum Regem à conſilio inuadendi Neapolim deduceret: ſin minus admoneret principum eorum res ſibi curæ fore, conſanguinitatis & neceſſitudinum, quæ cum iis erant

iura postulare, ne iniuria opprimi pateretur. Hæc omnia ineunte salutis anno M.
1494. cccc xciv. gesta sunt. Quo tempore Ferdinandus & Isabella reges qui eatenus in Aragonia substiterant, Cæsaraugusta profecti Tordesillam abierunt. Inde Vallisoletum & Medinam Campestrem. In eo municipio est allatum Ferdinandum Regem Neapolitanum obiisse diem. Decessit ad octauum kalendas Februarii annis grauis de belli euentu solicitus & periculo, quod ingenii ipse sæuitia fecerat. Eo felix tamen vt in malis quod regni paulo ante sua & patris industria florentissimi euersas opes non vidit. Opportuna mors exitio domus eripuit. Successit Alfonsus extincti filius ciuibus nihilo gratior quam pater. Coronam capiti imposuit Ioannes Borgia Cardinalis ab auunculo Pontifice ea caussa Neapolim legatus. Castellę item Regibus ab Alexandro Pontifice exemplo maiorum datum est, vt decumarum ecclesiasticarum tertiam non modo in Castella & Legione, sed etiam in nouo Granatensi regno verterent in vsus belli Maurici. Tordesillæ magna contentione viri delecti fines vtriusque nauigationis Indicæ designabant occiduę & ad orientem. Consensu tandem ad septimum Idus Iunii decretum est, vt triginta sex gradus vltra Olisiponis meridianum nauigatio occidua Castellæ, inde etiam Lusitanica sed versus orientem inchoaretur. Et quoniam de Africa haud multo minor inter eos Reges disceptatio erat: per idem tempus vt Pluthense regnum Lusitanis armis cederet, Tremesenium Castellæ conquisitionis haberetur constitutum est spaciis ad vtrumq; mare Mediterraneum & Oceanum extensum nulla designatione tunc limitum accuratiori, vnde nouæ controuersiæ deinde extiterunt.

Rex Galliæ Neapolitanum regnum occupauit.

Capvt VII.

Ingenti delectu Rex Gallus vires imperii & copias vniuersas in vnum conferre, certus in Italiam primo quoque tempore transmittere belli dux. Apparatui vniuerso sedes Lugdunum delecta est ciuitas ampla lautaque. Alpes vicinæ qua transitus erat infesto rigore & æternis pressæ niuibus in cęlum surgentes. Eo Iulianus Ruuereus Cardinalis sancti Petri ostia digressus vbi se tenuerat infensi metu Pontificis accurrit expeditionis instigator & particeps. Contra Alfonsus Silua, vti erat iussum, eum Regem obtestari quotidiano conuitio, vti desisteret tranquillum Italię statum solicitare, quod nationes alias in partes traheret. Intempestiuæ eę voces accidebant atque auribus ingratę in eum statum perductę, vnde regredi sine ignominia non licet. Itaque Rex Gallus Petro Borbonio sororio suo in Gallia relicto, qui rebus se absente pręesset, ex ea vrbe cum copiis omnibus mouit die Martis ad decimum kalendas Iulii. sequebatur Regem Galliæ nobilitas vniuersa viginti millia pedites, equites ad quinque millia inuictum copiarum robur. Pecunia in stipendium quærenda erat, mutua à proceribus sumpta: à Genuensi mensario prætereà centum quinquaginta Francorum millia. Sed quantulum id erat tanto bello perficiendo; cælestes quibus fauent, iis omnia prona faciunt, ardua aduersariis sicut in pręsenti accidit. Alfonsus Neapolitanus rex ad occupandos Galli conatus, bellumque procul à finibus remouendum classe valida instructa misit Fridericum fratrem in Ligures, vt Genuensium ditionem & littora vastaret: eamque vrbem deduceret à Ludouici Sfortię hostis imperio. Simul Ferdinandum filium Calabriæ ducem magnę spei iuuenem cum validis copiis terra misit, vt Mediolanenses fines inuaderet bello illato. Prudenter destinata vis altior euertit. Fridericus mari parum præstitit. post Macram amnem quo ab Hetruria Ligures dirimuntur, gemini deinceps sinus neque vasti neque angusti panduntur. Ac in priori quidem Ericis portus occurrit nunc Lerice, exaduersum Lunæ seu Veneris tum promontorium tum portus ab insula quondam Veneri sacra proxime obiecta ea appellatione desumpta. In medio sinu Spedia est ad mare generoso vino nobile oppidum. Posterioris sinus ad fines extremos inde vrbs Segesta Tiguliorum est, hinc Delphini portus, nunc Portofinus. In sinus dorso Rapallū Genua viginti non amplius millib. iacet parum ea tempestate munitum oppidum. Classe Fridericus in ea littora delatus tentato frustra Veneris portu, inde repulsus Rapallum cepit. Diuturna possessio non fuit. Genuensium & Heluetiorum accursu receptum est oppidum, atque præsidiariis male mulctatis, retro se cum ignominia damnoque Neapolitana classis retulit. Sic mari res erant. Terra Ferdinandum Calabriæ ducem Gallię & Mediolanenses copiæ Obenigno ductore pręcipuo obuiam factę, ne vltra Flaminiam procederet, ac vero vt retro flecteret iter, coegerunt. Romam abiit si quid opis in Pontifice esset aduersus

verſus imminentem vndique tempeſtatem. Rex Gallus continuato itinere ſuperatis Alpium Coctiarum iugis Aſtam tandem peruenit ad quintum Idus Septembris. Ea vrbs Aurelianenſis ditione tenebatur. Regem cum cæteris ad id bellum ſecuti, certa ſpe totius Mediolanenſis principatus occupandi iniuria vti præ ſe ferebat, ab Sforciis occupati vindicaturus, ſi qua ſe rebus turbatis occaſio daret. noua ex eo tela diſſenſionum texebatur. In eo exercitu legatus Hiſpanus profecto malignis oculis viſebatur. Multa indigna perſona, quam gerebat, pati porro neceſſe erat, quæ vir prudens alta diſſimulatione deuorabat, dum ne officio deeſſet. Eo tamen Galli ardenti ingenio gens ſunt progreſſi, vt Vienæ diſcedere è Gallia iuberent. Aſtæ etiam nullum regii metatores hoſpitium deſignarent. Sic neceſſario ex ea vrbe profectus Genuam abiit Liguriæ caput. Tædere iam Ludouicum Sfortiam cæperat conſilii ſuſcepti Gallos in Italiam pertrahendi communi incendio ne ipſe quoque inuolueretur veritus non ſine cauſa. Cum eo Alfonſus Silua per litteras egit, vt rupto Gallico fędere ad Aragonias partes fæduſque tranſiret. Suadere facile fuit tum mutanti cum ſpe iniecta regiæ affinitatis Ferdinandi regis filia illius filio maiori iuncta coniugio. Honeſtiſſima is conditione illectus viro alioqui animo vaſtus & immodicus ex eo tempore mutare conſtituit. Aſtam tamen ſe contulit ob Regis Galli aduentum ſimulata lętitia pectore anxio: eique pecuniam in ſtipendium militare continuo numerauit ex fędere certe debitam. Eo ſubſidio Gallus & Ludouico Aurelianenſi Aſtæ relicto ad ſpem occupandi vniuerſum principatum Mediolanenſem cui imminebat, cum copiis Ticinum caſtra promouit. In ea vrbe Ioannem Galleacium ducis Mediolanenſis nomen & vmbram agentem animam ex diuturno morbo tabeque inuiſit, officium humanitati debitum & propinquitati; quippe è duabus ſororibus Ludouico Duce Sabaudo genitis erant nati. Rege Placentiam verſus digreſſo dux deceſſit ad duodecimum kalendas Nouembris lento, vti creditum eſt & multa teſtabantur ſigna veneno ſenſim venis illapſo conſumptis vitalibus. Quæ fama ſeu vera ſeu falſa extitit, in ſanum quantam Ludouico patruo inuidiam conciliauit, ad arreptum principatum vitam quoque crudeliter abſtuliſſe cunctis videlicet deteſtantibus. Ipſo die, quo is Princeps defunctus eſt, Placentiam Rex Gallus peruenit, deducente Ludouico Sforcia honori id datum. Ex ea vrbe cognita ducis morte continuo Mediolanum aduolauit: ſeque eius verbis ducem dixit ſolemni ceremonia plauſuque gentis in adulationem Principum pronæ. Tametſi defunctus princeps quinquennem filium reliquerat Franciſcum nomine in ſpem aucti principatus ſuſceptum duas filias, præterea vxorem prægnantem. Diram dominandi cupiditatem, quæ omnia humanitatis & modeſtiæ iura ſubuertis nulla famæ memoria, nulla honeſtatis. Quin eodem die tum ad alios tum ad Alfonſum Neapolitanum Regem litteras dedit; quibus generi principis obitum renunciabat. Se ſumma procerum & populi voluntate pro eo ducem ſalutatum. Non dubitare id ipſi gratum fore haud ignaro qua voluntate & ſtudio eius ſalutem, atque totius regni incolumitatem eſſet curaturus. Ludibrium ipſa iniuria multo triſtius. Sic ludunt homines callidi in aliena calamitate. Placentia Gallus in Hetruriam abiit. Confluebant vndique legati de aduentu in Italiam gratulatum, amicitiam & pacem oratum. Ante alios Veneti ſuos oratores deſtinarunt, maieſtati debitum officium. Senenſis etiam Cardinalis à Pontifice legatus Piſas appulit, ſed Regis conueniendi denegata facultate propter auunculi Pontificis memoriam quondam ad Aragonios propenſi irrita legatione diſceſſit. Florentini ſenatus princeps Petrus Medices obuiam Gallo progreſſus, à quo ſe auerſum oſtenderat, eius promerendi placandique pręcipiti cupiditate arces quinque firmiſſimas tradidit in Apenini iugis. Eæ fuerunt Sereſana, Sereſanola, & Petra ſancta olim fanum Feroniæ. præterea Piſana & quinta Liburni prope Arni fluminis oſtium, qua parte mittit in mare Mediterraneum, Labronæ olim ſtatio; tanta ex ea re indignatione populi Florentini, præſertim cum demandatę poteſtatis fines eſſet prætergreſſus, & maiorum modeſtiæ oblitus videretur moribus aliis, vt eo & fratribus Ioanne Cardinali & Iuliano exilio mulctatis ædes etiam diripuerint, gemmas, veſtem pretioſam, aurum, argentum, immenſas opes multos congeſtas per annos: quæ auferri non poterant, publicarint. Piſis Rex aliquot dies ſubſtitit: vrbe quondam cum opum amplitudine, tum rei naualis gloria inter cæteros Italiæ populos clariſſima: eorumque ciuium precibus libertatem dedit à Florentinorum imperio. Quantas ea indulgentia calamitates afferret, quantas clades, populo velut ex diutina ſiti nimis auide hauriente liber-

tatem? Sic vota hominum in contrarium vertuntur. Inde digreſſus Florentiam iniit, quo die Picus Mirandula in ea deceſſit è vita quatuor & triginta natus annos rarum ingenii atque eruditionis lumen, Phœnicis ex eo cognomen conſecutus. Actum cum Florentinis ciuibus de fœdere. Conuenit inter eos vti peracto bello Rex arces redderet, neque Mediceos vnquam reſtitueret in patriam. In ſtipendium ciues publice centum & viginti florenorum millia numerarent. ęſtuabat Roma inter metum & ſpem ſuſpenſis omnium animis. Cardinales & proceres ſtudiis diſcrepabant. Gallicas partes Columnii ſequebantur Proſper & Fabricius: Neapolitanas cum familia Virginius Vrſinus homo præpotens & factioſus. Columnii adiuncto Aſcanio Sfortia Cardinali Oſtiam occupauerant: prohibitisque ex mari ſubiectionibus, vnde plurimum Roma alitur, non ſecus ac ſi hoſtis pro portis eſſet anguſtia annonæ erat. Perſuaſum vulgo Pontifici decretum eſſe cum Gallo paciſci, aut ſi minus id contingeret vrbe deſerta migrare alio. Ea noua turbarum populo occaſio extitit. Pontifex ad pellendum eum metum ſedandumque tumultum in conuentu publico Cardinalibus & nobilitati obteſtatur: ſibi ſtare ſententiam in ea controuerſia, cauſę æquitatem ſectari nulla perſonarum ratione habita. quod ſi Gallus in vrbem irrumperet, omnibus viribus obſiſtere: ac vero ſi res ferrent ſanguinem pro officio vitamque profundere. Magnificis promiſſis parum mouebatur populus, obſtabat metus. alii ſuper alios aduentare Regem iamque affore nunciabant. Pontificiæ ditionis oppida indies à Gallicis copiis occupari. Itaque Pontifex ipſe, neque ſuis neque Neapolitanis viribus parem ſe fore hoſti prævalido confidens, ex vrbe dimiſſo Ferdinando Calabrię duce, qui in ſuburbio tendebat cum copiis rebus præſidium, in molem Hadriani firmiſſimam arcem ſe recepit. Ne ludibrio ſacroſancta maieſtas in ea colluuione eſſet, prouidebatur. Denique Rex cum omnibus copiis Flumentana porta Romam iniit pridie kalendas Ianuarii ineunte anno M. CCCC. XCV. inter ingentes populi
1495. plauſus, fauſtasque voces & certantia multitudinis vota, ſed & Cardinales quidam eius aduentum haud obſcuris lætitiæ ſignis concelebrarunt, ſic ad diui Marci deductus eſt ex lapidibus amphitheatri à Paulo ſecundo Pontifice conſtitutum palatium elegantia viſendum & amplitudine. Hæc Romæ. In Hiſpaniæ vrbe Caraca Petrus Gonſaluus Mendoza Cardinalis obiit tertio Idus Ianuarii vir pari nobilitate & prudentia republica adminiſtranda magna per totam vitam auctoritate. Cupiditatibus non ſatis imperauit inter obſequia fortunę, contra quam non ſatis cauſa eſt humana imbecillitas. Vacuam eius obitu Toletanam eccleſiam Franciſcus Semenus Ciſnerius è Franciſcano ordine tenuit maiori ſpiritu vir, quam pro humili fortuna, in qua natus atque educatus eſt. In omne argumentum ſanctimoniæ grauitatisque compoſitus: atque eo tempore Reginæ Iſabellę à confeſſionibus. Acceſſit deinde purpuræ rebus geſtis & pro meritis debitus honos. Magnum rex Gallus ſuo in vrbem aduentu terrorem commouerat. Actum de fędere inter eum & Pontificem. Annitentibus viris primariis ſancitur; vti Valentię Cardinalis regia caſtra ſequeretur obſidis loco legati nomine. Gemes Turcę frater in eius poteſtatem traderetur idoneus rebus in Oriente turbandis, quoniam de bello Turcico cogitabant Galli. Præterea arces vrbis veteris Terracinę & Spoleti dum bellum maneret. Quo confecto non eas modo reſtitueret Rex ſed etiam Oſtiam; ac vero Pontificem pręſens veneraretur obſequiumque de more deferret, vti paulo poſt fecit ad D. Petri. Multum contulit ad fęderis conditiones conſtituendas purpura per eos dies Briſſoneto Epiſcopo Maclouienſi à Pontifice data. Fœdere facto Gallus ad quintum kalendas Februarii Roma diſceſſit petiturus Neapolim. Copiarum pars in Præcutinos Aprutiumque miſſa eſt ductore præcipuo Fabricio Columna. Ibi omnia prona fuere vrbs Aquila eo tractu multaque alia oppida vltro in Gallicam ditionem venere. Interea Ferdinandus Rex cognitis rebus quæ in Italia gerebantur, Gallum aduerſus Neapolitanos principes feſtinare, ac pro eo ſtudio Pontificis maieſtatem contemptui habitam, Gallicis conatibus obſiſtere palam conſtituit: atque in eam rem Ocania, vbi fine ſuperioris anni ſe tenebat, Antonium Fonſecam & Ioannem Albionem in Italiam extruſit, qui Gallo eius verbis obteſtarentur ne Pontifici grauis exiſteret, neue eius ditioni bellum inferret; alioqui, vti in ſuperiori fœdere exceptum erat, eccleſię incolumitatem ſibi curæ fore. videret ne præpoſteris actionibus ſuperûm iram, hominum inuidiam commoueret. Impios conatus triſti ſæpe exitu terminari. Simul Triuenti Comitem eius claſſis ducem deſignauit, quam ad Illicis littus paratam inſtructamque habebat. Gonſaluum item Fernandum à Corduba virum ſtrenuum, quātum ducem bre-

breui futurum, quingentis equitib. præfecit, quos Neapolitano Regi auxiliares mittere deſtinabat, non minori Siciliæ cura. Legati quidem Romam peruenerunt ipſo die quo Gallus ex ea vrbe diſceſſit. Nec mora communicato cum Pontifice conſilio feſtinatoq; itinere Regem cõſecuti, in agro litteras dederunt ſuæ legationis teſtes. Monuerunt ſubinde ne vlterius progrederetur, priuſquã eccleſię Romanæ ac pontifici ſatisfaceret. Ea legatione eaque denunciatione & audacia turbatus Gallus reſpondit tamen Velitris, quo eo die perueniendum erat, dicendi quæ vellent fore poteſtatem. In eo oppido dato procerum ſenatu coram, pluribus verbis expoſuerunt mandata. Eorum ſumma erat de iniuria Pontifici facta expoſtulare. Obteſtari ſimul ne arma Neapolitanis finibus inferret, priuſquam iudicio vinceret aduerſarios, ſeque iure potiorem eſſe confirmaret. Vim intempeſtiue intentare, æquum non videri. Multis vltro citroque verbis conſumptis multisque ab vtraque parte iactatis in alteros probris & querimoniis qua veris qua falſis, Gallus tandem reſponſum dedit vlterius eſſe in ea expeditione progreſſum, quam vt retractare liceret: bello peracto non recuſare de iure cum aduerſariis certamen. Verba ea erant rebus vacua: quis enim Gallos crederet nobiliſſimi regni poſſeſſionem iudicum arbitrio permiſſuros; quis de victorię fructu legibus diſceptaturos aliquando? Ergo Antonius Fonſeca. Quando inquit, ô Rex æquiſſimis poſtulatis obtemperare detrectas, & vim admouere ac metum paras, armis & viribus ferox, Deus innocentiæ vindex omnis inſolentiæ inimicus; huius controuerſię iudex eſto: eius arbitrio atque patrocinio rem totam permittimus. Rex enim vero noſter hac denunciatione ſin minus cęteris, ſuæ certe conſcientiæ ſatisfecit, vt deinde liberata fide ſuis viribus & copiis in eam partem ſedet, quam æquiorem iudicabit. Hæc dixit: ſimul coram rege & proceribus, qui in conuentu aderant, initi antea fœderis tabulas lacerauit. Audax facinus imprimis, neque ferenda Gallis contumelia viſa eſt: ne tamen violaretur ius gentium valuit. Romam dimitti placuit. Hæc legatio quamuis re nulla impetrata pro qua erat ſuſcepta vana prorſus non extitit. Pontifex enim confirmato erectoque ex eo ad meliorem ſpem animo, dignitatis memor decreuit icti nuper cum Gallis fœderis conditionibus haudquaquã ſtare. Ipſe etiam Valentiæ Cardinalis proxima nocte minus intentis in eius cuſtodiam Gallis diſſimulato habitu Velitris egreſſus non prius conſtitit, quam Spoletum ventum eſt firmam Pontificiæ ditionis in Vmbria vrbem. Romam conſulto vitauit, ne voluntate Pontificis aufugiſſe videlicet è caſtris crederetur.

Rex Gallus Neapolim ingreditur. CAPVT VIII.

IPſo tempore quo Rex Gallus Romæ morabatur, Alfonſus Neapolitanus defenſionis & victorię ſpe penitus abiecta, de eo imperio abdicando, nondum integro anno euoluto à patris obitu, ſerio cogitabat. Eo conſilio Ferdinando filio è caſtris euocato atque in procerum conuentu hac ſententia locutus fertur. Quo in ſtatu res noſtræ ſint, viri nobiles mecum pariter conſideratis. Hoſtis ferox & validus pro portis. Noſtri in fide parum conſtantes. Haud maiori celeritate Galli irrumpunt, quam prouinciales deditionem faciunt: vrbes & oppida in eorum tradunt poteſtatem vexillis hoſtium paſſim ſublatis. Auxilia externa longinqua: & qui opem maxime afferre debuiſſent, hos noſtra calamitas, periculum, & ignominia parum mouent. Hoſtes amicosve incuſare eius eſt, qui viuere & regnare velit. Plura dicere argumentum ignauiæ. Meis delictis irã cæleſtẽ irritatã fateor: qui deliquit pœnas is dato iuſtiſſimas morte, ignominia, omnibus malis. His ſuppliciis ſi placantur numina, ſi expiantur noxę, ſatis habeam. Vitę fines pręſcribere non licet: neque vero ex hac veluti cuſtodia migrare Dei iniuſſu: qui pro voluntate viuendi ſpatia reſtringit & laxat. Quod meum eſt tamen, hanc coronam regiam qua ſum indignus, hoc ſceptrum pono. peccatorum hoc piaculum eſto. Alii diutius hoc imperium tenuerint: nemo libentius reliquerit nemo fortius. Filium tamen pro me (qua ſpe quibus virtutibus & prudentia:) Regem in poſterum iubeo haud iniqua permutatione pro ſene & valetudinario, florenti ętate iuuenem, corpore firmo, inuicto animo. Quam cuperem vti eo in ſtatu res noſtrę eſſent, quo orbi terrarum probarem quanti facerem ea, quæ prima ad felicitatem putantur. Sed quando eam animi magnitudinem oſtentare non licet: certe non erit minoris prudentiæ cedere neceſſitati, cuius inuictæ ſunt vires. Hinc poſteritas de noſtro ingenio ſtatuat. Neque enim ſemper prudens nauclerus fœda procella inflatis fluctibus obſiſtit. Sed demiſſa antenna verſaque in obliquũ naui expectat dũ ventorum violentia tranſacta pelagi ſęuitia

componatur. Hæc noſtra ſententia eſt, certaque voluntas. & quando patriæ chariſſimę præſidio eſſe in periculo non poſſum, quod inſtar mortis eſt, ea relicta in exilium abire deliberatum habeo. Regni equidem paulo ante florentis atque domus noſtrę ruinam non videbo: fortaſſis etiam hoc quaſi ſacrificio Deum placabo vindicta vt leuior ſit, hominum miſericordiam commouebo, vt maiori animo in noſtræ cauſſę patrocinium incumbant. Vobis, qui pręſentes eſtis, quique abſunt, obſequium erga nouum Regem cõmendare, ſuperuacaneum fore arbitror: ne ipſi quidem pręcipere vt ciues omni comitate & beneuolentia complectatur, veſtriſque meritis magnis, & perpetuis debitam gratiam rependat. Hęc abdicationis cęremonia in Oui arce peracta eſt ad decimum kalendas Februarii tranſlati imperii tabulas dictante Iouiano Pontano. Mox Alfonſus domeſtica ſupellectile, quæ erat pretioſiſſima, in naues impoſita in Siciliam conceſſit ſtatuēs Mazarę, Ioannæ nouercę dotalis, amæni & tranquilli ſeceſſus vrbe melioribus ſtudiis vitę reliquum exigere veſte in ſacerdotis formam mutata. Litteras ad principes dedit, quibus ſui facti rationem explicabat: ac nominatim ad Ferdinandum regem perſcripſit imbecilla valetudine compulſum vitam principalem abdicaſſe, ac vero voti religione ſe quondam id facturum implicaſſe, qua conſcientiam exoluere æquum erat, ac prorſus neceſſariam. Sic ille credi voluit. Propius tamen vero eſt, odium popularium ſuſtinere in eo rerum diſcrimine non potuiſſe: filiumque cogitaſſe, quod apprime gratus ciuibus eſſet ad bellum defendendum fore commmodiorem. Seroq; intellexit principum opes beneuolentia ſuorum quam ferro ſatellitum eſſe tutiores. Obiit Alfonſus non toto circumacto anno ex quo regni procurationem depoſuit domeſtica procella iam magna ex parte mitigata. Corpus Meſſanę ad dextram arę in templo eius vrbis primario poſitum eſt cum inſcriptione ſubiecta tum eleganti tum acuta:

Alfonſum Libitina diu fugis arma gerentem.
Nunc poſitis (quæ nam gloria!) fraude necas.

Nouus rex cum primum regnum arripuit per plateas vrbis circumductus gratum populo ſpectaculum prębuit. Quacunque incedebat pompa, multa veſtis pretioſa viſebatur, multa odoramenta ſpirabant, fauſtæ perſonabāt voces felix diuturnumq; imperium comprecantium. Leui momento populi gratia circumagitur. tantundem intra paucos dies pro hoſte fecere. Ferdinādus ſane delatum regnum à grato initio auſpicari cupiens vinctis magno numero è plebe atque nobilitate dedit continuo libertatem. Eius benignitatis expertes tantum fuerunt Marini Martiani filius Ioannes Baptiſta Roſani princeps, Sueſſæ Dux, & populi Comes in cuſtodia quamuis diu ſeruati, ex quo procerum bellum profligatum fuit, quippe Aragoniæ genti ad inſaniam infenſi. Celebritate peracta ex vrbe Rex ad diui Germani fanum abiit totius prouincię clauſtra occupatum & montium coeuntium fauces in Caſſinati agro, qua Gallis tranſitus erat: vbi Neapolitano copię tendebant arcendis Gallis intentæ: quoniam id oppidum ad confines Neapolitanos & pontificię ditionis eſt poſitum. Verum cognito capta Aquila Gallos in Campaniam deflectere, ne a tergo & à fronte circumuenirentur; neceſſario è Caſſinati ſaltu Capuam ſe recepere vrbem operibus & militari præſidio firmatam. Cum copiis Gallus ad ſanctum Germanum applicuit, vim afferre niſi vltro deditionem facerent paratus. Sic ciues defenſione deſperata portas aperuerunt. Promotis Gallicis inde caſtris maiori quamuis difficultate Capua in poteſtatem venit. Triuuleius Mediolanenſis patria dux ſtrenuus Neapolitanis deſertis ad Gallicas partes, vnde melior ſpes affulgere videbatur; modica fidei cura traductus præcipuus deditionis auctor extitit. Abſceſſerat Ferdinandus rex à Friderico patruo quem rebus præfecerat Neapolim ad tumultum ciuium pacandum turbulenta conſilia de ea vrbe dedenda agitantium euocatus. Virginius Vrſinus & Petilianus eximii copiarum ducęs amiſſa Capua intra Nolam quo ſe ex fuga receperunt, capti ſunt. Earum vrbium amiſſarum fama cum peruaſiſſet omnia repente ad Gallos inclinarunt. ipſa etiam vrbs Neapolis regni caput, nemine obſiſtere auſo ac vero incredibili populi plauſu victorem intra portas admiſit ad octauum kalendas Martii. alium crederes populū, aliū ſenatū, tanta leuitate vniuerſi circumacti ſunt nullo iudicio ſed ſuſcepto more quemcunque principem adulandi clamore ſtudioque inani. In eam vrbem ingreſſo Rege Gallo, aut vt alii malunt Capuæ dum morabatur Comes Baiazeti Turcarum imperatoris frater deceſſit. Nouus rex vix prima dominandi dulcedine delibata, vrbe deſerta conſilii inops à pleriſque deſertus ad arcis nouæ præſidiū confugit, vbi Ioanna regina cum filia eiuſdē nominis erat; Fridericus patruus aliiq; proceres cōuenere haud exiguo numero fidē & officium victoris gratia potiora arbitrati. Quod in ea rerum colluuione pro miraculo erat. Ex ea arce in alteram ſe contulit, ab Ouo dictā, rupi impoſitā mari

mari omni ex parte circumfluo, eoque firmiſſimam triremibus, quas paratas habebat, in Ænariam inſulam traiicere, & ſi res ferrent, in Siciliam diſcedere deſtinans breui ſperās rerum conuerſionem fore, quod rerum humanarum incōſtantia & vtriuſque gentis ingenia non lingua magis quam moribus diſcrepantium ſuadebant. Tametſi res Gallicæ abſque vlla offenſione proſperum curſum hactenus tenuere: atque ita vt intra non totos quindecim dies vniuerſi regni vrbes & arces, quam late ditionis Neapolitanæ fines patet, victoris fortunam ſecutæ fuerint. Ipſas etiam Neapolitanas arces Germani duces cuſtodiæ præfecti, ô homines venales, pretio prodiderunt ad turpia ſeu honeſta iuxta leues. Caietanam arcem vi Galli admota cæperunt, in paucis quamuis firmiſſimam: inerantq; milites & prouiſi antea commeatus. Pauca tantum in Brutiis oppida in fide priſtina perſtiterunt. Sed quantulum id erat? Ea quoque indies carpebantur nulla ſpe à ſuo Rege nullis auxiliis. Is ſe ad Ænariam tenebat, rebus perditis nō præſidium, ſed magis acceptæ ignominiæ deformis tum ſpectator tum teſtis, quanto animi cum motu dicere non eſt neceſſe. Rhegium denique victoribus ceſſit exaduerſum quamuis Meſſanæ poſita in oculis claſſis Hiſpanicæ nulla à ſuo Rege allata agendi facultate prorſus inutilis in periculo. Ex diſtantibus locis præcepta ſæpe & conſilia poſt res afferuntur. Sic nobiliſſima prouincia puncto temporis Gallicæ ditionis facta eſt: vix vt credam adeo celerem & facilem rerum conuerſionem in vlla gente ab omni memoria contigiſſe.

Fœdus Principum contra Regem Gallum. CAPVT IX.

POſtquam ad Neapolim Gallis ferme omnia ceſſerunt, cæteri principes tum Itali tum externi reputare ſecum atque inter ipſos communicare cæperunt, quam graue eſſet eius gentis imperium futurum, ſi diu in Italia inueteraſſet. Ferdinandus Rex Hiſpanus proximus periculo videbatur Gallis confecto Neapolitano bello de Sicilia, vti fama erat, cogitantibus auctore & impulſore Salernitano è numero Neapolitanorum exulum maxime infenſo nomini & genti Aragoniæ. Cupiditas præterea dominandi vltro incitabat cunctis affectibus flagrantior, tetrum malum, neque vllis reſiſtens finibus. Ergo Ferdinandus Rex alios principes de iungendis contra Gallum viribus vltro appellare, vt cui pares ſinguli non erant, communicatis opibus ſuperiores euaderent. In mutua ſocietate certiſſimum rebus fore præſidium. Eo Laurentium Suarium Figneroam ad Venetos legarat, recenſque Ioannem Dezam ad Ludouicum Mediolanenſem dimiſit alliciendum non ſpe modo regiæ affinitatis, de qua iam actum erat, ſed etiam regni totius Galliæ Ciſalpinæ. quæ voces ambitioſi hominis auribus gratiſſimæ accidebant. In id fœdus facile Maximilianum Cæſarem & Anglum acceſſuros ſperabat: quos ſibi affinitate deuincire cogitabat: ac in primis Ioannē principē & Ioannā filios permutatis nuptiis Philippo Archiduci & Margaritæ ſorori coniuges dare. Quæ coniugia ante agitata, Franciſci Rogii opera ad Belgas ideo profecti tandem pacta ſunt. In belli ſumptus, quod difficile & diuturnum fore prouidebatur, pecunia quærenda erat. Eo ſtudio in Aragonia gentis conuentus ſunt indicti: quibus Rex Catharinam filiam præficere cogitabat; & cum id non eſſet impetratum agente veteris moris tenaci. ipſemet neceſſario in eam prouinciam ad conuentum habendum conceſſit. Tantæ molitiones arcanis quamuis conſiliis agitatæ, irritæ non fuerunt. Venetiis, quo legati Principum conuenerunt, exeunte menſe Martio inter Pontificem, Cæſarem, Regem Aragonium, Venetos & Mediolanenſes armorum ſocietas eſt conſtituta, quam ſanctiſſimam dixere. Pactionis ſumma capita erant. Vt viginti quinque annorum ſpatio communi impenſa pro facultate cuiuſque ſociorum & copia collatis viribus triginta quatuor millia pedites, equites viginti octo millia ſub ſignis omnes haberent. Ingens numerus, opinione atque ſpe maior Eccleſiæ libertatis tuendæ, qua reipubl. firmamentum continetur, ſpecies erat: atque à ſingulorum finibus iniuriam prohibendi. Re Gallos vniuerſa Italia deturbare ſatagebant par modo votis ſucceſſus contingeret. Arcanis hæc tractata conuentibus mirum eſt in tanta multitudine de fœdere diſceptantium non erupiſſe. Omnino Philippus Comineus prudentia & vſu rerum præſtans Venetiis pro Gallo Rege legatus eo tempore, nihil eorum quæ agebantur odoratus, fœderis præter opinionem facti cauſas ex Auguſtino Barbadico Veneto Duce audiens, quaſi repente conſternata mente rogauit ſuo ne Regi foret reditus in Galliam facultas! Magna ex hoc tempore rerum immutatio facta eſt, magna conuerſio. Neapolitanos Gallici imperii tædere iam cæperat ſuæque leuitatis. Frequentibus contumeliis victores morumque inſolentia & linguæ procacitate grauiſſimum odium in animis popularium commouerant: plerique etiam iniuria bonis

euerſi finem malis exoptabant proni in vindictam, cum nullam opem à principe expectarent. Dux quoque Mediolanenſis recens Nouaria ab Aurelianenſi intercepta & ad reliquam ditionem haud obſcure aſpiranti de imperii ſumma dubitare cogebatur. Gallo præſertim claſſe ſua Genuam occupare cogitanti, vti idoneis auctoribus fama vulgabat. Ita in periculo ad Venetos confugere habuit neceſſe & omnibus precibus eorum opem implorare. Contra Gallus tempeſtate prouiſa, quæ eius capiti minabatur, & patriæ deſiderio ne reditu prohiberetur, Italia relicta eo continuo proficiſci maturauit. Prius autem quam ſe in viam daret duces alios per vrbes & prouincias diſtribuit, ac Obenignum imprimis Magiſtrum equitum dictum Brutiis præfecit, Lucanis Perſinum Alegrii fratrem, Gilbertum autem Mompenſerium regia nobilitate deſignauit; qui cum copiarum parte rebus præeſſet Neapoli ſumma bello paceque decernendi credita poteſtate. Simul à Pontifice poſtulauit per legatos, vt ſibi more maiorum poſſeſſionem parti imperii pontificio decreto & diplomate confirmaret. Ea ſumma votorum erat. Et quoniam de repetenda Gallia cogitaret, cupere oppido, Roma bona eius venia repetita coram de rebus magnis conſilia communicare. Colloquendi Pontifici idoneum tempus non eſt viſum Romanis Gallici nominis odio adeo incenſis, vt colloqui ſine tumultu non poſſent. Neapolitanum imperium cuiquam addicere niſi cauſa iudicum prius arbitrio diiudicata æquum non erat. In eam ſententiam reſponſum eſt datum, Gallo minime gratum non certamen iuris quærenti ſed vim. Eo amplius profectionem vrgere inſtitit. Diſceſſit Neapoli ad tertium decimum Kalendas Iunii Romam iniit ipſis Iunii Kalendis. In ea vrbe pontificem non inuenit Peruſiam elapſum metu ne itinerum maieſtas in tanta rerum colluuione eſſet ludibrio. Ex vrbe breui profectus Rex, & Senis aliquandiu moratus vitata Florentia Piſas peruenit. Eam vrbem Florentinis contendentibus vti ad eorum ditionem reuocaret, in eoque fidem ante datam liberaret, contra Piſanis cum lachrymis obteſtantibus vt datum beneficium tueretur, neque nobiliſſimam ciuitatem pateretur ad ſeruituti proximam conditionem redire, duriſſima premi tyrannide: in neutram partem ſentētia pronunciata diſceſſit in Inſubres miſſis tamen prius Fregoſiis qui factionis opibus Genuæ & totius Liguriǫ imperium Mediolanenſi detraherent. Qui conatus fruſtra fuit. Regi ad Tarri ripam progreſſo occurrit cum copiis Franciſcus Mantuanus Marchio à Venetis delectus copiarum dux. Ex Apenini iugis dilapſus amnis præceps inter ſaxa inęquali alueo delatus patentibus demum campis in Padum euoluitur. Recuſabat pugnam Gallus non ignarus imminutum ſuorum militum numerū: ac ſecum Aurelianenſi coniungere cupiebat imprimis, modo ex iis anguſtiis daretur euadere. Hoc regis votum erat: neceſſario tamen ventum eſt ad manus. Ad Tarri fluminis ripam tribus millibus paſſuum ab vrbe Parma caſtra collata ſunt caſtris. Venetorum copiæ ad Forum nouum erant ad montium radices ſitum pagum. Gallus ad vicinę vallis qua montes coeunt fauces reſtitit. Eo loco prælium eſt commiſſum in paucis nobiliſſimum fama. Inſtruuntur acies, tollitur clamor, ab omni parte concurritur. Itali prima Gallorum acie profligata, verſiſque intempeſtiue ad prædam militibus ſpatium victis dedere ſeſe colligendi, ac reſtitutis ordinibus pugnam repetendi ex impetu eoque animorum vigore quem aduerſarii non tulere diſperſi per agros & graues præda. Magnum Rex vitæ periculum eo die adiit prætorianis ferro peremptis vix aliorum ſuperuentu eſt ſeruatus. Victoria quidem parta trium dierum inducias à victis impetrare tamen non potuit. Sic per occultam teſſeram profectione denunciata ſilentio motis caſtris ex iis locis euaſit. Ne graue damnum acciperet in diſceſſu inflatis repente eius fluminis aquis atque ex ea hoſte tranſitu prohibito factum eſt. Leuis tātum armaturæ equites abeuntis veſtigia ſunt ſubſecuti. Ab iis atque ab incolis iniquis ad tranſitum locis cædes factæ atque magna impedimentorum pars eſt ablata. In pugna ſuper quatuor Italorū millia ceciderunt. Cum reliquis copiis Mantuanus Claſtidium prius, mox Nouariam feſtinauit. eius vrbis obſidionem, qua Aurelianenſis incluſus à Ludouico Sfortia premebatur, vrgere erat deſtinatum. Rex ſeptimis caſtris præter Placentiam & Derthonam Aſtam nemini infeſtus peruenit. lætuſq; vitatis periculis vltro inſtaurabat numini & diuis tutelaribus ſacrum.

Ferdinandus Rex Neapolim eſt ingreſſus. CAPVT X.

VIx dum Gallus Neapoli abierat cum fortuna partium mutata & in contrarium verſa eſt. Eæ ſunt rerum vices. Hiſpanica claſſis Meſſanæ in portu erat ductore Triuentio. Eo reges pater & filius domo profugi conuenerunt Alfonſus & Ferdinandus, prætereа Ioanna

Ioanna regina vidua Alfonsi nouerca rebus profligatis remedium quæsituri. Gonsaluum Fernandum cum equitibus eius fidei concreditis & sua peculiari classe aduersæ tēpestates in Baleari maiori & in Sardinia plures opinione & voluntate dies tenuerant: neque ante nonum Kalendas Iunii Messanæ portum tenere potuit. Quo iam tempore Ferdinandus Rex Rhegium exaduersum Messanę impositam freto vrbem cum arce aliaque finitima in Brutiis redegerat in potestatem: vbi Eberardus Obenignus natione Scotus dux strenuus rem Gallicam virtute & prudentia sustentabat. Gonsaluo Rhegium Croto, Amantia aliaque eo tractu oppida sunt continuo tradita pignoris loco dum sumptus in bello futuri & facti compensantur. Siciliæ quoque rebus propter vicinitatem præsidium & securitas ea possessione quęrebatur. Fridericus cum paucis triremibus ad oram Apulię missus iunctus Venetæ classi bellum alternante fortuna gerebat. Caieta à Gallis porro defecit, sed breui tamen subacta suo malo didicit furentis populi graues impetus esse, conatus inanes. De ratione gerendi belli in Brutiis deliberatū. In pari voluntate non vna mens cunctis erat, neque sententia eadem. Regi stabat continuo Neapolim ire: quo à ciuibus conuitio vocari cæperat etiam ante Galli discessum: vt sunt benigni in calamitate & dolore mortales, maiora viribus pollicebantur. Vbi in vrbem veniret, concursum ab importuni imperii odio ad iustum & legitimum regem ex vniuersa ditione extemplo futurum. Gonsaluo graue videbatur accepta in Brutiis oppida hostium iniuriæ permittere absentia sua debilitare spem atque conatum reliquę ferme prouinciæ se suaque omnia in ditionem Hispanicam certatim offerentium. Placuit vti iunctis viribus Semenariam obsidione soluerent, qua premebatur à Gallicus copiis. Persiuus è Lucanis aduocatus Gallorum vires & animos confirmarat. Obenignus nostrorum consilio cognito qua necessario iter Regi erat ferox processit. Recusabat Gonsaluus certamen. Rex iuuenta feruens eo consilio repudiato pugnare decreuit. Victus tamen in prælio, equoque prolapso in fuga ne viuus in potestatem hostiū veniret, Ioannes Andreæ Altauilæ frater constanti raraque fide à puero in Regis obsequiis educatus atque in omnia familiaria iura assuetus eius periculo perspecto in pedes destitutus suum equum vltro obtulit. Euasit rex desultoriæ artis peritia in equum desiliens oblatum. qui dedit pro eo hostium accursu cecidit grata superis atque hominibus ob fidem præstantem victimā. Pugnatum est ad vndecimum Kalendas Iulii. Fugientibus & male mulctatis regiis Semenaria propinqua effugium fuit, quibusdam incitamentum ne supremo conatu pugnarent. Syluæ quosdam & vicini montes texerunt. Victoriæ eius cum primis nobilis vt minor fructus Gallis victoribus esset ipsorum incuria Regis diligentia effecit. Profectus ex eo oppido in Siciliam abiit destinata voluntate Neapolim petendi priusquam acceptæ cladis nuncius accensa pro se ciuium studia restingueret Gonsaluus defendendæ Semenariæ spe abiecta, ea deserta in vicina loca dilapsus breui operæpretium fecit multis circum oppidis vi aut voluntate occupatis, neque vero destitit priusquam Brutiorum regionem ferme vniuersam Gallis detractam ad ditionem subiunxit. Rex cum sexaginta nauibus, quas in Messanensi portu inuenit milite vacuas, ac turba tantum nauali instructas, sublatis velis ad Neapolitanum littus appulsus per mediam hostium classem in eam vrbem est inuectus ipso die quo ad Tarrum pugnatum est pridie nonas Iulii. Ciues incredibili gaudio elati correptis armis in Gallos impetum dant repente omnia in contrarium versa. Armati per vrbem ciues implacabili odio Gallos insectari, plenæ cædibus viæ, cruenta fora templaque refractæ direptæq; ædes, & qui resisteret trucidatus, ac nominatim Salernitani & Bisiniani ædes domestica supellectile sunt spoliatæ. Mompenserius motui plebis furentis impar in arcem nouam se recepit adiuncto Salernitano. Neapolis exemplum Capua secuta est locis vicina, item Salernum & Apuli innumeræque adeo ciuitates pulso Gallico præsidio Ferdinandi Regis vexilla præferre, ingeminare nomen. Ad hæc pugnæ ad Tarrum commissæ vulgato nuncio Columnii proceres Prosper & Fabricius, eatenus Gallicas partes secuti se ad Neapolitanas transtulere. Vrsini contra siue ab insita æmulatione eius familiæ siue necessaria re impulsi ad Gallos transierunt, quippe Pitilianus Comes & Virginius Vrsinus eius familiæ principes à Gallis capti tenebantur. Arces Neapolitanas, quæ in hostium potestate manebant, regii supremo conatu impugnare dies noctesque. In sanctę crucis monasterio, quod arcis iustæ instar munitum. Nouęque arci coniunctum erat, inter milites præsidiarios Maurus quidam Alfonso Daualo Piscariæ Marchioni notus, quippe in eius familia quondam versatus seruili ingenio & fraude, si pretium operæ sit, aditum se monstraturum pollicetur. Re constituta, nocte quadam accedit Marchio speculaturus locum nihil veritus insidias, venturi plane ignarus, incauti guttur transfigit Maurus sagitta emissa. Tanti viri casū vniuersa ciuitas luxit: luxere milites ob spectatā multis

in rebus virtutem paremque induſtriam omnium copiarum à Rege ducem deſignatum. Filius in tenera ætate Ferdinandus relictus eſt ſtrenuus & nobilis conſequentibus annis dux copiarum futurus veriſſima patris imago. Occiſi locum Proſper Columna ante ad Aragonios traductus ex Regis voluntate obtinuit. Homini præpotenti promerendo id blandimentum eſt datum. Neapolitanæ arces diuturnæ obſidionis malis nullis ex Gallia ſubſidiis premebantur exigua ſuſtentandi ſpe. Obenignũ de ferenda ope appellare conſtituunt. Neque defuit ille vocantibus. Gallicum vigorem extinxerant Neapolitanæ illecebræ & voluptates vrbis cum primis amœnæ. vulgati præterea morbi pleroſque extinxerant. & ſane malorum colluuione fœdum bellum amplius inſigniuit nouum genus morbi in ea expeditione viſi. Corporum libidinoſo contactu vis mali ſerpebat maxime nullis idoneis remediis, vt in tabe recenti, vſq; dum excogitatis: vnde crebræ in vulgus mortes. Morbum Gallicum dixere Itali, galli Neapolitanum, Afri Hiſpanicum nulla certa origine mali, opiniones vacillarunt. Ex nouo orbe vbi ſæua contagio multum viget in Europam diffuſam peritiores arbitrantur: atque hoc tempore à militibus Hiſpanis in Italiam atque Neapolim delatam luem qua caput & barba depilari ſolent, facies miſerum in modum enatis bubonibus deformari, exedi viſcera atque corrũpi ac ſequi tandem interitum. Tenariffe poſtrema è Fortunatis inſulis claſſe ad id miſſa domita atque ad Regum Caſtellę ditionem ſubiuncta tandem eſt. Inſulæ eius Rex nauibus in Hiſpaniam delatus, inde Venetias tranſmiſſus donum iis ciuibus ab inſolenti habitu & ſpectaculo non ingratum. Amicitiam nuper conſtitutam & fœdus ea beneuolentiæ ſignificatione aſtringere certabat Hiſpanus. Alfonſo Luco Tenariffes & Palmę ſubiugatarum præmium fuit Antelati honos & nomen in Canarias inſulas ſeu Fortunatas conceſſum. Sic omnes illæ inſulæ in Hiſpanorum poteſtate regiaque Caſtellæ ditione conquieuere tandem expeditionibus ſæpe repetitis; bellumque id ante multos annos inchoatum hoc tempore finem habuit.

Rex Luſitanus obiit. CAPVT XI.

NOn ceſſabat interea Ferdinandus Rex Hiſpanus Regem Luſitanum & Anglum ad commune Principum aliorum fœdus aſciſcere per legatos, præſidia vndique conquirere. Strenuum principem & rebus maximis natum. Excuſauit Luſitanus amicitiam cum Gallo à multis annis ſtabilem: non videri temere violandam. Et erat Pontifici ſubiratus: à quo impetrare non potuerat vti Georgium ex impari ſed nobili matre filium iure legitimo donaret. Nullo enim reſpondente in ſucceſſione regni mutare aliquid non eſt viſum. Luſitano quidem deliberatum erat eum hæredem ſcribere ex aſſe, ſi minus venia Pontificis certe Maximiliani Cæſaris amitini iure ſucceſſionis illi debito, ſic interpretabantur eius voluntate in Georgium tranſlato. Quod ſane quid erat aliud, quam pulcherrime ſtantem reip. pacem præpoſtera ambitione & cupiditate turbare? nouorum motuum materiam quærere? Ab Anglo non fœderis ſocietas petebatur, ſed etiam nouæ affinitatis vinculum Arcturo Angli hærede & filia Ferdinandi Hiſpani Regis iunctis connubio. Vtrumque factum, ſed conſequenti tempore Luſitanus aqua intercute laborabat indies grauiore tum valetudine tum vitæ periculo. Pellendo morbo ad aquæ calidæ ſcaturigines abiit quæ in Algarbio atque Turdetanis habentur totius Luſitaniæ maxime ſalutares. Sæpe remedia in contrarium vertuntur. Morbi vis eo remedio nihil remiſit: quin aucta potius Albore oppido deceſſit ad octauum decimum Kalendas Octobris, magno atque ardenti ingenio Princeps callidus, facundus, in vindictam tamen præceps. Succeſſorem ex parte correcta ſuperiori voluntate teſtamento deſignauit patruelem Emanuelem patruo Ferdinando natum Pacis Iuliæ Ducem, Georgio filio ſubſtituto ſi eum contingeret ſine prole decedere. Longinquum id erat & incertum neque ſatis æquitati conſentaneum. Sed Regum voluntates vehementes ſunt. In præſenti ergo militiæ magiſterio donari volebat, eius cui à Chriſto nomen eſt Conimbricæ ducem eſſe. Ab eo certe Aueri duces generis ſtemma deriuant nobiliſſimi. Inerant haud dubium in defuncti Regis moribus & ingenio bona, inerant mala. animus erectus, excelſus, magna appetens, maiora ſæpe viribus, ſcelerum vindex, ſtudioſorum & fortium hominum fautor. Multo effuſo ciuium ſanguine inuidiam apud ſuos commouit, tametſi pro argumento inſigni ad clypeum. adiecerat pelicanum roſtro lacerantem pectus alitem vt pullos ſuos in vitam proprio ſanguine reuocet. Corpus tranſlatitio funere in Syluenſi æde compoſitum, Aliubarrotam inde delatum eſt eorum regum

gum ſepulchris, ſed & victoria de Caſtella olim parta nobile oppidum. Regium Luſitaniæ inſigne publico omnium conſenſu ad Emanuelem, vti opus erat, delatum eſt Salaciæ eo tempore agentem cum Regina ſorore regiaque vexilla eius nomine ingeminato more gentis ſublata explicataque ſunt. Etſi Maximilianus Cæſar id regnum ſibi deberi contendebat iure ſanguinis in pari propinquitate maior natu. Inter eos qui à latere defunctum regem ſanguine attingunt non ſtirpē, ex viro an fœmina ſint nati, ſed in pari propinquitatis gradu ſexum atque ætatem in ſucceſſione eſſe conſiderandа. Vtiq; Ferdinādus Viſei dux, vnde Emanuel eſt natus, & Eleonora Augusta Maximiliani mater, patruus & amita defuncti regis erant. Porro Luſitani ſexum in imperio non diſcernunt: neque ſtirpem conſiderant, ſed capita. Verum de hac tota controuerſia alio loco copioſius dictum eſt. Emanuelis cauſam gentis ſtudia iuuerunt, præclaræque corporis & animi dotes, quibus nulli ea ætate principum inferior extitit. Ruſcinonenſi limiti Henricus erat præfectus Albæ ad Aliſtem Comes. Is iuſſu ſui Regis in agros Narbonenſes cum manu militari irrumpens late terrorem incuſſit. Idem Petrus Manricus fecit ſed per extremam Cantabriam in Aquitaniæ fines inuectus. Nihil tamen memorabile eſt geſtum. prædæ tantum hominum & pecorum abactæ. Quod præcipuum fuit Gallo qui diu Aſtæ ſubſtitit, iniecta neceſſitas fœderis cum Ludouico Mediolanenſi maturandi, ne verſis ad Italiæ bellum terga nudarentur, ſed potius ea ſolutus cura reduxque in Galliam conatus Hiſpanos & irruptiones prohiberet. Et erat ſtultum aliena curare, ſua negligere. Fœderis leges fuerunt: vt Nouaria Mediolanenſi redderetur quinquaginta aureorū millibus numeratis Aurelianenſi. Arx Genuæ, quam Galli ceperāt, penes Sequeſtrum eſſet Ferrariæ ducem. Gallicis copiis per Inſubres volente duce liberum iter eſſet, additis etiam de ſuo ad recuperandum Neapolim auxiliis. His rebus conſtitutis Gallus præcipiti autumno cum copiis trans Alpes in Galliam rediit. Graue Neapolitano regi extitit Ludouicum Mediolanenſem ducem contempto publico Principum fœdere ſibi priuatim, quod erat nefas, conſuluiſſe: vnde præſidium rebus expectare debuiſſet, ab eo nullo propinquitatis reſpectu, erat enim eius auunculus, rationes Neapolitanas ſecundo vehementer conturbari. Re ille neceſſaria excuſabat cum hoſte pepigiſſe. Alios principes parum opis præter nomen in eo periculo communicaſſe, quid factū vituperarent: haud dubium exitium, niſi ita feciſſet rebus inſtare. Ergo Neapolitanus Rex aduerſus tempeſtatem ex Gallia rurſus imminentem præſidia vndique comparare, ac Ferdinandum Regem Hiſpanum ſibi amplius deuincere ſatagebat filia eius in cōnubium expedita. Non abnuebat conditionem Hiſpanus, ſed belli ancipitis exitum expectare malebat ex euentu ſumpturus conſilium. Moræ impatiētia Neapolitanus & Ioannæ Reginæ viduæ ſuaſu eius filiam eodem nomine duxit ſoluta lege propinquitatis à Pontifice, quoniam amita eius erat. In ipſa nuptiarum lætitia, res bellicæ curæ erant. Veneti ad ferendam opem ſolicitati ægre quidem ſed conſenſere tandem. Mantuano ductore auxilia decreta equitum peditumque: præterea in præſenti quindecim aureorum millia mutuo in ſtipendium data. Dum ea pecunia redditur, ſumptuſque neceſſario in bello futuri compenſantur, Brunduſium, Hydruns, Tranū, Monopolis, Poliganum in Apulis nobiles vrbes & Lautæ pignori datæ Venetorum votis ſæpe expetitæ, quoniam alluuntur mari ſupero Orientis commercio commodiſſime vnde genti certiſſima vectigalia conſtant. Nouas ad tempeſtates concitandas hi apparatus pertinebant. Ferdinandus quoque Hiſpanus haud minori cura bellum repetere parabat, quod per fines Ruſcinonenſes nuper erat inchoatum. Ea expeditio proprie ad Aragonios pertinebat. In eius gentis conuentibus, qui ſuperiori anno Turiaſone ſunt cœpti, de publico auxiliares ducenti grauis armaturæ equites, leuis armaturæ trecenti toto triennio decreti ſunt, cum eo vt in ſeptem turmas tributis duces Rex è gente quidem deſignaret. Contra vt aliqua gratia eſſet, quod antea conſueuerant, datum eſt à Rege vt publica ciuitatum munera & magiſtratus tribuerentur. deinde ciuium nominatione è deſignatis coniectiſque in vrnam ſorte ducta. Deinde in Dertuſanis Catalaunorum conuentibus, qui ſuperioribus menſibus inchoati ad anni Milleſimi quadringenteſimi nonageſimi ſexti initium tenuerunt, ſimile decretum auxiliis iuuandi Re- 1496
gem eſt factum eo propenſiore voluntate, quod Ruſcinonenſes in quorum finibus primus belli impetus futurus erat, proprie ad Catalaunos pertinent, eorum imperio contributi ditionis pars. ſimul de coniugiis cum Auſtriaca familia actum magna contentione eſt: tametſi Archiducis animus affinitatem Hiſpanicam auerſari videbatur contumax propter ætatem, parumq; in futurum proſpiciens, patriſve obtemperans voluntati votiſque.

Galli à finibus Neapolitani regni depellantur.

CAPVT XII.

BEllum Neapolitanum gerebatur ſupremo partium conatu, vt de regno diductis in ambos prouincialium ſtudiis & viribus. Galli quamuis imminuti numero firmiſſimas tamen arces & vrbes retinebant. Caietam obſidebat Neapolitanus Rex: in Brutiis & Magna Græcia Hiſpanorum arma duce Gonſaluo felicem curſum tenebant: vt oppidis & arcibus magno numero ad ditionem ſubiunctis vix Gallis ea quidem parte ſupereſſet, vbi pedem ponerent tuto. Firmatus vſu miles Hiſpanus nulla diſcordia corruptus, nulla acie exhauſtus, ſed belli Maurici domitor ſæpe meliora ferre. Perſiuus & Obenignus Gallorum præcipui in ea prouincia Duces contempto proprio periculo haud ignari quanto in diſcrimine arces Neapolitanæ eſſent, ibi belli & rerum ſummam verti in ea fortunæ inclinatione conſilio inter ſe communicato decreuere tamen, vt Obenigno relicto, qui Hiſpanorum conatibus obſiſteret, Perſiuus cum copiarum parte Salernum ditionis tum Gallicæ vrbem abiret, ſi liceret ea ope Neapolitanas arces tueri, ſin minus iunctis cum Mompenſerio viribus bellum eo tractu inſtauraret, ſi qua ſe daret occaſio Neapolis recuperandæ. quæ prima cura ſolicitabat. Sic factum. Perſiuus ex itinere multis oppidis ex deditione adiunctis quatuor porro Neapolitanorum millia iuſſu ſui Regis obuia ad Ebulum Picentinorum oppidum non procul Sylari amne ductore Matalonio, acie ſuperauit. Læta ea victoria Gallis in præſens fuit exiguo in futurum vſui: territis quidem aduerſariis nulla manus numero aut viribus inſignis prodire in aciem, obſiſtereque eorum conatibus audebat. Rex tamen priuſquam acceptæ cladis nuncius ad obſeſſos perueniret, de arcium deditione tranſegit, niſi intra certum diem idonea ſuperuenirent auxilia. Acceſſit Perſiuus victor ad Neapolis conſpectum, ſed cum intra arces nihil moueretur, & Rege extra mœnia tendente penetrare ipſe ad obſeſſos non poſſet retro flexit iter. Sic arces omni præſidio destitutæ elapſis paulo ante Mompenſerio & Salernitano abeuntibuſque Salernum, vt pepigerat deditæ ſunt. Pecunia Gallis ducibus in ſtipendium deerat. Ad quam redigendam in Apuliam concedere ſtatuunt portorio è pecoribus: vnde præcipua & maxima vectigalia iis regibus conſtant. Eo conſilio Mompenſerius, Perſiuus atque Virginius Vrſinus vires conferunt. præcipui Gallorum duces hi erant, minores multi alii, tum Italici generis tum Gallici. Neapolitanæ copiæ in varias partes diſtractæ erant. Rex ipſe receptis Neapolitanis arcibus de belli ſumma ſolicitus Beneuentum abiit: quam vrbem Pontificiæ ditionis Fridericus patruus ab ingruentibus vndique Gallis defenderat. Inde cognito Gallorum conſilio Fogiam abiit quæ ex Harporum ruinis creuit. Eo etiam Mantuanus cum Venetis auxiliis appulit. Id commode accidit. Sexcenti tamen Germani duce Fabricio ad Regem contendentes, cum eo inuito Nuceriam digreſſi eſſent, vbi altera eius nationis manus expectabat, quam deducere ſecum cogitabant, quo maior gratia eſſet validius ſubſidium, forte in hoſtiles copias incidentes ferme ad vnum cæſi ſunt: etſi ſupremo conatu pugnarunt, multoſque & ipſi ex hoſtium equitibus peremere. Tanta ex eo Gallorum ſuperbia vt ad Fogiæ mœnia promotis caſtris Regem ad pugnam prouocare non dubitarent: quam ille eo incommodo & ſuperiori ad Semenariam ignominia cautior caſtigatuſque detrectauit copiis nondum in vnum locum contractis. Leuia tantum fuere certamina: & ab vtraque parte cædes, captiuique neque nullius neque magni nominis. Galli vlterius progreſſi portorii partem redegerunt, partem Rex. pars alia in ea perturbatione periit à neutris exacta. In ea colluuione non oppida & vrbes modo ſed ipſi paſtores aruaque, vt hoſtile ſolum vaſtabantur. Gallorum ferociam comprimere cupiebat Rex haud ignarus ea parte victis reliqua procliuia fore. Gonſaluus in Brutiis vniuerſa prouincia ferme in poteſtatem redacta ipſaque adeo vrbe Conſentia capta arcem obſidione graui premebat. In Obenigno parum præſidii erat ad extremum Italiæ angulum compacto ſuſtentanteque maiori locorum fiducia quam virium. Monuit Gonſaluum Rex vt cæteris prætermiſſis in præſenti ad ſe actutum feſtinaret: belli capite confecto reliqua ſecutura. Sibi ad ducendum bellum virium ſatis eſſe, ad laceſſendū prælio hoſtem maiores copias optare. Gonſaluus vera Regē prędicare non ignorabat. In diuerſum tamen variæ curæ anxium trahebant. Omittere incœptum graue erat, ſed regi opitulari neceſſarium. Ergo obtemperandi decreto Ludouicum Aragonium Cardinalem cum parte copiarum in Brutiis relinquere ſtatuit, qui bellum ſe abſente ſuſtentaret

ret caſtris quam inſulis aptior. Is Ferdinandi Regis patruelis erat Henrico natus Alfonſi quidem Regis fratre, ſed ex impari matre. Agreſtes homines magno numero ſpe prædæ, an vt iter impedirent, iniquis ad tranſitum locis ſe in armis oſtendunt. Nihil terretur Hiſpani cum Mauris Granatenſibus in præruptis locis & arduis pugnare aſſueti. Impreſſione in vicanos facta ad Muranum oppidum magno eos numero cæciderunt, niſi quos fuga dilapſos vicini ſaltus ſeruarunt. Ex captiuis quæſtione habita cognitum eſt nobilium magnam manum ad Laynum ſeu Laum contractam deſtinata voluntate Conſentinæ arcis diſturbata obſidione tuendæ. Gonſaluus ne pulcherrimæ occaſioni deeſſet tota nocte itinere continuato, ſub auroram in id oppidum irruptione facta nobilium magnam partem peremit, cepit alios, quos mari ad Regem miſit Principes in eo numero erant Nicaſtri Comes & Honoratus Sanſeuerinus Biſiniani frater. In diuerſa parte Galli Cercellum in Samnitibus obſidebant decem millibus Beneuento diſſitum oppidum. Rex vt eam obſidionem diſſiparet Frangettum finitimum accurrit cum copiis, vbi Gallicum præſidium erat. Suorum periculo permotæ Gallorum copiæ opitulatum venere. Serum auxilium fuit oppido iam tunc capto à Rege tum incenſo ne præda miles impediretur ſcilicet hoſtique opportunus ex eo eſſet. Conſtitere duæ acies exaduerſum duobus occupatis collibus valle interiecta: quam tranſcendere neutri ſunt auſi. Res Gallicæ inclinare cæperant: animos & corpora peregrinæ voluptates eneruarant. Rex quoque re cum ſuis communicata deliberatum habebat, niſi ſuo commodo, ac explorata victoriæ ſpe cum hoſte non confligere, neque ſua feſtinatione committere, vt caſus aliquis partium fortunam permutaret. Gonſalui in aduentum certe ſuſtentare viſum eſt quem feſtinare & prope diem affore fama & idonei teſtes nunciabant. Neque fefellit ſpes, breui in caſtra Regia peruenit, tametſi Mompenſerius obuiam progreſſus, eius iter impedire omni ſtudio conatus erat. Quo tempore Rex veſtigiis omnibus vrgere Gallorum copias annonæ anguſtia laborantes, iamque detrectantes pugnam & de Apulia cogitantes. Verum premente Rege conuerſo itinere ſe ſe intra Atellam incluſerunt & euentu huius belli nobilem cum primis vrbem, & tunc Amalfitani Principis ditioni contributam. Rex quo minus id oppidum occuparent, ſua diligentia impedire non potuit, quod proximum erat, circumuallare conſtituit. Ducebatur obſidio pari defenſorum & impugnantium conatu, neque diſpari ſpe, cum Gonſaluus diu expectatus in caſtra tandem regia peruenit ad octauum Kalendas Iulias, qui dies Ioannis Baptiſtæ natali ſacer eſt. Eius aduentus obſeſſis grauis exitialiſque, obſidentibus lætiſſimus accidit rerum geſtarum fiducia vtriſque cogitantibus eius virtute fore bello grauiſſimo finem. Acceſſit ad lætitiam plauſus. Conſenſu duces & milites venientem Magni ducis titulo & nomine honeſtarunt factis præclaris conſentaneum, quod ab hoc initio ſuſceptam & aliarum nationum eximio fauore confirmatum in morem abiit, vt hoc potius nomine quam natiuo cognoſcatur. Ac ſane alii duces in Italia quamuis per ſe ſtrenui cum eo comparati multo inferiores rebus omnibus videbantur. Erat enim ingenio magno belli & pacis artibus peræque inſtructus, præcipua morum ſuauitate, colligendæ militaris beneuolentiæ eximius artifex, in præſenti grande ad victoriam momentum. Opinionem de eius virtutibus ſuſceptam confirmabat ipſe induſtria, ſatis decorus facundia, omniumque quæ diceret atque ageret, arte quadam oſtentator. Ita cum primum Atellam peruenit ſitu conſiderato ipſis Kalendis Iulii cum ſuorum manu molas frumentarias, vnde obſeſſi alebantur, momento temporis occupauit, valido inde hoſtium præſidio deiecto. Fregit ea res Gallorum ſpiritus, regiis fiduciam addidit breui opprimi ac profligari aduerſarios poſſe. Ex paruis ſæpe initiis magnarum rerum exitus pendent. Leuia aliquot prælia fuere pro oppido, caſus varii: Salernitanus & Biſinianus in ditione delectus habere deſtinata voluntate Gallicas partes à caſu ſuſtentandi, opem obſeſſis ferendi. Verum ea diligentia nihil eſt præſtitum: ac contra Mōpenſerius, Virginius Vrſinus, & Perſiuus obſidionis malis fatigati ſe & oppidum dedere decreuerunt. Leges conſenſu ſcriptæ. ſi intra trigeſimum diem idonea auxilia non mitterentur ex Gallia, copiæ Gallorum ex vniuerſa Italia decederent cum bona venia impedimenta, equos, arma ſecum aſportandi. Arces & oppida Regi reſtituerent vniuerſa ditione Caieta, Venuſia, & Tarento modo retentis, præterea quidquid Obenigni & Montii Ducis armis occupatum eſſet. Diſcedentibus Rex mari naues, terraque iter tutum præſtaret. Menſe Iulio hæ conditiones ſunt iureiurando & datis obſidibus confirmatæ: in iis tabulis mirum enimuero videatur Gonſaluo Magni Ducis nomen conſenſu adſcriptum. Dedita vt conuenerat ea vrbe aliiſque arcibus Galli profecti, exiguo numero

tamen in patriam peruenerunt. morbis & variis casibus consumpta multo maior pars: ipse etiam Mompenserius ad Vesæuum afflicta valetudine, an ex molestia periit. Virginius Vrsinus & Iordanus filius in custodiam dati fœderis in eo fide violata. Sed Alexandri Pontificis iussa vrgebant, cui obsistere Regi tutum non erat pro imperio id mandatis. atque pro Pontificia auctoritate concepti eum iurisiurandi religione soluentis. Affuere in hoc bello Ioannes Borgia Cardinalis Amalfitanus Episcopus Pontificis ex sorore natus, non idem de quo eodem nomine Episcopatu alio est commemoratum, sed tamen pro auunculo Pontifice legatus, tum Dux Gandiæ Pontificiæ manus quam subsidio ei Regi misit, ductor. iis meritis Vrsinorum facta iniuria gratificatum est. Gonsalui discessu res Gallicæ in Brutiis & Magna Græcia resurgere, Hispanorum vires debilitari cœperant. Ita die proximo post fœderis conditiones ad Atellam firmatas eam prouinciam repetiit: cuius partem multo maximam eius absentia Obenignus ad Gallicam ditionem reuocarat acerrima belli fax, virtutis & prudentiæ spectatæ magis quam felicis ob præualentẽ aduersarium. Eius enim diligentia locis omnibus prementis in commune aliorum Gallorum fœdus consentire, ac vero relicta Italia in Galliam redire est compulsus. Quo tempore omnino dimidiato mense Augusto in Castella vlteriori Isabellæ Reginæ mater Isabella decessit è vita annis postremis parum sui compos. Corpus extemporario funere Areuali sepultum, vbi extremam ætatem exegerat, consequentibus annis in Burgense Carthusianorum monasterium translatum est: loco vbi vir eius Ioãnes eo nomine secundus Castellæ rex fuerat compositum. Ad vndecimum Kalendas Septembris defunctę neptis Ioanna nomine classe ad Lauretanum portum instructa in Belgas abiit ad pactas nuptias cum Philippo Austriæ Archiduce. Regina mater filiam vsque ad portum est prosecuta, Fridericus Henricus maris Præfectus Belgas vsque. In coniugii eius celebritatem ludorum apparatum omnemque lætitiæ significationem intentos. Ab Alexandro item Pontifice Ferdinandus puellæ pater Catholici cognomentum accepit in posteros cum regno transfusum stabili possessione. Honorum titulos Principibus diuidere Pontificibus Romanis datur. Erat in more vt in litteris Apostolicis adscriberetur, Regi Castellæ illustri. Ergo deinde noua indulgentia adscribi placuit, Regi Hispaniarum catholico, non sine obtrectatione & inuidia Regis Lusitani, quando Ferdinandus imperio vniuersam Hispaniam non obtineret, eius tum non exigua parte penes alios Reges. Contentio ab eo tempore excitata ad nostram ætatem tenuit. Maiori motu exarsisse Gallum verisimile est, si quod Comineus ait, Pontifici erat destinatum Christianissimi appellationem, qua reges Gallos ante aliquot annos simili exemplo in Ludouico vndecimo Pius secundus Pont. Max. honestauit, in Ferdinandum transferre rerum gestarum amplitudini gratiam consentaneam.

Reges Lusitani. CAPVT XIII.

EManuel Lusitaniæ Rex cum primum regium insigne desumpsit. Montem maiorem regni ordines ad generales conuentus euocauit de rebus grauissimis consilia communicare volens. Eo Georgius accessit defuncti Regis filius, ætatis agens annum quartũ decimum, Diegho Almeyda deducente Priore Hospitalario, quem sagax pater delegerat, qui pueri imbecillam ætatem regeret consilio, imbueret moribus eo loco dignis. Venientem Rex benigne accepit, quin ad eius amplexum lachrymas fudit indices beneuolentiæ, decessoris tum memoria tum desiderio expressas. Filii eum loco futurum promisit charissimi, se patre dignum præstaret. Simul legatos dimisit ad varios Principes, nominatim Castellæ Regibus suæ inaugurationis gaudium nunciare voluit: Alexandro Pontifici more maiorum suo nomine obsequiũ debitum deferri. In noui Regis aula principem gratiæ locum obtinebant Dieghus Silua, quo morum institutore & magistro creuerat; tũ Ioannes Emanuel Ioanne Guardiæ Episcopo natus & Iusta Roderica illius amica, quæ Emanuelis Regis nutrix fuit. Dieghum Portalegris Comitem esse iussit operæ & disciplinæ præmium, Ioannem regio cubiculo præfecit. Ex vsu familiari parique ætate gratia aucta, adeo vt cæteros aulicos facile rebus omnibus anteiret. In iis conuentibus edictum est vt Iudæis omnib. à defuncto Rege in seruos datis redderetur libertas. Superiorem seueritatem noua censura mitigare æquum videbatur; miseræ gentis calamitatem subleuare. Auxilia in Africam decreta atque militare supplementũ: vbi Septam freto imminentem Ioannes Rex eo nomine primus eripuerat Mauris. Tingini & Arcillam ad extremum occasum atq; ad Oceani littus Alfonsus Emanuelis patruus. Inuecta virtute posteri retinuerant: felicibus sæpe armis submouerant hostes, agris finitimis attulerant vastitatẽ. Arcillæ præfectus Ioannes Menesius cupidus nouo Regi suam industriam probandi multis circa

pagis

pagis consuetũ vectigal pẽdere recusantibus, cõmunicato cõsilio cum Tingitano Præfecto atque cum eo iunctis viribus in eos ducens, forte in Barraxam & Almandarinum incurrit strenuos Afrorum magnique nominis duces. Non detrectauit certamen Menesius etsi numero vincebatur. Commissa pugna victi fugatique hostes sunt, virtuti cessit multitudo. Læta ea victoria in præsens fuit, rerum maiorum initium. Interea ad Montem maiorem conuentus celeberrimi, multis quamuis & magnis rebus nondum constitutis necessario sunt dissipati pestis ob luem in ea regione grassari incipientem. Ipse adeo rex dimissis ordinibus raptim ex eo oppido discessit huius anni initio; atque sub ieiunii Christiani tempus Setubaliam sese contulit. Quæ profectio non incolumitati tantum est data sed officio studioque duas sorores viduas inuisendi Eleonoram Reginam, & Isabellam Brigantino antea nuptam. Eo congressu nihil prius actũ quam de Aluaro Brigantini Ducis occisi fratre ducisque filiis, qui in Castella profugi durum exilium tolerabant, patria extorres in patriam, paternasque opes & pristinum dignitatis locum reponendis. Id Ferdinandus Rex Castellæ enixe contendebat: innoxios nihilque mali promeritos eriperet supplicio: sorores tantundem cum lachrymis flagitabant, ardentius Isabella quam eæ calamitates propius attingebant eodem momento orbata viro filiisque, familiæ vniuersæ miserabili luctu. Ante omnes Beatrix Visei Dux precibus Regem filium fatigabat, eique pro materno iure mandabat, vti sanguine & necessitudine coniunctos subleuaret. Non tibi, inquit, solum, regnum cœlitus datum sed matri, sororibus, & propinquis; omnib. denique qui in te spem emergendi iure collocarunt, partem aliquam imperii communicandam & felicitatis cogitare debes. Fructum ex nostro fundo nostraque ex arbore decerpere quis vetabit? Quæ si nos spes fefellerit animis nostris concepta, quo ibimus? ad cuius opem confugiemus? An importuna seueritate committes vnde cunctos nos pigeat te ad culmen dignitatis & gloriæ peruenisse? Cum eras priuatus, nostram sortem & miseriam deplorabamus: nunc ad eam acerbitatem, iniuriam importuna seueritate factam adiungere erit necesse. Quare si vlla tibi æquitatis, si vlla pietatis cura est, si labores eius quæ te peperit, si amorem quo te sum perpetuo prosecuta memoria retines, matri filiam restitue, sorori filios, auiæ nepotes, memet denique totam mihi redde, meaq; membra disiuncta locis & lacera & disiecta in vnum quasi corpus salutari ista manu compinge. Atque eum acceptæ potestatis præcipuum fructũ cogitato, hoc quasi initio accepti principatus specimen dare cæteris ad bene sperandum hoc quasi salutari signo sublato. Cupiebat Rex iustissimis matris & sororũ votis satisfacere. Verũ ne repente defuncti Regis censura mutata in leuitatis suspicionem incurreret, verebatur; ac simul prouidendum erat ne eorum animos irritaret qui bonorũ exulib. ablatorum se attactu & longa possessione cõtaminauerant. Vicere tamen omnes difficultates pietatis respectus, matris & propinquorũ postulata. Quib. bona & honores exulũ sunt ablata, eos aliis pro præsenti copia datis munerib. pacauit. Nullus vt regiam clementiã accusaret, contra laudarẽt multi & perpetuo præconio celebrarent, qui nollent etiam factũ probantib. Regii cõiugii cura solicitare, & prolis in spẽ regni suscipiendæ. Ætas matura erat quippe sex & viginti annorũ. Nulla conditio Castellæ regũ affinitate potior erat: neq; id gens Lusitana ignorabat. Ferdinãdo & Isabellæ Regib. de eo coniugio appellatis placebat Emanuelẽ generum adoptare: cęterũ vt maiorem filiã coniugem darẽt, non adducebantur. proxima in Belgas abierat. Catharina etiã Arcturo Anglo pacta erat. Mariam omniũ minimam coniugẽ Lusitano libenter destinabant. Abnuit Lusitanus: neq; aliũ Principẽ sibi præferri in coniugio maioris filiæ ferebat pro gentis ingenio nulli de dignitate concedens. Adamabat preterea Isabellã & forma & indole oblectatus ex quo tẽpore fuerat in Lusitania Alfonso Principi nupta. Agebatur de eo coniugio: eaq; ex re Ferdinandus Rex Catholicus occasione captata Lusitanũ solicitabat, vt se ad Principum fœdus contra Galliæ opes & Regẽ adiungeret. Isabella quoque Princeps inter coniugales leges Mauros & Iudęos Lusitani regni finib. deturbari iubebat voti peruicax qui perfidã gentẽ tueretur à Christianis institutis abhorrentẽ, ei vt toro iungeretur adduci nõ posse. Cupiebat Emanuel vtriq; postulato satisfacere puellę amore ardẽs impatiensq; moræ. Verũ ne Ferdinãdo obtẽperaret, amicitiã cũ Gallis à multis annis stantẽ & mutuis officiis cultam excusauit. Hispaniæ finib. ab iniuria tuẽdis vires & fœdus libenter offerre: vt se externis bellis implicaret, alienum à suis rationib. putare. Ad Isabellæ gratiam promerendam ægre quidem, sed datum tamen, vt nouo edicto, quod sub huius anni finem promulgatum est, Mauri & Iudæi omnes iuberẽtur finibus Lusitaniæ abscedere seruitutis metu proposito, si qui post designatum tempus restitissent. Solutum antea pœna noua lege sanciri placuit. Mauri quidem in Africam continuo sine recusatione transmiserunt. Iudæis non eadem facultas extitit: quibus paulo post nouo edicto

filii ſunt detracti quatuordecim annis minores, atque ſalutaribus aquis per vim adhibiti. Inſolens decretum à legibus & inſtitutis Chriſtianis abhorrens maxime. Malo cogas homines Chriſtiana ſacra ſuſcipere? libertate cælo data in re omniũ grauiſſima ſpolies, quos Deus ſui arbitrii eſſe voluit? Graue id piaculum ſit: ac ne filios quidem à parentib. eo ſtudio abſtrahere liceat. In vtroque tamen gens Luſitana peccauit, pueris enimuero ſine voluntate parentum ad baptiſma violenter raptis, atque maioribus natu, vt Chriſto darent nomina, conuitiis & contumelia vexatis. ac nominatim diſcedendi facultate per fraudem ſublata, cuius neceſſitas erat impoſita. Ita plerique ſeruitutis metu dederunt manus, quidam ſyncera voluntate, pars multo maxima tempori ſeruientes animo ſimulato: cuius rei deinde clara documenta extiterunt. multi ad patriam ſuperſtitionem, quam reieciſſe, viſi erant, cum ignominia Chriſtiani nominis reuerſi. Ergo Iudæi variis modis & indignis ſunt in Luſitania vexati. Ab Alexandro Pontifice impetratum eis qui tribus ordinibus militaribus ſe deinceps in Luſitania adiungerent, perpetuæ caſtitatis venia, indulta certe facultate coniugii: quo eatenus erant veteri inſtituto prohibiti. Eius indulgentiæ grauiſſimas extitiſſe cauſas non dubito tempori accommodatas. Libidinis effrænatæ licentia, natalium macula inuſta proli ex iis militibus genitæ. Cæterum res ea obtrectatione non caruit, vt omnia noua, aliis moderationem laudantibus, alii maiorem cautionem requirebant & conſtantiam. Sæpe etiam quæ prudenter excogitata videbantur in perniciem vertuntur. Ea eſt humani ingenii imbecillitas. Ab hoc certe aditu opima eorum ordinum vectigalia non hominibus militaribus, vt antea, attribui, ſed in aulicorum delicias, qui caſtra nunquam viderunt, conferri cœperunt. quanta peruerſione & bonorum gemitu dicere non attinet. Præmiorum ſpe certa ſublata quotuſquiſque non potius delicatam & amœnam vitam, quam militiæ labores & puluerem complectatur.

Ferdinandus Rex Neapolitanus obiit. CAPVT XIV.

MOtus Italiæ non quieſcebant nondum in malaciam compoſiti. Anglus cum affinitate Hiſpanica ad commune fœdus contra Galli conatus adiecit animum: ſeq; cæteris Principibus adiunxit. Cæſar etiam venturum in Italiam profitebatur Galliæ Ciſalpinæ & Hetruriæ cura vbi multa mouebantur. Sic Dux Mediolanenſis à Gallico fœdere diſcedere conſtituit. Cognita præſertim Delfini tum infantis morte, & Galli Regis eius patris valetudine perpetua, ne res Gallicæ ad Aurelianenſem iuratum hoſtem recideret, haud temere metuebat: atque ex ea re exitium, quoniam is princeps eius rationib. vel maxime erat infenſus, in Mediolanenſi principatu ab antiquo riualis. In Neapolitano regno Apuliæ partem Veneti obtinebant, Gonſaluus ſui Regis nomine Rhegium, Amantiam, aliaque in Brutiis oppida & arces. Andegauenſium in poteſtate non paucæ, neque contemnendæ arces ſupererant, neglecta in eo icti nuper cum Gallis fœderis fide. Ad eas impugnandas Rex, Cæſarem patruum furto conceptum Tarentum amandauit. Vrbinatem, qui eo bello iuuerat, in Pelignis & Samnitibus curare iuſſit. Atque hic quidem breui omnibus circa oppidis ad ditionem regiam ſubiunctis cum Proſpero Columna Romam abiit. Caietæ ſubiugandæ maior cura ſolicitabat: quam mari Triuentius & cum eo Venetæ triremes acriter, ſed irrito conatu impugnabant. Terra obſidere parabat Rex omnibus copiis, cum id cogitantem dyſenteria in villa apud Veſæuum, ac ex eo mors oppreſſit Nonis Octobris Neapoli, quo ſe deferendum curauit. Quid flos ætatis iuuit? quid gaudia & aliæ vitæ iucunditates? quid victoriæ de hoſtibus partæ regnumq; receptum? omnia ſubuextit importuna mors & ſæua. Vix deguſtato primi regni fructu eſt raptus. Miſerabile iuxta & inſigne exemplum humanæ felicitatis inconſtantiæ. Luxere extinctum ciues veriſſimis lachrymis: vnum virum ducemq; ſpreta aliorum ſegnitia laudibus ad cœlum ferre. Accurrit Caſtellonio, vbi tum agebat, Fridericus patruus cognito regis periculo: atque ipſo quo deceſſit die Neapoli Rex eſt proclamatus quippe proximus ſanguine. Salerni & Biſiniani principes, Meliti & Lauriæ Comites, qui in ea vrbe erant infenſi maxime Aragonio nomini ſibi per conditiones adiunxit, ſed fide parum conſtanti. Intempeſtiuo quidem eius principis obitu, multorum animi ad nouas ſpes nouaſq; molitiones excitati ſunt; ac nominatim Neapoli & Romæ ad Regem Catholicum res Neapolitanas recidiſſe quidam prolatis de ſcripto vetuſtis iurib. & tabulis confirmabant. Eæ voces Pontifici & aliis Italiæ principibus accidebant ingratæ, iis etiam qui vera dici iudicabant. Sua cuiq; tuendi præcipua cura erat, graue Hiſpanorũ Regis potentiam noui & magni principatus acceſſiõe augeri. Imbecillũ Regẽ vicinũ habere potius volebãt. Gõſaluus qui aliorũ conatib. obſiſtere vnus poterat, arce Cõſentina impugnãda diſtrictus, ea capta

& Obenigno

& Obenigno in Galliam pulſo, vniuerſaque adeo Brutiorum prouincia breui ſubdita, Nolam abiit: atque in ea vrbe relicto milite, Neapoli Reginas matrem & filiam inuiſit, luctum & mœrorem, quo erant oppreſſæ, ſua præſentia & accommodatis officiis leuaturus. Vrgebat contractis copiis nouus Rex Caietam obſidione, atque omnibus viribus impugnabat: quo tempore Obenignus pedeſtri itinere Romam petens forte an conſilio in ea loca peruenit. Is Regis conceſſu in vrbem ingreſſus obſeſſis auctor extitit deditiones per conditiones maturandæ. Defenſionis ſpem nullam ſupereſſe Gallia longinqua ſuo Rege aliis curis diſtricto. Satis moleſtiarum diuturna obſidione toleraſſe. Non videri amplius laborandum. Ita vrbe dedita Galli roſtrata naui & duabus onerariis diſceſſerunt in Galliam. Miraculo eſt habitum è duabus nauibus alteram mari hauſtam ad littus alteram Terracinæ eiectam fregiſſe. A templorum ſpoliatoribus dona auro & argento grauia & ſacrorum inſtrumenta reliquumq; apparatum nulla religionis cura vehentibus eas pœnas ſcilicet habuerunt locorum præſides tutelareſq; diui. Sic opes male partæ pereũt, perduntque poſſeſſores. Cæſar, vti erat pollicitus tranſcenſis Alpibus in Inſubres armatus irrupit. Mille equites, pedites quinque millia ſequebantur nomen magis quam robur exercitus. Præcipua ſpes in Italicis copiis. Itaque Mediolanenſis Dux ſe cum illo coniunxit. Sabaudus & Monferratus imperii beneficiarii, quamuis Aſta euocati venire neglexerunt. inane ſine viribus maieſtatis nomen ſpreuere. Idem fecit Ferrarienſis Dux tametſi Mutinam & Rhegium Imperatorum beneficium obtinebat. Genuam tueri erat propoſitum aduerſus Galli conatus miſſa claſſe & ope Rouerei Sancti Petri Cardinalis aliorumque ciuium eam redigere in poteſtatem contendentis. Piſanos præterea tegere animus erat aduerſus Florentinos omnibus viribus conantes eos ad priſtinum ius ditionemque reuocare oppreſſa quam à Gallo acceperant libertate. Illi quoniam pares viribus non erant, vt arreptam libertatem retinerent, ad aliorum Principum opes ſupplices confugerant. Ac Venetos nominatim ad vires communicandas ſolicitarant quiduis perpeti obſtinantes, ne iugum ſeruitutis grauiſſimum atq; intolerandum à Florentinis reponeretur, extremum malorum. Eam prædam Dux Mediolanenſis Venetis eripere cupidus ac vero eius vrbis poſſeſſionem ad ſuum principatum adiungere, auctor Cæſari extitit vt Piſanorum patrocinium ſuſciperet. Quod ille libenter fecit: ac Liburnum vltra Arni fauces poſitum oppidum nobile portu circumſedit præſens. Conatus inanis fuit; obſidione ſoluta cum ignominia diſceſſit. Pudenda actionum inconſtantia agebatur: neq; ſatis principibus fidebat, à quibus erat euocatus. Ita de reditu in Germaniam cogitare cœpit nulla decoris cura. De ea re Ticini deliberatione ſuſcepta, cui conuentui cum aliis Dux Mediolanenſis interfuit, Bernardinus Caruaialius Cardinalis à Pontifice legatus, vt Principum fœdus promoueret, accommodata oratione perſuaſit, vti dilata tantiſper profectione rebus Genuenſibus opem ferret, quæ in periculum veniebant propter Galli conatus eam vrbem ſuæ ditionis facere cupientis. Cũ ex Hiſpania eſt allatum inducias enimuero Reges Gallum inter & Hiſpanum pactas ſpe haud dubia pacis porro perpetuæ inter ſe ſanciendiæ. Id Italicas rationes vehementer conturbauit: ac Cæſar vt ardentius in diſcedendi voluntatem incumberet effecit. Induciæ ab Hiſpano hac occaſione ſunt cõceſſæ. Quo tempore bellum ad Neapolim maiori impetu gerebatur. Hiſpanis noui ex Gallia terrores oſtentati. Irruptionibus quæ per Ruſcinonenſes identidem fiebant irritata ea gens vindicare haud dubium parabat. Delectus militares in Gallia ingentes ac reliqui bellici apparatus, imminere Hiſpanis finibus tempeſtatem manifeſte indicabant. Ea cura Ferdinandus Rex Catholicus eo propius accedens Gerundiæ aliquandiu ſubſtitit cum delectis copiis, quæ ex omni parte ad periculum confluxerant gentis in arma promptæ. Verum autumno præcipiti cum nihil ex Gallia moueretur, dimiſſis Rex copiis & pleriſque militib. alio atque alio dilapſis in Caſtellam redire atque Burgos feſtinare conſtituit: quo Reginam occurrere mandauerat filii principis nuptias cum Margarita ſponſa celebratum. Ea profectione cognita Rex Gallus Ruſcinonenſes idoneo præſidio nudatos atq; opportunos iniuriæ cõtracto raptim exercitu, decem & octo millia milites ductore Carolo Albonio Sanctanderii regulo pro duce Borbonio Narbonenſi limiti ea parte præfecto in Hiſpaniæ fines irrumpere mandat. Sic ad quintum decimum Kalendas Nouembris qui dies Veneris fuit, Salſulæ in aditu Hiſpaniæ poſita arx iis copiis eſt circumſeſſa. Murus erat veteris ſtructuræ, neq; idoneus tormentorum ictib. ſuſtẽtandis, quæ peſtis igneo vomitu & globis ferreis obuia quæq; proſternit. Militum qui erant in præſidio virtus hoſtilẽ impetum diu ſuſtinere nõ potuit. Die proximo oppido per vim expugnato, arx etiã ad deditionis cõditiones redacta eſt. Aduolauit Hẽricus Comes ad pręſidiũ, & cũ iis copiis, quas contrahere potuit, ad Ribaſaltas conſtitit quatuor paſſuum millibus diſſitum oppidum.

Serus opitulator arce iam amiſſa. Quod erat proximum ad nominis exiſtimationem tuendam, hoſtem, qui deſerta arce quam tueri non ſperabat, ſe ad vicinos montes receperat locorum aſperitate magis confiſus quam viribus inſecutus eſt pugnandi ſi copia eſſet, certa voluntate. Conſtiterunt ferme in conſpectu vtraque caſtra dies aliquot. Ventum ad manus non eſt: actum tamen per internuncios de fœdere. Sanxere itaque vti ea parte quidem poſitis armis induciç eſſent vſque ad octauum decimum diem menſis Ianuarii
1497 anni proximi Milleſimi quadringenteſimi nonageſimi ſeptimi. Nihil eſt in bello tam leue quod maiorum rerum momentum non ſit. Itali principes ex iis induciis ſuſpicati Regem Hiſpanum communi cauſa & fœdere deſerto ſibi priuatim conſulere. Quæ ſuſpicio manauit latiſſime. Cæſaremque iam dudum de reditu cogitantem impulit, Italia deſerta nullo tantæ molitionis pretio in Germaniam extemplo vt feſtinaret præceps & pauidus.

Dux Gandiæ occiſus. CAPVT XV.

SImul Virginius & Iordanus Vrſini ad Neapolim vincti ſunt magna multorum inuidia, & vinculorum ſuaſor auctorque Alexander Pontifex in eius familiç oppida & ditionem inuolauit, quam obtinebant ampliſſimam in agro Romano. Præcipui duces ei bello deſignati Gādiæ Dux, Vrbinas, atque Fabricius Columna aliquot initio oppidis captis Bracianum obſidebant ſitu & ope firmiſſimam arcem. Carolus Vrſinus & Vitelocius pecunia ex Gallia aduecta, delectibuſque militaribus inſtitutis equitum peditumque, obſeſſis opem ferre decreuerunt. trecētos grauis armaturæ equites, leuis armaturæ quadringentos, pedites bis mille & quingentos ſub ſignis habebant. Cum his copiis Vaſanum Pontificiç ditionis oppidum impugnare ſtatuunt. Validum municipium auferre Pontificiis è re famaque videbatur: Certe Pontificios auxilio venturos ſoluta Braciani obſidione haud inepte cogitarunt: futuramque pugnæ copiam ex æquo. Non fefellit coniectura. hoſtes quamuis minori numero Vrſinis obuiam procedunt pugnandi deſtinata voluntate. in victore exercitu amiſſi eius oppidi ignominiam hærere graue exiſtimantes atque intolerandum. Ventum ad manus ad nonum Kalendas Februarii. Motæ loco initio Vrſinorum acies in vicino colle conſtiterunt loci munitione magis quam armis fretæ. Fabricius Columna cum copiarum parte æquiorib. tramitibus circuire collem, hoſteſque adoriri à tergo parabat: cum illi Pontificiorum paucitate qui in acie perſtabant, conſiderata in eos præcipites feruntur eo impetu, quem illi imminuti numero nihilque minus expectantes non tulerunt. Cæſi omnes verſique in fugam. Gandiæ Dux vulnere in facie accepto euaſit, Vrbinas captus eſt. Nobilis victoria ad famam, vſu ſalutaris fuit. Oppida quæ erant ablata ad victores ferme redierunt. Ipſe quoque Alexander Pontifex maioris mali metu & re neceſſaria magis quam ſyncera voluntate Vrſinos recepit in gratiā. Gonſaluus quamuis bello Neapolitano nondum confecto Romam cum militari manu profectus Pontifici adiutor, eius concordiç conſtituendæ præcipuus auctor extitit: eoque merito Vrſinorum familiam viris armiſque prævalidam Regi ſuo conciliauit. Quibus rebus conſtitutis Pontificis hortatu eiuſque in gratiam Oſtiam abiit, quæ vrbs Gallico vſque dum præſidio tenebatur. Menaute Guerri Præfecto, tanta ex eo moleſtia vrbis Romæ, vt non ſecus ac ſi hoſtis pro portis eſſet & circū mœnia, annonæ anguſtia laborarent. Magnæ difficultates opponebantur, ardua arcis mœnia, munitiones adiectç validum præſidium, in multos dies comparatus cōmeatus. Virtuti ceſſere difficultates. intra octauum diem ab Hiſpanis admotis ſcalis capta per vim: & Præfecto tamen ſe tandem dedenti vita multaque blandimenta in fidem accepto data ſunt. Multum ad eam vrbem capiēdam Garſiæ Laſſi pro Rege catholico legati apud Pontificem induſtria virtus que contulit, atque ea prudentia qua nemini ſua ætate conceſſiſſe viſus eſt. Gonſaluus cupiebat ea expeditione confecta in regnum Neapolitanum redire arces impugnatum, quæ à Cardinali Sancti Petri Iuliano Ruuereo Gallicis partibus addictiſſimo ad fines eius prouinciæ obtinebantur. Adit Pontificem, diſcedendi facultatem petit, ſermone longius producto Reges Ferdinandum & Iſabellam in eius ære eſſe Pontifex ait, neque in officio reſponderé tamen, vt erat opus, & collata beneficia poſtulabant. Ingenium eorum nemini æque
,, ac ſibi eſſe notum. Credo equidem, Gonſaluus ſubdit, tibi eſſe notos quorum in ditione
,, es natus. Quod vero addis nulla eorum in te officia extare: nimirum oblitus es eorū Re-
,, gum ope & auctoritate ſtare tibi pōtificatum, in tanta quamuis licentia actionum aulæq;
,, vniuerſæ morum peruerſitate. Ergo quæ collapſa ſunt, ſeueriori cenſura in priſtinum ſta-
,, tum reſtituas moneo priuſquam meus Rex religione prohibeatur ei fauere qui ſuis mo-
,, ribus vniuerſum orbem Chriſtianum fœdare, prauoque vitæ exemplo multis exitio eſſe videatur.

videatur. Adiecit alia quæ ira dedit: recenſuitque ſigillatim beneficia collata à ſuis Regibus multa & magna. Pontifex victus conſcientia ſcilicet & audacia hominis militaris perterritus, cui loquendi fiduciam miſera temporum & morum conditio dabat, mutire non eſt vltra auſus. Malorum etiam colluuies, qua ex eo fonte orbis Chriſtianus premebatur, Caſtellæ & Luſitaniæ reges impulit repetitis legationibus Gonſalui exẽplo tantundem à Pontifice vt poſtularent. Verum fruſtra omnis opera ſumebatur frænanda impotentis ingenii prauitate, ita formatis auribus vt acerba quæ vtilia, & nihil niſi iucundum & nociuum acciperent. Quin paulo poſt in Cardinalium cætu vbi de regno Neapolitano Friderico confirmando actum eſt, Beneuentum Pontificiæ ditionis vrbem Gandiæ duci, vt traderetur, ſerio agitauit. Præterea deſtinatum habebat iis Regibus tributi, quod annuatim eccleſiæ Romanæ pendere iure fundi conſueuerant, gratiam facere, mutare principatu, quem Gandiæ Duci dari volebat in ditione centum aureorũ millia valore exæquantem. Reſtitit coram Garſias Laſſus effræni cupiditati augendi ſuos: ac diſertis verbis denunciauit ſuo id Regi curæ fore ſi ſecus eſſet decretum: neque paſſurum vt Beneuentum in cuiuſquam gratiam eccleſiæ detraheretur quocumque tandem prætextu, ratione ue. Parum ea diligentia fuiſſet profectum, niſi quem neque ratio à furore neque pudor à prauitate continere poterat, eius rationes conturbaſſet Ducis Gandiæ repentina ſæuaque mors. Id qua ratione contigerit explicandum eſt. Nocte quadam ad octauum decimum Kalendas Iulias ex hortis, vbi cænati erant, dux & duo Cardinales Valentinus & Borgia ſe domum referebant. Diuertit de via dux cum vnico à pedibus famulo: quem etiam à ſe dimiſit arma quæſitũ. Fecit ille vt erat imperatum: verum in reditu herum non inuenit: neque vero die proximo omnino intelligi potuit vbi eſſet. Mula tantum qua vehebatur ad Flaminiam portam Vrbis eſt inuenta indicium aduerſi alicuius caſus. Maiori diligentia & inquiſitione cognitum è nauiculario eſt de media nocte è cymba in qua pernoctabat, vidiſſe hominem è mula qua portabatur ab alio in clunibus inſidente & duobus ab vtroque latere ad extremum pontem vbi ventum eſſet, in ſubiectum flumen præcipitem datum. Rogaſſe qui in mula ſedebat, an mergeretur: ac duobus affirmantibus, diſceſſiſſe omnes. Loco à nauiculario deſignato vrinantes ad imum vſque flumen quæſitum diligenter corpus inuenere nouem fœdatum vulneribus cum veſtibus ac reliquo omni ornatu. Autor cædis qui eſſet, explorari non potuit. Multi ſuſpicionibus exagitati. Quidam ab Vrſinis occiſum putarunt, iram in patrem conceptam in filium expromentibus ſcilicet. Alii Aſcanium Sfortiam Cardinalem ſugillare haud minori odio incenſum in Borgias. Cæſaris Valentini Cardinalis fraus ſuſpecta erat aliis, & paulatim in plures cœpit manare ſuſpicio. Quæ fama præualuit, quaſi inuidia ſtimulatus, quod in Gandiæ principatu minor ætate frater ipſi eſſet antea prælatus, dolorem ea cæde vindicaſſet. Verum quis ſtatuere poſſit? quis vulgi linguam & pronunciandi temeritatem frænare? odium in Pontificem conceptum efficiebat, vt procliui in deterius perſuaſione populos ſiniſtra interpretatione cuncta acciperet. Nempe infenſum ſemel principem alienæ ſæpe culpæ grauant. Ex Duce filius item Ioannes nomine relictus eſt paterni principatus hæres diu ſuperſtes atque ex duobus coniugiis numeroſæ deinde prolis pater.

Ioannis Principis Hiſpaniæ nuptiæ. CAPVT XVI.

QVa claſſe Ioanna princeps in Belgas nauigauit, Margarita Archiducis ſoror ex aliquanto interuallo in Hiſpaniam vecta eſt, ad Ioannis Principis nuptias permutatione alterna inter fratres ſororeſque pacta. Menſe Martio ad Santanderii portum appulit. Rex ſocer & ſponſus obuiam ſunt progreſſi. Ad Reinoſam in manus conuenere: nuptiæ Burgis initio menſis Aprilis celebratæ apparatu & lætitia poſt hominum memoriam ſingulari. Nuptialia ſacra Toletanus antiſtes peregit, auſpices adhibiti Fridericus maris Præfectus & mater Maria Velaſca. vt in aula Margaritæ, miniſteria mutarentur Rex nõ permiſit: ac dedit potius vt ſuo arbitratu retineret eos aulicos, qui gratiſſimi ob communem originem, linguam, moreſque eſſent. De pace inter Regem Catholicum & Gallum per conditiones conſtituenda agebatur. Ferdinando Stradæ in Galliam pro legato ire iuſſo rei perficiendæ imprimis demandata cura. Pacis ſanciẽdæ facultas nondum erat, neque tempus opportunum. Lugduni huius anni initio induciæ generales ſunt pactæ cum Hiſpanis quidem ducto principio à quinto Martii die, cum aliis autem fœderatis principib. ſi vti vellent, ſeptimum Kalendas Maii. Earum finis eſſet Kalendis Nouembris omnibus ſine diſcrimine. ea enimuero cauſa Gonſaluo extitit diſceſſus ab vrbe Roma maturandi, ne ob pactas à ſuo Rege inducias cogeretur arma ponere prius quam arces quæ à Cardi-

nali Sancti Petri in regnó Neapolitano tenebantur, in poteſtatem venirent. Quod præſtare tamen non potuit militari ſeditione intempeſtiue excitata. Pactis induciis agebatur inter duos Reges nihilominus de pace, ne ad arma redire eſſet neceſſe. Fridericum Regem Neapolitanum Galli propter paternos natales vitioſos iniuria id regnum occupare priores accuſarunt. Eo excluſo ius regnandi ad Gallum neceſſario, aut Hiſpanum pertinere. Præſtare poſitis armis illud inter ſe per conditiones partiri. Non diſplicebat ea conditio Ferdinando, neque dubitabat totam cõtrouerſiam Cæſaris arbitrio permittere. Recuſabat Gallus ius ſuum minime dubium, vt ipſe videbatur, ad iudicum examen vocare. Ferdinando tamen ſi regnum id ſibi cederet, æquam compenſationem offerre aut in pecunia, aut alia quapiam ratione: vſque eo vt Vaſconum regnum ſe daturum polliceretur: quorum reges habere Ferdinandus ſuſpectos cœperat, Labretis & Fuxenſibus, vti natura cogebat, ad Gallos nimium propenſis. Ad Medinam Campeſtrem quo Galli legati venerant, de re tanta diſceptatio erat inſtituta. Studio ii prouecti ſui Regis nomine Brutios & magnam Græciam in extrema Italia pacis pretium promittebant; ea tamen exceptione, vt ſi reliquo regno ſubdito victor Gallus eam etiam prouinciam ſuæ ditionis facere vellet, Vaſconum regno mutare liceret: additis tamen triginta aureorum millibus annuis exæquarentur cum eius prouinciæ, minora Vaſconum regni vectigalia. Gallicis pollicitis ita mouebatur Ferdinandus, vt belli potius odio mallet Friderico regnum confirmari tantum pecuniꝙ daturo Gallis quantum delecti arbitri pro factis in ſuperiori bello ſumptibus iudicaſſent, annuo quinetiam tributo adiecto, quod in omne tempus penderetur. Quo fœdus eſſet ſtabile, Ferdinandus Dux Calabriæ Friderici filius natu maior Borbonii Ducis filiam ex Regis Galli ſorore natam duceret, dotis nomine veniam & pacem in eam regiam illaturam. Honeſta conditio. Sic Gallici legati ſunt dimiſſi. Et quoniam induciarum tempore decurſo metus ſuberat redituros ad arma Gallos Rex Catholicus nihil de ſua comparatione remittere à multo vſu cautus attentuſq;. Vaſcones imprimis frænare erat propoſitum, vnde bellici terrores vel maxime oſtentabantur. Ita ab iis Regibus arces in ſuam poteſtatem contradi fidei pignora volebat, certe arcium præfectos nouo in eius verba ſacramento fidem aſtringere. Ad hæc Bernardinum Velaſcum equitum in Caſtella magiſtrum limiti ea parte præfecit, ne ſe Vaſcones poſſent commouere. Non minor de Ruſcinonenſibus cura erat, ne per eos fines Galli in Hiſpaniam irrumperent duce deſtitutos. Quoniam in populari tumultu inter milites & ciues forte Perpiniani concitato Henricus Comes ad ſedandas iras egreſſus lapide ex ſolario temere iacto ictus perierat. Ergo in eius locum Fridericus Albanus Dux Gallorum conatus ea parte reprimendi curam ſuſcepit. Claſſis etiam Hiſpanica ad ea littora accurrere iuſſa eſt. ductor Enecus Manricus. Atque hi bellici apparatus in Hiſpania erant neque nulli neque maximi. In Italia Fridericus Rex de ſuis rebus ſolicitus delectus habere auxiliaque vndique conquirere. Ducem Mediolanenſem imprimis in partes attrahere ſatagens geminis nuptiis oblatis eius, quoniam Hippolyta vxor ſuperiori anno deceſſerat, cum Carlota ſua ex priori vxore, ſorore Sabaudi Ducis, filia. Maximiliano Ducis maiori filio Iſabellam Aragoniam coniugem deſtinabat, ſibi item ex Iſabella natam Principis Altamuræ filia ſuperſtite coniuge. Honeſtæ conditiones neque repudiandæ prorſus pręcipiti vtriuſque familiæ caſu caruerunt effectu. Simul à Romano Pontifice vt ſibi regni eius poſſeſſionem ſuo diplomate confirmaret enixe contendebat, aduerſus imminentes tempeſtates non leue ſtabilimentum. Id vt aſſequantur Borgiis ſe multa largiturum pollicitus. Ita exorato Pontifice non multo poſt Valentinus Cardinalis miſſus Neapolim iurato in pontificis verba quaſi beneficiario coronam capiti impoſuit. Affuit toti cæremoniæ Archiepiſcopus Conſentinus. Populus non ſecus ac ſi pacata prouincia eſſet prompta adulatione gratia haud diuturna, eius diei lætitiam ludis, conuiuiis, & exquiſito apparatu, ac ſumptu celebrauit. Rex etiam ſe in eos munificum exhibuit, quorum præclara opera extiterat. Itaque peractis ſacris voce pręconis Proſperum Columnam Traiecti Ducem Fundanum Comitem eſſe iuſſit, Fabricium Columnam Talliacozi ducem, Gargani Magnum Gonſaluum. Piſcarii Marchionis extincti fratrem Enecum Daualum Vaſti Marchionem denunciauit. Plura alia multis è nobilitate largitus eſt. his debita dimittere, aliis dare immunitates nulla in poſterum cura regnum lacerare. Omnium voluntates ea beneficentia promereri erat propoſitum, qua popularium animi maxime capiuntur. Munificentiam celebrabat vulgus, quidam etiam pecuniis mercabantur. Sapientes irrita iudicabant, quæ neque dari neque accipi poterant incolumi imperii maieſtate. Antonelus Sanſeuerinus Salerni Princeps celebritati non interfuit. vocata quamuis per edictum

ctum vniuerſa nobilitate venire renuit. Nouorum motuum ea fundamenta erant: præſertim ad eam noxam munitis arcibus denuo atque armis & commeatu comparato. quæ noua culpa erat, alienatæ voluntatis argumentum haud dubium.

Luſitani in Indiam penetrant. CAPVT XVII.

VNo tempore Europæ quidem prouinciæ ac præſertim Italia præſenti malorum ponderc, maiori impendentium metu fatiſcebat, extrema autem ad Solis occaſum Luſitania diuturnæ pacis bonis omnibus & felicitate florebat domi; foris conſpicua imperii fines ad remotiſſimas gentes proferre, Euangeliiq; lucem ad poſtremos orbis terrarum fines accendere, ad ipſoſq; adeo Indos penetrare cogitabat. Conſiliũ auſu temerariũ viſum, euentu ſalutare extitit ingentemq; deinde gloriam genti peperit pareſq; opes. Henricus Eduardi Regis frater ingenti ſpiritu vir primus omnium in eam cogitationem incubuit nouas orbis regiones inueſtigandi: anniuerſariiſq; claſſib. Auſtralem cœli plagam explorare iuſſis ad extima Africæ littora, qua inflatis immenſum Oceani fluctib. quatitur, nouas inſulas, gentes incognitas inuenit. Præclaros eius conatus abrupit mors: quæ incidit in ſalutis humanæ annum milleſimum quadringenteſimum ſexageſimum ætatis ſeptimum & ſexageſimum. Clariſſimum Principem immortali gloria, tum ob alias virtutes & caſtitatis cultum nullo per totam vitam fœmineo contactu fœdatæ, tũ præſertim propter eam nauigationem ingenti auſu tentatam. Per ſe parum (etenim non multum proceſſit) magni momenti locum obtinuit tẽpore conſequenti. Deſtitit Alfonſus Rex Eduardi filius incœpto non voluntate certaq; ſententia, ſed motu temporũ impeditus & continuis calamitatib. aliis ſuper alias ad vitæ exitum exercitus. Eius filius Ioãnes eo nomine ſecundus, ardenti ingenio princeps eo repetito cõnatu dimiſſis identidem claſſib. Africæ & Æthiopiæ littora longe lateq; aperuit vltra mediam cœli plagam antiquis incognitam inacceſſamq;. Neq; ceſſauit in opere priuſquam immẽſa Africæ littora in promontorium deſinere cognitum eſt flexu terrarum in Orientem facto, cui à cõtinuis maris tempeſtatibus Procelloſo nomen fecere nautæ. Rex ipſe ominis cauſa Bonæ ſpei nuncupauit, & quoniam eo circumflexo ſperabat ad Aſiæ & Indiæ Orientalis oras poſſe nauigando penetrari, inconceſſam laudem vlli antea mortalium; Orientiſq; opes immẽſas & copias in Luſitaniam auertere. Sic promontorio, id eſt nomen loquentium vſu confirmatum. De iis regionibus certiora allaturos terra prius Petrum Couillaniũ & Alfonſum Paiuam Aſię atq; Africæ penitiores receſſus exploratum miſit, vti competenti loco explicatũ eſt. Couillanius quidem Aſiæ littorib. emenſis Cairum Ægypti vrbẽ primariam rediit. Inde Paiuæ obitu cognito, quẽ initio mors oppreſſit magnis ſæpe aduerſa conatibus, in intimam Æthiopiam, qua late PreſtoIoannis imperium patet, penetrare porro inſtitit. Ab eo principe reditu in patriam prohibitus ad ſuum Regem tamen viſa explorataq; de ſcripto concepta explicataq, ſigillatim cunctorum ratione miſit: nullaq; deinde dandi litteras facultate pro mortuo habitus eſt: donec conſequenti tempore, quid illi acciderit Luſitani aduentu ſuo in Indiam cognouere. Interea poſt IoannisRegis fata Emanuel rerum cura ſuſcepta continuo animum ad eam maturandam expeditionem retulit. De re tamen tanta in conſilio prius deliberatione ſuſcepta, variæ, vt fit, dictę ſententiæ. Pars longinquã adeo nauigationẽ auerſari. Ingẽtia pericula, exigua cõmoda, parum ſpei. Si gloriã ſi vtilitatẽ ſequeretur, ex Africano cõmercio & Æthiopico mari ſatis magnos fructus ſuppetere. Quid maiora viribus captarent? quid præcipiti temeritate in certum exitium ruerent? Præſtare gentem Luſitaniæ campis deſertiſq; latiſſimis colendis exercere, quam maioris lucri ſpe otio & deſidia prouinciales corrumpi, mores patrios inuerti. Quod deinde malum emendari non poſſet. Alii procedendum in opere contendebant. Neq; enim eatenus eſſe cur incœpti pœniteret: vti aucta ex eo commercio vectigalia regia argumento erant. Magnis conatib. aditus primos arduos ſemper à generoſis animis vinci, iiſdem difficultatib. ignauos homines obrui. Si cauti nimium eſſe velimus, quis ingentia facinora vnquam aggredietur? Nihil gratis mortalibus natura dat. Timidos fortuna ſeu Deus deſtituit, fortibus adeſt. Modum quibuſdam placebat nauigationi præſcribere. Africæ littora explorari vniuerſæ, neq; vltra procedere. Honeſtum & commodum certis finibus includi: cupiditati niſi frænos iniicias, immenſum efferri: neq; ceſſare niſi in præceps dato eo, qui obtemperandum duxerit. Luſitaniæ viribus & copiis ſi extenſas immenſum Africæ regiones aperirent, fore ſatis. Suo ſe quemq; metiri pede eſſe verum. Inter variantes ſentẽtias, in qua plus dignitatis erat, ea vicit in cõcilio; & ſecundum eam Rex incœpto progrediendi deſtinata voluntate, quatuor naues inſtrui omnib. rebus mãdat. iis Vaſcus Gama præficitur

magnorum ſpirituum vir,eoque vel maxime idoneus ad nouum iter nouamque nauigationem tentandam, qualem ab vlla memoria aggredi nemo auſus fuerat. Socii adiuncti Paulus Gama frater & Nicolaus Cœlius, aliique viri præſtantes, ad hæc centum & ſexaginta pars nautæ pars milites. Exigua manus,ingens incœptum. Regium vexillum ſacra precatione luſtratum de more in Diuæ virginis templo ab Henrico olim Principe primo totius nauigationis auctore in littore Oliſiponenſi extructo: quibus deinde veſtigiis, auctis Indico commercio vectigalibus Emanuel Rex nobile monaſterium Bethleem dictum Hieronymiano ordini conſtituit. Ex eo loco conſcenſis nauibus ſoluerunt ad ſeptimum idus Iulii,inter multorum qui abeuntes ad littus proſequebantur lachrymas & lamenta, vt non felicem nauigationem precari, ſed funus efferre viderentur, quos nunquam viſuros certo ſibi perſuadebant.Illi tamen læta fronte,anxiis animis explicatis velis Fortunatas inſulas petiuerunt:inde Viridis promontorii inſulas:quas antiqui Heſperidas dixere. Eas inſulas præteruecti, atque quæ in eo numero eſt præcipua & a diuo Iacobo nomen habet relicta,directis ad ortum proris ſinu vaſtiſſimo enauigando multis procellis obnoxio tres menſes conſumpſerunt, priuſquam terram è Charcheſiis intueri omnino poſſent. Cœlum vndique tantum & mare. Donec vltra mediam cœli plagam decem gradibus viſa terra ad amœni fluminis oſtium applicuere naues multis opacum arborib. aquandi neceſſitate, & vt ſe à iactatione maris reficerent. Gens erat colore fuſco,capillo criſpo & breui,nudis corporibus,tiguria è paleis & ramalib. ,piſcibus ſole duratis,pomis, & herbis quas ſponte terra fundit, vitam tolerant, nullo in mutuos vſus ne cum finitimis quidem commercio. Cum iis per nutus, quoniam lingua prorſus erat ignota, inito commercio, vilibus ſcrutis regionis fructus & pecora mutarunt, commeatum reliquæ nauigationi. Sinui ſanctæ Helenæ flumini diui Iacobi indita ex eo tempore nomina. Repetita nauigatione Bonæ ſpei promontorium ſuperare conantes,continuis atq; ſæuiſſimis tempeſtatibus iactati identidem de ſalute deſperabant. Prorſus vt ſocii ducẽ circumſiſterẽt obteſtarenturq; ne præcipiti temeritate rueret in exitiũ,quid cũ maris ſæuitia,quid cũ cœlo luctaretur?quid negatã omnib. viã temerario conatu tentaret? De reditu cogitaret potius,eam ſalutis vnam ſpem eſſe ſcilicet reliquã, tenuem quamuis & exiguã. Inuicto Gama poſtulabat animo, neque ſociorũ lachrymis & obteſtatione mouebatur. Contra hortari fortibus animis inanes ponerent metus. Adeſſe finem omnibus votis expeditũ , iam nihil gloriæ deeſſe,nihil obſtare virtuti,labore non maximo incognita niſi immortalibus eſſe viſuros.Salutaria monẽti metus obſtruxerat aures. In necem eius conſpirant, vnius capite aliorum omnium ſalutem redimere cogitantes. Indicata à Paulo fratre coniuratio ne naucleros in vincla ferrumque dat: ipſe nauis qua vehebatur gubernandæ curam arrepto clauo ſuſcipit. Summa contentione ad extremum promontorium tandem luctando cum fluctibus peruenit. Frequentes & amœni agri viſebantur, ſyluæ præcipua viriditate, proceris & opacis arboribus veſtita littora. Eo promontorio circumducto ad duodecim.Kalendas Decembris, quo tempore ſolis ad Auſtrum inclinantis vicinitate maximi æſtus in iis regionibus vigent emenſiſque porro quinquaginta circiter leucis ſinus occurrit, cui à ſancto Blaſio nomen eſt factum. In medio ſinu inſula iacet ſpatiis anguſta vitulis marinis referta. Ad eam inſulam applicuerunt naues aquandi neceſſitate. Incolæ ea parte ſimiles iis erant qui aduerſa littora Africæ late tenent, fuſco colore, nudo corpore, genitalibus modo in ligneam vaginam conditis. Elephantos terra alit, & boues quib. pro iumentis vtuntur ſarcinariis. Aues viſuntur implumes anſerum magnitudine alis membranaceis veſpertilionum in modum. iis non ad volatum vtuntur, ſed ad curſus velocitatem incitandam. Ex iis locis profecti lenta quamuis nauigatione propter maris rapidi & reciprocantis fluctus aduerſos, ad regionem tandem peruenerunt, quam incolæ quidem Zanguebarem dixere, noſtri à Chriſti natali nominarunt à die quo eo applicuerunt, indita ſinui appellatione fluuium, qui ea parte in mare mittit Regum dixere, quoniam quo die Magorum ad Chriſtum aduentus memoria anniuerſaria celebratur egreſſi aquatũ è nauibus in littus ſunt. Maris æſtus nihil remittebat, neque aduerſæ & fœdæ tempeſtates. Ergo vitata terra in altum progreſſi, Zofala non viſa tunc,quod præcipuum in iis littoribus oppidum occurrit,venis auri imprimis nobile, vltra illud prouecti gentem conſiderarũt,minus quam priores coloratã,cultu aliquanto elegantiorem, quantũ ex geſtibus & ſignis licebat coniicere,maiori humanitate & moribus cultioribus. Æneas armillas in brachiis geſtabant: viri inſuper pugiones ſtãneis capulis. Lingua erat prorſus ignota, niſi quod inter alios quidam Arabice noſtris ſecundam ſalutem renũciauit:nõ procul verſari in cõmercio naues Luſitanis haud abſimiles tum forma tum magnitudine. in iis homines colore candido negociari. Ea denunciatio gratiſſima accidit,

accidit; quod quiuis ex ſuo ſenſu æſtimare poteſt. Indiam enim ex iis notis à barbaris ignaris deſignari intellectum eſt. Itaque in vota preceſque conuerſi Deo gratias immortales egerunt concinentes hymnum, vt tantis muneribus cumulum, tantis laboribus felicem exitum adderet cum lachrymis poſtularunt. Simul ex eo flumini vicino Bonorum ſignorum indidere nomen tantæ lætitiæ poſteris monimentum. ad hæc columnam in littore erexerunt Raphaelis archangeli indita appellatione, quod ad eum terrarum & maris tractum nomen ex eo deriuauit: atque è decem hominibus, quos capitalia in Luſitania promeritos morteque in exilium mutata ſecum adduxerant ea cauſa, duos ibi reliquerunt, qui gentis linguam addiſcerent, & totius regionis ingenium, mores & naturam explorarent. lætitiam ex ea ſpe conceptam maximam haud dubium, multorum aduerſa valetudo obſcurauit. Gingiuis intumeſcentibus multi abſumpti ſunt. Grauitatem cœli quidam accuſabant; alii ſalſamenta, quibus tandiu ſuſtentarant vitam. Inſalubrium ciborum inſolentes ſucci, itineris labor, animi ægritudo, nouumque cœlum morbos vulgarunt. Menſem integrum iis in locis traxere moram non minori periculo quam moleſtia. Inde Moſambicum itum eſt vrbem in inſula exigua poſitum è quatuor continenti proximis quinto decimo vltra æquatorẽ gradu, vigeſimo à Bonæ ſpei promõtorio commercio nobilem propter confluentes vndique magno numero ex iis regionibus mercatores. Incolæ religione Mahumetani erant colore ſubnigro, bombycinas veſtes diſtinguente auro, tegumenta capitum è linteo in ſpiram complicato præcipua magnitudine. Ex humeris pendebant acinaces, læua geſtabant ſcuta. In eo habitu conſcenſis myoparonibus ad viſendas noſtras naues venerunt. Accepti benigne atque habiti. Ex iis ſciſcitando cognitum eſt vrbem eam Abrahemi Regis Quiloæ ditione teneri vrbis in iis littoribus nobilis vlteriuſque poſitæ. Rebus ab eo gerendis præfectum Prætorem, quem Arabice Xequem vocant, & alioqui proprio nomine tunc Zacoeya nuncupabatur. In eius Prętoris gratiam datis muneribus inſinuati noſtri impetrarunt duos naucleros maris peritos, qui nauium curſum in Indiam dirigerent ne in vada aut ſcopulos inciderent. Atq; initio quidem incolæ noſtros Sarracenos occiduos perſuaſi eos humaniter acceperunt: ea vero initæ amicitiæ cauſa. deinde cognito Chriſtianæ religionis eſſe cultores benignitatem odio mutarunt: ipſi quinetiam nauigationis duces natatu fugientes naues in alto deſtitutas deſeruerunt. Tormentis Luſitani in vrbem directis verſantes in littore quoſdam peremere magno reliquorum omnium terrore: quorum ad oculos & aures ea fulgura & tonitrua inſolita prorſus accidebant. Prætor imprimis ad imas preces deſcendens placare iram quacumque ratione cupiebat. Ergo condonata noxa nauclerum accepiſſe itineris ducem ſatis habuerunt haud minori perfidia quam priores. Omnino eos Quiloæ Regi in poteſtatem tradere ſatagens gentem Chriſtianam ea loca tenere prædicabat, ex iis quos Abiſſinos vocant. Si ad eam vrbem appellerent hoſpitii ius commeatuſq; omne genus fore facultatem. Blandis verbis & pollicitis deceptos & periculo proximos diuinum numen eripuit. Inflato repente mari eum portum tenere non potuere. Alioqui in apertum diſcrimen veniſſent, vrbe prævalida, Regeque ob ea quæ ad Moſambicum geſta audierat vehementer infenſo atque in vindictam prono. Non deſtitit tamen Sarracenus nauclerus noſtris continuata perfidia dolos nectere. Ergo ſuaſit vti Mombazam peterent vrbem rupi impoſitam mari circumfluo ferme omni ex parte, portuque ex eo commodiſſimo inſignem. Ex ea vrbe multi noſtros ſtudio viſendi proceſſere obuiam: cũ quibus arcano conceptam perfidiam perfidus communicauit haud diſſimili hominibus ingenio. Vis numinis quanta eſſet eo etiam loco apparuit in Luſitanos benigni hoſtibus infenſi. Vaſcus Gama in ipſo portus aditu, ne in proxima breuia incideret, repente demitti vela, ancoras iaci præcepit. Ibi nauclerus ex repentino nautarum diſcurſu & ex conſcientia perfidiam detectam veritus ſe in mare deiecit proxima terra. Idem eius exemplo fecerunt quidam eius vrbis ciues qui è nauibus nondum abierant. Naues tres tantummodo erant: nam quarta commeatibus deſtinata, iis conſumptis & propter nautarum paucitatem iam dudum fuerat incenſa. Gratias noſtri egere ſuperis, quod manifeſto eos periculo eripuiſſet: præterea nauclerum nauigationis ducem commodiorem breui nacti ſunt. Sublatis inde velis continuato itinere gemina Sarracenorum nauigia ceperunt, atque in iis captiuos omnino tredecim, nam alii in mare omnes proſiluerunt. Ab iis cognitum Melindem vrbem haud procul abeſſe ferme æquatori ſubiectam. Regem inſigni humanitate eſſe, beneficum atque in aduenas hoſpitalem. Ea denunciatione animati noſtri eo contendere decreuerunt. Vera eſſe quæ à captiuis audierant, deprehẽdunt. Regi, eorum aduentus gratus extitit: & quoniam ſenio ipſe prohibebatur naues inuiſere, filium pro ſe vicarium miſit: cum quo omni comitatis & benignitatis genere à noſtris certatum

eſt. Secundum ſalutem & munera vtrinque data gratiſſimos ſermones miſcuere. Dedit is princeps nauclerum noſtris. Gama contra tredecim, quos paulo ante ceperat, Sarracenos donauit gratiſſimum ei principi donum. Sic comparato commeatu nauibuſque refectis, Luſitani diſceſſerunt fide data in reditu eodem ſe venturos benignitatis regiæ memores, & vt facultas eſſet oratorem in Luſitaniam mittendi per cauſam Emanuelis Regis amicitiam expetendi. Lenta nauigatio eatenus fuerat. Chriſti in vitam reducis memoria ſacri ſolemneſq; dies tranſacti. Melinde tamen ſoluentes ſecundis prouecti flatib. vno & viginti diebus in Indiam laborum metam diu optatam peruenerunt ſeptingentis ferme leucis inde diſſitam. Ad tertium decimum Kalendas Iunias terra ab ſpeculatoribus viſa paulo poſt duobus à Calecutio millibus iactis ancoris cõſtitere. Caret ea vrbs quamuis totius Orientis celeberrima portu, & tempus erat minime tutum, quippe iis in regionibus hyems vel maxime ſæuire cæperat, magnum naturæ miraculum, in quo mens humana conſiderando fatiſcat. Malabaris regionem, vbi Calecutium eſt, erecti in nubes perpetua iuga montis interſecant, in promontorium deſinentis quod Cori dixit antiquitas, nunc Comorinũ vocatur. Ab vtraque parte pari altitudine cœli cardo ſurgit, media cœli plaga pari ab vtriſque diſtantia, & citra montes tamen menſe Maio continuis imbribus hyems incipit marique fluctus intumeſcunt, vltra montes æſtatis ardorib. torrentur campi & oppida, pelagus in malaciam componitur. Rem plane mirabilem, atque ſine exemplo. Rationem eius diſcriminis reddere, diuinæ ſapientiæ pelagus ſcrutari mente, explicare oratione num quis poſſit? Acutiſſima ingenia hac diſcutienda quæſtione cæcutiant plane atq; hallucinentur. mentis oculis velum ſæpe natura prætendit, ne poſſit recondita & arcana eius mortalitas aſſequi.

Quid Vaſcus Gama Calecutii *geſſerit.* CAPVT XVIII.

PRiuſquam quid à Vaſco Gama Calecutii ſit geſtum explicamus, operæpretiũ erit, earum Aſiæ prouinciarum amplitudinem compendio deſignatã ob oculos ponere. India omnis ab occaſu Arachoſiæ & Gedroſiæ, & Paropomiſſadarum finibus terminatur, ad ortũ extremos Sinas attingit, ad Septentriones Imao monte, qui eſt pars Caucaſi clauditur. Ab Auſtro Indico mari alluitur Oceani parte. In duas vniuerſa diuiditur, partes, quæ citra, quæq; eſt vltra Gangem. tametſi noſtri Indiæ nomine anguſtius vſurpato appellant Indiam regiones modo Indo & Gange fluminib. comprehẽſas. nam & indigenæ eum terrarum tractum Indeſtam vulgo vocant, & quæ vltra Gãgem vaſtis terrarũ ſpatiis extenduntur, alia nomina habent. Inter hæc duo flumina montes eriguntur perpetuis iugis tendentes ad Oceanum, deſinuntq; ad Auſtrum Comorino promontorio conſtituto. Ad ea littora multæ gentes fuſæ ſunt. Præcipuæ inter alias, Cambaia ab oſtio Indi fluminis latiſſima prouincia, mox Malabares. In medio inter has gentes ſpatio exigua inſula iacet, mare a fronte tergum & latera fluuius claudit in gemina diductus brachia. In ea nobiliſſima vrbs Goa regni Decani pars nũc Luſitani in iis regionib. ſedes imperii. Malabares gens ineptis deorum ſuperſtitionib. miſerrime ſeruiens in quatuor genera hominum tributi ſunt. nobiles quos Caymales vocant; Sacerdotes, qui & Brachmanæ ſunt, præcipua auctoritate homines: milites Nayres dictos; poſtremo plebem ex agricolis & opificibus conſtantẽ. Mercatores ferme ſunt externi. Fuſco colorẽ omnes, vmbilico tenus nudi incedunt, cætera vſque ad tibias bombycina aut goſſipina veſte contegunt, acinaces ex humero pendent ſpectaculum noſtris inſolens. Ritus & mores gentis inſolentiores plane ſunt & feri. Ex vno cætera coniice. Fœminæ multis pro libidine viris nubũt. Ita patres teſtamento filios quippe incertos hæredes non inſtituunt ſed ſororum liberos. Multos in Reges diuiſa gens erat. Regi Calecutii tanquam domino parebant cæteri, ex eo Zamorinum vocabant hoc eſt imperatorem. Opes & à maioribus relictas habebat, & ipſe lõga imperii poſſeſſione ingentes cumulauerat. Lauta imprimis ciuitas & ampla Calecutium eſt, mercatorum ex locis omnibus confluentium frequentia & mercatu aromatum præ cæteris celeberrimum Orientis emporium. In media regione ad mare poſita. Latiſſima ſpatiis quoniam domus inter ſe coniunctę non ſunt. Sed late ſpatiantibus ſyluis & viridariis diuiſæ. Regia tantum & deorum templa è lapide extruuntur: priuatorum ædes è materia palmarum foliis & ramalibus contectæ: neq; plurib. ſublatæ tabulatis ſed humiles. Sumptuoſius ædificare nobilib. iuxta ac plebi eſt vetitum. Is erat Calecutii rerum ſtatus, ii gentis ritus & mores: quo tempore Vaſcus Gama ad eas regiones applicuit. Accurrunt continuo multæ cymbæ ad naues ſtudio viſendi gentem inſolenti vultu, habitu cultuque corporis. Gama è damnatis vnum in terram eiecit, mirabile ſpectaculum genti. Itaque ex

omni

omni parte magno numero circunſtant: neq; ſatiantur aſpectu. Aderant inter alios duo mercatores Mauri Tuneti nati, iis ex habitu cognito Hiſpanum eum hominem eſſe, alter eorum nomine Monzayda Hiſpanice rogat, ex qua Hiſpaniæ regione eſſet? Reſpondet ille è Luſitania. Tunc Maurus domū deductum aduentus cauſam & totius nauigationis ordinem rogat: edoctuſq; omnia ad naues ducem ſalutaturus accedit. Acceptus benigne exponit, quo tempore Ioãnes Luſitanus Rex Tunetū mittere ſolitus erat, qui arma telaq; compararent, ſe fidelem & aſſiduam operam in negotio præſtitiſſe. Ad hęc de regione vniuerſa quæ ſcire opus erat, cuncta ſigillatim expoſuit. Diuinitus datum interpretem diceres. Poſtremo opem & induſtriam, ſi vti vellet, vltro obtulit. Die proximo Gama duos nuncios cum Monzayda in vrbem miſit, qui regi veniſſe ſe in eas oras renunciarent, niſi eius venia in terram nolle deſcẽdere. Impetrata facultate ſui ad eum Regis litteras perlaturum, & mandata quæ coram cõmunicanda de reb. magnis deq; iungenda amicitia acceperat. Agebat tunc Rex Pandarane oppido duob. ab vrbe millib. paſſuum. Eo in oppido Gamæ nunciis facta conueniendi poteſtate dicendi quæ vellent, reſpondit nauiū ad ea littora appulſum gratum accidiſſe. Ad ſe Dux Luſitanus porro veniret: colloquiū fore gratiſſimum. Miſſurū qui ad ſe deduceret. Interim ex loco vbi in ancoris ſtabat, propter hibernum anni tempus procellis obnoxium ad Pandaranis commodiorem ſtationē appelleret naues. Sic factum. Poſt aliquot dies venit vrbis Prætor (Catualem ipſi dicunt) vt Gamam in Regiam deduceret. Ille fratre ſuo pro ſe in nauib. vicario relicto cum mandatis, quando Regis colloquium detrectare non licebat ſupremo quamuis ſalutis diſcrimine, ſi quid aduerſi contingeret, reb. aliis neglectis in Luſitaniā ſublatis velis rediret quam primum Emanueli Regi totius expeditionis rationem nunciatum: & nihilominus ad omnes caſus nauium ſcaphæ ad littus ſibi præſto eſſent. His datis præceptis ex omni copia duodecim ſibi ſocios adiunxit ſplendenti omnes cultu formaq; & corporum habitu præ cæteris præſtantes. Nullus ea tempeſtate inter Indos equorum aliorumve iumentorum vſus facultaſve erat. Ita Gamam deſignati ad id baiuli ad regiam vſque portarunt humeris ſellaque ſublatum. Accedentem honoris cauſa obuiam facti nonnulli Caymales exceperunt; & cum iis Brachmanorum antiſtes more gentis linteatus. Is hoſpitem manu apprehenſum per multas cænationes induxit, quarum in vno quoq; oſtio decem milites cuſtodiæ adhibiti ſcilicet excubabant. Ventum tandem ad conclaue ſpatioſum eteromallo viridi & bombycino ſtratum. parietes aulæa veſtiebant ſericum diſtinguente auro viſendo contextu. Gradus in theatri formam diſpoſiti circum conclaue ſurgebant, procerib. deſtinatæ ſedes. Rex in ſtrato ornatiſſimo decumbebat goſſipina veſte indutus candoris eximii aureis diſtincta roſis. In capite pileus aureus tiaræ ſimilitudine, brachia & crura de more gentis nuda ornabant armillæ aureæ annuliq; manuum & pedū digitis inſerti iunctis gemmis aliiſq; pari ſplẽdore pretioſis lapillis. Color erat ſubniger, corpus procerum, habitu & geſtibus dignitatem regiam & maieſtatem haud dubie repręſentans. Gama ſecundum ſalutem ſedere vna cum ſociis iuſſus facta dicendi poteſtate in hūc modum locutus fertur. Emanuel Luſitaniæ Rex inclytus magnuſq; princeps in ſtudiū incitatus noua inauditaq; inueſtigandi, cum principib. longinquis amicitiam fœduſq; iungendi, qui præ cæteris fama ab animi magnitudine & potentia celebrantur, ac nominatim cõmotus iis quæ de huius regni nobilitate tuaq; præſtanti virtute toto orbe terrarum prædicantur; ex vltimis cœli oris ad Solis occaſum, nos miſit eius te nomine ſalutatum tuamq; amicitiam expetitum. Nihil ad voluntates conciliandas morum ſimilitudine pariq; animorum præſtantia potentius eſt in Regib. maxime, quorum maieſtas proxime ad diuinam conditionem accedit; & quo ipſi maiores ſunt, eo plures amicitia & beneuolentia complecti ęquum arbitror. Sit ergo pretium primos in expetenda tua amicitia extitiſſe. in amore reſpondere à quibus fueris prouocatus generoſi animi eſt. Quam coniunctionem, ſi vtilitas ſpectatur fore vtriſque commodiſſimam arbitror commercio duarum gentium tantis maris & terrarum ſpatiis diſſitarum. Erit certe honorificū per omnes terras vulgari fama ex poſtremis cœli plagis veniſſe ius commercii vobiſcum pacemq; rogatum. Secundum hæc verba litteras quas afferebat, obtulit Luſitanice Arabiceq; conſcriptas, cū muneribus. quæ ex pręſenti copia parauerat, neq; nullius pretii neq; magni, ſed ſua nouitate ſpectanda. Lætus ea legatione Rex barbarus paucis: fratris ſui Emanuelis Regis voluntatem gratam extitiſſe ait: placere commercium fœduſq; inter vtramq; gentem ſtare. Deinde multa tum de tota nauigatione tum de Luſitaniæ reb. ſciſcitatus ducem & ſocios hoſpitio ſplendido accipi mandat. His rebus, vt fit, continuo fama & populari rumore vulgatis Sarraceni inſtitores, quorum erat in vrbe magnus numerus, veriti non ſine cauſa ne à Luſitanis quæſtus ſpes maximi interciperetur, & ab inſito odio in Chriſtianorum nationem

vniuerſam,re inter ſe communicata Regem & aulicos adeunt, mendaciis & fictionibus inuidiam Luſitanis conflare. Piratas eos eſſe, immaneſque latrones humani generis hoſtes. Iis Calecutium admiſſis nouas ſibi ſedes neceſſario alia domicilia quærenda. Viderent an paucis prædonibus & toto cœlo diſiunctis hominibus, deberent veteres amicos certiſſimis compendiis rem Malabaricam augere ſolitos poſthabere nulla præſertim ſua noxa. Malabares ingenio mobili ſunt, parumque in fide data conſtantes, leui momento in varias partes verſantur. Sarracenorum verbis & fraude decepti, Luſitanis inferre necem parant. Indicatis à Monzayda inſidiis, occultis Gama itineribus ægre quamuis ſe ſe ad naues refert. Molitur actutum ancoras. progreſſus in altum Indo cuidam litteras ad Regem perferendas dat expoſtulationum plenas aduerſus Catualem imprimis: quem in beneuolentiæ ſignificatione hoſpitii iura violaſſe accuſabat per ſummam perfidiam. Præterea Luſitanos quoſdam & merces quæ præ feſtinatione in terra manſerant, ad ſe mitti poſtulabat. Purgare ſe ad eas querimonias Zamorinus. culpam veteri Regum inſtituto in miniſtros conferre. daturos noxæ pœnas. Verbis pulchris quia facta non reſpõdebant, Gama ad vim conuerſus nauim, quæ prima ſe obtulit, facto in eam impetu cepit, atque in ea ſex homines primarios cum famulis aliquanto numero. Eos vt liberaret Rex Luſitanus & merces ad Gamã miſit, tum ad Emanuelis Regis litteras breue reſponſum. Cum eo reſponſo Luſitani in patriam redire conſtituunt aditæ Indiæ confectæque nauigationis longiſſimæ lætitiam nunciaturi. Malabares reſtituti non ſunt, idonei vtique quos in Luſitaniam deferrent gentis ſpecimen & primitias, inſtituta certe prouinciæ, inſolentes mores & ritus cæteraque omnia ex iis cognoſcere fore promptum munus Emanueli Regi Luſitaniæque vniuerſæ oculis ſpectaculum ipſa nouitate gratum.

Vaſcus Gama redit in Luſitaniam. CAPVT XIX.

PRiuſquam Luſitani ſublatis velis ex hoſtili regione diſcederent, Monzayda ſe in naues recepit, veritus ne fraudi eſſet cum externa & inimica gente commercium: nam capiti eius inſidias quoque parari certũ erat. Ea hoſpitii & initæ cum Luſitanis amicitiæ merces. Et eſt omnis malitia ſuſpicax. Præ feſtinatione bona in ea vrbe reliquit in Luſitaniam nauigare conſtituens: vbi ſacro deinde fonte ablutus Chriſtiani hominis officium reliqua vita conſtanter impleuit. Vindicare iniurias Zamorinus non potuit claſſe propter anni tempus in terram ſubducta: id vero ad audendum Luſitanis animos fecit. Sexaginta modo myoparones, quos inſtruere armatis potuit, in naues noſtras inuecti coorta ſæua tempeſtate diſiecti ſunt: noſtris è contrario, qui lente nauigabant ea ventorum vi data facultas eſt celeruis ſe ſubducẽdi à Calecutii cõſpectu. Ad inſulas paruas delati quæ ea vaſti maris parte occurrunt, octo biremes piratæ nomine Timoiæ inuentas forte inuadunt, atque vna earum capta cæteras in fugam agunt. Anchediuam inde prouecti ſunt ſexaginta leucis inde diſſitam inſulam continenti vicinam. In ea inſula dum armamenta componunt, multi ex vicino littore viſendi ſtudio ad naues traiiciunt. Inter cæteros quidam Gamam Italicis verbis & more cum ſalutaſſet, ſecundum ſalutem Goam vrbem propinquam eſſe nunciauit. Zabaium eius vrbis dominum, cum quo ipſe vſum haberet, eius amicitiam percupere. Roganti Gamæ vnde domo eſſet? ex Italia reſpondit. Qui in eas regiones veniſſet tam procul à patria? nauigantem in Græciam in piratarum manus incidiſſe. Sic variis mutatis dominis ei Sarraceno principi in ſeruitutem datum. Ex vultu Gama, & quoniam reſponſa non ſatis conſentiebant, dolum & fraudem ſuſpicatus illum quæſtioni ſubiecit. Expreſſa tormentis veritas. Iudæum religione, natione Sarmatam eſſe, atq; à Zabaio principe ſpeculatorem miſſum. Mox re cognita cum claſſe impugnatum eſſe venturum. Ea denunciatione Gama diſceſſum ex iis locis quanta potuit feſtinatione maturauit. Iudæus in Luſitaniam porro abductus, & ſalutaribus aquis expiatus Gaſparis nomine ſumpto, vt erat acuto ingenio magnique vſus, fidelem & diligentem operam Emanueli Regi in magnis rebus exhibuit. Lenta nauigatio erat, incommodum anni tempus. Obtinendo tamen tempeſtatibus & mari Africæ promontorium quod primum redeuntibus occurrit & Guardafui vocatur, ægre quamuis ſuperarunt. Hinc Magadaxo, quæ proxima vrbs eſt, quoniam ciues Sarraceni erant deuitata, ac tormentis modo è nauibus diuerberata, aliquotque nauibus in portu iaculando demerſis, vlteriuſque octo Sarracenorum nauigiis, in quæ forte inciderunt, fugatis, Melindem, vti erant in diſceſſu polliciti, incolumes appulerunt. Ab eo Rege benigne accepti recreatis ex maris iactatione corporibus comparatoque commeatu, legatum ſecum abduxerunt in Luſitaniã ab eo principe per cauſam fœderis amicitiæque

cum

cum Luſitano Rege ſanciendæ. Nauis cui Paulus Gama præerat, præ aliis ſitu confecta quaſſataque erat, nautæ præterea deerant & armamenta; eam incendere viſum eſt Paulo Gama in Prætoriam tranſuecto. Iter proſecuti Zanſibarem appulerunt inſulam cum cætera amœnitate præcipuam, tum arboribus aromata omnium generum ferentibus ſalutarem à littore Africæ ſex tantum leucis diſiunctam. Melindem, & Quiloam inter Mombaza vicina. Vltra ea loca Moſambicū delati erecta ibi columna ex iis quas ſecum deferebant, inſigni tum ad Sancti Blaſii littus aquatum lignatumque egreſſi. Bonæ ſpei promontorium ad ſextum Kalendas Maias tranſmiſere. Heſperidas demum & vaſto circuitu Tertias inſulas appulſum: vbi Paulus Gama deceſſit laboribus fractus & morbo, quo multis diebus fuerat conflictatus. Ex iis inſulis ſoluentes Oliſiponem tenuerūt menſe Septembri biennio iam exacto ex quo primum in Indiam diſceſſerant. Gratiſſimus eorum aduentus tum Regi extitit, tum ciuitati vniuerſæ. Egreſſos in terram circumfuſa vndique turba quaſi à morte reuocatos; de rebus Indicis ac de tota itineris ratione ſine fine perquirere, nobiles conatus, felicem exitum laudibus ad cælum ferre, pericula & tempeſtates, quas erant paſſi libenter audire: neque ſatiare oculos aſpectu earum rerum quas ad oſtentationem mercium & copiarum Indicarum ſecum quaſi ſpecimen attulerant. Neque minori miraculo erant homines ex iis regionibus vecti ab inſolenti vultu, lingua & corporum cultu. Gamam ſocioſque quaſi delapſos è cœlo heroes maiores conditione mortali intueri, venerarique. Tametſi è quatuor nauibus duæ tantum ſupererant, è ſociis tertia pars paulo amplius. Quæ clades & pericula nihil mouerunt gentem in arma & labores promptam, quominus plerique priorum exemplo ſuam operam certatim & induſtriam ad progrediendum vlterius in cœpta nauigatione deferrent. Honoris ſpes blandiebatur; leuiores vt viderentur difficultates lucri cupiditas efficiebat, qua nihil eſt acrius.

Nauigatio qua hodie in Orientalem Indiam itur.

CAPVT XX.

AD hunc modum Vaſcus Gama iter in Indiam aperuit nauigatione cōfecta omnium quæ à condito orbe celebratæ ſunt, abſque controuerſia nobiliſſima, ſiue longitudinem ſpectes, vaſtumque mare ad vtrumque cœli axem porrectum, ſiue difficultates & pericula, eo maiora, quod via prorſus ignota, neque exploratis eatenus alternantis ampliſſimi maris agitationibus hallucinari initio atque offendere ſæpe neceſſe fuit. Dies & vſus & maior rerum cognitio, eam nauigationem multo faciliorem effecit, atque ita vt quo ad tempus, quo inchoari conuenit, & quibus cæli & maris regionibus progrediendum ſit multa fuerint obſeruata immutataque, quæ hoc loco ſi attingerem operępretium me facturum exiſtimabam; quo lector, ſi quis in hæc inciderit, tantæ rei leuem certe cognitionem accipiat. Verum antequam id explico, vaſtiſſima ea littora deſcribenda ſtylo ſunt, atque ob oculos ponendæ regiones tum numero multæ, tum amplitudine mirabiles. Freti Gaditani faucibus tranſmiſſis ad læuam Africæ littora latiſſime excurrunt magno leucarum numero Atlantici maris ſæuis verberata fluctibus citra & vltra mediam cœli regionem. Ac primum Atlas mons nobiliſſimus perpetuis, ac in cœlum erectis iugis magnam Africæ partem dirimit in mare Oceanum è tribus primum promontoriū Ampeluſium mittens. Deinde occurrit quod Luſitani promontorium Non dixere, quippe perſuaſi, qui præcipiti temeritate illud traiiceret, eum haudquaquam ad ſuos redire amplius. Succedit Boiadoris promontorium viginti octo graduum altitudine inſulæ Palmæ obiectum è Fortunatarum numero. Atque hæc duo poſteriora promontoria Atlantis montis extremæ quoque ſunt partes. Sequitur in eodem littore Album promontorium vnius & viginti graduum altitudine, atque prope illud exigua inſula Argina dicta, vnde & totus is ſinus nomen accepit: nam Argini ſinus dicitur. Inde ad Viride promontorium proceditur, vicinaſque inſulas decem numero, quarum præcipua à D. Iacobo appellationem habet, vniuerſas antiqui vocarūt Heſperides fabuloſis poetarum carminibus inclytas. Non deſunt tamen qui eo nomine comprehendi etiam contendant omnes inſulas ad ſolis occaſum recenti memoria ab Hiſpanis inuentas. Diſtat promontorium Viride ſedecim gradibus à media cœli & orbis plaga. citra illud Sanaga fluuius in mare mittit, vltra alter amnis decurrit quem à latitudine Magnum fluuium dixere. Suſpicio eſt (pro certo ponere neutrum licet) vnius fluminis duo ea brachia eſſe. Addunt Nigir fluuium eſſe ab antiquis celebratum, quod cum Nilo communes habeat ſcaturigines. Sane iiſdem temporibus augentur exundantque atque in iis quod in Nilo, Crocodilli & equi marini viſuntur ad originis indicium & naturæ haud

abſimilis. Traiecto Magni fluminis oſtio, quod vndecim graduũ altitudine iacet, octauo gradu Serraleona ſurgit immenſum, ſic dicta quod propter ſublimitatem tonitruis perſtrepat, & fulguribus perpetuo coruſcet. Et quoniam incolæ propter locorũ perpetuum æſtum noctu ad opus accẽſis facibus egredientes faciũt, (quod alio loco dictum eſt) campi & colles ardere vtique flammis videantur. Hunc montem à Ptolemæo Currum deorum dictum putant, quinque quamuis graduum per errorem altitudine ab eo deſignata, quod mirum non eſt, Æquatori ſubiecta. D. Thomæ inſula non procul à continenti tenditur diues ſacchari prouentu, quantum cœli grauitate fœda & infamis. Sexto vltra eam inſulam gradu aurifodina ad continẽtis littus occurrit, vnde aurum eruitur puriſſimum. Mina hoc eſt ſectura ex eo ab Hiſpanis vocata. D. Iacobi flumen poſt hæc in mare deoluitur, & ſanctę Helenæ ſinus late extenditur: quo Vaſcus Gama vti dictum eſt, naues appulit aquandi neceſſitate. Sunt alia peculiaria flumina, variaque promontoria, vt in tanto interuallo terrarum maris & littorum eſt neceſſe: nos nobiliora tantum attigimus. Bonæ ſpei promontorium, quod extenuata in metæ formam Africæ littora extremum faciunt vltra æquatorem triginta quinque gradibus porrigitur. Quo circumducto aduerſa littora excurrunt latiſſime, promontoriis multis & fluminibus diſtincta. Inter quæ ſancti Blaſii, Nauitatis, & Bonorum ſignorum fluuii præ cæteris maxime nobiles ſunt, quouſque Zofalam perueniatur venis auri præcipuum in iis littoribus oppidum. Zofalam quidam Tharſis eſſe diſputant vrbem diuinis litteris celebratam: quo Salomon Rex per mare rubrum claſſes mittere ſolitus erat aurum aliaſque natiuas copias aſportatum Hieroſolymam. Ipſi etiam indigenæ libris ſuis & monimentis ære priſco atque ſaxis antiquis expreſſum id eſſe confirmant. Alii malunt eſſe Praſſium promontorium, quod Ptolemæus vltra medium cœli quindecim gradibus deſignat modo. Zofala ſupra viginti gradus Auſtralem cœli cardinem à terra ſurgentem videt. Vltra Zofalam ad dextram D. Laurentii latiſſima inſula iacet, quam indigenæ Madagaſcarum dixere. Ad læuam Mozamhique nobile Africæ vlterioris emporium propter portus commoditatem altitudine graduum quindecim Auſtralium. Eo tranſuecto portu paribus ferme interuallis Quiloa & Mombaſſa Zanzibare inſula coniuncta, tum Melinde ad ipſam mediã cœli regionem occurrunt. Tuta nauibus ad Mombazam ſtatio eſt: Melindis littora importuoſa plane & aſpera. Magadaxum quinto inde gradu ad ſeptẽtrionem pertinet, decimo poſtremum Africæ promontorium ad ſinus Arabici fauces, quod Guardafu hodie nautarum vulgus vocat, Ptolemæus Aromata dixit. Propinqua Socotora quam à Chriſtianis habitatam inſulam inuenere ſterilem tamen omnis vitæ cultioris & amœnæ commoditatis indigam locorum natura immitia quoque efferauit ingenia. Hanc à Ptolemæo Dioſcoridis inſulam vocari quidam putant. Succedunt haud magno interuallo ſinus Arabici fauces, intra quas ad Africę littus Ercoſus portus panditur regni quidem Barnagaſſi pars imperio tamen latiſſimo Preſto Ioannis contributi. Exterius in Arabiæ ora Ademum ſita eſt muniтiſſima vrbs iis faucibus imminens. Sinum Arabicum inter & Perſicum Arabia felix poſita eſt, atque in medio eius dorſo qua parte Oceani vndis alluitur promontorium. Siagrum, quod Eſcafalla tum dixere, ſeu Fattaquem atque in extremo littore qua parte ſinus Perſici fauces ſunt promontorium Corodamum, quod vulgo Roſalgate nominatur. Intra ſinus Perſici fauces Ormutia inſula (cuius nominis in nauigatione Nearchi apud Arrianum mentionem inuenio) viſitur ſpaciis anguſta, macro ſolo, cæterum commercio eo confluentium mercatorum copioſa cum primis & beata. Sexto & vigeſimo gradu ab æquinoctiali circulo diſſita quidem eſt: pariquе altitudine vlterius ad oſtium Indi fluminis Dium inſula arxque ſuccedit celebri fama ob ea quæ à Luſitanis fortiſſima edita ſunt facinora eam arcem defendendo primum contra Sulthanos Aegypti, deinde etiam contra Turcarum vires & conatus. Dio tranſuecta & Bazaino non procul diſſita Luſitanorum arce, Ciaulum & Dabulum occurrunt & ipſæ Cambaiæ vrbes portubus inſignes exiguo inter ſe interuallo. Inde littora multum ad Auſtralem plagam excurrunt, vſque ad promontorium Comorinum ſeu Cori pertinentia. In iis littoribus ad occaſum Goa vrbs nobiliſſima poſita eſt ad ſextum decimum gradum ab æquatore, ad duodecimum Calecutium, quas inter Cananor vrbs iacet & ad promontorium Cocinum Coulanumque Malabaris ciuitates, commercio omnes aromatum piperis quoque prouentu fama celebratæ & inſignes. Malabarium è regione Maldiuaris inſulæ ſunt, ſic dictæ à nomine eius quæ inter cæteras principatũ tenet. Mille amplius numerantur exiguæ ſpatiis ſæpeque ita inter ſe coniunctæ vt vix eæ anguſtiæ euripique nauigãtibus ſint peruii. Præcipuus prouentus è palmis nuces ferentibus, quas Cocos vocamus, mirabili arboris commoditate, quæ genti victũ neceſſarium cultumq;, in naues & armamenta materiam funes & vela vna ſuppeditat.

suppeditat. Ad ortum Comorino promontorio Zeilanum insula adiacet angusto freto à continenti dirempta, Cinamomi prouentu vna maxime celebrata & diues. Succedunt Narsinguæ & Pegu regna vastissima: iisque interiectum Bengalæ regnum, vnde sinus amplissimus nomen habet ad vrbem Malacam pertinens & ipsam nobilissimam: cui Somatra insula vicina est æquinoctiali subiecta. Eruditorum plerique Somatram à Ptolemæo Taprobanam vocari contendunt, Malacam Auream Chersonesum: neque desunt qui persuadeant Malacam in diuinis libris Ophir dici: quo Salomon Rex classes mittere erat solitus auro argentoque vehendo magna gloria pari compendio: quin Peguenses haud diffiti se ab iis Iudæis progenitos ferunt: quos Salomon ad aurum Ophir effodiendum in eas regiones dimiserat. Quod si minus hodie iis locis ea metalla eruuntur, fiebat olim, quod ipsum Aureæ Chersonesi nomen indicat. In itu & reditu Salomonis naues triennium ponebant, quod certe de Tharsis nauigatione explicant diuini libri. Magnetis vsu nondum ad nauigandi eximiam commoditatem inuento legebant littora: neque se alto permittere nauigantes audebant. Ea vero longæ moræ tardæque nauigationis causa extitit. Malacæ ad ortum dextramque ex interuallo obiectæ sunt Moluecæ insulæ Caryophilli prouentu maxime celebres, quod vnæ omnium ferunt alioqui ita steriles vt cuncta pene ad victum & cultum aliunde petant: Sic bona sua diuina prouidentia dispensat, præcipuæ quinque numero sunt. Arbor Caryophilli trunco & foliis lauri speciem reddit flore imprimis odorato. Is duratus fructus est mensis maxime expetitus. Ad læuam septentrionesque Malaca in Sinas itur gentem late fusam copiis opibusque præualidam. In aditu eius prouinciæ Macanum insula est Lusitanorum mercatorum hospitium, quoniam in continentem penetrare gentis instituto nulli aduenæ datur. Distant ab ea insula Iaponii gens extrema, quo Lusitanorum arma peruenerunt, trecentis circiter leucis septentriones versus. diuisi Iaponi sunt in tres maiores insulas pluribus aliis minoribus circumfusis interfluo euripo disiunctas, ortum præter septentrionesque à trigesimo altitudinis gradu vsque ad quadragesimum porrecti. Summa longitudo leucarum bis centum, latitudine, qua se maxime pandunt, octoginta leucas non excedunt ab ortu Nouæ Hispaniæ obiecti, a septentrione Scythas, ab occasu Sinas aspiciunt. Tributi in multa regna pluribus regib. seruiunt, litterarum alioqui ingenio capaci bello dediti gloriæ siqua gens auidissimi. Indicæ nauigationis ratio hoc pacto nostro tempore instituitur. Olisipone mense Martio nauigaturi soluunt certe Aprili ineunte. Insulam Maderam primum petunt centum quinquaginta leucis satis lato ab Hispania mari periculosoque disiunctam, deinde Canarias trecentis leucis nihilominus remotas Olisipone. Ad promontorium Album ex iis insulis proceditur atque insulas Hesperides. Recta vlterius progredi continuis ab Austro flatibus prohibiti relictis Africæ littoribus magno circuitu parique nisu occasum inter & Austrum directis proris in Brasiliæ sæpe conspectum partem haud dubium noui orbis procedunt. In iis littoribus diui Augustini promontorium imprimis celebre decimo vltra æquatorem gradu positum est. Id promontorium quæ nauis ventorum violentia aut propter anni tempus superare non sinitur, relicta nauigatione, quoniam frustra conatus omnis esset, vnde soluerat necessario reuertitur. Quibus superare id promontorium cœlo contingit, ii nouo circuitu proris Austrum inter & solis ortum directis Bonæ spei promontorium transmittere contendunt, ad quadragesimum gradum ad Austrum declinantes ad vitandas procellas, quæ ad extremam Africæ cuspidem excitantur perpetuo sæuissimæ, immanes aquarum moles illisu reciproco toto littore franguntur. Transuecto eo promontorio Zofalam aut Mozambicum tenent. Quibus locis, nisi nauigatio sit prospera hyemare coguntur. Alioqui enauigato eo mari atque æquatore denuo transmisso haud multis diebus Goam laborum & nauigationis vniuersæ metam peruenitur. Graues plerumque casus in ea nauigatione interueniunt, Malaciæ longissima tædia, reflantes venti, sæuæ & frequentes procellæ, ex nausea cibi fastidium, ex immodica æstus & frigoris vicissitudine, vitiato cibo & potu, sentinæ teterrimo halitu varia morborum genera, Lethargi, abscessus, tumores, oris vlcera, affectæ tabo gingiuæ. Quinque menses si in tota nauigatione ponantur felicissimam putant, sæpius anno amplius consumitur. Goa Malacam ad aliasque regiones magis Orientales statis nauigatur temporibus. Hispaniam repetituri mensis Decembris finem expectant: ventorum vices continuis ab ortu flatibus ac dudum explorata nauigandi ratio idoneum maxime id tempus esse docuerunt. Mensibus Martio aut Aprili

Bonæ spei promontorium transmittitur. Ad sanctæ Helenæ in reditu insulam appellunt iis locis non deuiam, quam in vastissimo mari tanquam diuersorium diuina prouidentia disposuit reficiendis nauigantibus fessisq; recreandis corporibus arborum fructibus, venatu, piscatu, quibus bonis abundat, nullo quamuis cultore propter locorum angustias & quoniam procul à continenti disiuncta est. Per Tertias tandem insulas magno circuitu propter ventorum vicissitudines confecta nauigatione longissima, vnde discesserant, Olisiponem appellunt plurimum mensibus Augusto & Septembri.

Libri vigesimi sexti Finis.

IO. MARIANÆ HISPANI, E SOCIETATE IESV, HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ,

LIBER XXVII.

Ioannis Hispaniæ Principis obitus. CAPVT I.



Es Hispanorum vno tempore in Italia quidem prosperum cursum tenebant, in Hispania autem, vt est fere conditio mortalium inter dulcia & dubia variabant. Gemina Ferdinandi Regis filiarum coniugia sunt pacta. Catharinæ profecto cum Arcturo Vualiæ principe Herici septimi Regis Angli filio maiori. Isabellæ autem principis connubium cum Emanuele Lusitano Rege post multas & graues difficultates & moras non stipulatum modo sed & tandem coniunctum est. Nouis affinitatibus tantos Principes habere deuinctos & ad Austriacos adiungere magnum, gloriosumq; Regi Hispano, rebus intus forisque præcipuum ab alterna ope præsidium. Catharinæ sponsalia in Anglia assumptæ in cœlum Virginis memoria sacro die in palatio Vuodestochio data sunt Ioanne Puebla quo agēte con nubiales conditiones constituerant, pro sponsa absenti vicario ritu & more inter Principes solenni. Affuerunt cæremoniæ Rex & Regina, splendidusque procerum cætus. Ad Lusitanum connubium paciscendum missus in Castellam est Ioannes Emanuel magna apud eum Regem gratia quippe ipsius collactaneus. Eius aduentu atque opera sancitum tandem, vti Ferdinandus & Isabella Reges filiam deducerent ad Lusitaniæ fines. Eo veniret Emanuel Rex pridie Kalendas Octobris ad ineundum coniugium. Regum conuentui nuptiarumque celebritati primum Ceclaminum oppidum designare placuit: deinde propter regionis sterilitatem annonæ angustiam nullo circa floreti lautoque oppido, vnde pararetur commeatus tantæ multitudini, Valentia Alcantaræ delecta. Vbi triduū Reges moratos vniuersamq; nuptialem lætitiam conturbauit nuncius de Ioannis Principis graui valetudine intempestiue scilicet allatus. Tertio die postquam Salmanticam cum vxore venerat in febrim incidisse: qua diebus tredecim est extinctus. Accurrit Valentia citato itinere Rex pater, Salmanticamq; peruenit, ægroto agentē animam sed integris sensibus. Ita agnito patre obiit tamen ad quartum Nonas Octobris. magno atque miserabili non parentum modo sed & totius gentis luctu. Quantas spes, quanta gaudia dies vnus abstulit Hispaniæ? Ferebat vterum vxor exiguum mœroris concepti solamen & improuisæ calamitatis præsertim immaturo partu intra paucos dies. Extincti corpus Abulæ tumulo est compositum in Dominicano celeberri mo cœnobio, Diui Thomæ nomine in ea vrbe constituto patris Regis impensa. Tristis nuncius Valentiam peruenit nuptiarum lætitia

lætitia nondum peracta, quæ post discessum porro Ferdinando Regis celebratæ sunt. Rogauit socrum Emanuel Rex mœrore tantisper dissimulato atque vultu ad lætitiam composito, monitisque aulicis vt tantumdem facerent, ne quid ad nouam nuptam iam Lusitaniæ Reginam manaret. Erat difficile in tanto luctu publico priuatoque dissimulare diu. Ita quamprimum in Lusitaniam abducta Eboræ tandem fratris obitu nunciato ingentem animo molestiam accepit eo intempestiue sublato quem diligebat vnice. Hispaniam vniuersam tanto Principe orbatam, in qua acquiescebat spe, dolebat scilicet impense. Parentes singulari constantia patientiaque eam plagam tulerunt: in quo excelsi atque inuicti animi præbuerunt argumenta non minus illustria, quam victoriis multis & clarissimis eatenus & in posterum partis ex quanto motum animi tenere, quam hostes subiugare est præstantius. Et est natura fixum, vt caduca pereant, fragilia quæ sunt facta conterantur: æquissimum vt Deo nostrarum rerum, aut suarum verius arbitrium mortali conditione homines permittamus. Neapolitanæ res haud satis tranquillæ erant. Salernitanus nunquam satis fidus cum cæteris eius sectæ proceribus non quiescebat: ac necessabat quidem suæ ditionis oppida & arces diligenter munire. Alienatæ voluntatis primum argumentum extitit abfuisse Neapoli quo die Fridericus Rex solenni cæremonia de manu Pontificii legati coronam & regni infulas suscepit. Et erant per edictū proceres ad solennitatem euocati ne qua esset excusatio, ipseque Salernitanus antea affuerat quo primum is tempore ciuium consensu Rex fuit renunciatus. Nunc ob factos superiori tempore sumptus pecuniæ inopiam excusabat: neque sine idoneo cultu & comitatu venire par fuisse. Verior interpretatio ea specie tegi infensum animum rerum nouarum studium. Accurrit quidem die postero Bisinianus sui facti rationem redditurus. Ad Salernitanum quin etiam sanandum & ad Regem perducendum pro ea gratia & auctoritate qua valebat maxime quippe secundum eum factionis princeps Regi operam obtulit. Nihil tamen ea diligentia profectum, an ludibrium erat & composita inter duos præuaricatio & fabula. Vim parari & arma placuit, vt metu cederet, cuius perfidia & contumacia vinci benignitate non poterat. Collectis copiis à Rege intra Dianum circumsessus est præcipuam arcem è multis quas firmissimas ditione is obtinebat. Gonsaluus reditum in Hispaniam adornabat, quasi bello Neapolitano peracto moræ idonea caussa non esset amplioris. Eo maturando discessu in Brutios iuerat, atque in Siciliam. Inde rebus constitutis hoc tempore Neapolim reducem per causam nouum Regem & Reginas salutandi priusquam se in iter daret, rogarunt enixe vt correptis denuo armis Diani obsidioni interesset, multis impeditæ difficultatibus, multis intus defensoribus, infidis Regi prouincialibus. Ea de eius virtute opinio suscepta erat, vt victoriam & felicitatem secum ferre crederetur. Annuit ille Principum fœminarum votis & precibus. Collectis Hispanis quingentis parique Germanorum numero abs Rege dato propius muro succedens eo loco statione delecta, non sine suo periculo obsessos dies noctesque fatigatos ad deditionem compulit his legibus. Salernitanus, quique eum comitari vellent, regni finibus abscedunto. Iis omnibus incolumitas esto facultasque sua cuique efferendi. Salernitani principatus arces omnes Regi traduntor commeatus & tormenta bellica ac reliquum bellicum apparatum idoneo pretio compensaturo. Sic ad quintum kalendas Ianuarii instante salutis anno M.CCCC.XCVIII. Salernitanus legitima dedentium arces verba nun- 1498.
cupauit. Eius Senogaliam Piceni vrbem Ioannis Rouerei Præfecti in ditione Gallicis partibus addicti deducendi cura Amalfitano Principi demandata est, è necessariis Conciæ & Lauriæ Comites eum in exilium sunt secuti. Capacius graui ætate impeditus cautiorque annis & vsu Regis fidei se suaque permittere satius duxit venia parata. Huius anni autumno à Ioanne Assidoniæ Duce classis in Africam missa & Melillam occupatum Almeriæ obiectum oppidum à Mauris quibusdam de caussis desertum. Facti in ea expeditione sumptus compensati sunt, eo oppido Regis beneficio Duci & successoribus perpetuo iure contradito. Gerbis item seu Meningis insulæ regulus (Xequem incolæ vocant) quo nostrorum viribus eum principatū tueretur à Regis Tunetani imperio detractum in fidem Ioannis Nucæi Proregis Siculi & clientelam concessit incolumi religione maiorum & arrepta libertate, Regis adeo Catholici factus stipendiarius. Cum præsidio ergo Hispanico Margaritus dux curare ibi iussus est insulæ imperium à Maurorum iniuria tuendo & aduersus eius Regis arma. Hoc initium magna rerum moles annis sequentibus est subsecuta.

Carolus octauus Rex Galliæ obiit. CAP. II.

Regibus Galliæ & Hiſpaniæ fœdere vinciendis conatus adhiberi ante cęptus erat, neque vſque dum intermittebatur. De conditionibus diſceptatum: qua cauſa honeſtiſſima legatio ex Gallia ad Regem Catholicum venit tunc temporis Compluti morantem. Legationis princeps Claruis regulus dato ſenatu accommodatam tẽpori orationem habuit. Eius ſumma erat: vt iunctis inter ſe viribus Gallus Hiſpanuſq; bellum Italię inferrent. E Neapolitano regno Brutii & Magna Gręcia Hiſpano cederent, ea tamen lege vt eam prouinciam cum Vaſconum regno mutãdi facultas Gallo relinqueretur, adiectis annuis triginta millibus auri ad exęquandum ablati principatus cum dato ſcilicet vectigalia. E reliquis vrbibus Mediolanum & Genuam cum contributa vtrique ditione obtineret Gallus: cętera ex æquo inter ſe partirentur bona fide. Hæc ille. Et de Neapolitano quidem regno quod proponebatur Hiſpano non diſplicebat: alias tamen vrbes inuadere non inducebat in animum præſertim Cæſare inconſulto: cuius in iure res Italię patrocinioque erant. Reſponſum ergo legaturum ſe in Galliam viros idoneos qui de conditionibus agerent & concordia, qua nihil eſſet antiquius. Agebantur hęc. Simul Regi Catholico mores gentis collapſos acriori cenſura aſtringere curæ erat: ac præcipue monaſteria quorum perturbatione temporum vita laxior & ſeueris iudicibus parum probata, ab eoque Clauſtralia vulgo vocabantur, ad ſeueriorem diſciplinam & veteris moris normam reuocare ſatagebat. Grauiſſimus eſt morbus qui à viris ſacratis tanquam à capite in cætera membra defluit. Eo maior ad id hominũ genus curandum diligentia adhibeatur opus eſt. Paruere Regię voluntati pręſertim æquiſſimæ adiutæque Pontificis decreto Caſtellæ monachi continuo & facile Dominicani, Auguſtiniani, Carmelitæ: Franciſcani deinde ęgre quamuis cum reliquis conſenſere. Pręclarum enimuero facinus dignam Rege Catholico curam. Compluti, vti conſtitutum erat, delecti qui in Galliam irẽt Ferdinandus Strada & duo ſocii eo appulerunt; quo tẽpore Ruſcinonenſes inuadere Gallis deſtinatum erat, Perpinianumq; occupare poſitis iuxta caſtris. Verũ eos metus & conatus Galli mors intercepit Amboeſę extincti ad ſeptimũ Idus Aprilis. Pila ludentes è ſuperiori pergula proſpectantẽ repẽtina atq; lethalis vis apoplexis oppreſſit annos natũ ſeptem & viginti. Nulla ex eo prole relicta res Gallicæ in Ducem Aurelianenſem iure ſanguinis per viros ducto ſtemmate reciderunt, Ludouicũ duodecimum dictum inter Galliæ reges. Anna Borbonii ducis vxor defuncti ſoror natu maior regnũ ſibi quippe propinquiori deberi diſputabat. Parũ proficiebat tamen intempeſtiua diſceptatione populo & proceribus legi Salicę nimium addictis regni hæreditatem in fœminas transferri vetanti. Non deſtitit tamen neq; ſe in cauſa deſeruit; vt regno excluderetur, contendebat nihilominus quæ regibus aduẽtitia hæreditate obuenerant, ea certe ſibi deberi. Profecto prouinciam Phocæenſem atq; Andegauos recenti memoria ad reliquos principatus adiuncta. quo enim iure qua lege detraherent. Ne id quidem impetratum, iure an iniuria diſputare non eſt neceſſe. Regis Catholici legati Bleſis, vbi nouus rex erat, eo ſalutato gaudioq; functi ob nouum regnum in ea vrbe atq; Aureliæ de iungendo fœdere ſumma contentione adhibita, pręter verba, gratam fore concordiam, retulere nihil alud. Erat ei Principi deliberatum comitate & benignitate cunctos ſe adeuntes complecti, nihil denegare cuiquam, dum regnũ, quod nouitate nutabat, vt omnes principatus, tempore cõfirmaret. Simul prouidebatur ne diuortio, quod cũ vxore adornabat aliquis impedimentum afferret, coniugiumve diſturbaret quod inire cũ Regina vidua parabat profectionẽ in Britanniam adornanti nobili principatu dotali: Ea ſumma votorum erat & deſtinata voluntas. Neq; fefellit ſpes. Diuortii gemina cauſa afferebatur. A Rege ſocero de ſacro fonte ſuſceptũ, neq; venia Pontificis ſacrę ex eo propinquitatis legem ſublatam. Deinde non ſponte ſed terroribus propoſitis priorem vxorẽ duxiſſe. Sic veteri cõiugio dirempto Britanna coniux in regium torum eſt aſcita. Vnde duæ tantũ filię ſunt natæ. Maior Claudia nomine Franciſco Valeſio nupſit ſoceri ſucceſſori; minor Renata duci Ferrarieſi nupta, viro defuncto diu ſuperuixit in Gallia Caluinianę ſectę patrocinio ſuſcepto maiori fama quã laude. Carolo Rege ſuperſtite, vt Cęſar Borgia ad exitiũ Italiæ natus veſte mutata relictaque purpura nouas ſpes ſequeretur caſtris quam ſacræ purpurę aptior agebatur. Nouum damnatumque exemplum, & ad turbandã Italię ac vero totius orbis pacem comparatum. Eę molitiones haud ingratę ei Regi accidebant quippe iuueni. Quin ad promerendum Pontificem idoneum principatum in Gallia ei daturum pollicebatur. De Auenione etiam in eius gratiam pontificię ditioni ſubtrahẽda eſt agitatum vincente pudorem tetra cupiditate. Carlotam etiam coniugem offerebat Friderici Regis ex priori vxore

vxore filiam, consobrinam suam & tunc in Gallia morantem. Verum pater virginis consultus postulati fæditate offensus adduci non potuit vt coniugio male cohęrenti Aragonium sanguinem & stemma generis sugillaret præsertim Tarēti Principatu dotali, quod expetebant, vnde haud obscure ad regnum Neapolitanum occupandum gradum facerent. Mediolanensis Dux eiusque frater Ascanius Cardinalis conuitio monebant, ne in eo articulo discrimineq; rerum suarū Pontificem sibi infensum redderet repulsa. dignitatis speciem non esse tanti, vt propterea Gallos iterum induceret in Italiam in eius certam perniciem. Qui terrores vani non extitere. Regi Catholico hos conatus non probabant, etsi ad aucupandam eius gratiam Pompelonensem Valentinumque episcopatus ex eius voluntate quibus nominaret daturum Pontificē pollicebantur Cæsaris Borgię abdicatione. Pompelonensem ecclesiam Innocentius octauus regendam commiserat. Valentinam pater in eundem transtulerat Pontifex factus. Offendebatur orbis Christianus iis molitionibus, eaq; fæditate recenti memoria Aleriæ Cardinali meminerāt facultatem ab Innocentio Pontifice denegatam purpura eiurata monachum induendi. Num eo honore abdicato Cardinali & Diacono turpe non videbatur continentiæ lege soluto vxoris porro ducendæ facere potestatem. Enimuero Romę ea morū turpitudo vigebat (an Romæ tantum & non etiam intra Pontificis regiam?) vt cuicumque peruersitati locus esse videretur. Piis viris occasio data palā Pontificia instituta, mores & tempora accusandi. In eo numero Hieronymus Sauaranola patria Ferraria ex Dominicano ordine celebris concionator, qui Florentiæ rebus gerendis multum annis superioribus auctoritate potuerat, quod è suggestu magna dicēdi libertate sæpe in Pontificem esset inuectus, eius iussu cum duobus sociis in foro eius vrbis publice fuit combustus die Palmarum Dominico, nempe postridie obitus Regis Galli iure an iniuria ne tunc quidem cognosci penitus potuit. Multi ad hanc diem extinctum in martyrum numero habent. Ab aliis temeritatis accusatur, quorum sententia magis placet. Neq; Florentiæ tantum mores Pontificis accusati sunt: sed coram Garsias Lassus Vega pro Rege Catholico Romæ legatus eum libera voce increpuit ex sui Regis litteris obtestatus nisi mutaret, si homines cessarent, grauia cælitus imminere piacula propter graue offensionem totius orbis Christiani, quā late Romanæ prauitatis fama manarat. Verum quid iuuat sanare velle, quem diuina vltio in præceps agit, luceque subtracta suarum cupiditatum carnificinæ tradit? Commotus ea increpatione Pontifex vehementer in verba contumeliosa minasq; prorupit nullo porro maiori fructu. Pectus in peius indurauit vsque eo vt paulo post Cæsar Borgia in conuentu Patrum publice excusans Diaconum se non sponte neque libera voluntate factum, petierit continentiæ legis ex eo sibi fieri gratiam, atque purpuram & sacerdotia abdicandi esse potestatē. Multi è Patrum numero non expectandū existimabant, dum homo impotens sacros honores abdicaret, quod honorificū ipsi erat, sed iudicio potius spoliandū, siue quod malis rationibus eos honores ac pręsertim purpurā esset cōsecutus, siue propter morum prauitatem & libidinis licentiā vix etiam in profano homine tolerabilē, vti legatus Hispanus dicere erat solitus. Nemo tamen mutire est ausus: ea erat Pontificis impotentia & temporum conditio misera prorsus & profligata. Itaque collegium ea postulata rata habuit contra fas, contra auspicia, cōtra omnia ęquitatis iura: Nouus Galliæ rex Valentiā in Allobrogibus dedit Ducis nomine: quæ vrbs Auenioni vicina & aliquando Pontificię ditionis ad Regum Galliæ ius ab annis superioribus trāsierat. Eo principatu prouocatus & spe facta promissi cum Carlota coniugii veste mutata, morū prauitate haud deposita in Galliam maturauit flagitiorū omnium vitiorumq; princeps. Magni honores aduenæ habiti, coniugii tamen concepta animo spes euanuit regia virgine eam fæditatem constanter auersanti. tanta ex eo indignatione Ducis, vt de Gallia deserenda cogitaret. Leniuit irati animū Rex Carlota Fuxensi Labreti filia sorore Regis Vasconum coniuge data, haud iniqua permutatione neq; nobilitate minori. Adiecta ampla dos, atq; ex ærario regio annua vectigalia. Tanti fuit impotentem hominem eo tempore promereri: quippe industria quamuis flagitiosæ inerat, & vt virtutibus boni, sic ille econtrario vitiis valebat. Ex eo coniugio filia nata est, quę annis consequentibus extincto patre in auunculi regis potestate patrocinioq; mãsit. Ipso anno præcipiti æstate Gōsaluus Magnus dux instructa classe Neapoli soluit in Hispaniā. Ingens gentis decus & gloria propter animi magnitudinem, industriam, bellicas artes, victoriasque nobilissimas, Neapolitani regni felicitatem fundatam pulsis Gallis, res cæteras ex sententia compositas.

Isabellæ Lusitaniæ Reginæ obitus. CAPVT III.

DEfuncto Ioanne Castellę Principe, vt dictum est, magna eius parentes de stabilienda successione solicitudo inuaserat haud ignaros nisi hęres certus sit, procellarum [illegible]

publica concitari Regum morte esse propemodum necesse: Margaritæ vterus morabatur quorsum ea spes euaderet. Dolor curaq; ingeminata fœtu fæmineo immaturo Cōpluti excusso, vbi Reges hyemarunt. Continuo ergo Emanuelem Regē monuerunt ad Castellæ sceptra hęreditateq; vxoris iure vocari: rumperent porro moras, quod felix faustumque esset venirent in Castellam. In eorum verba populos ordinesq; more maiorum sacramentum dicturos post parentum fata non alios Reges fore. id præcipuum successionis inter Hispanos stabilimentum. Simul in Belgas miserunt, qui Philippū generum & vxorem monerent, vti inani Principum Castellæ appellatione, quam nescio quid secuti an quodam veluti pręsagio vsurparant, deinde abstinerent. Gentis instituto eum titulum Regum maioribus filiis hæredibus porro dari, neq; communicari cum aliis. Ergo Lusitani Reges ea denunciatione Pacem Augustam petiuere Castellę vrbem ad vtriusq; regni fines. Pręsto affuerunt Medinæ Assidonię Albęque duces aliique proceres qui eos exciperent deducerentq; ad parētes destinati. Christi cruciatuū memoria sacros dies ad Guadalupeum Virginis fanū morati Toletum tandem peruenerunt ad sextum kalendas Maias, vbi eos Reges Catholici expectabant. Tertio post die, qui dies Dominicus fuit, vti erat constitutum solemni ritū & more iureiurando confirmata Regibus Lusitanis Castellæ regni hęreditas: moxque Castellę Principes dicti sunt. Aragoniis non eadem voluntas erat, neq; par tranquillitatis studium. Henricus Segorbii dux Regis Catholici patruelis gentis instituto & legibus fæminas ab Aragoniis sceptris arceri disputabat. Sibi proinde & Alfonso filio, regiæ hæreditatis ius post Ferdinandum relinqui, genus à Ferdinando Rege auo per viros continuato stemmate deducentibus, Henrico patre vno è Ferdinandi filiis. Vt sanarent gentis voluntates, vincerentpue eas difficultates & moras Castellæ & Lusitaniæ Reges Cæsaraugustā abierunt. In ea vrbe ad octauum decimum kal. Iulias in conuentu gentis referente Rege Catholico de ea cōtrouersia varię sunt dictę sententiæ. Plerique nouum induci in Aragoniam exemplum confirmabant, exhorrebantq;, nulli vnquam fæminę quasi hęredi futurę dicto sacramento, multorum etiam Regum lege à successione eum sexum exclusum penitus & amotum. Quod si id antiquatū, aut contraria lege abrogatum contenderent, postremo Ioannis postremi Aragonii Regis testamento starent filias & neptes sancientis ad sceptra tū demū vocandas, si filius Ferdinādus Rex sine filiis sineq; nepotibus decederet masculis ex filio filiaue natis. Eius rei nondum venisse tempus, neq; futuros euentus esse exploratos: ꝗ intempestiue diuinarent? quid festinatione prępropera futuri spem rescinderent, recens instituta mutarent, ac Emanuelem Regem Aragoniæ principem dici non ferebant exemplo calamitatum castigati, quę recenti memoria in Vasconibus extitere, quod Ioannem Aragonium Blancæ coniugio eius regni hæredis, Vasconum principem præpostera facilitate iussissent. Alii contra tendere ac fęminis concessum disputare ius regni: neque Aragoniis legibus in successione regni sexum distingui. Cuius rei Petronillæ exemplum proferebatur idoneum Ramiri Regis filiæ cognomento Monachi. Deinde Alfonsi ex ea nati testamentum, qui matris, quę secus sanxerat, in eo voluntate repudiata, lege in omne tempus lata regnū obtinendi fęminis facultatem sanxit, ius dedit. Gōsaluus Garsia à sancta Maria nobilis ea tempestate in Aragonia iureconsultus disputationem erudite in eam sententiam de scripto cōceptā Regi Catholico in manus dedit. Tempori seruire adulariq; voluisse interpretabantur multi: adeo nihil motū ex antiquo probabile est inter Aragonios præsertim gētis instituta mordicus tueri solitos iura libertatis. Tempus altercationib. trahi Isabellæ Reginæ molestum accidebat Castellę gentis obsequio assuetę: atq; adeo vt die quodā dicere nō dubitarit. Satius fore armis eam gentem maloq; subigere, quam prouincialium cōuentuum insolentiam, gentisq; vniuersę irreuerentiam tolerare. Aderat forte sermoni Alfonsus Fonseca. Is Reginę oratione offensus libera voce. Non arbitror, inquit Aragonios peccare tuendo libertatē & priuilegia quæ à maioribus acceperunt, qui pollicitis cauti sacramentoq;, in fide semel suscepta sunt apprime constantes, Regumq; suorum obsequio imprimis dediti. Hactenus nulli Regum filię regni hæreditate publico consensu decreta, vituperandi non sunt si nouum exemplum inducere detrectant veriti ab eo principio ne ius imminuatur patrię libertatis. Controuersia finem habuit Isabellæ Principis obitu ad decimum kal. Septembris subsecuto die Iouis in ea vrbe ex partu extinctæ vix hora decursa ex quo filium pepererat, cui Michaeli nomen fuit, vita breuis, gaudio luctus maior. Toletanus Archiepiscopus Regē iter prosecutus labenti animę pacem & veniā precatus accommodata etiam prudentiq; oratione rerum humanarum contemptum, & cælestis felicitatis morienti spem ingessit. Rex Lusitanus vxore lectissima repente spoliatus continuo in patriam rediit. Defunctæ corpus translatitio funere in diui Francisci sepultum,

deinde

deinde Toletum delatum in cænobio virginum compoſuerũt quod Iſabellæ nomine pater conſtituerat auiæ maternæ ędibus in monaſterium conformatis. Iuſtis perſolutis Aragonii ſine mora regiæ voluntati obſecuti ſunt, recẽtis calamitatis miſericordia animos ad obſequium flexerat;& difficultates prius propoſitas magna ex parte ſublatas videbant. Ita ad decimum kal. Octobris infanti ſacramentum eſt dictũ, ea modo exceptione, ſi Ferdinandus Rex maſcula prole careret: alioqui iuſiurandum ex eo irritum & inane fore pronunciarunt. Eo temperamento libertati gentis conſultum, cuius cura maxime ſolicitabat. Ocaniæ idem paulo poſt Caſtellæ princeps hæreſq; ſolenni ritu pronunciatus eſt. Verum priuſquam Rex Cæſarauguſta diſcederet Alfonſum Siluam Calatrauæ Clauigerum in Galliam legauit, qui nouo Regi de ſuſcepto regno gaudium nunciaret, & aliis legatis iunctus de concordię legibus diſceptaret, ſtatueretq;. Magna ii contentione adhibita rem ex voto confecerunt. Philippus quoq; Belga priuatim patre & ſocero inconſultis cum Gallo æquis conditionibus pepigit. Multum his conſtituendis fœderibus Georgius Amboeſa Rhotomagenſis Archiepiſcopus iuuit pro ea gratia & auctoritate, qua apud ſuum principem valebat maxime omnium arcanorum non particeps modo, ſed pene moderator & arbiter. Acceſſit menſe Septembri purpura Pontificis dono creſcenti gratiæ & ſed & propriis virtutibus datus honos. Rex quoq; Gallus iuncta cum vicinis principibus amicitia oppido cupiebat in Italiam tranſire Mediolanenſem principatũ ſed & Neapolitanum regnum armis occupaturus iure, vti exiſtimabat ſua, iniuria ab aliis occupata. Cæſarauguſta item Enecus Corduba Comitis Egabri frater & Philippus Pontius iureconſultus Romam amandati ſunt, vt ſui Regis verbis Pontifici denuntiarent Beneuentum ne eccleſię Romanę imperio detraheret, curiæ Romanæ vitia acriori cenſura caſtigaret, domeſticam licentiam fręnaret quæ maxima erat cum magna verę pietatis labe. Idem ſoceri hortatu Luſitanus fecit. In patriam reuerſus Rodericum Caſtriũ & Henricum Coutinum Romam legauit cum mandatis monendi Pontificem tantundemque obteſtandi conſilio prius cum ſoceri legatis communicato. Fecerunt illi diligenter quod erat mandatum. Pontificem quæ erant iuſſi hortati, eo prouecti ſunt, die quadam vt remotis arbitris obteſtationẽ in tabulas referret Garſias ipſe Laſſus notarii Apoſtolici munere fungens. Tulit ægerrime Pontifex audax facinus: ſecundum minas eos auſus impune non fore, ſupplicio vindicaturum, ſubiecit tamẽ Beneuentum Pontificio imperio detractam non eſſe, ne velle quidem, tametſi Patrum collegium cõſenſerat vt Gandiæ Duci daretur iure fundi penes eccleſiam Romanã retento. De curię & palatiis caſtigãdis quod præſcriberent, multum ſibi Reges in eo ſumere dixit, aliaq; ſubiecit ſtomacho plena, quæ furor dabat. Intra paucos tamẽ dies, iuſſu, vt interpretabantur Pontificis, filii Gotifredus & Lucretia cum coniugibus Rege Neapolitano natis è palatio Romaq; diſceſſerunt. Horum vero atq; Cæſaris Borgiæ morum licentia, & fœdæ libidines magnam inuidiæ partẽ Pontifici conciliarant, offenſis ea diſſimulatione ciuitate atq; adeo orbe Chriſtiano vniuerſo. Odiũ quidẽ in Garſiã Laſſum conceptũ altius in Pontificis pectus deſcendit, q̃ vt ſedari poſſit. Itaq; Roma diſcedere neceſſe habuit. Subſecuti ſunt Luſitani legati initio anni M.CCCC.XCIX. palã offenſi parũ ea diligẽtia fuiſſe profectũ, contra in peius cuncta ruere. Romana vitia omnẽ medicinam reſpuere. Alii Caſtellę legati reſtiterunt in ea vrbe 1499.
dum Laurentius Suarius Figueroa Venetiis, vbi oratorem agebat vir exacta prudentia Romam veniret in locum Garſiæ Laſſi fratris legati ordinarii munere impoſito.

Ludouicus Mediolanenſis dux eo principatu ſpoliatur. CAPVT IIII.

INuictum Regis Catholici animũ curæ non obruunt multæ quãuis & graues, p̃ſidet in ſpeculis, indeq; late ꝓſpicit in omnes partes. Res Italicæ proximę periculo Rege Gallo vetera eadẽq; minime dubia, vt ipſi videbatur, iura armis repetenti quoniã certare legib. & cauſa longum erat. Satis ex ſe inflammato ad maturandã expeditionẽ ſubdebãt faces. Pontifex arcano Friderici Regis vlciſcendi præcipiti cupiditate, à quo ſe lęſum putabat filię nuptiis denegatis. Prĕterea augendi ſuos ſpes oſtendebatur ac præſertim ducẽ Valẽtinum ambitioſo virum ingenio prauoq; Veneti apertius Duci Mediolanenſi irati erãt pro Piſanis prius ſociũ, deinde hoſtẽ fœdere cum Florentinis facto. Pacta ergo cũ eo Rege amicitia & ſocietate mille ducentos equites obtulerũt ſex millia Heluetios Germanoſve contra ducẽ Mediolanenſem ea tamen lege vt pretium operę, impenſę cõpenſatio, Cremona & Geradada eſſent ei principatui detractę & ad Venetã ditionem ſubiunctæ poſt victoriã. Dux cognito periculo rerum ſuarum, parum opis in Chriſtianis Principib. forę, quos infenſos alios alia cauſa ſuſpicabatur extremum malorum Turcis ſuaſit, vt inſtructa claſſe Venetorum ditionem inuaderent; ſi bello ꝓprio implicarentur, aduerſus Gallum vires aliunde nõ defuturas. Magna piis omnib. ſolicitudo iniecta: plus inuidię ex eo Duci

quam virium accessit. Antonellus Salernitanus in Vrbini Ducis ditione propinqui & necessarii decessit Roberto filio successore nō tā nominis & fortunarū q̄ odii in Aragonios perpetui,q, illi odiū male tandē fuit Cęsaraugustę Gonsaluo Garsię iureconsulto celeberrimo irrogata atrox iniuria mense Iulio. Facinoris auctor cognosci nō potuit certo. Multi suspicionibus subiecti prę cæteris Ebuli Vicecomes magnis argumentis vindicta nulla. Vasconum Reges q̄dam à Rege Catholico extorquere veteris ditionis oppida ipso tēpore moliebantur. Ludouicus vndecimus Gallię Rex quo tēpore ad Baionā in Tarbellis cum Henrico quarto Castellę Rege est collocutus tum alia p̄stitit, tū in controuersia q̄ ipsum inter & Vascones erat, consensu partiū arbiter factus, sententia pronunciata sanxit, vt dū sumptus cōpensarentur q̄ Carolo Vianæ principe tuendo à Ioanne Castellæ Rege ipsoq; Henrico facti erant, seq; eā pecuniam soluturū, Carolus obstrinxerat, Stella vrbs cū cōtributis oppidis Henrico cederet. Vrbs quidē nunquā est tradita, alia tantū oppida: & ea ipsa à Vasconibus, vti sese offerebat occasio, erant recepta pleraq; & ad veterē ditionem imperiumq; subiuncta. Castellæ tunc præsidiis Arcus modo, Guardia & Vincentii fanum tenebantur. Hæc enimuero oppida restitui Vascones postulabāt, vitiosam Galli sententiā extitisse accusantes, prętērea affirmantes Regē Catholicū superiorib. annis pollicitū se ea oppida redditurū. Si minus æquitate postulati moueretur, certe regiā fidē ea restitutione liberaret. Ne res ab altercatione ad arma deduceretur & vim erat piculū, turbidamq; cōciret è Gallia tēpestatē. Verū Italicæ expeditionis apparatu districtus Gallus aliena curare q̄ posset? & vtiq; numerosus exercitus superatis Alpiū iugis Astā peruenit vrbē à Philippo Vicecomite Mediolanensi Duce datā olim Carolo Aurelianensi eius Regis patri, ea lege vt contra Venetos sociaret arma, opē ferret, bello eū sub vitæ finē fatigantes. Pręcipui Gallicarum Duces Stuardus Obenignus & Ioannes Iacobus Triuultius Asta mēse Augusto motis castris omnia opinione faciliora inuenere. Alexandria, Ticinum, Placentia breui ad ditionē subiunctæ. accessere minora oppida magno numero. Veneti quoq; haud minori felicitate Cremonā, Geradadā, Laudē & quidquid Mediolanēsis principatus eo tractu erat victricibus armis præsidiisq; occuparūt. Tantis vno tēpore cladib. Mediolanenses ciues conterriti correptis repēte armis magnisq; clamoribus Ludouico abdicato per vrbis plateas Gallica signa sustulerunt. Ad tumultum popularem sedandum Dux neque virium neque animi satis habens, neque iubendi vetandive potens non tam princeps iam quam belli causa ad arcem necessario cum confugisset rebus desperatis Ascanium Cardinalē & sui scrinii Præfectum cum filiis thesaurisq; in Germaniā præmisit: eodem ipse paulo post postridie kalen. Septembris de nocte ne appellatis quidē militibus est subsecutus. Exilii atq; itineris socii Atestinus Cardinalis & Galeacius Sanseuerinus eius gener & copiarum dux pręcipuus. Sic imperium malis artibus quæsitum non fuit stabile; ambitionem, inhumanitatem cupiditatemq; superi vindicarunt. Ipse principatu deturbatus, amissis amicis, quorū plerosq; p̄posteris actionib. alienarat, vagus incertusq; agebatur, non magis virium inops quam consilii. Princeps alioqui eximie sagax, neq; illi res vlla, neq; quisquam hominum satis placebat. Tertio post mense in partē victoriæ Genua concessit vltro ne tentata quidem defensione. Restiterat Gallus Lugduni quorsum res euaderent expectans. Inde nobilissimæ victorię fructum percepturus & vt parti principatus rationes cōponeret, in Italiam maturauit. Mediolanum ineunti triumphi persimili pompa populus obuiā portis est fusus magna significatione lætitię fausta omnia, vitam longæuam, felicitatē perpetuam cōprecari tantundē facturus pro aduersario si vicisset, quę mobilitas plebis est. Dux Valentinus Regis iter prosecutus Flaminiæ vrbibus ad veterem ditionem Pontificiam reuocandis trecētos grauis armaturę equites regiis stipendiis dari impetrauit Iuone Alegrio duce, prętērea quatuor millia Heluetios impensa Pōtificis & auspiciis militaturos. Decreta etiam Gallica auxilia Florentinis aduersus Pisanos libertatem tuentes. Mediolanensi bello confecto ex sententia, continuo Gallus ad Neapolitanum regnum animum adiecit, sua sponte currentē Pontifex subditis stimulis certaq; victoriæ spe concitabat. Placuit tamen reficere copias priusquam in eam expeditionem se daret, eoq; in Galliam redire. Genuę Philippum Rauastainum, Mediolano Ioannem Iacobum Triuultium spectata virtute fideq; viros præfecit alterum Germanici generis Italici alterum. Franciscum Ioannis Galeacii Mediolanēsi principatu à patruo spoliati filium, ne quid turbarum ea occasione existeret, secum in Galliam abduxit: vbi in sacerdotis morem detonsus annis sequentibus ex equi casu inter venandum in Heduis periit, nulla neq; vitæ neq; mortis laude. Italiæ motus Regē Catholicū solicitū habebant, ne velut ex continentibus tectis diffusa flāma inuolui & ipsum necesse esset. Itaq; Friderici Regis nomine honestissimas conditiones Gallo offerre, ad pacem hortari. Recusabat illę

ille partem, vniuerſas regni florentis opes ſpe vaſta & cupiditate complexus. Ad eas ergo conditiones recurſum, quę à Gallis dudum propoſitę, fuerant ab Hiſpano repudiatę. Fridericum propter parentis natales iniuſtum Regem eſſe Gallus & Hiſpanus certiori iure iunctis viribus Neapolitanum regnum expugnatum inter ſe per conditiones partirentur. In eius fęderis maturandi curam intentus agebat tunc Rex Catholicus Granatę, quo Ioanna ſoror Neapolitana Regina ex Italia in Hiſpaniam redux appulit. Margarita ſimul princeps ex ea vrbe profecta in patriam abiit, deducente Alfonſo Fonſeca Cōpoſtellano præſide ad Galliæ fines, qua iter erat. Simul ex aulæ aſſeclis quidam cuius nomen non proditur, in Galliam amandatur iuſſus cum Michaele Ioanne Gralla apud Regem Gallum legato conſiliis communicatis ſuo ipſorum nomine ad eam pacis conditionem recurrere, ſi forte eadem mens Gallo eſſet, quæ antea, an victoria ferocior eſſet factus. Fecit ille quę erat mandatum. Rhotomagenſi Cardinali, ex cuius arbitrio cuncta belli & pacis conſilia prodibant eæ molitiones haudquaquã diſplicebant: ne Clario quidem regulo proximum auctoritatis & gratiæ locum in ea aula occupanti. Accedebat vtilitas huic quidem facta Crotonis obtinendę Magnę Gręciæ maritimę vrbis: cuius ſe Marchionem dicebat. Iis adiutoribus fœdus breui coiturum dubitabat nemo. Fridericus Rex aduerſus ex Gallia imminentem tempeſtatem, an harum etiam molitionum non ignarus, ſi armis peteretur, aduocaturum Turcarum claſſem in Italiam minari. Tentauit etiam Pontificem placare Theani principatu & Sueſſa, quæ vrbes in Gandię ducis ditione fuerant. Valentino vltro oblatis ingenti pecunia adiecta, pręterea Alfonſo Aragonio fratris filio, cui nupſerat Lucretia Borgia, Salerni & Sanſeuerini principatum pollicitus, largus in periculo, & nimius quæ retractaret parta pace. Ea eſt timoris natura. Honeſtiſſimas Pontificis conditiones Valentini litteræ diſturbarunt ex Gallia, vbi tunc erat, renunciantis eius concordię intempeſtiua mentione Gallorum animos vehementer eſſe turbatos: proinde eo commercio prorſus abſiſterent. Huius anni fine in Belgis Cleonora eſt nata Archiducis filia maior annis ſequentibus Regina prius Luſitaniæ, deinde Galliæ priori coniugio quam poſteriori felicior, in vtraque fortuna ſalua probitatis fama.

Montani ad Granatam Mauri rebellant. CAPVT V.

QVo tempore Rex & Regina Granatam abierunt, Archiepiſcopus Toletanus Compluti hæſit ſchola in eo oppido cōſtituenda intentus ad exemplar Pariſienſis in Gallia modicis tunc initiis deinde præclarum literarum domiciliū. Collegii præcipui & maximi, cui à Diuo Illefonſo eſt nomen, fundamenta primum ſunt iacta pridie Idus Martii. Architectus Petrus Gumiel in ea arte apprime verſatus & nobilis, formacei initio parietes. frontem è candido lapide pulcherrimam tempus adiunxit. Nouum Granatæ regnū ſtabiliendi Regibus cura erat. Si Mauri, quorum magna multitudo ſupererat, Chriſtiana ſacra ſuſciperent, fore conſultum videbatur ne à cęteris ciuibus in religionis placitis diſcreparent. Quippe in religionis diſſidio concordia animorum inter ciues conſtare non poteſt. Euocato in eam rē Toletano præſule & quid facto opus eſſet monito, Reges Hiſpalim diſceſſerunt. Archiepiſcopi Toletanus & Granatenſis communicato conſilio parique ardore in opus ingreſſi vitæ probitate ſimiles & promouendę religionis ſtudio incenſi ex æquo ad Mauros ſanandos diligentē nauare operā ſtatuunt. Mauros quoſdā Elches vulgo dictos, qui Chriſti ſacra, quæ prius ſuſceperant, eiurarāt, inquiſitorū permiſſu, quorū ea cura erat, malo cogere viſum eſt: ac præſertim teneros filios per vim auulſos ſacris fontibus eluēdos adhibere. Id vero turbarum initium extitit. Etſi gentis ſacerdotes præterea, quos Alfaquinos dicunt, multa Præſulum benignitate, doniſq; victi è promiſcua Maurorū multitudine pleroſq;, vt ſe Chriſto adiungerēt, auctoritate & exemplo effecere. Intelligebantur artes, offendebantq; Maurorū vulgus. Ergo promoti animis & in rabiem acti Albaicini Mauri, q̃ magno numero erant, correptis armis, q̃ abſcondita tenebant, plateas tranſuerſis trabib. vicoſq; muniere. Toletanū quoq; intra ędes ſuas p̃ noctē obſederūt perimere deſtinantes. Ingēs ea nocte trepidatio, & ciuitatis permixtio pauidę tumultuantiſq;. Cū luce Tendillię Comes, quippe belli dux arciſq; Alhambrę Præfectus, militib. in vrbē euocatis neutri vti nocerent inter ſe auctoritate & minis effecit. Miſſæ ad Reges litteræ periculū renunciatū. In quo accidit exigua quidē ſed memoria digna res. Litteras Toletanus ad Reges AEthiopi perferendas dedit, viginti leucas pedibus conficere die vno ſolito nihilominus. In quo peccatū fuiſſe grauiſſime euentus docuit. Ad primū enim aut alterū diuerſoriū tantū vini miſer haurit (& eſt ea gēs in ebrietatē effuſa) vt emota mēte diē integrū indormire crapulæ opus habuerit. Fama aliiq; ſup alios de re tāta rumores nūtiiq; vti neceſſe erat Hiſpalim

præcurrerant. Mirabantur reges nihil à Toletano literarũ venire. Reginã negligentię pu-
debat, plerosq; sermones in eius nomen erumpere, qui ea auctore in sublimem dignitatis
locum conscenderat. Rex quoq; ad superiorẽ molestiam, quoniam eum honorẽ Alfonso
Aragonio filio suo destinarat antea, & tunc nouo tędio concepto haud obscuris verborum
aculeis Reginã perstringens, En, inquit, tuum Antistitẽ pręclarum scilicet & magnum. Ap-
pulit tandem Aethiops: Toletanusq; ex ea mora pudore suffusus Fräciscum Ruiciũ ex eo-
dem ordine socium suum misit : qui factum excusaret, & totius rei ordinem Regi-
bus explicaret, calumniamque detergeret, quę multi eius imprudentia accusa-
bant Mauros fuisse concitatos in furorem. Præterea accusare quã mutare facilius est. Sed
Granatæ tamen & Toleti anniuersariis sacris ad quintum decimum kal. Ian. eius diei me-
moria renouatur omnibus annis, quo tria Maurorum millia sacro fonte abluta fuerunt.
Ad quęstiones habendas puniendasq;, quorũ noxa in eo tumultu grauior extitisset, missus
cũ potestate iudex, voce pconis veniã edixit tamen omnibus, qui Christiana sacra syncera
mente susciperẽt. Supplicio de quibusdã sumpto, aliis in vincula traditis, tũ hi, tum eorum
exemplo cęteri Mauri, qui Albaicinum incolebant, se Christi religionem velle profi-
teri renunciarunt supplices in timore animo peruicaces atque insaniam repetituri, v-
bi facultas esset, tantundem fecerunt alii qui per Granatam reliquam sparsis domiciliis
habitabant, quippe in villis suburbanis vitam terræ cultu tolerabant, omnes ad quin-
quaginta millia capitum. Templa simul superstitione Maurica fęda, ex ritu Christia-
no sacrata sunt. Simulatio, haud potest esse diuturna : neque metus officii ma-
gister satis idoneus. Montani ad Granatam Mauri locorum natura freti simulantes an
vero persuasi reliquos per vim nostros fuisse factos, tumultus passim cõcitare cõspiratio-
ne inter se facta consilio cõmunicato. Initium rebellandi Huegiaris incolæ fecerunt mu-
nitione magis quam viribus confisi: quippe locis asperrimis est oppidũ. Accurrunt magna
celeritate Tendilliæ Comes & Magnus Gonsaluus, forte eo tẽpore agens Granatæ, ne pri-
ma negligendo serperet malũ. Capto per vim oppido in plerosq; rebelles ferro est sæuitũ.
Cæteros vicina mõtium iuga sylueq; texere. Eodem impetu alia circum Maurorũ oppida
capta: neq; sisti tamen malũ potuit fatali defectione quasi pestis lue per late patentes mõ-
tes diffusa grassanteq;. Atq; ita vt non modo sua tueri parati essent, sed de finitimis prędas
agere, vastare agros, carpere quoq; oppida, cædes facere. Marxenam imprimis obsederũt
quod oppidum in Promagistri Castellę ditione erat. Aduersus hos conatus Petrus Fagiar-
dus, qui Almeriæ cum exigua manu militari tunc erat, Alhamillam vicinum Maxenæ op-
1500. pidum de Mauris cum arce cepit: eoq; terrore Marxenæ obsidio soluta est, hostes dissipa-
ti. Salutis anno Millesquingentesimo auspicante hæc gerebantur. Ipso tempore Regina
Hispali relicta Rex Granatam rediit in vnam comprimendi eos motus curam intentus,
metu ne ex Africa quæ vicina est, & vnde auxilia rebelles petere decreuerant, graui ali-
quo bello implicaretur Hispania vix è superioribus cladibus recreata: ipseq; intestini bel-
li mole impeditus cogeretur ab Italiæ cogitatione cessare: quod eius rationes vehemen-
ter conturbaret. Itaq; Bętieæ ciuitatibus & nobilitate vniuersa ad arma signaq; euocatis,
numerosum exercitum magis quam validum conflauit. Cum iis copiis ipsemet kalendis
Martii Granata profectus Langiaronem versus contendit locis pręruptis situm oppidum.
Obstinatis Mauri animis nihil voluntate facturi videbantur. Vi admota captum dire-
ptumq; est oppidum. Lerini Comes aliique proceres copiis in plures diductis manus ac
per eos montes dissipati multas ea parte arces & oppida pari felicitate expugnarunt. Sæua
ac deformis eo tractu vniuerso rerũ facies. Victa malis ferocia Mauri rebelles se dedere
decreuerunt. Imprudenti impetu cępta; initiis valida, mora languescunt. Data omnibus
venia modo pacatis ea lege vt intra dies quatuor Castellũ ferreum, Adram, Bugnoliumq;
restituerent, q̃ oppida motuũ initio de nostris ceperant, & quamuis infirma ante iniuriæq;
opportuna diligenter ipsi ad omnes casus vimq; arcendam munierant. Arma telaq; omne
genus traderent. Pręterea quinquaginta millia auri duabus pensionibus. Obsidesq; fidei,
ita facturos in Magni Ducis potestatẽ triginta quatuor è præcipuis Mauris. Motib. ad hũc
modum cõpositis Rex Granatę substitit ea gente ad Christum adiungenda abluenda sa-
lutarib. aquis districtus. Ea diligentia paulo post montani Mauri, quique Almerię, Bastæ, &
Guidixii habitabant aliisq; locis nostra sacra populariter suscepere. Missi ad eos cõfirman-
dos, sanandos cęteros pii in omnes partes concionatores sunt adiuncti militari præsidio.
Dignitatis specie ne violarentur impune agebatur, si qui male cogitarent. Et est gẽs Mau-
rica mobili ingenio, fluxa fide. Quod prudenter ad salutem comparatum videba-
tur in contrarium vertit, sic humana consilia sępe deluduntur. improuidas ho-
minum mentes. Vulgatum rursus fama ex eo apparatu vim & metum Mauris
nouo

nouo conatu intentari. Incolę Belefichi & Nixarii, quæ oppida iugis montium asperrimis sita sunt, arma hyeme proxima corripuerũt patriæ superstitionis libertatem supremo conatu, tueri destinantes. Horum exemplum pleraq; eo tractu oppida montana sunt secuta: signumq; sublatum, quo confluerent cæteri Mauri. Qua spe quibus viribus? cęcus animi impetus miseram gentem in furorẽ agebat patriæ superstitionis amore qua nihil est potentius. A Rege qui vsq; dum Granatæ morabatur bello dux designatus regiæ aulicorũ cohorti Prefectus cõtinuo collectas copias Belefichum admouit. Impugnatum oppidum omnibus virib. & machinis. Obsessis tamen strenue tuentibus à mœnib. repulsi sunt nostri non sine multorum strage. Inter quos viri genere factis ve clari cecidere. Ducebatur obsidio tamen. Mauri sola desperatione sustentabant, pro nostris causa erat, & parta sępe victoria. Obsessi tãdem siti victi positis armis, iisq; & reliquo apparatu bellico victori traditis oppidum arcemq; dediderunt vnã incolumitatẽ pacti. Bona & libertatẽ arbitrio victoris permisere de regia clementia confisi: Eo terrore Nixarii incolæ iisdem conditionibus venere in potestatẽ, ea tantũ exceptione, vt libertatẽ publice redimẽdi viginti quinq; aureorũ millib. facultas esset. Festinatæ deditionis id prẽmiũ fuit. Ad Regẽ præterea placandum Mauri supra decem millia Seronis Tiiolę aliorumq; eo tractu pagorum incolæ sacris fontibus sunt admoti. Magnus numerus, ad pacandã gentem reiq; summam emolumenti parũ. Nam eodẽ tempore in Arundę & Villalongæ cõfragosis montib. Maurici tumultus publice sunt concitati. Cõmotus, vt par erat, noua rebellione Rex voce quidem præconis edictoq; denunciari mandauit omnib. Mauris qui in iis montibus, vbi motus erãt, habitarant, vt in Castellã discederent, parando discessu dies non amplius decẽ dati, cũ eo tamen arcano concessit, si qui nostrã religionẽ susciperent, iis manendi in patria suaq; cuiq; retinendi venia esset. Deinde Vrenię Comiti & Alfonso Aquilario Magni ducis fratri maiori, præterea Ioanni Siluę Cifontano Comiti tunc Hispalẽsi Prætori belli cura est demandata. Mauros indigenas eo terrore proposito facile animos ad sanitatẽ reuocãtes Gandules gens Africana quæ auxilio rebellib. venerat, ab ea mẽte deducere conabãtur. quibus in temeritate & in contumacia spes, nihil prẽcipuũ in Hispania. Saniores tamẽ Arundam positis armis vltro magnoq; numero venerunt Christianæ religionis amorẽ simulantes. Maior pars in incæpto perstitit: & qui immunita loca tenebãt in montẽ Rubrũ præcipua asperitate se suos suaq; contulerunt loci ardui natura confisi magis q̃ vera virtute. Iisdẽ vestigiis regiæ copiæ prosecutæ prope Monardam ad radices eius montis posuerunt castra. Mauri ad mõtis latus in armis se ostentare ascensu prohiberẽ hostes parabant. Cõmoti eo spectaculo pauci è piorũ numero cupiditate prædæ ducũ iniussu sublato raptim vexillo transmissoq; torrẽte, qui ea parte decurrebat præceps inter saxa niti per ardua cæperunt. Secuti sunt alii ne primis desertis in periculo ignominia aliqua cladesq; acciperetur. Vrgebant de superiori loco Mauri, nostrosq; ascensu magna virtute prohibebant. Si premebantur turpe nõ ducebant loco cedere, seq; in altiora iuga recipere quę ex interuallo exæquata munitaq; quasi propugnacula habebant. Instantib. nostris ad planiciẽ latam peruentũ tandẽ est summumq; fastigium montis vbi Maurorum vxores filiiq; erant atq; impedimenta, incitamentũ vtrisq; vt supremo conatu alii tuerentur, alii conarẽtur prædam rapere. Nostros cupiditas arcebat, aduersarios desperatio, si victi essent, in rabiẽ agebat. Cessit tamẽ virtuti sine viribus furor. Mauri qua parte nostri impressionẽ fecerunt, terga verterunt. Institere in primo agmine Alfonsus Aquilarius & Vreniæ Comes cũ duob. filiis. Ne victoria integra esset, praua cupiditas obstitit importunũq; inter ipsos certamẽ hoste neglecto spolia consectandi. Maior pars quasi victoria parta ad prædam versi sunt turbatis ordinib. militaris disciplinę nulla cura. Multis horis in ascẽsu pugnaq; consumptis nox superueniens victos texit locorum peritos, nostris temeritas exitio fuit. Ductor Maurorum Feruis Benastepar collectis ex fuga suorum reliquiis vir strenuus & sagax, hostium perturbatione ratus rei bene gerendæ opportunitatẽ oblatam, circumfusos milites pro tempore hac sententia oratione acuit. Quo milites ruitis, quæ causa fugiendi, Bona, vxores & filios quo loco relinquitis? Nisi vestrę vos manus texerint & arma, quis nam malis medeatur, quis erit præsidio? An quo vos fugietis, eodem rabidi hostes non poterunt penetrare? Furor est in pedibus spem ponere, quorum dextræ ferro sunt armatę. Quę ignauos terrent, & timidis videntur ardua, virtuti peruia sunt. Hostium perturbationem considerate (forte sulphurei pulueris cado incenso late diffusa flamma dispalatos prędantesque monstrauit.) Ergo pensato agmine in hostes dissipatos irruite vestris spoliis graues impeditosque. Præcedam ipse, ferroque secuturis iter pandam. Vobis nisi exemplum milites dedero, verbis meis ne amplius fidem adiungatis. Ducis verbis inflãmati Mauri pugnã magnis animis repetunt. Non audacia sed temeritas videbatur victores nouo conatu lacessere. Ignauos tamẽ necessitas acuit, & desperatio, q̃ sæpe spei

cauſa extitit. Dux Maurus forte an conſilio in Alfonſum Aquilarium delatus, qui vſquę dum cum paucis pugnam ſuſtentabat, vt erat thorace propter æſtum diloricato, eius pectus graui vulnere ſauciauit. Ingeminarunt alii ictus eo vulnerum numero, vt deformatum corpus in hoſtis poteſtate relictum vix poſtea dignoſci à domeſticis potuerit. Perierunt cum eo plures ducentis, atque in eo numero Franciſcus Ramirus Madriti ciuis dux magnus virtute fama pari toto bello Granatenſi parta. Petrus Corduba Alfonſi Aquilarii filius periculo ægre ereptus ad Vrenium euaſit cum globo militum hoſtis ſucceſſu ferocientis impetum comprimere paratum. Ciſontanus paulo inferius in mõtis latere cum Hiſpalenſi vexillo reſiſtens multis ex fuga ad eius præſidium ſe recipientibus ſaluti fuit, ſuique agminis & fugientium armis hoſtium vim vſque ad auroram ſuſtentauit. Cum luce Mauri fracti metu an pugnando defatigati montis faſtigium conuerſis ſignis repetierunt. Sic Alfonſus periit genere & factis inter Hiſpanos nobiliſſimus heros. Hoſtes eripuere vitam: de eius laudibus nunquam bona poſteritas conticeſcet quandiu Hiſpanicę res ſtabunt. Arundæ Rex tunc erat commotus, vt par erat ea clade, Gentis perfidiam vlciſci correptis armis deſtinabat. Placuit tamen Anagari ducem Daydinum impugnare oppidum non ſatis validum, neque ſatis munitum. Vrenio & Ciſontano mandatum vti infauſtos montes nouo conatu ſuperandi, qua parte ante aſcenderant, ſpeciẽ præberent. Hoſtes nouo terrore propoſito deſperata victoria de compoſitione vltro appellare conſtituunt, veniam poſitis armis fore non deſperantes. Datum abs Rege vt in Africã diſcedere volentibus libera facultas eſſet nauibus etiam ad Aſtapę portum ad traiiciendum integra fide paratis, per capita tantum denos aureos ſinguli traiecturi penderent libertatis pretium: qui patria carere nollent Chriſto ii ſyncere nomina darent. Firmato iis conditionibus fędere multi in Africam abiere: multo plures reſtiterunt in Hiſpania inſimulatæ Chriſtianæ religionis ſpecie nihilo abeuntibus ſaniores ingenio peruicaci. Sic diuturni motus qui Hiſpaniam ſolicitam habebant, & mala quæ ex iis impendere grauiſſima videbantur, faciliorem opinione exitum habuere. Verum Alfonſi Aquilarii mors in proximum annum incidit. Ad ſuperiora rationemq; temporum reuertamur.

Res Mediolanenſes. CAPVT VI.

MOntani Mauri ad Granatam tumultuabantur, ſimul à Rege Catholico inſtructa claſſe Gonſaluus deſtinabatur Venetis auxilium aduerſus Turcas eorum ditionem inuadentes armis, imminentes reliquę Italiæ ſpei occupãdę accitu, vt ferebat fama tum Mediolanenſis Ducis tũ Regis Neapolitani ſua vt tuerẽtur à iuratis aduerſariis inclinatis rebus grande momentum, ſic illi putabant. De Sicilia quoque cura erat, cui illa procella quippe è vicino minabatur maxime. Simul à Valentino Põtificis nomine, Gallicis armis bello ad Flaminiam illato de variis tyrannis eo tractu vrbes & oppida capiebantur, nullo relicto innoxio qui reſiſteret. Ita forum Cornelii occupauit, atq; Forliuium, cuius vrbis Comitem principem fęminam cepit. In Piſauri regulũ ardentior ira: cui antea ſoror Lucretia nupta fuerat. Grauiſſimũ eſt odiũ, quod inter propinquos & neceſſarios excitatur. Prouiſo ille periculo vrbe, vt tempus dabat munita fuga euaſerat, quam vrbem obſidere Valentinus inſtitit. Magnorum motuũ ſæuæ tempeſtatis hęc initia erant: Magnum Italię malum parabatur: Ac pręſertim Ludouicus Sfortia ad principatum recuperandũ ab Imperatore & Germanis Principibus aliis auxilia patrociniumq; implorare non deſiſtebat. Ea diligentia Heluetiorum & Griſonum conflato idoneo exercitu Aſcanium Cardinalẽ fratrem Ianuario menſe pręmiſit in Inſubres: vbi faciliora omnia opinione ſunt inuenta, priorẽ inuidiã miſericordia mitigarat. Erga eiectũ & exulẽ ſucceſſerat humanitas. Arces & vrbes certatim venienti ſe dedere, feſtinatione fidem ſtudiumque approbare cupientes. Ipſa etiam vrbs Comum & oppida lacui Lario adiacentia vltro portas aperuere. Ad eam famam Mediolanenſes ciues arreptis pro Ludouico armis Triuulcium in arcem ſe compingere compulerunt. Vnde die tertio cum equitatu Ticinum verſus diſceſſit. Ipſo die Aſcanius Cardinalis quaſi victoria de hoſtibus parta triumphi ſimili pompa vrbem iniuit. Subſecutus eſt Ludouicus frater, arce quamuis Gallico pręſidio detenta. Ticinum, Laus, Dertona, Placentia ad vetus imperium aliarum vrbium exemplo ſponte redierunt: aliæ pulſis Gallicis præſidiis ſe dedere duci ſatagebant. Clandeſtinis hæc agitata conſiliis alto ſilentio premebantur, dum votis opportuna ſe daret occaſio. Gallici exercitus robur Nouariam ex condicto confluxit, ſi auctis viribus poſſent ducis conatibus obſiſtere, prodire in aciem. Gallicę etiam copiæ, quę in Flaminia curabant eodem conuenere cõmeatu petito. Quæ cauſa extitit Duci Valentino id bellũ

inter-

intermittendi Piſauro quamuis nondum expugnata, Romã repetendi, quo fratres porrò redierant cum Pontifice redintegrata gratia videlicet. Romæ Valentinus apparatu, inceſſu, excubiis, vindicandis hominibus vim Principis complexus, nomen imperii Pontifici modo relinquere vſque eo obnoxio vt nihil magnæ rei niſi eo arbitro gereretur. Rerum conditio miſerabilis fœdaque. Gandaui, vbi Ioanna Princeps agebat, Carolus Archiduci natu maior filius eſt natus felici ſorte ipſo Matthiæ Apoſtoli memoria ſacro die: cui ampliſſima imperia, immenſę copiæ victoriæ de hoſtibus multæ & præclaræ cęlo deſtinatæ erant. Octauo ab ortu die Margarita amita in eam vrbem appulſa infantem de ſacro fonte ſuſcepit vna cum Margarita altera poſteriori Caroli Audacis coniuge vſque dum ſuperſtite. Ducem Lucemburgium vocari infantem placuit veteri more mutato: nam ante Ducem Burgundiæ maiores filii Caroleſii Comites vocari moris erat. Impleuit ea res Hiſpaniam noua lætitia. ipſa Iſabella Regina die natali nunciato, ſubdidit ex diuinis litteris: Cecidit ſors ſuper Mathiam. vaticinium vanum non extitit, neque coniectura falſa. Enimuero de incolumitate Michaelis Principis ob eius imbecillitatem exigua ſpes erat: ac paulo poſt Granatæ obiit. Eius plane obitu Philippus Archidux & vxor Caſtellæ & Aragoniæ Principes dici cæpere, haud dubio hæreditatis iure indicioq;. E Luſitania poſt Vaſci Gamę reditum claſſe tredecim nauium Petrus Aluarus Capralis Indiam iuſſus repetere, profectus, Oliſipone ad octauum Idus Martii ex itinere Braſiliam primus mortalium inuenit, tametſi eam laudem alii ad Americũ Veſpuciũ Florentinum natione ablegãt, litem dirimere non eſt tanti. Inde magno flexu Calecutium delatus, atq; in ea vrbe benigne primum acceptus, deinde quę eſt gentis perfidia & leuitas, violatus iniuria, neceſſario ad vim & manus venit. Hæc in India. In Luſitania Iacobi Viſei ducis filius ex impari matre ab Emanuele Rege patruo Magiſter equitum in Luſitania conſtitutus hoc tempore, annis conſequentibus filia vnica relicta deceſſit: quæ Villeregalis Comiti vxor data eſt poſtmodum. Bellum in Inſubribus ducebatur meliori ſorte ducis Mediolanenſis multa denuo carpentis oppida & ad reliqua aſpirantis. Alexandria vltro in eius poteſtatem conceſſit. Nouariam eo admotis copiis ex deditione cepit, arcem in Gallica fide perſtantem impugnabat. Haud diuturna felicitas fuit. Cum aduerſariis, qui non procul ea vrbe tendebant, iuſto prælio decernere parans vnaq; victoria moleſto bello finẽ imponere, copias foras vrbem produxit ſane ſedecim millia qua Germanos qua Heluetios. Inſtructa acie datoq; pugnæ ſigno Heluetii contra morẽ gentis contraq; ſpem detrectarunt contra Gallos & qui ex ſua natione ab illis ſtabant, ferro dimicare ſuorum iniuſſu magiſtratuum. Ea ſpecies eſt proditioni quęſita. Dux neceſſario ſeſe in vrbem copiaſq; retulit ab ea mente Heluetios ſi poſſet deducturus. Fefellit eum ſpes, & eſt omnis incauta ſecuritas. Ingenti pecunia venditum prodiderunt Gallis infenſis importuniſq; hoſtibus. Delatus mox in Galliam atq; in arctam cuſtodiam datus vitæ & vinculorũ eundẽ finẽ habuit egregius alioqui Princeps, niſi à ſcelere principatum eſſet auſpicatus: quod ſuperi ea calamitate vindicarunt. Aſcanius Cardinalis fratris miſeria grauiq; caſu nunciato continuo arcis Mediolanenſis, quam impugnabat obſidione ſoluta, Placentiam verſus diſceſſit, quingenti equites ſequebantur ad reparandã domus ruinam exigua manus, ſpei tamen aliquantũ euadendi, metus amplior. A Carolo Vrſino Venetorum, qui eo tractu militabant, duce ex itinere victis fuſiſq; cęteris Cardinalis ipſe captus, atq; in Galliã quoq; miſſus eſt gratũ Gallo Regi munus ruinæ fraternæ ſocius. Eius iuſſu Biturigũ in vrbe aliquandiu detẽtus ex aliquanto interuallo libertatẽ obtinuit. Is honor purpuræ ſacræ habitus eſt & Rhotomagenſis Cardinalis gratię: cuius ad arbitriũ cunctæ in Gallia res vertebantur. Ducis filii Maximilianus Franciſcusq;, ne ſęua domus ſuæ ruina vna opprimerentur, in Cæſaris curia relicti à patre, diu apud Germanos morati ſunt inopes, exules, ſine lare familiari vagi. Poſt victoriã Mediolanẽſis principatus haud ęgre quidẽ Gallo ceſſit vniuerſus. Ciuitates eæ, quæ Duci aduenięti ſine mora deditionẽ fecerant, ingenti ſingulæ in ſtipendiũ pecunia ſunt mulctatæ. Sic Italia ſuis copiis & virib. in ſua viſcera vertebat arma, ſuo quin etiã ſanguine vincebatur. Venerat in Italiã Rhotomagẽſis Cardinalis bello antea à Gallo dux cum aliis deſtinatus. Parta victoria Mediolani agebat, rerũ Italicarũ bello paceq; arbiter habebatur. Eo promerendo datũ expetenti à Pontifice eſt, vt totius Gallię vna excepta Britannia, legatus eſſet annuo & ſemeſtri ſpatio tunc: quod deinde tempus eſt additionibus ſępe amplificatum, ac proprium redditum dum vita manſit. De Vaſconum regibus multa Rex Catholicus ſuſpicari accipiendis delationibus pronus in eos principes maxime. Amicitia cum Gallo multis officiis culta, magnęque cum ea gente neceſſitudines vereri cogebant, ne monſtri aliquid Hiſpanię parerent. Ita annis ſuperioribus pręter ſacramentum ab arcium Præfectis in

verba Regis Catholici vniuerſa ditione factum, Sangueſſam & Vianam quaſi fidei pignora penes ſequeſtrum eſſe conſtitutum fuerat deſignato quinque annorum ſpatio. Eo decurſo tempore Vaſcones ea oppida repetebant: neque reſtituebat Hiſpanus aliam ex alia moræ cauſam obtendens. Vt controuerſias componeret Rex Vaſconum Hiſpalim adiit menſe Aprili, vbi reges Catholici morabantur. Ea diligentia Magdalenaque filia vnica fidei pignore in Caſtellam amandata, vt in aula Reginę creſceret, litibus tunc quidem finis eſt impoſitus, eaque oppida reſtituta, de quibus erat diſceptatio. Contra Lerini Comiti in Caſtella exuli à Vaſcone venia data, ademptique principatus pars multo maior reddita eſt. Equitum adeo magiſterium reſtitutum non ſine inuidia Alfonſi Peraltæ ſancti Stephani Comitis, cui graue erat honorem antea delatum nullo ſuo merito in gratiam inquieti & factioſi hominis detrahi. Vnde noui motus & moleſtiæ metuebantur extitereque.

Gonſaluus Magnus dux in Italiam redit. CAP. VII.

SEcularem annum more maiorum Pontifex clauſit, venia peccatorum inuitati innumeri mortales ex omnibus prouinciis Romam confluxerunt finitimi & longinqui pietatis ſtudiis certantes plenam maieſtate & numine vrbem inuiſere, religionis arcem, veritatis magiſtram. Morum licentia vigebat inter viros ſacratos vt ſi qua in parte orbis maxime. Eam turpitudinem vindicare Deus viſus eſt euentu mirabili Pontifice caſtigato cęteris territis exemplo. Apoſtolorum Petri & Pauli ſacro die hora quarta poſt meridiem violentus turbo extitit imbris & grandinis, qualem non meminerant. Ventorum vehementi procella tubus vaporarius euerſus ſupra cænationem cui à Pontificibus eſt nomen, vbi forte Pontifex tunc agebat familiari ſermone tempus fallens. Supra eam cænationem Valentini domicilium erat. Procidentis tubi pondus tabulatum primum traxit, atque è tribus Florentinis ciuibus, qui expectabant dum à Valentino debita pecunię ſumma redderetur, ſecundo tabulato confracto duos ad pedes Pontificis exanimatos & occiſos proiecit, tertium quoque ſpirantem, ſed graui vulnere ſaucium. Multi cum lateres tum tabulę ne Pontificis caput comminuerent ſuperſtantis vmbellæ tegmine factum eſt. Eadem inuoluto capite ne puluere ſuffocaretur, valuit. Accurrunt aulici. exanimatum Pontificem inter rudera repertum capite & manu grauiter ſauciatis, expiranti ſimilem nec ſatis compotem mentis in ſtrato componunt. Capuæ Cardinalis, & quidam alius, qui ſoli cum Pontifice erant ſub feneſtrarum abſidibus & receſſibus vitam ſeruarunt. Multi apud populum coniectandi ſuperſtitioni ad inſaniam deditum, Romæ pręſertim rumores ſunt ſparſi. Variæ ſignificationes & prodigia captata lingua procaci. Septuageſimum annum impleuerat Pontifex. tractata vulnera recrudeſcere videbantur. Vulgi ſermonibus multi ſucceſſores in Pontificatu ſenatus principes deſignabantur. Valentinus ipſe auxilia Gallica conquirere, alia pręſidia ab aliis, ad eum conſtituendum Pontificem, quem priuatis quiſque rationibus opportunum maxime iudicabat, nulla reip. cura. Verum eas omnes molitiones reſtituta breui Pontificis valetudo frænauit. Ipſo tempore Gonſaluus inſtructa idonea claſſe nauium ſupra triginta adiunctiſque aliquot triremibus, biremibus, Malacæ è portu ſoluit. Vehebantur ea claſſe pedites quatuor millia, equites grauis armaturę trecenti. Viri inter cæteros nobilitate factiſque pręſtantes. In eo numero Dieghus Lupus Mendoza Hiſpanię Cardinali natus, Alfonſus Silua Calatrauæ Clauiger. Lenta nauigatio fuit. Secundo prouecti flatu ad Balearem maiorem atque Sardiniam appulſi impeditique multis malaciis, tandem Meſſanæ in Sicilia portum tenuerunt ad quintum decimum kalendas Auguſti. Eo Hiſpani milites per Italiam diſperſi atque ex bellis ſuperiorib. relicti magno viri animo pugnandi ſcientia præſtantes confluxere, naues quoque alię conuenere ſeque adiunxere ad Hiſpanicam claſſem. A Turcis mari terraque vrbs in Peloponneſo pręclara Methone obſidione premebatur. Veneti, quorum in ditione erat, Gonſaluum, vti ſe cum eorum claſſe coniungeret, conuitio ſolicitabant. Cupiebat is obſequi iuſtiſſimis poſtulatis. Magnis tamen impeditus difficultatibus non ante quintum kalendas Octobris vrbe iam à Turcis capta ſoluit Meſſana, ſerum rebus perditis auxilium. Inter alias moræ cauſſas illa præcipua. Gerbis regulus noua militũ ſubſidia poſtulabat mitti, inſulanos fręnare cupiens noua ope, Margariti ducis & militum, qui ſub eo erant, licentia, rapinis & iniuriis exacerbatos, ac in ipſum Africa vniuerſa commota quaſi rebus noſtris faueret, Maurus nomine tenus eſſet. Mauro ſatisfacere integrum non erat alio properantibus. Spe depulſus Margaritum & ſuos arte in poteſtatem redactos deinde dimiſit liberos arce tamen & vniuerſa inſula prohibitos. Hiſpanica claſſis

claſſis Corcyram maris Ionii Venetæ ditionis inſulam tenuit poſtridie Kalendas Octobris. Eius aduentus ſalutaris fuit inſulanis. Turcæ inuadendi eos mutata voluntate Naupliam Peloponneſi vrbem & nauale cum primis olim nobile admota eo claſſe impugnare decreuerunt. In Gallia per idem tempus magna legatorum contentione pax tandem inter Reges Gallum & Catholicum facta eſt. Conditiones aliæ honeſtæ fuerunt. De Neapolitano regno ſancitum, vt facta diuiſione Apuli & Brutii Hiſpano cederent. Reliqua obtineret Gallus. Vectigalia modo ex pecoribus in Apulia colligi ſolita ex æquo partirentur: ac vero regni prouentus vniuerſos ita vt neutris amplius cederet quam alteris. omnino exæquari redditus vtriuſque partis bona fide volebant. Fœdus lubricum neque futurum ſtabile. Species facto prætenta præter vetuſta vtriuſque Regis iura Turcis pro religione bellum illaturos. Fridericum, cui cum ea gente fœdus erat & iuncta amicitia, quamque auxilio euocare decreuerat, ne pro religione ſuſceptos conatus impediret, ditione ſpoliare viſum eſt. Idonea ſpecies ſcilicet magis quam vera cauſa conſona iuri & æquitati. Clandeſtinis primum hæc agitata conſiliis alto ſilentio tegebantur. Pontifici dein ſignificata gratiſſima ei extiterunt, quin vtrique Regi Pontificia auctoritate partis decretæ imperium ſuo diplomate quaſi beneficiariis Romanæ Eccleſiæ confirmauit. Gallo Neapolitani & Hieroſolymitani Regi Hiſpano Apuliæ Ducis titulos. Friderici Regis odium incitabat: ſpeſque ex communi præda ſuos nouis augendi principatibus, haud obſcure à Gallo & Hiſpano facta. Cæleſtis vindicta quos premere cœpit, in præceps agit. Veteres domini non magis viribus quam conſilio deſtituti vagi, incerti, virtuti an fidei popularium minus crederent dubitabant ſæpe in fuga ac paulo poſt in armis ſpem habentes. Hiſpana claſſis è Corcyra profecta Zazynthum appulit Nonis Octobris. Eo porro Veneta claſſis ſe cum Hiſpana coniunxit, duæque onerariæ ex Gallia venere cum militibus octingentis auxilium à Gallo Rege promiſſum pretiumque Aſcanii Cardinalis in eius poteſtatem antea contraditi. Turcæ ſoluta Naupliæ obſidione ſiue propter anni tempus in hyemem vergentis, ſeu noſtris claſſibus vt pares eſſent, veriti, qui in ſinu Corinthiaco claſſem hiberno tempore continere conſueuerant ad Venetorum ditionem ipſamque Italiam ex propinquo vexandas, circumducto Peloponneſo ad Euripum & Chalcidis littora conſtiterunt. Ad Zazynthum de belli ratione à noſtris diſputatum eſt, non vna ſed varia ducum ſententia. Magno Gonſaluo Methonem tentare placebat expugnatu facilem priuſquam operibus muniretur aſſueſceretque Turcico imperio. Pleriquе Cephaloniam peti maluere centum & quinquaginta millium ambitu, tutiſſimo ad occaſum portu cum optimis totius orbis comparando Corcyram inter & Zazynthum poſitam inſulam Sinus Corinthiaci faucibus obiectam. Eo conſilio probato Galliſque Zazyntho abeuntibus ſpecie quaſi non ſolueretur ſtipendium, cæteri Georgii fanum petiuerunt præcipuum Cephaloniæ oppidum. Neque mora: ipſo die poſitis iuxta caſtris, tormentiſque mœnium parte ſtrata noſtri irrumpere per ſtrages & rudera intra oppidum conantur. Trecenti Turcæ præſidiarii milites eximie fortes magno animo eum impetum ſuſtinuerunt. E noſtris vulnerati aliquot, cæteri à mœnibus ſunt repulſi. Tempus erat minime idoneum, imbribus continuis & frigoribus impediti milites dies tamen aliquot ſuſtentarunt pro ingenio gentis aduerſus mala peruicaces. Ipſo tandem peruigilio diei Chriſti ortu celeberrimi ſupremo conatu adhibito admotiſque ſcalis periculi omnis immemores intra horæ ſpatium in oppidum penetrarunt. Periere in conflictu Turcæ centum ſeptuaginta. Alii quinquaginta qui ſe in turrim receperant deſperata defenſione Magni Gonſalui arbitrio ſalutem & libertatem permiſerunt de clementia confiſi. Primus in oppidum Martinus Gometius centurio vulnere quamuis accepto irrupit, Turcis etiam ex aditu quem obſepſerant deiectis. Ea inſula ſuperiori tempore in Leonardi Tocci Græci reguli ditione fuerat. Huius fratri Veneti detractam tradiderunt Turcis. De illis nunc captam Magnus Gonſaluus Venetis reſtituit, magnum ea moderatione ab animi magnitudine decus omnium prædicatione & fama conſecutus. Et alioqui commodiſſima Venetis claſſibus ea ſtatio erat præſertim poſt Methonem amiſſam, Hiſpanico imperio ob longitudinem parum commoda poſſeſſio. Sic claſſis Hiſpanica ex ea inſula dubio cœlo profecta ſæuaque tempeſtate diſiecta, incolumis tamen Syracuſas tenuit extremam Siciliæ ad ortum vrbem gemino portu & vetuſta imprimis nobilitate præclaram. In Siciliam Veneti Magno Gonſaluo miſerunt, qui ſitæ ciuitatis ius darent, donaque offerrent vaſa argento grauia veſtemque pretioſam nauatæ operæ & impenſi beneficii monimentum. Ille Veneti modo cuius honore

contentus cætera ad ſuum Regem in Hiſpaniam remiſit cum elegantibus litteris; & erat natura acutus & ſalſus. Hæc omnia ipſo tempore gerebantur, quo Valentinus Dux poſt cæſum immaniter Viſelium ſororium ſuum Romæ repetito bello Flaminię vrbes carpere non deſiſtebat. Piſaurum & Ariminum ne tentata quidem defenſione portas aperuerunt. Impotentis hominis iracundia timebatur. Fauentia tamen diu reſiſtit ope Ioannis Bentiuolii freta Bononiam ditione obtinentis. Hoſtem præualidum externo bello diſtinere pars conſilii quietiſque erat. Præterea ipſo anno pontificia ſententia diuortium confirmatum eſt: quo Ladislaus Hungarus Rex Beatricem Aragoniam thoro expulerat vxorem quondam Matthiæ deceſſoris Regis inclyti, Ferdinandi ſenioris Neapolitani Regis filiam, eoque Catholici Regis propinquam. Secundum Pontificis ſententiam Ladislao iuncta connubio eſt Anna Gaſtonis Fuxenſis Candalæ reguli filia, neptis Eleonoræ Vaſconum Reginæ: quæ Ferdinandi Catholici ſoror extitit. Sic Hiſpano nouæ nuptæ maiori auunculo ad aliorum principum affinitates Hungarica porro iis nuptiis acceſſit.

Luſitani Regis coniugium. CAPVT VIII.

QVatuor Regi Catholico filiæ fuerant. Iſabella natu maior deceſſerat ex partu, Ioanna & Catharina Auſtriaco & Anglico Principibus nupſerant. Supererat Maria natu minima magnis & ipſa expetita connubiis. Fridericus filio ſuo Duci Calabriæ coniugem dari cupiebat, regni, quod nutare tempeſtate videbatur, ab ea affinitate ſtabilimentum. Luſitano par votum erat, poſt vxoris deceſſum thoro cœlibe, maiores nempe è propinquo ad obtinendum vires. Itaque ea præferebatur conditio, lege propinquitatis ſoluere id coniugium primoque affinitatis gradu vt iuſtum eſſet, ardua plane res erat, neque probabilis exempli. Ipſe etiam Pontifex alioqui minime ſuperſtitioſus ea venia concedenda ſeſe oppido præbebat difficilem Galli Regis interceſſione præciſe negans niſi futura ex eo incommoda præſtarentur, minæque intentatæ, ſe vnquam quod petebatur facturum. Multi dies in ea altercatione conſumpti. Vt Calabriæ Duci Ioanna Regina, quæ Ferdinando ſecundo Neapolitano Regi fuerat iuncta vxor daretur, Rex Catholicus curabat, in ea prouincia relicta quadringentis aureorum millibus patris teſtamento dotalibus. Non diſplicebat ea conditio Friderico Regi, graue ducenti eam pecuniæ ſummam ſorori viduæ numerare. Cupiebat tamen inter connubiales leges paciſci vt Rex Catholicus res Neapolitanas in clientelam ſuſciperet in ſponſæ gratiam ex ſorore natæ. Quod ille detrectabat facere molitionum conſcius & particeps id regnũ per conditiones diuidendi cum Gallo: Ac vero eo fœdere maturato Friderico quamuis ad id quod ante offerebatur, propenſo, ſimpliciter, coniugiũ coire non eſt paſſus. Prouiſa quæ imminebat tempeſtate. Fridericus Rex Gallum omni ratione pacare contendebat. Recuſabat ille pacem veniamque dare, niſi Caietana arce fidei pignore, filioque Calabriæ Duce in Galliam amandato, iunctaque eidem connubio Germana Narbonenſis reguli & Mariæ ſuæ ſororis filia; ſi conditio non placeret, certe Engoliſmenſis ſororem duceret. Præterea decies centum aureorum millia exigebat in præſenti, deinde annua viginti quinque millia lege perpetua. Grande Gallicæ amicitiæ pretium videlicet ac graue Fridericus recuſauit. Atque aliis conditionibus reiectis decies centum millia aureos ſe daturum tamen recipiebat. Sic neque fœdus coiuit, neque vllum eorum coniugiorum coaluit. Pontifex quoque Luſitano ſublata mora, affinitatis cum noua ſponſa gratiam fecit. Ita Granatæ menſe Auguſto id coniugium confecit Aluarus Portugalenſis pro Luſitano vicarius. Nullis ludis neque illo principali apparatu ea lætitia celebrata tunc eſt. Gemina filiorum Ioannis & Iſabellæ funera recurrebant animis. Pridie Idus Septembris in ea quidem vrbe conceſſum, vt qua patera Reges biberent. Diuæ Luciæ memoria feſto die omnibus annis, ea cæderet Moiæ Marchionibus fidei cultæ difficillimis temporibus monimentum inſigne poſteritati, quoniam eo die meminerant ab Andrea Cabrera regiam ipſis ſupellectilem theſauroſque traditos in arcibus Segobienſibus aſſeruatos, grande momentum bello ex ſententia conficiendo, obtinendo regno vniuerſo, de qua poſſeſſione cum Luſitanis certabant. Nouam nuptam vſque ad Luſitaniæ fines proſecuti ſunt, princeps Dieghus Furtadus Mendoza Hiſpalenſis præſul idem Alexandriæ Patriarcha Tedilliæ Comitis frater, cui tũc purpuræ honos acceſſit, nomenque Cardinalis Hiſpaniæ patrui item Petri Cardinalis exemplo. præterea Villenæ Marchio, aliique viri principes haud exiguo numero. Accurrit ad Luſitaniæ fines Brigantinus

haud

haud obſcure quamuis offenſus honoribus quos Emanuel Rex in Georgium Ioannis Regis filium cumulabat ſupra merita ſupraque ætatem. Duci quin etiam Conimbricenſi renunciato vti pater ſub mortem mandarat, vxorem Beatricem dedit Aluaro Portugalenſi & Philippa Melo natam. Brigantinum plerique nobiles Luſitani comitabantur. Ab iis noua nupta excepta eſt ad tertium decimum Kalendas Nouembris. Rex Salaciæ eius aduentum morabatur, eoque in oppido decimo deinde die nuptiæ celebratæ ſunt, ludis omne genus, conuiuiis, ac reliquo omni principali apparatu. Prole numeroſa fœcundum id coniugium fuit felixq; multis ex eo filiis ſuſceptis, vti ſuis locis indicabitur. Haud magno interuallo Margarita Auſtriaca Philiberto Allobrogi iuncta eſt coniugio haud feliciori quam antea, hoc quoque viro breui extincto Ægypti Sulthanus Regi Catholico iratus erat ex quo tempore Mauros Granatenſes bello oppreſſit. Ex eo periculũ ne in Chriſtianos eius imperio ſubditos Sarracenis confuſos conceptam iram effunderet: neque noſtris libera facultas eſſet, vt antea, adeundi Hieroſolymã Chriſti Dei vita & obitu ſanctiſſimam ciuitatem plenam præſenti numine. Lenire animum barbari viſum eſt legato ad eum qui facti cauſas & ordinem coram explicaret. In eam rem Petrus Martyr Angleria domo Mediolanenſis à regiis ſacris perſpecta prudentia vir deligitur. præclare is officio functus, expoſitiſque mandatis, quæcumque voluit, agendi dexteritate ab eo Principe impetrauit. tum iiſdem veſtigiis ſe ſe retulit in Hiſpaniam anno in ea legatione integro conſumpto. Obſequii merces fuit Granatenſis decanatus ſacerdotium donũque honeſtum magis quam opimum. In ea vrbe conſequentibus annis defunctum, vti ipſe teſtamento ſanxerat, in ſella amici & familiares compoſuerunt veſte pretioſa indutum, quam Sulthanus dono dederat, ſed in ſacræ modum conformata. Id virtutis monimentum eſto eruditionis, Decades quas de bello Granatenſi, de legatione ſua, de noui orbis inuẽtione confecit maiori aliquanto diligentia & fide quam ſtyli felicitate.

Bello Neapolitano deſignati duces. CAPVT IX.

SVſpenſis mortales animis toto orbe Chriſtiano expectabant, quid bellici apparatus tanti parituri tandem eſſent. Aduerſus Fridericum Regem, Galliæ atque Hiſpanæ vires atque in eius perniciem conſenſu conferri plerique mirabantur, alii non credebant. Granata tamen Kalẽdis Martii anno Milleſimo quingenteſimo primo, miſſi qui magno 1501
Gonſaluo ſui Regis verbis renunciarent vti ad nouum bellum inchoandum Turcico dimiſſo continuo ſe ſe Meſſanam referret cum claſſe. ibi certiora mandata expectaret: & vt maior eſſet auctoritas paulo poſt regius vicarius in Apulia & Calabria nõdum domitis eſt dictus. Aduerſus Turcarum conatus tum à Rege Luſitano tum à Gallo impetratum Ferdinandi ſuaſu, vt ſuis claſſibus Orientis oras tuerentur ab iniuria, ferocienti barbaro frænos iniicerent, ab Italia arcerent. Obtemperauit Luſitanus tum æquitate poſtulati inuitatus, tum vt ſocero gratificaretur. Inſtructæ claſſi Ioannes Meneſius regiæ Magiſter Tarrocæque Comes delectus, ex itinere Maſalquiuirum portum in Africæ littore Orano vicinum expugnare tentauit, commercio opportunam & Hiſpaniæ littorum ſecuritati poſſeſſionem. Inde irrito conatu repulſus Corcyramque delatus nullo nauigationis longinquæ pretio ſe ſe tandem in Luſitaniam retulit. Gallo etſi ſuam & ipſe claſſem miſit Turcici conatus curæ admodum non erant præ ſtudio belli Neapolitani maturandi. Satis per ſe ad id incitato acres addebant ſtimulos plerique Neapolitani proceres qua domo extorres, qua infecti partibus. Ludouicus Armeniacus Namurſii dux Armeniaci Guiſæque Comes bello dux à Gallo præficitur, Ludouico Lucemburgio Lignio Comite repudiato, qui eum honorem ambiebat obtinẽdi Altamuræ principatus ſpe, quoniam Pyrrhi Baucii neptim ex Giſota filia vxorem habebat: cui Ferdinandus ſenior bello procerum detractum eum principatum Friderico filio dederat quaſi Iſabellæ minoris Pyrrhi filiæ, quam illi iunxit, dotalem. Metus ſuberat ne ea contentio in prouincia aliquid turbarum daret. Namurſius belli quamuis cura ſuſcepta diu ſubſtitit in Gallia. Feſtinantibus omnis cunctatio grauis erat. Obenignus Magiſter equitum dono Galli Regis Neapoli antea dictus ex Inſubribus vbi erat, cum copiis omnibus mouit, & cum eo Gaiaci Comes vir nobilis patria exul. Dum noui belli apparatus ſolicitam habent Italiam in Laurentii Suarii locum miſſus ex Hiſpania eſt Franciſcus Rogius, qui pro Rege Catholico oratoris partes Romæ impleret, vir eximie ſagax & callidus, ad verſandos hominum animos arte præditus & ingenio. Apud Imperatorem ab annis ſuperioribus eodem munere legati fungebatur Ioannes Emanuel ardenti vir ingenio & inquieto, alioqui magnis animi & corporis dotibus, facetus natura acutus & perſpicax. In Gallia Ioannes Michael Gralla,

Ioannes Clauerius Neapoli. Acceptis Gonſaluus ſui Regis mandatis continuo Meſſanam accurrit: vnde Panormum cum Ioanne Nuſa Siciliæ Prorege de noui belli ratione deliberatum,pecuniam in ſumptus & militem in ſupplementũ eo adiutore conquiſitum ſubſidia omne genus.Intempeſtiua de poteſtate inter duos contentio excitata agendi opportunitatem ferme corrupit. Et eſt ſuperioris non modo ſed etiam conſortis impatiens dira dominandi ambitio. Valuit tamen obſequendi regiis mandatis ſtudium. Magnuſq; Gonſaluus delectu vt tempus dedit, inſtituto redactaque pecunia aliquanta, Meſſanam breui recurrit,vbi bellici præcipue apparatus & copiæ erant. Obtinebat is in Apuliæ parte Garganum Friderici Regis dono operæ præmium datum cũ inaugurationis die multos principatus,inter belli duces diſtribuit numerum magnitudine potius quam morum conſtantia amicos meritus magis quam nactus. Ergo Gonſaluus Focio centurione Neapolim legato neceſſitatem parendi excuſauit, eôque principatu vltro abdicato iuriſiurandi gratiam fieri ſibi poſtulauit,& fidei qua ea de cauſa Friderico erat obſtrictus. Dedit Rex quam petebat veniam relicto etiam quem abdicabat principatu cum multo verborum honore,cupere ſe multo ampliori munere eius promerita compenſaſſe,porro excuſationem accipere:tantum ne ex iis arcibus bellum regiis finibus inferret, aut de finitimis prædas ageret,quod erat æquiſſimum poſtulatum. Ex hac tamen Gonſalui denũciatione intellexit plane rebus ſuis exitiũ inſtare. Legati præterea ex Hiſpania monere nullam in Rege Catholico opem rebus fore: Hiſpaniam in armis eſſe, bellicis apparatibus, equis,militibus omnia perſtrepere:quo ii conatus eæque molitiones pertinerent,dubitare neminem. Tum demum quaſi ex alto ſopore excitatus in omnes partes circumſpicere, neque illi conſilium vllum,aut quemquam hominum placere. Sic miſeri ſolent. Quid certe faceret? quod captaret conſilium infidis prouincialibus, modicis viribus, nulla in externis ſpe filium Ferdinandum Tarentum ablegauit vrbem in extrema Apulia atque Italia ad mare ſitam firmam imprimis & validam. Quin & in Apolloniam exaduerſum Italiæ miſiſſe fama prædicabat, qui Turcarum auxilia aduerſus eam tempeſtatem excirent, nulla in timore honeſti cura. Delectu item habito quantas maximas copias contrahit, octingentos grauis armaturæ equites, pedites quatuor millia. Sed quantulum id erat præſidii ad ſuſtentandum Galliæ atque Hiſpaniæ vires. Imminens cœlo clades nulla diligentia moueri potuit. Capuam munire decreuit quaſi belli arcem futuram. tuendæ cura Fabricio Columnæ & Hugoni Cardonio cum ducentis cataphractis mille & ſexcentis peditibus commendatur. Gonſaluus vt erat ſagaci ingenio atque eximie cautus intelligebat plane fœderis nuper icti inter duos Reges conditiones haud fore ſtabiles. Gallorum ingenium nullis finibus reſiſtere, ne pati quidem conſortium regnandi ambitionis malum ſæuum & impotens: diuidenda præda magnas futuras difficultates,noua iurgia prouidebat animo. Proinde nihil feſtinatione ſalutarius arbitratus, ad id omnes induſtriæ neruos intendit, vt Gallorum conatus occuparet, efficeretque celeritate ne ſibi impedimento eſſe poſſent, quo minus partem certe attributam obtineret, de reliquo facturus vt ſe res darent. Ac primum claſſis multo maximam partem Apuliæ littora miſit Diegho Mendoza ductore Turcas, ſi id tentarent, Italiæ aditu prohibitum. Claſſis Luſitana vt erat conſtitutum lenta nauigatione prohibita in eam vſui non fuit, vti eſt antea indicatum. Cum claſſis parte miſit Enecum Lupum Aialam Neapolim, qui Ioannam Reginam Neapolitanam in Siciliam abductam belli periculis eximeret. Dedit Fridericus diſcedendi facultatem non inuitus tametſi antea recuſarat, eo retento pignore auunculum Regem ſibi obſtringere ſcilicet ſatagens. Hiſpanorum copiæ ſecundum hæc tranſmiſſo freto in Italiæ littore conſtiterunt. Eæ erant trecenti cataphracti, totidem leuis armaturæ equites, pedites tria millia octingenti. Ad eum numerum ſexcenti Hiſpani milites acceſſere, quos Franciſcus Rogius legatus Roma ſubſidio miſit, ex iis qui in Flaminia Valentino militarant magno armorum vſu. Ex Sicilia præterea quadringenti grauis armaturæ equites indigenæ adiuncti ſunt ex vniuerſa inſula lectiſſima pubes. His copiis Brutii & Magna Græcia breui in poteſtatem conceſſerunt. Præter Giracium & Agathæ fanum firmiſſimas arces, reliqua Gonſaluo ditionem fecerunt. Meſſanenſi freto ſuperato Hiſpanicæ copiæ in Italiam traiecerunt poſtridie Kalendas Iulias, Gallicæ Roma obita ad fines Neapolitanos alia parte tertio poſt die peruenerunt. Omnia iis etiam opinione ſpeque faciliora. Quacumque iter erat oppida & vrbes cupidiſſime aperiebant portas paratæ commeatu, pecunia, & rebus aliis iuuare. Pari animorum conſternatione Aprutium, parte Gallici exercitus eo dimiſſa, in ditionem venit nullo repugnante Gallici imperii iugum ſubire. Capua præſidii fiducia reſiſtens, quamuis admotis

caſtris

caſtris obſeſſa Gallorum impetum diu frænare potuit: niſi Paleniæ Comes eius vrbis ciuis Gallis mutata repente fide patefeciſſet aditum. Ingreſſi in vrbem victores implacabili odio ciues conſectari, diripere opes publicas priuataſque, nihil vſquam ſecretum aut clauſum pati: plenæ cædibus plateæ foraque. Fabricium Columnam, Hugonem, alioſq; duces, qui erant in preſidio, viuos ceperunt. Rei geſtæ nuncio ad quartum Kalendas Augusti Nicaſtri accepto Gonſaluus excitus Conſentiæ arcem expugnat magna velocitate; eique vrbi Ludouicum Mudarram præficit, Aieli Comitem fidum expertus prouinciæ vniuerſæ pro ſe vicarium magno rerum vſu virum induſtriaque. Ipſe in Apulos proficiſci deſtinabat cupiens ea quoque prouincia potiri priuſquam à Gallis Neapolis eſſet capta. Eo ventum & imperata cætere vrbes & arces eo tractu continuo fecerunt deditionis celeritate certantes Regis Catholici ac Hiſpani ducis gratiam aucupari per eum modum ſatagentes. Tarentum reſtitit ducis Calabriæ præſentia & præſidii virtute, ſuaque munitione confiſa. Admotis copiis obſidere & vim admouere viſum eſt. Interea Galli vrbi Neapoli imminere tum ſuis viribus tum Valentini ope: qui Fauentia in Flaminia atq; in Hetruria Plombino captis Regi Gallo operã in eo bello nauaturus citus aduenerat, tum propenſa in eam gentem voluntate vt ſe Cæſarem Borgiam è Gallia diceret, gentilicii clypei præcipuam partem lilia, Gallorum Regum inſignia diſtinguerent, concepti in Hiſpanos odii clarum ab vtraque re argumentum. Sic mores erant: vnde flatus aliquis fauoris oſtendebatur, eo vela dandi deſtinata voluntas. Neapolis defenſione deſperata in tanta gentis conſternatione tam lubrica fide, Fridericus non iam præſidium rebus, ſed belli cauſa cum Gallis ducibus pepigit Iulio mẽſe extremo, vt vrbe cum arcibus dedita & ſexaginta aureorum millibus in belli ſumptus numeratis, ipſi in Ænariam diſcedendi cum theſauris reliquis, regiæ cultu & familia vniuerſa facultas eſſet, intra ſex mẽſes inde quocumque gentium vellet ituro. Facto fœdere diſceſſit pullo amictu mœſta circum familia in eam inſulam cum vxore & filiis. Regina Hungariæ, Iſabellaque Ioanni Galeacio vero duci Mediolanenſi nupta ſecutæ ſunt. Neque erat quiſquam adeo ſaxeus quem non commoueret ille aſpectus. Opulenti regni dominum, relicta fortune ſuæ ſede, per medios populares exire de vrbe in exilium. Eodem confluxerunt tum Proſper Columna tum Fabricius pecunia iam liber quem ſtantem ſecuti erant, eidem deiecto adhærere decreuere, rerum commutationem breui futuram ſuſpicantes. Deſeruere alii proceres. Rebus proſperis certaturi ad obſequium proſtrati fortunam detrectabant. Neapoli ſubdita ac vero reliquis prouinciis in fœdere deſignatis momento domitis, Galli ad reliqua & non conceſſa aſpirare. Militares animos frænare quis poſſit? imperandi ambitionem quæuis intra modeſtiæ fines coerceat? In Caſtella Mariam Paciecam Beneuenti Comitem inter & Alfonſum Pimentelium eius filium magnæ controuerſiæ extiterant de tutela & coniugio neptis Marie Comitio, cui Villafrancæ iure paterno principatus obuenerat. Id coniugium Infantatus & Albæ Duces ambiebant filiis ſuis opima illecti dote, tum Alfonſus ipſe virginis auunculus Beneuenti Comes ſibi. Vicit in contentione tandem Albanus. Si Beatrix virginis eius matertera Garſiæ Ducis maiori filio nuberet, datum vt ea virgo Petro Toleto iungeretur Garſiæ minori fratri ſic eſt factum. Petrum noſtra ætas vidit eximium bello paceq; virum, ſanguinem cum magnis Principibus miſcuiſſe, poſteris ex eo coniugio tum Villafrancæ Marchionibus tum Florentiæ Ducibus.

Neapolitani regni deſcriptio. CAPVT X.

CApta Neapoli continuo nouæ cõtrouerſiæ inter victores extiterunt, aliæ ex aliis nexæ: vti erat neceſſe inter Gallos & Hiſpanos moribus, ingenio, & inſtitutis diſcrepantes vel maxime nationes, & tunc ob recentem victoriam maiori quam antea inſolentia. De ſumma initio nulla extitit controuerſia. De quibuſdam modo parti regni prouinciis diſceptatio ſuſcepta non expreſſis in ſuperiori fœdere, quæ quib. attribui deberent. Eæ erant Baſilicata veterib. Lucania, Capitinata atque Principatus tũ Citerior tum Vlterior. Galli pro innata ingeniis confidentia ne appellatis quidem confœderatis Capacii filium miſerunt, qui in ditione, Lucaniæ parte populares in Galli Regis verba ſacramẽto adigeret. De Amalfitano principatu, qui in eadem prouincia eſt, cum eo principe trãſegere inſcio Gonſaluo. ab ipſo quin etiam Rege Gallo Ioãni Iacobo Triuultio ante donata ea ditio fuerat anticipata quaſi de ſuo munificẽtia, vnde noua iurgia extarent. Ad hæc nõnulli proceres, quos Reges Neapolitani iunctos tenebant, libertati redditi, atq; in eo numero Ioannes Baptiſta Martianus quadraginta ferme annorum vinculis non domita, ſed irritata ferocia, Roſanum in Magna Grecia occupare tẽtauit paternæ olim ditionis opimum

principatum. Simili exemplo Ludouicus Arſius è præcipuis Gallorum ducibus, Ludouici Lucemburgii nomine & auctoritate Altamuram in Apulia armis præſidiiſque occupauit. Quod quid erat aliud quam cuncta ſibi arrogare, vna ſummis miſcere, ſocios contemnere, vnde nouorum bellorum occaſio & materia exiſteret? Nondū tamē tantis quamuis iniuriis violato fœdere ab Hiſpano expediebantur arma. Concordiæ viam prius tentare placuit. Appellati de ea re primum Obenignus, deinde Mamurſius qui cōfecto tandem bello captaque Neapoli in prouinciā appulerat belli & pacis de cætero arbiter. Ne in prouinciis iuris minime controuerſi alterutri quidquam in alteros mouerent, neq; ſibi auctoritatem arrogarent conſenſu decretum. De quibus lis erat, donec conſulti Reges quid placeret, certe delecti conſenſu arbitri pronunciarent, quæcumque oppida Gallica vexilla explicarent, iis Hiſpanica porro adiungerent, tantundem è contrario facerēt Hiſpani, commodum temperamentum, ſi verbis & pollicitis reſponderent facta; & quod de vectigalib. annuis & forma regiminis in eam ſententiam pari moderatione ſanxerūt, diu tenuiſſet. Verum maior lux erit rebus, faciliuſq; intelligetur vtra partium certiori iure niteretur, ſi hoc loco Neapolitani regni forma parteſque eius ſumma explicata ob oculos fuerint poſita. Extremam Italiam, quæ à ſaltu Terracinenſi Pontiniſq; paludib. per Volſcorum fines Sabinorum & Marſorum montes per Furconenſes & Ferentanos in Picenum ad oſtia Truenti pertinet, ſupero atq; infero mari circumfluis diu Neapolitani Reges imperio tenuerunt. Perpetuis iugis ſicuti reliqua Italia Apenini montes vniuerſa prouincia dirimitur: qui mons ab Alpib. diductus progreditur arduus plerumq; mollior aliquando, vſq; ad Magnæ Græciæ finem: deſinitq; in Armorum promontorium. Ambitus totius regni mari terraq; milliaria numerat mille quingenta ſexaginta octo. Adeuntib. eā prouinciam ad eius montis dextram Campania primum occurrit à Leboriis olim populis habitatus tractus, vnde nomen hodie quoq;. Præcipuæ ea parte vrbes Caieta, Nola, Capua, ipſaq; Neapolis regni caput. Vetus quidem Cāpania olim præterea continebat quidquid terrarum à Terracinenſi ſaltu ad Tiberim pertinet Pontificiæ nunc ditionis regionem gemina appellatione: nam quæ pars ad mare vergit Maritima ſeu Maremma dicitur, interiora Præneſtinum poſt agrum vſq; ad Aquinates fines Campaniæ vſq; dum nomen retinent. Ad ſiniſtram Aprutium eſt multos ex antiquis populis complexu coercens, nempe Sabinos vbi Aſculum erat Piceni etiam pars. Marrucinos, vbi Theate nunc cernitur. In Veſtinis Aquila numeratur, in Pelignis Sulmo vetuſtior. In Marſis Talliacotium & lacus Fucinus, Samnitum etiam pars: ad eandem prouinciam pertinet vſq; ad Campaniæ fines, ad quam pars altera Samnitum ſpectat inter Auſtrum & occaſum fuſa, ac fere quib. nunc locis Beneuentum cernitur. Recentiori memoria Aprutium in citerius vlteriuſque Aterno amne ſeu Piſcaria interfluēte dirimitur. Atq; hæ duæ prouinciæ Campania & Aprutium in fœdere, Gallis ſunt contributæ. Vtra Aprutium in eodem latere Apulia iacet trifariam vulgo diuiſa in Capitinatam, vbi mons Garganus aſſurgit, & Barenſem tractum Trano & Monopoli quæ ex veteris Egnatiæ ruinis creuit, vrbibus inſignem: atq; Hidruntis territorium Brunduſio Tarentum pertinens vrbē in extrema Italia mari imminentem loco & operib. munitam ad Magnæ Græciæ fines auſtrum inter & ortum ſitā. Supra Neapolim exaduerſum Apuliæ principatus conſequitur olim Picētini Salerno prouinciæ capite. Baſilicata deinde quæ magna ex parte Lucania veterib. fuit, montes tenet, quib. ab Apulis dirimuntur. Brutii ad mare inferum vergentes Coſentia vrbe primaria & ad Meſſanenſe fretum Rhegium vrbs ſua antiquitate quam ciuium frequentia aut elegātia operum hac certe tempeſtate nobilior. Interiora Magna Grecia tenet Roſano & Catanciano aliiſq; oppidis inſignis. Brutios & Magnā Græciam vno Calabriæ nomine vulgus loquētium comprehendit. Et Calabria quidem Apuliaq; abſq; controuerſia Hiſpaniæ ditioni relinquebantur. De principatu dubitari poterat ad vtros iure pertineret. Nam qui Calabriæ finib. eum tractum comprehendebant, paſſim refellebantur. Tantundem de Baſilicata ſtatui poteſt: tametſi non deerant, qui quod in montib. ſita ſit, negarent ſeiungi ab aliis prouinciis debere, ſed qua parte ortum ſpectat ad Apuliæ qua occaſum ad Brutiorum ſeu Calabriæ fines pertinere: Itaq; à Regib. vt duas eas prouincias rurſus ex æquo diuiderent facile admittebatur. Maior de Capitinata ſupererat lis quippe prouentu præ cæteris celebri. A Frentone ea pars, quod nunc flumen Fertorium eſt, Aprutii finis, ad Aufidum extenditur. In ea Manfredonia olim Sipontus dicta, Garganus & Troia viſuntur. Atq; id Capitinatæ nomen tractui adhæſit, ex quo tempore Græcis ea Italiæ pars ſubdita erat, ad hanc ætatem retentum. A Præfecto, qui Catapan vocabatur, regio Catapaniata primū dicta eſt. Inde vero Capitinatę nomen paucis commutatis litteris, tum Capitanei vox fluxit prætorem vrbanum vulgo in Italia, ſed & ordinum in bello ductorem ſignificans. Et quidem

dem Apuliæ finibus eam regionem comprehendi, satis indicat mons Garganus in Apulia à Ptolemæo quidem collocatus. Frentoque fluuius à plerisq; Aprutii & Apuliæ communis terminus designatus. Recentiores quoque Capitinatam Apulis annumerant. certe ea parte vectigal è pecoribus Apuliæ exigi solet magni prouentus ac quo nullum est opimum magis iis Regibus vectigal. Furor erat tantis præsidiis fultam munitamque sententiam velle contumacia euertere. Verum de re tota euiq; liberum esto iudiciū. Quod ad rem præsentem attinet, ex eo plane arrepta occasione Hispani Gallique inter se distinxere arma, marte arbitro dirimere litem destinantes, quando Reges quamuis de ea re sæpe appellati statuere quid certi eatenus noluerant, viribus credo pro se quisque confisi aduersus æmuli potentiam. Propius vero parte contempta vniuersum regnum vterq; spe & cupiditate erat complexus. Et sordent concessa, cum noua speramus. vitium id mortalitatis. Verum ad hæc loco competenti oratio recurret. Nunc Fridericus Rex ex Ænaria insula, in quam per conditiones traiecerat, Regi Catholico infensus maxime à quo se euersum videbat, nullo propinquitatis respectu, in Galliam concedere constituit triginta annua Francorum millia ab eo Rege in alimenta pactus, vnde vitam calamitosam toleraret in exilio. Ergo cum vxore & liberis eo contendit. Beatrix soror Hungariæ Regina restitit in ea insula: vnde breui in Siciliam discessit. Isabella fratris filia Ioannis Galeacii antea coniux & ipsa Barim se contulit Apuliæ vrbem. Miserum Aragoniæ familiæ naufragium & ruina regiæ in varias partes & quasi fragmenta dissilientis. Galli se fidei Fridericus credebat: simul cum Philippo Austriaco magna contentione agebatur, vt quam primum in Hispaniam ipse & vxor venirent sacramentum, vt fit, à populis accepturi tantorum regnorum hæredes post facta parentum fore. Noua prole hoc anno auctum, cui Isabella nomen, prouidus socer in Hispaniam abstrahere cupiebat prouinciæ moribus, lingua institutisque imbuendum, vitia correcturum, quæ ætatis imprudentia, & aulicorum præpostero obsequio & adulatione generosam alioqui indolem deprauasse cognouerat. Illis Belgica licentia assuetis & principis facilitate ad sua commoda abutentibus graue erat in Hispaniam venire, socer cautus & callidus verentibus ne principis liberati suisque cupiditatibus agendi dexteritate & auctoritate paterna frænos iniiceret. Ioannes quidem Fonseca Cordubensis Episcopus Regi à sacris notæ prudentiæ vir in Belgas propterea legatus profectionem vrgere non desistebat importunus exactor. Rex item Gallus quod erat futurum prouidens, vt per Galliam iter faceret omnino suadere instititit. Quod factum est tandem. Sed & ex Hispania classe ad Brigantinum portum parata Catharina regia puella in Angliam ad pactas antea nuptias discessit. Granata, vbi tum parentes agebant, profecta multis iter prosequentibus ad octauum Kalendas Septembris è portu soluit. Alfonsus Fonseca Compostellanus præsul, Egabri Comes cum vxore & pleraque nobilitate sponsam in Angliam ægre quamuis deduxere. Tranquillo profectos mari repente exorta vis ventorum tempestasque distulit. Pars nauium ad Angliæ littora appulerunt; plurimæ in Lauretanum se portum intulere. Inde sedata procella postridie Kalendas Septembris explicatis denuo velis in Angliam secunda nauigatione peruenerunt. Nuptiæ virginis & Arturi sponsi continuo principali apparatu celebratæ sunt, lætitia haud diuturna. Quantæ te miseriæ manent innocens puella vnius ob væcordiam impotentis viri sui minime compotis? Ipso mense agente Regina Isabella Beatrix Castria Lemosii Comitis filia & hæres futura nupsit Dionysio Iacobi Brigantini filio à Ioanne Lusitano Rege perempti. Puellæ Patri Sarria, Castrum, atque Oterum iuris controuersi oppida abs Regib. dono data quasi in partem dotis, atq; in coniugii gratiam. Tridenti vrbe in faucibus Alpium sita, qua montes inter se coeunt, Cæsarem inter præsentem & Gallum Regē misso ea causa legato pax facta ea potissimum lege est, vt Carolo Philippi Belgæ filio Claudia nuberet Galli maior filia: quod sæpe coniugium retractatum nunquam coaluit.

Philippi Belgæ aduentus in Hispaniam.

CAPVT XI.

CLasses è Lusitania & Gallia auctore Rege Catholico Venetis contra Turcas auxiliares missæ nullo operæpretio sese retro retulerunt, vti paulo ante est indicatum de Lusitania quid gesserit. Gallica Chium delata Genuensis tum ditionis insulam spatiis angustam, prouentu masticis celebrem, impedito tantum vectigali, quod Turcis pendere consueuerant, cætera peste, tempestatibus, hostium incursu

conſumpta, milites vix mille ſuperſtites in Apuliam vicinam appulſi Gonſalui iuſſu benigne accepti atque habiti ſunt. Erga afflictos miſericordia valuit, & ſocietatis nondum plane diſturbatæ memoria. Veneti quoque in hiberna receperunt quinque & viginti triremes haud ſatis inſtructi bello defendendo aduerſus Turcarum arma. Rem periculo proximam cœlites ſunt tutati nulla Turcica claſſe hoc anno e naualibus in piorum perniciem educta. Alioqui aduerſus eam potentiam parum præſidii in piorum viribus bello inter ſe diſtrictis noſtrorumque comparatione fuiſſet. In Caſtella à Regibus edicto ſancitum Mauros tota prouincia ac in Bætica præſertim cum piis confuſo nullo non commercii genere Mudegiares vulgo dictos niſi Chriſto darent nomina Chriſtiana religione ſuſcepta, finibus certe intra diem certum diſcederent. Belli præterea ciuilis metus oſtentati magno prouincialium motu, niſi mature eſſet occurſum naſcenti malo. Ludouicus Cerda Medinæ Celinæ dux ſub mortem concubinam duxit, Ioãnem filium ex ea ſuſceptum ſtupro iure legitimo hæredem principatus deſtinans. Ægre id tulit Enecus Cerda ducis fratris poſt fata eam hæreditatem ſpe & cupiditate complexus. Eneci filio Ludouico nupſerat filia ducis Infantatus. Obſtinatus eſt animus quem ingentes ſpes deuouerunt. Generi iuraret armis tueretur ſocer opibus & clientelis validus, collectis raptim copiis Cogolludium obſedit, id oppidum & vero reliquam defuncti Ducis ditionem armis præſidiiſque occupaturus, quoniam legibus non fidebat. Verum à Rege monitus ne regnum importune turbaret, neque vim potius quam iuris certamen quæreret, neceſſaria re atq; ſi pergeret, maioris mali metu militares copias dimiſit. Sic Ioannes abſque controuerſia paterno principatu potitus eſt, propriumque poſteris reliquit. Iis ſedatis motibus ac vniuerſa prouincia graui ſolicitudine erepta, nunciatum eſt Philippum Belgam & vxorem itinere per Galliam arrepto feſtinare: prope diemque ad fines Hiſpaniæ affore. Magni honores toto itinere venientibus ſunt habiti, feſti vbique dies omni iucunditate agitati. Ac Lutetiæ præſertim ludi omne genus & ſpectacula ad eorum Principum aduentum Galli iuſſu ſunt inſtituta. In ea vrbe ſancita antea ad Tridentum pax inter eos Principes, ab vtroque noua ſacramenti religione & execrationibus confirmata eſt. Ac Belga omnibus actionibus & cæremoniis ſe Flandriæ nomine Galli beneficiarium gentis inſtituto exhibere non recuſauit. Vxor cautior patriæ dignitatis memor nulla re priores Gallo partes concedere viſa eſt. Ex ea vrbe digreſſi per Aurelianẽſes, Pictones & Aquitaniam, Fonterrabiam tandem in extrema Hiſpania peruenerunt ad quartum Kalendas Februarii

1502 ſalutis anno Milleſimo quingenteſimo ſecundo. In eo oppido præſto fuere à Regibus deſtinati Magiſter equitum Caſtellæ Anagari dux cum filio Treuigni Comite, præterea Caſtellæ Promagiſter Guterrius Cardenas. Quo maior lætitia eſſet ſoluti cultus antea præſcripti legibus prouinciales, vt bombycina veſte vterentur ac vero verſicolore, ſunt vltro nouo edicto inuitati. Veteris gentis modeſtiæ id argumentum eſto, & quantum ab antiquo mores in Hiſpania mutarint. Huius anni principio Lucretia Borgia Alfonſo Ateſtino nupſit Herculis ducis Ferrarienſis filio maiori. Dos dicta centũ millia auri, & aliquot oppida in agro Bononienſi, præterea tributi annui, quod ii Duces quaſi beneficiarii pendere conſueuerant eccleſiæ Romanæ in dotis partem, gratia facta eſt. Vnde nouæ controuerſiæ extarent. E Fonterrabia Principes Burgis Valliſoleto, Medinaque Campeſtri obitis ſuperatiſque Segobienſibus montibus, quà vtraque Caſtella dirimitur, Madritum tandem peruenere. Reges Granata obuiam genero & filiæ profecti per Vectones Guadalupeum fanum petiuerunt. Eo loco duci Valentino Adriam vrbem principis nomine aliaque oppida Neapolitanæ ditionis dederunt. Nihil immodicum videbatur tunc homine vaſto & immodico promerendo. Actum porro vt à Catholico Galloque Regibus idonea vectigalia deſignarentur, vnde Fridericus Rex & filius vitam & aulæ cultum ſuſtentarent in exilio. Secundum hæc Toletum ventum ad decimum Kalendas Maias. Eodem Principes appulerunt ineunte eo menſe ſerius aliquanto quam vellent propter valetudinem Philippi Principis ad Oliam vicum aliquot dies decumbentis. inſolitum cœlum, noui ciborum ſucci, potus indulgentia conciliauerat morbum. Magno in eam vrbem excepti ſunt plauſu apparatuque incredibili: mox rebus ex ſententia conſtitutis ſacramentum in eorum verba Rege coram & Regina ſine mora atque difficultate dixere ad vndecimum Kalendas Iunii, primi Dieghus Mendoza Cardinalis, Toletanus Archiepiſcopus, multi alii antiſtites. Inde Bernardinus Velaſcus Magiſter equitum. Alburquerquii Infantatus, Albæ, Begiariſque duces, Villenæ Marchio, magno numero proceres luxu & familiæ ſplendore certantes. Cautum vt hæreditate ſuſcepta genti ex ſuis legibus iura darent, mutandi ex antiquo nulla facultas eſſet. Aduentu tantorum principum Hiſpania læta, vrbes & oppida ludis & feſta hilaritate perſonabant: cũ in Anglia veriſſimis lachrymis Ar-

mis Ar-

nis Arturi principis obitus lugebatur in flore ætatis extincti, vix delibatis primis coniugii recentis gaudiis vxore virgine quamuis quinto ante menſe confectis nuptiis. Sic fama vulgauit, & idonei auctores teſtantur; ob Principis ætatem probabilis, nati quatuordecim tantũ annos, ea imbecillitate corporis vt libidinis magis auidus eſſe videretur quam potens. Continuo tamen abs Regibus Catholicis miſſus eſt in Angliam, qui luctu eũ Regem ob amiſſum filium leuaret. Simul de Catharina principe vidua ſuperſtiti filio iungenda ageretur. Verum Rex ille neq; dotem reſtituere, neque expedire quod expetebatur coniugium infelix ſcilicet & infauſtum. Nec bonis æternis fruitur, nec malis perpetuo ingemiſcit natura mortalium, triſtibus læta miſcentur. Moleſtiam quidem ex iis rebus conceptam mitigauit, tum Philippi Principis præſentia, tum partus Mariæ Reginæ Luſitaniæ filium in ſpem paterni regni enixæ Oliſipone pridie Nonas Iulii, cui Ioanni nomen fuit accedentibus annis ſtudio religionis amplificandæ, cultuque bonarum artium atque imperii moderatione eximium Principem ſua ætate, atque præſtantem in paucis Regem futurum.

Dux Calabriæ in Hiſpaniam miſſus. CAPVT XII.

Aſſidebat Tarento Gonſaluus cum copiis, vti dictum eſt, in magna ſpe Ferdinãdi Ducis Calabriæ, qui intra eam vrbem erat, ad pacis conditiones perducendi. Ita quo die ad eam vrbem Hiſpanorum caſtra ſunt poſita de fœdere continuo agi cœpit. Dum conueniunt de conditionibus, interprete Octauiano Sanctio inducias duorum menſium ſanciri placuit; nouari interea nihil donec Fridericus Rex per legatos conſultus, quid ſuæ eſſet voluntatis ſignificaret. Ad deſignatum tempus nullum ab eo Rege reſponſum venit. Rebus deſperatis mens quoque & conſilium miſeros deſtituit. Inducias tamen iiſdem conditionibus ad finem ſuperioris anni ampliari datum eſt. Exiuit annus, neq; à Friderico certi quidquam in rem afferebatur. In duos denuo menſes induciæ ſunt prorogatæ, vrbe penes ſequeſtrum Bindum Ptolemæum Regis Catholici ſubditum multis in rebus ſpectatæ fidei virum, ea lege vti eo decurſo tempore eam in poteſtatem Gonſalui traderet. Duci tamen Calabriæ diſcedendi quo vellet, libera eſſet, regiæ cultum & familiam ſecum efferendi poteſtas. Sic Tarenti res erant. Giracii arx duodecim à littore millibus deditionem Hiſpano fecit. Simul Salernitanus ad Gonſaluum venit præcipua belli vniuerſi fax. vt ſibi ex Biſiniano paterni principatus reſtituerentur offenſas priores nouis officiis compenſaturis poſtulabat in timore largus promiſſis. Petebat præterea Lauriæ ditionem adiici & quinque aureorum millia annua, quæ maioribus ſuis priores Reges honorarii nomine pendere conſueuerant, ingens videlicet nouæ amicitiæ, pretium animi non ſatis pacati domitique malis haud dubium argumentum. Itaque re infecta diſceſſit. Meliori fide proceres plerique Fridericum Regem in Ænariam ſecuti quaſi diminutione capitis ſacramenti religione ſoluti ſeſe ad Gonſaluum contulere, grande momentum ad bellum ex ſententia conficiendum. Ille benigne acceptos in præcipuo etiam honore apud ſe habuit, eos maxime quos rebus gerendis belloque defendendo idoneos maxime arbitratus eſt: ac imprimis Columnios Proſperum ac Fabricium omni comitate eſt complexus ne ad Venetos ſe conferrent, à quibus magnis præmiis annuoque ſtipendio inuitari habebat exploratum. Magnarum rerum fundamenta ponebantur. Nam Dieghus Mendoza atque Enecus Aiala Manfredoniam ſeu Sipontum vrbem aſſidendo in poteſtatem redegerunt. Præfectus quoque arcis Friderici Regis nomine, ad deditionem perductus eſt, tametſi Alegrius Iuo cum copiis obſeſſis opitulatum accurrerat. Ad extremum vrbs Tarentum vti conſtituerant, dedita Gonſaluo eſt, deditæ arces. Dux Calabriæ conceſſa eundi quo vellet facultate, Barim vrbem migrauit in fide quidem paterna eatenus perſtantem, haud firmam tamen aut mœnibus aut arce, neque diu, ſi vis admoueretur, ſuſtentaturam. In ea vrbe tamen fera licet mandata à patre expectare voluit, à cuius voluntate diſcedere, atque priuatim paciſci cum Hiſpano nefas iudicabat. Gonſaluus cupiebat apprime facili & minime mala iuuenem indole cum Rege ſuo conciliare, ne in Galliam patris exemplo profecto in poſterum aliquid turbarum exiſteret ea cauſa, haud ignarus ſæpe ex parua ſcintilla magnum excitari incendium, nihil in bello negligendum. Agebatur de fœdere triginta aureorũ millia annua qua in regno Neapolitano, qua in Hiſpania oblata ſunt ditione data vnde ea ſumma proueniret, eiecto haud contenenda conditio. Neque illi diſplicebat, ſi modo patri probaret, & verbis reſponderent facta. Iſabella patruelis ne cum amita Hungariæ Regina in Siciliam, quo inuitabatur iret, in eam Apuliæ vrbem delata monendo ſuaſit, vti litteras ſua manu conſcriptas ad Gonſaluum daret;

quibus rogabat, vt nullo libertatis pactæ respectu, quando pater quod ipsi erat commodum negligere, alioque tendere videretur, eum ad Regem Catholicum amandare non dubitaret. Hanc sui animi destinatam sententiam esse patris quamuis reuerentia id nollet in vulgus prodire. Quæ si vera fama fuit siue conficta, certe non videtur diu in eo proposito perstitisse, ætatis inconstantia, mentis imbecillitas varia & sibi contraria subiiciebat menti. Et quis est cuius animus in rebus asperis non vacillet? Friderici patris voluntas eum ad se euocantis retardabat, Gonsaluum adeo conuitio monentis vti memor fidei datæ, memor nobilitatis eum liberum, vti erat pollicitus, dimitteret. Verum is custodiis circumdederat ne iniussu quoquam discederet, ea diligentia, vt liber quamuis per Apuliæ oppida discursus esset, vix sine arbitris daretur ad venationem egredi. Eum tamē promerendi cura Regis Catholici nomine denuo coniugium offerebatur, cum Ioāna Neapolitana vidua ex Regis Catholici sorore nata, aut cum filia eius Catharina Arturi Vualliæ principis item vidua, conditiones honestissimæ, voto speque maiores: quando rebus perditis dabatur, quod integris vix speraret. An ludus erat. iuuenem vanis promissis lactabant. Ioannes Gueuara Potentiæ Comes pro ea gratia & auctoritate, qua valebat maxime, incauti Principis animum in quam volebat partem versabat. Summā. Duci persuasum tandem effectumque prorsus vti Tarentum rediret. Inde in Hispaniam mitti consultum fore visum est. Ad id delecta triremis: ac Ioannes Concillius qui præesset missus cum mandatis daret operam ne qua arte is Princeps euaderet, quā celerrime nauigationem conficeret. Coram facilius de re tota & conuentionis conditionibus conuenturos disputabant. Accommodatis blandimētis rati iuuenis animum victum in fide atque officio erga Catholicos Reges propinquos & necessarios fore constantē. Id velamen obtendebatur, ea species pollicitis haud satis syncera fide seruatis. In bello promissorum constantiam quis requirat? an in re militari tantum & non etiam inter Principes in pace, præsertim cum de imperio proferendo aut conseruando quacumque ratione agitur? Quæ magna peruersitas est: sed tanti libido dominandi.

Belli Neapolitani initia. CAPVT XIII.

NOndum de regno Neapolitano Galli & Hispani inter se mouebant arma. Duces tantum vtriusque gentis cum suis Regibus de ratione componendi controuersias consultabant. Vtrique inter metum & spem variabant. Fidentiores Galli læta bello gens. Sed est nemo tam promptus ad arma, qui non quietem pari pretio potius amet. A Rege Gallo Corconius ea de re legatus in Hispaniam paulo ante quam Philippo Belgæ sacramentum diceretur, Toletum appulit. Legationis summa erat. Prouincias Gallo in Neapolitano regno attributas annuis vectigalibus inferiores esse iis quas Hispanus occupauit. Prouentu, vti æquum erat, & initæ amicitiæ leges postulabant, exęquando Capitinata Gallis relinqueretur. Ad hæc Rex Catholicus: si factæ diuisionis Gallum pœniteret permutationem se prouinciarum minime recusare, copiis quas prædicabat maiores esse, se volente frueretur. Si ea conditio non placeret, certe diuisis principatu & Lucania æqua fieret compensatio. Capitinatam Apuliæ opimum tractum intercipere neque ius neque fas esse. Nisi hæc placerent, pacis studio tamen controuersiam omnem Pontificis & Cardinalium arbitrio se libenter permissurum. Harum conditionum nulla placebat Gallo: multo minus prouinciarum commutationem fieri, ne vrbe Neapoli decederet regioque titulo eius vrbis atque Hierosolymæ per cōditiones fœderis dato, in quo dignitas erat prouentu potior. Ventum ad minas, facturos Hispanos vi quod voluntate recusarent. Itaque die quodam Hispanis legatis coram Gallo affirmantibus à Rege suo nullam sanciti fœderis conditionem violatam integra fide minuta quæque religiose seruasse: Gallus respondit tantundem præstitisse se: si quis contra affirmaret nō recusare cum Rege Catholico singulari certamine ac ne cum Rege quidem Romanorum tueri dignitatem. Ad hæc Gralla suum Regem iustissimum principem esse ait vt si quis in toto vrbe terrarum, si res exigeret, non recusaturum martis arbitrio litem permittere armisque tueri innocentiam à cuiuscumque calumnia. Verum subdit Gallus, Rex Hispanus me maior esse non debet. Ne ipse quidem meo Rege priores tibi arrogare Gralla addidit. Neque dubium est Regis Catholici animum ad pacem quam ad arma procliuem magis fuisse, Gonsaluum per litteras monuisse ac vero pro imperio mandasse, vti in vnam curam pacis incumberet, ne ue arma sumeret nisi necessario. Gratius id fore, quam si bello vniuersum regnum subditum daret. Belli prima fundamenta præter alia minora Alegrius posuit, quo tempore Manfredoniam seu Sipontum Hispanorum obsidione liberare aggressus est, vti est superius

rius

rius indicatum. Et quo minor excusatio esset, notius quo tenderent, Gonsaluo ad Tarenti mœnia assidente districtoque ea obsidione, Galli Troiam Capitinatæ vrbem aliaque circum oppida armis occuparunt. Missi, qui iure fæciali ablata repeterent, obtestarenturque ne importuno conatu pacta conuenta disturbarent, cuius è vestigio pœniteret. Nihil tamen ea diligentia est impetratum. Tantum ne vlterius armatis progredi esset necesse duo duces vti colloquerētur est decretum. Sic Gonsaluus rebus Tarenti constitutis Atellam venit Amalfim Namursius Lucaniæ oppida. Medio interuallo Antonii nominè sacellum est: quod colloquio idoneum vtrique iudicarunt. In eo sacello de controuersiis Leguleii ab vtraq; parte delecti multis verbis ac clamore prope concionali disceptarunt, non argumentis & ratione, sed conuitio & linguę petulantia, fructu præterea nullo. Conquerebantur Galli Hispanis attributas prouincias septuaginta millia aureos quotanis reddere amplius quam Gallicæ. Compensationem vectigalium fieri æquum videri. Restitere Hispani ac restitui Capitinatam, qua erant iniuria pulsi imprimis postulare, id iure communi sanctum esse, priuato haud aduersum: vbi in eo satis factum esset, de exæquatione vectigaliū minime recusare. Re infecta è colloquio discessum. Duces tamē inter se verborum honore certarunt, quanto magis falsa erant, quæ fiebant, quæque dicebantur omnia, dissimulatione maiori, & accuratiore comitate. Desperata ex eo concordia ad arma vimque ventum est. Quo in statu res essent, vtrique suis regibus significarunt per litteras. Necessaria resumi arma. si bellum ex sententia confici vellent, milite & pecunia iuuarent. Simul Gonsaluus propter annonæ difficultatem iis locis graue, copiarum partem in Principatus oppida dimisit. Dux Scalada cum cohorte peculiari Atripaldam, pulsis Gallis qui in eo oppido erant in eo tractu occupauit triginta millibus ab vrbe Neapoli. Tantundem de aliis oppidis finitimis fecerunt alii Hispani cēturiones. Ad hæc Galli fremere, Hispanorum væcordiam accusare in circulis, & per litteras ad Regem suū. Commotus ille eo nuncio quæcumque Hispanorum in Gallia bona & merces repente fisco addici mandauit. Erat iniquum neque denunciato voce pręconis bello, neque præfinito, vt fit, ad discessum ex prouincia die raptim inuolare in hospites, rem familiarem detrahere. Sed tanti iracundia fuit consilio inimica atque æquitati. Rex Catholicus contra monere suos vt Gallos quacumque ratione placarent relictis etiam oppidis quæ in Capitinata ii cœperant, prouinciæ profecto maiorem partem. Pacis enimuero studio flagrabat, exhorrebat arma. Rursus ergo duces siqua se via pacis daret, in D. Antonii sacellum cōuenere. Designati ab vtraque parte viri diuisione instaurata prorsus ex Gallorum commodo & voluntate Lucanos, Principatum & quod erat caput, Capitinatam ex æquo partiti sunt. Gallos modo pacarent & promerentur, nihil tunc nimium videbatur. Venere interea ex Gallia mille Heluetii, ducenti grauis armaturæ equites pecuniæ in stipendium affatim. Eo subsidio Galli confirmati rupere moras. Venusiam in Apulia occuparunt, vrbem dedente Petro Nauarro militum qui in præsidio erant, suasu & obtestatione quoniam sustentare posse non sperabant. Quaratam eodem impetu ceperūt Camilli item Carraccioli deditione. Vtrumque oppidum duodecim passuum millibus Barletta distat, vbi forte Gonsaluus statiua tunc habebat cum multo maxima copiarum parte. Viselis, Altamuræ principatus nobile oppidum ad Gallos defecit vltro. Atque nostrarum triremium accursu receptum breui superuenientes Galli pulsis Hispanis suæ ditionis rursus fecerunt. Grauis ignominia visa est neque dissimulanda contumelia. Æstas erat in præcipiti, Gallique qui Quaratæ morabantur aquæ penuria, annonæ difficultate laborabant insessis itinerib. à nostro equitatu. Ergo relicto ii oppido qua iuerant regredi decreuerunt. Ad Aufidi ripam castra habentibus Gallis Augusti fine, Gonsaluus Barletta egressus pugnæ copiam fecit. Detrectarunt illi certamen, institutoque itinere Amalfim versus sunt progressi. Nostri equites aliquanto numero abeuntes vrgere ac postremo præsertim agmini molesti & graues cædere dispalatos: neque cessare nisi magna impedimentorum hostilium parte capta. Namursius etiam atque Obenignus præcipui copiarum duces priuatæ supellectilis haud exiguam partem in tumultu amiserunt. Mille alios Heluetios Neapolim iam appulsos, & quadringentos equites qui Florentiam peruenerant, Galli prope diem expectabant. Sine eo supplemento summam certaminis sortem periclitari recusabant. Gonsaluus quoque à suo Rege classem submitti postulabat, atque in ea in supplementum quadringentos leuis armaturæ equites, bis mille Calæcos Asturesque gentem locorum asperitate & tenui à primis annis propter locorum sterilitatem victu duratam, ex eo bello idoneam. Ad Ioannem Emanuelem scripsit, vti duo millia Germanos ære conduceret quos Hispanis mitteret, & in pugna Heluetiis opponeret. Ad eos excipiendos & mari

ſupero tranſmittendos Malferitum notæ induſtriæ virum Anconam Piceni vrbem deſtinauit. Rex Catholicus quando pacis conſilia non proceſſerant, ad bellum conuerſo animo, triremium inſtructa claſſe cui Bernardum Villamarinum præfecit, ducẽtos grauis, totidem leuis armaturæ equites, adiunctis peditibus & pecunia in Italiam mittere ſtatuit. Simul Cæſarem monebat, vti pro imperii iure Italiæ finibus arma inferret. Mediolani in poſſeſſionem mitteret, è duobus Ludouici pulſi eo principatu filiis alterum: qui inopes, exules, ſine lare familiari in Germania viſebantur: Ac quod mirum videri poſſit, Florentiam Hetruriæ caput Valentino duci dari volebat Regis nomine & iure ſed quaſi imperii beneficiario. Pontificem aliena munificentia promereri erat deſtinatum, quem in partes attrahere fœduſque niſi ſpe emolumenti maximi & honoris ſpecie non ſperabat bello Neapolitano ex ſententia conficiendo magnum momentum allaturum.

Philippus Princeps in Belgas abiit. CAPVT XIIII.

TOleti Rex Catholicus aliquandiu Principum aduentum ludis & omni hilaritate celebrauit: iis dein cum Regina in ea vrbe relictis Cæſarauguſtam diſceſſit ad octauum Idus Iulii. In eam vrbem conuentus indictos ad quartum decimum Kalendas Auguſti, ex itinere in longius tempus ſuſtentari placuit. Gentis promerendæ prima cura erat, ne Principibus ſacramentum dicere detrectarent libertatis à maioribus ſuſceptæ in ſtudium imprimis incitati. Sub initium Septembris quo iam tempore Rex Cęſarauguſtã peruenerat, Magni Gonſalui precib. & importunitati claſſem ſubmitti expetenti datum eſt, vt noua inſtructa diligenter claſſe, cum parte Emanuel Benauidius quadringentos equites pari numero cataphractos & leuis armaturę, præterea pedites trecentos auxilio veheret, cum reliquis nauibus conſequeretur Ludouicus Portocarrerius Palmæ regulus, bello Granatenſi ſpectatæ virtutis. Quo maior honor eſſet, exæquatæ cum Gõſaluo poteſtate bellum curare placuit. Dati trecenti cataphracti, quadringenti expediti equites, pedites ad tria millia. Rebus in arcto poſitis præſertim in Brutiis & Magna Græcia haud minori ſubſidio opus erat. Venetos præterea in pàrtes attrahere cupiebat, ad Hiſpanum fœdus vt videbatur propenſos. In eam rem miſſus denuo Venetias Laurentius Suarius Figueroa, vt pro ea gratia & auctoritate, quam ſuperioris legationis tempore apud eos ciues natus erat, rem conficeret, faceret quin etiam ſpem vires communicandi opemque ad Mediolanenſem principatum, aut Aprutios ad ditionem adiungendos quibus prouinciis cupiditate imminebãt. Die conſtituto cõuentus gentis Aragoniæ inchoatur. In eis Rex petiit Michaele principe extincto in Ioanę Principis nẽpe maioris filiæ inq; Philippi eius viri, ꝙ æquũ erat, verba iurarẽt, eius regni hæredes fore. Additũ præterea vt bello Neapolitano, ꝙ ad eã gentẽ proprie ſpectabat, auxilia decernerent. Vtrumq; & tunc propitiis aurib. auditũ, & poſtmodum obediẽter factũ eſt. Dum de ſubſidio tamen in bellum Neapolitanũ deliberatur in cõuentu, à Rege Catholico princeps Philippus & vxor ſunt moniti, quam primum vt eo feſtinarent: agendi opportunitatem non eſſe prætermittendam. Fecerunt illi quod imperabat. Appulſis acceptiſque in eam vrbem ſplendido regioque apparatu, ad ſextum Kalendas Nouembris ſacramentum eſt à cunctis ordinibus dictum more maiorum ea cæremonia, iiſque cautionibus, quæ in ea celebritate adhiberi in ea gente ſunt ſolitæ. Ita nouo exemplo fœminæ nondum extinctis parentibus regni hæreditas Aragonii iuramento ordinum eſt confirmata. Neque enim Petronillæ quamuis in Reginam ſuſceptæ ſimili cæremonia ſceptra ſunt data, ac ne tunc quidem is ſacramenti ritus in vſu erat. Sub hæc Philippus Madritum diſceſſit, iisdem veſtigiis paulo poſt ſubſecutam vxorem Rex pater comitatus eſt, relicta ſoror Regina Neapolitana quæ cõuentui Aragonio ad finem præeſſet. Nam Granata diebus ſuperioribus, vbi Rex & Regina erant, profecta in ea loca venerat voluntate deſtinata traiiciendi in Italiam filiæ ſolamen atque præſidium vnicæ viduæque. Dum ea profectio maturatur, datum vt Aragoniæ gentis remp. procuraret pro fratre vicaria in locum Alfonſi Aragonii Regis filii Cæſarauguſtani antiſtitis eatenus Aragoniis rebus præfecti. Philippo principi mora in Hiſpania moleſta erat, aulicis graues Hiſpanorum mores multum à Belgica facilitate diſcrepantes. Ii incauti iuuenis ætatem pro voluntate verſabant obſequio & gratia heri potentes. Præ cæteris præſtabant tum Biſſuntinus Archiepiſcopus qui cum Principem in Hiſpaniam comitatus, in ea diebus ſuperioribus obierat: & ſecundum eum Verius regulus proximum auctoritatis locum occupabat, vterque Gallicis partibus, nec mirum, plus ſatis addictus. Honeſta profectioni ſpecies quæſita eſt, viſa optima. Belgas eius diſceſſu præſidio nudatos vt in nullo tali metu, bello inter Gallos & Hiſpanos repente concitato, ne aliquod incommodum

dum

dum acciperetur, eius præsentia indigere. Reges ab ea mente ægrum Principis animum abducere, vxorem vtero graui relinquere ac partui vicinam videri inhumanum. Salutaria monentibus obturatæ aures erant: obduratus animus. ne impetratum quidem, vt Gallicum iter vitaret, reb. adeo turbatis se in hostis potestatem vltro ne daret. Excusabat ille se potius arbitro cum ea gente conuenturam concordiam: ad quam Gallus propensus tunc quidem videbatur, siue Friderico consensu in regnum paternum restituto, siue träslato ab Hispano quidem in Carolum Austriacum nepotem, à Gallo autem in Claudiam filiam pacti inter eos exante condicto coniugii eo regno dotali. Verum hæ molitiones inanes visæ sunt, atque eo pertinere vt Rex Catholicus fœderis fiducia curam belli remitteret, Hispanique adeo duces non satis à milite & pecunia parati facilius opprimerentur. Intelligebantur artes: sed pars prudentiæ erat tantisper dissimulare. Ergo Philippus Madrito tandem discessit vxore cum parentibus relicta. In Aragoniam & Catalaunos itum, atque Perpinianum. Eo à Ludouico Gallo fides publica venit iter fore tutum. Ita in Galliæ fines ingressus continuato itinere Lugdunum appulit, vbi Gallus morabatur & Rhotomagensis Cardinalis Pontificis nomine in Gallia legatus. Verum hæc fine huius anni & subsequentis principio gesta sunt: ad bellum Neapolitanum narratio recurrat celeberrimum præ cæteris ea ætate.

An Regem Catholicum in Italiam abire fuisset consultum.

CAPVT XV.

BEllum Neapolitanum interea ducebatur flamma per omnes partes excitata. vis maior in Apuliam Brutios & Magnam Græciam incubuit vbi Salernitanus, Bisinianus, & Rosanius, atque Meliti Comes Gallicas palam partes inueterato studio sectabantur. Gallis consilium fuit eo cum robore copiarum accurrere: atq; vt id expeditius esset nullo à tergo damno, Alegrium cum trecentis equitibus in Capitinata relinquere cum pari equitatu & mille equitibus Palicium tueri, quæ in Barensi tractu per vim occuparant. Lucaniæ præsidio Ludouicum Arsium designarunt attributis quadringentis equitibus & idoneo peditatu. Namursius in Brutios ducere volebat grauis armaturæ equites ducētos pedites mille. Obenignum ad Spinasolam subsistere cum reliquis copiis Barlettæ obiectum, vbi erat Hispani robur exercitus, ad viginti quatuor inde passuum millia. Restitit Obenignus magnam Græciam & Brutios sibi prouinciam deposcens. Terranouæ principatum occupādi spe, dono Regis Catholici Gonsaluo attributum, ipsi detractum. Decretū vti eo ambo contenderent coniunctis viribus gesturi bellum. Prius tamen quam eo mouerent castra, Obenignus Barim versus abiit cum centum & quinquaginta equitibus peditib. mille. Namursius specie famaque quasi in Brutios duceret, Tarrentum versus flexo itinere, Materam & Castellanetam occupauit haud firma oppida. Materæ Comitem & Mazaræ Episcopum, qui Materæ erant, acie vicit. Parta victoria exigua quamuis elatus vlteriusque progressus ad Tarentum castra posuit, ibi Calabriæ ducem esse ratus. Verū ille commodum ante nouem dies in Siciliam abierat. Hispani milites eam vrbem præsidio obtinentes facta eruptione & impetu hostium castra incurrerunt, quem aduersarii non tulerunt. Cum ignominia se retro referre compulsi ad arcem viginti duobus millibus Tarento dissitam castra posuerunt, ad Barensem agrum contendere destinantes, vbi iūctis cum Obenigno viribus Bitontum occupare cogitabant, si minus id contingeret, certe in Brutios vim vertere. Accidit interea vt Galli qui in Lucanis erant, robur exercitus Gallici litteras ad Dieghum Mendozam testato descriptas per fœcialem mitterent, quibus vndecim Galli equites, Hispanos pari numero ad certamen prouocarunt die proximo, hora post meridiem tertia designato. Locum certamini Barlettam inter & Viselim campum medio spatio in omnes patentem partes ipsorum fide ab insidiis vique tutum. Addita lex vt victi victorum captiui essent, darent & caperent opima spolia equos & arma neque sæuirent inter se amplius. Breue tempus Hispanis visum est ad se comparandum, tuendum tamen, quod virtute pepererant dignitatis ac famæ decus iudicans Gonsaluus certamini annuit. Delecti ex omni copia notæ virtutis vndecim viri, quorum nomina vt prodantur non est necesse. Sed in eo numero tamē Dieghus Garsias Paredius toto hoc bello in paucis fama præstans. Is belli initio in Brutios transmiserat sexcentis peditibus dux. Die proximo cum luce certamini necessaria singuli compararunt, equos, arma, splendidas vestes. Profecturos seq; mutuis cohortationibus ad depromendam virtutem incitantes, Gonsaluus item Columniis Fabricio & Prospero coram, Termēstino duce aliisque proceribus multis, his verbis ad certamen acuit. Quicumque singulari certamine experiri parant, iis «

prima cura eſſe debet æquitatis cauſæ, quam tuendam ſuſcipiunt, alioqui ne pro victoria luctum & ignominiam referant numine vindice, verendum eſt. Hæc non veſtrum priuata paucorum eſt, ſed cum gente vniuerſa & Rege noſtro communis totius orbis conſenſu & approbatione probabilis, iuri conſona cauſæ æquitatem certa cōſequetur victoria, adeſte milites animis. Proinde diuina humanaq; ſpe pleni, quo ſoletis impetu in pugnam irruite, præſidio inter vos eſtote, memores in huius pugnæ euentu totius gentis dignitatem verti, patriæ decus, Regum noſtrorum gloriam, cunctorum lætitiam & cōmoda, pro quibus ſingulis ſanguinem vitamque profundere ſi fortes viri eſtis, æquiſſimum eſt. Niſi victoria pacta milites, quo vultu redibitis in caſtra? quibus vos oculis ſocii aſpicient: vel in morte victoriam, vel in victoria ſalutem, famam & præmia conſtituta putate. Ad hæc milites paucis, mori ſe poſſe dixerunt: officio tamen non deeſſe, neque ignauiæ notam ſuſcipere fixum habere. Secūdū hæc verba itur in arma. Quatuor tibicines præcedebant, quemq; comitabatur ſuus armiger. Ingens ad rei famam tum militum tum indigenarum cōuenerat multitudo. Ad locum certamini deſignatū Hiſpani vna hora prius quam aduerſarii acceſſerunt. Illorum aduentu magno animorum ardore pugna inchoatur. A neutris victoria aperte ſtetit. E Gallis tamen cæſus vnus, alter deditus, nouem vulnerati, totidem equi occiſi ſunt. Ex Hiſpanis nemo cecidit, vnus deditionem fecit, duobus impoſitæ plagæ, tres equi perierunt. Ad noctem pugna tenuit, neque Gallos tamen tanto quamuis incommodo accepto potuerunt Hiſpani ad deditionem cogere, in pedes deſtitutos equorum iacentium corpora texerunt. Hiſpanorum equi ad eum aſpectum exhorrentes propius vt accederent, adigi non poterant, ſi premerentur, domitis frænis retro vertebantur, aut cum fremitu in pedes erigebantur. Is finis certaminis fuit neutris ignominioſi. Quod Gonſaluus tulit ægerrime Hiſpanos milites pugnam non ſuſtentaſſe, dum aduerſarios penitus frangerent, victoriæ integrum decus auferrent. Interea Rex Gallus in Italiam maturare conſtituit è propinquo in belli apparatum incumbere volens: Ex remotis locis ſæpe remedia poſt morbū venire non ignarus: In Inſubribus tamen ſubſtitit. Regi Catholico eodem traiiciendi voluntas erat: eoque conſilio Cæſarauguſtam abierat. Maiorum exempla ad audendum incitabant: qui ſua præſentia in Sardinia, Sicilia, & ad Neapolim ea perfecerunt, quæ per alios ægre aut nullo modo potuiſſent. Maximi momenti res viſa eſt, digna conſultatione. Magnis viris adhibitis in cōſilium de ea profectione Rege referente diſceptatur. Variæ, vt fit, ſentētiæ fuerunt. Guterrius Cardenas Caſtellæ Promagiſter prouecta ætate vir, ex eo multo vſu rerum cautus in conuentu hac ſententia orationem habuit. In re grauiſſima audire potius quam loqui eſſet ſatius. iuſſus tamen conſilium dabo vtinam tam felix quam fidele. Quicumque magnum facinus aggredi vult in primis prouentus ſpem cum periculo quod proponitur, debet comparare vbi paria ſunt periculum & prȩmium, & proſperis rebus vberior fructus eſt, & aduerſis ſolatium maius. Obnoxii enim animi eſt rerum difficultate terreri ſed non minoris temeritatis exigui ſpe fructus in maiora incommoda certamque perniciem incurrere. In prȩſenti deliberatione ſi nominis exiſtimationi conſultum volumus, qua fere bellorum euentus conſtant, (magna eſſe famæ momenta quis neget in bello magis?) maiorem fore conſidero à ducibus victoria parta, victis minorem ignominiam, vtrumque è contrario Rege præſente. Ac illud conſiderandum: ante noſtrum appulſum ſi bellum confectum ſit, quod fieri poſſe quis dubitet? redire inglorios neceſſe erit labore fruſtra ſuſcepto. nam à noſtris victoria parta confecti belli laus penes alios erit, noſtra in caſum moleſtia cedet. Si ab aduerſariis ſteterit, ad bellum inſtaurandum nullæ vires ſatis erunt, ne totius quidem Hiſpaniæ in vnum collatæ. Italiæ principes ſuſpenſis hactenus animis bellique ſpectatores tantum, ſi conceperint animis vires gentis noſtræ imbecillas eſſe, neque bello profligando idoneas niſi Rex adſit, vt ſunt ingenio mobili nouas fortaſſe ſpes captabunt. Non ea ſum mente vt Reges velim in otio vitam conſumere & quaſi in luſtris ignauia animalia ſolent conſeneſcere, ſeque iucunditatibus dare: ſed neque eorum ſalutem in periculum voco niſi re neceſſaria. Quis in longinqua adeo nauigatione maris ſæuitiam, ventorum vices non metuat. Quis Genuenſium vires & arrogantiam non cōſiderat prȩſertim ſi Gallicæ claſſes adiungantur, vt eſt veriſimile, ad noſtrā claſſem certe impugnandam? Quis vitam & ſalutem Regis prælio nauali committat in quo ſors plerunque dominatur virtute potentior in mari. Documento ſit Alfonſus patruus à paucis Genuenſium nauibus victus captusque vna cum fratribus. De offenſione procerū nihil dicam facultateque turbandi res, abſentia eius cuius prudentia intra modeſtiæ fines cōtinentur quaſi aſperioribus frænis domita contumacia. Vt cætera abſint, qui poſſis Reginam relinquere valetudine ægra grauiorem morte eam profectionem haud dubium habituram? Si qui

Si qui Aragonii Reges mare transmiserunt, temporum conditio enatæque occasiones excusarunt: ne maiores quidem semper saniora consilia sectati sunt. Arma bellumque deposcere in castris à primis annis versatum non miror, non vitupero, sed si tanta cupiditas induendi arma solicitat, vt bello Galliæ fines è propinquo lacessamus statuo: quo hostium viribus ad defensionem patrii soli conuersis Neapolitani conatus debilitentur & de imperio Mediolanensi porro decedere contingat. Hæc mea sententia est si commoda vtimini, si contra synceræ voluntati detur venia. Quod placebit Rex consilium, id optimum iudicabo. Si traiicie͂di in Italiam sente͂tia stat, hac quamuis ætate, esse comes non recusabo. primus me itineri accingam, certus vitam & fortunas periculo potius qnamuis graui obiicere, quam vt videar officio defuisse. Verum consultoris liberæ voces esse debe͂t, Principis ad audiendum patientes aures, libera diiudicatio. Magna assensione astantium Guterrii oratio excepta est, valida argumenta visa, dignaque ea prudentiæ opinione viro. Ea vulgata tamen, Episcopus quidam, cuius nomen non exprimitur, quamuis minime rogatus codicillum Regi vltro in manus dedit, hac ferme sententia verbisque. Quod nullo rogante consilium iniussus do, hæc siue temeritas siue licentia veniam mereatur. De re communi loquendi nulli, sit ille quicumque, facultas merito denegatur. Incommoda & pericula si sigillatim cuncta, vt Promagister fecit, siue examinanda, nemo rem arduam aggredietur. Neque agricola culturæ & sationis labores arripiat, neque nauclerus procelloso mari nauim committat, ac ne miles quidem cum tanto salutis discrimi ne induat arma, procedat in aciem. Nullus denique erit, qui si in difficultates omnes respexerit, suo muneri satisfaciat. Hęc est humanæ imbecillitatis co͂ditio, hac lege viuimus. Nihil magnum Deus aut natura mortalibus dat sine multo labore & sudore. Primam Regibus rei militaris curam esse nemini est dubium, militum delectus habere, exercitus regere, siue bellum defendendum sit siue hostis lacessendus. Ecquid aliud gladius quo es præcinctus significat, quàm patriæ tutorem esse, quod sine bello non contingat. Ac ne id quidem quæstitionis est, commodius bella à Regibus quam per duces sint illi quicumq; geri. Regem ad bellum euntem prosequuntur ciues. summi, medii, infimi turpe ducunt domi resistere, deliciis incubare, quorum Princeps in acie & in puluere atque in periculo pro communi salute, pro imperii dignitate versatur. Nemo quantauis dignitate tali ductore arma sumere recusat, cum plerique proceres æquali, aut fortassis minori obtemperare turpe ducant, atque eius ad arbitrium verti. Documento sit præsens tempus. Quis enim è numero procerum, rogo, ad bellum Neapolitanum est profectus excelle͂ti quamuis eximiis dotibus duci data belli cura? Deinde pecuniam in stipendium, bellicos commeatus, ac cætera necessaria Rege præsente expedire pro͂ptum est. Enatis difficultatibus facilius prudentiusque occurritur, absente co͂silia post res afferuntur inepta sæpe: quoniam auribus fideliores sunt oculi, & in horas agendi occasiones mutantur. Beneuolentia militum, qua nihil est in bello potentius, cognitione conciliatur & vsu: quippe homines militares canibus similes, vt Plato ait, domesticis blandiuntur, externis allatrant. In oculis principis, à quo præmia virtutis expectant, viri fortes leonibus pares euadunt, ignauos ad audendum pudor solicitat, metusque ignominiæ. Homerus quidem deos ipsos in pugnam inducit inflammare pugnaces iuuenum animos. Agame͂nonem fingit etiam gregarios milites nomine compellantem. Alexander, credo, & Cæsar nunquam orbi iugum imperii imposuissent, si domi deliciis indulgentes res bellicas per vicarios administrassent. Quæ res imperium Romanum è culmine ad terram afflixit? sane principes belli tempore domi desides, ducum virtute confisi. Sed mittantur vetera. Mauri haud dubium hodie in Hispania viuerent, nisi ipse bello Granatensi interfuisses copiarum ductor ac totius expeditionis particeps. Carolus Galliæ Rex quanta celeritate suo in Italiam traiectu Neapolitanos domuit: eius discessu, quæ fuerant breui parta, ad veteres dominos redierunt. Regium corpus vt labore frangatur, verendum non est, si assuescas, emollitur molestia. Aulæ præterea obsequia, & ministeria, atque aliæ vitæ principalis commoditates nunquam desunt. Plausus quin etiam cunctorum, molestiam minuunt, armato atque inermi circumfusa omni ex parte multitudo theatri instar est omnium oculis in ipsum coniectis, laudibus celebrans quæcumque facit, laude vegetatur animus corpusque. Multo minus maris pericula moueant. quem enim Regem submersum vidimus? Quod si Alfonsus Rex, quo nos exemplo tantopere terrent, naualem pugnam recusare voluisset, nemo pugnandi necessitatem imponeret. Sui fiducia hostium contemptus vtrumq; exitiale malum, in ea præcipitarunt incommoda. Vnde tamen regia eum maiestas in maiorem gloriam euexit, viresque contra aduersarios nouas adiunxit. Quod si durum tamen videtur Regem interesse bello, incertæ præliorum sorti caput & sal-

uum obiicere, quid prohibeat Siciliam finitimam adire rebus eius insulæ compositis, regio aspectu ea gente recreata in belli Neapolitani apparatum diligentius incumbere? Hæc nostra sententia est verior fortasse quam grata multorum auribus. Verum ea remedia sæpe salubria existunt quæ acerbiora ægrotorum palato: neque vtilia semper quæ dulcia. Episcopi libertas plerisque placebat, vera dicere videbatur. ii etiam qui contra tendebant magis nolebant quam non probabant sententiam. Vicit tamen Promagister, quippe cunctorum auribus gratiora locutus cautiorque. Accessere Henricus regis auunculus, Aluarus Portugalēsis, regio senatui Præfectus, Garsias Lassus, Antonius Fonseca, Ferdinandus Vegha magna auctoritate magnaque prudentiæ opinione proceres idem cum Promagistro iudicantes. Accessit per litteras Gonsalui in eam sententiam suffragium victoriam haud dubiam suo ductu de hostibus pollicentis. Quæ asseueratio in magnis ducibus vituperatione carere non solet. Belli successu nihil incertius. Metus profecto ex Gallia finitima ostentati frequentes Regem ex Hispania abire tum quidem non sunt passi.

Rursus Galli ab Hispanis ad pugnam prouocantur.

CAPVT XVI.

CÆsaraugustæ Aragonii in Philippi & vxoris verba iurabant, res Hispanorum in Brutiis & magna Græcia in præcipiti erant. Siciliæ Prorex eo periculo permotus Messanam accurrit angusto ab Italiæ ora diremptam freto. In ea vrbe militum externorum numerum legit, rebus inclinatis præsidium. Roma etiam Golisani Comitis duo fratres Cardonii Hugo Ioannesque relicta honestissima conditione, quam apud Valentinum obtinebant, suasu Francisci Rogii legati eodem appulerunt cum ducentis & quadraginta delectis militibus. Nec mora: cum ea manu aliisque militibus, quos legere potuerunt e portu Messanensi fretum in tempore transmisere. Nam Meliti Comes Bisiniani frater Terranoua, quæ Thurium veteribus fuit, capta, arcem impugnabat supremo conatu. Hugo eo profectus Comitem, qui obuiam processerat, acie superatum obsidionem soluere compulit. Simul Salernitanum & Bisinianum Consentiæ obsidione raptim dimissa resarciendo detrimento in planiciem Terranouæ dilabi. Cōmissa ea pugna fuit quarto die priusquam Emanuel Benauidius copias, quas ex Hispania vehebat quindecim nauibus, in Messanensem portum inferret. Ea classe inter alios duces Antonius Leiua in Italiam venit strenuus imprimis miles, ac deinde eximius copiarum dux prudentiæ & virtutis opinione maxima. Eæ copiæ breui transmisso freto se cum Hugone Cardonio & cæteris coniunxerunt. Contra Salernitanus & Bisinianus Melito, quo se receperant, vt is Comes cum septingentis Heluetiis aliquanto equitatu, & maiori prouincialium numero Consentiæ obsidionem repeteret, consensu decreuerunt. Suscepta is demandata cura ad Motam Calameræ castra promouit Rosano dissitum oppidum tribus modo millibus passuum, vbi Hispanici exercitus multo maxima pars statiua habebat. Ii rati opprimi aduersarios posse noctu strenue facto itinere improuisi superuenere. dubia luce in oppidum inuadunt, & quoniam clausum mœnibus non erat, momento temporis capiunt. Repentino in terrore hostes pars fugere, pars cædi. cum Comite pars maior sese in arcem eius oppidi receperunt. Vim arci admouere non licuit cognito Obenignum cum omnibus copiis in ea loca delatum forte, an consilio ad ferendam opem Comiti festinare propediemque affore. Hæ Hispanicæ copiæ Rosanum reductæ sunt haud maiori operæ pretio facto. Alia parte Fabricius Gesualdus Consæ Comitis filius, idem Amalfitani Principis gener Tarentino limiti pro Gallis præfectus cum manu militari ad vastandos eius vrbis agros progressus, Ludouici Ferreræ & Petri Nauarri, qui Tarentum præsidio obtinebant, accursu iniquis ad transitum locis cæsis militibus omnibus, vix vt tres tantum euaserint, captus Comes ipse venit in potestatem. In Apulia reliqua eo maiori ardore bellum gerebatur, quod vtraque pars vectigal ex pecoribus, quo præcipui eius regni redditus constant, exigere à pastoribus festinabat. Nec deerat egentissimus quisque ex plebe spe prædæ fingere studia partium. Conflictus peculiares varios & multos recensere longum esset. Prouincialium ingens damnum, quando à Gallis & Hispanis certatim gentis miseræ pecora diripiebantur. Rapiendi licentia misericordiam non recipit. Duces partium accendendo bello acres, frænandis iniuriis impares. His malis vt occurreret Namursius Canusii, vbi erat, cum vniuersis copiis decreuit Aufido impositum pōtem euertere ad quartum à Barletta lapidem: quo sublata Hispanis libera commeandi facultate, prædandi in Apulia modus esset, præsertim hibernis pluuiis inflato amne difficili vado. Obenignus item cum primum in Brutios peruenit,

peruenit, Terranouam vrbem occupare conſtituit. Mœnia erant infirma, neq; commeatus affatim ex ante conuecto comparati. Hiſpanorum copiæ, qui in ea vrbe erant, deſperata defenſione per montes ad aduerſi atque Orientalis maris littora ſe recipere conſtituunt. Prudenter deſtinata Gallorum celeritas occupatis confragoſis locis, qua iter erat, importune diſturbarunt. Repentino in terrore Hiſpani pedites ſe in pedes dant: ex equitibus ad quinquaginta capti ſunt qua grauis armaturæ qua leuis ac fere ex Antonii Leiuæ ala, qui in eis anguſtiis omnium prædicatione & fama eximii bellatoris laudem tulit. His rudimentis ad ſummum decus contendebat. E noſtris plerique Giracium ſe atque in finitimas eo tractu arces ex pauore recepere. Secundum eam victoriam magna rerum commutatio facta eſt: ac fere Magna Græcia & Brutii Obenigno deditionem fecerunt mobili ingenio gens, fideque ſæpe ex fortuna ſuſpenſa. Pugnatum eſt ad ſeptimum Kalendas Ianuarii. Quarto poſt die Namurſius vti erat conſtitutum, cum copiis ex ſtatiuis egreſſus pontis Aufido impoſiti tormentorum ictibus mediam fornicem euertit, turrimque ex quo illac tranſierat ſemidirutam, qua pontis aditus claudebatur. Gonſaluus hoſtium conſilio cognito, milites Andria haud exiguo numero euocauit. grauis feſtinanti eorum militum mora fuit. Sed iis tamen ad alias copias adiunctis celeritate correxit tarditatem. Itaque in hoſtium conſpectum venit, retro conuerſis veſtigiis, vnde venerant, redire deſtinantium. Miſſo tubicine Gonſaluus Namurſio renunciauit feſtinare ſe. proinde eius aduentum expectaret, ſi cauſæ confideret, ſe martis arbitrium non recuſare. Reſpondit ille tum demum fore pugnandi copiam, ſi Gonſaluus Fernandus Canuſium accederet, quam prope ipſe Barlettam. Sic in Italia res erant, quo tempore Illicim appulſus Calabriæ dux inde Madritum abiit, vbi reges erant. Captiuo quamuis honores habiti non ſecus ac Regis filio, excipiendoque in vrbem principalis apparatus decretus. Exilii moleſtiam ablati regni dolorem iis blandimentis mitigare æquum erat. In Flaminia bellum Valentinus inſtaurarat pari conatu feliciori euentu quam ante. Kalendis enim Ianuarii ſalutis anno Milleſ. quingenteſ. tertio Senogallia vrbs detracta 1503. Præfecti filio ex deditione venit in poteſtatem. In ea vrbe Franciſcum Vrſinum Grauinæ ducem ad ſe vltro venientem, venturi ſecurum cepit, vna cum Paulo Vrſino Vitellocio, & Oliueroto Firmenſi viris primariis eximiis bello ducibus. Eo nuncio lætus Pontifex Romæ Vrſino Cardinali manus iniecit. Hæ molitiones eo pertinebāt, vt Columnenſium exemplo, qui vitam calamitoſam in exilio propagabant fortunis euerſi, Vrſinorum porro familia opprimeretur, ditioque eius familiæ omnis in agro Romano Pontifici cederet, nulla memoria icti paulo ante cum ea gente fœderis, religionis in eo violatæ nulla cura. Peruſiam paulo poſt Valentinus felicibus armis Pontificiæ ditioni reſtituit, Tifernumque. His ſucceſſibus ſpe vaſta & cupiditate elatus. Senenſes prӕterea, Lucenſes, Piſanoſque liberas & validas ciuitates ad deditionem adiungere parabat. Galli tantum Regis metus frænabat ingentes ſpiritus ſuperbiamque, earum vrbium patrocinio ſuſcepto nacti opportunitatem copias militares è Gallia Neapolim vſque tranſmittendi, nullo qui tranſitum impediret, quod ad alendum bellum quod erat in manibus commodiſſimum putabat. Tametſi Florentinos inter & Piſanos bellum ducebatur. Piſanique Hiſpaniæ viribus cupientes arreptam libertatem tueri, ſuperiori tempore ſe libertati incolumi in Regis Catholici obtulerant clientelam. Abnuit ille tunc, ne importuno tempore nouum ordiri bellum eſſet neceſſe, quod Galliam & Italiam in partes traheret, cū vtriſque committeret Hiſpaniam. Mutata deinde ſententia cum ad ſpreta paulo ante conſilia recurrere deſtinaret, occaſio iam abierat, quæ momento temporis irreuocabilis labitur, populari voluntate nihil leuius, paulo momento in contrarias partes circūagitur. E Luſitania duo patrueles Alfonſus Franciſcus Alburquerquii, cum ternis quiſque nauibus in Orientis oras miſſi ſunt. Quanta rerum moles exigua hæc initia conſequetur? Ab hoc tenui principio rudimentiſque Alfonſus maxime in quantum ducem euadet?

Palicius ab Hiſpanis capitur. CAPVT XVII.

BArlettæ Magnus Gonſaluus rebus ſuis in arcto poſitis, varia atque contraria conſilia in animo verſare. Hinc in aciem prodire niſi Germanorum aduentu & auxiliis Hiſpanicis, quæ in horas expectabat confirmatus, certa vincēdi ſpe recuſabat. Inde annonæ anguſtia ſolicitabat, compellebatque iis locis relictis pugnæ diſcrimen periclitari. Monorbini enim, vbi Namurſius, Canuſii atq; Cirinolæ ſtatiua habebat maior commeatus copia ſuppetebat. In ea cogitationū anxietate, vitatis extremis mediā tenere viam placuit. Diuiſis enimuero copiis varias manus ad prædandum finitimos agros dimiſit, conſilium

ſalutare ad tuendam nominis exiſtimationem militem exercendum, alendaſque præda copias. Sed quantulum opis id erat in anguſtia? Sic ad octauum decimum Kalendas Februarii Barletta digreſſus Diegho Mendoza duce cum trecentis expeditis equitibus præmiſſo, qui vicinos agros Labelum vſque viginti quinque inde paſſuum millibus percurreret, vbi portorii Apuli bona pars redigitur, ipſe ad quartum à Monorbino milliare caſtra poſuit Gallis prohibendis ſi Mendozæ obuiam prodire tentarent. Haud incommode irruptio cecidit. Prædæ actæ latiſſime. ſupra quadraginta ouium millia domum auerſa præcipuo agreſtium damno luctuque. Ciriniola egreſſi ducenti equites cataphracti, ſagittarii totidem, iuncti pari numero militum, qui Canuſii erant, re cognita prædam Hiſpanis ablatum abierunt. Gonſalui copiæ occurrunt ex aduerſo, intercipere iter Gallorum cupientes. Ne maius operæ pretium exiſteret imprudentia militū factum eſt. locum aduerſariis relinquerunt ſe ſe Canuſium referendi paucis modo ex ſuo numero deſideratis. Namurſius neque priori incommodo neque noua iniuria irritatus in aciem prodire noluit. quo conſilio exploratum non eſt, Hiſpanis certe cum præda ſe ad ſuos recipiendi facultas data. Poſt quatuor dies nunciato Palicium cum quingentis equitibus Barlettæ fines vaſtare acceptæ ignominiæ vindicta ſolamen. Gonſaluus & Dieghus Mendoza diuiſis bifariam copiis locorum anguſtias inſederunt: quibus Gallis neceſſario tranſitus erat. Equi caſu in ipſo egreſſu ad terram proſtratus Palicius vlterius non eſt progreſſus. Vicarius tamen Mota nomine cum ſeptuaginta qua equitibus, qua ſagittariis prædatum porro pergens in inſidias præcipitauit. Socii omnes præter duos qua cæſi, qua capti ſunt. Mota dux viuus in Dieghi Mendozæ venit poteſtatem. Is in familiari ſermone quamuis captiuus ingenio arroganti. lingua procaci in Italorum nationem probra conuitiaque iactare. Enecus Lupus Aiala contra idoneis argumentis Italos tueri, galli conuitiis aduerſari. Diſputandi calore incenſus Mota, ſi decem Itali cum Gallis totidem pugna decernere auderent, vna ſe cum aliis, vera eſſe quæ dixerat marte arbitro confirmatum edixit. Vagatus is ſermo in caſtris (neque Gallus occultauit, neque ſine arbitris fuit) prouocauit Italos, qui Hiſpanorum caſtra fortunamque ſequebantur, vti Gonſaluum frequentes adirent. Iniuriam genti factam vniuerſæ conqueruntur, vindicandi petunt facultatem. Idem flagitare Hiſpani quamuis nullo ſuo incommodo in ſociorum iniuria ſe deſpectos tamen cogitantes. Annuit ille libenter decoris apprime tenax de virtute confiſus Italorum. De loco certaminis, deque militum ab vtraque parte numero diſceptatio fuit. Conſenſu Andriam inter & Quadratam ſeptum pugnæ deſignatum, decretumque vt tredecim ab vtraque parte non amplius equites dimicarent. Idibus Februarii ad certamen eſt progreſſum. Proſpectus in omnes partes erat, neque opportunus inſidiis. locus Gonſaluus tamen cum copiis omnibus prope Andriam ſubſtitit iniuriam, ſi cunde exiſteret prohibere paratus. Iam Hiſpani, Galli, Itali ad ſpectaculum pugnæ eius frequentes exierant, incolæ ſtudio viſendi proximos campos & colles repleuerant. A delectis iudicibus vtriſque loca deſignata. Vehemens ventus flare cœperat Gallis aduerſus propitius Italis quippe à tergo. Vt locorum mutatione exæquationeque ex obliquo ab vtriſque flatus exciperetur, poſtularunt Galli. Nihil impetratum tamen. Ergo infenſis haſtis concurritur, quas etſi venti impotentia Gallis omnibus excuſſit de manibus, nihil tamen aduerſi accidit, nemo ad terram proſtratus ne vllus quidem equus occiſus. Ad gladios clauaſque perducta pugna Gallis Itali longe ſuperiores extiterunt, tum agilitate equorum obedientium, tum pugnandi dexteritate. Horæ ſpatio vno cæſo, atque altero grauiter ſauciato, Galli reliqui è loco certaminis pulſi victique ſunt. Ex Italis vni tantum leue vulnus eſt inflictum. Victoria parta clari lætique victores Barlettam ea nocte redierunt duodecim captiuos præ ſe agentes, defenſa gentis dignitate, vindicata procacis hominis contumelia nobiliſſimi. Excepti ab omnibus inſigni plauſu, à magno Gonſaluo ad cœnam etiam adhibiti. virtuti atque felicitati debitus honos. Is euentus pugnæ fuit in paucis eo tēpore celebratæ, nomina pugnantium vt ſigillatim referantur operæ non eſt. Interea Ludouicus Ferrera & Petrus Nauarrus Tarento eductis copiis Caſtellanetam ex deditione, aliaque circum oppida vi aut voluntate occuparunt. Cum maioris rei oblata opportunitas eſt. Palicius qui ſe Aprutii Proregem ferebat & cum eo Amadeus Curtonus Sabaudi ducis vicarius Rubi morabantur decem & octo paſſuum millibus Barletta: cum iis ſupra quingentos pars equites grauis armaturæ pars ſagittarii. Eos inuadere Gonſaluus oppido cupiebat, hoſtium aliorum vicinitas metuſque ex eo retardabat. Commodū Namurſium cognouit abiiſſe ſpe Caſtellanetę recuperandæ. Amalfitanum cum robore exercitus Gallici Canuſii ſubſtitiſſe. Rubum denuo centum quinquaginta

ginta equites missos augendo eius oppidi præsidio. Aduolat Gonsaluus cum mille equitibus peditum tribus millibus, & aliquot igneis tormentis sub noctem profectus ad octauum kalendas Martii, qui dies Mercurii fuit. Continuato strenue tota nocte itinere sub auroram Rubum improuisus accedit. Nec mora tormentis murus quassatur. Longum erat militibus expectare dum aditus prorsus patefieret globis ignitis strato muro, Iniussu scalis superare mœnia contendunt. Nullo ductore sibi quisque auctor incitatorque erat. Defendunt aduersarii acriter. Hispanos subeuntes contis saxisque deturbant: ac retro redire compellunt præter ignominiam tamen nulla alia clade. Tormentorum rursus continua iaculatione muri magna parte prostrata, ignominiæ prioris demendæ studio ardentiores milites feliciori quam ante conatu per ruinas & rudera in oppidum irrumpere parant. Defendunt rursus eximia virtute aduersarii. Pugnatur acerrime: multum effunditur sanguinis. Ad extremum victa defensorum constantia in oppidum penetratur. Recens iracundia sanguine expletur. cædes per vias ædesque factæ nullo militum & populi discrimine. E Gallis ducenti ceciderunt: multo plures vulnerati. Palicius quamuis capite sauciato fugam meditatus per auersam portam in limite captus est. Sabaudi Ducis vicarius se in arcem recepit sustentaturus dum maiora è propinquo auxilia aduentarent. Directis tamen eo tormentis maioris mali metu deditionem fecit sine exceptione ad victoris arbitrium. Capti sunt item multi alii viri præstantes cum magno rei Gallicę detrimento inclinationeque. Ex Hispanis pauci desiderati, neque quisquam magni nominis. Diegho tantum Mendozæ in oppidi ingressu lapidis ictu concussa galea sensum excussit nullo præterea maiori nocumento. Victoria parta direptoque oppido continuo se victores retulerunt in pacata, priusquam ad rei gestæ famam ex vicinis locis Gallicæ copiæ ad vindictam confluerent. Festinatio salutaris fuit. Namursius enim Gonsalui consilio indicato dimissa Castellaneta reuertebatur, vt iunctis cum Amalfitano viribus Rubi ad præsidium accurreret. Rebus perditis serus opitulator variatis consiliis neutri parti opportunus aduenit. Ex hoc plane tempore res Gallicæ aperte inclinare cœperunt exitio proximæ. Ac Præianes quidem miles Hospitalarius in prouincia Phocæensi natus, qui è Rhodo cum quatuor triremibus, duabus biremibus Gallis auxilio venerat, impeditoque Hispanis commeatu, captisque quibusdam nauibus Apuliæ littora infesta habere pergebat, victus est. Lezcanus rei nauticæ apprime callens cum quatuor triremibus Apuliæ littora ab hostili iniuria tueri iussus quingentis militibus in triremes impositis Gallum impugnaturus Brundusium versus nauigauit. Eius aduentu hostis territus consilio detrectandi certaminis in Hydruntis portum se intulit Venetorum, in quorum ea vrbs ditione erat, præsidio confisus sustentare posse. Nihil ea re moratus Lezcanus duas naues quæ extra portum in ancoris stabant, aliaque minora nauigia cepit, maiora moliebatur, in portum irrumpere. Creuit ex eo hosti terror. Ita ne tentata quidem defensione per noctem nautis & militibus expositis in terram atque nautica supellectile sublata, triremes biremesque cum tormentis submersit, ne Hispanus iis potiretur; quæ magna desperatio fuit. Villamarinus cui Præfecti maris nomen erat datum, in portu Messanensi cum aliquot triremibus ea littora tuebatur, quasi ex specula in omnes partes despectu quocumque vocaret necessitas paratus accurrere. Ad supplendum militum & nauium numerum Portocarrerii aduentum expectabat auide dudum ex Hispania profecti. Gonsaluus tamen vt continuo Apulię portum aliquem teneret, hortabatur. Emanuelis Benauidii exemplo veritus scilicet ne in Brutiis subsisteret, contra quam ipse mandarat, vt quam primum ad se festinaret viresque secum conferret. Ea parte bello profligato, vbi de summa certabatur, cætera in victoriæ partem facile accessura. Ludouico item Ferreræ & Petro Nauarro, qui Tarentum obtinebant, vt vires & ipsi conferrent mandatum est, tum Lezcano qui hoste profligato continuo quingentos milites in terram exposuerat, præterea Mazaræ Episcopo Galipoli curanti, profecto, vt cum sua quisque manu Barlettam aduolarent. Auctis ea diligentia viribus Hispanus cum hoste minus iam feroci signis collatis dimicare, vnoque prælio finem molestiis imponere & bello destinabat certa victoriæ spe.

Vasti Marchio Hispanorum partes amplectitur.

Capvt XVIII.

EAdem cura noua conquirēdi auxilia Namursium Canusii solicitum habebat, eo amplius quod passim Galli milites ab Hispanis cædebantur magno rei gallicæ detrimēto

pari ignominia. Ad fanum Ioannis Rotundi Arriaran dux Manfredonia profectos ducentos Gallos nihilominus cæciderat. Parem hoſtium numerum acie fudere Ludouicus Ferrera & Petrus Nauarrus Tarento, vti erant iuſſi, digreſſi prope Grutallas tranſitu prohibere conatos, quinquaginta inſuper captiuis. Iidem vlterius progreſſi adiunctoq; Lezcano, Bitonti Marchionem quingentos tum equites tum pedites ad Namurſium, vt vires conferret, ducentem in conflictu victum ceperunt, cæſis Marchionis patruo Antonio Aquauiua eiuſque filio. Præterea Oliua Centurio gallorum manum nactus pugna commiſſa trigintaque ex numero cæſis, cæteros fudit. Adhæc quinquaginta equites pedites ſeptuaginta Viſeli egreſſos vt Hiſpanorum pabulatores impeterent. Dieghus Mendoza, qui ſuis præſidio iuerat, momento in fugam compulit male mulctatos. Atque equites Viſelim præ metu redierunt equorum velocitate adiuti, pedites intra turrim, ad quam ſe receperant impugnati cæſique ſunt. His incommodis commotus Namurſius monet Obenignum vnaque Salernitanum & Biſinianum ſi rem Gallicam ſaluam cuperent, vt Brutiorum & Magnæ Græciæ oppidis pro præſenti copia munitis, ſtatuq; regionis compoſitis, ad ſe quam primum venirent. Cum hoſte feroci exultante ſucceſſibus vniuerſis viribus dimicandum videri. Ducis mandatis obtemperare non eſt viſum ſpem ſubiugandi penitus eam prouinciam, quæ ſe offerebat, prætermittendam non putabant. Non minori cupiditate Gonſaluus dimicandi cum hoſtibus ardebat haud ignarus annonæ difficultate creſcente indies, diutius in iis locis ſuſtentare non poſſe. Receptum fugæ ſimilem. magna in bello famæ momenta audaciam pro munimento fore. Veneta tamen nauis frumento onuſta Tranum appulit, qua Hiſpani ſunt potiti, exiguum leuamen. Sed ex Sicilia item quinque nauibus non vno tempore frumenti tria millia medimni allati ſubſidium famis maius, præſertim pecorum adiuncta frequenti præda ex vicinis agris. Aprutii vrbes ac nominatim Aquila gentis caput ad fœdus Hiſpanum iam dudum erant propenſæ. Arcano hæc agitata dum maturum eſſet, tegebantur. Capua quinetiam, Atella, Salernumque à Gallis defecturas ſe pollicebantur, tracturam in defectionis ſocietatem finitimos. Conſtitutum, vt quam primum Hiſpanorum copiæ in apertum progrederentur, omnes eæ vrbes Gallica inſignia tranſitionis argumento Hiſpanicis vexillis mutarent. Muri Comiti venia eſt data merito quamuis grauia ſupplicia, qui primus in Lucanis vbi ditionem obtinebat gallicas partes palam fouiſſet multis, vt idem facerent, auctor exemplo voceque. Salernitano parum fidebatur ad Hiſpanos tranſitionem pollicenti, expetentique adeo in coniugium Gonſalui Magni filiam ſanioris mentis indicio. Explorata multis & magnis in rebus viri inconſtantia dictis detrahebat fidem. De Amalfitano haud certior ſpes, facturum quæ pollicebatur, velle ad Hiſpanos tranſire. Maiori rei Hiſpanicæ commodo certiori fide Enecus Daualus Ænariam ſuæ ditionis inſulam, ſeque Regis Catholici palam obſequiis adiunxit haud leui ad victoriam adiumento. Origo illi ex Hiſpania fuit. Enecus Daualus Roderico Daualo equitum in Caſtella Magiſtro natus præcipua apud Reges Neapolitanos gratia & auctoritate Antolenam Aquinatem duxit Bernardi Gaſparis Aquinatis Piſcariæ Marchionis & Montedoriſi Comitis filiam & hæredem paternæ ditionis. Ex hoc coniugio Alfonſus Daualus natus eſt Piſcariæ Marchio, quem per fidem colloquii Maurus in obſidione arcis Neapolitanæ peremit infante relicto, cui Ferdinando nomen fuit. Alteri Eneci filio (quem Zurita Martinum vocat) Montedoriſi principatus obuenit nulla præterea laude. Minor duobus Enecus Daualus extitit, cui Fridericus Rex accedentibus annis operæ impenſæ præmium vaſtum dedit Marchionis nomine iure hæreditario Ænariæ imperium dum viueret, inſulæque prouentus omnes, ſecturas aluminis, atque arcis prefecturam. Horum procerum duo alii fratres fuerunt Rodericus, Emundusque vti alio loco dictum eſt, tum ſoror Conſtantia nomine Serræ Comes primum, deinde Francauillæ dux lectiſſima fœmina. Ergo Marchione promerendo datum, vt ad omnia quæ Regum priorum dono poſſidebat, Prochytam inſulam adiiceret, cataphractis centum, leuis armaturæ equitibus ducentis ſub ea ſtipendia regia darentur. Ferdinando item fratris filio Piſcariæ principatus eſt confirmatus, nomenque Regii cubicularii auo antea patrique à prioribus regibus datus honos. Cautum præterea, ſi Hiſpani eo regno pellerentur, idonea opum compenſatio in Hiſpania eſſet. Honeſtiſſimæ conditiones, ſed maiorum Enecique ipſius virtuti & meritis conſentaneæ. Iis rebus conſtituendis non pauci menſes ſunt conſumpti. Ea vero cauſa extitit non ante profeſſi ſtudii in Hiſpanos quo alioqui erat ardenti, à Gallis penitus auerſus. Eneci filius Alfonſus, Piſcariam tandem Ferdinandi patruelis ſine prole

in flore

in flore ætatis atque in medio felicitatis curſu importuna morte extincti ad Vaſti principatum adiunxit. Nepotem eiuſdem Ferdinandum Piſcariæ Marchionem annis ſuperioribus Proregem Siciliæ vidimus, quo tempore in ea inſula verſabamur, ducta Mantuani ſorore nobiliſſima, ampliſſima dote. Verum quo tempore Vaſti Marchio ſe ſuaque Regis Catholici fidei permiſit, Aquilera miles ſacer vir impiger & bellicæ compos laudis, trecentos milites in Crotonis portum intulit auxilium à Franciſco Rogio legato Roma opportune deſtinatum. Gometius item Solifius Conſentiæ arcem obſidione liberauit vrbemque vi cepit, pulſo Meliti Comite numero quamuis militum vinceretur ac vix quartam hoſtium partem exæquaret. Eo maior gloria, dedecus hoſti, de Gallis ad Rubum captis diſceptatio tenuit magno animorum motu diu vtrinque agitata. Conuenerat inter vtroſque vt bello modeſte geſto quippe inter Chriſtianos, equiti capto equo & armis detractis libertatem redimere fas eſſet annui ſtipendii quarta. Ceperant Galli diebus ſuperioribus Theodorum Bocalum Epirotarum equitum ducem, Dieghum Veram rei tormentariæ magiſtrum, atque Eſcaladam centuriæ Hiſpanorum præfectum, alioſq; ad triginta. Et cæteros quidem miſſos fecerunt qua lege & pretio erat conſtitutum; retinuere tres modo cauſati duces eos eſſe, neque debere communi lege comprehendi: quorũ eſſet dignitas maior eximendos à vulgi conditione videri. Nunc quaſi ſui obliti poſtulabant tamen Gallos ad Rubum captos pacto prius pretio dimitti, ſcilicet non conſiderantes viros primarios eſſe, pleroſq; etiam ordinum ductores. Præterea Gonſaluo renunciatum, legem eam militiæ Neapolitanæ, quarta ſtipendii equitem captum redimi, non extendi ad eos qui in iuſto prælio, aut oppido per vim capto veniſſent in poteſtatem. Conſulti milites veterani nobileſq; prouinciæ prouectæ ætatis conſenſu, non aliter prouinciȩ moribus eſſe obſeruatum vero an ad gratiam curioſe inquirendum non arbitror, ſed reſponderunt tamen. In eam certe ſententiam Gallis reſponſum eſt datum: captiui vti de libertatis pretio cum iis conſtituerent, in quorum poteſtate erant: neque communi cæterorum priuilegio ſe tegerent. In quo non lucro paucorum conſultum arbitror: ſed ea excuſatione cautum ne prȩlio viri pugnaces apprime intereſſent, quod vt res ſe dabant breui de ſumma rerum futurum videbatur.

Pax a Philippo Principe in Gallia pacta.

CAPVT XIX.

PHilippus Princeps diſcedendi ex Hiſpania certus ex Rege ſocero enixe cupiebat cognoſcere, vellet per conditiones arma ponere cum Gallis inſtaurato fœdere: ſibique poteſtatem eſſe paciſcendi ſi forte Rex Gallus æqua videretur appetere. Recuſauit initio Rex Catholicus vtrumque ſiue genero non ſatis fidens, multo minus eius aulicis, quos ad Gallos eſſe propenſos multa indicabant, ſiue amicorum in Italia animos debilitare metuebat, ſi ſe conſcio & volente generum principem per Galliam iter habere vulgaretur. Dedit tamen in eam rem anguſta certe mandata, quæ tranſilire nefas eſſet. Profecto tamen eo Bernardum Buillium Abbatem iiſdem veſtigiis ſequi iuſſit, teſtatoque deſcriptam paciſcendi formulam ad eum perferre, qua ampla poteſtas continebatur finiendi pace facta controuerſias. cum eo ne delegatæ poteſtatis exemplum communicaret cuiquam præter principem ipſum iuratum arcani fidem: ac ne Principi quidem Schedam crederet, ſi præſcriptæ formulæ fines tranſgrederetur. Quo in Apulia tempore & magna Græcia arma mouebantur ardore quo vnquam maximo, Compluti ex Ioanna principe paulo poſt diſceſſum viri filius eſt natus ad ſextum Idus Martii, cui fuit Ferdinandus nomen, imperium & ampla regna annis accedentibus. Abluit infantem ſacro fonte aquis ſalutaribus Toletanus ſuſceptoribus Anagari Duce, & Villenio. Lugduni Rex Gallus & Rhotomagenſis Cardinalis in Gallia Pontificis legatus aduentu Philippi principis continuo de fœdere ſanciendo conſilia agitarunt. De conditionibus diſceptatio erat. Datæ poteſtatis fines & paciſcendi formam ex Hiſpania miſſam negligi videbatur. Buillius Philippum Principem monet, ne ſuo Rege inſcio quidquam nouaret, caſſa fore contra eius decretum inita pacta. Ea monita voceſque contemnebantur: ac ne facta quidem poteſtas eſt nunciandi Regi Catholico per litteras mutatis ad celeritatem equis, quæ agebantur. Mirabilis confidentia. coegerunt etiam minis atque terroribus concreditæ poteſtatis exemplum vt publicaret. Principi ipſi iniecta neceſſitudo eſt paciſcendi, quoniam in Galli poteſtate erat. Aulici quoque homines Belgæ fœdus maturari cupiebant moræ impatientia, Regis in eo Catholici volun tate neglecta. Pecunia Gallica corruptos fama vulgauit in deterius ſemper prona hominũ

perſuaſione. Initi fœderis ſumma duarum rerum optione continebatur. Rex Catholicus Carolo nepoti attributam regni Neapolitani partem cederet, Gallus Claudiæ filiæ quaſi pacti coniugii dotem inter infantes ineundi maiori vtriuſque ætate. Cum eo vt Catholici pars penes ſequeſtrum eſſet Philippum generum, aut quos ipſe nominaſſet: Gallus retineret ſua. Audax negotium dicerem impudens conatus. Neque magis æquum quod ſequitur. Si ea conditio minus placeret, vterque Rex attributas prouincias in priori fœdere poſſideret, Capitinata de qua præcipua lis erat, ſequeſtro daretur conſenſu deſignando. Fœderis vtraque pars Gallis erat propitia. Hiſpano aſpera, quando in altera Gallo ſua retinente Ferdinãdo detrahebatur, quod obtinebat, Hiſpanis præſertim ex ea prouincia deturbatis, quod ea gẽs imprimis cupiebat, ſi id contingeret reliqua prona fore perſuaſi, altera conditione ſuſcepta lis in eodem ſtatu perſtabat, nulla maiori ex eo tranquillitate: ne ſpe quidem vt in vnum ſequeſtrum conuenirent. Quis enim aut vnde neutri partium addictus? Interea Rex Catholicus Cæſarauguſtam redierat ad diſſoluendum gentis conuentum qui eatenus tenuerat. In ea vrbe ineunte Aprili menſe Regi præſenti decreta auxilia ſunt in bellum Neapolitanum ducenti grauis trecenti leuis armaturæ equites triennii ſpatio: adiecta lege, vt duces & milites ex ea gente legerentur. Breui ergo delectu habito mandatum omnibus, vt ad fines Ruſcinonenſes accederent, propter belli terrores ea parte ex Gallia oſtentatos. Britanniæ enim Mareſcalus & Dunenſis Comes cum ordinariis Galliæ militibus Carcaſonem confluebant, quo loco ex aliis gentibus copiarum concurſus erat futurus. Tanti apparatus quo pertinerent, dubitabat nemo. Tuendo limite Rex Catholicus copiis ſuis vt ad Figueras oppidum præſto eſſent limiti vicinum edixit: ſimul Sanctius Caſtella Ruſcinonenſi tractui Præfectus vir eximie fortis & cautus oppida & arces ad vim hoſtium ſuſtinendam muniebat, metu ne impendens tempeſtas imparatum opprimeret. Rex ipſe eodem accedendi voluntate Populetum delatus, in eo monaſterio Buillii, Abbatis litteras accepit renunciantis quod erat ipſe veritus, vim Philippo Principi minaſq; intentari, niſi in fœdus conſentiret, quamuis contra formam ab ipſo præſcriptam iniquum & graue. Reſcripſit Rex quid facto opus eſſet. Nihil profectum tamen ea diligentia. Voce præconis Lugduni euulgato fœdere Philippus Princeps Ioannem Hedinum aulę metatorem, Gallus Eduardum Bullotum in Italiam dimiſerunt, vt pro ſe vterque Gonſaluo & Namurſio confectæ pacis gaudium ingens videlicet nunciarent: & quod erat conſequens ſuorum Principum nomine mandarent poſitis armis ne in bello vltra procederetur. Sic Philippus in Allobroges abiit cum Margarita ſorore & Sabaudo Duce eorum inuitatu Chriſti in vitam reducis memoriæ dicatos dies celebraturus. Hedinus & Eduardus feſtinato per Romam itinere, lociſque omnibus factam pacem euulgantes Barlettam peruenere in ipſo procinctu prælii: cuius ſorti duo duces rerum ſummam permittere decreuerant. Gonſaluus imprimis aduentu ex Germania militum quingentorum ſupra duo millia lætus, victoriæ ſpe certa. iis ſupra Venetias ad Tergeſtum conſcenſa claſſe emenſoque nullo prohibente mari ſupero ad quartum idus Aprilis Manfredoniam appulere. Dedit Hedinus Gonſaluo litteras, quibus Philippus Princeps Regis Catholici nomine arma vt ponerentur, mandabat, pacem factam ne bello importuno violaret obteſtatus. Reſpondit (à ſuo Rege per litteras monitus Philippum per Galliam iter facere, ſi quid forte de pace induciiſue præſcriberet, iniuſſu ſuo ne quidquam mutaret) res in eo eſſe ſtatu vt Principis mandatis obtemperare integrum non eſſet, niſi Rege prius conſulto quid in eo rerum articulo facto opus eſſet. Conſilia res magis hominibus dare, quæ in horas variantur, quam homines rebus. Gallos priores ſumpſiſſe arma: nunc re Gallica inclinata nefas eſſe importuno fœderi dare aures. Scire quod conſilium captare ipſe deberet: Ac vero Namurſio coram conueniens daturum reſponſum. Sic factum. Rex quoque Catholicus ab eo fœdere auerſus animo, vt ſatisfacere omnium votis videretur, de reſtituendo in Neapolitanum regnum Friderico exule Rege per legatum rurſus egit. Verum Gallus ne facta quidem de ea re conueniendi poteſtate, legatum cum ignominia repulit. pactæ concordiæ Hiſpanos non ſtare tulit ægerrime, gnarus modicas vires eſſe ſibi, aduerſarium præualidum.

Obenignus victus & captus. CAPVT XX.

CLaſſe inſtructa Ludouicus Portocarrerius è portu Carthaginis nouæ ſoluerat dimidiato menſe Februario. Minime idonea tempeſtate profectos gemina procella diſiecit, prius ad Narbonenſem ſinũ, deinde in Panormitano littore. Velox tamen nauigatio fuit,

fuit, viginti diebus nulla deſiderata naui Meſſanenſem portũ tenuerunt, magnis quamuis laboribus toleratis incolumes. Qua parte copias exponerent, diſceptatum in ea vrbe eſt. Quidam Gonſalui præceptis obtemperandum dicere, neque conſiſtendum priuſquam ad Apuliæ oram ventum eſſet, vireſque conferrent cum reliquo exercitu. Ludouico Portocarrerio importuna nauigatio viſa eſt præſertim milite aduerſa & lõga nauigatione iactato. Rhegium ergo traiecit, bellum ea parte geſturus, vti in Hiſpania miſſum erat. Obenignus poſt victoriam de Benauidio & Hugone Cardonio partam ad Motam Bubalinam cum copiis conſiſtebat, ſpe Giracium ſine vulnere obtinendi Hiſpanis fame ad deditionem adactis, qui è ſuperiori clade ſuperſtites magno ſe numero in id oppidum ad præſidium receperant. Biſinianus in ditionem abierat: Salernitanus & Meliti Comes Neapolim. Decreuerat Portocarrerius copias in aciem producere: eoq̃ue conſilio milites recenſuit cum lethali febri importuno tempore correptus eſt. Vis mali augebatur in dies, vt medici deſperarent. Ante obitum duces partium aliquot egregios Terranouam occupaſſe cognouit, vrbem cũ multis aliis oppidis claſſis aduentu nunciato à Gallis deſertam. Obenignum cognito eius morbo cum copiis continuo accurriſſe grauique obſidione premere mœnibus haud firmis ſalutem tuentes exigua ſpe niſi aliunde venirent auxilia, quoniam vincebantur numero, premebat inopia. Eo motus periculo Portocarrerius Fernando Andradio pro ſe ſubſtituto equitatum peditatumque mittit obſeſſis auxilium. Præfecto item maris Villamarino, vti triremes Gioiam admoueret præceptum eſt, quáſi mari terraque copiæ obſeſſis opitulatum mitterentur; ſi territi ea ſpecie aduerſarii deſiſterent. Feſtinarunt noſtri cognito obſeſſos annonæ inopiæ laborare ſuprema. Semenariam promota caſtra. Obenignus Terranouæ ſuburbiis relictis ad vicinos pagos abſceſſit. Sic Andradius ſoluta obſidione ſatis ſe profeciſſe ratus Semenariæ cum copiis ſubſtitit. Noui eo milites confluxere ac imprimis Benauidius, Antonius Leuia, Gõſaluus Daualus, Hugo & Ioannes Cardonii, quiſque cum ſua peculiari manu operæpretium facturi. Ex iis omnibus idoneo exercitu quamuis conflato, Melitum tamen redire deſtinãtes, Hugo ne pulcherrimam occaſionem, quæ momento præteruolat, ignauia prætermitterent hoſtis delendi auctor erat. Prudentes duces oblatam opportunitatem auide arripere, neque inutili cautione certam victoriæ ſpem corrumpere: cuius negligentiæ è veſtigio ſera pœnitentia ſubſequatur. Cunctatione rem Gallicam creſcere, aduentare auxilia vndique: nec collectitium militem, ſed veterem & aſſuetum armis. Excuſauit tamen Andradius prœlii committendi denegatam expreſſe facultatem. Quod voluntate tamen facere recuſauit, caſus paulo in neceſſitatem vertit. Obiit interim Portocarrerius. Corpus Meſſanæ in æde maxima amplo funere tumulatum exaduerſum Alfonſi Neapolitani Regis eo loco ſepulti. Eius obitu inter duces nonnulla diſceptatio extitit, quis defuncti in locum cæteris omnibus imperaret. In ſuis meritis æſtimandis nimium ſibi fauet ambitio mortalium. Arbitrio Proregis Siculi controuerſiam finire placuit. Ille defuncti voluntatem ſecutus denuo Andradium ſummum ducem nominauit. Cardoniis fratrib. ea nominatio moleſta accidit imprimis: neque moderari linguam viri alioqui modeſti, nimis molliter pati dolorem; exiguo vſu iuuenem præferri ſibi neq; generis nobilitate præſtantem, & minori multo armorum vſu, nulla gloria militari. Vicit tamen in generoſis animis dolorem de ſuo Rege benemerendi voluntas, officiiq; ratio, vt cum cæteris conſentiret. Ardebant Hiſpani cupiditate cum hoſtibus iuſto prælio confligendi. Vtraque caſtra vicina erãt, modico dirempta interuallo. Non minus ſe pugnæ cupidum Obenignus oſtendere memor ſuæ dignitatis & Gallicæ gloriæ. Miſſo tubicine aduerſarios prouocat ad certamen. Excuſauit Andradius accepti mãdati memor. Metum interpretatus hoſtis & quoniam Hiſpanos milites ægre ferre cognouerat ſtipendia non ſolui, in ſuperbiã elatus Roſano & Gioia eductis copiis propius Hiſpanorum ſtatiua promouit caſtra; ne dubitauit quidem ſe in Semenariæ conſpectum dare. Vadato flumine longius æquo per eam planiciem proceſſit magna Hiſpanorum ignominia probroque. Calæcos paulo ante tumultuantes quoniam ſtipendia nõ ſoluebantur, breui duces placarant gemmis priuatim ac reliquo cultu diuenditis, pretioq; inter milites diſtributo. In Gallico exercitu trecenti grauis, ſexcenti leuis armaturæ equites erant, mille & quingenti pedites, ſupra tria millia vicani numerus magis quam robur. Hiſpanorum copiæ competenti inſtructæ ordine Semenariæ egreſſæ octingenti equites pedites ad quatuor millia exultanti hoſti proceſſere obuiam certa pugnandi voluntate. Detrectato Obenignus contra opinionem certamine Gioiã copias reduxit. Inſtitere è veſtigio aduerſarii oppidum impugnare, aut ſi Gallus in aciem prodiret, ſigna conferre deſtinantes, certe perculſos vrgere, quoniam metus confeſſionẽ expreſſerãt. Leuia fuere certamina haud memorabili in alterutrã partẽ euentu.

Irritatis tantum animis sibiq; fidentes vtriq; ad vndecimum Kalen. Maii, qui dies Veneris fuit, quasi ex composito atque antecondicto copias in aciem produxere. Obenignus suos ad pugnam inflammabat, ad memoriam reuocata victoria quam iis locis se duce annis superioribus obtinuerant de Ferdinando Rege Neapolitano Gonsaluoque. Qui numerosum exercitum & validum iis ductoribus, milites, virtute profligastis; quantumque Gallica gens aliis nationibus præstet vigore animorum, scientiaque pugnandi, documento fuistis: an æquum videatur paucos inermes, seminudos Hispanos, neque satis inter se consentientes metuere? laudi & gloriæ partæ imponere maculam? Auertãt numina tantum nefas, neque patimini milites dedecus graue morte ipsa & sanguine procurandum. Is in pugna potius animus esto, qui victoribus esse debet, excelsus & magnus. Ergo in hostes impetum date memores nobilitatis vestræ, memores gloriæ & nominis Gallici. Hæc Obenignus dixit. Agmina per planiciem progrediebantur. Pars vtraque auerso sole inchoare pugnam satagebat, ne eius radiis oculorum acies obtunderetur scilicet. Hispani hac mente paulo superius traiecere fluuium. Galli metum fugamque interpretati perturbatis ordinibus in pugnam inuadunt. Neque magis ex disciplina tormentis globos displodunt nullo fructu nullo hostiũ detrimento, non minus fortuna Hispanis sæpe in hoc bello quam ratio affuit. Hispanæ acies in hunc modum instructæ erant. Læuum cornu tenebant. Hispani pedites Italique, dextrum equites expediti, mediam aciem cataphracti. Ab his ea impressio facta est qua Gallos fere omnes infensis auulsos hastis ex equis deturbarunt. Secundum Gallorum agmen, vbi pedites curabant, eo spectaculo territi ne tentata quidem pugna verterunt terga. Nostri fugientibus insistere vsque ad Gioiæ portas, quo se maior pars ex fuga recepercũt. Capti pleriq; omnes Galli duces. Intra Gioiam Honoratus & Alfonsus Sanseuerini, hic patruelis ille frater Bisiniani, deditionem compulsi fecerunt. Obenigni fortuna eadem fuit. Intra Angiti arcem, quo se receperat, impugnatus acerrime in victorum potestatem viuus venit. eius captiuitate nihil de victoriæ gloria aut communi Hispanorum lætitia diminutum, si hostis maxime infensus & importunus fuga euasisset. Victoria in paucis ea ætate celebris fregit Gallorum animos. Brutii & magna græcia vniuersa momento temporis ad Hispanos inclinarunt, eiusq; imperii iugum volentes nolentes susceperunt. Nihil prꝗterea deditis grauius imperatum.

Magnum ad Ciriniolam prælium. CAPVT XXI.

ANnonæ difficultate anxius Gonsalui animus in diuersa & contraria trahebatur. Tribus amplius diebus iis locis sustentare non licebat: neque facultas ostendebatur aliunde rei frumentariæ. Ne eo tractu oppida ad hostes auerteret verebatur scilicet, famis malum cunctos ex æquo premens. Hostes ad pugnam elicere fore optimum visum est: vnoque prælio si minus victoria certe morte ex iis difficultatibus euadere. Eo consilio Ciriniolam, seu Gerionem mauis, ducere oppidum haud satis firmum, sed multis in arce militibus præsidiariis munitum: quod caput erat à Gallicis castris sed modo passuum millibus positum. Ex eo pugnæ copiam fore suspicabatur: impugnati in oculis oppidi ignominiam Gallos non laturos. Sub discessum equitibus geminos aureos per capita distribuit, peditibus aureum dimidiatum, exiguum inopiæ leuamen. Sed tanta inerat pugnandi cupiditas, tantus animorum ardor, vt debita multorum mensium stipendia nemo flagitaret, nulla seditiosa vox audiretur totis castris. Die primo sub Cannis clade olim Romanorum nobili vico secundum Aufidi fluminis ripam Hispani constiterunt. Aberant hostium castra tribus modo passuum millibus. Cum luce proxima instituto itinere Ciriniolam pergere porro instructa acie propter hostium propinquitatem. Fabricius Columna & Ludouicus Ferrera cum præcursoribus præcedebant. In prima acie Dieghus Mendoza curabat duobus Hispanorum peditum millibus attributis ferox. Medium agmen Dux Termenstinus ducebat ducentis cataphractis & duobus aliis Hispanorum peditum millibus constans. Cum Germanis cataphractis aliquanto numero, & leuis armaturæ equitibus in postrema acie substitit. Magnus Gonsaluus vim hostium, si à tergo premerent, propulsare paratus. Regio arida erat imprimis, diei æstus maximus, longius opinione iter. Militum defatigatio tanta, vt siti è cataphractis nonnulli exanimati perierint repente vi ardoris interclusa anima, è Germanis item non pauci Hispanisque peditibus. Cognita Galli nostrorum lassitudine angustiam alienam suam occasionem facere destinantes hærere in terga ac vero vniuerso prælio dimicare statuunt. Eo consilio ex statiuis egressi quingenti grauis armaturꝗ equites, leuis ad duo millia erant, quatuor millia qua Heluetii qua Vascones ex Gallia. Acies hoc ordine instructæ. Salernitanus in prima acie ducentos cataphractos ductabat pedites bis mille. Postremum agmen Amalfitano tributum est: in quo equitum turma erat, mille

vicani

vicani prouinciales pauciſſimi Vaſconum numeri. Cum reliquis copiis mediam aciem obtinebat Namurſius inſcius nimirum ad exitium feſtinare. Noſtri peditatu ſuperiores erant, niſi ſitis & æſtus fatigarent. Hoſtium equitatus potior videbatur armis equiſque validior. Ad hunc modum inſtructis ordinibus Galli poſtremum noſtrorum agmen laceſſere, inſtare atque vrgere locis omnibus nullo ad reſpirandum ſpatio dato. Noſtris cum moleſtia itineris & cum hoſtibus luctandum erat. Feſſi æſtu paſſim ſternunt corpora & infrequentia relinquunt ſigna. Ciriniolam vbi caſtra munita noſtri habebant, peruenire niſi amiſſis impedimentis, magnaque peditum clade fas non erat, multis toto itinere ad terram proiectis præ ſiti æſtuque. In iis anguſtiis Gonſaluus nihil perturbatus, ingens animus, equitibus mandat vt equorum clunibus pedites exciperent, qui maxime laborarent, exemplo ipſe excitat alios, potum quin etiam deficientibus porrigit propria nonnunquam manu. Ducis conſtantia cæteri animati ad caſtrorum tandem locum peruenere. Nulla eatenus inſignis accepta clades. Dies in noctem præcipitabat vix duabus horis reliquis ad ſolis occaſum. Cum ſe Gallicus equitatus prope oſtendit, integris formidabilis, quid æſtu, ſiti, labore debilitatis? Ex metu audacia orta eſt. Intra munimenta acies momento inſtructa certa pugnandi voluntate. Ad circumfuſas legiones priuſquã pugnæ ſignum daretur, Gonſaluus hac ſententia orationem habuit. Militaris gloria, viri nobiles, ex victis paratur hoſtibus. Victoria ſine labore & periculo non contingat. Moleſtiis multis & magnis aſſuetos an mutare æquum ſit? Suſcepti antea laboris & miſeriæ fructus vberrimus oſtentatur. Adeſte milites animis, omnis faceſſat ignauia. Cauſæ, quam tuemur, æquitate, ſi maxime viribus hoſtes vincerent, de victoria tamen nõ diffiderem. Nunc rebus omnibus præſtatis numero, ſcientia pugnandi, animorum vigore, vincendi conſuetudine. Galli quid aliud quam præda victoribus? & tamen quod roboris ſit, Itali nobiſcum palam aut voto ſtant. Auide depoſcebatis hoſtem: an pugnandi neceſſitudine iniecta ceſſatis, exhorretis certamen? Tantam ſuperi ignominiam auertite. Hic dies, ſi viri eſtis, diuturnis moleſtiis finem afferet. In dextris opes, gloriam, ſuperioris temporis fructum, inſtantis lætitiam, futuri felicitatem portatis. His dictis pugnæ ſignum datur. Namurſius propter diei tempus in proximam lucem ſuſtentare voluit. Iuo Alegrius vt continuo pugnaretur euicit ferox rapidusque in conſiliis ac lingua immodicus. Blanditur ſibi humanus animus ſæpe concepta temere ſpe. Victus ea importunitate Namurſius, Huc, inquit, arma puer. Quam vereor ne hic noſter incitator maiorem in equi pedibus ſpem, quam in dextra ponat. Præſagium vanum non fuit. Tredecim ab vtraque parte tormenta maiora erãt. Diſploſa prius Gallica maiori fragore quam commodo. Hiſpanica late ſtragem quippe ex ſuperiori loco librata in Gallorum agmine fecerunt. Verum ne maior eſſet clades Itali militis errore factum eſt: qui victos Hiſpanos imprudentia ratus pulueris ſulphurei cados duobus curribus geſtatos raptim incendit. Magna militum turbatio fuit. Latiſſime diffuſa flamma plerique putarunt Hiſpanorum res eſſe perditas. In eo diſcrimine Gonſaluus præſenti animo hilari facie ad circumſtantes. Bono, inquit, eſtote animo, datur cælo clara victoria, præclarum flamma omen quaſi incenſis ad eam celebrandam facibus. Namurſius clade incitatus, quam noſtra tormenta intulerãt, ſine mora in aduerſarios incurrit, cum octingẽtis cataphractis. Hiſpanorum pedites in fronte erant diſpoſiti, grauis armaturæ equites ab vtroque latere, obiecta foſſa. Quæ res Gallos equites fefellit non ſatis diſcuſſo tormentarii pulueris fumo, qui velut atra nebula cælum abſconderat, coegitque nullo operæpretio retro ſe in gyrum referre. Nullum in conflictu leue peccatum eſt. Exiguæ ſæpe offenſiones reliqua in præceps trahunt. Receptus multis equitibus exitium attulit. Germani milites ex propinquo plumbeis eiaculatis igne globis multos è Gallico equitatu proſtrarunt ipſumq; adeo ſummum ducem. Sequebantur cataphractis proximi Heluetii & Vaſcones, in hos è munimentis egreſſi Hiſpani pedites eum impetum tulerunt: cui pares hoſtes non fuerunt, cæſi fuſique paſſim. Salernitanus & Amalfitanus, qui eo die in poſtrema acie curabant, promouerunt agmina ſi turbatis ſuis præſidio eſſent. Occurrit magnus Gonſaluus qua virtute quoq; vigore erat ſolitus. Singuli in ſui ducis oculis ſtrenue pugnabãt, ne ignauis q̃dem ceſſandi locus erat. Omnibus partibus ſternebãtur Gallicæ copiæ cæde promiſcua, multum locis omnibus effunditur ſanguinis. Hiſpano vrgente breui fuſa hoſtium agmina hærent in terga victores, inſequunturque victos cum magna fugientium ſtrage vſq; ad caſtra ſex millibus diſſita. Quæ & ipſa momento temporis capta ſunt cum epulis ad cœnam paratis opipare, quibus Hiſpani opus habebant, continuo eius diei labore fracti, & annonæ ante penuria preſſi. Copioſa ſpolia fuere aurum, argentum, multaque pretioſa veſtis, ſcyphi ſigillati, annuli gemmati, baccata monilia muliebrem cultũ æmulãtia.

Italię opes rapinis longo tempore accumulatę. Cædes minor quam pro victoria. nox & vicinæ ſyluæ effugium perculſis præſtiterunt. Pugna hæc nobiliſſima ad quartum kalendas Maii commiſſa eſt die Veneris. Cecidit inter alios in primo incurſu Namurſius ipſe dux; quem Gonſaluus Barlettæ ad D. Franciſci inſigni funere ſepeliri curauit, honos extincto debitus leue ſuperſtitibus ſolamen. Cecidere item Morconis Comes, Chandiuſque Heluetiis præfectus cum omnibus fere eius gentis centurionibus. Salernitanus Amalfitanusque & Lochiti Marchio acceptis in pugna vulneribus euaſere tamen fuga: Alegrius quoque, vti Namurſius erat vaticinatus. Metus pudore potentior. Gallica tormenta capta omnia & pleraque militaria ſigna. Quieuerunt ea nocte victores læti exultantesque. Die proximo Ciriniola portas aperuit præſidio ſe dedente ad victoris arbitrium. Idem trecenti milites fecerunt, qui ex fuga eius oppidi arcem tenuerant. Canuſium item infulas & velamenta ſupplicum prætendit inſignibus diſtincta Hiſpanicis. Præcipuam in ea pugna laudem omnium confeſſione tulerunt Hiſpani pedites; nam Germani præter grandinem globorum in cataphractos Gallos intio eiaculatam, in nullo deinde vſu fuerunt, alienæ pugnæ ſpectatores otioſi. Ante omnes ex Italis Dux Termenſtinus excelluit. Ex Hiſpanis Dieghus Mendoza, de quo magnus Gonſaluus, eo die, inquit, operatum vt ſuorum auotum ex ſanguine. Cæſis ſepultura data. inuentum è Gallorum copiis tria millia & trecentos cecidiſſe nihilominus. Ex Hiſpanis in pugna nouem tantum deſideratos, neque vllum magni nominis. Plures in itinere ſitis extinxit. Mille quin etiam & quingenti ad aquã in puteis quibuſdam forte repertam ſine mente fuſi ac ſine vllo ſenſu iacentes ad ordines vt redirent, adduci nulla arte potuerunt.

Quo ambiguo magis euentu pugnantibus inter ſe vtriſque copiis, lætior victoria inſigniorque extitit, victoribus fructus & gloria maior.

Libri vigeſimi ſeptimi Finis.

IO. MARIANÆ HISPANI, E SOCIETATE IESV,

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ,

LIBER XXVIII.

Vrbs Neapolis Hiſpano deditur. CAPVT I.



ARTA ad Ciriniolam victoria magna rerum immutatio facta eſt: ac fere vniuerſa prouincia ad victores inclinauit. Magnus Gonſaluus neq; victoria ſocors neq; inſolens factus haudquaquam remittere animum gnarus rebus ſecundis ſecuritatem ſuccedere: ex ea ruinam ſæpe infelicitatemque. Proſpera difficilius quam aduerſa tolerari. Ventis à puppi flantibus vigilanti gubernatore opus eſſe, neq; laborem curamq; remittẽti, priuſquam confecta nauigatione in optatũ portum nauim incolumem inferat. Eo amplius excitandam diligentiam ac fortunę inſtandum iudicare, quod die poſtero partæ ad Semenariã victorię captiq; Obenigni nuncium accepit, ſerius quidem aliquanto quam fuiſſet opus, quoniam ſe Ferdinandus Andradius Gonſalui imperio immunem exemtumq; ferebat, quippe Portocarrerii ſucceſſor. Quod dignitatis memor, oſor inſolentiæ Gonſaluus tulit ægerrime: atq; ita vt per litteras reditus in Hiſpaniã peteret à Rege facultatem. Sibi Andradium poteſtate exæquari non paſſurũ. imperii conditionem natura incõmunicabilem. Breui tamẽ venere mandata Andradio vt deſiſteret, Gonſaluo vti eius opera ad reliquam prouinciam ſubigendam bellum conficiendum vteretur: alæ cataphractorum præficeret. Sic intempeſtiuæ contentioni finis eſt impoſitus, & ad belli tamẽ reliquias ex ſententia finiẽdas geminę victorię fama multũ contulit: ex qua ſæpe bellorum ſucceſſus pendent. Proceres quoq; vt quiſque gratia & aucto-

auctoritate valebat plurimum. in varias partes dimissi Gallico studio rebelles docuerūt temeritatem fore exitialem, suo quemque furere malo, inanem sine viribus fore contumaciam. Ita breui Capitinata & Lucania ferme vniuersa sub imperium Hispanicum adiunctę sunt. Multa quinetiam oppida & proceres in Salernitano principatu in partes palam transierunt eadem fide consectantes Hispanum, qua fauerant Gallos. Eorum, qui è prælio euaserunt fuga, pleriq; in Campaniā concessere, Caietæ munitissimę vrbis præsidio sustentare destinantes, dum auxilia è Gallia aduenirent, & cætera bello instaurādo necessaria, de reliquis vrbibus diffisi. Insecutus iisdem vestigiis cum numero equitum Petrus Pacius, effecit, vt Capua nō deuia sublatis Hispanicis vexillis victoris fortunā sequeretur, & vt esset transitionis pretium, eorū ciuiū parte ad reliquam copiam adiuncta Galli cataphracti quinquaginta, quos nancisci potuerunt priusquam Caietam tenerent, obtruncati omnes sunt. Lochiti Marchio cum primum domum appulit, redacta quantam potuit ex re familiari pecunia, curatisq; vulneribus in pugna acceptis cum vxore Romam abiit ad auunculum Senensem Cardinalem in exilio toleraturus, dum melior spes affulgeret. Alii se proceres in varias vrbes receperunt: ac nominatim Alegrius & Salernitanus Amalfim initio tenuerunt: verùm oppidi munitione parū confisi, inde die proximo Neapolim festinarunt. Montelæ Comes, per cuius ditionem iter erat, victoribus fidem approbare cupiens euntes male mulctauit ex quingētis equitibus, quos secum ducebant, ducentis amplius qua cæsis qua captis. Ludouicus Arsius ex fuga Venusiam petiit oppidi arce confisus sustentare posse, quę erat firmissima. Locus propinquus. Ita cum copiis Gonsaluus actutum accurrit facturus operæpretium priusquā ducibus auctoritas militi fiducia rediret metu sedato. Ad Leonesam posuit castra oppidum Venusiæ & Amalfi finitimum: cum Amalfitano principe actum de deditione. Conuenit tandem, vti Amalfim victori traderet, in alio quopiam principatus oppido sustentare liberum esset, dum à Rege Catholico in gratiam reciperetur, iis legib. quas inter se sanxerant, superiores offensas melioribus officiis compensaturus. Sic ille pollicebatur, tametsi suspicio erat pro ingenii varietate, quorsum res Gallicæ euaderēt, expectare etiam velle, ex euentu cōsilium sumere, quippe Gallicis studiis inueteratus. Fabricius Columna, populiq; & Montorii Comites in Aprutium ire iussi sunt amicæ factioni præsidium, terror aduersariis, omnibus auctores vti Gallicæ amicitiæ præferrent Hispanicam. Villamarino maris præfecto cum triremibus aliisq; nauibus, quascumq; posset cōtrahere, Neapolim versus nauigare mandatum est, quo Gonsaluus festinare decreuerat. Ita consilio ipsum regni caput petendi prudenter suscepto, Beneuentum cum copiis abiit, inde Gaudelum. Ex eo oppido litteras ad Neapolitanos dedit insigni molestia humanitateq;. Omnia benignitatis & comitatis à se officia expectarent: Modo per ipsos liceret, daturum operam vt omnis militaris vis, omnis insolentia ab eorum finibus amoueretur. Incruentam immunemq; à malis nobilissimam vrbem conseruare, id vero votorum summam esse. Materæ Comes & senatus princeps vrbe egressi de fędere agere cæperunt. Eorū diligentia conscriptę honestæ conditiones, atq; vrbs dedita est magno militum dolore, qui prædam ex capta maluissent. Interea Venetiæ regulus vrbis in Armoricis sitę idē minor Labreti filius, cognita Galbrum clade Valentini Ducis, cui aduersus Vrsinos in agro Romano militabat, consensu, cum ducentis equitibus, peditum aliquanto numero Neapolim abiit rebus inclinatis subsidio futurus, Gallorum copiis adiunctus quæ ex Apulia, Brutiis Aprutioq; confluentibus gentis reliquiis ad Lirim amnem statiua habebant, neq; numero validę neq; animis. Iis ne se commouerent, quadringenti à Gonsaluo grauis armaturę equites Capuam ad Suessam obiecti erant. Nunc reliquas copias eo mittere decretum erat, mille modo retentis militibus, quem numerū arcibus Neapolitanis impugnandis idoneum fore existimabat. Restitere Hispani in spem erecti Neapolis diripiēdæ si qua se occasio daret. Facto species prętenta Gonsaluum pollicitum Neapoli debita stipendia daturum: vt se amplius ludibrio haberet, nō passuros. Motus militaris instar torrentis inflati est, obuia subuertit. Commotæ multitudini tantisper cedendum iudicans Gonsaluus Hispanos pedites secum Neapolim ducere commutato consilio edixit, equitibus modo & Germanis cohortibus iussum Suessam prçcedere propediem iisdem vestigiis secuturum. Pacato ad hunc modum militari tumultu Neapolim est inuectus ad septimum decimum kalendas Iunii triumphi persimili specie. Præibant Hispani milites sublatis Hispanię vexillis feroces in suas turmas distributi visendo ordine, vestium pretio cultuque certantes. Proceres, vrbanaq; nobilitas processit obuiam læto cultu vniuersi. Populus per agros & vias cum filiis & coniugibus effusus plausu & vocibus faustis personare. Sacerdotes cum infulis intrantem ac diui ipsi prope exciti sedibus suis exce-

perunt. Fortiſſimi ducis habitum vultumque cuncti cum admiratione notare: victos fuſoſque toties hoſtes ſine fine prædicare: victorias præſentes cũ ſuperioribus comparare Ferdinando & Friderico Neapolitanis Regibus eo adiutore & ductore partis: de cœlo lapſum videri maiorem conditione mortali. Pompa per plateas ducta, quibus Reges procedere moris erat cum regium inſigne infulaſque ſuſciperet, neque minori apparatu plauſuq;. Parietes periſtromata veſtiebant auro purpuraque fulgentia, pauimentum floribus ſtratum, odorum vbique ſuauitas: vrbe vniuerſa gratulatio feſtaque lętitia. Ii etiam, qui Gallicis partibus ſtuduerant prę aliis, vultu, qui maxime ſimulationi ſeruit, ad lętitiam compoſito, obſequii promptitudine cæteros ſuperare certabant, nouis officiis offenſas priores inducere. Vrbs Neapolis, vnde vniuerſo regno nomen, inter præcipuas Italiæ ciuitates numeratur copiis, amplitudine, numero ciuium & cultu, amœnitatis maritimæ terreſtriſq; cõmodis. Ad inferi maris littus ſita in montis latere ſeptentriones inter & ortum ſenſim aſſurgentis. Plateæ inſigni longitudine ad lineam directæ magnificis ædificiis regiarum adinſtar diſtinctæ. prouinciæ proceres magno numero in ea vrbe aſſueti maiorem anni partem traducere, certatim magnifica palatia conſtruunt ſtructuræ genere ſuperbo præcipua Salernitani Principis Grauinæque ducis. Sic factum vt nulla in vrbe plures proceres Comites Marchiones duceſque quam Neapoli numerentur. Cæli temperies inuitat. fertiliſſimus ager late ſpatiantibus campis ſerendis frugibus & vineis & alendo pecori bonus, affluenſque rerum omnium copia, horti irrigui præcipua gratia, quorum ex omni parte magnus numerus eſt in quincuncem diſpoſitis arboribus, herbarumque omne genus conſitis areis viridantes inſigni amęnitate. Vniuerſa ciuitas in quinque regiones tribuitur publicæ in ſingulis domus, quas ſedes vocant conuentibus ciuium ſeruientes de republica ſtatis temporibus conſultantium deq; annonæ copia. Templa, monaſteria, Xenodochia numeroſa præcipuaq; tota vrbe viſuntur magnifico ſingula ſtructuræ genere: in quibus quod ab Annuntiata Virgine nomen præfert pauperibus deſtinata domus maxime celebratur, quippe indies corrogata ſtipe ſupra quinquaginta millia aureorum expenſa fert quotannis. Męnia firma cingunt vrbem diſtincta ex ordine turribus aſpectu minacia, quatuorque nihilominus munita arcibus. In quibus principem locum obtinet, quod vulgo Caſtellum nouum vocatur, latum ſpatiis, munitum operibus prope molem in mare magnis cæmentis iactam portus adinſtar. Ad ſeptentriones Porta Capuana poſita eſt olim firmiſſima arx, nunc regiis iudiciis & tribunalibus deſignata ſedes. Caſtellum ab Ouo rupi eſt impoſitũ anguſtum quidem ſpatiis ſed mari omni ex parte circumfluo inacceſſum. Poſtremo quæ à ſancto Anhelmo nomen habet arx cæteris eminet, nouis hodie operibus munita præcipua elegantia. Ex his arcibus duæ in Gallarum poteſtate manebant dedita quamuis vrbe Caſtella tum Nouum tum ab Ouo dictum. Et hoc quidem natura loci munitum à paucis militibus tenebatur, Caſtellum Nouum quingenti Galli nihilominus tuebantur: Gonſaluus peracta pompa continuo adiuncto Ioanne Clauerio aliiſque nobilibus arcium earum ſitum cõſideraturus domo proceſſit, qua parte admoueri opera & impugnari poſſent. Neque mora Caſtello Nouo vis admota. tormentorum ictibus quaſſati muri: actis cuniculis ſubruti. Propugnabant obſeſſi pro extrema ſpe ſtrenue dimicantes ex omni Gallia lecta pubes. Cum claſſe Villamarinus ſeptimo die poſt Gonſaluum ad eã vrbem appulſus, in ancoris ſtetit commeatum ne ad obſeſſos inferretur prohibere contendens. Inter hęc Romę Pontifex pridie kalendas Iunii nouis Cardinalibus ſenatum ſuppleuit. Atq; è nouem quos vna creatione donauit purpura, quinq; omnino Valentini homines erant, pro virtutibus cõmunis patria. Ab Hiſpanis obſeſſi intra arces Galli premebantur mari terraq;: ac poſt varios incurſus vi tandem capta arx atq; à militibus direpta eſt pridie Idus Iunii. Ioannes Pelagius Berrius ciuis Giennenſis idem è familia Gonſalui primus irrupit. id vero propius: tametſi multi deinde eam ſibi laudem arrogarunt, torpor quidã aduerſarios occupauit ni ſupremo conatu irrumpentibus reſiſterent. Impugnatæ arcis præcipua laus penes duos duces ſtetit. Petrum Nauarrũ agendi ex arce cuniculos dexteritate mirabili, & Numium Ocampum cui nauatæ operę merces fuit captæ arcis præfectura. ne alii quidem ſua laude præmiis fraudati. Inter alios vinctos in ea arce repertus eſt Hugo Rugerius Pallaſius Comes Regi Catholico & Ioanni eius patri ſupra quadraginta annos rebellis infenſuſq;. Is in Hiſpaniam miſſus Sedabi in agro Valentino lege maieſtatis vinculorum & vitæ eundem finem habuit. Gallicæ & Genuenſes naues Caieta opitulatum miſſæ fuerant obſeſſis Neapoli arcibus ſerum rebus perditis auxilium: tametſi obſidio ſupra vnum & viginti dies tenuerat. Maior terror à Gallica claſſe inſtabat, quinq; triremes, ſex onerarias, minora nauigia multo plura aduentare fama erat, in vindictam

dictam ardenti studio, quando tueri arces integrum non fuerat. Villamarinus vt par esset tanto apparatui veritus in AEnariç portum suam intulit classem. Ea obiecta munitione hostilis classis impetum elusit ad impugnandum festinantis. In quo Vasti Marchionis in ea insula vsque dum morantis fides & virtus enituit vna maxime, tum classe tum vniuersa insula egregie defensa. Oui castellum supererat quod dum caperetur Gonsaluo expectare longum erat. Ergo ea cura Petro Nauarro & Numio Ocampo demandata ex vrbe discessit. Illi in proximo littore tormentis dispositis, cymbis arci succedunt. Coniectos superius ignes & lapides ab obsessis coria, quib. tegebantur cymbæ, respuebant, tormentorum vsum propinquitas ademerat. Vectibus perforata rupe & sulphurei pulueris cadis iniecto igne euersa turris est, tormentis è terra maior præsidii pars cæsa. Viginti, qui supererant, vnam salutem pacti dedentium arces solennia verba nuncuparunt. Captę arcis custodia Lupo Arriarano concredita est impigro viro in reliqua vita, sed & in ea obsidione industriæ & virtutis notæ. Sic vrbs Neapolis vniuersa nulla eius parte à Gallis retenta in Hispanorum potestatem venit magna in pręsenti lętitia, maiori in futurum spe. A Fabricio quoque Columna septingentorum militum ope, quos Roma Franciscus Rogius subsidio miserat, Aquila vrbs vi capta est in Pelignis Aprutii caput atque eo exemplo metuque reliqua prouincia mox victoribus cessit. Fracasius Sanseuerinus & Hieronymus Goliofius Andegauensium in ciuitate princeps euaserunt in Pontificiæ ditionis proximos fines dilapsi fuga felici; quippe hostis aduersus pericula ferox vigiliis parum erat intentus.

Caietæ obsidio. CAPVT II.

DIscessit Neapoli Gonsaluus ad quartum decimum kalendas Iulii Germani fanum versus, Gallis obsistere cogitans vltra Lirim statiua habentibus neque magna neq; nulla spe pristinæ fortunæ: simul oppida quędam eo tractu subigere cupiebat Gallicarum profecto partium. Atellam seu Auersam ex itinere Capuamque ciuium rogatu adiit. Omnibus officiis venientem colere Hispano nomini quantopere essent addicti ostendere ciues cupiebant scilicet ex animo an tempori seruientes. Sed maiora tamen, quam erant polliciti præstiterunt susceptæ beneuolentiæ argumenta. Garsias Paredius & Christophorus Zamudius eximii copiarum ductores cum mille & quingentis militibus præmissi sancti Germani oppidum arcemque impugnare pergebant. Aduentu Gonsalui incolæ deditionem fecere. Cassinatem arcem locis finitimam obtinens Petrus Mediceus cum valida Gallorum manu obsessis opitulari ausus nō est. quin desperata defensione, si eo Hispani ire pergerent raptim profectus tuendi oppidi & monasterii celeberrimi fama curam ducentis militibus reliquit. Illi Hispanis Gonsaluoque vim veriti intra dies duodecim eam arcem tradituros, nisi à Gallis idonea eo spatio auxilia venirent sunt polliciti. longum erat tandiu assidere obsessis. Ita illi violata pactione tantisper in Gallica fide perstitere. Alia parte à Magno Gonsaluo Roca Guillelma, & Traiectum Liri præterfluente oppidum, aliæque circum arces ad ditionem subiunctæ sunt: præterea Castellonium & Mola Caietæ vicina oppida, quorum alterum Ciceronis Formianum fuisse olim eruditi persuadent. Caieta supererat & sua munitione vrbs & militum numero expugnatu plane difficilis. Sed nihil est virtuti constantięque inaccessum. Ad eam Gonsaluus ipsis kalendis Iulii copias admouit positis iuxta castris impugnaturus scilicet. Ea vrbs circulo fermè vniuersa alluitur mari, eoque firmissima vno tantum à terra aditu angusto atq; arduo relicto. Mons Orlandus imminet vrbanis ędificiis arduus item ascensu & Gallicis in eo tormentis constitutis ignes obsidentibus exitiales euomebat, propius vt accedere sine periculo non liceret. Quatuor millia & quingenti intus milites erant: in hoc numero equites mille quingenti qui ex omnibus partibus ad sustentandum extremā spem eo confluxerant, si qua se via daret recuperandi opes amissas. Quod pcipuum erat, maris imperiū tenebātHispanica classe Gallicę impari. Sic neq; auxiliis obsessi neq; cōmeatu prohiberi poterant. Villamarinus quidē ad ea littora cū triremib. accurrit, si existeret occasio rei bene gerēdæ, sed virib. impar parū profecit. Gōsaluus bellica maiora tormenta, quę Neapoli reliquerat, deuehi iussit. Iis Orlandi montem impugnare votum erat, vnde in subiecta nostrorum castra, ex propinquo apertoque displodebantur globi cum multorum sæpe strage miserabili. Periit in eo numero Hugo Cardonius dux impiger, neque nobilitate maior quam scientia pugnandi. Annonæ angustia obsessos premebat, farinæ maxima nullis molis frumentariis. Ad octauum Idus Augusti commeatus affatim mille & quingentos auxiliares milites duæ

onerariæ, roſtratæ maiores quatuor intulerunt, prętereà triremes aliquot quibus Saluſcius Marchio vehebatur in locum Namurſii ſummus copiarum à Gallo dux deſignatus. Ingens obſeſſis gaudium, neque leuis ſpes poſſe rem Gallicam iis opibus reſtitui. Ita diſploſis eodem die ex Orlando monte tormentis Rabaſtenus Germanorum tribunus globo haudquaquam in ſpem tantæ rei miſſo periit. Nouo incommodo inductus Gonſaluus die poſtero copias Caſtellonium reduxit amæno ſalubrique cęlo oppidum, atque extra globi iactum. Multis diebus conſumptis nullum tamen operæpretium extitit. neque enim vrbem inuadere licebat, quamuis magna muri parte ab Hiſpanicis tormentis ſtrata: quoniam obſeſſi diruta magna diligentia munierant. Neque præſidiarii erumpebant ad conſerendum manus. Quo die tamen noſtrę copiæ reducebantur Caſtellonium duo millia & quingenti milites portis egreſſi poſtremum diſcedentium agmen carpere, vbi Germani erant. Ceſſere illi ſenſim, aſtu Gallos ex anguſtis locis in apertum pellicere cupientes. In deluſos fraude exultantesque quadringenti Hiſpani repente conuerſi eo impetu, quem illi non tulerunt, tergis fugientium hæſere, neque ceſſerunt priuſquam ad Caietæ portas ventum eſt. ducentos è Gallorum numero in fuga cęſos Hiſpani victores in reditu nullo prohibente ſpoliarunt armis indumentiſque. Caietæ obſidio ducebatur: ſimul vtraque gens in bellicos apparatus vndique conquirendos pro virili diſtricta erat. Ac præſertim à Rege Gallo Caietanis auxilia decreta Tramullio duce, ſexcenti cataphracti equites, Heluetii ad octo millia, præter Gallorum millia quatuor mari ad varios Liguriæ & Hetrurię portus appulſa. Parma vrbs deſignata, quo copiæ omnes conuenirent. Ferrarię dux, Mantuanus Marchio, aliique Itali proceres pręſto fuerunt in ſtudium rei Gallicæ ſubleuandæ vehementer inflammati. Regii prætereà in Gallia Scrinii magiſter Ambianenſiſque Pręfectus, qui prælio ad Cirinio-lam facto interfuit Caieta ROMAM profecti expeditionem vrgere non ceſſabant belli duces vt feſtinarent vrgentes. Mantuano perſuadere plerique nitebantur, vt Tramullio ſocius eius belli curam ſuſciperet. Abnuere is initio Laurentii Suarii diligentia & auctoritate cautior: qui Mantuano per litteras & Venetis aſſiduus, vt Hiſpanorum potius partes vtrique in eo diſcrimine palam amplecterentur; auctor erat incitatorque priuatis id rationibus ſalutare fore vniuerſæ Italię commodum ſi pro virili parte Gallicos ſpiritus frænarent. Cunctabantur Veneti, fluctuabat Mantuanus. Cognito tamen Tramullium valetudine impediri ne vlterius progrederetur, quaſi riuali ſublato REGI Gallo obſequium detulit. E contrario à REGE Catholico ſex triremes, & in iis aliquanta pecunia in ſtipendium miſſæ duce eius claſſis RAYMUNDO Cardonio. Sed neque iis quamuis triremibus ad alias Hiſpanicas adiunctis vniuerſa claſſis Gallicę par erat triginta maiora minoraque nauigia nihilominus numeranti. Gonſaluus item omni ope Vrſinos ROMæ factioſam familiam viris & armis validam in partes trahere ſatagebat. Conatus inanis non fuit. Gentis princeps Pitilianus Comes vltro offerebat, honeſtis modo conditionibus tranſitione facta cum quadringentis equitibus in caſtra venturum. Conuenit tandem pactione facta vt Bartholomæus Liuianus Vrſinorum dux eſſet ardenti ingenio vir inquieto tamen, ipſaque fortunæ inter aduerſa & proſpera conſequenti tempore in bellis Italię, quibus interfuit alterantis varietate mirabilis, manu quam conſilio melior. Vt Cæſar in Inſubres irrueret Gallorum audacia fręnanda agebatur ſerio in bellicos ſumptus ingenti oblata pecunia ſcilicet. Simul à Pontifice contendebant rei Hiſpanicę patrocinium ſuſciperet eo tempore ad neutros aperte inclinante, memoria perſonæ quam gerebat, an ex euentu conſilium ſumpturus. Valentini ingenium id erat, vt haud tuto eius conſtantię fideretur in omnes ſe partes vertere ſoliti, vnde melior affulgeret ſpes nulla famæ nulla ęquitatis cura. Verum has omnes molitiones Pontificis mors inopina diſturbauit ad quintum decimum kalendas Septembris ſubſecuta noxio veneno corruptis vitalibus; eo quod Valentinus in hortis apud Hadrianum Cornetum Cardinalem cum Pontifice cænaturus diluerat in exitium quorundam Cardinalium quos ad cænam inuitarat. Deus ſcelerum vindex quam parabat fraudem, in eius caput & exitium conuertit. Mutatis per imprudentiam à miniſtro lagenis epotum auide propter æſtus graues vinum medicatum, atque venis intimis diffuſum Pontificem & Hadrianum Cardinalem propter ætatem extinxit quamuis omnibus fruſtra tentatis remediis. Valentinus felicior iuuētæ vigore adiutus & opportunis medicamētis euaſit. recens exenteratę mulæ vtero incluſum calor imprimis iuuiſſe fertur. Morbus tamen ex eo diuturnus importunuſque rationes eius vehementer afflixit, euertit male fundatas ſpes. Is exitus fuit Alexandri Pontificis paulo ante vniuerſum orbem terrentis, an verius morum prauitate & vitæ licentia offendentis. tutelam

cæte-

cæremoniarum geſſerat annis vndecim. Multa de eius vita tum fama quę nulli parcat, tùm de ſcripto proditę ſunt, vero an ex inuidia haud facile dixerim, omnia conficta temere fuiſſe non arbitror. Pontificis certe obitu multi ad nouas ſpes erecti, variæ molitiones extitere, in quibus maiorem fiduciam adipiſcendi honoris ſupremi quam in virtutibus eo loco idoneis repoſuere quidam. Sic erant tempora moresque. iiſdem diebus in Heduis ad Matiſconem Fridericus Rex cum Gallo eſt collocutus. Benigne accepto reſtitutionis iniecta eſt ſpes. Eo maior quod à Rege Catholico eadem pacis faciendæ via tentabatur: verba pulchra rebus ad extremum vacua. colluſio viſa, & vterque princeps præuaricator. Sic miſeris vbique deluditur. Friderici à commentariis Actius Syncerius Sanazarius inſignis vates fuit exilii indiuiduus comes. Hic & Iouianus Pontanus ſuperioribus Regibus Neapolitanis item à ſecretis multa in Alexandrum Pontificem fortaſſis ſupra verum effudere certe ſtomachi plena conuitia. Abs Rege Gallo Sanazarii ingenio & eruditioni multi honores habiti ſunt: eoque agente exuli in patriam reſtituto bona poſt malum reddita ſunt ſatis ampla, ne datam hero fidem falleret relicta, eo indignior calamitate maloque.

Salſulæ arx à Gallis obſeſſa.

CAPVT III.

Bellici terrores ex Gallia oſtentati, atroxque tempeſtas imminere viſa eſt. Copiis ex vniuerſo Gallico imperio Narbonem confluentib. finitimi Ruſcinonenſes ne vexarentur belli flamma eo tractu excitata ſcilicet verebantur noſtri. Ea cura Rex Catholicus Barcinonem acceſſit, ex propinquo, quæ bello defendendo neceſſaria erant comparatum. Simul ingenti delectu ex vniuerſo imperio colligebat copias. Fridericus Albanus dux iis limitibus cum poteſtate pręfectus. Non deerant qui conſulerent, vt vltro Gallicis finibus illato bello hoſtiles conatus occuparet: ad tuendam nominis exiſtimationem id maxime pertinere, ſi audacię & virium tantum ſuppetere crederetur, vt hoſtes vltro laceſſeret. De Vaſconibus non minor quam antea cura erat, iis Regibus nomini Gallico vehementer addictis, atque ita vt Regis eius minor frater Venetię in Armoricis regulus ad Neapolim Gallicas partes palam ſequeretur, Lubretum vtriuſque patrem Aquitanię præficerent ad Hiſpaniæ nimirum limites ea parte inuadendos idoneum opibus & auctoritate. Ad hæc Luſſę regulus ex Gallia in Anſi vallem Aragoniæ ditionis partem irrumpere parabat: atque in ea Virduni arcem occupare: irrita molitio niſi per Vaſconum fines Roncalenſeſque adeo daretur tranſitus. His ſuſpicionibus detergendis ii Reges intenti Magdalenam filiam quaſi fidei obſidem in aula Iſabellæ Reginæ educandam dederant, vti eſt ſuperius indicatum. Minoris iam pretii id pignus erat prole maſcula nuper iis Regibus nata in ſpem paterni regni, cui Henrico nomen fuit, vita moleſtiis obnoxia, ac ne longæua quidem. Iſabella Regina de bello ſolicita Madriti, vbi morabatur, equitum Magiſtro, ducique Anagari mandauit ad ipſorum ſubditos propriosque milites adiunctis quingentis equitibus quos ipſa miſit, ad Vaſconum fines accederent. Ioannes item Ribera ei limiti à ſuperiori tempore præfectus nihil de ſua comparatione omittere, certus ex Gallia imminere Hiſpanię finibus tempeſtatem. Vanæ ſuperſtitiones non fuerunt. Gallis enim inſano delectu omnibus regni ampliſſimi viribus contractis in Ruſcinonenſes irrumpere decreuit ferox oppidis, agris, hominibus vaſtitatē parans, Hiſpanos haud pares futuros ratus validis copiis in quib. viginti millia milites numerabātur, qua tyrones, qua veterani, pręcipuū robur decem peditum millia, mille equites, numerus alii ad terrorem comparatus. Multi proceres aderant genere & factis nobiliſſimi. Militaris imperii ac totius expeditionis ſumma penes Britanniæ Mareſcalum erat, qui Latine Caſtrorum metator dicitur: Collectis iis copiis Auguſti fine ad Palmam agri Ruſcinonenſis pagum caſtra promouit. Eo in loco aliquot diebus conſumptis dum vires omnes & impedimenta conueniunt ad Salſulas arcem progreſſi ſunt per montes pedites, equites per plana, locis idoneis ex interuallo pręſidia toto itinere relicta, ne commeatus ex Gallia facultas ab Hiſpano interciperetur. Sabbatho ad ſextum decimum kalendas Octobris ad Salſulas munierunt caſtra eam arcem impugnandi certa voluntate. Albanus Perpinianum vicinum municipium peruenerat mille expeditos, quingentos grauis armaturæ equites, pedites ad ſex millia ſub ſignis trahens. Quantulæ vires eæ erant cū Gallicis cōparatæ? Albani tamen aduentu Sanctius Caſtellæ Ruſcinonenſi limiti

antea præfectus Salſulas eſt ingreſſus obſidionis fortunam cum cæteris ſubire paratus. Egreſſi Hiſpani milites ducis iuſſu ſunt hoſtium caſtra ſpeculatum, & ſi qua ſe daret occaſio pugnandi voluntate. Cum robore exercitus dux ipſe Perpiniano relicta ſupra Salſulas ſupraque Gallica caſtra ad Ribas altas conſtitit ab hoſtium incurſu tutus locorum aſperitate acceſſum prohibente & in omnem occaſionem intentus aut inuadendi hoſtes, aut obſeſſos ſubleuandi. Quin Gallos ad pugnam prouocare non eſt veritus miſſo fęciali: audax facinus in ea militum paucitate, niſi loci, in quo erat munitio animos feciſſet, & ab iniuria tutum pręſtaret. Quo tempore Galli ad Salſulas caſtra propius promouerunt aggere & foſſa circundata in apparatum eius arcis impugnandę incumbentes, Romæ Cardinales intra conclaue more inſtituto clauſi de ſufficiendo in Alexandri locum Pontifice diſceptabant. Multi honorem expetebant, maiorē in ambitu ſpem q̃ in vitæ probitate & modeſtia reponentes. Prę cæteris Rhotomagēſis Cardinalis ſe oſtentabat, Gallici exercitus fauore fretus Romam contendentis: opeque Aragonii & Aſcanii Cardinalium, quos ſecum ex Gallia adduxerat ambitionis adiutores ſcilicet pręclaros. Reſiſtebat Iulianus Ruuereus Cardinalis alioqui Gallico nomini ad inſaniam addictus, ſed in Pontificatus petitione neminem præferri ſibi patiens. Bernardinum profecto Caruaialium Magnus Gonſaluus ſubleuabat parta de Gallis victoria multisque ex eo adiunctis amicis validus in quamcunque ſe partem dediſſet: quo ſtudio vt Ioannes Columna Cardinalis ex Sicilia, vbi Alexandri Pontificis metu in familiam graſſantis ſe eatenus tenuerat, ad comitia feſtinaret gratia & auctoritate & ope effecit. Simul Romam cum militari manu è caſtris Proſperum Columnam & Dieghum Mendozam dimiſit. Facto ſpecies prætenta ne vis afferretur Patribus aliqua Gallorum aduentu: vnde noui motus exiſterent maioraque mala. Importunis contentionibus trahebatur tempus: magnique erant comitiorum æſtus. Nihil tamen tres candidati ſua diligentia profecerunt, Neapolitanus quidem Cardinalis ſpe ambitione tribus ſed ex interuallo proximus. Decretum à Patribus conſenſu ante electionem, vt quicunque confectis ſuffragiis Pontifex renunciaretur, intra biennium proximum Epiſcopos in conuentum generalem cogeret: quod repeteretur deinde inſtitutum ſingulis tribus annis lege in omne tempus lata. Superioris temporis licentiam frænare, ſanare reip. vulnera erat Patribus propoſitum; orbi vniuerſo id expetenti ſatisfacere. In eam ſententiam cunctis, qui aderant, ſacramento adactis poſt quinque & triginta dies maior collegii pars Senenſem Cardinalem Franciſcum Picolomineum Pontificem iuſſit vitæ innocentia & inculpatis moribus promeritum vt cæteris præeſſet, idoneum viſum, per quem proximi Pontificatus vitia & vulnera multa & fœda ſanarentur. Ad decimum kalendas Octobris ea nominatio facta eſt. In ipſo nihil tumidum, arrogans, aut in rebus nouis nouum fuit, ea erat modeſtia. Pii tertii nomen deſumpſit, Pii ſecundi auunculi grati Pontificatus inſtaurata in eo memoria. Ardebat cupiditate eccleſiæ mores aſtringendi acriori cenſura, ac præſertim vrbis Romę & curię totius tetrum odorem amouendi: idque conſilium in quodam Patrum conuentu priuſquam ſuſciperet diadema palam expoſuit, ac vero Epiſcopos ex toto orbe in conuentum vt cogeret nolle biennium expectare, ſed rumpere continuo moras fixum animo eſſe. Numina orbis Chriſtiani ſceleribus irritata talem ac tantum Pontificem inuiderunt, ſæua & importuna mors pręclaros noui Pontificis conatus diſturbauit ſexto & vigeſimo die ex quo fuerat in Petri ſede collocatus. Admixtus gaudio mœror electione atque obitu non vna omnibus via. Saniores lapſum de cęlo Pontificem iudicare, atque in eo numero Rex Catholicus. quidam ſecus exiſtimare, pars ſuperioris tēporis licentiam amantes, cautiores verebantur ne Italiam turbaret, Gallorum patrocinio ſuſcepto, quibus Lochiti Marchio erat cum primis addictus eius ex ſorore natus. Id cum multis Magnus Gonſaluus quoque metuebat à multo rerum vſu cautior, mentis humanæ altos eſſe receſſus cogitans, mores ſæpe in ſuprema rerum omnium poteſtate mutari raro in melius neminem cupiditate vacare, paucos ſibi acriter imperare. ſeque ętate præſertim pręcipiti retexere. Parum in his comitiis Valentinus præſtitit, quippe ex aduerſa epoti veneni valetudine lecto affixus. Quæ res Romanæ quoque nobilitati bonis euerſæ iniuria prioris temporis opportunitatem prębuit ablata recipiendi. Veneti rebus turbatis promiſcuam odorati prædam accurrentesque vrbes aliquot in Flaminia occuparunt ex alienis incommodis vtique creſcere ſoliti, ex finitimorum calamitate & iniuria fines imperii proferre. Sic in Valentini fide Forliuii & Arimini arces fere eo tractu tantum perſtiterunt: momentoque temporis dilapſa ſunt, quæ male quęſita fuerant; ludibrio habitus qui paulo ante terror vniuerſę Italiæ erat.

Hos

Hos ludos fortuna ſeu vis ſuperior facit, has vices mutat. Ipſa quin oppida & vrbes talem indignatæ dominum extemplo abrupere frænos: maleque cohærentis compages imperii multas repente in partes ac veluti in fragmenta diſſiluit.

Salſularum obſidio ſoluitur. CAP. IIII.

GAlli ſupremo conatu actis occulte cuniculis, tormentorumque ictibus quaſſatis Salſularum mœnibus præcipuę turris partem. Propugnaculumque ſtrauerunt recentis ſtructurę neque plane perfectum opus. Eo patefacto aditu muro ſuccedere non dubitarunt muſculis tecti vectibus conuellere lapides quibus fundamenta continebantur. Magnum in periculum res erat adducta. In ea anguſtia obſeſſi propugnaculum illud, quoniam defendere non licebat, deſerere decreuerunt, in ſubterraneis tamen cameris ſuppoſito tormentario puluere; quo incenſo concipienteque flammas ſuperſtans area in ſublime ſublata diſſiluit magna cum Gallorum ſtrage, qui magno numero conſcenderant per rudera quaſi victoria explorata. Quadringenti amplius periere quidam ambuſti flammis, aut diſcerptis membris ex alto præcipites, aut ruinis accumulati, pars ab iis cæſi, qui ex arce repente eruperunt. Confluentibus in dies militibus Albani augebatur exercitus: atque ita vt quadringenti cataphracti eſſent, mille & quingenti expediti equites, pedites ad decem millia. His fretus copiis ad quintum Nonas Octobris die Veneris ad Gallica caſtra ſucceſſit propius: neque reduxit militem ante ſolis occaſum. Pugnam detrectarunt Galli, quos tamen ſe intra munimenra tenentes diſploſis noſtri tormentis nonnullo illato damno maiori aliquanto ignominia mulctarunt. Ferdinãdus Rex ad Gerundã auxiliares copias è Caſtella feſtinantes morabatur, haud minori numero, quam quæ ad Perpinianum erant, & melius armatas. His adiunctis copiis Gallos ſi pugnam recuſarent, intra caſtra vallumque impugnare certum erat. Claſſis quæ tutaretur ea littora comparata duce Stopignano nondum appulerat turbato mari aduerſis ventorum flatibus prohibita. Hiſpanicis triremibus in bellum Gallicum intentis decem & nouem biremes Mauricæ Valentinam & Granatenſem oram igne & direptionibus vexarant. Impune fore licentiam credebant. Martinus tamen Galindus Granatenſibus littoribus tutandis præfectus cum iis ad Carthaginem nouam commiſſa pugna piraticas omnes biremes aut cepit aut ſubmerſit; prorſus vt ne vna quidem eam cladem euaſerit. Eo nuncio lætus Rex quaſi pręclaro omine ad belli totius ſummam Gerunda cum Caſtellæ copiis profectus Perpinianum appulit ad quartum decimum kalendas Nouembris die Iouis. In magnum diſcrimen obſeſſorum ſalus venerat, niſi continuo operæpretium exiſteret. Miſſa manu militari, quæ ab hoſtium tergo itinera verſus Galliam locis idoneis inſideret: cum cæteris copiis continuo Gallica impetere ſtatiua viſum eſt. Id vt cum maiori fructu certiorique victoriæ ſpe fieret, quo die Rex caſtra contulit caſtris ligneam turrim ab hoſtibus in vicina palude multis ſublatam tabulatis, ne videlicet commeatus ex Gallia facultas interciperetur, impugnare ſine mora eſt aggreſſus. Capta turris, Regis aduentus, pugnandi decretum terruit vehementer Gallos. Ipſa nocte ne conclamatis quidem vaſis quo profectio occultior eſſet, tormentis via militari Narbonem præmiſſis relictaque pre feſtinatione impedimentorum bellicique inſtrumenti parte ſilentio mouerunt caſtra. Et quidem initio in planiciem flexo itinere quaſi pugnam appeterent, continuo quaſi mutato cõſilio Narbonem verſus diſceſſerunt. Aragonii & Catalauni equites abeuntium hæſere tergis poſtremo agmini graues imprimis. Quem hoſtes impetum non ferentes tormentorum, belli partem apparatus, tentoriaque non pauca, quæ deferebant ſecum deſerere ſunt coacti, fugientibus quam cedentibus propiores, quamuis ſeruatis ordinibus. Cum robore exercitus ſubſequebatur Rex pugnæ auidus. Magnam eo die cladem Galli accepiſſent, niſi itineris feſtinatione propinquoque perfugio hoſtium aduentum & conatus occupaſſent. Rex quoniam abeuntes inſequi non licuit, in Galliæ fines vaſtabundus irrumpit, hominum & pecudum actę prædæ: Leucata aliaque ignobilia oppida eo tractu de hoſtibus capta. Inter hæc Oliſipone Rege Luſitano Iſabella filia nata eſt ad nonum kalendas Nouembris: cui cælum orbis Chriſtiani imperium deſtinabat cum Caroli quinti coniugio, filium Philippum adiecta Luſitania matris iure Hiſpanię vniuerſę Regem. Venere paulo poſt ex Gallia oratores: quorum opera induciæ quinque menſium inter duos Reges atq; vtramq; gentem pactę ſunt, excepto Neapolitano tantum bello. Is finis nobiliſſimæ expeditionis fuit: ad cuius famam orbis Chriſtianus vniuerſus ſuſpenſus tenebatur quem

ſucceſſum habitura eſſet. Limiti præfectus tamen Bernardus Rogius Dianii Marchio, adiunctis mille cataphractis, bis mille expeditis equitibus, tribus peditum millibus ad omnes caſus paratum preſidium. Obſeſſæ item arcis cura Dimæ Requeſenio eſt commiſſa credita. Rebus ad hunc modum compoſitis Barcinonem Rex rediit. Inde Michaelem Ioannem Grallam & Antonium Auguſtinum legauit ad Gallum, vti in fędere recens icto erat cautum. addita mandata vt controuerſias de regno Neapolitano pactione aliqua finirent. Catholicum Regem ea contentio ſolicitum habebat, tum propter Gallicas copias eo feſtinantes, tum maxime Pii tertii Pontificis morte nunciata electioneque in eius locum Iuliani Ruuerei Cardinalis qui in Pontificatu Iulii ſecundi nomen edidit. ardens eius ingenium timebatur Gallicis addictum partibus. Ad conciliandas Patrum voluntates, eorum quos legerat in ſenatum Alexander Pontifex multum Valentinus contulit, odio enimuero Bernardini Caruaialii, cui collegii partem fauere erat exploratum. Iiſdem diebus Philippus Princeps ex Allobrogibus, vbi eatenus hæſerat, in Germaniam diſceſſit patrem inuiſurus. Filio is auctor extitit, ne pacem cum Gallo paulo ante pactam violari à ſocero ægre ferret multis obnoxiam incommodis docens. Pollicebatur quinetiam ſi pecunia ſuppeditaretur ab Hiſpano, irrupturum ſe in Italiam qua parte Inſubres late fuſi ſunt. Quod Ioannes Emanuel, & Gutetrius Fuenſalida pro Rege Catholico in germania legati perſuadere enixe conabantur. Rex Ferdinandus magnificis promiſſis quantum eſſet credendum non ſatis ſtatuebat Cæſaris ingenium varium & inconſtans expertus; ad omnem fortunæ curſum vt erat cautus & ſagax maius in pecunia ſua quam in alienis viribus pręſidium certiorem ſpem collocans. Tempus his molitionibus nullo emolumento extrahebatur. In Ioanna filia turbatæ mentis certe per interualla vacillantis haud obſcura argumenta viſebantur, quod parentibus vt par erat, moleſtiſſimum accidit: ac vero ea res felicitatis reliquæ lucem vel maxime obſcurauit. Sic ſunt res humanę: ea conditione viuimus, nulli ſyncera lætitia datur. Ad virum feſtinare cupienti mora omnis grauis erat. Mulcebat prudens mater ægrum filiæ animum, aliam ex alia moræ cauſam excuſare, clauſum mare aduerſo anni tempore ſæuis procellis. Nullis conſiliis ardor animi placabatur. Sic die quodam in rabiem acta è Medinę Campeſtris arce, vbi ſe tenebat, pedibus proficiſci in Belgas tentauit; quibus comitibus? quo vię ſubſidio? furor agebat præcipitem. Furenti quamuis manus iniicere maieſtas vetabat. Sublicium tantum pontem ſuſtulere cuſtodes. Ita egrediendi facultate prohibita ad arcis portas ſubſtitit, in vicina culina cibum ſomnumque capiens neque frigoris, quod ſæuiebat in ea regione eoque anni tempore maxime, neq; aeris nocturni iniuriis cedens. Ac ne vinci quidem potuit Ioannis Fonſecę Cordubenſis Epiſcopi, qui ei aſſiduus erat, precibus, ne auctoritate quidem Toletani Archiepiſcopi qui ad rei famam ſuperuenerat, vti ad priora cubicula rediret, ſaluti conſuleret in periculum adductę. Regina mater ad eius rei famam quamuis afflicta vehementer valetudine Segobia accurrens filiæ vt reſiſteret pro auctoritate materna perſuaſit. Simul vt eam placaret claſſem ad Lauretanum portum inſtrui mandauit, qua cum primum ſe anni tempus vernum aperuiſſet ad virum nauigaret in Belgas tandem reducem multis menſibus in gallia & apud Allobroges conſumptis exigua vxoris cura.

Bis ad Lirim victi Galli. CAPVT V.

IN Italia gallicę copię Neapolim verſus contendebant. Lentum iter erat neque ſolita militum alacritas quaſi tacita diuinatio imminentis mali. Florentiam Senamque nullo prohibente tenuerunt ductore Mantuano. Tramullius febri quartana impeditus retro ſubſtitit, cum copiarum tamen parte ex interuallo ſecuturus. Iactatione itineris & propter anni tempus ingraueſcẽte valetudine Romæ hæſit belli cura abiecta. Aditu eius vrbis prohibitus gallicus exercitus per pontem Miluium duum modo millium ſpatio diſſitum, Tiberim traiicere permiſſus ad Neapolitanos fines prope accedebat. Cõmotus ea re gõſaluus ancipiti cura anxius erat. Caietã obſidione vrgere pſeueraret; iretve potius obuiam gallicis copiis in obſeſſorum auxilium feſtinantibus. Multa apud animum ſuum cogitanti Roma magnum in periculo ad victoriam momentum, duo millia pedites venerunt centum expediti equites: quos Franciſcus Rogius ſuprema diligentia ex Hiſpanis germanis Italiſque tumultuario delectu collegerat, præter ducentos alios germanos & quingentos Italos, quos propediem ſe ſubſidio miſſurum, ac iam in procinctu eſſe ſignificabat. Ductor Hugo Moncada ſtudio in iis anguſtiis operam fidemque ſuo Regi probandi honeſtam conditionẽ reliquerat, quã à Valentino centum cata-

cataphractis pręfectus obtinebat. Commodissime id auxilium accidit: atque eo amplius quod Salsularum obsidio impediebat, ne ex Hispania milite aut pecunia partes iuuarentur. Nouis copiis auctus Gōsaluus cum hoste confligere statuit. Ergo cum primum Gallos Romam præteruectos esse, atque ad fines Neapolitanos accedere cognouit, Castellonio continuo cum copiis omnibus mouit, si hostes pręlio superasset ratus Caietam haud dubie in victoriæ partem accessuram. Primis castris ad Liris ripam peruentum. Eo loco Petro Pacio relicto, qui transitu fluminis Gallos prohiberet, ponti lapideo impositus custos cum valida militum manu, ipse vlterius progressus ad Germani fanum castra posuit. Gallicæ copiæ ad Pontecoruum erant ditionis Pontificiæ oppidum ad Liris ripam patentibus campis sex modo inde passuum millibus. Mille cataphractos bis mille expeditos equites, nouem millia pedites maiori ex parte Italos habere Gallos fama nunciabat. Maiora minoraque tormenta ignea triginta sex. Præcessit cum Hispani exercitus parte Petrus Nauarrus Cassinatem arcem occupatum vsque dum Gallico præsidio nomineque detentam. Nec mora arx illa vi expugnata Hispano cessit ferme in oculis Gallici exercitus, suis opem ferre non valentis, quæ magna ignominia fuit. Multum fama in bello potest. Eo maius dedecus extitit quod rumore vulgatum erat, Mantuanum linguæ intemperantia iactare solitum: cupere se cum ea colluuione Maranorum (sic Hispanos per contumeliam vocant) pugna experiri. Gonsaluus castra promouit posuitque in hostium conspectu mille passuum modo interuallo dissita. Inde misso feciali ad pugnam prouocauit hostem, quando tanta animi confidentia esset, tantus alienę virtutis despectus. Respondit Mantuanus ad Lirim fore pugnandi copiam; eo inuito traiecturum. Ex Aprutii montibus ortus is fluuius Germani fanum præter & Pontificiæ ditionis agros labitur altissimis ripis castigatus angustusque alueo profundo, vix vt vadari possit: neque alio ea parte iunctus ponte nisi qui ad Pontecoruum est. Placido cursu multisque mæandris Caietam quamuis citra flumen positam Roma adire nisi bis traiecto flumine instituto itinere ac breuissimo non licet. Alegrius Caieta profectus ad tria millia hominum ducebat Gallico exercitui supplementum. Is vt traiecto flumine continuo pugna experirentur, auctor erat oblitus scilicet cladis ignominiæque eius festinatione importunitateque ad Ciriniolam acceptæ. Dimidiato Octobri die Dominico Galli ad Ceperani vada traiecere. Hispanæ ditionis oppidum Rocasicca mille ducentis militibus tenebatur. Duces impigri Villalua, Pizarrus, Zamudius facta ex eo oppido eruptione in primum Gallorum agmen nullo ordine quasi per pacata tendentium inuecti amplius trecentis ex eo numero qua cæsis qua captis ad suos lęti ouantesque redierunt. Accurrere reliquæ Gallicæ copiæ socios vindicare destinantes oppidi ruina præsidii cæde. Fefellit eos spes temere concepta. Obsessi non modo vim omnem à mœnibus arcuere, sed erumpentes oppido rursus plus ducentis ex hostibus in pugna cæsis reliquos intra munimenta compulere. Cessit virtuti numerus. Die postero tria militum millia obsessis auxilio pręsto fuerunt, ductores Prosper Columna & Petrus Nauarrus. Simul cum copiis omnibus Gonsaluus festinabat, initio iudicans spem metumve gigni: prout prima cessissent fore reliqua. Galli quamuis specie repetendę impugnationis, veriti tamen si quid sinistri accideret, ne tormenta caperentur; & alioqui tempore exclusi multis imbribus impedito motis copiis vltra flumen retulere castra. Post biduum transmisso iterum fluuio in Aquinatem agrum deflexere sex millibus passuum à Germani fano, quo Gonsaluus in statiua redierat. Imbriū tēpestas ne pugna decerneretur impediuit. Inflato amne Galli ad Pontecorui pontem retro conuersi interiectum fluuium pro munimento hosti obiicere destinabant. Institit iisdem vestigiis Hispanus vltra Aquinates procedens vbi Gallos ad pugnam elicere tentauit. Cautiores illi loco idoneo delecto obiectisque tormentis in detrectandi certaminis sententia perstiterunt. Sic Gonsaluus & milites necessario solita statiua repetierunt pleni de cætero bona spe quoniam metum aduersariis posita, cum qua venerant, ferocia expresserant. Galli quoque trans flumen reduxere castra Nouembri mēse auspicante. Quo Romæ mense Vrsini cum Columniis proceribus in obsequium Hispani Regis consensere legatorum tum Hispani tum Veneti opera & auctoritate facto fędere. Venetis Gallorū felicitas grauis erat: ac ne libenter quidem ferebant pręualidi Principis vicinitatem. Quingentos grauis armaturæ equites Vrsini in id bellū obtulerunt si à Rege Catholico sexaginta aureorū millia annua pēderentur. Ac sigillatim Bartholomeus Liuianus, cuius eo bello pclara extitit opera se ducturū tria millia qua equites qua pedites obtulit inter præcipuos eius familiæ sed & vniuersæ Italiæ ea quidem ętate duces habitus. A Fabricio Columna Rocauandra capta vi est in oculis hostium auxilio accurrere impugnatis non

audentium. Sic res Gallica in præceps ire viſa eſt. Quin ſecundum fluminis ripam mota Gallorum caſtra Germani fanum inter & Caietam medio ferme interuallo conſtitere. Ponte lapideo cui Petrus Pacius cuſtodiendo erat impoſitus traiicere flumen deſtinabant. Mille & ducenti Hiſpani pedites præſidio relicti, & aliquot equites expediti vim vniuerſi exercitus Gallici ſuſtinuerunt, triduum diurno nocturnũ pugnæ laborem continuantes. Sic Gallis tranſitu prohibitis cum robore exercitus Gonſaluus acceſſit ſuorum periculo commotus: & de rerum ſumma ſolicitus, ſi hoſtes voti cõpotes euaſiſſent. Eius aduentu parti pontis quæ lignea erat, ſubiecti ignes: Caſtraque ad pontis caput locata ſunt. Eo loco maius ab inteſtina diſcordia periculum extitit. hyemis ſæuitia Hiſpani milites & ſtipendii inopia in rabiem acti tumultuari, per vicina oppida & agros diſperſi prædas agere præcipuo ruſticorum damno, tum equites tũ pedites frequẽtes ſigna deſerere. Inſanum quanta extitit animorum conſternatio, quantum in diſcrimen venere res. Pręcipui quin etiam duces militem in ſtatiua reducendi auctores erant. cum locorũ & temporis iniquitate vnaq; cum hoſtibus pugnare non audaciam videri ſed temeritatem. Regrediendum in munita, & excedendum potius quam pellerentur ſpecie prudentiæ admonebant ignaui. Eo proceſſum, vt die quodam haſtam miles quidam Magni Gonſalui pectori admoueret minas intentans, niſi pareret neceſſitati. Verum is alta diſſimulatione magnoque animo militares mulcebat iras. Corrogata quin etiam vndique pecunia binos aureos militibus per capita diſtribuit. Ducibus in conſilio contra tendentibus ſuadentibusq; copias in aliud tempus ſeruaret. Probe, inquit, noui quo loco res noſtræ ſint, quanti referat cum hoſte confligere. Ad ſepulturam potius vel vno paſſu vlterius promoto procedere certum habeo: quam ſi retro tantundem conuerſo pede centum annis ſit propaganda. Hic meta laborum eſto aut vitæ finis, ſi ſuperis ea ſententia ſtabit. Diuerſum mihi nemo ſuadeat. Columnios proceres pręcipuos diſcedendi ex iis locis ſuaſores, erant qui ſuſpicionibus inceſſerent tanquam inuidia & æmulatione Hiſpaniæ incrementa ægre ferrent, Gallos ſubleuari cuperent. Ex eo ſane inter Columnios & Gonſaluum offenſiones diuturnæq; ſimultates extiterunt. Ducis diligentia & auctoritate quamuis ſedato ægre tumultu militari contineri milites non potuerunt quin plerią; caſtra ſignaq; deſerrent. Imminuto Hiſpanorum numero hoſtibus facile fuit triremibus quibuſdam & cymbis valido nexu vinctis ligneum pontem ſilentio noctis imponere nullo prohibẽte. Mille & quingenti Galli ea arte traiecto flumine in noſtrorum qui nihil minus cogitabãt, ſtationes facto repente impetu, quoddam veluti propugnaculum pulſo inde Hiſpanico præſidio ceperunt. Eo metu in caſtris Hiſpani ad arma vndique concurrere pauciſſimi equitum numeri pedites ad quinque millia. In diſcrimine Gonſaluus ſe ipſo maior conſcenſo equo acies primũ inſtruxit, vt tempus dabat: mox in pedes deſtitutus arrepta militari ſecuri inter primos in hoſtes ferox incurrit. Quinq; Gallorum millia flumen traiecerant, ſequebantur alii, ad hæc tormenta in aduerſa ripa diſpoſita in Hiſpanas acies diſplodere non ceſſabant. Maior terror quam clades. Tantis quamuis præſidiis muniti hoſtes Hiſpanorum peditum incurrentium impetum & alacritatem pugnandi ſuſtinere nõ valuerunt. Ac verſi in fugam continuo pontem qua tranſierant repetierunt. Tranſeundi feſtinatione cum inter ſe prementes alii ſuper alios ruerent, ad mille & quadringentos ex Gallorum numero pars ferro trucidati pars ſubiecti fluminis vorticibus merſi fœde perierunt. Gonſaluus nullo tormentorum metu ad pontis caput acceſſit: ſigna quin etiam & militum centuriæ quædam hoſtib. permixtæ in aduerſam ripam vrgendo cædendoq; aduerſarios euaſerunt. In receptu tamen ex eo numero quidam tormentorũ globis ſunt diſcerpti, atque inter eos viri præſtantes nonnulli: alii vulnerati ac nominatim Lamudius qualis ac quantus dux. Ante alios vexilliferi virtus enituit, qui globi ictu amiſſa dextra vexillum ſiniſtra arripuit: & ea quoque nouo ictu ablata vtroq; brachio vexillum complexus veſtigio tamdiu immobilis conſtitit, donec Galli ſunt pulſi. De viri nomine ſcriptores variant in facto non diſcrepantes, à plerisque Fernandus Illeſca vocatur, virtute profecto promeritus vt præclara virtus viri famæ inſeratur, iisque beneficiis dignus, quæ a ſuo Rege accepit ampla Gonſalui prædicatione auctoritateque adiutus. Pugnę huius euentus Gallorum animos fregit: prorſus vt ne interdicto quidem flumine ſe tutos arbitrati pontẽ valido pſidio munirent non tã traiiciẽdi victoriæ ve ſpe, ſed ne noſtris in aduerſam ripam tranſeundi facultas eſſet, ipſorum caſtra impugnandi. Ad hæc Mantuanum inter & Alegrium contentiones ſuſpicionesq; exortæ ſunt minime idoneo tempore. Res proſperas cuncti ſibi vendicant, aduerſas imputant aliis. Sic Mantuanus deſertis caſtris retro redire conſtituit. Species diſceſſui prætenta quaſi Gallorum arrogantiam ferre non poſſet linguæ procacitatem tantam vt Cynedum appellere non dubitarent

grauiſ-

grauiſſimam contumeliam. Verior interpretatio: cum perditis fortunas ſuas miſcere noluiſſe. In eius locum dum abs Rege Gallo veniant mandata ſumma belli adminiſtrandi militari conſenſu ad Salucium defertur. Is ferox ingenio & viribus odioq; Hiſpani nominis à primis annis imbutus paulo ante Caietam appulerat, vti paulo ante dictum eſt, Proregis autoritate & nomine. Mantuani diſceſſu Gonſaluus, quamuis militum numero inferior certiori victoriæ ſpe traiecto flumine prælio cum hoſte decernere ſtatuit. Difficilis conatus Gallis aduerſam ripam obtinentibus. Supra eorum tamen pontem ſeptem paſſuum millibus ponte carris cymbiſq; ſuſtentato flumen iungendi curam Liuiano demandat. Alto ſilentio hæ molitiones tectæ, ne hoſtis præſentiret diſturbaretq; conatum. Iacto ponte Sueſſa vbi ſtatiua Gonſaluus habebat, profectus cum bis mille Hiſpanis peditibus, Germanis mille & quingentis non amplius die Iouis ad quintum Kalen. Ianuarii flumen traiecit. Diegho Mendozæ & Fernādo Andradio demandata cura equitibus ea nocte ex hibernaculis excitis, cum iis poſtera luce ad auroram præſto adeſſe. Id vbi Galli ſenſerunt Hiſpanos tranſiſſe flumen motis continuo caſtris vicini montis iuga occuparunt loco magis quam armis confiſi. Metum interpretata ignobilia aliquot oppida ad eam ripā Gallicarum partium ad Hiſpanos vltro tranſierunt. Ea nocte in agro noſtri tolerata cum luce ſecundum ripam fluminis in hoſtes pergere. Qui in conſilio detrectandi certaminis perſtantes maiora tormenta ne, ſi terra traheretur, limo profundo hauſtis rotis hæreret, cymbis impoſita Petro Mediceo ſecundo flumine Caietam deuehenda commendarūt. Fecit ille quod iubebatur: verum ad oſtium fluminis turbato quamuis ſæuoque mari feſtinare porro contendens hauſtis cymbis tormentiſq; ipſe etiam eſt merſus. Reliquæ copiæ deſerto ponte atq; tormentis maioribus, quæ ſupererant, tentoriis & impedimentorū parte, vna hora ante lucem è caſtris egreſſæ Molam haud longinquam Caietæq; vicinam feſtinare decernunt eius mœnib. ſalutem tueri ſperantes. Gonſaluus itinere hoſtiū conſilioq; explorato Proſperum Columnam cum expeditis equitibus præmiſit, qui hoſtes à tergo premendo diſtineret, dum peditatus ſubſequeretur. Pleno paſſu cum primum ad Molæ pontem peruenit, qua Gallo tranſitus erat, pugnæ ſignum datur: Impetum & alacritatem noſtrorum diu hoſtes non tulerunt. Verſos in fugam, vſq; ad Molæ & Caietæ portas, quo victi non pauci confugerunt, victores in tergis hærentes ſunt inſecuti. Multi toto itinere ceciderunt, tormenta duo & triginta capta milleq; & quingenti equi. Clara victoria fuit confecto ſecūdum eam bello reliquis maior. Gallorum pars Fundos verſus dilapſa, quiq; eo tractu in præſidiis erant Romam appetentes ruſticorum ex vicinis agris ſpe prædæ facto curſu iniquis ad tranſitum locis magno numero interiere: pauci vt ſtragem euaſerint forte magis quam conſilio aut virtute. Præcipuam à fortitudine militariq; ſcientia vtroq; conflictu, ſed & vniuerſa expeditione omnium confeſſione ex Italis Liuianus ex Hiſpanis Hugo Moncada laudem tulerunt.

Caieta dedita. CAPVT VI.

CVpiebat Gonſaluus Gallorum turbationem ad occaſionem vertere Orlandi montem eodem impetu occupandi Caietæ vrbi imminentem. Prudēter deſtinata fœda tempeſtas imbreſq; toto eo die moleſti diſturbarunt. Et miles labore continenti fameque nullo neq; eo die neq; ſuperiori nocte cibo ſumpto fatigatus vix arma portabat. vigor animorū cædendiq; cupiditas feſſa corpora ſuſtentauit eatenus. Sic coactus deſtitit, copiaſq; Caſtellonium reduxit ad priora ſtatiua. Gallis ad Molam ſe munire decretum erat, minorib. tormentis quæ ſupererant, locis idoneis obiectis: nam primum impetum in id oppidum futurum non dubitabant. Verum Gonſaluo curatis militum corporib. atq; ex labore recreatis commodius viſum eſt antequam ducib. auctoritas, militi obſequium vtriſq; fiducia rediret, metu ſublato ipſum caput Caietam petere vimq; admouere voluntate nihil facturis. Facilior opinione expugnatio fuit. Aditu quem muri parte proſtrata menſib. ſuperiorib. tormenta patefecerant, haud ægrè Orlandi montem occuparunt, qui eū præſidio tenebant vix ſpatium nacti ſunt in vrbem euadendi. Sic quæ ex ſuperiori pugna ſupererant, amiſſa ſunt ſpolia mille equi capti geminaq; tormenta, quib. in priori obſidione late ſtragem in Hiſpanorum caſtris fecerant. Ad hæc debilitatis hoſtes animis præſertim Hiſpanorum caſtris ad vrbis mœnia promotis quinquaginta primum è Gallia Ciſalpina cataphracti ductore Mirādulano Comite portis egreſſi ſupplicū habitu venerūt in caſtra ſupinas manus tendentes, veniam orantib. darent, iram in obſtinatos ſeruarent. Subſecuti ſunt nocte proxima tres viri primarii à Salucio de pace & deditione legati. Petebant ii facta dicendi poteſtate, vti captiuos pecunia redimere cōcederetur. Ea reiecta petitione

ad maiora porro procedentes, ſi captiui tum Galli tum Italici generis redderentur, Caietam vrbem dedituros & arcem polliceri; Mondragonem quoq; Sinueſſę antiquę è rudeՙrib. conſtitutam arcem. Præterea Hiſpanis & Italis, qui Hiſpanorum partes erãt ſecuti captiuis libertatem ſine pretio daturos. Honeſtæ conditiones, neq; Gonſalui aurib. ingratæ. Italos modo captiuos dimittere graue erat ac nominatim Matthæum Aquauiuam Bitõti Marchionem, & Alfonſum Sanſeuerinum Biſiniani patruelem, quorum noxæ maiores erant, vindicta ipſi digniores itaq;. Ita eorum cauſam de cæteris annuens ad Regẽ Catholicum ablegabat, neq; ad ſuum arbitrium reuocabat, quid de illis ſtatuendum eſſet. Poſt multam diſceptationẽ internunciis ab vtraq; parte commeantib. Galli de Italis captiuis 1504. remiſerunt tandẽ. Summa ipſis Ianuarii Kal. principio anni Mill. quingenteſ. quarti conſenſu hæ conditiones ſcriptæ. Obenigno ac reliquis Gallis captiuis daretur libertas. De Italis captiuis ſupplicium ſumere, ac ne in eorum cauſa quidquam decernere fas eſſet, priuſquam à Gallo legati pro iis deprecatores mitterentur in Hiſpaniam. Militib. cum armis & impedimentis ac reliquo apparatu abſcedere liceret. Caietani ciues ſua omnia retinerent, qua ante bellũ libertate iureq;. Reliquis tota ditione vrbib. cautum ne vnquã fraudi eſſet Gallis adhæſiſſe partib. Fœdere ad hunc modum ſancito continuo, qui mari ituri erant, naues conſcendere cœperunt. Theodorus Triuulcius cum Italis Galliſq; militib. pedeſtri itinere in pacata diſceſſurus pari celeritate vrbe eſt egreſſus. His reb. celeriter confectis tertio Nonas Ianua. die Mercurii vrbi & arci deditis Ludouicus Ferrera eſt præfectus præmium laborib. virtutiq; debitum. Tarenti quam vrbẽ obtinebat, cura Petro Nicueſæ demandata. Captiuis quicumq; præſto fuerunt reddita extẽplo libertas eſt. eodem poſt biduũ appulit Obenignus & cum eo Galli captiui ad mille & ducẽtos. Et Obenignus quidem continuo naues conſcendit: alii fide publica accepta terra abierũt. Pleriq; tamen in reditu periere laborib. fracto corpore tentata valetudine: ipſe etiam Salucius ſummus copiarũ dux Genuæ deceſſit, nihil imperio militari aſſecutus niſi moleſtiã ignominiãq;. Palicius è numero Gallorum captiuorũ antea euaſerat Antonii Cardonii permutatione quem Hugonis fratrẽ Galli ſuperiorib. menſib. in conflictu ceperant. Fidei difficilis reip. temporib. eximie ab Antonio & fratrib. cultæ laborumq; ipſi priuatim præmium Padula fuit Capacio detractũ municipiũ Marchionis nomine, adiecto, quo gratius honeſtiuſque donum eſſet à Rege Catholico cõceſſum. Non deerant qui Gonſaluum cõſilii præcipitis in ea re incuſarent. Tanti ciuitatẽ vnam alioqui breui in poteſtatẽ venturam non fuiſſe, vt tot captiuis libertate reddita redimi ęquũ videretur viris genere & factis nobiliſſimis. Placere omnib. qui poſſet? iudicia ſingulorũ linguaſq; frenare? Patientia prædicabant quãdo hoſtes mœnib. clauſos teneret ſubdi eam vrbem cum cæteris licuiſſe: neq; cõmittendum vt rurſus de rerum ſumma periclitarentur, ſi iis ducib. ea peritia bellũ eſſet inſtauratum. Ad eas voces Gonſaluus pluris eſſe ꝙ in ſulphureũ puluerem & globos ferreos inſumeretur dicere, quam ꝙ iactabant periculũ. Supremam vulneris curationem omnibus plagis præſtare, quas Obenignus aliiq; captiui ferro facturi eſſent. Deniq; canẽ mortuũ non latrare, neq; militem in fugã compulſum nocere. Horũ alterum captiuis neceſſario euenturum. Magnorũ ducum conſilia haud merito temeritatis accuſari debent, aut imprudẽtię, vt rationes maxime lateãt ignaris, vbi calceus premat. Si licet coniecturã facere, ſuſpicari poſſumus pecuniæ in ſtipendiũ ſuprema difficultatẽ laboraſſe, neq; minori annonæ inopia alendo exercitui. Ex eo tumultus militaris ne exiſteret metuere, paruis ſæpe momẽtis in bello magnas conuerſiones fieri non ignarũ. Ad hæc fama vulgatum ad ciuitatẽ veterem duas onerarias cõmeatu & inſtrumento bellico onuſtas Caietã deſtinari præter alias duas ad Foſſas Marianas in Narbonenſi littore reb. omnib. inſtructas parataſq; eodẽ nauigare. Ac illud ſolicitare maxime, ꝙ Pontificem facere Andegauenſib. exploratũ erat, ac nouo vinculo vti aſtringeretur amicitia, Finarii Marchionẽ in Galliam miſiſſe filiæ cõiugium vt paciſceretur cum Lotaringii filio. Regno Neapolitano quaſi dotali armis ſua ope ſubacto Hiſpaniſq; depulſis repetito maiorũ ſuorum iure haud dubio vti ipſi prædicabãt. Si id ex voto non ſuccederet vaſta animi cupiditate Franciſcũ Mariam Præfecti fratris filium cogitabat iungere cõnubio cum filia Friderici Regis, facta patri puellæ ſpe regnum, vnde erat eiectus recuperandi: Sic Principum voluntates vt vehementes, vno ſæpe tempore tendunt in cõtraria. Deniq; ignorabat nemo ad conſiliũ Friderici in maiorum opes reſtituendi à Regib. Hiſpano galloq; agitatum, acceſſiſſe Pontificẽ adiutorem. Eius molitionis famam aduerſarios erexiſſe ad nouas ſpes, amicorum animos debilitaſſe imperium negligentib. cunctis, ꝙ fore diuturnum non putabãt. Ita importuni conatus cõfecto bello occupandi videbãtur. Et vtiq; in ea cura, maxime omnium vrebat, ꝙ vrbes & quæſtores regii pecuniam maligne ſuppeditarent in ſumptus bellicos, mutatione imperii cupientes

eam

eam pecuniam Friderico reduci donum seruare & sibi in posterum gratiam. vnde indies inopia crescere rerum quæ ex belli vsu essent, suprema annonæ angustia premi, neque in stipendium militare pecuniam suppetere. Ergo Caieta ad deditionis cõditiones redacta, priusquã noui aliquid incideret, q̃ instituta præclare consilia peruerteret: continuo Termenstinum Ducem in Aprutium amandauit eius prouinciæ moderatorem, simul vt Bitonti Marchionis arces eo tractu iugum detrectãtes ad imperium adiungeret. Liuiano cũra data est Ludouicum Arsium impugnandi se Venusię tenentem maiori aliquanto arcis munitæ fiducia quã viriũ. Aduersus Cõuersanum regulũ Materę Comes & Petrus Pacius abierunt. Capacium itẽ intra Laurinum obsederunt Egidius Nepos & Petrus Nauarrus. Obsesso huic ac de salute libertateq; solicito permissum Tranum discedere Venetæ ditionis in Apulia vrbem cum vxore filiis & domestica supellectile, relictis modo pecoribus, tormentis, & reliquo bellico apparatu. In magna Græcia à Gomesio Solisio Rosanius magna principatus parte adempta ægramq; spem seq; sustentans Sanseuerina tantum & Rosano vrbib. retentis: intra Rosanum ab eodem obsessus tenebatur. Erat præterea Gõsaluo destinatum Præfecti Ruuerei oppida, quæ in ditione Neapolitana obtinebat, admota vi carpere patrui Pontificis nulla cura. Sanior ille Hispanorum partes amplexus aut simulãs continuo tota ditione sublatis Regis Catholici insignib. nomen Hispanũ inclamari mandauit. Fides vt syncera videretur, vltro ad victorem venire ipse constituit. Accepit venientẽ Gonsaluus benigne venia data eorum quæ secus gesserat: tametsi non ignorabat animo alieno esse: ac tandiu perstiturum in fide, quandiu foret ex vsu non amplius. Sed Pontifici tamen placando data ea dissimulatio est, ne aperte aliquid turbarum daret, vt erat ardenti ingenio à primis annis atq; à maioribus hostis Hispani nominis.

Induciæ Gallos inter & Hispanos pactæ. CAPVT VII.

CAietæ captæ, vt impensæ parceretur, ea tuenda maximę haud dubium futuræ, & grauissimæ in ea ærarii calamitate, custodia Hispanis credita est eo in coloniæ formã deductis, ẽ veteranis delectu habito. Mox Gõsaluus Neapolim aduolauit: vbi eo plausu eaq; lætitiæ publicæ veræ, an simulatæ significatione inuectus est, qũa Regem ẽ priorib. vnum ciuib. gratum ac de hostib. parto triumpho redeuntem maiori excipere non possent. Ad eam vrbẽ proceres priuatim, ciuitates publice edicto vocauit, vt qui eatenus nõ fecissent, sacramento in Regis victoris verba suscepto fidem astringerent amplius. In eo conuentu eos qui bello industriã operamq; probarant, laudib. præmiisq;, vt cuiusq; merita erãt, honestauit. Liuiano nominatim annuos octo millia aureos designauit lege perpetua ex Bisiniano principatu detractos. Propinquis eius duo millia & trecẽtos tribuit, quo maior esset gratia præmio singulorũ virtuti & pręclaris factis exæquato. Ea in Vrsinos munificẽtia Columnii vtebantur, priuatas inimicitias publicæ causę importune miscentes. inuidia in præceps agebat, qua plures sæpe inimici quã iniuria parantur, quæ pessima cõditio humanæ mortalitatis est. Perturbatus semel animus nunquã in vno gradu resistit. Prosper Columna in Hispaniã nauigare constituit, querelis aduersus præsentẽ rerum statũ armatus, efficiendi spe vt Gõsaluo, cui maxime iratus erat, succederetur. Odii causæ acriores quia iniquæ. Fabricius Roma, quo iuerat, facultatem petiit Florentinis militãdi: quam veniam Gonsaluus dedit re necessaria, ne iniussu sumpta vindicandi necessitatem imponeret. De constituẽdis iudiciis serio in conuentu actum est: quæ vehemẽter labefactarat bellorum iniuria, tẽporum conditio; rapinæ, cædes omneq; genus flagitia impune exercebãtur nullo vindice, ne ipsi quidẽ consanguinei inter se à mutuis iniuriis & cædib. tẽperabant, tetra malorũ colluuies. Quies prouinciæ sine armis, arma sine stipendiis, stipendia sine tributis non contingant. Curatum ergo, vt populis volentib. pecuniæ redigeretur quantum satis videretur impensis factis instantibusq;, alendisq; stipendio militibus: quos retinere omni ratione destinabat, atq; in oppida tribuere, vbi molestię foret minus annonę copia maior. Hispanorum modo centurias aliquot, quoniã inutiles erãt, quippe ex perditissimis hominib. conflatæ data aliquanta pecunia & cõmeatu procul in Hispaniã duab. nauib. amãdauit, ea sentina exhausta cõmodiores fore reliquos milites ratus. Simul belli mala maiori diligẽtia resarcire instauratis mœnibus, munitis arcib. pręcipue Neapolitanis Caietanaq;. Capuã adhibitis propugnaculis adiunctisq; aliis munimentis ita firmauit, vt munitior videretur, quã si perpetuo muro cinxisset. Hæc omnia eo pertinebant, vt si quid denuo ab hoste moueretur, prouinciã ad defendendũ paratã inueniret, atq; omnib. præsidiis septã. Ac pręsertim ciuium adiuncta beneuolentia; quæ pręcipua cura fuit, omnes difficultates vicit cunctis ad obsequium paratis, quęcumq; postulasset, nihilq; omnino, q̃ placeret denegantib. Et est longe potentior amor ad obtinendum q̃ velis quam timor. Ac vero tota Italia eam nominis existimationẽ erat consecutus, vt pleræq; vrbes certatim studia defer-

rent transitumq; ad Hispanorum partes. Genuæ imprimis Adornii & Fregosii, quamuis inter se aduersæ factiones, consensu polliciti sunt, si duo militũ millia mitteret, graue Gallorum imperii iugum de ceruicibus continuo excussuros. Iulianus Medicus Petri frater eius, qui ad Lirim mersus est, centum millia aureos annua ipsum ac propinquos daturos modo Hispaniæ viribus in patriam Florentiã, vnde exulabat, restitueretur. Pisani retinendæ libertatis, quam auide arripuerant, studio inflammati aduersus Florentinos non dubitabant vrbis patrociniũ, aut si id malet imperium Hispano deferre. Tantundem Aretini detulere Florentinorum imperio defessi, rerum nouarũ cupiditate immemores videlicet humanæ sortis, imperium vix nisi in peius mutari. Plombini sane regulo volenti expetentique datum vt sub vmbra Hispanicæ protectionis delitesceret, vrbis modicæ quidẽ, cæterum regno retinendo percõmodæ ad excipiendas ex Hispania classes idoneæ, propter egregium portum tutasque circa stationes, & aliam opportunitatem maritimam terrestremque. Pandulfus Petrucius Senensis suo & suæ vrbis nomine Paulusque Ballionius Perusinus sibi Perusiæque veniam & pacem à Gonsaluo expetiere. Ex ipsa Mediolano vrbe sexcenti ciues clam cõmunicato inter se consilio studia & opes offerebant, si induceret in animum arma in eam partem conuertere, Galliæque Cisalpinæ bellum inferre belli & pacis ea tempestate arbiter in vniuersa Italia. Verũ hæ omnes molitiones disturbatæ sunt induciis à Gralla & Antonio Augustino trium annorũ in Gallia pactis comprehenso etiam in eo fœdere regno Neapolitano. Rex Catholicus Meioradæ sub finẽ mensis Ianuarii eam pactionem iureiurando firmauit. Sancitũ inter alias conditiones vt Neapoli voce præconis id fœdus enunciaretur Februarii die vigesimo quinto. Distulit Gonsaluus euulgare prius dictitans rebellibus contestandam videri. Rosanius eo vti beneficio noluit: ac potius Solisio cognita Regis voluntate oppugnationẽ remittente neq; vigiliis intentis ex vrbe copiis eductis Cherintiam obsedit, vastatis circum agris igne ferroq;. Ludouicus Arsius quãuis inducias amplexus Andriæ & Barlettæ pecora deprædatus, captiuos etiã incolas egit. Hispani in violatores fœderis posse animaduerti ex cõcepta in eo verborum formula rati vtrumq; male mulctare destinabãt. Et Venusiæ quidẽ arcem facile ceperunt haud satis munitã ab Arsio relictam, quib. diebus paulo ante Tranum abscessit, inde in Galliam iturus mari. Quod ad ostentationẽ audaciæ fecit, milites signis sublatis pulsatis tympanis per hosticũ quasi per pacata ducens, acceptæ ignominiæ leue solamẽ. Rosanũ vrbs tandem per cõditiones à ciuibus est dedita. Intra eam Rosanius & multi alii è nobilitate Neapolitana viri præstantes sunt capti. Rosani exemplo Sanseuerina quoque breui in partes accessit. Conuersanũ Petrus Pacius vi cepit. His captis vrbibus Brutii & Magna Græcia Hispano prorsus cesserunt. Prouinciæ illi vniuersæ in locum Aieli Comitis propter longæuam eius ætatẽ, rerum moli impares vires, Hugo Moncada est præfectus cum summa bello paceq; decernendi potestate. Secundum hæc sex tantum oppida eaq; procul à mari in vniuerso Neapolitano regno Gallis relicta sunt. Magna Regis Galli offensione oppida contendẽtis post diem induciis euulgandis præfixũ ab Hispanis capta restitui æquum esse: ac vero initi fœderis euulgatione dilata fraudẽ susceptam interpretabatur, quæ noxa patrocinari non deberet. Itaq; omnib. persuasum non diutius in fide data permansurum quã ex vsu esset: ac fœderis simulatione agere vt Hispanos imparatos inueniret. Confirmauit eam opinionẽ eodem tẽpore, quo induciæ sunt pactæ, summa imperii militaris per Italiam Ioanni Iacobo Triuulcio delegata viro nihil minus quam quietẽ concordiamq; patienti, ardentis ingenii, factiosoq;, neque tam præmiis periculorum quam ipsis periculis læto. Quinq; etiam Heluetiorum millia exspectabantur ventura propediẽ, ex Gallia quingenti grauis armaturæ equites Obenigno Alegrioq; ductoribus. A Mãtuano & Ferrariẽsi ingẽtes delectus instituti. tãti apparatus quo exspectarẽt dubitabat nemo. Decumbebat Gõsaluus Neapoli salute ferme desperata. Ex ea re & quoniam fama rursus nunciabatur Fridericũ in pristinas opes restitutum iri, ac vero à Põtifice agi, vt Gallicis copiis summus dux designaretur multis sermonibus materia extitit. In fœcunda gignẽdis inimicitiis ciuitate & ex otio serendis rumorib. apta multorũ odia eruperunt, quæ aduersus Gõsaluum eatenus pectoribus tecta tenebantur. In quo Columnii proceres longius prouecti linguę licẽtia multa in eum intẽperanter effuderunt. Verum eã procellam, quæ maiora incõmoda minabatur, ægroti valetudo breui recreata ac plane destituta disiecit. Ipse cõtinuo in bellicos apparatus diligẽter incubuit ad defendendum q, omnium grauissimum imminere bellum videbatur de Neapolitano regno. Vbi & per vniuersam Italiã atq; Hispaniã maligna sideris in frugib. corruptis & satis, annonæ angustia maxima laboratum est. Nonis Apr. die Veneris sancto horrẽdi terræmotus extitere cũ magna ędificiorum strage: vis maior labesq; in oppida quędam incubuit secundum Bętis ripam sita.

His

His malis territi mortales votis & supplicijs irata placare numina ad omnia templa instau ratis. Olisipone valida classe instructa Lupus Suarius cognomento Aluarenga soluit Orientis regiones versus Indosq;. Prima Lusitani imperij in iis oris latissimi fundamēta ab iis exiguis initiis ponebantur: quibus magnæ structuræ moles breui ex interuallo accessit.

Valentinus dux captus, missusque in Hispaniam. CAPVT VIII.

OBtinebant in Flaminia Veneti vrbes, quas extincto Alexandro Pōtifice occuparant armis: & ad alias aspirabant nihilo meliori iure. Valentinus Pontificiis opib. repente nudatus, sociis infidis, ab amicis destitutus, imparq; Venetorū virib. Iulium nouū Pōtificē vltro inuitauit ad capessēdas arces, quæ eo tractu illius imperio parebāt. Facto sic fœdere Petrus Ouetus Pōtifici à cubiculo, & antea è familia Valētini ipsius cōsensu missus est, vt eas arces obtineret. Dux vt erat ingenio vario atq; inconstanti, subeunte initi cōsilii pœnitentia aliud atq; aliud subiiciente animo, vti peruersa ingenia facere solēt, ad Dieghum Quignoniū eius nomine Cæsenæ præfectum litteras dat cū mandatis Ouetū necaret laqueo fracta ceruice. Fecit ille q̄ imperabatur diligenter. Pōtifex graue, vt erat, ignominiā neq; dissimulandū iudicans auctorē necis intra Pontificiam aulam detineri iussit, dum eę arces redditæ essent: ac nominatim Cæsena, Forliuiū atq; Bertinorum. Cōmeantib. tamē internuntiis constitutum est, vt capto redderetur libertas cum primum eæ vrbes & arces Pōtificiis legatis essent cōtraditæ. Interim vinctus Ostiæ custodiretur Bernardini Carua ialii Cardinalis cura fideq;. Ita ipsemet petierat alibi se tutū fore non sperans multis & validis circūfusis inimicis. In quo numero principes erant Guido Montefeltrius Vrbini dux ipseq; prefectus vrbis Pōtificis ex fratre natus. Additū, vt traditis arcib. facultas capto esset geminis Pontificiis triremib. in Galliā concedere: nisi dederentur in Pontificis rediret potestatē. Cognitis iis molitionib. Gonsaluus acre ducis ingeniū, reb. turbandis idoneum veritus Neapoli Lescanū Ostiam dimisit, qui Cardinali eius verbis suaderet, vt vincto auctor existeret Neapolim potius quā in Galliā abeundi. si quietē amaret, pecuniā & secreta Campaniæ offerret: si bellū, honestam conditionē, opima stipendia; tantum se & sua Ferdinādi Regis fidei permitteret. Ne incēdio scilicet late excitato malorū orbis rediret metuebant q̄ sopita videbantur. Sane Valentino melius, quā vlli hominum Italica ingenia & conatus quorsum tenderent exploratū erat. Metuebatur ab omnib. militum beneuolentiā sibi adiunxerat, ac eorū maxime qui habebantur audacissimi, temeritate prōptiores. Voluntas praua nōnisi scelere querebatur. Obtulit Cardinalis operā & industriā, quanti id referret nō ignarus fideq; publicā à Gonsaluo missam accepit tutū apud se fore ab iniuria. Interea Cæsena & Bertinorū legatis Pōtificis traditæ sunt. Idē vt faceret Gonsaluus Mirafontius domo Vasco Forliuio Præfectus adduci non potuit nisi prius quindecim aureorū millia numeraret, q̄ in munitiones & stipendia expēsa ferebat. Dux libertatis cupidus & quoniā inimicos eius vitæ insidiari cognouerat. Venetis mensariis eam summā repræsentandam edixit datis nominib. Decreta ea pecunia neq; de solutione, neq; de Præfecti Forliuiensis fide dubitabatur. Sic Dux libertati redditus Cardinalis diligētia, multoq; suasu relicta Gallia Neapolim flexit iter. vrgens diuina vltio versutū alioqui hominē excæcauit. Dextram venienti Gonsaluus obtulit fidei amorisq; pignus. Comiter acceptum dein omnib. officiis coluit. Ille tamē vt erat ardenti ingenio quietis impatiens cōtinuo militē & pecunia Forliuiensem arcē iuuandi cōsilia agitare instituit Pontificiis nōdum deditā: vasto simul animo Plōbinum, Perusiā, atq; Pisas occupandi varias rationes tentare audax, callidus & in quācumq; se partem dedisset industrius aut prauus. neq; pensi habēs Pisas sub patrocinio Hispano delitescere, eamq; ad tuendā vrbem in clientelā Hispaniæ susceptā missos Neapoli peditū equitūq; numeros. Subornare quin etiā tū Germanorū tum Hispanorū cohortes, q̄ in regno Neapolitano erāt iniecta maioris spe stipēdii: Importunę molitiōes latere equî possent inter infensos circūfusis vndiq; obseruatorib.? Gonsaluus tamen ne hospitii iura dataq; fidē violasse videretur, cauere satis initio habuit: custodiis dissimulāter circūdare, ne impotentis hominis conatus vlterius procederet. Offensus ea re Valentinus dispositis ex interuallo ad cursū equis è Neapolitanis finib. fugere cogitabat. Suscepti cōsilii Neapolim eundi pœnitētia subierat sera iam: præsertim ex quo certior fuerat factus biduo postquā Ostia ipse discesserat, Romā peruenisse Finarii Marchionē cū Galli Regis mādatis honestissimas cōditiones offerentis, si eius auspicia quā Hispani sequi mallet. His conatibus, vnde magna incōmoda nisi occurreretur tēpestiue, extitissent, cōmotus Gōsaluus in arce noua ducem detineri mandauit, noua & diligenti custodia adhibita ne fuga posset elabi. Tāetsi Pōtifex quoniā arx Forliuiensis nō reddebatur Ostiā referri, aut sibi tradi, vt antea decreuerāt enixe postulabat. Vt placaretur Pōtifex Gōsaluus vincto persuasit ea arce tradita data se fide liberaret. Missiq; ad id Artes quidā è familia Ducis & Ioannes Cardonius

Romã ad Frãciſcum Rogiũ legatum, cũ notis & teſſera, per q arcis præfectus haud dubiũ intelligeret heri ea eſſe mãdata. Sic Forliuienſis arx tandẽ in Pontificis venit poteſtatem. Artes Ducis quãuis vincti timebantur. Ea anxius cura Gonſaluus poſtquã ſe in oẽs cogitationes verſaſſet, fore conſultũ iudicauit ſi procul ab Italia amãdaretur. Fidei violatę elui maculã, quoniam cõmiſiſſe videbatur, vt pacta non ſeruarẽtur. Ergo Antonio Cardonio & Leſcano eũ vt in Hiſpaniã abducerent, cura data eſt, Italię, ac vero Chriſtiani orbis facẽ in vltimos fines amouerẽt, ne nouis incendiis cuncta rurſus flagrarent. De Valentini vinculis & in Hiſpaniã miſſione varii ſermones extiterunt. A pleriſq; Gonſalui fides & cõſtantia ſugillata eſt. Ipſi etiã Regi Catholico initio diſplicuit ancipitis fortunæ ſuſceptus conatus. Verum eo erat progreſſũ, vt retractare nõ liceret. Gonſaluus quoq; officii maiori cura quã famæ, damnis, quæ eius libertate fugaq;, ſi facultas cõtingeret, impendebant cõſideratis inanes rumores, & q.d alii iudicaturi eſſent, contẽnendos putauit. Magnis Principib. præceptum exemplumq; ſalutare: officium rumore iudiciiſq; hominum antiquius arbitrari. Præ aliis Regi Gallo graue extitit ducem vinctũ teneri, à quo reb. ſuis certiſſimum in Italia præſidiũ expectabat. Ad nuncium vero fuiſſe in Hiſpaniã abductum, dixiſſe fertur. Deinceps pro fide Punica merito ſubſtituamus Hiſpaniam. nihilo illa conſtãtior. Interea Vaſconum Rex & Regina miſſa honeſtiſſima legatione in Caſtellam Hẽrico Labreto filio & hæredi Iſabellam Philippi Principis filiam minorem, coniugem expetiere. Benignis aurib. ea legatio initio accepta eſt. Cõmodum videbatur eo vinculo fidẽ eorũ Principum & gentis nutãtem aſtringere amplius: ne ea parte procella aliqua exiſteret. Quam curam hactenus grauem auxerat recens Magdalenæ obitus ad Medinam Campeſtrẽ extinctæ, q obſidis loco à Regib. parentib. fuerat miſſa annis ſuperiorib. Ioãnes Emanuel in exiguo quamuis corpore, vt ſe res dediſſent, induſtria mirabili acris ingenii ſed ambigui apud Cęſarem in Germania legati partes implebat Ferdinandi Regis nomine. Nũc Philippi Principis accitu iuit in Belgas, præcipua deinde gratia & auctoritate in ea aula futurus, in pręſentia reb. omnibus, quę Hiſpaniam attingerent pręcipuus conſultor & arbiter Principis voluntate conſtitutus: maiori aliquanto ex eo gaudio Cęſaris per eum ſperantis finẽ controuerſiis, q cum filio erant, fore; quam Ferdinandi ſibi ab eius ingenio metuentis ne pro innata calliditate inſtituta apud generũ cõſilia & conatus diſturbaret. Quippe Carolum nepotem cupiebat in Hiſpaniam attrahere à primis annis imbuendum Hiſpanicis moribus, mutua gentis beneuolentia qua maius quam in armis præſidium continetur. Cæſari & filio cõmodius videbatur Carolum detinere ſpe coniugii cum Claudia, vti erat ante agitatũ, idonei maxime ad lites cõponendas q Hiſpaniam inter Galliam atq; Burgundiam tot annorũ ſpatio extiterant. Ac ampliſſima præſertim dos inuitabat, Aureliæ, Britanniæ, Mediolani, & Burgundiæ, quos principatus Rex Gallus ſponſis ſe hæreditarios relicturũ pollicebatur, in id populis continuo ſacramento adactis. Largus promiſſis & quæ natura cupiditatis ardẽtis eſt, immodicus. Puellæ matri Reginæ conſultius videbatur eam Franciſco Valeſio Engoliſmorum duci, cui proxima regni ſpes deſtinabatur; connubio collocare. Omnino paſſurum eum nemo exiſtimabat regno ſuſcepto nobiliſſimos principatus detrahi ſeiungiq; à reliqua ditione: ne futurũ quidẽ caueri ſatis poſſe, niſi viuis parẽtibus, puellæ de manu traderẽtur; pręſidiis in eius verba iuratis, q quis auderet ſperare? poſtulare quidem nefas.

Gonſalui poteſtas circumciſa. CAPVT IX.

IN medio felicitatis curſu tantaq; gloria parta obtrectatorum linguas, fortunę incurſus vitare Magnus Gonſaluus nõ potuit. Et eſt natura datum vt proſperis dubia ſuccedant, poſt ſerenum atrox ventorum tempeſtas conſequatur. Ab externa vi nõ modo tutus ſed inuictus inteſtinis calumniis petebatur inſtantis periculi ignarus. Inuiſi ſuſpectiq; dominantib. ſunt, quos altius virtus euexit, quia meritis æquam cõpenſationem facere nõ poſſunt, malignis eos oculis intuentur. Minorum calumniis iidem obnoxii ſunt grauiter ferentium gloria & opib. præſtare, quos paulo ante in æquo viderunt. Omnino æmulatio naſcitur inter æquales, alitur contentione, exardeſcit inuidia, cuius finis eſt odiũ. Verum hęc mortalitatis humanę vitia ſunto. ad quę noua & validior acceſſit cauſa virũ præclarũ exagitandi. Omnibus, qui in ſuperiori bello ſtrenuam operam nauarant ſatisfacere non potuit ne dum ignauis, qui enim liceret, præſertim, vt eſt hominum ingenium vnoquoq; ſibi blandienti, pluriſq; quam erant propria merita æſtimanti, aliena contemnenti, pari vtrumq; vitio? Sic aliis collata præmia non minus vrebant, quam ſibi detracta, quæ deberi exiſtimabant. Ex fonte tetro fœdoq; plenę expoſtulationum voces prodierunt. Et tamen ægritudo priuata ſuuſq; cuiuſq; dolor honeſta boni cõmunis ſpecie velabatur. Eas querelas in Hiſpaniam pertulere quidẽ eo profecti, plures miſſis codicillis: excepere multi patulis auribus, eorum qui in aulis Principum magno numero viuunt vaniloq., ignaui, nulla

propria

propria virtute,ſed Principum offenſione perſpecta,viros preclaros criminando,ꝙ peſſimum obſequii genus eſt,creſcere opib.& potentia & gratia aſſueti. Capita accuſationis multa erant. Hęc præcipua. Iulianum Ruuereum Cardinalẽ(qualem hominẽ & quanto Hiſpani nominis odio?) In Pontificatus petitione ſubleuaſſe.quo id argumento, quib.teſtimoniis?Certe conatus eius peruertere debuiſſe accuſabant ex interceptis litteris interregni tempore cognitos & priuatim ex ſyngrapha nuda ipſiuſmet manu,qua in Hiſpanos ſtudia pollicitus, ſcilicet mente priori mutata, de ſe Gonſaluum ſumma ſperare iubebat pontificatum adepto. Verum id ludibrium erat:neq; calumnia prudentib.probata. Nam Bernardino Caruaialio Gonſaluum fauiſſe dubium non erat nullo prauo ambitu,ſed modeſta voluntatis ſignificatione: Franciſcum Rogium legatum Neapolitano Cardinali, quãuis Galli eo nomini addicto,vt ſi quis alius,ſpe purpuræ,vt ferebatur iniecta. Vtriuſq; conatus inanis extitit, pontificatum adepto,quem minime vellent. Communis moleſtia occaſionem præbuit innoxium prorſus in eo facto criminãdi. Hæc prima accuſatio erat. Ex militari licentia ſumebatur altera maiori ſpecie veri. Milites belli tempore laxius viuere aſſuetos quippe, rapto,rei familiaris anguſtias in pace ægre ferentes per vrbes & oppida ſpoliare,rapere,vi & ſtupris cuncta polluere,non ſacro nõ profano abſtinere. Alienę culpæ Gonſaluus reus agebatur ſed cũ ſua implicatæ,quaſi militib.omnia cõcederet,neq; ſeueritate legum eorum cupiditates frænaret,caſtigaret flagitia. Ex eo magnam inuidiam Hiſpanæ genti vniuerſæ cõflari. Irritatis prouincialibus,ne noui motus extarent,verendũ eſſe. Sic illi diſputabant. Ad hæc Gonſaluus. Neq; milites à religione & modeſtia cõmendare,neq; eorum eleuare crimina,quando ob flagitia ne natali quidem ſolo eorum licentiam tolerante patriis finib.diſcedere compulſi arma induerant obærati, exules,capitalia auſi pleriq;. Ac vero præcipuã licentiæ cauſam regios quæſtores præbere negatis diu ſtipendiis,vt miraculi inſtar eſſet inter tot labores tantaq; fame & nuditate corporũ tandiu ſuſtentaſſe ſeq; obedientes præſtitiſſe,præſertim ad Lirim atq; Caietam annuis & bimeſtribus ſtipendiis debitis nullum tumultum cõcitaſſe,aut ſeceſſionem feciſſe. Neq; tamẽ vllum crimen,vllamue iniuriam impune eſſe,quin ex legis præſcripto vindicaretur. Crimina omnia impediri nulla diligentia poſſe,ne frænari quidem linguas in tanta colluuione nationum,diuerſaq; indole hominum. Accuſabatur deinde eius incuria ærariũ publicum eſſe exhauſtũ,pudenda vectigalium calamitate, regiæ pecuniæ peculatu multiplici. Eo neq; eius regni redditus, qui erant ampliſſimi, neq; perduellium, ex bonis redactam pecuniã bellicis ſumptib.fuiſſe ſatis. Quod caput erat,pecuniæ ex Hiſpania aduectæ nullas rationes extare accepti expenſiq;. Verum ille Franciſci Sanctii Regii opſonatoris, id quidquid eſſet,culpa factũ excuſabat, aliorumq; quæſtorum,quos regiæ pecuniæ attactu ſe contaminaſſe videri poterat.quid alienam culpam ad ſe deriuarent? Vectigalia Neapolitana detractis oneribus ordinariis quadringenta & quinquaginta millia auri annua non excedere. Cum in militaria ſtipendia ſumptuſq; alios neceſſarios ſupra octingenta millia vno anno facta impenſa creuiſſet. Ex bonis addictis fiſco haud magnam pecuniã extitiſſe propter prēmia neceſſario data viris nobiliſſimis:qui magno numero Hiſpanorũ auſpicia ſecuti erãt. Idonea criminis depulſio: ſed ex qua noua atq; omnium grauiſſima accuſatio conflata eſt. Donare eum oppida,principatus,præfecturas quaſi ex proprio,nõ fiduciaria poteſtate. Peti à Pontifice ipſius nominatione epiſcopatus,quib.ipſe vellet,inſcio inconſultoq; Rege,cuius eę partes manifeſte erant. E contrario regia beneficia retractare,haud minori offenſa temeritateq;,non ſe ſua conditione metiri ſed regia. Ac nominatim Ioãni Clauerio Alfonſi Sanſeuerini oppida regiæ munificẽtiæ donum denegaſſe,aliis præterea Regis mandatis ſæpe non obtẽperaſſe incredibili contumacia. Quod ſi rerũ ſtatus ſecus videbatur poſtulare,qua fronte tantũ ſibi ſumeret,vt ne rationẽ quidẽ facti reddendã per litteras iudicaret? Principum ſæpe patientia ſeruos inſolentes reddi alienoq; regnare nomine,peccare adeo,ꝙ vindicaretur malo. Sic illi prædicabant. Nec dubiũ hac in parte offendiſſe Gonſaluũ per incuriam corruptũ animũ in viro ſumma fide interpretari quis audeat? Sed cũ iudicio excellẽti eſſet, cõſcientia ſecurus fortaſſis vlterius progreſſus eſt quã vicarii cõditio pateretur,Principumq; ingeniũ de minutiſſimis quoq; rationẽ reddi expectantiũ. Nullus vtiq; ſine culpa viuit,in hoc ille,is in re alia ſibi indulget. Colũnii proceres præ cæteris accuſando Gonſaluo præcipuã curam impendebant: ac nominatim Proſper Columna in Hiſpaniam profectus eſt apud Regem de acceptis iniuriis expoſtulatũ effectumq; diligentia vt Gonſaluo in prouincia ſuccederetur multis argumentis, quib.aduerſarium proſternere cogitabat,ex aliena inuidia & infamia gloriam & honores captãs. Ex arcano tamẽ nihil vrebat magis quã honores Liuiano habiti plurĩu equitũ pfectura data, quã ipſi Fabricioq; patrueli. Id vero grauius ipſa morte ducebat auctoris ruina vindicãdũ.

Gonsaluus parum ægritudine hominis offensaq; commoueri: tantum monere regem per litteras obtestariq; Prosperum vti omni benignitate complecteretur, munerum magnitudine mulceret iras, cum eo tamen ne Vrsini imminuto ipsorū honore alienarentur. Referre tāti duas eas familias deuinctas obsequentesq; habere. Salutaria monita inuidia potentior euertit. Quotidianis expostulationib. & querelis commotus animo Rex haud vana prorsus esse quæ à tam multis dicebātur, legato Neapolim ex familia Reginæ viro nobili Alfonso Deza de quibus postulabatur omnib. admonuit. Ac vero diserte mandauit, daret operam vt regia vectigalia maiori in posterū diligentia fideq; procurarent. Militum licentiam frænaret, quorum bonam partē ex ea prouincia deduci mittiq; in Hispaniam bello quod in Africam tranferre volebat auxilium. Iudicia constitueret temporū iniuria labefactata, ex legum priorum moreq; præscripto. Ioannes Spinelus Conseruatoris nomine abstineret genti vehementer inuidioso. Deniq; Proregis potestatē contentus, iis finib. auctoritatem contineret maiora sibi relinqueret. Graue hoc postremū mandatum Gonsaluo extitit: regni eius conditorē cum tanta Hispani nominis gloria questuq; in aliorum præfectorum ordinem redigi, angustis cancellis circunscribi potestatem, eam videlicet gratiam effusi sanguinis esse, præmiumq; toties victoriæ de hostibus partæ. In reliqua tamen molestia arcis Nouæ præfectura, quam ipse Nunnio Ocampo crediderat, in Ludouicum Peixum translata à Rege, ne ipso quidē appellato, vrebat maxime scilicet insignis contumelia, argumentum regii animi sine causa alienati. In Gallia de induciis pace mutādis agebatur, Friderico in regnum Neapolitanum restituto, quod Rex Catholicus probabat cum eo si Ferdinandus eius filius Ioannam Neapolitanam Reginam viduā vxorem duceret Gallus restituto Friderico, filio eius Germanam Fuxensem & sorore natam vxorem omnino destinabat. Coniugium tamen Caroli cū Claudia filia potius existimabat, si modo Hispanis deductis ex Italia regnum Neapolitanum penes sequestrum esset Philippum Caroli patrem. His conditionibus agitandis aliquot menses consumpti sunt haud magno fructu. Gallo placebat eas controuersias arbitrio Pontificis finiēdas permitti. Hispanus adiungebat collegium Cardinalium. Ratio excogitari nulla poterat quæ ab vtroq; probaretur. Qui enim posset? Andegauensiū restitutio imprimis opponebatur ardua prorsus rebus multum ab antiquo mutatis. Gallus enim Salernitano Bisiano, Amalfitanoq; cum primum patria extorres se in Galliā receperunt, per publicas tabulas fuerat pollicitus nunquam cum Hispano facturum fœdus, nisi prius in detractos principatus illi reponerentur. Promissi fidem fallere graue erat. Multis disceptationib. parum proficiebatur. Ea re quoniam vexilla Hispanica Pisis fuisse sublata nunciatum erat offenso Gallus animo Hispanos legatos ex vniuersa Gallia discedere mandauit Grallam & Antonium Augustinum. Importunis actionibus belli pacisq; cōmercia sublata. Iis acceptis mandatis Regina legatoq; Cardinali salutatis, ac postero die Friderico Rege inuiso Regem suum propensa in eum volūtate esse monent. Per quē staret, quo minus restitueretur in regnū dies superiores & conatus ab vtraq; parte documento fuisse. His defuncti officiis itineri se dederunt ad septimū Kalēdas Septembris ex ea curia digressi recta petētes Hispaniam.

Fœdus contra Venetos factum. CAPVT X.

DImittendi è Gallia Hispanos legatos superior causa palam iactata est, maior tamen ex arcano cura solicitabat ne fœdus præsentia disturbarent scilicet, quod Cæsar & Philippus filius cum Gallo inire cupiebant. Sic fama vulgauit, quam vanam non fuisse mox rerum euentus confirmauit. Simul enim atque ii discessere Blesis, eodem Cæsaris & Philippi Principis legati superuenere. Eorum opera ad decimum kalendas Octobris suorum Principum nomine cum Gallo fœdus sancitum est, quod veram atque indiuiduam amicitiam vocari placuit. Pręcipua pactionis capita. Ne Cæsar Insubribus arma inferret, neque alios Italiæ regulos Galli confœderatos impugnaret. Eorum ne cuiquam fraudi esset, si quid in imperii maiestatem cōmisissent ex quo Carolus octauus Galliæ Rex transcensis Alpibus in Italiam irruperat. Si quid in posterum deliquissent, vindicandi fas esset nullo in contrarium Gallico patrocinio. Publicis tabulis Mediolani principatus possessio Gallo iure hæreditario confirmaretur intra tres menses, pro ea indulgentia ducenta millia Francorum præsentia numeraturo. De regno Neapolitano ne Gallus pacisceretur cum Hispano nisi Cæsaris consensu. Si concordiam inire honestis conditionibus Hispanus recusaret, Cæsar Gallum copiis & armis iuuaret ad regnum recuperandum. Ludouici Sfortiæ postremi Mediolanensis Ducis filiis in Gallia oppida & vectigalia designarentur, quotiescumque eam prouinciam domicilio deligerent, vnde vitam sustentarent. Exulibus Mediolanensibus venia daretur, bonaque quibus fuerant euersi iure belli. Quatuor menses designati, intra quod tempus Hispano liberum esset, se ad

eam

eam ſocietatem adiungere, ea tamē exceptione ſi Carolo nepoti traderet Neapolitanum imperium iis conditionibus, quæ antea fuerant præſcriptæ. Intra tres menſes ſinguli amicos nominarent, quos hoc fœdere vellent cōprehendi. In quo mirum videri potuit, neq; à Cæſare neq; à Philippo Regē Catholicum inter amicos fuiſſe numeratū. Quæ res multis ſermonē dedit, Regis animo moleſtiam. Atq; hoc quidem fœdus palam agitatū ſancitumq;, quo totius Europæ arma mouebantur importuno conatu. Occulte enim eodē die noua armorum ſocietas à trib. Principib. adiuncto ad fœdus Pontifice ſancita eſt. Vires iungendi pro Chriſtiana religione aduerſus Turcas ſpecies facto prætenta. Venetos impugnare deſtinatum cunctis erat, animuſq; vnicuiq; iniuſtis poſſeſſorib. detrahendi quæ ſuperiori tempore ſingulis ablata iniuria occupare interpretabantur. Pontificio imperio Alexandri Pontificis poſt obitū & Valentini Ducis vincula Rhauennam, Seruiā, Fauentiam, Ariminum, Cæſænā cum ſubdito cuiq; agro, Imolæ, quę olim Forum Cornelii fuit, ditionis magnam partem detraxerant. Cæſar Roboretum, Veronam, Patauium, Vicentiam, Taruiſium, & Forum Iulii quaſi ad imperii & Auſtriacæ familiæ ius ſpectātes capere deſtinabat. Ad Mediolanenſem principatum Breſſam, Cremā, Bergomum, Cremonam & Geradadam cum ſuo quamq; agro à Venetis poſſeſſas Gallo reuocare certum erat. Sęua tempeſtas in nobiliſſimam ciuitatem, quaſi increbreſcente vento ex omnib. plagis & maiores voluente fluctus cōcitabatur, minori multorum cōmiſeratione propter perpetuam eorum ciuium in prolatando imperii fines quacumq; ratione conſtantem cupiditatem. Monuit Laurentius Suarius harum molitionum Venetum Senatum ſpe inter eos & Regem Catholicum ſocietate armorum conſtituta Neapolitanas res ſuſtentandi, quę in periculum veniebant hoſte præualido Hiſpanis theſauris exhauſtis vſq; eo, vt ex rationario regio cōſtaret, poſteriori eo bello vſq; ad tertium Idus Octobris ſupra decies centum aureorum millia in nominib. aut pecunia ex Hiſpania miſſa in Italiam. Ingens ea tempeſtate ſumma, nunc leuis impēſa: vſq; adeo res ab antiquo mutarunt paucis annis. Veneti nō facile verbis legati fidem adiungere: atq; more & inſtituto ſuo belli ſpectatores eſſe malle quam pars, ex euentu conſilium captare deſtinantes quod è re ipſorum futurum maxime iudicaſſent. An Veneti tantum hoc ſequuntur & non etiam Principes alii? Quin ipſo tempore Ægypti Sulthanum ſolicitaſſe ſcribunt, vt Indici maris imperium Luſitanis eriperet, Orientis commercio prohiberet, quod illi ſuis claſſibus occuparant magno Venetæ reip. incommodo Aromatibus quę Alexandriam deuehi ſolita erant, in Luſitaniam auerſis. Id vt facilius impetrarent legatum Cairum miſerunt vrbem Ægypti primariam: cum eo ingens æris pondus, tormenta conflandi ſcientia, naueſq; more noſtro fabricādi peritos artifices, Regi Calecutii, quod nobiliſſimum Orientis emporium eſt, ſubſidium quo Luſitani pellerentur Indicis oris. Egerunt præterea cum Rege Catholico vt eas cōtrouerſias componeret, pro ea auctoritate quam apud Luſitanos paterna gratia neceſſitudo & ius propinquitatis dabat. Lucri cupiditas maximi aures Luſitanorum obturarat ne pacē fœduſq; orantes audirent. Ita Laurentii Suarii legati conſilio diſſimulare conſtituit, neq; in ea re mouere quidquam nulla proficiēdi ſpe. Enimuero magnis Principib. multa aggredienda non ſunt ne dignitatis iacturam afferat irritus conatus, quia magna famæ momenta in vtramque partem ſunt.

Fridericus Rex & Iſabella Regina deceſſere. CAPVT XI.

PArum iucunditatis modeſtiæ plurimum pleriſque horum Principum aderat, acerba vitæ conditio, & mortalitatis noſtræ; quo plura ſuppetunt, pluribus eget. Cæſarē premebat inopia vectigalium filiiq; contumacia paternis conſiliis repugnantis. Philippi principis vxor mente vacillabat. Matrem eius Reginam ſub vitæ finem morbus prolixus & fœdus inuaſerat breui finem allaturus vitæ, nullis idoneis remediis. Eius morte incommoda ne redirent & tumultus, prudentes merito verebantur, certe rerum & reip. moderandæ forma ne ab antiquo mutaretur. Regi Gallo quæ poterat eſſe tranquillitas præter alia ſpoliato ampliſſimi regni opibus, iniuria, vti ille putabat. Fridericus Rex anxio pectore nō ceſſabat apud animū ſuum agitare rationes in priſtinas opes patriāq; redeundi. Obteſtari Reges vt memores rerū humanarū, & fortunā ſuam moderarentur, & alienā miſeriam ne vrgerent. Deſertus tamen ab omnibus, ac inani tantū ſpe lactatus diu, eam atrę bilis vim toto corpore ſuſcepit venis diffuſā vt labefactata valetudine in febrim quartanā inciderit. quo preſſus morbo Bleſſis poſt legatorum diſceſſum Turones rediit, ordinario domicilio delectā vrbem propter cæli & agri præcipuā temperiē & amœnitatē. Rei familiaris anguſtia premebat, propinquorū fides fluxa, inter hoſtes infenſiſſimos diuturnū exilium,

Fieri non posse considerabat, vt duo Reges in vnam sententiam conspirarent. Quod de sua restitutione proponebatur merum esse ludibrium ad orbem fallendũ se distinẽdum ea dissimulatione. Neque in eo decipiebatur, quando ab vtroque eæ conditiones proponebantur, quas alterum non probaturum minime dubitabant. His anxium curis maior ex arcano dolor vrebat. Filium Calabriæ Ducẽ cui proxima regni spes destinabatur, non ea esse magnitudine animi, industria, virtutibus quib. ad emergendum ex iis angustiis opus erat, ac se defuncto cogitabat facile obtemperaturum præsenti rerũ statui, haud magno ad superiora conamine. In quam sententiã sub vitæ finem litteras ad filiũ dedit, multis prudentiæ luminib. illitas, præceptisque saluberrimis distinctas. Debere se eum ita rebus præsentibus accommodare vt ad maiora niteretur, neque præposteris voluptatibus extingui vigore animi, frangi corpus, neq; terreri difficultatib. quãuis maximis oportere. Se fortem & munificum vt præsens fortuna daret, cũctis exhiberet, corpus idoneis laborib. virile efficeret ac militare, modestia animũ firmaret. Ex quo intelligitur huic principi nõ consiliũ non prudentiã defuisse. Fortuna aut vis maior virtuti obstitit, contra quã non est satis cauta mortalitas. Hæc eius se conatibus perpetuo aduersam exhibuit. Atque ita vt nocte quadam ædes, vbi habitabat, improuiso igne concepto, lateque fuso incendio conflagrarint, vix vt cum vxore & filiis nudis nudus euaserit. Eo casu recrudescente auctoque vehementer morbo in ea vrbe decessit ad quintum Idus Nouembris, morte quam vita felicior nihil delato regno assecutus nisi labores curasq; graues. Duas vxores habuit. Ex priori Carlottam filiam reliquit eo iam tempore in Gallia nuptam, ex posteriori filios quinque. Isabellam, Iuliam, Alfonsum, Cæsarem, & qui cæteros ætate præstabat Ferdinandum Calabriæ ducem. Medinæ is Campestris se tenebat, Regibus assiduus cum de patris obitu nuncius aduenit. Prospero Columnæ id denunciandi, doloremque leniendi abs rege Catholico cura data est. Tametsi & ipsum proprius dolor vrebat ob Reginæ afflictam ac plane desperatam valetudinem. Proximo illa interitu Philippi principis & vxoris aduentum in Hispaniam solicitare moræ omnis impatiens metu ne motus existerent, idemq; ægrotæ verbis exposcebat Guterrius Gometius Fuensalida apud Belgas regius legatus. Excusabat princeps bellum à Gheldriæ duce finibus illatum. Ea species prætensa auersæ voluntati veniendi, imperii Hispanici quod deferebatur, contemptui, vti præse ferre videbatur. Inter has molitiones ingrauescente morbo in eo municipio decessit ad sextum Kalendas Decembris magno atque incredibili prouinciæ totius luctu, principẽ amisisse dolentiũ ea animi magnitudine & prudẽtia, ii virtutib. vt inter laudes eius minima sit, superasse lõgo interuallo Reginas alias quascũque Hispania vidit ab omni memoria, ac vero totius orbis à multis profecto seculis. Granatã sepulcro delegit. ibi quoniã regiũ sacellum nondũ extructũ plane erat, trãslatitio funere in Alhãbræ arce cõposita est. In funere atq; exequiis sago indui prouinciales vetuit, atq; ex eo tẽpore lugubris amictus insolẽtia tũc vsitati, mitiori luctu mutata est. Donationes vi magis quã volũtate sui regni initio expressas, fore iniustas testamẽto sanxit. A quo numero exemit tamẽ Moiam, quã vltro datã ob eximia merita affirmauit Andreæ Cabreræ eiusq; vxoris. proinde ratũ beneficiũ in omne tempus propriumque fore voluit. Hæredem ex asse Ioãnam filiã scripsit, vnaq; Philippũ eius virum. Addito tamẽ iuxta ea quæ ante biennium regni conuentus postularant, si valetudine absentiave aut aliam quãcumq; ob causam Ioanna impediretur, aut omnino nollet regni curã suscipere: vti eius loco & nomine Ferdinãdus Rex remp. procuraret, dum Carolus nepos viginti nihilominus annos esset natus. Præterea vltra militarium ordinum magisteria Regi à Pontifice commendata, prouentuum omniũ dimidiũ ex insulis & continẽti noui orbis viro legauit. præterea viginti quinque aureorũ millia ex aliis vectigalibus regiis item annua. Testamẽti curatores Regem nominauit. Toletanum præsulem, Dieghum Dezam Palentinum episcopũ, Antonium Fonsecã, & Ioannem Velasquiũ rationũ regiarũ magistros, præter hos ab epistolis Ioannem Lupum Lezarragam fidos & industrios experta. Non deerãt tamẽ viri alioqui præstantes, qui stolida temeritate Reginæ testamẽto cõtempto Ferdinãdo Regi suaderẽt vti continuo in Regis Castellæ nomẽ inuaderet, quippe è Castellæ regib. genus ducenti per viros stẽmate ducto serie cõtinua. Ad tuendam auctoritatẽ id fore cõmodius quam vicarii administratoris nomen. Populorũ studiis & antea adiũctis, & nũc sublatis quibusdã tributis & edictis, quæ subditos male haberẽt, aucta gratia, de successu verẽdũ nil esse. Surdis auribus hæc accipiebantur, mirabili animi constantia spernentis, quæ ab aliis per ferrũ & ignes petũtur. Ita ipso die, quo Regina obiit post prãdium luctu in lætum vultum mutato, egressus regia è suggestu in foro excitato regia vexilla explicari, Ioannæ filiæ & Philippi viri nominibus gentis instituto inclamatis curauit. Fridericus Toletus

Albanus

Albanus Dux vexilliferi partes impleuit. Eo exemplo per vrbes & oppida, quib. ea prærogatiua data est, similis cæremonia est perfecta, sed inclamato tantum Ioannæ Reginæ nomine, Philippi viri mentione nulla, tantundem in regiis diplomatis, atq; edictis publicis, quæ voce præconis euulgantur, obseruatum est. Enimuero sacramento veteres tabulas, priuilegia & leges regni confirmari à Philippo prius volebant, ne aliquid ab antiquo moueretur quod ciues improbarent, turbas conciret. Assuetis homines stari malunt, nisi quæ vsus manifeste arguit, ac nominatim ne externos in iudicum senatum legeret, neq; iis vrbes aut arces crederet, vti ab Isabella Regina testamento inter alia cautum expresse erat. Hoc mense & Decembri proximo vis ingens pluuiarum extitit, mira aquarum proluuies, atque ita vt agris superfusi amnes, corruptis satis famē grauissimam attulerint qua vt hoc anno sic proximo in Hispania laboratum est: famē excepit pestis lues per omnes partes diffusa cum magna multorum clade.

Controuersia de Castellæ administratione. CAPVT XII.

ISabellæ Reginæ morte contentiones molestæ extiterunt. Concordia & potentia vix vno vestigio consistunt. Ferdinando Regi & vxoris testamento Castellæ regnum administrationem retinere erat destinatum, haud dubio impedimento Ioannæ filiæ, quam in Belgis inclusam teneri vulgatum erat, sublata decernendi, atque quoquam egrediendi libertate. Id vt assequeretur, primum genero Regi per litteras renunciauit, ne sine vxore omnino in Hispaniam veniret. Cupere prouinciales, quod fama ferebatur, de eius valetudine certius cognoscere, idonea esset an secus rebus in Castella gerēdis. Deinde ex vniuerso regno proceres, & procuratores vrbiū Taurū euocauit ad conuētus generales. In iis conuētib. tertio Idus Ianuarii salutis anno Mil. quingent. quinto Garsias Lassus Ve- 1505.
ga Legionis promagister Præses cæteris datus ac vero reliqui procuratores vrbiū lecto Reginæ testamēti capite de regni hærede eiusq; ad ministratione, defunctæ volūtate approbata secundū eam consensu sacramentū Ioannæ dixere quasi Castellæ Reginæ, matris hæredi, ac Philippo viro coniugis iure, præterea Regi Catholico administratoris nomine. Ac paucis inde dieb. in conuentu pronunciatum nouæ Reginæ valetudinē esse exploratā. Idoneis id testib. fama vulgarat, quæ nihil occulti esse patitur inter Principes maxime. arcana quoque populo proponit atque explicat. Proinde orare Regē omnibus precibus, vt vxoris carissimæ volūtati obtemperaret, rempublicā capesseret, neque desereret in sinum confugientē. Simul in Belgas nuncios misere cum litteris tertio Idus Februarii datis, quib. nouo Regi rerum à se gestarum rationē reddidere. Ab his initiis conceptā animis tranquillitatis spem multa turbarunt. Plerique rectoris mutationem expetebant humani ingenii initio futura præsentib. potiora fore putantes. quæ sæpe fefellit spes. Ac proceres præsertim iniquo animo ferebant Ferdinandum Regem rebus præesse. quemque suus vrebat dolor an spes incitabat. pars oppida Herici Regis domo possessa diu, noua censura detracta moleste ferebant, alii quod postulati alicuius & voti cōpotes non euasissent, dolere scilicet impense. Illud vero cūctos male habebat, quod iudiciis cōstitutis, legibusque reddita vi potētiorum insolentia frænabatur, ne impune in tenuiores inuolarent, vti facere antea impune consueuerant. In eo numero Petrus Manricus Anagari Dux cæteris ardentior suis & suorum opibus palam Ferdinandi conatibus obsistebat. Secundum cum Dieghus Lupus Paciecus Villenæ Marchio se ostētare offensus eius principatus oppidis pridem ablatis, nisi rebus turbatis nulla recipiendi spe. Aliis proceribus idem animi erat, & si tempori seruire ac tantisper dissimulare decreuerant, eo daturi vela, vnde melior spes ostenderetur priuati commodi, quæ potissima cura erat. Vnus Fridericus Albanus Dux perpetuo à Ferdinandi partibus immotus stetit, viri fidem prædicandam si reip. amor tranquillitatis & nō potius propinquitatis respectus detinuit, ne cū cæteris sentiret. Hæc domestica erāt. Atrocior à Belgis imminere tēpestas videbatur. Philippus & amicorum principes offensos se putare importuno Ferdinandi Regis conatu. Quod Regis nomen adiungerent, & ad veniendum in Hispaniam inuitarent, id contumeliam interpretabantur. Quæ apud concordes vincula caritatis, apud infensos irarum incitamēta erant. Quorsum venturum dicebant? Regem cur vocarēt? Quid enim nisi ludibriū contineret, Regis nomē dare, & Regiā potestatem adimere? Quid in Castellam veniret? an vt acceptæ ignominiæ deformis testis viseretur? inani vmbra regiæ maiestatis, fructus penes alterum esset? Ægris cunctorum animis faces subdebat Ioannes Emanuel in exiguo corpore ardenti prorsus ingenio, multo in dicendo sale. Id veritus Ferdinandus conatus erat illum à Philippo genero abstrahere, ne latius incendium importuno afflatu

funderetur. Ac primum in Germaniam redire iuſſit iniunctas oratoris apud Cæſarē partes implere mandans. Philippus ſoceri arte perſpecta diſcedere non permiſit amica vi parata niſi obtemperaret: ac vero maiori deinde in gratia fuit omnium arcanorum particeps ac pene arbiter factus. Quia id non ſucceſſerat, magnis pollicitis eius vxorē Catharinam Caſtellam non minoris animi fœminam tentare viſum eſt, ſi benignitate præfractus viri animus expugnaretur. Multa & magna ipſi & filiis promiſſa. Parum tamen eſt ea noua diligentia profectum. Vir enim apprime ſagax maiorē in principe & iuuene & munifico ſpem reponebat, quam in ſene & callido & parco. Non reſtiterunt offenſiones in vno gradu locoq́;, ſed in Italiam tranſgreſſæ effecerunt, vt Ferdinando Gonſalui fides eſſet ſuſpecta, ne ad generum & Cæſarem inclinaret, regnumq́; ex eo Neapolitanum eriperetur. Augebat ſuſpiciones diſſimulanter eoq́; validius Proſper Columna ſuo in Hiſpaniam aduentu, quamuis ſibi & propinquis ex aliena inuidia captans emolumentum, & conſecutus adeo quæcumq́; voluit. Ac nominatim datum, vt ala quadringentorum equitum Liuiano credita, ad ducentos redigeretur. Iuſſit pręterea Ferdinandus, vt mille & ducentis cataphractis, ſexcētis equitibus expeditis, ac tribus peditum Hiſpanorum millib. Neapolitani regni retentis præſidio, duo millia pedites Hiſpani mitterentur in Hiſpaniam in belli Africani apparatum, Germanis miſſio eſſet. Quæ omnia eo pertinebant, vt impenſa minueretur, ac vero debilitatis Gonſalui viribus nocere ex Italia nemo poſſet, ſi res deduceretur ad bellum. Rebus enimuero Neapolitanis & litibus diiudicandis nouum in curia regia tribunal eſt conſtitutum, iudicibus deſignatis Thoma Malferito, Ludouico Sapata, Ludouico Sanctio Ærarii præfecto, Ioanne Baptiſta Spindo, deniq́; Michaele Perſio Almaſanio qui eſſet à commentariis, actaq́; & decreta teſtato deſcriberet, & actionum formulas dictaret. E Vaſconibus Latro Mauleonius legatus Regum ſuorum nomine pacem & veniam petiit à Ferdinando, inter vtramque gentem conſtitutam confirmari amplius Philippi Regis filia iuncta connubio Henrico Vianæ principi, cui proxime poſt parentes regnum deſtinabatur Vaſconum. Adiunxit poſtulatis Valentino libertatem reddi in arce Medinæ Campeſtris iuncto. Quod Cardinales item magno numero expoſcebant in Alexandri Sexti ære, quippe ab eo in ſenatū allecti purpura data memores beneficii. Ad hæc Ferdinādus pacem fœduſq́; probare; ac ne reiicere coniugium quod expetebāt. De Valentini libertate præciſe negare tunc quidem opportunum fore. Hęc palam reſpondit ex arcano anxius, & de fide Gonſalui ſuſpicione ſuſcepta, ſæpe in animo voluens; expediret Valentini opera vti in rebus Italiæ. Fidelis tantum obſequii pignus requirebat: ne accepta libertate ad hoſtes tranſiret pro ingenii varietate, & vinculorum diuturnitate amplius patientia irritata amplius noceret. Eo deſcenſum vt Alfonſus Ateſtinus Ferrarienſis Dux, patre per hæc tempora defuncto non dubitaret pro leuiro ſe vadē offerre; & eſt grauior & difficilior animi & ſententiæ pro alio, ſit ille quicumq́;, quam pecuniæ obligatio. Ab Emanuele Luſitano Rege Romam legati Dieghus Soſa Portuēſis Epiſcopus & Dieghus Paciechus, qui gaudio ob delatum pontificatum fungerentur, & more maiorū obſequium debitum deferrent. Simul ad retinendum Indici maris imperium poſt varias claſſes annis ſuperioribus miſſas in Orientis oras, placuit Prætoris nomine virum idoneum mittere, cui cęteri Luſitani obtemperarent, & cuius imperio deuincti, maiori animorum concordia in negocio verſarentur. Franciſcus Almeida delectus perſpecta prudētia & virtute vir eſt, qui valida inſtructa claſſe quam primum eam prouinciā ſuſciperet, multis impeditam difficultatibus. Nam & Veneti obſtabant conatui, vti antea dictum eſt, & Ægypti Sulthanus ſiue vltro, ſiue iis incitatoribus, Luſitanos Indica nauigatione prohibendi negotium in ſe quaſi proprium ſuſceperat. Franciſci monaſterio Hieroſolymitano Præfectus nomine Maurus vir Sanctus cum litteris ad Romanum Pontificem legatur in Ferdinandum contumelioſis, iniuria occupaſſe Granatæ regnum, maloq́; Mauros compuliſſe ad Chriſtiana ſacra. In Luſitanum minacibus propter Orientis commercium interceptum, regionum vectigalium & ſingulorum priuati commodi incredibili calamitate. Niſi Pontificia auctoritate audaces conatus aſperioribus frænis & cenſura ipſe caſtigaret, excidium Hieroſolymitani ſepulcri, cum ignominia religionis Chriſtianæ, ac vero piis omnibus, qui in eius ditione erant minitari. Ea legatione denunciationeq́; minarum commotus animo Pontifex eundem Maurum miſit in Hiſpaniam cum earum litterarum exemplo, vt iis conſideratis Reges quid barbaro reſpondendum, quid faciēdum videretur mature perſpicerent. De Ferdinandi reſponſo nihil traditur minas, vt erat magno animo, contempſiſſe credam. Luſitanus quidem ad quem maxime eæ voces molitioneſque ſpectabant, litteras ad Pontificem hac ſententia dedit. Ex earum litterarum exemplo quas à Sulthano datas ad nos miſiſti, cognoui accuſationes in Regem ſocerum meque

conflatas laudes verius quam vituperationes. Quid enim glorioſius Principi Chriſtiano contingat, quam impietati odio eſſe? Minæ quas adiungit, eo ſpectant, vt à Chriſtiani nominis amplificatione deſiſtamus. Quid Rex ſocer ad hæc reſponſurus ſit, nõ eſt noſtrum ſtatuere, ipſe pro ſua prudentia obiectis calumniis ſatisfaciet. De me illud plane affirmare poſſum, cupere oppido maiorem Sulthano expoſtulandi datam occaſionem. Ac vero Indica nauigatione ſuſcepta, nihil æque cordi fuiſſe, fateor, quam Mecchæ Mahometis ſepulchro vrbis & ædis famoſæ euerſionem. Quod eum Deo futurum aliquando ſperamus. Tunc Sulthano licebit maledicta in nos effundere maiori ſtomacho. Exiguo nũc incommodo allato quid latrat? Interfecturum Chriſtianos euerſurumq; ſacrum Hieroſolymæ ſepulcrum, quod minatur non arbitror tam fore præcipitem ac temerarium, vt vectigalibus carere velit, quæ ex ea natione ingentia rediguntur: ne commiſſurum quidem vt vniuerſum orbem Chriſtianum excitet in vindictam iunctis cunctorum viribus. Quod vt contingat, veſtrum erit, Pater beatiſſime, curare ac vero præſtare. Principum animos & vires in vnum conſenſum ſociare euellendi ab ſtirpe gentem ſectamq; nefariam. Hanc laudem ab Alexandro Pontifice, fruſtra expetitam expectatamq;, fortaſſis in veſtra tempora cœleſte numẽ ſeruauit. Quod reſponſum Sulthani litteris dari par ſit, ſtatuent ſacri iſtius collegii Patres veſtræ adminiſtri poteſtatis, neq; enim tãtæ ſapiẽtiæ quanta in Romanis ſedibus verſatur, quidquam perſcribere noſtræ modeſtiæ eſſet. Quid animi geram, quo tendant noſtri conatus breui epiſtola explicaſſe ſatis habeam.

Offenſiones inter duos Reges ſocerum & generum continuatæ. CAPVT XIII.

IN Tauri conuẽtibus leges promulgatæ ſunt, quæ Iſabella ſuperſtite ſancitæ vulgo à loco leges Tauri vocantur, reip. imprimis ſalutares. Soluto conuentu Ferdinãdus tamen in ea vrbe reſtitit vſq; ad Aprilis finem ex propinquo explorare cupiens Luſitani Regis animum, in quam partem ſe daret, in ſuſcepta cum genero de Caſtellæ adminiſtratione controuerſia. Proceres odio incitati eam moram in peius interpretari, Ioannam Henrici Regis filiam velle ſibi connubio iungere, eius repetito iure, quod armis ante impugnarat inuitis genero & filia non Caſtellæ adminiſtrationem retinere, ſed etiam regiam maieſtatem. Inſanum quantum ii rumores multorum animos alienarunt. Rebus turbatis multa finguntur libere, creduntur impune prona ſemper in deterius hominũ perſuaſione. Omnino Alfonſus Caualleria regio ſcrinio præfectus ſuadere inſtitit, vt rectoris nomine poſito, tutoris & vſufructuarii nomina ſumeret, patribus iure data in filiorum bona eorum, qui nondum in ſuam tutelam venerunt. Ioannam Reginam in eo numero eſſe ſi minus propter valetudinem ſenſu imbecillo, & quoniam erepta libertate quidquam ſtatuendi, procul à patria detinebatur. Adiungebat præterea regium nomẽ tum vſufructuarii iure, tum prioris coniugii quamuis vxore defuncta, exemplo Ioãnis patris, qui defuncta quamuis priori coniuge filiiſq; adeo ex eo coniugio relictis ad mortem nomen & poteſtatẽ Regis Vaſconum retinuit regno dotali. Rectoris moderatoriſque titulos eſſe imbecillos, obnoxios mutationi, Regiam maieſtatem & nomen rebus gerendis, prouincialibus frænandis fore ſalutare. Henricum Traſtamaræ Comitem parum initio profeciſſe, paucoſque eius auſpicia ſecutos: poſtquam Regis nomen arripuit, rerum continuo magnã conuerſionem factam. Hæc ille. Caſtellæ proceres quique Philippo à conſiliis erant, longe alia inſiſtentes via, regni adminiſtrationem vniuerſam ad nouum Regem ablegabant, quippe iuſtæ Reginæ virum cuius potiores quam parentis ſunt partes, arctius vinculum caritatis. Reges ſi venirent rerum ſpectatores tantum ſublata decernendi poteſtate fore tum ipſis tum gẽti ignominioſum. Duos ſupremos rerum moderatores quis ferret? quis inter ipſos conciliaret? Prudenter facturum Ferdinandum, ſi quod erat neceſſe, ſponte ſua aliena procuratione relicta, in Aragoniam concederet: inde filios iuuaret pro virili atque ex eorum voluntate. Vi extorquere gubernacula fore noxium. De regnis Neapolitano & Granatenſi non minus ſententiæ diſcrepabant. Ferdinandus enim Granatenſis imperii partem ſibi tribuebat quippe coniugii tempore partum profectitium incremẽtum à Neapolitano conſortium omne excludebat, nempe ex Aragoniæ gentis antiquo iure occupatum. Ita moleſte tulit à genero in Gallico fœdere, de ea ditione, quaſi de re ſua fuiſſe ſtatutum, ne appellato quidem ſe, cuius in iure mancipioque eſſet. Eo etiam Gonſalui fides ſuſpecta erat quaſi homo in Caſtella natus Caſtellæ incrementis faueret. Aucta ſuſpicio miſſo Neapolim ex Germania, qui Cæſaris nomine rogaret ecquid animi gereret, ſi res ad arma deduceretur. Pontifex quoque quærere ex eo porro inſtitit, ſi cum Cæſare & Gallo Rege armorum ipſe conſtitueret ſocietatem contra Ferdinandum, vtri partium adhæſurus eſſet. Et Cæſarem quidem ambiguo reſponſo ſuſpenderat haud ſatis apertis verbis negata ope. Ad Pontificem plane: ignorare profecto eum quibus maioribus

esset natus, quantis ipse priuatim astrictus vinculis, ne Regi suo fidem datam falleret, ac vero ne turpitudine aliqua suscepta familiæ nobilitatem fœdaret. Sic in Italia res erant. Ferdinandus Tauro discedens per Areualum Segobiam in æstiua abiit. Ex ea vrbe Ioannem Fonsecam tunc Palentinum episcopum in Belgas legauit, vt filiæ assiduus eius imbecillitatem consilio regeret; Lupum quoque Concillũ Michaelis Peresi Almasani propinquum, vt esset ab epistolis. Contra ad Regem Catholicum a Cæsare & Philippo filio legati venerunt, Andreas Burgius Cremonensis patria, & Philibertus, cui familiaris vsus cum Philippo erat, & Castellæ rerum ampla cognitio. Ferdinandus idoneum hominem nactus, querimonias in generum, in eius sinum effudit. rursusque Ioannem Emanuelem præcipuam discordię facem ab eo abducere tentauit. Excusauit ille discessum, palamque datam Regi Catholico fidem obsequiumque confectis tabulis renunciauit. Noua offensionum tela per hunc modum ordiebatur, præsertim Lupo Concillo in ferrũ & vincula tradito: vbi diu grauia incommoda tolerauit squalorem carceris aliasque graues miserias, quales infenso principe præsidio longinquo aduenã pertulisse fides sit. litteras ad Ferdinandum scripsisse crimen erat: quibus filia significabat, suæ esse voluntatis vt res in Castella ipse procuraret ex matris testamẽto. In intestina discordia nihil occulti esse potest. ita interceptis iis litteris lectisque Philippus iram vertit in eum qui minime noxius erat, quin & cæteris Hispanis vxoris ex familia eam alloquendi facultas sublata. Ex iis rebus aucta Reginæ molestia afflictaque amplius valetudine concussæ mentis, publico prohibere fuit necesse. Gonsaluus interim in Italia de sua comparatione nihil omittere haud ignarus suspicionum Regis, sed officiorum offensa certare constituens, obsequio fidem probare. Cum mille Hispanis peditibus, quos dimittere iussus erat, Nunnium Ocampum amandauit Plombino atque Pisis auxiliarem. Suscepta ille prouincia Plombino, quo primum appulit, Pisas profectus suo aduentu Florentinorum audaciam fregit, eripuitque vrbem e faucibus hostium soluta obsidione quam multis diebus pertulerat, ac amissa defensionis spe vix suis viribus sustentabat. Vt Lusitano creditus equitum numerus minueretur ex præscripto Ferdinandi Regis Columnii æmuli flagitare non desistebant. Dissimulabat Gonsaluus veritus hominis ingenium non laturi iniuriã dignitatis fœdatæ. Cognito tamen cum Pontifice in Hispaniæ perniciem occulte conspirare, ac nominatim suscepto Mediceorum patrocinio Florentinis bellum inferre velle imminuto equitum numero stipendiique militaris parte dimidia detracta continuo ille quasi persona posita Plombini occupandi improuisa vi consilia agitauit. Viribus maior conatus, præsertim Nunnio Ocampo in eam vrbem reuerso. Ita conuerso itinere Pisas ingredi cõstituit, quasi præsidio aduersus hostes futurus. Eæ molitiones vno tempore tum Gonsaluo tum Florentinis indicatæ sunt. Ac Gonsaluus quidem reliqui stipendii mulctam, atque vectigalium, quæ dono Ferdinandi obtinebat in Neapolitano regno indixit, si vlterius procederet. Florentini etiam ductore Hercule Bentiuolio obuiam profecti angustiisque obsessis prope Turrim sancti Vincentii quinque millibus Campilla dissitam Plombini ditionis oppido collatis vexillis profligarunt. Victus in ea pugna atque vulneratus, præterea Neapoli, vti indictum erat demptis bonis omnibus deformis iratusque palam desertis Hispanis aliena auspicia est secutus. Vulgi opinioni euentus respondit. cuncti ardenti ingenio & inquieto hominem non diutius in fide permansurum existimabant quam aliunde maioris spes commodi non ostenderetur. Milites, quos dimitti iussum erat, quamuis spe facta non ad otium sed ad bellum Africanum Gerbisque insulam occupandam amandari, tumultu concitato seditioneque facta magnam Gonsaluo iniecere curam, ne maior inde rerum moles exurgeret. Eam tamen diligentiam adhibuit mulcendis animis militaribus, qua arte plurimum valuit, vt breui contumacia deposita, ac imperata facere parati in Hispaniam nauigarint.

Varia cum Rege Gallo fœdera. CAPVT XIV.

CVpiebat Philippus Belga fœdus Blesis cum Gallo Rege sancitum patris Cæsaris consensu ratum esse. Colloqui visum ad Haguenaum imperii vrbem. Conuenere eo ad diem dictum tum Cæsar tum Philippus: Accessit Georgius Ambeosa Rhotomagensis Cardinalis cum ampla decernendi potestate quam Gallus dedit, ex eius cõsiliis rempublicam bello paceque regere solitus. Vt Mediolanensis principatus Cæsaris consensu Gallo confirmaretur, vti erat ante decretum, iure hæreditario concesũ, si mascula proles esset, sin minus Claudiæ & Carolo eius sponso dotis profectitiæ nomine cederet: cũ eo tamen vt si Galli culpa id coniugium non constitisset, ab eo in Austriacam familiã datum

beneficium

beneficium transiret. Additum præterea, ne ea indulgẽtia cuiquam præiudicio esset. Hac exceptione Ludouici Sfortiæ filii causam tutati sunt; in paternas opes restituti postmodum. Priori conditione Carolus iam Augustus obitu Sfortiarum eum principatum ad se iure deuolutum occupauit, posterisque proprium reliquit. Sed vtique eo euentu Gallo restitui mandatum ducenta Francorum millia concessæ veniæ pretium in præsenti. Cardinalis Rhotomagensis sui Regis nomine in verba Cæsaris sacramentum dixit fidei debitæ pignus, quoniam is principatus imperii beneficium est potiori dominio semper penes Augustos retento. De Neapolitano regno in hoc colloquio nullum verbum, sed Caroli & Claudiæ coniugio decreto id imperium vltro in dotis partem accedebat. Ægre tulit. Ferdinandus se inscio de rebus tantis constitui, fœdusq; haud obscure se aduersum fieri grauissimis verbis expostulauit, in generi consultores inuectus potissimum, simplicem Principis animum fraudibus circumuenire, idoneum ducere quem ludibrio haberent. Ac illud vrebat maxime Gallo Regi Mediolanensia iura confirmari, nulla Burgundiæ aut Neapolitani regni facta mentione, neq; aliunde compensatione pudenda siue incuria siue ignauia. Ita Austriacis infensus nulla affinitatis cũ iis initæ memoria, ad Galli Regis occupandam gratiam adiecit animum, suis rebus ex eo præsidium parans, quemcumq; cursũ cœptæ offensiones tenerent. Has cogitationes versanti, aliud atq; aliud subiiciente animo, fore optimum visum est cum Germana Fuxensi coniugium, quoniam eius Regis ex sorore nata erat caritate filiæ instar. Eo consilio Ioannem Enguerram è Cisterciensi ordine Inquisitorem in Catalaunis, quo occultior esset conatus, ablegauit in Galliam cum mandatis & in eam sententiam litteris. Gratum imprimis id postulatũ Gallo accidit: atque ita vt iura regni Neapolitani in Germanam eiusq; filios trãsferret quasi dotalia, addita tantum lege, vt nulla suscepta prole ex eo connubio, id imperium, absq; controuersia ad se & hæredes rediret; quingenta præterea aureorum millia decem annorum spatio æquis pensionib. Ferdinandus numeraret pro impensa in superiorib. bellis facta. Andegauensib. bona fide redderentur ablati maiorum principatus, ꝙ erat plane difficillimum. Captiuis Gonsaluus redderet libertatem ac nominatim Rosanio, & Bitonti Marchioni. Dux tantum Valentinus & Pallasius Comes ab hoc numero excepti, ne vinculis eximerentur. His legib. Gallus fidem obstrinxit adiutorem fore Ferdinando aduersus Cæsarem eiusq; filium, si Castellæ procuratione extorquere tentarent. Guiuardinus addit à Ferdinando Gastoni leuiro promissam item opem ad Vasconum regnum occupandum iure suo vti ipse existimabat. Magnarum rerum fundamenta ponebantur: quibus conditionibus sanciendis vere exacto, adultaq; æstate, tandem ad octauum Kalendas Sept. Segobia missi sunt Ioannes Silua Cifontanus Comes, Thomas Malferitus, ipseque Ioannes Enguerra cum ampla statuendi facultate, & publicis tabulis, quib. Neapolitanis captiuis libertas, exulib. patria bonaq; pristina reddi mandatum. Atq; vt maior esset fides, actũ de coniugio est Roberti Salernitani cum Marina Aragonia, Alfonsi Aragonii Villæformosę Ducis Ripagorsæ Comitis filia. Tanta ex his reb. Galli lætitia vt Philippum Belgã Hispaniæ aditu prohibere conaretur misso idoneo homine, qui eius nomine denunciaret, ne prius se itineri daret, quam componeret cum socero controuersias. Verbis adiungit facta Gheldriæ Duce persuaso, vti maiori quam antea mole & copiis Belgam lacesseret. bello in ditione implicatum ab Hispanię cogitatione abducere erat destinatum. Hoc euulgato fœdere magni animorum motus extitere in Italia atq; per vniuersam Hispaniã. Exulum oppida qui possidebant inter se conspirare, sanguinis pretium tueri armis destinantes inter se præsidio fore. In eo numero Prosper Columna offensus maxime, Neapolitanis finib. abscedens Pontifici polliceri non dubitauit, si Gallus iure eius regni decederet, suis & suorum virib. ad ius ecclesiæ reuocaturum. Castellæ item proceres nouo coniugio cõmoti, eo amplius quod fama vulgabat, ab Isabella Regina Ferdinando rerum in Castella procurationem demandatam iurato prius cœlibem vitam, Cifontano suadere conuitio, ne in Galliam de iis reb. legatus proficisceretur, nisi vellet gentis vniuersæ inuidia deflagrare quasi saluti communi aduersus. Quidam etiam Gonsaluum accusare, quod tandiu cũctaretur Philippi Regis partes palam profiteri. Nouo coniugio id regnum Carolo Principi detrahi siue fœcundum extitisset filiis, siue nulla suscepta prole. Philippo quidem ipsi grauem molestiam attulit, non Regno Neapolitano per eas conditiones cadere, sed de vniuerso Aragonio imperio periclitari si proles mascula socero esset ex noua coniuge nata. Generi animo leniendo Petrum Aialam, qui legati munus obierat in Anglia, Rex Catholicus misit in Belgas, vt vna cum Fuensalida ordinario oratore fœderis initi generum admoneret: atq; suo nomine postularet Concillo libertatem, qui ad Villabordam arcta custodia vinctus tenebatur. Fecerunt illi diligenter ꝙ iussum erat. Responsum tamẽ placere

coniugium,neq; suæ modestiæ esse quidquam in eo præscribere, socero sui iuris, eaque prudentia & rerum vsu quam vellet vxorem ducere fas esse. Quod de Consillo postularent vnum è familia esse annuo designato salario, vincto ob crimina dari libertatem fas non videri nisi ex legum præscripto vindicata prauitate. Veneti inter hæc quasi ludi spectatores procellam ipsis imminentem non considerare. Pontifici tantum in speciem placato retentis in Flaminia Fauentia modo & Arimino. Fori Cornelii & Cæsęnæ,quæ obtinebant oppida ex fœdere reddidere, suscepto præterea patrocinio Ducis Vrbini Vrbis Romæ Pręfecti quem Pontificis fratre natum,in eius gratiā Vrbinas adoptarat hęredem data coniuge Mantuani ex sorore sua filia. Gonsaluo missus qui pacem cum Gallo pactam nunciaret, cum mandatis quam primum in Hispaniam maturaret. Consilio eius & auctoritate ad res magnas componendas egere rempublicam. Ex arcano Cæsaraugustanus pręsul erat designatus successor in regni Neapolitani procuratione. lætatus Gōsaluus eo nuncio pacis fœdera voce præconis euulgari, publicaque lætitia celebrari iussit ludis conuiuiisque. Commissa spectacula. cōcurrere milites ad simulacrum pugnę. Quod de discessu iubebatur præsto se esse respondit, breuiq; facturū. Ex animo an simulate ne tunc quidem cognosci potuit. Sane aduersis quandoq; tempestatibus sæuaque ventorum vi, aliquando vario rerū euentu prohibitus, diu profectione sustētata maleuolis occasionem præbuit in deterius interpretandi, variis sermonibus materiam. Ioānem quidem Lupum Vergaram, qui ei à secretis erat, miserat in Hispaniam syncеræ ipsius voluntatis fideique rebus omnibus cultæ testem idoneum. modica dictis fides, quoniam verbis facta non respondebant.

Mazalquiuirum in Africa captum de Mauris. CAPVT XV.

NOn discedebat à Catholici Regis latere Toletanus Antistes, eius dignitatis in omnibus controuersiis acerrimus fautor, multos etiam auctoritate retinuit, ne studia verterent in contrarium. Ingenti præterea animo vir gloriæ cupidior, quam pro humili conditione in qua natus educatusque fuerat, Regi crebris sermonibus etiam tum superstite Regina suadere institit, vt confecto Neapolitano bello in Africam arma verteret maiori gloria minori inuidia, neque contemnendo fructu. Quantum terræ parari potuit, eo, quem inter se Galli & Hispani fuderant, sanguine? Eo ventum vt Rex non exiguum militum numerum redire in Hispaniam iusserit, effeceritque ad eam expeditionem penitus conuerso animo. Tendilliæ quoque Comes si centum aureorum millia ex regio fisco numerarentur, Oranum & vicinum portum Mazalquiuirum aliaque oppida finitima se Mauris erepturum pollicebatur, reddito etiā quidquid ex ea summa superesset impensæ, quod deesset suppleturus de suo. Pactionem propemodum confectam Reginæ importunus obitus disturbauit. Verum ne is conatus inanis prorsus euaderet, neq; milites Neapoli aduecti otio marcerent, Toletanus in eius belli sumptus mutua dedit ad triginta aureorū millia. Hoc subsidio in Bęticæ littorib. classis instructa primū ad Tedeliciū fraude occupādum: quod oppidū Bugiā inter & Algeriū ad mare nostrū sitū est. Deinde quoniam tanti nō erat, neq; cōmode retineri oppidum poterat longinquis auxiliis nulla prope fida statione mutata sententia placuit classe Mazalquiuirum inuadere. Ea voce Arabice Portus Magnus significatur, quo nomine à Ptolemæo olim quoq; vocatus est Orano vrbi vicinus exaduersū Almeriæ aliquanta tamē ad Orientē inclinatione. Instructa classe, in qua sex triremes maiora alia minoraque nauigia multo plura numerabantur, quinq; militū millia, Dieghus Fernandus Corduba regiæ aulicorū cohorti præfectus, delectusq; eius expeditionis Dux, ad quē summa imperii rediret, Raymūdo Cardonio rei maritimæ cura demandata, rebus omnib. comparatis è Malacensi littore soluit ad quartum kalendas Septembris. Dubio cælo profectos aduersæ tēpestates coegerūt ad Almeriam subsistere aliquot dies. Ita ex eo portu sublatis denuo velis idoneis tempestatib. classem incolumē ad tertiū Idus eius mensis Mazalquiuirum intulerūt. tametsi in aditu portus propugnaculū erat ex disciplina militari prudenter ædificatum multis horridum tormentis. Exponere in terram milites difficile erat ad vada cæca & męandros quibus littus impeditur, tempus aduersum accedebat, marini fluctus inflati, ad hæc centū & quinquaginta Mauri equites pedites tria millia prohibere descensum parati. Virtuti impedimēta cesserūt. Alacres nostri mutua adhortatione in terram desilierunt. Primus Petrus Lupus Zagalius præcipua audacia miles. Secuti eius exemplo cæteri conserta pugna hostes Oranum reiicere. Quadringenti milites præsidiarii in Mazalquiuiri arce relicti occiso tormenti ictu præfecto & plerisque arcis tormentis, nostrorum globis disturbatis atque diffractis die tertio pro mœnibus supinas manus tendentes veniam orarunt. Irā in contumaces verteret supplicib. & se dedētib. parcerēt. In quo duo cōmodissime accidisse notabant.

bant. Noſtrorum enim è Malaca diſceſſu cognito, ingens Maurorum multitudo in armis ad littus concurrerat excenſionem prohibituri. Sed exiguo cõmeatu, & quoniã ex mora ſuſpicabãtur, alio hoſtes diuertiſſe, poſt octo dies diuerſi domos rediere. Sic nauigationis tarditas cõmode accidit. Neq; minus ſalutaris deditionis factæ celeritas extitit. Alioqui Mauri ingenti numero accurrẽtes auxilio ſeq; in armis per vicina montiũ iuga oſtentantes, multo difficiliorem expugnationem reddidiſſent: niſi ipſo die arcem præſidiarii dediſſent. Enimuero quib. Deus fauet hos ſubleuat excæcat aduerſarios. Sed ad Orani tamen copias ii Mauri adiuncti in aciem prodierunt, quaſi pugnandi voluntate. Noſtris tamen obuiam progreſſis totius certaminis ſortem ſubire detrectarunt. Leues modo dimicationes extitere à Mauris in lignatores noſtros & pabulatores impreſſiõe facta haud memorabili in alterutram partem euentu. Arcis cuſtodia aulicorum cohortis Præfecto credita eſt; quo honor amplior eſſet, ducis ſummi nomẽ adiunctum expeditionis Africanæ. Parta victoria & reb. aliis compoſitis Raymundus Cardonius ad octauum Kalend. Octobris ex ea quidem ora profectus incolumẽ victricemq; claſſem Malacam retulit. Mazalquiuirii præſidiariis militib. induciæ ab Orani ciuib. ſunt conceſſæ & ius cõmercii vtriſq; commodum Mauris neceſſarium ad Orientis continuandum commercium, vnde certiſſima vectigalia genti quæſtuſq; conſtabant. Venetæ enim triremes aromata & merces ex India aduehi ſolita Alexandriam Ægypti vrbem, redempta, atq; in naues impoſita ad Africæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Belgarũ, Angliæ, Daniæq; oras & portus magno ſuo & illarum gentium commodo anniuerſariis nauigationib. deuehere ſolitæ erant. Hac expeditione confecta magna nominis exiſtimatio omnium prædicatione Ferdinando acceſſit, quãdo parta Neapolitano bello laude non contentus ad noua & illuſtriora bella retulerat animum Africæ expeditionis ac Chriſtiani nominis amplificationẽ haud vano conatu. Praua ſunt hominum ingenia & varia. Maleuoli ex eo ipſo ſiniſtre ſuſpicandi occaſionẽ captare, ſpecie impugnandi Mauros vires collatas aduerſus Philippi generi conatus ſi venire in Hiſpaniam & datam procurationem extorquere vi tentaret. Toletanus quidem Archiepiſcopus à pulchro initio erectus ſtudio promouendi expeditionem Africanam in eo bello magnam vectigalium ſuorum partem impendere cogitauit: ac ne dubitare quidem ducẽ ſe ſacro bello dare, in Africamq; traiicere, vti poſtea factũ eſt, vir acer iuxta ac pius animi magnitudine ad miraculum præſtans. Hoc menſe dimidiato ex Ioãna Regina filia nata eſt Bruſſelis in Belgis, cui Maria nomen fuit, Hungariæ regnum Ludouico, Hungaro iunctæ coniugio conſequentib. tempore atq; annis. Arripuit eam occaſionem Ferdinandus de felici partu filiæ gratulatum Carolum Alagonium è familia in Belgas mittendi cum mandatis ad Philippum generum ac monitis concordiam cum ſecuritate potiorem vtriq; fore quam cum periculo contumaciam. Peſtis lue quæ Oliſipone graſſari cœperat, territus Emanuel Rex Almerinum conceſſit. Ea contagione per Hiſpaniam diffuſa fœdum annum, nobilem ſuperior victoria de Mauris parta effecit, inſigniuit etiã conuentus regius iuridicundo è ciuitate regia, vbi diu hæſerat, Granatã translatus. Vrbis de Mauris non ita pridem captæ nouis incrementis nobilitandæ amplificandæque cura ſuberat. conuẽtus Præſes deſignatus eſt Aſturicẽſis Epiſcopus vir præclarus ea ætate celebri fama.

Fœdus inter duos Reges ſocerum & generum factum. CAPVT XVI.

SEgobiæ & in Balſaino regiæ venationi deſtinato nemore aliquot menſes ſubſtitit Ferdinandus. Inde ad tertium decimum Kalendas Nouem. Salmanticam abiit. In ea vrbe pax cum Gallo voce præconis per plateas euulgata eſt, minori aliquanto Caſtellæ quã Aragoniæ gentis lætitia plauſuq;. Diuelli imperii Hiſpanici compagem, quæ poſt lõga tempora coaluerat, regio coniugio, ſi maſcula proles extaret, moleſtum aliis, gratũ erat Aragoniæ genti Regem peculiarem atq; ex ſua gente habere cupientib. Sic ſunt res humanæ quod vni iucundum exiſtit ex eo alteri mœſtitia naſcitur, nihil eſt quod æquo omnib. placeat. Ad frænandos Philippi conatus hæc omnia ſpectabant, tanta importunitate circũacti vt datis Bruſſelis litteris proceres Caſtellæ ad arma pro ſe & aduerſus ſocerum concitaret, ac nominatim Villenium, Anagari ducem, Garſiam Laſſum, Aſſidonium Vreniæ Comitem ſtudio vel maxime incenſos rerum nouarum. Ipſi etiã maris Præfectus & Magiſter equitum quamuis arcto propinquitatis gradu cum Ferdinando coniuncti nutabant. Ioannes Emanuel per litteras ægris animis diſcordiæ ſubdere faces importunus & audax; acutus iuxta & ſagax. Tametſi omnib. ſermonib. pacis ſtudium præferebat coituræ facile, modo, quod æquitas poſtulabat, Ferdinandus ſuo regno contentus, Caſtellæ tum poſſeſſione tum procuratione decederet, ſi id feciſſet cætera conuentura. Alioqui amiſſis, quæ in Caſtella

obtinebat, Aragoniũ imperium in discrimen venturum, si cæptę offensiones in aperta odia prorupissent, ventumq; esset ad manus. Propinquorum sanguine illita arma nõ facile elui. Philippum Regem haud dubie venturum idq; breui siue volente socero siue repugnante. Monuit Rex Gallus semel & secundo missis ad Philippum legatis ne se in id iter daret nisi controuersiis prius cum socero compositis. Id vtriq; honestum salutareq; fore. nouæ necessitudini id datum: si bellum esset caritate in Philippũ proniot. Iis monitis parere integrum non erat multis è Castella euocantibus, sexagintaq; nauib. nihilominus in Belgico littore paratis, conuenturis propediem plurib. Ita sexto Idus Nouemb. Brussellis cum vxore ad classem iturus discessit. Lentum iter fuit: atq; ita vt plerisq; persuasum esset, expectare ipsum, dum qui partib. studebant, palam arriperent arma. Villenius factionis caput ipso tempore Toletũ ingressus in suspicionem venit, accepta à Philippo potestate eam vrbem velle in partes traducere. Ea suspicione suscepta Siluæ factio præpotens inter eos ciues Ferdinandiq; in studium incitati Prætori adiuncti vim propulsare parabant. Id veritus Villenius ne pars ciuium cum parte confligeret, suspicionib. de se fortasse temere conceptis anxius ex vrbe discessit. Præter Siluas, Albanum & Toletanum Ferdinãdo prę cæteris studebant Bernardus Rogius Dianii Marchio, Guterrius Lupus Calatrauæ Promagister, Antonius Fonseca & Ferdinandus Vegha, hic præter vsum familiarem, eidem à consiliis. Vna omnium erat sententia: omnib. virib. impediendum omniq; ope ne Philippus in Hispania pedem poneret, nisi prius controuersiis diiudicatis. Id etiam placebat Ferdinando, & tamen vim intentare, armaq; aduersus filios sumere graue erat: ac ne satis fidebat id probaturum genti Reges legitimos prouinciæ aditu prohiberi. Varii rerũ motus, multiplices hominum conatus, temporum conditio misera; qualẽ fuisse fides sit duobus ea propinquitate de regno contẽdentib. Anxios metu prouincialium animos litteræ à Philippo in breue tamen tempus recrearunt: cupere vero cum socero concordiã cõstitui. His eius legati mandatis ampla paciscendi potestate data consensu. Salmanticæ ad octauum Kal. Decemb. subiectas conditiones societatis & amicitiæ inter duos Reges scripsere. Duo Reges & Regina rerum in Castella moderatores sunto trium pari potestate. Eorum syngraphis leges edicta diplomata, actionũ formulæ rata sunto: certe singulorum nomina in actis omnib. exprimuntor. Cum primum Philippus & vxor in prouinciã venerint, sacramentum à populis dicitor eis tanquam Regibus, Ferdinando quasi moderatori, Carolo vt principi & successori in imperio Castellę, Legionis atq; Granatę. Regia vectigalia ex æquo inter duos Reges diuiduntor deductis ordinariis & extraordinariis impẽsis: ne exceptis tum quidem ordinum militarium redditibus, quãuis Pontificum venia Ferdinando addictis. Arcium præfectos, vrbium Prętores ac reliquos magistratus legerẽt sorte scilicet pari vtriq; Regi numero designato. His conditionib. fœdus factum qui tuerentur designati Pontifex, Cæsar, Angliæ & Lusitaniæ Reges. Additum prætterea, vt si Regina rerum particeps esse recusaret, in diplomatis tamen trium nomina exprimerentur, duorum modo Regũ syngraphæ. alterius in absentia qui præsens esset solus subscriberet, ꝙ is decreuisset, id ius fasq; esset. Huius fœderis exemplum cum fide descriptũ in Belgas missum, Philippo & suis, quib. omne potestatis consortium ingratum erat, vehemẽter displicuit. Iureiurando tamen confirmare visum est. Regis Galli opes timebãtur Ferdinãdo deuincti, magnarum reb. momentum in vtramq; partem. Et alioqui vbi pedẽ in Hispania posuissent omnia ex sententia cessura existimabãt. Lupo quoq; Concillo vincto catenus atq; horridi carceris malis vexato vehementer, libertatem reddidere. Fœdus Salmantin.
1506. per plateas octauo Idus Ian. ineunte anno Mill. quingent. sexto voce pręconis euulgatum est maiori in præsenti lætitia q̃ in posterũ fructu. Philippus, vti postea cognitũ est, vxorq; biduo post soluere è littore Belgico in Hispaniam ituri. Tẽpore anni minime idoneo profectos atrox ventorum tempestas disiecit. Aliquot nauib. submersis procellæ sæuitia, reliqua classis necessario Anglicum portum tenuit, cui Vuey manrico nomẽ est. loci opportunitate inuitati Philippus Anglusq; ad Vuindessorium inter se viderũt. Cõgressus inanis non fuit. Sancita inter eos Principes amicitia, vt Margarita Allobrogum Ducis vidua Anglo denuo nuberet, pactum, Maria Angli filia Carolo Austriaco; neutrum tamen coniugium coaluit, initi tantum fœderis & colloquii pretium fuit Suffolcius Dux Anglo hosti ad non dubiam perniciem traditus contra fidem exuli à Philippo datam, tutum in Belgis fore. His reb. proficiendis, ludisq; & omni hilaritate is mẽsis & proximus abiere. Sub exitum Februarii ad Falamuæ portum nauesq; redierunt in Hispaniam traiecturi haud longissimo traiectu. Ioannis Emanuelis acre ingenium offensus animus timebatur. Sic Ferdinandus fœdere Salmanticæ euulgato ad eum litteras dedit humanissimas. Obliuioni traditis superiorib. offensionib. curaret, ad id ꝙ erat æquum, & propinquitatis iura postulabant,

labant, ſuſcepta beneuolentia Philippi animum reuocari. Sibi ſtare ſenteтiam beneficiis vincere maleuolos, officio cum offenſis & benignitate certare. Ad hæc quid Emanuel reſponderit hoc loco ſubiicere commodum fore arbitror, vt ex reſponſo viri libertas ingeniumq; haud inſulſum dignoſcatur. Accepti tuas litteras: iis obſequi certū habeo, neq; vlla in parte deeſſe muneri mihi impoſito, offenſiones pro virili parte amouēdi ſtabiliēdi concordiam. Certus Regum ætate tuis præceptis & inſtitutione informata magna commoda publice & priuatim fore. Quod mihi ſemper fuiſſe antiquiſſimum Deus & cōſcientia idonei teſtes ſunt. Etſi nonnulli, forſitan & inter alios ipſe coniectura ex iis quæ ſum per iniuriam paſſus, diuerſum ſibi perſuaſerunt. Enimuero linguas frenare qui poſſim, qui iudicia hominum varia in deterius prona? Syncerae quidē voluntatis præmium neq; expecto neq; requiro. Ac ſatis habeā ſi ſuperiores labores & merita deleta è memoria tua prorſus non eſſent. Itaq; ſenectutem meam reputanti altamque noſtri obliuionē pro præmiis, quæ in hac vita expectabam ampliſſima, credam potius velle te preces mutare: inferiaſq; extincto dare. Quam ego laborū compenſationem nolim, qui audierim Principes ſæpe miniſtris ſuis exitium cōciliaſſe: pro obſequio æterna ſupplicia reddita. Ab eorū nemine, ne ſi Chriſtianiſſimus ſit quantum Rex Galliæ, ſubditum aliquem purgatoriis ereptum flammis fuiſſe aliquando. Ego tamen officio mihi neceſſario tibi debito nunquam deero ac ne ceſſabo quidem tuam monere benignitatem, vt ſi quæ ſuperſunt explicanda in fœdere, eam modeſtiam & prudentiam adhibeas concordiæ amore quam æquū eſt & conſueuiſti tenere in omni actione omniq; vitæ parte.

Rex Catholicus denuo duxit vxorem. CAPVT XVII.

A Rege Catholico ad principes recentis fœderis vindices conſenſu deſignatos miſſi ſunt legati, qui gaudium nunciarent, confectam pacem, controuerſiis inter ſe ac generum finem allatum. Ac nominatim de Luſitano Rege cognoſcere cupiebat, ſi fœderis conditionibus non ſtaretur, quam ab ipſo opem ſperare poſſet. Reſponſum anceps fuit & frigidū, verba generalia. Et vtiq; Philippum inter & Luſitanum iuncta multiſq; officiis firmata amicitia ſtabat. Atq; adeo vt ad eum excipiendum quoniam Bæticam iturus dicebatur, Luſitania non deuia ingens facti argenti auriq; pondus pararet, conflaretq;, ſiue ad oſtentationē opum, ſeu vt hoſpiti pretioſa dona darent vaſa auro & argento viſenda gemmis & arte. Tametſi peſtis lues ſolicitabat per vniuerſam ſe ditionem diffundentis atque Scalabi iam graſſantis. Quo metu Almerino, vbi ſubſtiterat, Abrantes abiit oppidum in colle ſitum, eoq; ſalubriori, puriorique aura. In eo oppido ex Regina ad quintū Nonas Martii filius natus eſt, cui Ludouico nomen fuit, animi celſitudo præcipua, inſignis animi pietas præſertim accedente ætate, quæ longæua non fuit. Iunior ex humili loco fœmina filium ſuſcepit Antonium conſequentib. annis Ocrati Priorem facem patriæ futurū, cum defuncto patruo Henrico & Rege & Cardinali, nihil veritus natalium vitium, ſe Luſitaniæ Regem dixit factioſorum & perduellium, atq; è plebis fæce hominum ope confiſus. Infans octauo die fontib. ſalutaribus eſt admotus ſuſceptorib. Brigantino Duce cum matre & Abrantis Comite. Eam lætitiam tumultus Oliſipone haud magna occaſione concitatus vehementer conturbauit. In diui dominici Chriſti Dei è cruce pendentis effigies ſculptilis viſebatur ſiniſtri lateris vulnus vitro tegente. Die quodam qui ſacris operabantur, vitri ſplendorem forte animaduerſum per errorem miraculū putarunt cœlo editum. Repugnauit vnus quidam ex adſtantium numero procaciorib. verbis, quam eius conditio pateretur, quippe ex Iudæorum genere & ſanguine. Populus malitiam interpretatus, ferox vt ſolet in eiuſmodi rebus, & rapidus iniectis in miſerum hominem manibus, temploque abſtractum interimunt ac repente ſubdito igne pyra excitata comburunt. Quidam ex eo monaſterio monachus væcordi oratione furenti populo flammam addidit, vt Chriſto ab ea gente illatas omni tempore iniurias vindicarent è loco ſuperiori hortatur. Hæc ſinguli, hæc vniuerſi inconditis clamoribus vociferantur. Nulla res vehementius multitudinem inflammat quam religionis ſpecies quamuis ſimulata & inanis. Vbi ſuperſtitione capta eſt non ratione agitur ſed furore, alioqui impotens, ſæua væcorſque. Acti amplius in furorem populares quaſi ſigno dato in eius nationis ædes irruunt feroces formidabileſque, ſibi quiſque adhortator & dux. Crucem duo eius ordinis monachi præferebant vexilli adinſtar. Rabies in miſerorum cæde bacchantis populi tribus diebus omnino tenuit: ex quanto tempore ſupra duo millia homines ſunt occiſi plerique innoxii, aliqui etiam ex diuerſo genere per errorem aut ex ſimultate. Rebus turbatis cum omnes omnia audeant, minus inſignia ſunt quæ ſinguli faciunt, cuncta pari violentia voluuntur. Belgæ & Germani è nauibus, quæ in portu erant, concurrunt ad prædam participes futuri, aut manu ſua direptis domibus, aut à promiſcua plebe paruo

redemptis ſpoliis. Rex ex eo cōmotus, vt par erat, animo, ac vindicare certus. Dieghum Almeidam, & Dieghum Lupum, qui quæſtiones exercerēt deſtinat. Duo monachi multitudinis concitatores dicta cauſa mandati lege de ſicariis, ignis ſupplicium extinctis fuit. De pleriſq; ſontib. ſumpta vindicta ſed carptim & ſingulis, in multitudinis motu ſalutare remedium. Externi ſublatis velis euaſerunt cum nauib. copia miſeræ gentis onuſtis. Sic frequenti ac numeroſæ ciuitati tranquillitas rediit. tumultus popularis id remedium extitit, mali cauſis nihilo maius. Philippi & vxoris aduētum in Caſtellam indies ſingulos expectabant prouinciales non vno omnes animo: ſimul Ferdinandi cum Germana nuptiæ feſtinatæ. Obuii ſponſæ Salmantica Fonterrabiam in extrema Hiſpania iuere Cæſaraugustanus Præſul officio in patrem incitatus, & cum eo nobiles tū viri tum matronæ. Contra Reginæ Neapolitanæ mater & filia, tum Calabrię dux atq; ſplēdidus procerum comitatus Regem Valliſoletum proſecuti, inde Donnias abierunt. In eo oppido ad quintum decimum Kalend. Aprilis nuptiæ celebratæ ſunt neq; nullo neq; celeberrimo apparatu. Ferdinandus arcto propinquitatis gradu ſponſam attingebat, quippe eius auunculus maior Eleonoræ Reginæ Vaſconum, quæ auia puellæ fuit, frater. Soluit ea lege Pōtifex Romanus ægre tamen Cæſare & filio connubio intercedentib. Reginam ex Gallia proſecuti erant Ludouicus Amboeſa Albigenſis Epiſcopus, Hector Pignatelus & Petrus Sāctanderius à Gallo legati. Eminebant in cætero comitatu Salernitanus Amalfitanuſque & alii Andegauenſes proceres ea profectione ſperantes malis & exilio finem compoſita pace. Proximo poſt nuptias die, noui coniuges ac cæteri Principes conuerſo itinere Valliſoletum redierunt. In eo municipio Rex nouo ſacramento ſuo & ſucceſſorum nomine initi nuper cū Gallia fœderis capita omnia rata fore cōfirmauit, ſi falleret dira omnia in ſuum caput precatus. Paucis poſt diebus Andegauenſes proceres in coniugium verba quaſi Regum Neapolitanorum iuſiurandum dixere. Peracta nuptiarum lætitia Ferdinādus Burgos abiit, per cauſam excipiendi Regem generum, quem exiſtimabat ad Lauretanū portum, aut è vicinis aliquem propediem affuturum. Sequebantur Præſules Toletanus Hiſpalenſiſq;, Albanus, Magiſter equitum, maris Præfectus Comes Cifontanus, in ſtudium, vt videbatur, incitati curandi, vt regno adminiſtrando Iſabellæ Reginæ teſtamēto explicata voluntas rata eſſet, nulla in contrarium exceptione. Peruenerāt Turrecrematā: cum nunciatum eſt Reges filios ad Brigantinum portum appulſos omnino ad quartū Kalend. Maii. Lenta nauigatio longaq; mora vt eſſet, Regum in Anglia congreſſus effecit ludis & ſpectaculis celebratus in hoſpitum gratiam. Ad Falamuæ quoq; portum dum idonea ad traiiciendum tempeſtas expectatur, multi dies abierunt. Ad Brigantinum portum appellendi claſſem cauſa extitit Philippo iniecta à malitioſis perſuaſio; in Caſtellam ingredi fore commodum quam longiſſime à ſocero liceret. Eius abſentia ſi quid à procerib. moueretur, & in quam partem ſe populi darent facile cogniturum, ex euentu conſilium ſumeret, certus Salmantini fœderis conditionib. non ſtare niſi neceſſario. Totius machinationis auctor Emanuel Principis ſimplicitati & ingenuo candori illudens: vſq; eo vt in Bæticæ oram ducturus diceretur, Nerio promontorio claſſe circumducto, niſi aduerſi ventorum flatus vetuiſſent. Sub hoc tēpus Gonſaluus Marignus Aſſidonii nomine Melillæ Pręfectus Caſaſam oppidū viginti inde millib. in Phuthēſi regno ſitū cum idoneo portu, improuiſus occupauit. Operę & impēſæ ab Aſſidonio factę merces fuit id oppidum in eius, vti par erat, relictum iure hæreditario.

Ferdinandus generum cupit inuiſere. CAPVT XVIII.

PHilippi Regis aduentus, quo publicā felicitatem fundari, reb. tranquillitatē reddi par erat, ne contra reip. ſtatum pacemq; penitus conuelleret, vti ſe initia dabāt, Ferdinādi prudentia, atq; animi magnitudo effecit. Qui reb. aduerſis ſe maior, diſſimulatione, comitate, agendi dexteritate in bonū vertit, quæ incendiū exitiumq; reb. minitari videbantur. Non idē vtriq; animus erat, neq; vna agendi ratio ſed prorſus contraria. Philippus, quaſi vis pararetur Beneuenti & Lemoſii Comites ac reliquā Calæciæ nobilitatē, pręterea Caſtellę proceres ſingulos per litteras de cōmunicanda ope appellare, eiuſq; vt partes palam profiterentur hortari. Hoc quid aliud erat quā pro pace diſcordias ſerere, cōcitare tumultus temere imprudenterq;? Ab eo initio, quoniā conatus ex ſentētia proceſſerat, ſpeq; maior procerū ad eū cōcurſus fiebat ex omnib. partib. vlteri9 progreſſus palā profiteri cœpit. Salmātini fœderis legib. haudquaquā obtemperaturū, ignarus videlicet rerū humanarū inconſtātię. Soceri aulicos & miniſtros infenſos habere, malignis intueri oculis, vſq; eo vt die quodā Petrū Aialā monuerit: multa in Belgis & Anglia ſe aduerſum agitata ſcire: diſſimulaſſe tamē in ſoceri gratiā; ſi pergeret haud impune conatus fore. quando vnus eſſet è ſubditorū numero atq; in ſuo ære, attēte conſideraret, quid facto opus eſſet. niſi obtēperaret

faret malo vindicaturū. Miserat Rex Catholicus quatuor viros in curia rerū capitalium, apparitores, ac reliquum forense ministerium, vt penes nouum Regem suas quiq; præstarent partes, munera exercerent. Honori datū contumeliam interpretatus socerū tantū sibi sumere, vt ministros & famulos daret, ꝙ nullo pacto ferre habebat præiudicatum fixumq; animo, neq; tutorem pati neq; patruum, vti Ioannes Emanuel dicere solitus erat, eos vnde venerant, continuo remisit. Sic est. Multa quæ apud concordes vincula caritatis argumentaq; sunt, inter infensos iras concitant. Philippi aulici & amicorū princeps multa in Ferdinando accusabant, nouo maxime coniugio irritati cū Germana: quo filiis & nepotibus atrocem factam iniuriam scilicet interpretabantur regno Neapolitano detracto. In quo iure ac merito reprehendi poterat, nisi præpostera ipsorum ratio coegisset ad patrocinium galli Regis, vt dignitatē tueretur, quacūq; conditione confugere, artemque eludere arte. Alioqui lōge alia mēte Rex Catholicus erat, quā æmuli accusabāt. Nam filiorū aduentu nunciato continuo Raymundum Cardoniū & Ferdinandū Vegham misit de aduentu gratulatū. Ipse etiam conuerso itinere flexoq; legionem maturare constituit eos inuisurus. Substitit tamen Asturicę de eorum voluntate dū certiora cognosceret. Præterea Villeniū cum amplissimo comitatu Burgos appulsum, atq; Anagari ducem propinquis accitis & cum manu militari ad nouos Reges ire parantem, monuit, vt mutato consilio non plures comites solito secum ferrent. Eas molitiones delectusq; legib. vetitas, ne tūc quidē fore impune, quippe minime necessarias, quādo nulla belli suspicio esset, cūctis amica pax. Generū interprete Petro Aiala vt duo millia Germanos, quos secū duxerat, dimitteret hortari porro, ne apparatu non necessario prouincialiū animi offenderentur: ꝙ omni cura externo Principi prouidēdū iudicabat. Michaelem Almasanium profecto, cui multum fidebat arcanorum participi, legauit vt Raymundo Cardonio Fernando Veghę, Petro Aialæ, & Guterrio Fuensalidæ iunctus efficeret vt colloquio mutuo locus & tempus designaretur, cupere se oppido videre & amplecti filios carissimos. Fecit ille quod iussum erat. Primum vt Sarriæ congrederentur, deinde ad Pontem ferratum agitatum. Philippi intimis nullus locus placebat, metu, vt erat sagaci ingenio Ferdinandus Philippus facili ingenuoque, ne colloquio inter se susceptas suspiciones detergeret, quod naturæ iuri & propinquitatis legib. consonum priuatis aulici rationibus aduersum omni conatu vitabant. Ita Emanuel, penes quem rerum omniū erat arbitriū Petro Aialæ die quodam de colloquio Principum sermone instituto, palam edixit, Errare Ferdinandum inani fundamento magnæ, vt videbatur, molis iacto. idq; trifariam. Neque enim passuros in cōgressu de aliquo negocio fieri mētionē, hoc primū sibi persuaderet. Deinde colloquiū in agro fore non pari vtrinq; comitatu sed Philippi multo maiori. Postremo falli si in filiæ beneuolentia spem aliquā reponeret inanem haud dubiū futurā. Hæc Emanuel præ arrogātia & fastu ingentibus promissis contēptis, quib. tum filiis factis eū rursus expugnare tentarunt, quippe Principis gratia vęcors atq; se ipso insolentior. Quo tēpore hæc agebantur Vallisoleti Christophorus Columbus obiit mēse Maio immortali laude vir primus noui orbis inuentor: vti alio loco dictum est. Villenius Beneuētanus, & Anagari Dux ad nouū Regē venere festinatione fidem obsequiumq; probare certātes. Accessere indies alii proceres in iis Begiaris Dux, Asturicæ & Aquilarii Marchiones, ipseque Garsias Lassus, postremo Infantatus Dux eodē appulit. Tantis præsidiis munita factio ad maiora aspirabat præsentiū tædio nulla fœderis memoria. Ferdinandus Asturica, vbi hæserat ad Idus Maii, Rauanaliū discessit, Compostellā eūdi voluntate eā vrbem colloquio, de quo agebatur, oportunā fore ratus. Ex intimis quidā ne festinaret, monebāt. Incōsulti impetus cœpta initiis valida mora cōsenescere, ac prauos conatus debilitari. Quod praua ambitio solet, breui inter proceres & noui principis aulicos enatis odiis, quādo singuli sibi rerū arbitriū arrogarent, eas fore difficultates, quib. Philippus suo malo admoneretur, intelligeretq; quantopere soceri ope & cōsilio propterea indigeret. In eo statu res Castellę erant, vt si apertū bellū demas, peior esse nō posset. Italiæ Principes aliæq; nationes aduentu Philippi quid futurum esset auide expectare: ac cunctis erat persuasū Ferdinandū, qui eatenus terrori fuerat, dēptis virib. & potētia deinceps fore ludibrio. Ex eius calamitate & ignominia pleriq; nectere nouas spes. Eā opinionē vulgo susceptā vehemēter cōfirmabat cūctatione sua Gōsaluus, cōtra quā iussū erat, resistens Neapoli. Virū prudentē & magnū profecto nō sine causa regiis mādatis nō obtēperare. Ille tamē iis suspicionib. cognitis equos & domesticā supellectilē præmisit quasi mox subsecuturus. Deinde Petrum Nauarrum legauit in Hispaniam equis citatis moram excusatum veris rationib. redditis sui facti. Dum præsidia locis competentibus disponit, militibus satisfacit pecuniæ in stipendium ob inopiam tumultuantibus re necessaria aliquot menses extractos. Verum Ioannes Baptista Spinelus vna in Hispaniam profectus Gonsaluo infensus

tum priuatim ſibi factas iniurias cōqueri, tum praua interpretatione accuſare quæcumq; ab eo quamuis fideliter & prudenter geſta erant. Regiis & aulicorum aurib. ad eas voces & criminationes patulis innocentiam accuſare facile erat. Sæpe etiam calumnia veritate valentior, acres certe primos impetus habet. Itaq; Cæſaraugustano Præſuli mandauit vt Neapolim profectus curam rerum ipſe deſumeret in Gonſalui locum confectis in eā ſententiam tabulis. Conſilium iuuare arte viſum eſt. Ioanni Lupo Vergaræ Gonſalui à ſecretis data abs Rege ſcheda, qua iureiurando pollicebatur Diui Iacobi magiſteriū ſe illi ceſſurum, cum primum in Hiſpaniam eſſet appulſus. Vere atq; ex animo id promitti, vt crederetur, ingentia Gonſalui merita faciebant: falſo & fraude euentus docuit: & quoniam ſimul Petro Nauarro, quem Oliuiti Comitem dixerat, cuiq; multum credebat, vt filium Cæſaraugustanum præſulē ſecutus Gonſaluo in arce noua manus iniiceret, arcano mandauit: metu ſe ſuſpecti hominis liberaret: ꝙ eius dexteritate & audacia ſucceſſurum confidebat. Decretum inſolens prorſus & immane numina diſturbarunt, ne ea iniuria obſcuraretur æternum Hiſpaniæ decus clariſſimum orbis ſidus. Et forte litteræ à Gōſaluo ipſo tempore ad Regem allatæ, accurata oratione, & accommodatis argumentis (& eſt magna veritatis vis) ſolis inſtar depulſa mendacii & ſuſpicionum nebula lucem aperuerunt. In iis fidei conſtantiam ſacramento nouo, & execratione firmauit: & in quamcumq; partem ſe res darent ei perpetuo adhæſurum, neq; cuiquam præter ipſum regnum Neapolitanum traditurum, & alioqui propediem in Hiſpaniam affore reb. cæteris prætermiſſis. His litteris tunc quidem ſedata tempeſtas: vnde magna extitiſſent incommoda, ingēs Hiſpaniæ dedecus vniuerſæ.

Ferdinandus ad filiam Reginam liberandam delectus haberi mandat. CAPVT XIX.

VIx proceres & reguli ad Brigantinum portum appulerant, cum inter ipſos & aduerſus Belgas contentionum & inuidiæ ingens exarſit flamma. Ad Principem gratiæ & auctoritatis locum in ea aula ſinguli nitebantur ambitione væcordi, modeſtiæ nulla cura. Villenius ante alios ſibi primas arrogare, cum ſacris Princeps operabatur cortinæ regiæ proximus ex vno latere quippe regię Caſtellę procurator, ex altero Verius regulus, & ipſe in Belgis aulæ magiſter proximum occupabat locum. De Regum colloquio ſentētiis inter ſe diſcrepabant. Hiſpani impedire pro virib. ſatagebant: ne mutuo congreſſu offenſiones detergerentur ſcilicet. Belgæ ſimpliciores non abnuere à vulgi exiſtimatione multum referre ſi colloquerentur rati, periculi parum oſtendi. Quid variis imaginib. locum darent? Verio regulo præ aliis id placebat conſilium, ex inuidia & æmulatione vti malitioſi interpretabantur, Ioannis Emanuelis creſcentis gratia auctoritateq;. Sed vtique hoc tempore plura moleſtiæ ſigna quam lætitiæ viſebantur in vultu, & cōcurſu tot procerum quaſi concuſſa mente vereri videbatur, ne alio prælato ipſe è faſtigio felicitatis caderet, in omni conſilio circumſcriptus & cautus. Cunctis tamen vna mens & oratio erat, Ferdinandi actiones accuſare linguarum intemperantia. Quidam graue ducebāt, vectigalium regiorum illi dimidium attribui, neq; ordinum magiſteria ampliſſimis redditib. venire in diuiſionis partem. Aliis mirabile videbatur neq; tolerandum, tres in Caſtella Reges eſſe. Ioannes item Emanuel diploma proferebat in Gallia deſcriptū, quo ſe Ferdinandus Regem Caſtellæ dicebat. id ad faciendam inuidiam pertinebat. Accuſabant nonnulli, arces & præſidia teneri Ferdinandi Regis nomine, nullo Philippo loco relicto præfectum aliquem nominandi, ne Prætores quidē ciuitatum, quādo eam quoq; auctoritatē ſibi Ferdinandus ſumeret. Quod præcipuum & maximum accuſationis caput erat, delectus eum militares habere ſpecie filiæ liberandæ: quæ propter valetudinem ſenſu turbato incluſa teneretur ſublata eā viſēdi omnib. promiſcue facultate. Cōficta prorſus ea criminatio nō erat vtrumq; Principē perſtringens. Vere enim à Philippo Regina tenebatur incluſa. Ferdinandus cura anxius ſe tuendi, ſi res ad bellū deduceretur, datis in omnes partes litteris delectus haberi militares mandauit. Honeſta ſpecies molitioni prætenta grataq; popularibus liberandi filiam iis viribus & copiis. Dux quin etiam Albanus militum numerum haud exiguum conſcripſerat in Legionenſi ditione Ferdinādi in fide ſolus inter dynaſtas perſtans, in ea temporū atrocitate quamuis non ignarus quanto in diſcrimine verſaretur ſi perſeueraret cunctis obniti. Nam equitum Magiſter Ferdinandi gener & maris Præfectus eiuſdem amitinus conſultius fore iudicarunt tempori cedere, Philippumque amplecti eique præſto eſſe, quam inutili cunctatione ſe ſuoſque in præceps dare. In ea procerum alienatione Ferdinandus haudquaquā abiecit animum. Cōflabatur exercitus: ſimul Iacobum Albionē in Aragonia nobili loco natū in Galliā legauit, qui rerū cōditione

explicata

explicata pro iure initæ amicitiæ à Gallo postularet, daret operam bellũ in Belgis maiori mole Gheldriæ Dux & Leodiensis Episcopus concitarent. Quo Philippus periculo frænatus ad æquiores pacis conditiones deduceretur. Hæc arcano parabãtur præsidia, & de colloquio tamen non intermittebatur. Tempus altercationib. tractum. Moræ tædio Philippus Brigantino è portu digressus Compostellam abiit. Præcedebant Germanorum cohortes in armis & cum bellicis tormẽtis non secus ac si per hosticum iter esset, prouinciã vi expugnare pararent. Ipso die nempe quinto Kalend. Iunii Ferdinandus & vxor Betansos Compostella abierunt. Alfonsus Fõseca Compostellæ Præsul Catholici Regis partes palam fouebat eo studio quo qui maximo, Philippi aulici id non ignorantes eam vrbem colloquio propterea idoneam non iudicabant, ac ne moræ quidẽ diuturnæ, fano quãuis præsenti numine sanctitatis opinione & religione celeberrimo: sed Orenes versus discesserunt. Ferdinandus substitit ad Villafrancam. locorũ propinquitate inuitatus Philippus misit ad socerum, qui diceret, si ad se Toletanus mitteretur cum ampla decernendi potestate, fore controuersiis haud dubium finem optatum. Factum est ita. Verum Toletani diligentia atq; labore parum proficiebatur, procerum artib. concordia impedita, reb. turbatis cogitantium maiori in gratia, tranquillis auctoritatis & compendii minus fore. Ferdinandus Villafranca Bagniezam abiit; inde Matillam. Quo tempore pleriq; Episcopi & nobiles eius iter prosecuti procerũ suasu, qui aduersas partes sequebantur, ad Philippum abiere senem Principem florenti ætate iuuene mutantes. Ea solicitudine eaq; animorum consternatione Ferdinandus admonitus si ad arma ventum esset, parem genero nõ fore; quacumq; conditione pacisci decreuit. In rationem necessitas versa est. Id vt assequeretur, litteras ad generum dedit: quib. rogauit vt cunctatione omni & disceptatione sublata sui omnino copiam faceret. Colloquium vtrisq; salutare ne defugeret. Quid vereretur? quid fraudib. & malignitati aures prẹberet? cur orbi inutili cunctatione sermonem daret? Rescripsit Philippus multis se iniuriis violatum. Delectus contra ipsum haberi. Rumores fraude sparsos, vinctam se Reginam tenere. Inquisitorum, quorum est in Hispania potestas tremenda summæ proxima, auctoritati aduersari, ac vero propinquis eorum fauere, quos violatæ religionis reos in vincla illi & ferrum tradidissent. Quæ omnia ad faciẽdam inuidiam pertinere, prouinciales fraude alienandos. Interea efficiebatur nihil. Philippi asseclæ Ferdinandi animum explorare, antequam in colloquium veniretur; vehementer cupiebant, an in fœderis conditionibus quæ Salmanticæ sancitæ erant, immutari aliquid pateretur. An Castellæ procurationem eiurare. Hic vero difficultatis & moræ nodus & cardo. In quo cautior Ferdinãdus consilia detegere non inducebat in animũ priusquam cum genero esset congressus, integra consultatione in id tempus seruata, ratus coram omnia facilius quam per interpretes conuentura.

Colloquium inter duos Reges. CAPVT XX.

MAgna quamuis diligentia Toletani parum de colloquio & cõcordia proficiebatur tamen. Vilæ regulus & Ioannes Emanuel negotio, à Philippo præpositi opponebantur. Toletan⁹ simplicius rẽ gerebat, vti personæ grauitatẽ decuit, illi calliditate & fraudib. armati. Ex cõmodo pacisci satagebant deceptis fessisue aduersariis: si id non cõtingeret, certe tẽpus extrahere. Eum ad Philippũ vndiq; fieri coucursum vt breui magna penes socerũ solitudine coactus Castella deserta in Aragoniã abiturus videretur. Id supremum & maximum tum duob. tum sociis votum erat. Ipse quoq; Toletanus concordiæ nulla spe certe tenui Ferdinando consilium dabat, vt tẽpori cedens in Carpetanos sese referret retro conuerso itinere: arcib. & oppidis, quæ multa & firma Toletanus eo tractu obtinebat, tantisper sustentaret dum animorum æstus remitteret. Daret malorum pœnitẽtiæ, daret bonorum consensui spatium. Praua consilia initiis valida mora languescere, bona è contrario confirmari. Multa quæ natura impedita sunt, mora expediri. Dum eo perueniretur multa posse intercedere, præsertim tam lento itinere, eo anni tempore, victus, vt erat gẽs, intẽperantia, q̃ caput erat, multis inter Hispanos & Belgas enatis suspicionib. haud fore prouinciales tam væcordes, vt ex comparatione temporis præteriti cum præsenti errasse se non faterentur, cuperentq; emendare. Hæc Toletanus prudenter, vti euentus docuit, eo ipso iam Ferdinando suspectior: quasi tempori inseruiret, & ad Philippi gratiam cum cæteris niteretur se deserto: ex heri damno & ignominia cõpendium captaret. Nimirum vera monentibus is fructus esse solet, assentatio sine periculo peragitur. Verino, quo Philippus peruenerat, Dieghum Gueuaram miserat ad socerum cum mandatis, ne festinaret, cunctationem vtriusque fore commodiorem. Non destitit tamen Ferdinandus

filios videndi certus, quid graue ducerent dictitans ſi inermis alloqueretur armatum? Quæ malorum ſpectra fingerent animis? Vilæ regulus & Ioannes Emanuel, quando detrectare colloquium non poterant, Nellaſa, quo Philippus venerat, ad Ferdinandum ire pergunt diem & locum congreſſui deſignaturi, miſſo tamen prius Albano ſpecie negocium peragendi, ſed re vt pro Ioanne Emanuel pignus eſſet, violatum fore. Interim Philippus Sanabriæ vicum, Ferdinandus Aſturianos conceſſerant, octo millium modo interuallo. Eo in oppido Ioannes Emanuel & Vilæ regulus accepti a Ferdinãdo benigne ſunt nulla offenſarum mentione. Quin blandis eos verbis compellans ea dixit, per quæ intelligeretur, nullam ſe moram facturum concordiæ ex generi voluntate, mutatis, quæ viderentur, in ſuperioris fœderis conditionibus. Inter ea oppida medio ferme interuallo villa eſt ſita Remeſſal dicta. Ei villæ propinquum roboretum colloquio delectum. Die poſtero, vti erat conſtitutum, Reges duo ex hoſpitiis ſunt profecti nõ pari ſed lõge diuerſo comitatu. Regem Catholicum ducenti ſequebantur, mulis vecti atque inermes pacis habitu & cultu, Philippus milite & armatis ſtipatus. Prope Sanabriæ vicum duo millia haſtati diſpoſiti erant præter indigenas, qui ex omni parte cõfluxerant viſendi auidi & ſtudio in nouũ Regem ſuis ſedibus exciti, equitum præterea valida manus, eorum qui proceres ſecuti fuerant. Præceſſere mille Germani quaſi locorum exploratores, aulicis ſubſecutis Philippus ipſe clauſit agmẽ in equo atq; ſub veſte tectus armis. Dextram Toletanus ſtipabat ſiniſtram Emanuel. Ferdinandus occupato podio prætereũtes ſpectare animo ſereno ſi ex vultu coniiceres. Acceſſere proceres ex ordine dextram gẽtis inſtituto oſculatum, quos ille feſtiue excepit. Beneuẽtano complexũ ferens ſenſit armatum. Cũ riſu, Comes, ait, quî ſolito obeſior es factus? ſenſit ille aculeum dicti, reſponditq;, ſane id tempore eſt factũ. Garſiæ Laſſo, tu etiam, inquit, & ille. Enimuero cũ omnib. aliis. Secutus eſt aſtantium riſus. Acceſſit Philippus haud læto vultu ex equo in pedes deſilire volentẽ aliorũ exẽplo ſoceri dextrã oſculatũ, occupauit ille cõplexu, & oſculo læta renidẽtiq; facie. Ad vitãdam multitudinem, quæ circũ fluxerat verba habitũq; notãtes, aliquo concedere placuit. Prope erat ſacellũ: in quod duo Reges ſecundum ſalutationem ſunt ingreſſi: & cum eis Toletanus & Emanuel. Toletanus qua in cæteris libertate, ad Emanuelẽ. Nõ decet, inquit, priuatos Principum ſuorũ ſermonib. intereſſe. Faceſſamus ergo. Non auſo repugnare ſocio cum prope ianuã eſſent, egredere Toletanus addit, ego ianitoris implebo munus. Sic illo egreſſo clauſaq; ianua in vicino podio aſſedit. Reges poſtquã inter ſe ſolita ſalutantiũ verba diixere, Ferdinandus prior aduerſum vti flecteret, aut pacis cupidum vt vehementius accẽderet, hac ſentẽtia locutus fertur. Si noſtræ tranquillitatis & iucunditatis, quã commodi & honeſtatis rationẽ potius habuiſſem, ſuſceptas hactenus contumelias & probra nunquam pertuliſſem. Verũ amoris vis magna eſt paterni maior, multa patitur, multa diſſimulat. Huic ſtudio parẽ gratiam redditam nõ eſſe, tua pariter ac noſtra cauſa dolemus. Vt mihi Regina vxor rerum procurationẽ demandaret, ipſe obſequerer iuſtæ voluntati, nulla praua ambitione factum eſt, ac ne plura quidẽ habendi cupiditate, multo minus cuiuſquam dignitatem eleuandi voluntate. Satis diuitiarum diuino beneficio ſuppetit. Filiorum porro contemptus, quid aliud quam dedecus nobis pareret? Veſtræ ętati, præſertim rerum vſu non magno, neq; probe cognitis gentis ingeniis, ne imponeretur veſtręque illuderetur ingenuitati non ſine cauſa verebamur. Aſtuti homines cõmoda ſua ſuorumq; ex veſtra ignominia publicaq, adeo calamitate captarent. Inde exiſterent diſſidia & tumultus iis pares, quos Regum facilitas, aulicorum prauitas peperit ſuperiori tempore quibus vulneribus vix nunc eſt cicatrix obducta. Verum quando noſtra voluntas non ea mente, qua par erat, accipitur: quod alioqui rebus compoſitis facturus eram, continuo rerum procurationem abdicare certum habeo. Pluris enim animorum cõcordia, quam quid quam aliud eſſe debet præſertim alio vocantibus reb. magnis, quæ noſtram abſentiam gemunt, præſentia curabit. Omnia in te ſunt, quæ aut fortuna hominibus aut natura largitur, ætas, opes, ingenium: neque ſtudia gentis deſunt: vt ſint propria faxint ſuperi. Illud monere non deſinam, videndum, quibus fidere debeatis, quib. adminiſtris partem aliquam poteſtatis credere. Quam niſi tempeſtiue cautionem ac diligentiam adhibueris quod auertant numina, neq; ipſe velim, magnæ difficultates & egeſtas implicabũt. Hunc Archiepiſcopum ſum expertus magno animo eſſe ac minime malo. Illi & ſimilibus tuto fidas. Auri ſplendorem alia metalla imitantur, mentiuntur fuco probitatis illita vitia ſæpeque loca virtuti debita per ſimulationem praui homines occuparunt. Philippus Rex paucis reſpondit, vt erat ab intimis edoctus. Ea conſilia magnum apud ſe pondus habitura: pro eo ac par erat obſequiũ deferre ac perpetuam voluntatẽ obtẽperandi præceptis ex amore profectò paterno profectis. Verba voceſq; non audiebantur. vultus procul viſentibus

tibus notabantur Philippi proiectus & mœstus Ferdinandi non insultans sed grauis & lætitiæ propior. Sic è colloquio discessum nullâ duabus quamuis horis inter colloquendum consumptis mētione Reginæ neq; à patre facta ad vitandā offensionis occasionem, neq; à genero oblata eam videndi facultate. Quod certe fuit inhumanū vulgo sed & proceribus sermonū ac vituperandi materiam præbuit. Maiori plane animorum offensione quam cum qua venerat, digressi in oppida vnde discesserant cōtinuo redierūt ipso die ad memoriam insigni Sabbatho ad duodecimum kalendas Iulias.

Alterum Regum colloquium. CAPVT XXI.

CONTINUATO Reges itinere duodecim aut summum sedecim inter se milliū interuallo Philippus ipso D. Ioannis peruigilio Beneuentum tenuit. Ferdinandus solicitare non cessabat, concordia vt sanciretur quibus id negocii datum erat, consensu Ferdinādo denunciarunt Castellæ procuratione in generum translata, vti in Aragoniam abiret, ordinum militarium tamen retenta præfectura, aliisque Isabellæ Reginæ testamento legatis integris. Hac lege fœdus sancitū eosdē amicos inimicosq; futuros nemine excepto. Hoc pactū à Ferdinando Villafafilæ sacramento confirmatū est astantib. Toletano, Emanuele & Villæ regulo ad quintum Kalendas Iulii. tantundem die proximo Philippus Beneuenti præstitit, victoria de socero parta per eum modum, cuius ex tēplo auctores & gentem pœniteret, lætus eo amplius quod ex arcano tabulis confectis Reginæ valetudinem reb. gerendis inutilem iidem contestati sunt. Quod erat nihil aliud quam rerum summam ad se trahere & sine riuali regnare. Contestatus est etiam Ferdinandus secreto coram Thoma Malferito, Ioanne Cabrero, & Michaele Almasanio, qui erat à secretis necessitate coactum in eas conditiones venisse, quippe inermem aduersus militum legionib. cinctum: cum liceret reuocaturum. Rebus ad hunc modum cōstitutis Ferdinandus Tordesillam abiit. Ex eo oppido litteras in omnes partes dedit kalendis Iulii conscriptas: quibus sibi destinatum affirmabat Castellæ procuratione cedere, cum primum filii applicuisset. Eius voluntatis argumento Castella relicta velle suarum rerum curam arripere, suisque subditis prospicere diuturnam absentiam sui Regis ægre ferentibus, cum publico haud dubium multorum detrimēto coniunctam. Priusquam Tordesilla discederet, misit ad eum Philippus qui denunciaret Reginæ contumaciam & iurgia Beneuenti extitisse. Orare proinde paterna auctoritate remedium. Huic legationi, quoniam inuidiosa res erat & Philippo certum vxorem includere, nihil certi respondere voluit. Rem modo omnem eius probitati & conscientiæ permittere. Se quidem parentem esse, ipsum tamen virum, eam vtriusque filiorum matrem, sperare nihil tanta necessitudine indignum facturum: suaque prudentia saniora secuturum consilia. Quod vt faceret, rogare enixe. Tordesilla Tudelam itum est, nomen id vico non procul Vallisoleto. Philippus Muzientes accessit ex itinere in suam sententiam pertractis proceribus syngraphasque extorquens, quibus Reginam includi probarent. Præfectus maris consensum cum cæteris rogatus respondit: priusquam missæ ad se in eam sententiam descriptæ schedæ subscriberet, cupere Regis voluntate causam explorato eius deliberationis cognoscere Regina, si liceret, visa & conuenta. Placuit postulatū fieri. Sic accepta venia Præfectus maris & Beneuētanus in eius oppidi arcem admissi Reginam in cœnatione inuenerūt maligna luce, in veste nigra obsoletaq;, cucullo capiti imposito, quo faciem fere velaret, ex iis credo, quib. in Gallia fœminis capiti imponere, & oris partem velare familiaris est vsus. Ad ianuam Garsias Lassus erat, intus Toletanus præsul. Assurrexit illa viso maris Præfecto, excepitque eo honore & ritu quo mater posset, nisi q pedibus stetit. Rogauit num à patre veniret: & qua illum valetudine reliquisset. Respondit Præfectus pridie se Tudelæ lætum valentemq; reliquisse. discessum in Aragoniam parantem, ac iam in procinctu esse. Tum illa incolumitatem orare: atq; oppido libenter visuram dicere. Aliis institutis ex professo sermonibus, nihil tamen absonū excidit. Vrgebat Philippus includi cōtinuo. Præfectus videdū, inquit, quid facto opus sit. sine Regina Vallisoletum eundum nō arbitror: alioqui incommoda & animorum motum denuncio. Cōmota plebe & ad tantæ rei expectationem erecta caue ne proceribus male sentientibus detur occasio rerum nouarum Reginæ liberandæ specie popularibus grata. Me quidē auctore vxorem nunquam à te seiunges: & quādo præcipua valetudinis causa Zelotypia continetur, non arbitror committendum, quo mēte amplius eo facto concussa morbus simul augeatur. Digna res visa est, quæ ad consilium deferretur. Collatis sententiis placuit Vallisoletum deduci. Prius tamen quā ex iis locis discessum esset, rursus Reges inter se videre. Renedum vicus medio ferme spatio Tudelæ propinquior colloquio delectus. Re cōstituta Ferdinandus generū monuit maiori quam antea beneuolētiæ significatione accederet. Vtriusq; interesse verū intelligi concordes vel

maxime discessisse. Quid datent sermonē orbi nouis offensionib. susceptis neq; detersis prioribus? Tertio Nonas Iulii post prandium profecti sunt Reges. Prior Ferdinādus accedens in pagi templo expectauit dum gener accederet. Venienti obuiā progreditur, vt inter se viderunt, dextræ iunctæ, in complexum itum, magna vtrinq; comitate certatum. In templi sacello remotis arbitris horam & dimidiam substitere. Monuit generū Ferdinandus quid facto opus esset, quid vitandum vt sine offensione rempublicam gereret. Fine colloquii Toletano ad se euocato verba inter se dixerunt magnā amoris significationem exprimentia. Quod si tam facile suorum mentes Philippus flexisset, quam ipse cesserat, cōcordia inter duos facile potuit stare. Ergo è colloquio est discessū. Ac Ferdinādus nulla præterea negocii alicuius mētione, ne filiæ quidē, cuius visendę haud dubiū studio flagrabat, Renedo discedēs in Aragoniā iter intēdit. Albano veniā eius iter prosequēdi Neapolim vsq; quo breui erat iturus, roganti negauit præcise multis quāuis precib. fatigatus, gratius facturū excusans si in Castella maneret prępositus iis quib. suarū rerū procurationem delegarat. Hi erant Guterrius Lupus Padillia Calatrauæ Promagister, & Fernādus Vegha ordinum militarium iudiciis præfecti, tū Ludouicus Ferrerius, qui oratoris partes apud generum impleret. His mandatum vt Albani voluntati non secus ac suæ cuncti obsequerentur, imperium respicerent. Discessum, qui vniuerso orbi vehementer ignominiosus est visus, ea ipse magnitudine animi pertulit, quo cęteros antea fortunę sęuientes fluctus, eo indignior iniuria quo eam æquiori animo pertulit. Proceres se adeuntes benigne accepit nulla molestiæ vel leui significatione. Gentis ingratos animos forte accusauit quisquam aduersus eum cui omnia deberent: magnis se potius obsequiis deuinctum dixit: daturum operam, quantum liceret, vt memori contulisse videretur. Ita demum discessit eo vultu habituq; quasi breui se rediturum, & in maiori gloria fore præsagiret animus. Et quidem cognita Principis indole, vtriusq; gentis ingenio haud diu res eodem loco mansuras, breuiq; ex comparatione instantis temporis cum præterito, quantum senilis prudentia rerumq; vsus maximus iuuenis facilitati præstaret non sine gemitu & reuocandi voluntate intellecturos prouinciales, diuinare promptum erat.

Res nouæ in Castella. CAPVT XXII.

ET vtiq; vix Ferdinando digresso magna rerum immutatio facta est. E capite in corpus reip. salus labesq; diffunditur. Rex Regi quantum præstat? Indixerat Philippus regni conuentus Vallisoletum lautum & amplū municipium, quod de Reginæ captiuitate cogitarat, ordinum consensu confirmari cupiens. Honesta scilicet species parum mente valere neq; idoneam rebus gerendis videri. Subornatis proceribus Toletanus etiam accedens, vt in eius potestatem custodienda traderetur quibusdam vrbium procuratoribus auctoritate persuasit. Vnus maris Præfectus ex omnibus qui aderant, appellatus de consensu præcise se passurum negauit: nouum atq; insolens exemplū induci. Neq; in eo restitit, sed vrbium procuratores allocutus ne rei turpissimæ assentirentur palā monuit, quod sine fidei Reginæ debitæ sugillatione non contingeret. Vera iis prædicare videbatur, animorum tamen imbecillitati Principis obsistere voluntati nō ausi per se, professi sunt tamē si quis procerum conatui faueret, aperte repugnaturos. Tum ille commune periculum fore sacramento confirmauit in causa iustissima, quemcumq; exitū haberet. neq; sibi priuatim consulturum, tantum viros se præstarent. His verbis animata maior suffragiorū pars crudele decretum abiecit, ac quæ in Tauri conuentibus sanxerant, nouo iureiurando confirmari modo placuit in Ioannæ verba quasi iustæ Reginæ & Philippi Regis eius mariti, tum Caroli Principis post matris fata non alium regni hæredem fore. Regium ærarium exhaustum erat factis sumptibus geminæ aulæ & militarib. stipēdiis multiplici præterea peculatu. In bellum Mauricum pecunia decreta, aureorum millia ducenta & quinquaginta duobus annis à populis redigenda. Graue subsidiū fuit fame grauissima prouincia laborante, vsq; adeo vt aduectitio ex Sicilia frumento mediterranea quoq; vitam tolerarent. Carpetani & Celtiberi è Carthaginis nouæ portu petebāt, è Malacēsi Bætica vniuersa inaudita ad hæc tēpora rei frumentariæ inopia caritate mirabili longinquę vecturæ impensa aucta, & tanquā in summa abundantia pecuniæ illudebatur tamen passim sine iudicio donatæ, in ludis & conuiuiis intemperanter consumptæ. nouus quoq; Rex domesticis prædā erat. Excepit noua calamitas cū magno religionis dedecore. Regii consultores & ministri Inquisitorum iudicia & auctoritatem labefactare cœperant, iis se immiscentes causis temere promercali homines ingenio atque profani. Ac nominatim aures præbere Cordubensis Inquisitoris Dieghi Luceri actiones præposteras accusantib. quasi indigna atrociaq; tū ipse tū cęteri administri pro potestate gessissent, neq; quieturis nisi mouerentur & ordine & munere. Vinctis ea causa fauebant inter alios Egabri Comes, &

Prieghi Marchio validissimo conatu. Populares correptis armis quosdam ex Inquisitoris ministris in vincula rapuerūt, viq; in arcē irrupere Inq̃sitorū domiciliū. Accusabāt ꝑterea summū Inquisitorē Dieghū Dezā eundē Hispalensem quoq; præsulē, quiq; ei à supremis conciliis erant, Rodericū Mercadū, Azpeitiā, Fernandū Montemaiorē, Ioannē Tauerā, Sosamq;, viros quāuis integerrimos. Tauri ii ea tēpestate maiora de religione iudicia exercebant, vinctis multis ex eo numero, qui ad Iudaicam perfidiam, quam eiurarant ante, redierant viri alioqui copiis & clientelis præstantes. cum iis mitius agi Philippi aulici cupiebant. Deinde ꝙ non minus gentem perturbauit, neq; minora attulit incōmoda, vno tempore abdicatis omnibus vrbium Prætoribus, arciumq; Præfectis, ipsisq; adeo limiti designatis custodibus, repente in eorum locum alii sunt substituti. In quo trifariam atque grauissime peccatum est. primum enim Belgis magno numero iis honoribus concreditis indigenæ sunt vehementer offensi, non alienigenarum modo multitudine onerari prouinciam, sed honores debitos ciuibus occupare. Deinde tam multis procurationibus vacuis idoneos homines deligere qui licuisset? temerario delectu plerosque suffici nulla prudentia, tenui probitate necesse fuit, quæ magna labes extitit ac pudēda socordia. Non paucis aulicorū fauor pro virtutib. erat, aut pecunia qua honores & magistratus licebantur apud Belgas præsertim venales homines, pretioq; nihil denegare, solitos è calamitate reip. opes & potentiam aucupari. Postremo quibus ii honores sunt detracti, præmia suæ & maiorum virtuti data iniuria & præcipitanter detrahi conquerebantur scilicet. Vnde veluti ex vitiato fonte expostulationes innumeræ extitere, odiaq; breui eruptura in apertas simultates. Harum rerū fama vero fortassis maior diffusa in omnes partes honores & magistratus esse venales, tū prouincialib. tum Reginæ factam iniuriam, populariumauertit animos, atq; ita vt inter se conspirarēt arcano, malis præsentib. quæ magna erant, maiora impendebāt, & atrociora mederi satagētes. Alios proceres crederes alium populum. Addebat alimenta rumoribus Belgarū ingenium nihil dissimulantiū sed omnia consilia & actiones in populi oculis proponentium. Ferdinandum deseruisse dolebāt scilicet suspirabantq; tā incenso eius desiderio, vt si conuerso itinere retro rediret, passim secuturos prouinciales appareret nouo Rege deserto. Nihil est in populo modicum: nunquam in vno gradu resistit. Ex eo nouus Rex contemptui esse cœpit, prorsus vt Garsiam Lassum, cum maxime vellet, neq; regio cōsilio præficere, neq; Ferdinando filio institorē adhibere potuerit procerum intercessione eo conatu impedito. Sic Ioannes Emanuel Præsidis vicarias partes implebat donec alius in eo munere proprie succederet. In Bætica Asidoniæ Dux, Vreniæ Comes, Prieghi Marchio atq; Egabri Comes ex antecondicto inter se arcano conuenere. Male coercitam famam supprimentes augere solent. De Regina liberanda consilia communicasse vulgo iactatū. Ex his nubibus ne sæua existeret tēpestas prudentes verebantur. Mense Augusto Rex & Regina Vallisoleto Segobiā discesserunt, quoniam Moiæ Marchio, vt erat iussum, eam arcem Emanueli tradere recusaret, vim adhibituri si amplius cunctaretur. Verū is cautior cognito delectus militares haberi ad eam arcem impugnandam tandem obsequium contumaciæ prætulit, haud ignarus Regū iras mora acriores existere, æquū atq; iniquum Regis imperium ferendū. Sic Rex priusquam Segobiam ventum esset, flexo itinere Tudelam abiit Durio præterfluente nobile municipium, inde Burgos atq; Victoriam iturus Gallicis copiis obuiam, quas ea parte irrumpere in Hispaniam velle fama vulgabat. Per Vasconum fines ne aliquid moueretur, pro Ioanne Ribera ei limiti Anagari Dux est substitutus. Deinde cū iis Regib. fœdus factum Castellæ & Legionis regnis comprehensis, de socero Aragoniaue nulla mentio, ꝙ vulgo homines accusarent passim, atq; mirarētur, in eo fœderis leges ad Villafasillam cū socero constituti, ac vero in vno facto humanitatis & naturæ iura peruerti, quibus Deus parentibus obnoxios filios fore sanxit.

Obitus Philippi Regis. CAPVT XXIII.

FErdinandus Rex per Montacutum è Castella digressus & Garizam, quæ Arci veterib. fuit, in Aragoniæ finibus oppidum, Cæsaraugustam vrbē regni caput contēdit. Prior Regina deinde subsecutus Rex excepti in ea vrbe sunt plausu & lætitia gentis eo cumulatiore, ꝙ ex eo coniugio Regem peculiarem habituros se confidebant æquo cum cæteris iure à primis annis viuere assuetum, iusto moderatoq; imperio, vti leges & instituta gētis postularunt superiorum Regum exempla. Priusquam è Castella discederet ex itinere à Rege genero magna contentione petiit, Valentinum Borgiam sibi dedi iure captiuum suum. Velle eū in aliqua Aragoniæ arce diligēter custodire, certe Neapolim deferre quippe rebus Italiæ ex sententia componendis virum apprime idoneū. Nā propediē eo ire cogitabat. eoque classem Barcinone instrui mandaret. Philippum Regem socero obsequi

volentem (neq; enim tanti id erat) amici deterruerunt conſilio communicato prius ſtatuendum diſputantes, ad quem captiuus ſpectaret vinctus & miſſus in Hiſpaniam à Gonſaluo, ſuperſtite tum Iſabella Regina. Ex paruis ſæpe magnarum rerum momēta pendere. Importunis altercationibus extracto tempore nihil tandem impetratum quæ noua contumelia fuit, nouæ offenſionis occaſio. De magno Gonſaluo creſcere cura: ex moræ diuturnitate alienum animū ſuſpicari, ab æmulis præſertim & maleuolis varii rumores ſpargi quidam Cæſaris aduentum expectare affirmabant per mare ſuperum parantis cum octo Germanorum millibus regnum Neapolitanum occupare. Accuſabāt alii ad Gallum tranſire velle, conditiones tranſitionis nuncupare Rhotomagenſem Cardinalem. Quibuſdam erat perſuaſū interprete Ticinenſi Cardinali fœdus cum Pontifice agitare. Omnino imperium militare ſuſcepturum bello aduerſus Ioannem Bentiuolum Bononiam eccleſiæ Romanæ antea imperii, tyrannide prementem. Neq; deerant ſermones prædicantium Proſpero Columna ſibi adiūcto filiæ adeo coniugio cū illius filio pacto monſtri profecto aliquid alere, certe eius familiæ præſidio aduerſus omnes fortunæ ictus ſe tutum velle præſtare. Nemo dubitabat quantum is poterat, velle tantundem, ſingulis vt fit, ex ſe alienum animum metientib. coniectura fallaci. Nunnium Ocampum mutatis equis ad celeritatem ire ipſe in Hiſpaniam iuſſerat, ſuæ ſyncerae voluntatis teſtem, celeris aduētus vadem. Aduerſus vulgi rumores tales ac tantos non ſatis fidei Nunnii affirmationi adiunctum, quoniam dictis facta contraria videbantur. Calumniæ apertæ aures erant malum innocentiæ aduerſum. Sic Rex quam primum proficiſci cōſtituens Aragoniæ Proregem Archiepiſcopum Cæſarauguſtanum deſignauit, Catalauniæ Calabriæ Ducem detractis tamen è familia Italis, quorum partem ſe Neapolim comitari iuſſit. Gallū quin etiā ſolicitauit vt Reginā Ducis matrem cum filiis reliquis ad ſe mitteret, vti in ſuperiori fœdere cautum erat. Rebus ſecuritas quærebatur. Negauit illa venturam, ac potius in Mantuani agri oppidum abiit comite Ludouico Gonzaga ex ſorore Antonia Baucia nato, decē aureorum millia in familiæ alimenta à Gallo Rege pacta. Rebus ad profectionē paratis præmiſſus Neapolim eſt Carolus Alagonius regii aduentus nuncius, ac Columniis procerib. qui rebus ſuis timere videbantur, verbis Regis teſtatum nihil eos per iniuriam paſſuros. His rebus perfectis pridie Nonas Septembris Ferdinandus Barcinone ſoluit, & cum eo germana vxor Reginæ Neapolitanæ mater & filia præterea ſplendidus procerum comitatus tum è Caſtella, tum præſertim ex Aragonia amplior. Catalauniæ triremium dux Raymundus Cardonius, Siculārum Triſtanus Dolcius. Sequebantur plura alia nauigia maiora minoraq; in ſpeciem validæ & numeroſæ claſſis. Neapolitanæ triremes in eo littore ſubſtitere à Gonſaluo retentæ, vt iis venienti Regi obuiā procederet. Quo conſilio Neapoli biduo poſtquā Rex Barcinone diſceſſit, quoniam mare magnū erat, ventus aduerſus pedeſtri itinere Caietam abiit. In ea vrbe ad duodecimum kalendas Octobris triremium aduentum ſuſtentauit. Dux Termeſtinus aliiq; Italici generis proceres euntem honoris cauſa proſecuti, è captiuis adiūcti Roſanius, Bitōti Marchio, Alfonſus Sanſeuerinus, Fabricius Geſualdus: alios aduerſa valetudo detinuit Neapoli. Interea Philippus Rex cum primum Burgos peruenit Magiſtri equitum quamuis ædib. hoſpitio delectis, Ioannam Aragoniam eius vxorem aula expuit: ne ſcilicet eſſet cū qua Regina ſuas moleſtias communicaret & cuius in ſermone acquieſceret. De Albano maieſtatis quæſtiones haberi cæptæ. Fidei conſtantia erga Ferdinandum crimen erat ea tempeſtate grauiſſimum. Maris Præfecto minori iam gratia mandatum, vt fidei pignus è ſuis arcem aliquam traderet. Quod ille cum Villenio, Anagari Duce, & Beneuentano conſilio communicato facere detrectauit. Magnum malum q; ab his initiis reip. parabatur, atrocemq; tempeſtatem multorum capitibus & fortunis minitantem Philippi Regis improuiſa valetudo, & mors importuna diſcuſſit. Febris peſtilens nihil minus cogitātem inuaſit, atq; intra paucos dies extinxit. Veneno corrupta vitalia ſenſim venis illapſo exitiabili tarditate, ſuſpicio quibuſdam fuit inanis tamen, vti eius medici ſunt teſtati, atq; in eo numero Ludouicus Marlianus, qui deinde Tudenſi epiſcopatu donatus eſt in Calęcia, nimiam defatigationem verius intemperantiam exitio fuiſſe inter obſequia fortunæ minus quam ante ſuis cupiditatibus imperanti. Decūbenti ſemper Regina aſtitit: ac ne ab extincti quidē corpore diuelli potuit vlla procerum diligentia ac precibus, quāuis præter ordinariam valetudinē vtero graui ad ſeptimum Kalēdas Octobris deceſſit prima hora poſt meridię ætatis anno octauo & vigeſimo. Granatæ corpus ſepeliri mādauit. Dum id fieret, trāslatitio funere ad Miraflores Carthuſianorum Burgenſe monaſterium tumulo compoſitum eſt. Eo fine vitam clauſit Philippus Rex vix regni inchoati primis fructib. delibatis. Ætatis breuitas effecit ne diu talem Principem præſtaret, qualem eximia indoles polliceri videbatur. Quid nobilitas

bilitas profuit? quid ætatis flos, eximia totius corporis orisq; dignitas? Quid opes & potentia, quib. cæteros Principes Christianos facile superauit? Quid regia & splẽdidus aulicorum numerus? cuncta peruertit mors importuna prçcepsq;. Tantum sibi in reb. humanis sumit. Sola virtus non interit, cuius certa merces est aliis fundata radicib. Diuina consilia explorare quis ausit? Quis humanæ felicitatis incõstantiam pro dignitate admirari accusareq;? Multorum spes sunt euersæ, aliorum ad nouos conatus nihilominus erecti animi. Statura corporis iusta fuit, facies candida rubraq;, barba rara breuisq;, labiũ inferius porrectum cum gratia, oculi mediocres, promissa cçsaries: vniuersi corporis habitus cum venustate decorus atq; amabilis. Animus ingens, sed facilis: q; nisi cautio adsit & modus, in perniciem vertitur aulicorum abusu prauitateq;. Otio luxurioso oblectabatur, à negotiis abhorrens, eoq; intimorum libidini & imperio semper obnoxius. Id vnum fama accusauit, quæ nullum Principem innoxium patitur, si libido abesset, auaritiam sæuitiamq; non timeres. Mense Augusto crinitum astrum extitit octo diebus, cauda flammata porrectaq; occasum inter & austrum. Post fata creditum est huius Principis capiti minari: eiusq; obitu magnam rerum mutationem fore motusq; graues.

Libri vigesimi octaui Finis.

IO. MARIANÆ HISPANI E SOCIETATE IESV,

HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ,

LIBER XXIX.

Ferdinando Regi obitus Philippi generi nunciatur. CAPVT I.

OBITV Philippi Regis magna rerum maior animorum immutatio facta est conuulsa penitus rep. maiori, quam meminerant periculo. Fluxa & inconstans humanæ vitç cõditio. Quis Castellæ felicitatem tantis munitã præsidiis, lõgo tempore fundatã, multorum annorum pacem, iustitiç cultum, quib. bonis à nulla gente vincebatur, puncto temporis crederet, in prçceps itura: desitura in tyrannidẽ & rerum omnium permixtionẽ miserabilem ni cõtinuo succurretur? Magnam rerum sub cœlo inconstantiã, nostrç imbecillitatis clarum argumentũ. Hora vna aufert, q̃ multis annis quæsitũ erat: quoq; nauis maior, eo sua mole amplius laborat, & proprio mergitur põdere, si nauclero destituatur & clauo. Vti in præsenti Castellæ accidit. Proceres inter se diffidebãt, nullo cõmuni consensu paucis iudiciũ aut reip. amor: plerisq; p̃sens rerum status displicebat; pari dolore aliena cõmoda ac suas iniurias metiebãtur. Immẽsæ ambitioni satisfacere quis posset, q̃s hiantẽ cupiditatẽ satiare ea multitudine hominum? Plurimæ p̃fecturæ & honores prouinciæ penes Belgas erant. Obsequii patriæq; desertæ ea scilicet merces. Hi redigẽdæ pecuniç vias omnes inuestigare, quãuis cum prouincialiũ gemitu: p̃dæ habere rempub. pretio non æquitate iura describere, impotẽs dominatus ac sæuus. Omnino in Hispania diu hærere non cogitantes, nulla famæ cura cuncta vænalia habere honores, magistrat⁹ præmia virtuti debita: ex iis pecuniã captare quasi breui principatu festinantes. Accẽsas aulicorum cupiditates ipsa Principis facilitas acuebat, minori metu, maiori q̃stu apud iuuenem & credulum. Prouinciales ea offensi peruersitate tantis malis aut finem aut modũ optabant: atq; procerũ exemplo scissi in partes, pleriq; supiora tempora tædio præsentium suspirare: quidã etiam à Ferdinando præpropere se desertos atq; inhumaniter accusare: cum ipsi priores eum deseruissent, atq; ignominiosi discessus culpã porro sustinerent. Hos tamen animorũ motus, offensionesq; graues Princeps præsentia auctoritateq; quamuis iuuenis: ac erroris cõmissi tradito reipub. clauo, cui minime cõueniebat, detractoq; ei, cui omnes amplius quã suis singuli parẽtib. debebãt, prouincia p̃ tot annos opimæ pacis cõmodis florente, ac multis accessionib. amplificata eo duce rectoreq; memoria frçnabat maxime: ne noui motus existerent. Leuius. n. ferunt homines, q̃ sua culpa accersierunt mala. Defuncto tamẽ Philippo Rege cõtinuo erumpentib. odiis quasi fræno domito multorũ turbidi conatus extitere, maioris mali metus, nullo q̃ prohi-

bere posset, contumaciamq; castigare, malis impendentib. remediũ afferre. Reginæ, q̃ res ea maxime attingebat, ob valetudinẽ & ingeniũ cura omnis grauis atq; intolerãda videbatur. Carolus filius imbecilla ætate, externis morib. & institutione, si pro matre suscepisset rerũ procuratione̅ alieno imperio obnoxius futurus erat. periculũ ne externi eius nomine regnarent cũ magna prouincialiũ inuidia motuq;. E duob. Caroli auis Maximilianus Cæsar procul aberat. Si curã rerũ susciperet non minor suspicio: penes eos rerũ summam fore, q̃ morũ Hispaniæ essent prorsus ignari reip. magno atq; incredibili incõmodo gentisq; offensione, ex receti memoria metus probabilis. Supererat Ferdinãdus idoneus maxime ob exactã prudentiã & animi magnitudinẽ eorum et qui nolebãt cõfessione. Verũ is ex Hispania aberat suscepta ignominia irritatus. Ad hæc ex conscietia qui deliquerant, ne eius reditu meritas pœnas exoluerent, & arrepta potestate, vt sunt hominũ ingenia, vlcisci dolorem vellet verebãtur. Hac anxii cura varias cogitationes, abhorretia cõsilia versabãt, fœdas rerũ imagines, aliud atq; aliud subiiciete animo, vt fit, cũ prima quæq; dãnamus. pridie obitus Philippi, salute iam à medicis desperata inter proceres tumultus extitit grauis belli ciuilis suspicio, nisi opportuno remedio occursũ esset. His malis, q̃ multorum capitib. minabãtur cõmoti Magister equitũ, maris Pręfectus, & Infantatus Dux hi studio in Ferdinandũ palã incitati cũ Anagari Duce & Villenio q̃ aduersę partis capita erãt apud Toletanũ Archiepiscopũ cõuenere de reb. omnib. disceptaturi. Grauiores cõtrouersiæ erãt, maiores conatus q̃ vt cõponi sedariq; facile possent. Cõsensu definitũ, vt cũ Toletano sex alii viri ab vtraq; parte iudices designati de litib. statuerẽt: q̃ esset sancitũ ius fasq; haberetur: nullus cõtra repugnaret. Ab iis Kal. Oct. fœdus percusũ atq; procerum sacramento
,, confirmatũ est in tres menses anniq; fine̅ his prorsus legib. Nulli militares delectus habẽ-
,, tor. Proceres ne saluti aut fortunis inter se insidiator: neue omnino lęduto. Nemo Reginã
,, q̃ Burgis erat, neq; Ferdinandũ filiũ, qui Septimãcis educabatur, in suã potestate̅ redigito. Qui secus faxit, reliqui ꝓceres vindicãto. Petrus Nũnius Gusmanius Calatraug Clauiger, cui Ferdinãdi instituẽdi cura data erat, procerũ conatus veritus ne infante ꝑ vim detracto turbarũ occasio existeret (nã Philippo nondũ extincto Dieghus Gueuara & Philippus Ala id facere tentarãt litteris patris nomine, vti creditũ est cõfictis (Vallisoletani cõuentus iudices eorumq; Præside̅ instãtis periculi admonuit, nisi ope̅ ipsi tulissent. Ea denũciatione illi Septimãcas haud procul sitũ oppidũ profecti puerũ Vallisoletũ deductũ ad D. Gregorii custodiendũ curarunt, collegiũ ab Alfonso Burgẽsi Palẽtino Episcopo Dominicanis, quẽ ipse ordine̅ professus erat, regia impẽsa cõstitutũ. Ea diligẽtia quorundã ꝑposteri conatus elusi sunt, cautumq; publicæ trãquillitati. Sic res in Castella erãt. Ferdinãdus Catholicus, quo die inter proceres sancita cõcordia est, Genuæ portũ tenuit. Lęta nauigatio fuit, aduersis tempestatib. prohibiti in varios Hispaniæ & Galliæ portus necessario classe̅ intulerunt. Antequã Genuam ventũ esset, Gõsaluus obuiam Regi profectus suas secũ triremes ad reliquam classem adiunxit. Veniẽtem Rex accepit humanissime ingentiq; lętitia, quasi leuata superiori solicitudine syncero gaudio mens tum primũ vacaret, detersisq; suspicionib. eximiã viri fide̅ plane perspexisset. Additus verborũ honor publicũ priuatumq; ꝑconiũ. Neq;.n. fas erat quidquã de merita laude sinistris rumorib. detrahi obscurari iniuria gloriã tantis virtutib. partã. Vulgo homines ac ꝑsertim Italici generis nunquã sibi ꝑsua serant ea prudẽtia heroe̅ abiectis cõditionibus, q̃ multæ & honestissimæ offerebantur, se suaq; vnquã Regis potestati permissurũ callidi imprimis parciq; virorũ insigniũ promeritis æstimãdis cõpensandisq;. Noluit Rex eam ciuitate̅ inuisere, ne in terrã quide̅ descendere, quãuis ab iis ciuib. publice & priuatim magnis ꝑmissis munerib. ad hospitiũ inuitatus. Primores tantũ ciuitatis se adeuntes monuit vt populares cõtinerent, quos nunciatũ erat Gallici imperii grauitate fessos vim & arma parare. Alioqui Regi Gallo fratri suo deesse studio & opera nequaquã posse, si secus factũ esset. Ea admonitione frænati tãtisper ciues metu Hispanicę classis aliquandiu irã continuerũt in Gallicã natione̅ conceptã diu, q̃ aliquanto post tñ effuderunt, ea cõtumacia correptis armis, vt Gallũ in Italiã ii motus necessario reuocarint. E portu Genuẽsi digressus Hispanus vẽtis nihilominus reflãtib. ad portũ Delphini substitit aliquandiu. Eo loco tertio Nonas Oct. de Philippi obitu tande̅ cognouit, ex Toletani litteris aliorumq; eius nomini studentium. Ii cõsensu flagitabãt oblitis vti priorib. offensionibus, q̃ primum in Castellã sese referret. Trãquilla omnia inuenturum, neq; minora gẽtis studia q̃ in Aragonia futura. Festinaret modo beneuolẽtiæ memor potius q̃ iniuriæ, neq; inutili cũctatione reb. nouis locũ daret difficili deinde remedio seraq; moræ pœnitẽtia. Eam ab ipso ope̅ vniuersam gente̅ præstolari cũ gemitu & lacrymis. Nõ fore tã inexorabile̅, vt iis vocib. & precib. non moueretur. Tantunde̅ Aluarus Osorius flagitauit à Philippo Rege, adiunctus socero comes oratoris munere. Has Ferdinãdus preces excelso animo repulit, & si nemo eo melius cognoscebat vera esse, quę de Castellę ꝑiculo

ꝑdicabāt.nihilq; optatius cōtingere poterat ad Castellæ procurationē,vnde erat eiectus, reditu.Ergo in cōsilio perstans cœptū iter prosequendi,litteras ad Episcopos,& proceres, & ciuitates dedit: quib. molestū Philippi generi obitū extitisse significauit.Rogare enixe vt fidei memores perpetuo erga suos Reges ab vniuersa gēte cultæ,Reginæ obsequiū deferrent.Se quidem deesse illis non posse:ac vero compositis Neapolitanis reb. breui,non moraturum spem votaq; gentis deesse optime meritæ. Cōuerso retro itinere rediturum, voluntate certa cunctis gratificandi, vt eorum merita & obsequia perpetua suo iure postularent.

Rex Catholicus Neapolim iniit. CAP. II.

E portu Delphini soluēs Ferdinandus,quāuis aduersis tempestatib.in Caietæ portum tandē intulit clasśē.Ea in vrbe & Puteolis dies aliquot substitit, dum Neapolitani (qui nunquā sibi persuaserāt eo Regē peruenturū,pręsertim ex quo de obitu Philippi cognitū est) sese ad eū excipiendū cōparant. Maximus post memoriā hominum apparatus,lætitiæ publicæ & priuatæ significatio præcipua extitit.Eo lōgior aliquāto mora. Sed Puteolis ad Oui arcē abiit mari circumfusā omni ex parte. Ac Kal.Nou.reb.omnib.paratis ex Neapolitana mole portus adinstar viginti triremes egressæ insigni ornatu vexillis & flāmulis explicatis visendo spectaculo atq; ordine ad Regē accessere.Eo prætoriā ingresso displosere tormēta de more primū triremes,arces deinceps & naues,q̄ in portu & ancoris stabāt.Ingēs fumus fragorq; auriū & oculorū vsum aliquāto spatio diē quoq; ipsum atra diffusa nebula abstulere.Discussa nebula redditaq; luce sensim triremes se ad molē retulere remis. Pontē ligneū ad mare tibicinib.sustētatum cōtabulatumq; asserib. arcus ex eadē materia erectus claudebat.Eo loco Regi & Reginę ex cēsuris Magnus Gōsaluus & vniuersa Neapolitana nobilitas pręsto fuere intertextis auro vestib.luxu sumptuq; certātes.luctū amissi Philippi splēdenti cultu cūcti mutarāt,misti fœminis mares,ætatis teneræ maiorib. effusi obuiā omni ex parte.Rex ipse bōbycinā trabeā coccino colore gestabat.Regina aureo rigentē cycladē circū humeros breue palliū,viridi colore laqueis eximio decore distinctū. Eā manu Gōsaluus vsq; ad pōtis frontē arcumq; ꝑduxit. Quo loco Rex eius vrbis tabulis & priuilegiis sacramēto more maiorum cōfirmatis,in equum albū cōscendit in mannum æque cādidum Regina. Vmbellā ciuitatis primores gestabāt: vexillū Fabricius Columna de manu Regis acceptum,vexilliferi regii et honore addito.eius latera stipabāt gemini de more feciales.Subsequebatur Magnus Gōsaluus in veste exterius serica coloris purpurei, subtus aurea,ad dextrā Prosp Columna:mox alii proceres & Principum legati lōgo ordine. Pōpæ vniuersæ lætitiā præ cæteris captiui auxere iā libertate donati diuturni carceris squalore deterso,meliori in posterum spe læti ouātesq;.Agmē vniuersum clausere Borgia Sorrētiq; Cardinales post regiā vmbellā proximi. Hoc ordine ꝑ plateas ꝑcipuas circūducta pōpa,sedesq; vrbanas quinq;, vbi ciues & matronæ expectabāt visēdo ornatu cū vocū & instrumētorum cōcētu locis singulis mirabili,in tēplum maximum tandē ꝑuenit.Quo loco varii monachorum ordines ac reliq. viri sacrati cum ferculis & velamētis lętitię,collegiorum signis,dictorum insignib. veniētes excepere deo cōcinētes hymnū. Quacumq; incedebat agmē,multa ꝑtiosa vestis tegēs parietes,multa erāt odoramēta disposita. Ad arcē Nouā,vbi pōpæ finis fuit,duæ Reginę Neapolitanę,& Hungarię Regina obuiā processere & ipsæ pristinæ felicitatis cum subsecutis ærumnis cōparatione nō exigua spectaculi pars.Die postero Rex cunctis procerib.ac nobilitate prosequēte post vniuersā vrbē obambulatā in Gōsalui hospitium diuertit,ea popularitate nō Gonsaluo modo cōhonestato,sed & plebis gratiam promeritus:q̄ morum & actionum maxime facilitate capitur. Mox de reb.cōmunib.actum est ac imprimis de procerib.Neapolitanis in pristinum locum restituendis,vti erat in fœdere sanctum.De magnis & multis præterea reb. deliberatio futura erat.Ergo ad generales regni conuentus Neapolim edicto omnes regni ordines euocantur.In iis conuentib. Ferdinandi & Ioannæ filiæ atq; successorum sacramētum,à cunctis, qui intererant est susceptum nō alios Reges fore.Germanæ Reginę nulla mentio magno multorum miraculo,fœderis nuper cum Gallo icti in eo legib. non stari.Germanę tamen valetudo excusata,& iam Vallisoleti Reginam Neapolitanam fuisse proclamatam.Honesta videlicet species,sed q̄ non omnib. probaret. Interea Castella dissidiis æstuabat ex arcano in partes scissa,palam nōdum arma mouebantur.Neq; mirum sublato capite omnia reip. membra laborare. Proceres inter se diffidebant discordes ante, & tunc contemptu regentium minus coercitis odiis.Regina neq; idonea ad res gerendas erat,neque volens. Regii cōsilii mandatis pauci obtēperabant,inuitus nemo:cogendi malo auctoritatis parū & viriū. Et est fluxa potētia nō sua vi nixa. Nusquā imperium,nusquā obsequium,omnia soluta & turbata atq; etiam in deterius versa.Quidā regni conuentus indicendos iudicabant;atq; ordinū cōmuni sententia regni rectores designādos.Eius consilii principes au-

ceres Toletanus, Magister equitũ & maris Pręfectus extitere. Intercessit Albanus cõsilii, q; non ipse dedisset, inimicus, an quia ita sentiebat, Regum tantũ esse conuentus indicere iudicans. Interregni tẽpore nihil nouarent. Mediã viã tentare visũ est. conatui suscepto regii adiũgere nominis vmbrã. Regina de ea re appellata adduci nulla arte potuit vt edicta, quib. euocabãtur ordines, sua subscriptione probaret. Irrito eo conatu, q; erat proximum tamen, q. Reginæ à cõsiliis erant, cõuentus Burgos indixere. Reginę prius valetudine publico testimonio cõprobata ne lege maiestatis tenerẽtur. Reb. controuersis pauci vrbium procuratores cõuenerunt edictis obtẽperantes: neq; quidquã ii præstiterunt tandẽ irrito conatu. Varii animorũ motus, multiplices conatus, rerũ conditio misera: veterũ malorum ne orbis recurreret prouinciales verebãtur. Proceres nõ vna sententia, pleriq; tamen rerũ arbitrium Ferdinãdo deferebãt, in hoc numero Toletanus, Magister equitũ, maris Praefectus, duces Alburquerquii & Begiaris. Non eadẽ tamen ne iis quidẽ mens omnib. neque cõsentiens oratio. q.dam eius præsentiã requirebant, alii absenti ẽt reip. curam delegabãt. id Toletanus secutus suspicionẽ pbuit rerum arbitrium ad se velle reuocare. vsq; eo vt vicariã fieri potestatẽ petierit regnum administrandi qualẽ habuit, cũ ad cõtrouersias cum Philippo cõponẽdas ante fuerat à Ferdinãdo missus. Id fama vulgauit vero an falso, haud facile dixerim. Reb. turbatis, multa temere finguntur, dicũtur impune. Sed simul de ea re Reginã appellare nõ dubitasse affirmatur. Anagari Dux, Alfonsus Tellius Villenii frater, & Ioãnes Emanuel cõtratendẽtes Ioãnæ Reginæ regni procuratione propter valetudinẽ detracta, pro mortua habendã conuẽtus regni pronunciare volebãt. Eo decreto haud dubiũ in Carolũ filiũ sceptra & ius imperii transferri. Verum neq; his plane consentiens sententia erat. Duci. n. placebat venire ipsum in Hispaniã. reip. eius nomine moderatores ordinũ cõsensu designari. Alfonsus Cæsari potestatẽ delegabat quippe Principis auo paterno, cui leges eius tutelã manifeste darent. Ea plerisq; opinio magis q̃ Ducis probata. Ipseq; Cæsar oppido cupiebat eã procurationẽ arripere: atq; ita vt cæteris contẽptis in Hispaniã propediẽ venturũ se significaret. Nõ deerant, q. Lusitanię Regẽ Castellę moderatorẽ dari vellet, in Isabellã filiã & Ferdinandum infantes iunctos cõiugio regno trãslato: quo iure? quib. virib.? Nimirũ cæcus animorũ impetus agebat in pceps, odiumq; externi imperii, cuius recẽs documentũ extiterat. Turpius alii ad Regũ Vasconiæ præsidiũ cõfugere, Vianę itẽ Principis, de quo actũ erat cũ Philippi filia coniugio. Priuatas singuli cupiditates vt fieri solet, spesq; sequebãtur, publicę vtilitatis exigua, si ab iis discreparet, cura. quo morbo laborasse ẽt Toletanũ rumor erat, sibi pręterea purpurã, socio Frãcisco Ruicio episcopatũ aliquẽ destinare. Infantatus Dux filiũ suũ Palentinis Præsulẽ dari. Alburquerquius Segobiensẽ arcẽ Moiæ Marchioni, cũ quo amicitia erat, restitui. Anagari Ducẽ male habebat Magistri equitũ, Villeniũ Albani gratia & reb. omnib. auctoritas penes Ferdinandũ. Nullũ sine æmulo aulæ fauor esse patitur: neq; minus q̃ iniuria propria, vrit inimici felicitas. Beneuẽtanus Villalonio suæ ditionis oppido nundinarũ ius à Philippo datũ quãuis Medinæ Cãpestris detrimẽto ratũ esse cupiebat. Sic singulos proprius dolor vrebat, aut incitabat cupiditas, eo vela daturos, vnde certior spes affulgeret assequẽdi, q; animo destinasset omni alia cura soluti. Malis, q̃ ex eo fonte impẽdebãt, procurãdis Toletanus & delecti cũ eo arbitri in pcerũ cõtrouersiis, nouo eos sacramẽto adegere, neminẽ præsidio & ad reip. gubernacula euocaturũ Principẽ aliquẽ externũ, neq; cum eo factũrũ fœdus. Rex quoq; Catholicus piculo cognito litteris ad plerosq; proceres pollicitus est se daturũ vltro, quæcumq; ipsi expetiissent: si obsequiũ cũ securitate quã contumaciã cũ periculo mallẽt. Ac nominatim Villenio Villenã Almansamq; q.etis pretiũ promisit. Anagari Duci rerũ vænaliũ decumã, q̃ in Anagari ditione pẽdi cõsueuerat. Nulla diligẽtia mala impendẽtia vitantur. Seu quia q̃ cælo manẽt, moueri nõ possunt, seu quia turbidas hominum mẽtes sanare difficile est. Procerũ dissidio factũ vt scelerũ impune grassaretur licẽtia, multa prępostere fierẽt, nullo qui vindicaret. Ac primũ quib. dieb. Ferdinandus Neapolim ingredi parabat, Valẽtinus Medinę Cãpestris arce fune demissus euasit. Sẽsere qui intus erãt fugę strepitũ. Sed ad prohibendũ pares nõ erãt. Parta libertate ad Beneuẽtanum abiit fugę adiutorem, deinde in Vascones magno periculo rerũ Italiæ vbi præcipuã obtinebat auctoritatem ingenio prauo & malis artib. validus. Præterea Ioannes Gusmanius Assidoniæ Dux filium Henricũ cũ copiis misit, vt Heracleã freto Gaditano impositã vrbẽ occuparet, superiorib. annis sibi dono datã ab Henrico Rege. deinde à Ferdinãdo detractã iniuria, sic ille conquerebatur, reb. turbatis absenteq; Rege impunitatẽ facto fore ratus. Arci Præfectus Garsiæ Lassi vicarius vim prohibere paratus, Tendilliæ Comes Granata, aliiq; Bæticæ vrb iũconuentus ad periculũ aduolãtes effecerunt, vt obsidio solueretur pręsertim Hispalẽsi pręsule admonẽte legib. q̃ armis causa quã vi disceptare honestius tutiusq; fore: q; se abs Regina & Rege patre impetraturũ est pollicitus vt cum eo de iure certarẽt. Importunos conatus

fore exitiales auctori maxime. Sic ab armis eſt diſceſſum. Maior aliunde tempeſtas oſtentata. Hi duo Aſſidonius & Hiſpalenſis Vreniæ & Egabri Comites, Prieghi Marchio quales & quāti reguli ad Toccinam Bæticæ oppidum conuenere. Ibi fœdere inter ſe facto tabulis cōfectis iureiurādo decreuerūt Reginę debitum obſequium ac totius regni commoda. Obtemperaturos ſe mandatis Reginæ atq; eorum qui à regiis conſiliis erāt. De regni conuentib., quos adornabāt, conteſtari, ſi quid in iis eſſet cōſtitutum, q̄ Dei legibus Reginæ mandatis, aut publicæ vtilitati eſſet aduerſum nequaquam ratum habituros. Sic in Bætica res erant honeſta ſpecie turbidi conatus. Pleriſq; licentia placebat ſed honeſtā conatibus prætēdebāt nomina. In alia parte Rodericus Mēdoza Ceneti Marchio Mariam Fōſecam ſibi toro iungere cupiebat. Exorta de eo coniugio lite, dum à ſacro iudice in cauſa eſſet pronunciatum, Reges Catholici ſponſam in variis monaſteriis cuſtodiri mandarant, ne qua vis interim afferretur. Marchio vt erat ardenti animo audax & præceps, rebus turbatis ex Olgarum Valliſoletano monaſterio, vbi poſtremo erat, vi admota detraxit, & amore & ſcelere male ſanus: q̄ noua prouinciæ turbatio gentiſq; fuit. Toleti tumultus hac occaſione extitit, Fueſalidæ Comes apparitoris munere, quo Regum ab antiquo munere ea familia in illa vrbe fungitur, cōſilus Petrum Caſtellam Prætorē loco mouere eſt aggreſſus. Inſignem confidentiam virib. maiorē conatum milites Ocania à Ferdinando Vegha miſſi cōtinuo repreſſere, aduerſaq; Comiti Siluarum factio Prætori adhærens. Per eum modum motæ vrbi tranquillitas rediit. Madriti nō minor turbatio diſſidiumq; extitit inter Sapatas & Petrum Laſſum Ferdinandi partes ſectantes, aduerſus Ioannem Ariam eidem infenſum. Segobiæ item Moię Marchio portas & templum maximum armatis occupauit, arcis præfecturā iniuria detractam obtinendi ſpei imminens. Diſſidiorum flammam tumultumq; grauem vniuerſa prouincia multis cōcitantib. extinguebat nemo. Colluuies malorum qualem à multis annis Caſtella non viderat, quaſi cōuulſa ſuis ſedibus nutans atq; ruitura ſupra ſuo pondere, etiam ſi nullus impelleret.

Ioanna Regina Burgis *diſceſſit.* CAPVT III.

CAſtellę Regina impedita valetudine malorum occaſio magis quam leuamen, fluctuanti reip. opitulari non poterat, medicas prohibere à rep. manus poterat. Omnium ſanctorum anniuerſaria memoria feſtum diem ad Miraflores monaſteriū celebrauit. Ibi ſacris operata poſt prandium ſepulcrum aperiri mandauit, vbi viri corpus erat. Ingreſſa intro & loculo à Burgenſi Epiſcopo reſerato cadauer attente conſiderauit oculis, contrectauit etiam manu ſine gemitu tamen milliſq; effuſis lacrymis ac prorſus nihil, vt videbatur, animo commota. Sic eodem die ſeſe in vrbem retulit. Suſpicatam crediderunt, in Belgas extinctum fuiſſe, ablatum ab ea natione hominibus, in familiam Principis adſcriptis. Verum illi cupidi in patriam quam primum redeundi mercedes potius annuas, & ſi quæ heri teſtamento debebantur legata, magna contentione exigere moræ impatientia vendita, ſi opus eſſet, defuncti ſupellectile, ne diu ſuſtentare neceſſe eſſet in Hiſpania nulla iam melioris fortunæ ſpe. Regina de ea re appellata, iuſtiſſimo poſtulato nil reſpondit aliud, quam viri manes expiandi precibus curam ſe, vti par erat, non neglecturam. Burgis vt diſcederet ſæpe agitatū vrbe diuiſa in factiones. Magiſtrū equitū, in cuius illa ædib. morabatur, maior ciuium pars ſequebatur. Ioanni Emanueli æmulo neq; ciuium ſtudia deerant neq; voluntas Reginæ in ſuam poteſtatē redigendæ arcis fiducia: cuius præfectura cum multis aliis tota prouincia à Philippo Rege fuerat donatus. Peſtis lues in ea vrbe graſſari incipientis diſceſſum vt maturarent effecit. Villenius etiam Eſcalonam ſuæ ditionis oppidum cupiebat deduci. Conatus omnes diſturbabat Reginæ ingenium conſilio repudiato niſi q̄ inſediſſet animo Ioannam Aragoniam ſororem cōtinuo à viri obitu reuocarat in regiam. Eam & Dianii Marchionis vxorem Salinarum Comitem cum nuru Maria Vlloa in primis gratas habere cęperat atq; cū iis libēter ſermones familiares miſcere. His auctorib. ad ſuburbanā domū egreſſa, graui vtero, ac proximo partu, relicta ea vrbe cōſtituit Turrecrematā diſcedere viri cadauere ſecū aſportato, quaſi ex eo oppido miſſura Granatā funere ſepulcroq; ſtabili. Eo conſilio pridie diſceſſus nēpe ad quartū decimum kalēdas Ianuarii Ioāni Lupo Lazarragæ à ſecretis mādauit, diploma cōficeret, quo donationis à Philippo viro poſt mortē Iſabellæ Reginæ factas abrogabat. Ea res quoniam ad multos pertinebat, grauiſſimos animorū motus cōcitatura videbatur. Cūctāte proinde Lazarraga atq; aliam ex alia morę cauſā excuſanti, quatuor è regiis cōſiliariis ad ſe Regina vocati quā primū tabulas in eā ſentētiam conficerēt, pręciſe iuſſit. pręterea ex ſuorū cōſultorum albo eradi quoſcūq; poſt matris Reginæ obitū ad eū numerū adiunxiſſet Philippus vir, atq; ita denunciari, quorum intererat. Die poſtero, priuſquā ſe in iter daret, vrbiū procuratores ſalutatū accedentes poſt varios ſermones rogarūt, vellet ne ex ipſorum numero binos ad Ferdinandū patrē ablegari oratū, vt quam primū veniret in Hiſpaniam

adiutor reb. gerendis. Aduentum respondit patris cupere: solatio æquè ac voluptati fore. De regni procuratione nullum verbum. Ac iussit potius pro se quisq; in hospitia discederent: neq; iniussu conuentus agitarent. Quod erat nil aliud quam cõuentus soluere, prohibere incommoda q̃ multorum iudicio ex illis ne extarẽt timebatur. Reb. ita constitutis Regina Miraflores abiit die Dominico tertio decimo Kal. Ian. A prandio Philippi Regis corpus è tumulo detractum atq; lecto funebri impositum præmisit. Comites adiuncti Episcopi Giennensis & Mindoniensis, & cum illis Malacensis Præsul Dieghus Ramirus à Villascusa. Paulo post egressa Regina est neq; splendido neq; modico comitatu stipante. Villenius tamen aderat, & Ludouicus Ferrerius legatus Ferdinandi. Accessit mox Magister equitum multiq; alii in officium incitati nihil sentientis, sed maiestati datũ officium. Nocturnum iter erat accensis facibus. Ad mediam noctem Pauiam ventum, inde Turrecrematam, vbi Regina diu substitit. Burgis manserunt regii consiliarii, Toletanus, maris Præfectus, Anagari Dux. Tempus exibat, procerum in pacto fœdere & concordia designatum. Actum de eo prorogando. Non vna mens erat omnibus, neq; par cunctis oratio. Magister equitum abnuebat, eo fœdere causatus Reginæ maiestatẽ imminui. Maris Præfecto, ampliari placebat. Toletanus ad hanc sententiã adiiciebat de suo: regiis consiliariis auctoritatem imperandi sanciendam videri. aut eam viam aut nullã ostendi gerendæ reipublicæ sustentandæq; sine noxa vsq; ad Ferdinandi Regis aduentum. Multis grauis erat Ferdinandus, neq; rerum procuratorẽ volebant. Ergo vt id impedirent, de Reginæ coniugio actum est. Villenius Calabriæ Ducem coniugem destinabat, pari nobilitate quãuis è paterno regno magna fortunæ iniquitate deturbatum. Præferebãt alii Alfonsum Henrici Aragonii filiũ ex Aragoniç & Castellç regio sanguine solũ superstitẽ stẽmate quidem per viros cõtinuato. Eo ventũ vt Mariæ Vlloæ, cui cũ Regina familiaris vsus erat, opimus principatus promitteretur operç merces si eius animũ exploraret. Fecit illa q̃ iussum erat molli occasione captata. Tũ Regina apage, inquit, tantũ nefas: nouo me cõiugio implicari vis? Nec deerãt q̃ Anglo iungi vellent, prouecta quãuis ætate eius cõnubii percupido. Incertis p̃ter hæc rumorib. fama vulgauit, vti paulo post mõstrabitur, Gastoni Fuxensi Narbonis Principi à Ferdinando eius magno auunculo & sororio, Reginã filiam vxorẽ destinari. Insanum quantũ is rumor quamuis confictus multorũ ab eo auertit animos, aliorum studia debilitauit alioqui in Ferdinandũ Regem accẽsa. Quod falso creditũ est, sæpe veri vicem obtinuit.

Neapolitanis exulibus Principatus restituti. CAP. IV.

Regis Catholici Italica profectione multorũ animi ad nouas spes sũt erecti. Ex omnib. Italiç partib. legati Neapolim confluxere gratulatũ de aduẽtu, simulq; de reb. magnis. Inter alias molitiones opera Galli Regis curatũ est, ne Belgici principatus procuratio Cçsari ab ea gente demandaretur. Ea re neq; Carolũ Principem, neq; Cæsarẽ veturos in Hispaniã prouidebatur, q̃ potissima cura erat. Principe ea procuratione impedito Cçsare lõginquo. Contra Rex Gallus Ferdinandũ solicitare vt ad Venetos impugnãdos, detrahendasq; vrbes, quas iniuria de finitimis & lõginquis ceperant, secũ & cũ Pontifice vires iungeret. His Ferdinandus molitionib. libẽter accõmodabat aures ardẽs cupiditate recuperandi eas vrbes, quas in Apuliç ora & ditione Neapolitana Veneti obtinebãt à superiorib. annis impẽsç in bello cõtra Gallos factæ pignus. Nouo tamen bello implicari exhorrebat priusquã fluctus Castellæ essent in malaciã cõpositi. Ac interim consultius fore iudicabat in amicitia perstare cũ iis ciuib. constituta industria potissimũ atq; auctoritate Laurentii Suarii sui in ea vrbe legati. Quem dieb. superiorib. extinctũ vniuersa ciuitas doloris argumento funere amplo & exequiis celeberrimis honestandũ curauit, filio Gonsaluo Ruizio Figueroa pro patre substituto, dũ à suo Rege venirent mãdata. Satagebat Põtifex Ioanne Bentiuolo pulso Bononiã Galliæ Cisalpinæ vrbẽ primariam & opulentã ditioni põtificiæ restituere. Præcipua rei ex sententia perficiendæ spes in Gallo erat equitũ & peditũ copias in eam expeditionẽ pollicito missurũ se. Ipse quinetiam Põtifex ad eã vrbem subigẽdam proficisci parabat. Ad ea p̃sidia Hispanici nominis vmbrã sin minus auxilia, adiũgere visũ est. De ea re appellatus Ferdinãdus misit q̃ suis verbis moneret. Bentiuolũ se quidẽ Pontifici æqua p̃sertim petẽti deesse studio & ope nõ posse. Copiis omnib. & virib. curaturum vt Ecclesiç Rom. suum patrimoniũ sartum tectumq; esset, sua Pontificib. dignitas. His ille acceptis mãdatis tãtis virib. impar Pontifici per cõditiones vrbis obtulit imperium. Foro Cornelii, vbi Põtifex erat ad ciuiũ Bononiensiũ animos versãdos missus est Archiepiscop⁹ Manfredoniæ, q̃ Sipõtus olim fuit, adiuncto Frãcisco Rogio Ferdinãdi legato. Iis agẽtib. tyrãno vrbe egresso, ciues cõtumacia posita suæ vrbis imperiũ Pontifici detulerunt elatis per cõpita eius vexillis, arcib. & propugnaculis in eius potestatẽ cõtraditis. Antonius Acunius Neapoli missus est ad Pontificẽ qui verbis Ferdinandi de victoria successuq; gaudio fungeretur.

fungeretur. Maior ex arcano cura fuberat tēpeſtiuis officiis regni Neapolitani iura promerendi expreſſis à Pōtifice tabulis, quib. ſibi & poſteris eā poſſeſſionem confirmaret, nulla fœderis cū Gallo icti memoria. In ſumma poteſtate id æquius, ꝙ validius. Regib. ꝑ vtilitate nulla honeſtatis cura eſt, neq; ꝗd de ipſis fama loquatur tanti habent. Arcano hæc agitata cōſilia accurate tegebantur. Fine quidem huius anni Egidiū Viterbienſem Auguſtiniano ordini Pręfectum generalē, concionatorem ea ętate eximium, Bononiā vbi Pōtifex erat, legauit cum mandatis. Paratum ſe eſſe pro eius incolumitate & Pontificia dignitate non virib. iuuare, ſed ſanguinē vitamq; profundere. Experiretur cū vellet, ſiue eccleſiæ patrimonium tyrannis eripi vellet, ſiue bello peti Turcas, quo iam pridē animus ardēti ſtudio ferebatur. Hæc agebantur. Simul de Andegauenſib. in maiorū opes & principatus reponēdis ſerio Neapoli diſputabatur. ardua res & multis implicita difficultatib', ꝙ ea oppida contributa eſſent iis, qui ſuperiorib. bellis induſtriā & operā nauarant. Sanguinis ii ꝑtium auferri quî æquis animis ferrēt? Quæ impedita ꝑfecto erant, Regis prudētia & auctoritas expediuit. Quædam oppida poſſeſſorib. detracta, alia ditione aut annuis vectigalib. æqua cōpenſatione mutauit. Integros etiā principatus de ſuo pecunia redemit, quos recēs ſpoliatis donaret. Sed quantulū id erat? multa oppida è regia ditione detrahere, & nouis addicere dominis neceſſe fuit. Alioqui omnib. ſatisfacere nō potuiſſet, neq; motus animorū frænare palā regiā munificentiam laudantiū, ſi contingeret tamen ſine virorū fortiū iniuria. In exulū numero præcipui extiterunt Salernitanus, Amalfitanus & Biſinianus, Cōſæ, Morchionis, & Monteleonis, Comites; præter hos Alfonſus Sāſeuerinus. Sueſſa redempta pecunia Magno Gonſaluo ducis nomine data meritis ingentib. minor omniū cōfeſſione gratia. Theani principatus, Ciriniola, Mōtefoſculum, & Flumē empta itē pretio pro aliis oppidis permutata ſunt. Quæ omnia in Ducis Gādienſis iure erant ampliſſimā ditionē & principatus in regno Neapolitano obtinentis dono ſuperiorū Regū, atq; in gratiā aui Alexandri Pōtificis. Inter eos, quib. oppida ante dono data, nunc ſunt abs Rege ablata, multi tū Italici generis tū Hiſpanici numerātur. Præcipui tamē erant Petrus Pacius, Antonius Leiua, Fernandus Alarconius, Gomecius Soliſius, Dieghus Garſias Paredius. Atq; hi oēs æquiſſimis animis tulerunt, pro cuius dignitate ſanguinē ſæpe profuderāt, fortunas & vitā in diſcrimē vocarant, à ſuo Rege repeti pręmia virtutib. data. Eo amplius ꝙ de reditu in patriā cogitantes, quamuis minorē compenſationē in Hiſpania pluris fecere q̄ maiores in Italia copias, hoc eſt, in exilio, vti illi interpretabātur certe tā procul à patria atq; inter infenſos. Colūnios & Vrſinos principes Romæ familias benignitate alliciendi, vinciendiq; beneficiis præcipua cura fuit propriis inter ſe quāuis diſſidiis diſcrepātes magno ad rerū ſummā adiumēto. Senenſes præterea publicè, & Plōbini regulū priuatim. Ad imperium Neapolitanū tuendū præſidia vndiq; q̄rebantur. Ipſo tēpore Lubianę Epiſcopus, & Lucas Reginaldus Neapolim appulerūt à Cæſare legati de Caſtellę cōtrouerſiis, ad vtrū ea procuratio ſpectaret. Hi Regē conueniēdi facta poteſtate poſtquā gaudio functi ſūt ob felicē fauſtumq; aduentū in Italiā & res alias ex ſentētia fluentes, Caſtellę reb. fore ſaluberrimū verbis Cæſaris ſignificarūt, ſi eā procurationē retinerent, qui fuiſſent ante regni moderatores à gēte deſignati. Deinde ne Andegauēſes in maiorū opes reſtituerentur, enixe contendere. tantum hoſtium domi alere fore procul dubio exitiale. In nouo & lōginquo imperio nō defuturā occaſionem res nouandi, quib. animus non deeſſet. Actum pręterea de coniugio Caroli Principis cū Claudia Galli filia, ꝙ probari Ferdinando cupiebāt, ac vero vt perficeretur, pro ſua parte dare diligentē operam. De reb. tantis per interpretes conſtituere fore longum & difficile aliis conditiones ferentib. Si Cæſar & Ferdinandus inter ſe viderent, facile omnia, atq; ex ſentētia conuentura. Et erat Cæſari deliberatum in Italiam tranſire, ſpecie coronā imperii de manu Pontificis more maiorum ſuſcipiendi: re vt Galli conatib. obuiā iret: de quo fama nunciabat velle Romā proficiſci, ſibiq; imperium, Rhotomagēſi Cardinali Pontificatum deſtinare. Rumores eos fortaſſe inanes, quaſi veros exploratoſq; Cæſar Cōſtantiæ in imperii conuentib. graui oratione accuſarat. falſum ſæpe veri locum habet. Auditis legatis Ferdināđus nullo petito ad integrā conſultationē ſpatio, continuo ad Reginā filiam Caſtellæ procurationē pertinere reſpondit. Quid aliena cura ſolicitaret? Ea impedita aut nolente res gerere, ſe quippe patrem vicarium ſubſtitui tum ſuperſtiti tum defunctæ. Eatenus nullos in Caſtella regni rectores à gente fuiſſe deſignatos. De Andegauenſib. reſtituendis fidem aſtrinxiſſe, q̄ violare ſeq; mendacii religione aſtringere nefas eſſet. Quod de Caroli coniugio dicerent, Regem Gallum admonuiſſe regni ordines repugnare cōſilio. Mediolanum & Armoricos diuelli à reliquo imperio non laturos. Orare potius vti filiam Engoliſmorum Duci coniugē daret: cui regnādi poſt eum proxima ſpes deſtinabatur. Deniq; cōgreſsū Cęſaris fore gratū cū ſe eius rei opportunitas daret, nihil aliud. Tēpus colloqo nō dare, neq; alia polliceri, magnā cōcordiæ deſpationē

afferebat. Non destitere tamen legati:rursus dato senatu eo sunt post multa progressi, vt Cæsari dicerent stare sententiam cum eo & ius & nomen imperii communicare. Italiæ certe imperio in ipso translato ad eamq; ditionem subiugandam virib. iuuare. Promissis speciosis sed inanib. nihil motus Ferdinandus, vt erat excelso animo, se passurum negauit, de imperii auctoritate quidquam diminui: neq; de Italia velle nisi q̃ iure suũ erat. Actum præterea de armorum societate cum Cæsare, Gallo atq; Pontifice aduersus Venetos. Ad id postulatum, modo cæteri inter se consentirent, moram fœderi non facturum respõdit. Ad hæc Iacobum Concillum Giracii Pontificem ad Cæsarem legauit cum mandatis palam, diuersa ex arcano cura votisq;, daret operã, vt Belgæ rerum suarum procurationem ad Cæsarem deferrent nempe Caroli Principis auum eoq; legib. iubentib. tutorem eiusdem in minori ætate.

Ioannæ Reginæ partus. CAPVT V.

1507. IOanna Regina Turrecrematæ erat ineunte salutis anno Mille. quingentes. sept. mente vacillans nulla reip. cura. In eo oppido postridie Idus Ianua. die Iouis filiam enixa est cui Catharina nomen, regnum accedentib. annis Lusitania fuit. Partu de vita periclitata Regina est nulla obstetrice: q̃ officium illi præstare Maria Vlloa cubiculo Præfecta præ cæteris gratiosa & familiaris necesse habuit maiori animo quam peritia artis. Valetudo officiebat, consilio & medicinæ remediis iuxta inimica. Aderant Toletanus, Magister equitum, aliiq; proceres officio incitati erga nihil sentientem imperantemue. Regii consiliarii cum ipsorum Præside Giennensi Episcopo Burgis substiterant. Atq; illi quidem oppido cupiebant flammam dissidiorum inter proceres maiores indies sumentem vires sedare. Auctoritatis parum erat: eorum mandatis atq; edictis pauci obtẽperabant, nemo qui nollet. Scelerum adeo licentia volitabat, colluuies malorum iniuriarumq;, pudendus rerum status. Tumultus Cordubæ contra Inquisitores pridem concitatus nondũ cessabat. Præcipua irarum occasio, de vinctis quæstione habita, plerosq; è nobilitate vrbana in tormẽtis fuisse delatos quasi criminum socios. Et est maligna calamitas: supplicio multorum acquiescit: an multis indicatis & scelerum infamia ambustis veniã cunctis fore sperabant. Populus tamen in eo fraudem Inquisitorũ & dolos interpretatus prona semper erga Præfectos in deterius fide vim & arma parare. Toleti Siluæ & Aialæ antiquæ aduersæq; factiones corripuerunt inter se arma. Aialæ recuperatori ad quæstiones habendas misso à regio cõsilio fauẽtes. Siluę Prętori, recuperatorẽ vrbis aditu prohibere destinanti. Virib. quãuis p̃stantes Siluas quippe vrbis portas & põtes obtinebãt, vicerũt Aialę populi cõcursu adiuti. Sic Prætor Petrus Castella ex vrbe est pulsus cædes tamẽ & vulnera extitere. Sæuitia mutuis odiis sanguine imbuta, deinde in auaritiã desiit. Nihil secretũ aut clausũ sinere quasi aduersarios occultarẽt. inde direptiones prędęq;. Madritũ turbare pergebãt Petrus Lassus studio in Regẽ Catholicũ incitatus, & Ioãnes Arias aduersæ factionis caput. vbiq; lamẽta & turbæ, in quib. pessimo cuiq; plurima vis. Vrbanũ Conchę senatum opprimebat. Philippus Acunius Prætor, ne Reginæ auctoritatẽ sequerentur. Dieghus Furtatus Mẽdoza correptis armis pulso Prætore effecit, vt à senatu duumuiri Reginæ nomine designati cõsensu popularib. iura darent. Segobiæ Moiæ Marchio arce obsessa aduersæ factionis ciues vrbe expulit, eo vsq; studio prouectus, vt D. Romani ædi ignes iniiceret, nihil mot⁹ loci sanctitate, p̃ studio hostes vindicandi, quoniã eo se quidam ex aduersariis receperãt. Reginæ fluxa auctoritas erat tantis malis prohibẽdis, medicinæ impedimentũ magis q̃ tutamẽ. In Bætica ad prohibẽdas iniurias frænandamq; audaciã Prieghi Marchio & Egabri Comes, cum Tendillię Comite Granatensis milicię summo duce, & Murciæ Antelato vires & cõsilia sociarũt ex Reginę auctoritate & nomine res geri dũ Ferdinandus pater in Hispaniã rediret. Vreniæ Comes in curiã venerat, cupidus cõponendi procerũ dissidia. Et ipsum tamen proprius dolor vrebat suisq; adeo cupiditatib. agitabatur. Votorum summã finiebat sibi quidẽ Carmonẽsis arcis p̃fectura, quã abstulerant, Roderico autẽ filio sacræ militiæ alia quapiã p̃fectura: quã illi cõmẽdari exposcebat. Proceres expediebãt arma. Maris Prę fectus delectis copiis Villadadæ & Villauincẽtio minari, oppidis, vti ipse p̃dicabat, ab Albano iniuria occupatis. Anagari Dux multis stipatus armatis in curia agẽs eo audacię processit, vt die quodã hospitia regio cõsilio ad Villamedianã metata occuparet: qua illi necessitate Palentiã diuertere nulla audaciã vindicãdi facultate. Ioãnes Emanuel sexaginta grauis armaturę eqtes nihilominus Turrecrematã aduexit, nullã iam spẽ nisi turbatis reb. & in audacia ponẽs. Villenius itẽ & Magister equitum delectus habere, militum p̃sidium cõquirere. Nõ publicum cõsilium vigebat, sed vis & immanitas dominabatur, vnoquoq; tantum sibi auctoritatis sumẽte, quãtæ vires inerãt. Aduersus hãc tempestatẽ Toletanus nõ nisi satellitib. stipatus in publicũ procedere certus, ne in ea colluuiõe dignitas ludibrio esset, cẽtum equites pedites trecentos cõduxit pecunia. Præterea stipendio equitibus regni custo-

gni custodiæ designatis de suo persoluto, eos Reginæ sibique nouo iureiurando astrinxit facturos quæ imperaret. Ad frænandum procerum licentiam hæc omnia præsidia referebantur: simul, ne à regio consilio responsa aliqua, mandatave prodirent, turbatę tempestati non satis consentanea. Hac diligentia commotus Anagari Dux maiori numero milites è ditione euocauit. Periculum erat ne pars cum parte confligeret: ac verò nocte quadam nihil propius est factum quam vt inter se Ducis & Toletani milites venirent ad manus. Id ne aliquando contingeret cautum, ne vlli milites Turrecrematę versarentur præterquam Reginę solius & Toletani. Ea denunciatione Dux raptim atq; iratus è curia discessit. Priusquam Ioannes Emanuel idem faceret, colloquio ad Grigiotam instituto, ipse & maris Præfectus, Villenius, & Beneuetanus, atq; Andreas Burgius pro Cæsare legatus consensu decreuerunt, Ferdinandum Regem aditu Castellæ prohibere, nisi prius eorum postulatis & querelis esset satisfactum. Magna rerũ moles ab his initiis sæua procella imminere videbatur. Toletani prudentia potentiaque importunis conatibus opponebatur. Quem viribus superare non sperabant, fraude euertere aggrediuntur. Eorum quidam Donniis conuenientes rumores spargere in vulgus constituunt, quasi Reginam Toletanus & Magister equitum vinctam tenerent. Præterea Villaloniũ profecti delectus militares habent, specie Segobiensem arcem defendendi aduersus intempestiuos Andreæ Cabrerę conatus. Villenium inter & Lusitanum Regem consilia agitata Ferdinandum reditu in Castellam prohibendi: Cæsarque vt aduecto Carolo nepote rerum procurationem tutelę iure & nomine arriperet, pro virili curandi. Roma ipso tempore venit Antonius Acunius inter alia reip. mala Zamoræ Episcopus renunciatus. Venienti Ferdinandus Rex dedit mandata, vt pro ea propinquitate qua Villenium complectebatur, eo sanando pacandoque operam daret; polliceretur que eius verbis. Villenam & Almansam, quas tantopere expetiisset, si idem quietis quam periculi pretium referre malet. Nihil ea diligentia profectum. Ne Aluarus quidem Osorius Anagari Duce & Emanuele conuentis, ac de sanitate appellatis meliora tulit. Inuictus est animus, quē ardens studium ingentes spes deuouerunt. Antonio Acunio delatus episcopatus bifariam genti molestus extitit, atque iis penes quos rerum potestas erat. Equitum Magister inimicorum præcipuo data præmia, se nullis honoribus cohonestari conquerebatur scilicet. Deinde graue visum est, nulla Reginæ aut patris Ferdinandi, vti moris erat, nominatione Antonio eum honorem fuisse delatum. Nouo insolentique exemplo si dissimularent, de iure dignitateque regia multum decedere. Itaque regii consultores Decano & canonicis eius ecclesiæ per litteras mandarunt, Antonio eius ecclesiæ possessionem ne darent, si data esset impedirent vsum, vectigaliaq; interciperent. Sera diligentia inanisq; fuit, illo iam nullo prohibente possessionem honoris adepto. Quatuoruiri rerum capitalium in curia regia versantur legibus & fauore Principis armati, auctoritate summæ proxima. Ex eo numero audacem maxime & promptum Ronquillum nomine Zamoram misere, vt consilii exequeretur mandata. Illum Antonius cum manu militari intempesta nocte veniens captum in hospitio, in arcem Fermoselam perduxit. Grauis contumelia extitit, metus ne dissimulatione cõfirmaretur audacia. Salmanticensis Prætor & Albanus Dux consilii iussu cum manu militari impotentis hominis impetum, quasi equum tenacem & turbidum asperioribus frænis compescere aggressi nihil præstitere tamen. Rebus turbatis cum omnes omnia audeant, pleraq; facinora sunt impune. In pace bonæ artes vigent, rebus commotis praui homines maiorem vim habent. Itaque Antonio collatus honos incolumis extitit & proprius, magno deinde suo malo si consequētia tempora spectes, eiusdem enim Ronquilli, quem vinxerat, manu periit, cum factiosorum dux factus remp. turbaret, vitæ par exitus. Tumultibus plena omnia erant, varia consilia, conatus, querelæ, fædum vere ac miserandum spectaculum. Meliores quoq; fidem & operam carissime venditare, sibi, propinquis, & necessariis præmia extorquere, id singuli habituros rati, quod in ea rerum turbatione datum esset. Ferdinando Regi gladium in sontes distringere non placebat, ne vindicta inuidiæ esset. Sed neq; honestum videbatur largitione & donis redimere, quod iura legesque darent. Prudens consilium, æquum tamen & salutare omnes iudicabant, iniuria oppressos subleuare, frænare legibus prauorum hominum impotentiam. Ipso tempore regiis consultoribus visum est regni conuentus in quatuor menses sustentari. Ea prorogatione vrbium procuratores Burgis, vbi hæserant, domos quinque redierunt nulla rursus conuentus agitandi spe, nisi in commodiorem formam rebus mutatis.

Dux Valentinus occiſus. CAPVT VI.

SIc res in Caſtella erant. Inter Vaſcones noui extitere motus hac occaſione. Ioannes in ea gente Rex Ferdinandi, cuius metu frænabatur, abſentiam opportunam conatui ratus Lerini Comitem in Vaſconibus Magiſtrum equitum inquietum hominem & audacem vindicare conſtituit. Id cogitanti commode cecidit Valentini fuga: quem ad ſe dilapſum continuo bello, quod meditabatur, ſummum ducem præfecit idoneum hominem arbitratus per quem Lerini Comitem maiorum ditione ſpoliatum ex omnibus regni finibus deturbaret, haud innoxium. Eo conſilio magnis pro præſenti copia delectibus exercitum contraxit velites ducentos centum & quinquaginta cataphractos, pedites ad quinque millia. Cum iis copiis ad ſextum Idus Martii die Mercurii Vianæ arcem inſedit Magiſtri equitum cuſtodiæ creditam ante, & tunc Ludouico Beamontio vicario pro patre: q. Anagari Ducis gener erat magnæ ſpei iuuenis par opib. & nobilitate. Non latuere ii conatus Magiſtrum equitum. Filii & arcis periculo iuxta commotus ex Mendauia ditionis municipio duodecim milliũ ſpatio, ad pręſidium die altero obſidionis accurrit. Et erat nox opportuna conatui imbribus & ventis, horrida tempeſtas, deiecti nubibus turbines. Ducentos modo equites ſecum deduxit, pedites ſexcentos in loco cauo terreo tumulo tectos reliquit. Munita arce, vti tempus dabat, ſub auroram redeuntem ſenſere aduerſarii. Totis caſtris regiis ad arma conclamatum eſt, ſeptuaginta equites Valentinum ſequuntur præ feſtinatione non ſatis armatum : Rex cum reliquis copiis ſubſequebatur lente tamen & ex interuallo, neque acie competenter inſtructa ne ſeruatis quidem ordinibus venturi ſecurus. Dux, vt erat audax, impreſſione in cedentes facta captis ex eo numero quindecim, ſtudioq; prouectus equitem porro quendam inſectandi, in inſidias præceps fertur. Conuerſi tunc quatuor ex hoſtibus equites in eum irruerunt. Ex iis vnus haſta latus ſupra ilia hauſit, ictuque ex eo equo deturbauit. Accurrere qui in inſidiis erant. Pedibus eximie quamuis pugnantem lancea gemino pręfixa ferro, plures tamen vnum peremerunt. Proſtrato pleraque vulnera feritate & ſęuitia ſunt impoſita, arma veſteſque puncto detracta ne relicto quidem induſio. Duce cadente reliqui mæſti ſe ſe retuleruut in caſtra. Magiſter quoque equitum, quo ſecurior eſſet, Mendauia Lerinum abiit loci munitione vim hoſtium propulſare conſtituens. Sic periit, vniuerſę Italiæ paulo ante terror : ad cuius arbitrium belli & pacis in ea leges & fędera vertebantur, ingentis vir haud dubium animi, ſtrenuus manu, ſermone promptus, ſerendę inuidiæ, & ſeditionum artifex, raptor, largitor, in pace peſſimus, in bello maiori fama quam laude. Secunda ſæpe fortuna vſum aduerſa ad extremum exercuit. Superi præſenti interitu ſuperioris vitæ & ſcelerum iuſta exegere piacula. Notatum à curioſis hominibus intra diœceſim Pompelonenſem occiſum, quo primum epiſcopatu fuerat donatus, atque ipſo quo eius poſſeſſionem iniit nempe magni Gregorii feſto die. Vnicam filiam reliquit penes matrem atque auunculum Vaſconum Regem. Eo quamuis incommodo accepto mæſtus premebat obſeſſos Rex certus dolorem, rebellium malo vindicare & ſuis copiis & iis auxiliis equitum peditumque, quos è Caſtella Magiſter equitum miſerat. Contra Anagari Dux cum manu militari ad Vaſconum fines acceſſit Lerini Comiti pro neceſſitudine laturus opem. Ipſe quin etiam Cæſaraugustanus Præſul delectus habere inſtiuit certa voluntate eundẽ tuẽdi, qui in Ferdinãdi patris clientela erat, porro ſororis regiæ coniux. Verum hæc omnia vt in alieno periculo lente adminiſtrata. Sic Vianæ arx obſidionis feſſa malis neceſſario facto fędere deditionem fecit. Rex quoq; cum copiis quæ ad ſexcentos equites octo millia pedites excreuerant, Ragam impugnatum inde abiit. Regio Caſtellæ conſilio Vaſconũ motus curę erant. Iis pacandis miſſus Lupus Cõcillus arcanorum Reginæ particeps eius verbis Vaſconum Regem obteſtatum vt legibus potius cum Lerini Comite diſceptaret, quam vi & armis. Trimeſtres ſi eſſent induciæ, eo ſpatio controuerſias omnes præſertim Ferdinando Rege appulſo & diſceptatore pacatũ iri. Clementię laus tunc maior, cum irę cauſæ iuſtiſſimæ. Quid pacem importuno conatu turbaret, & cum Vaſconibus Caſtellæ vires cõmitteret iniuriam non diſſimulaturæ? Negauit Rex paſſurum ſe amplius vt vnius hominis importunitate vniuerſa gens turbaretur ſciſſa in partes. Neque fas eſſe neq; honeſtum prauos conatus, vllius Principis ope tegi, impunitate audaciam & ſcelerum confirmari licentiam. Daturum quidẽ ſonti & extrema merito veniam, ſi modo coram peteret ſupplex, Lerinoque tradito & filiis vt in eius obſequiis verſarentur, ipſe vniuerſi regni finibus in omne tempus abſcederet. in vltimas terras diras ſecum & furias portaret. Hæc agebantur; neque is Rex tamen ceſſabat Comitis ditionem occupare. Dedita

Raga

Raga aliaque circum oppida sunt. Intra Lerinum quod vnum oppidum supererat cum filiis & clientibus extremam iam spem Comes sustentabat, quibus viribus? qua fiducia? animi obstinatio rapiebat in præceps. Breui enim id quoq; oppidum ad cætera accessit facta deditione. Comesq; bonis omnibus euersus ne pago quidem exiguo relicto, profugus in Castella primum deinde in Aragonia sine lare familiari vagari necesse habuit aliena ex misericordia inopem vitam sustentans, quasi in patria tranquillam & beatam ætatem exigere potuit. Is fuit contumaciæ fructus. Ducis Anagari patrocinium non parum obfuit, quoniam multorum inuidia flagrabat, vt ab equitum in Castella Magistro ac cæteris Ferdinādi nomini addictis in periculo desereretur, adiuto quin etiā Vascone. Sic vnde opem sperabat pernicies certa extitit. Commode tamen cecidit Castellæ rebus Anagari Ducem bello Vasconum distentū à turbanda prouinciæ tranquillitate tantisper quieuisse. Eo amplius quod Beneuentanus ad Ferdinandi partes accessit militiæ sacræ præfectura quadam commendata & quingentorum aureorum vectigali annuo è regio fisco concesso. Præterea Villalonio gentilitio municipio nundinas cōcedendi, quod præ cæteris expetebat, facta porro spe. Begiatis quoq; Dux expugnatus est, quæcūq; exoptabat promissis. His duobus proceribus adiunctis ad reliquos, pars quæ Ferdinando studebat, eiusq; reditum optabat, validior esse cœpit: aduersa debilitari penitusq; concidere in causa quam superi hominesq; improbarent. Pestis lues Turrecrematæ inualuit: quod malum late diffusum hoc anno vehementer afflixit vniuersam Hispaniam. Superior annonæ angustia famesq; effecerat vt herbis plerique & fœdis carnibus victitarent. Ciborum insalubrium noui succi morbos vulgauerant, qua tabe mortales innumeri perierunt. Nullis idoneis remediis campi, plateæ & domus stratæ cadaueribus erant, nullo qui efferret; metus & periculum animos efferauerant. Ac ne erant qui ægrotis assiderent: notis ignotisque imminentis facies mali misericordiam abstulerat. Fædus annus atque ad memoriam insignis. Eo periculo Regina Fornellos abiit pagum exiguum, neque ab eo municipio dissitum amplius quatuor passuum millibus. Ex iis locis non discedere deliberatum erat, antequam pater veniret. In regium consilium redire qui matre superstite eo fungebantur munere iusserat: qui deinde accesserant viri nominatione amoueri. Sic Giennensis Episcopus domum abiit. Noui consiliarii quorum hæc sunt nomina, Aguirre, Guerrerus, Abula, atque Alfonsus Castella id mutari mandatum contendentes, summa diligentia nihil præstitere tamen. Sic Angulus, Vargas, & Sapata pristinum dignitatis locum, vnde erant deiecti, recuperarunt. Arcis Segobiensis obsidionem Moiæ Marchio vrgere non destitit. Propugnabant milites præsidiarii supremo conatu. Verum continuo sex mensium labore fracti & cuniculis subterraneis parte arcis euersa Idibus tandem Maii supplicum velamentis pro muro explicatis ex pacto venia data, verba dedentium arces pronunciarunt. Sic Marchio arcem iniuria ablatam recepit & suis viribus & ope primum Alburquerquii Ducis, qui obsidioni interesse voluit, deinde Magistri equitum, Albani, Antonii Fonsecæ missa à singulis militari manu. Ac fere qui Ferdinando Regi studebant, ii Ioannni Emanueli infensi Marchionis conatus subleuarunt.

Cæsar & Ferdinandus de Castellæ procuratione disceptant. CAP. VII.

CAEsaris legati Neapoli restiterant. Ab iis magno studio curatum vt Cæsar & Ferdinandus inter se viderent. Venturum Nicæam Cæsarem vrbem in ora Liguriæ, aut Ferdinandus Romam accederet, de qua ille cogitabat profectione ad imperii coronam. Die vno corā facilius conuenturos, q̄ multo tempore si per alios conditiones ferantur. Regi Catholico stabat sententia colloquium detrectandi. Eam voluntatem vt specie aliqua honestatis velaret. Illud præcipuum Castellæ res fluctuantes eam moram non pati, quæ aliquot mensium necessario futura erat. Hoc accepto responso legati coram contestati sunt, ne in Castellam rediret, nisi prius iis controuersiis compositis. Alioqui Cæsarem quoque venturum. Si quid ex eo incommodi existeret, penes eum culpam futurā, qui auctor extitisset, mali causa præcipua. Ea denunciatione etsi belli potius minæ quam pacis voluntas exprimebatur: visum est tamen vt cum legatis Gonsaluus, adiunctis qui à cubiculo regio, & qui ab epistolis erat de iure vtriusq; Principis disceptaret: si qua via se daret concordiæ sanciendę. Eo instituto colloquio multa ab vtraq; parte dicta sunt vt in lite omnium grauissima. Præcipua fundamenta, quibus Ferdinandi causa incumbebat, ad tria capita reuocantur. Patrem esse ac proinde Reginę tutorē ex legū omnium præscripto. Id ipsum Reginę placere: cuius voluntatis multa extarēt documēta. Præterea

Isabellæ Reginæ testamẽto & volũtate nõ aliter fuisse sancitũ. Quid nouis decretis certissima iura mutaret? q̃d in re minime dubia lites importune moueret? Hæc pro Ferdinando valida haud dubiũ & illustria argumenta. Sed & Cęsari nõ minora suppetebãt neq; infirmiora pręsidia. Regina valetudine impedita res in Carolũ filiũ translatas: in cuius tutelã nemo auo paterno potior erat, omnib. ipse inito posteriori cõiugio Ferdinandũ tutelæ iure decidisse pſertim fide Isabellę cõiugi perpetui cęlibatus data. Quod vt negaret, cõstare plane nunquam ipsam Castellæ procurationẽ fore delegaturam testamento, si nouis nuptiis se implicaturum putasset. Denique proceribus, vt ipse rebus imponeretur rector nõ placere: neque verum esse eo conatu nullo gentis consensu turbare remp. dare male cogitantibus arma. Plura alia in vtramque partem præsidia sunt producta: his tamen præcipue vtriusq; causa continebatur. Ventum ad conditiones concordiæ. Cæsaris legati quatuor & viginti hominibus rerũ Castellę curam delegabant. ita tamen vt ex eo numero Cęsar sedecim nominaret nihilominus, octo Ferdinandus sacerdotiorum, quæ ad regium ius spectant, & magistratuum pars tertia arbitrio Ferdinandi Regis relinqueretur reliqua gubernatorum delectui. Vectigalium regiorum quarta eidẽ cederet, tres quartæ Reginæ. Præterea Caroli Principis ad stabiliendam successionem, regni arces omnes Cęsaris nomine & sacramento tenerentur. Grauissimæ conditiones rebus turbandis opportunę magis quam constituenda pace: Additum, vt procerum nonnulli filii atq; è reliqua nobilitate principes in Belgas missi in Caroli obsequiis & aula versarentur, vna crescerent, mutuæ inter ipsos & cum Principe beneuolentiæ alimentũ. Ne cuiquã Philippi Regis partes esse secutum in posterũ fraudi esset. Iura Neapolitani regni ita à Pontifice confirmarentur, ne Caroli Principis in eo imperio turbaretur successio. Horũ q̃dam tolerari poterant: alia neq; concedi fas fuisset, ac ne multis quidẽ annis cõsensu partium cõponi. Ita Ferdinandus concordiæ spe abiecta, se ad profectionem cõparare, nihil territus nouo Cæsaris conatu denunciationeq;. Missus Neapoli in Germaniã Bartholomęus Samperius paulo ante ingenium & industriã in regia probarat. Cęsar idoneum hominem nactus qui sua mandata perferret, Ferdinandum suis verbis obtestari iussit ne in Castellam rediret nondum controuersiis inter ambos diiudicatis, si secus faceret minax. Verum Rex in consilio perstans abeundi, misit prius Romam qui eius nomine obsequium Pontifici deferrent. Ii fuere Bernardus Dezpuchius Montesiæ Magister, Antonius Augustinus, & è Valentina nobilitate Hieronymus Viquius, cui pręterea legati ordinarii in ea curia partes implere mandatum est, in locum Francisci Rogii eatenus eo functi munere cum dignitate. Dato legatis senatu pridie kalendas Maii Antonius Augustinus eleganti & accurata oratione eius officii moram excusauit multis enatis impedimentis susceptã necessario. Deinde obsequium obtulit viresq; vniuersas sui Regis ad profligandã nequitiam sacrosanctę ecclesiæ dignitatẽ tuendam aduersus omnium hominum conatus. Benigne Pontifex, si animus vultu æstimaretur, ad hæc respondit læta & placida fronte. Beneuolentiæ argumento rosam auream nocte Christi Dei natali prece ex libris pontificialibus sacrari solitam de manu tradidit Regi ipsorum perferendam amoris sui pignus. Ex arcano quoq; Gonsaluum inuitabat, si ecclesiæ copiarum Dux esse vellet bello quod aduersus Venetos meditabatur, gratiam meritis fore parem. Eundem honorem deferebant Veneti, si eorum auspicia sequi mallet. Ea enim suscepta de eius virtute & felicitate opinio erat, vt secum ferre victoriam persuasum omnibus esset, in quamcunq; partem inclinaret. Honestissimas conditiones arte occupauit Ferdinandus promisso ei rursus Diui Iacobi magisterio. Et ne verba viderentur inania rebus vacua, Antonio Augustino, cum Romam est missus, mandauit, vti à Pontifice impetraret potestatẽ Archiepiscopis Toletano & Hispalensi, atq; Palẽtino Episcopo esse, ipsius cessione eũ honorem in Gonsaluum transferendi cum primum in Castellam ventum esset. Id ne continuo faceret multa impedire: ac præsertim tumultus se absente ne propterea existerent non sine causa vereri. Pontifex vt continuo Regis cessione Magisterium Gonsaluo daret, facile adducebatur, vt aliis antistitib. vicariam ad id delegaret potestatem persuaderi non potuit. Sic in præsenti dilatus honor est non sine suspicione Regis artibus virum insignem ludibrio habitum, quo ex Italia ea fraude deduceretur. Opinionẽ vulgo susceptam confirmauit euentus nunquã eo dato honore, ac ne aliis quidẽ p̃miis. An sumus in timore benigni, post victoriã parci: quod vitiũ late patet, & est in multis. Tametsi iam Suessæ & Terranouæ Dux erat, ac Magister equitum Neapoli amplissimi honores si ex se considerentur, si cum virtute & meritis tanti viri cõferantur tenues prorsus & modici. Fædere cum Gallo icto Ferdinandi animus solicitus erat, verentis nulla ex Germana cõiuge prole ne per conditiones imperium Neapolitanũ ad Gallos rediret. Ea cura

Rho-

Rhotomagensem Cardinalem expugnare est aggressus in pontificatus maximi petitione opem omnem pollicitus, si id esset eius opera & auctoritate mutatum. Et erat cõmodius iure & legibus cũ Gallo disceptare quando Caroli Principis & Claudiæ retractato cõiugio, contra superiora pacta Mediolanum & Armoricos puellæ dotales principatus ablatos compensari ęquum videretur inducta conditione de regni Neapolitani successione, pręsertim dubia neque tanti. Controuersiarum potius fontem posteris perpetuum meliori censura adimendum videri. Verum his postulatis surdas aures Rex Gallus præbebat, offensus sacramento quod Ioannæ Reginæ & posteris Neapoli dictum erat, nulla Germanæ ex sorore natæ mentione contra quam in superiori fœdere cauerant, haud dubium mutatæ voluntatis & fidei argumentum.

Ferdinandus discessit Neapoli. Cap. VIII.

CVpiebat Ferdinandus quam primum se in iter dare, gnarus ad res Castellæ pacãdas, prauos multorum conatus frænandos quanti si adesset futurum. Festinanti omnis mora erat grauis. Verum Neapolitanæ rationes retardabant nondum plane compositæ. Regni eius iura possessionemq; diplomate à Pontifice, vt moris erat, impetrato stabiliendi prima & maxima cura erat. Agebat id diligenter Hieronymus Viquius legatus: magno tamen labore & diligentia parum promouebatur. Annuebat quidem Pontifex Regis postulatis, sed cum eo si Hispaniæ viribus & copiis Fauentia & Ariminum Venetis eriperentur in Flaminia iniustis plane ac violentis possessoribus. longæ eę molitiones erant. res ardua. Cum Castellæ res nullam paterentur moram, eo festinare quacunque ratione decernit. Sub profectionem tamen fidei atque innocentiæ Gonsaluo testimonium dedit tabulis publice in eam sententiam confectis: maiores prædicatione hominum famaque res ab eo perfectas fuisse, integra semper fide. Earum tabularum exempla testatio descripta in omnes partes missa sunt: si qui secus fuerant temere suspicati, ea præclara testificatione omnem dubitationem animis eximerent. Venerat Neapolim Ioannes Nucæus Siciliæ Prorex. Hunc propter eximiam fidem excellentesque virtutes Neapolitanum Proregem designarat Gonsalui in locum. Verum eo ante Regis profectionem & filio eiusdẽ nominis, qui iam Aragoniæ Iustitia erat, intẽpestiue defunctis, locum tenuit Ioannes Aragonius Ripagorsæ Comes: quem Regis propinquitas quippe ex eius fratre genitum magis quam alię virtutes subleuabat. In Siciliam Raymundus Cardonius est missus, qui remp. gereret vicarii generalis indito nomine. Proregi consiliarii de rebus supremis bello paceque adhibiti Andreas Caraffa Sanseuerinæ Comes, nobile illi genus & bello paceque clara origo: tum Hector Pignatelus, Monteleonis item Comes, & Ioannes Baptista Spinelus detracto conseruatoris nomine, quod dederat, in ea gente inuidioso cum primis & graui. Adiecit mandata Columnios & Vrsinos proceres omni cura complecterentur. Bartholomæo Liuiano ditio restitueretur annuaque vectigalia ad obsequium modo retracto. Ad reliquas militares copias ducenti è nobilitate delecti equites, qui Continuorum nomine versarentur in Proregis curia centum & quinquaginta aureorum annuo singulis stipendio. Venetos pacare supererat, quoniam de Regis voluntate dubitabant. Missus est eo studio Philippus Ferrerius qui ordinarii legati nomine & munere in ea vrbe fungeretur. Rebus ad hunc modum compositis pridie Nonas Iunii die Veneris cum sedecim triremium classe è littore Neapolitano Rex soluit, abducto secum Magno Gonsaluo, vt fama tulit, propter affectati regni suspicionẽ. Onerariæ plures in speciem numerosę classis ante dies octo discesserant ductore Petro Nauarro. Lusitania opima pace, opibus & fama florebat immortale decus vniuerso orbe consecuta. Cælo datum beneficium eo Rege sceptra tenente, quo nullus præstantior esset prudentia atque animi magnitudine, pręterea felix numerosa pulchraque prole. Regina quoq; Nonis Iunii filium Olisipone peperit, cui Ferdinando nomen fuit, breuis ætas: in adolescentiæ flore raptus diu præstantium virtutum specimen præbere non potuit, quas eximia indoles & litterarum amor polliceri videbatur. Lusitano Regi Castellę proceres nonnulli ac nominatim Villenius rerum in ea gente procurationem deferebant. Ad disturbandum Ferdinandi Regis aduentum is conatus pertinebat. multorumq; mentes is morbus inuaserat, nec deerant sermones passim Ferdinandi senium & auaritiam increpantium. Verum Lusitanus cum suarum rerum periculo quantum iis procerum promissis fidendum esset non satis statuebat superioris temporis memoria & exemplis cautior. Ex arcano tamen Castellę rebus admouere manus oppido cupiebat: mutuo filiorum cum Reginæ filiis coniugio, tutelã Caroli generi rerumq; procurationem obuenturam

vltro cogitans. Et erat commodissimum Indico commercio Africanisq; expeditionibus Castellę opibus tenui censu Principem subleuari, ea cura potestateque suscepta. Si id non contingeret Cæsarem in Castellam euocare quasi iure concessum ac legibus sanctum, fixum animo deliberatumq; habebat. Ad quod Rex quoque Vasconum inuitabat, vsque dum transitum per prouinciam offerret magno itineris compendio. Sane ambos Reges Ferdinandi felicitas perpetuo vrebat, perpetuum Principum malum. potentissimi Regis vicinitas molesta atq; intoleranda videbatur. Sed & Vasconem metus proprie solicitabat, non quieturum Ferdinandum nisi eo regno occupato. Seu pręsagit animus vrgentem calamitatem atque instantem, seu ex conscientia iram veritus. Sed & à Castellæ proceribus factiosis Cæsarem ad capessendam remp. prouocatum se in viam dare, atque in Hispaniam traiicere deliberatum habuisse litteræ argumento sunt, quas ad Emanuelem dedit Constantia, vbi imperii conuentus erant, hac sententia. Aliis litteris significaui fixum mihi esse in Hispaniam proficisci, Carolumque nepotem mecum ducere. Equidem Reginæ filię maiestatem tueri aduersus prauos hominum conatus, Principis imbecillam ętatem tegere, eiusque successioni consulere meo labore æquum arbitror. Eo festinatio maior erit, quod quædam in ista prouincia nouari nunciatum est. Intra quatuordecim aut quindecim dies in Belgas ipse discedam, vbi nepos Carolus agit. interim parabuntur iussu meo, quę ex vsu Hispanicæ profectionis erunt. Itaque, vt communicatis consiliis cum oratore nostro, aliisque proceribus qui Principis partes sectantur, quod hactenus fecistis mea causa diligentius curetis hortor & mando, detis operam ne in Reginę libertatem, aut Principis successionem quidquam insolenter committatur. Certe id mihi fore curæ credite ac vero nostro aduentu ne sine fructu vester labor contingat effecturum ac potius vt cultæ fidei ea gratia sit, quam extincti filii in vos perspecta beneuolentia, vestraque obsequia videntur postulare. Vale Constantia nostri imperii. vrbe pridie Idus Iunii anni milesf. quingentesi. septimi.

Regum Galli & Catholici colloquium. CAPVT IX.

Rex Gallus in Italia agebat Alpium fauces ante aliquot menses cum validis copiis transgressus. Genuensium motus pristinæ libertatis spe Gallici imperii odio graues & incitati, veniendi necessitatem imposuere. Anni enim superioris fine plebs in nobilitatem incitata correptis armis lilia Galliæ insigne ex locis omnibus erasere. Commoti populares nunquam in vno gradu resistunt. Ducem ex infima plebe Paulum Nonum ex lanas inficiendi arte ad rerum fastigium euexere. Iis motibus incitatus Gallus numeroso exercitu præmisso, ipse paulo post præcedentium vestigia subsecutus tumultuantes compescuit. Locorum vicinitas inuitauit vt Reges inter se consilio communicato videre vellent. Sauona in ora Liguriæ vrbs, colloquio idonea visa est, Regis Catholici nauigatio lenta fuit. Aduersæ tempestates Caietæ in Romano littore atq; in Hetruriæ ora aliquandiu detinuerunt. Genuam tandem ad sextum kal. Iulii peruenit incolumi classe. Gasto Fuxensis Regem auunculum atq; sororium excepit cum quatuor triremibus obuiam factus eximia indole formaque adolescens. Hospitis aduetum Gallus Sauonæ morabatur. Petri Apostoli peruigilio sublatis è portu Genuensi ancoris egressus est Ferdinandus. Genuę Sauona finitima est exiguo dissita interuallo. Ita eodem die accedentes Regem & Reginam ad littus progressus Gallus splendido accepit apparatu. In mutuos complexus itum, iūctę dextræ, salutatio facta ingenti tum vtriusq; Principis tū omnium, qui insigni spectaculo aderant, lętitia. Sub vmbella duo Reges & Regina in vrbis arcem deducti sunt hospitio Hispani designatam. Maior vt honor esset Gallus relicta arce ad Episcopi ædes diuertit. Die postero qui diuo Petro sacer erat, vna operati sacris sunt insigni apparatu. Aulici vtrique splendenti cultu & vestium pretio superbi Hispani præsertim spoliis Neapolitanis insigni elegantia. militum phalerę torquesque splendebant, militari habitu ferociam cuncti spirabant. Ea nocte Regina apud Regem auunculū cōuiuio excepta est, cum Ferdinādo Rege Cardinales duo cęnarunt. Diuę Praxedis à Pontifice ad Reges de rebus magnis legatus, & Rhotomagensis in Gallia item ab antiquo legatus. Die proximo duo Reges cænę Magnum Gonsaluum tertium adhibuere. multo prætere verborum honore & benignitate Gallus est cōplexus, virtutem, felicitatē, bellicas artes etiam in hoste miratus, clarissima victoriarum monumenta vbiq; relicta. Tantundē cum Obenigno Ferdinandus prę stitit. atq; ita vt Venafram oppidum, ꝙ Comitis nomine in regno Neapolitano initio belli obtinuerat, sibi is ex tanta benignitate polliceretur spe præpropera falsus. In eo congressu multa sunt agitata, illud præcipuū. Aduersus Vene-

Venetos,de quo antea actū erat,arma viresq; sociare arcano omnia ne prodita in vulgus vim perderent.Soluto conuentu repetitaq; nauigatione Ferdinandus in Hispaniā discessit. Prolixa rursus inde nauigatio fuit aduersæ atq; importunæ tempestates.Ita non ante quartum Idus Iulias ad Cadaquium portum in ora Catalaunię classem intulit.Pestis lues eo tractu grassabatur. Vitando periculo non prius cessatum, quam ad littus Valentinum ventum est omnino ad tertium decimum kalendas Augusti,quo cum cæteris nauibus ante decem dies appulerat Petrus Nauarrus. Magni honores in ea vrbe aduenientibus Regibus sunt habiti commorantibusque. Regina sub vmbella excepta deductaq; in arcem. Qui honos veteri instituto Regibus primum eam vrbem adeuntibus haberi consueuit.Ferdinandi reditu nunciato Castellæ motus quierunt. Metus nonnunquam quam gratia potentior est. Ipse quoque Villenius posita contumacia obsequium detulit promissa ipsi compensatione, ac vero restitutione omnium quæ iniuria fuisse ablata dati in causa iudices pronunciassent. Necessitate expressum officium quamuis, gratum tamen in primis extitit. Vreniæque Comes operæ Villenio patrueli sanando nauatæ præmium tulit Carmonæ arcis præfecturam,quam sui iuris esse & superiori tempore iniuria detractam conquerebatur. Assidonio item pro vrbe Heraclea, quam sui iuris putabat, spes compensationis iniecta est interprete Magistro equitum data in præsenti pecunia aut in posterum annuo è fisco regio vectigali in omne tempus designato. Toletanus rebus omnibus pro virili parte iuuabat lætus ad alia quę Ferdinando dono antea acceperat, honore purpuræ à Pontifice eo annitente concesię, pręterea Inquisitoris generalis in Castella & Legione cura data Hispalensis cessione: vti indicio sunt litteræ à Ferdinando priusquam Neapoli discederet, ad Toletanum in eam sententiam datæ: quarum exemplar autographum Compluti seruatur in Diui Illefonsi collegio eius opera & impensa in eo municipio constructo magnifice. In Aragonia Inquisitoris generalis munus & nomen Ioannes Enguerra retinuit Regis conscientiam per confessionē solitus expiare. Iis proceribus in partes attractis cæteri fere ac vero prouinciales vniuersi quieuerūt.Offensionis & tumultus sæpe causis remedia nihilo maiora sunt. Illud aduerso rumore fuit,ac passim improbatū.quod Alfonsus Fonseca Compostellanæ ecclesię est pręfectus iuuenis ardenti ingenio moribus non satis probatis fauor Principis pro eruditione & virtutibus fuit.Eo maior fœditas quod in patris locum successit, ea causa Alexandrini Patriarchæ tunc renunciati,inanis vmbra dignitatis & sine prouentu nomen. Nouum exemplum & prauum amplissimam ecclesiam à patre in filiū quasi hæreditate transferri eumq; spurium,contra omnes honestatis leges. Verum patris in Regem merita eximia extiterant;rebusque turbatis multa præpostere fiunt, ipseq; Alfonsus iunior Regis iter in Italiam prosecutus eius gratiam promeruerat actionum elegantia ingenii dexteritate apparatuque & impensa principali. Sic iuuat facti insolentiam ex parte aliqua excusare,ac pręsertim Regis pœnitentia subsecuta ac per totam vitam conscientiam solicitāte. Et quis est Regum in tanta rerum varietate, tanta licentia, qui non peccet in aliquo? In aliquo tantum & non potius in multis labatur. Dux Anagari & Ioannes Emanuel supererant noxa maiori,nulla veniæ spe,eoque maiori contumacia. Accessit recens ad eum numerum Lemosii Comes noua offensa irritato Rege. Occupauerat in Galæcis Ponferratum regię ditionis municipium, & Villafrancæ contributos pagos & agrum magna ex parte. Ad ipsius ius ea pertinere disputabat.Quod legibus petere debuisset,allata vi in crimen maiestatis vertit. Fornellis,vbi Regina tunc agebat,de frænanda Comitis audacia actum.Consilii regii decreto atque ex Toletani & aliorum procerū sententia Albano & Beneuentano ea cura est demandata.Delectu illi habito,bis mille equites,pedites tria millia contraxere facinus vindicandi voluntate. Brigantinus opem Comiti laturus videbatur Dionysii fratris suasu, cui Comitis filia & hæres iuncta coniugio erat. Destitit tamen à Rege Lusitano monitus pro imperio: Toletano quoque suasit vt iuris certamen expetente Comite discederetur ab armis.Comes ab omnibus desertus pręsertim ex quo Ferdinandum appulisse Valentiam cognitum est,metuq; maioris mali, Ponferrato aliisq; oppidis quæ occupauerat,restitutis arma posuit obsequium cū securitate, arrogantię cum periculo præferēs.Ioannes Emanuel eius factionis facile princeps destinata voluntate in Germaniam abeundi,& in Belgas,quo pręcesserant Vilę Veriusq; reguli aliiq; ex ea gente Philippi Regis antea asseclæ,Burgensem arcē Anagari Duci,Giennensem Egabri Comiti custodiēdas cōmendauit.Appulso Valentiā Rege hæc gerebātur: simul ex Africa nuncius venit, regię aulicorum cohorti Præfectum Mazalquiuiro cum cētum equitib. peditib. ad tria millia maiori ex parte ex eorum numero, qui Neapoli venerāt,in fines Tremesenios irrupisse:vastatisq; latissime hostiū agris cū ingēti abacta pdā

hominum pecorumque rediret, non procul Orano à Tremeſenio Rege & innumera Maurorum multitudine, qui abeuntium veſtigiis inſtiterant, facta pugna fuiſſe victum. Ceſſit virtus numero. E noſtris præda omni ablata plerique in pugna ceciderunt verſi omnes in hoſtes. Ea cura etiam morientibus honeſti exitus fuit. Præfectus cum ſeptuaginta equitibus cuneo facto per medios hoſtes erupit Maſalquiuirumq; abiit. Quadringenti tantum fuga euaſerunt nocte & vicinis ſyluis tecti, captiuorum par numerus. Cõturbauit ea ſtrages Hiſpaniæ gentis animos. Ferdinandus quoque eo percitus nuncio aliquot actutum triremes miſit Maſalquiuiro auxiliares, ſi opus eſſet & vim Mauri pararent. Neapolitani interea milites otii impatientia per prouinciam diſperſi vi & ſtupris, & rixis cuncta polluere. Plerique ad rapinas conuerſi. In eo numero Dieghus Garſias Paredius, vt erat vaſto animo, audax & promptus piraticam exercere conſtituit largus priuatim, quod rapinis ſuppleret. Idem fecere Dieghus Aguaius & Melgaregius. Habendi cupiditas idonea iniuriæ faciendæ cauſa videbatur: Hoc diſcrimen inter vtroſque: quod Paredius ad Orientis oras profectus de hoſtibus Chriſtiani nominis prædas agere inſtitit, minor ea noxa. Duo alii ad AEnariam inſulam ſtatione delecta promiſcue, quicunque iniuriæ opportuni erant, eos ſpoliare fortunis & vita, ex aliena calamitate opes captantes propria & totius gentis inuidia. Miſſus à Prorege cum militum numero Michalotus Prateus domo Catalaunus rei bellicæ & nauticæ imprimis peritus piratas ob Beluederium nactus oppidum Biſiniano contributum captis biremibus interiora prouinciæ fuga petere coegit. Victoriæ lætitiam inopinus caſus conturbauit. Subita ventorum vi naui, qua vehebatur oppreſſa periit, nullo qui morti eriperet quamuis multis è vicino littore cladem proſpicientibus. Magnum rerum ludibrium conuerſionemque. Violentia fluctuum compage laxata aſſeres interfluens vnda ſubmerſit nauim. Ipſo tempore Alfonſus Alburquerquius ſuperiori anno cum Triſtano Acunio miſſus è Luſitania ad Orientis oras Franciſco Almeidę ſucceſſor, virtutis ſpecimen præbere cupiens, ratus vt prima ceſſiſſent ſecutura alia, ex itinere Ormutium occupauit. Inſula nobiliſſima ea eſt ad ſinus Perſici fauces, anguſta quidem ſpatiis ac ſedecim modo millium ambitu, tenui gleba, nulla aqua, æſtu vehementi, frugum egens ac omnis amœnitatis: gemino tamen portu Orientis commercio idonea, atque ex eo omnibus quæ ad victum cultumq; neceſſaria ſunt, quod caput eſt diuitiis auro, & argento gemmiſque beata, & cum primis Orientis celebritate & mercatorum frequentia comparandum emporium. In Africæ item littore, quod Oceanus alluit Luſitani Mauris abſtulerunt Saphinum vrbem copioſam, latam ſpatiis, incolarum numero frequentem, quondam Regi Marrocio ſubditam, tunc in iure & mancipio reguli peculiaris.

Rex Catholicus Reginam filiam inuiſit. CAPVT X.

GErmana Regina Valentię ſubſtitit rebus gerendis pro viro vicaria, breui tamen in Caſtellam itura. Petrus Nauarrus cũ militum cohortibus, eorum qui in claſſe venerant, præmiſſus eſt Almaſanum verſus ad Caſtellæ fines ſitum oppidum. Subſecutus eſt Rex ad tertium Idus Auguſti. Proceſſere obuiam Cæſarauguſtanus Præſul officio in patrem incitatus, Medinæ Celinæ & Alburquerquii Duces. Eo comitatu ad reliquam aulæ cohortem adiecto Montacutum primum Caſtellæ municipium peruenit ad duodecimum kalendas Septembris. Inde Almaſanum Arandamq; itum eſt. Toto itinere proceres & Epiſcopi viſendi ſtudio & officio in Principem incitati ſalutatum accedebant, quidam metu, multi per adulationem, plerique ne aliis euntibus ipſi ſubſiſterent feſtinationi ſtudentes offenſas priores tegere: ii quanto magis ficta erant obſequia, tanto magis plura beneuolentię argumenta præbere. Regina Fornellis hærebat incommodo ſatis hoſpitio: neque vt abſcederet induci potuit, quamuis templi contignatione fortuito igne incenſa: atque ita vt Philippi viri corpus neceſſario in regiam fuerit inde translatum. Nunciato tamen patris aduentu ex eo pago tandem digreſſa Tortoles abiit vicum Arandæ vicinum. Rex quoque Villauelam diſceſſit duorum milliũ à filia interuallo. Sic Sabbatho quinto kalendas Septembris precibus veſpertinis operatus Tortoles petiit. Proceſſere obuiam Magiſter equitum & Villenius aliique proceres è Reginæ comitatu: pręterea Toletanus, Pontificius nuncius cum aliis Epiſcopis cuncti ex ordine vultu ad lætitiam compoſito dextram oſculis more gentis appetere. Ventum ad paratum hoſpitium, vbi Regina patris aduentum expectabat. Ad eius aſpectum cucullo, quo tegebat caput detracto ſe ad eius pedes oſculatura deiecit. Rex detecto capite genu ad terrã flexo proſtratam erexit. Amplexati inter ſe aliquanto ſpatio in domus cænationem cõceſſere.

Dua-

Duabus amplius horis in colloquio decurſis Regina reuerſa in Regiam eſt, quo Rex pater die poſtero illam inuiſit. Remotis arbitris qui inter eos ſermones extiterint cognoſci certo non potuit. Ex Regis tamen in diſceſſu hilari & placido vultu ſuſpicati homines ſunt de Reginę valetudine melius quam antea, regnique procurationem illi demandaſſe. Eam opinionem euentus cõprobauit rebus continuo ad arbitriũ compoſitis, creatis vti viſum eſt magiſtratibus atq; miniſtris aliis. Septem dies in eo pago morati octauo ad Diuę Marię Campeſtris fanũ proceſſere. In eo oppido ne purpuræ honor haberetur Toletano à Pontifice datæ Reginę interceſſione factum eſt, nefas fore negantis quo ipſa loco eſſet viduata viro, oppreſſa luctu, lætitiã vllam celebrari. Sic Mahamudii cæremonia peracta eſt, oppido exiguo apparatu principali ac celeberrimo. Auctus honor nomine, nã Cardinalis Hiſpaniæ dictus eſt: q̃uis D. Balbinæ titulus Romæ fuerat adſcriptus. Aderat in curia Andreas Burgius pro Cæſare legatus ſagax, callidus, promptus ad ſimulanda negocia altitudine ingenii mirabili, ea audacia vt poſt Ferdinãdi aduentũ non dubitaret tamen ſolicitare, prehẽſare ſingulos proceres, quos idoneos gratia aut offenſa putabat, vt Cæſari rerum arbitrium deferret. In quo etſi dignum ſupplicio facinus cõmiſiſſe viſus erat, ius tamen gentium valuit vt inuiolatus è curia dimitteretur. Species pręteẽta facto referendi in Germaniam datis ipſi mandatis reſponſum. Adiunctus itneris ſocius Ioannes Albion cum nouis Regis & Reginæ nomine ad Cæſarem mandatis precantium, eum deinde legatum mitteret, qui publicæ tranquillitati magis ſtuderet: reip. turbationem vtriſque fore noxiam, importunas molitiones periculo non vacare. Simul magiſtrum equitum, maris Præfectum, atque Albanũ inter ſe conciliare ſublatis mutuis offenſionibus aggreſſus eſt. Ingens conatus neque fructus pœnitendus, quando vna opera ſibi eos proceres ea auctoritate & opibus obnoxios præſtare commodum erat; reip. vniuerſæ ſalutare in vnam proceres ſententiam conſpirare priuatis diſſidiorum cauſis amotis. Pręterea ad Bæticæ motus animum retulit, vbi non minora diſſidia vigebant. Ac Cordubę Prieghi Marchio Dieghi Oſorii Prætoris apparitoribus & miniſtris faſces per vim ademerat. Vbedæ factioſi ciues Molinæ dicti multa turbare Antonii Manrici fauore ſuperbi, qui Anagari Ducis propinquus eius partes ſequebatur, Hiſpalis quieta nihilo magis erat. Obitu Ioannis Aſſidonię Ducis Petrus Gironius Vrenię Comitis filius amoto Henrico defuncti filio Mariam vxorem ſubſtituebat opimi principatus hæredem & ipſam extincti filiam neque ex alia matre. Ad tantos motus pacandos viro & gubernatore opus erat. Cantabrię & Calæciæ portus muniti magna cura ſunt aduerſus omnes caſus. Aczemoſii Comiti, & Fernando Andradio magnis in Calæcia opibus & clientelis turbidos ex vniuerſæ prouinciæ finibus diſcedere mandatum eſt. Par cura adhibita Gaditano Heracleæ & Malacę portubus muniendis, ac quoniam Mauris indigenis diffidebatur, effectum vt oppida omnia octo à mari millibus vacua incolis relinqueretur Heraclea Almeriam vſque. Pulſis eo littore Mauris veteres Chriſtianos ſubſtituere animus erat, prohibere eius gentis ſcelera, quorum propter Africę vicinitatem magna ea parte licentia erat, ſæpeque Chriſtianos captiuos in eas oras abducebant. Verum is tandem conatus effectu caruit. Obtinebat Ioannes Emanuel Philippi Regis beneficio Burgenſem, Giennenſem, Placentiæ & Miraueti arces. Præfectis mandatum vt Regi eas ſine mora darent. Burgenſi arci Præfectus Franciſcus Tamaius de ea re appellatus tempore extrahendo præter ſpecioſa verba nihil p̃ſtabat. Digna temeritas vindicta & malo viſa eſt. Rex Burgos ire conſtituit, ſimul Petro Nauarro cura data cum militarib. copiis, quas ducebat, & tormentis bellicis è Medinæ Campeſtris arce detractis, eam arcem impugnandi. Periculo conſiderato Pręfectus arcem dedere decreuit: quod exemplum aliæ continuo arces imitatę ſunt. Sic Ioannes Emanuel omni p̃ſidio deſtitutus propinquis lõginquisq; infenſis, Rege irato p̃ Vaſcones in Galliam euaſit, inde in Germaniam iturus ad Cęſaris pręſidiũ. Vnus Anagari Dux ex ea factione ſupererat, ſed quibus viribus? qua fiducia? quibus adiutorib. intra Anagarum ſuſtentare cogitabat, munita vrbe & militibus, quos potuit, contractis? Cæcus animi impetus in præceps egit. Et alioqui erat perſuaſum Cęſarem propediem cum exercitu & Carolo nepote in Hiſpaniam venturum. Hac ſpe Iſabellę Reginæ teſtamento, qua parte certe de regni procuratione ſtatuit, aſſenſum præbere, quo tempore conuentus Tauri habiti ſunt, noluit: conſequenti tempore cõſilii regii edictis non obtemperauit, ne quaquatuoruiris quidẽ rerum capitaliũ aliisq; miniſtris curię vt regia mãdata in eius ditione exequerentur cõceſſit. Ad ea crimina delectus militares habere inſtitit, tumultusq; cõcitauit. Studio quin etiã vlterius p̃greſſus, quaſi Caroli Principis vicari⁹ ſe Prorege dixit: & pro arrepta temere poteſtate, Pręторib. mãdauit vti ſuo nomine tabulas edictaq; euulgaret: q̃ Vbedę certe factũ eſt Antonio Manrico Prætore patrui volũtati obſequẽti, partes

ſecuto. Impotentes conatus, priuſquam altiores malum radices ageret, fręnandi erant. Eo conſilio quæſtiones maieſtatis de eo in curia ſunt habitæ. Simul è D.Mariæ Campeſtris fano Burgos ire Rex conſtituit. Arces perueniunt: quo ex oppido Fernandum Stradam regiis epulis præfectum ad Ducem miſit arces vt traderet expetitum fidei pignus: videret ne noua offenſa ſi recuſaret ad priores addita, maioris ſeueritatis neceſſitatem imponeret. Detrectauit ille facere quod iuſſum erat incommodus & moleſtus. Rex in eo oppido relicta Regina quoniam Burgos ire noluit extincti in ea vrbe viri memor, ipſe in eam vrbem abiit in vindictam intentus. Petro etiam Nauarro cũ copiis quas ducebat, & regni ordinariis equitibus bellicisque tormentis vniuerſam Ducis ditionem eumque capere mandauit. Interceſſere proceres ac nominatim Magiſter equitũ, Albanusque vt ſeueritati modus eſſet precantes meliora de Duce polliciti. Dux ipſe metu propoſito ceſſit, qui benignitate vinci non potuerat. Nauarreti, Treuigni, Oconis, Redecillæ, Daualilli, Ribæque arces tradidit, vti erat iuſſum: præterea Balmaſedæ arcis regiæ datam antea præfecturam reſtituit. Albanus earum arcium ſequeſter conſenſu deſignatus, atque ii Præfecti quos ipſe ſingulis daret. Ita Rex mitigato animo, eorum quę prius commiſerat ſupplici veniam dedit. Neq; multo poſt Antonio Manrico Treuigni Comiti Ducis filio ſenſim eas arces reddidit atq; diſſimulanter. Clementia ſæpius quam ſeueritate reip. ſanantur vulnera. Diſſidiorum certe nebula opportuna benignitate, quaſi ſolis radiis depulſis vnde ſæua tempeſtas inſtabat, lux rebus reddita eſt & optata tranquillitas. Errant, qui in populi & procerum beneuolentia nihil opis repoſitum putant, omnia regis metus. Itaque ad Ducem Alburquerquium amplius promerendum de Ioannæ Aragoniæ neptis ex filio Cæſarauguſtano Præſule coniugio cum eius maiori filio conſilia agitata. Quod tamen connubium non coaluit: ac puella Ioanni Borgiæ Gandienſi Duci poſtmodum data coniux eſt.

De variis coniugiis actum. CAPVT XI.

CAEſar vno tempore Regibus Gallo & Ferdinando infenſus Ferdinandum accuſabat in Caſtellæ rerum procurationem pręcipitanter inuaſiſſe controuerſiis cum ipſo nondum compoſitis, neque lite diiudicata. Grauis ignominia viſa eſt armisque vindicanda iniuria. Tria millia Germanorum vti ferebat fama, in Neapolitanos fines immittere cogitabat, quo gentem ad rerum nouarum ſtudium concitaret. Simul vt Aragonii Cardinalis conatus iuuaret Calabriæ Duci in Italiam pertracto paternum regnum reſtituere parantis, præſidiis vndique ad id obtinendum petitis præ vindictæ ſtudio nulla nepotis cura. Neq; deerant rumores ſuſpicioni ſubiicientes Magnum Gonſaluum quaſi præſentium rerum tædio quietis impatientia conſilii eius particeps eſſet filia etiã maiori nupta Calabrię Duci. Deſtinare ꝑterea Põtifici obſequi, copiarũ eius & noui cõtra Venetos belli cura ſuſcepta. Mẽdacio habita fides, quoniã ad id inuitabatur annuo ſtipẽdio aureorum ſexaginta millium. Quia honeſtiſſima cõditio erat, famæ credebatur paſſim. Verum hæ ſuſpicionis erant: inane prorſus quod de Cæſare ferebatur. Breui enim eſt intellectum vires illas, vnde rumores alebantur, velle in Mediolanenſes fines & contra Venetos conuertere: vtriſque inferre bellum. Rex tamen Catholicus ex eo cautior, acriores cuſtodias circumdedit Duci Calabrię, ne è curia ſe inſcio poſſet elabi. Simul Ripagorſæ Comiti mandauit, vti Cardinalem Neapoli Romam prorſus amandaret. Facto quidem alia prætenta ſpecies eſt, ſed rumoribus plane nulla fides habita ad id vt recurreretur, effecit. Gallię Regem expoſtulabat Cęſar Gheldrię ducem ſubleuare eo bello, quod Belgicis finibus importunus diu intulit. Præterea Burgundiæ fines armis vexaſſe, quo tempore in Italia Ferdinandus agebat, eius conſilii particeps, vti ille accuſabat. Ad hæc colloquium inter duos Reges Sauonæ inſtitutum ante, ſuſpectum monſtri profecto ſimile aliquid allaturum credere. Coniugium Claudiam inter & Carolum toties pactum diſturbari: ac ipſo tempore agi de nuptiis regię puellę cum Engoliſmorum Duce dolebat dolebat ſcilicet impenſe: vbi reſciuit impedire conatus Cardinalis Rhotomagenſis opera. Cæſaris votis multa patrocinabantur. cęteris omnibus validius fundamentũ, in fędere ad Hagenaũ facto Mediolanenſis principatus iura Gallo ſimul & Philippo Principi Cęſareo diplomate confirmata filiorum connubii inter eos ſpe certa fideque data. Coniugio diſturbato indulgentiam conceſſam fore irritam. Ferdinando ea res curæ admodum non erat, quippe Mediolani principatus iacturam regni Neapolitani ſucceſſore Carolo nepoti relicto ſatagebat compenſare fędus violatum, alterius fœderis mota fide. Galli aures Cæſaris poſtulatis ſurdę erant. Sic ille animum in Angliam reuocauit

uit Mariam eius Regis filiam Carolo iungi cupiens. In quo eo vſque progreſſum eſt, vt in puellæ dotem deſignarent ducenta & quinquaginta aureorum millia: diem & locum celebritati nuptiarum præfigerent. Additum etiam vt Ferdinandi & Ioannæ Regum conſenſus expoſceretur, ac renuentibus nihilominus connubium conſtaret. Cupiebat Anglus hoc coniugium, in quo tantæ commoditates inerant coire. Maior tamen & propior cura ſolicitabat Ferdinandi voluntate ſibi toro Caſtellæ Reginam iungendi; quod ſperare non temeritas ſed amentia erat. Diſſimulabat tamen Ferdinandus ſpe inani ſenem lactans: ne ſe auerſum coniugio pręberet Catharinæ filiæ & Vualiæ Principis pacto. Anglus tempus extrahere aliam ex alia moræ cauſam nectere, ea cunctatione extorquere parans quod maxime optabat. Fraus vtrinq; eludebatur fraude, ac veluti cōtrariarum in vno corpore ægritudinum complicatio vtroſque male habebat. quo morbo fere Principes magni laborant, expugnantibus inter ſe ſtudiis vita componitur haud leui moleſtia labeq; eorum felicitatis. Mors Angli breui ſubſecuta intempeſtiuos intercepit conatus. Pleriq; vulgo Ferdinandum accuſabant, quaſi Gaſtoni Fuxenſi leuiro ſuo Reginam filiam coniugem deſtinaret ſuis & Galli auunculi viribus regnum Vaſconum adepturo: quod illi iniuria ereptum prædicabant. Sed & Hiſpanum peculiaris dolor incitabat, & ſtudium eos Reges vindicandi ob auerſum penitus à ſe animum: nullam prætermiſſam occaſionem ſuſceptam ſimultatem teſtandi. Recensque apertum odii documentum extiterat Lerini Comite ditione ſpoliato nulla ſui abſentis cura, quamuis gnari ſororii iniurias ac in eius præſertim patrocinio deliteſcentis, pro ſuis habiturum. Eo maiori offenſione quod legibus diſceptare, vti poſt ſuum aduentum expetierat, profugo ditione reſtituta recuſarant, parato quamuis mulctam ſubire, quam delecti conſenſu iudices iuxta leges indicerent. In Germaniam peruenerat Ioannes Emanuel minori iam apud Cæſarem gratia & auctoritate quam antea. Miſeros cuncti deſtituunt: neque mala in vno gradu reſiſtunt. Deluſus ergo ſpe ſua ac ſuſcepti fruſtra itineris pertæſus reuocare cupiebat, atque in Hiſpaniam redire. Eo conſilio petiit à Ferdinando è duobus alterum. Vt eius venia reduci bona priſtina reponeret, atq; eo loco haberet, quem generis nobilitas & priora merita poſtularent. certe cum vxore & liberis in Luſitaniam ire concederet. Quod ſi iuſtiſſimis poſtulatis non moueretur, facturum haud dubium quod ſolent homines deſperati. Nullam eſſe potentiam cui non ſit periculum etiam ab inualido, præſertim ſi ad vires furor accedat. Nullum reſponſum datum: maiores noxæ erant, quam vt veniam ſperaret. Ita è patria exul miſeriis coopertus ac profugus minori quamuis Principis fauore ingenii tamen acumine dexteritateque agendi, diſſidiorum inter eos Principes ſementem facere impedire concordiam nunquam deſtitit egregius diſſidiorum artifex. Iuuabat conatus Bernardinus Caruaialius Pontificis ad Cæſarem legatus. Sic vulgo ſuſpicati ſunt homines. coniecturæ accommodata fides propter turbidum vtriuſq; ingenium parem actionum varietatem. Et quoniam Cardinalis propinqui, à rebus Ferdinandi auerſi regni procuratorem eſſe conſtitutum ægre neque diſſimulanter ferebant. Suſcepta ſiniſtra aduerſus Cardinalem ſuſpicione Ferdinandus à Pontifice porro petiit Legati munere detracto eum actutum Romam reuocaret: acerrimam diſcordiarum facem amoueret. Quod ægre quidem ſed impetratum eſt tandem.

De Caroli Principis in Hiſpaniam aduentu actum.

CAPVT XII.

BEllicos apparatus à Cęſare inſtitutos declarauit euentus non ad occupandum Neapolitanum imperium, vti erant homines ſuſpicati & fama ferebat, pertinere: ſed aduerſus Gallum Regem pro Mediolanenſi principatu & Venetorum ditione. Ferdinandus Rex & Pontifex, ne ex eo initio veniretur ad arma, ſolicitare non deſiſtebant, ſin minus pace facta certe pactis induciis viam aliquam concordię inirent. Id Cęſari nō placebat pactum fieri niſi magno ſuo commodo adiunctis conditionib. quas Gallus non probare dignitatis memor, inſolentiæ omnis impatiens. Omiſſa igitur pacis mentione, Cæſar Margaritæ filiæ Belgarum procuratione delegata ſe in iter dedit Italiam verſus menſe
Ianuario ſalutis anno milleſ. quingenteſ. octauo auſpicante. Proximo menſe Tridentum 1508.
peruenit modicam vrbem in Alpium faucibus ſitam. In ea ſolenni cęremonia more maiorum, cum in Italiam ad imperii coronam contenderent, ſelectum Imperatorem dixit, nam antea Regis Romanorum nomen tantum prætulerat. Brandenburgenſi Marchioni imperii militaris ſummam detulerat ad iter proſecuto. Copiæ exiguæ

erant, neque magnis conatibus idoneæ vires. AErarii inopia premebat magnis ſemper molitionibus aduerſa. Regi tamen non poterat generoſus ardor animi quin viribus maiora captaret. Bellum ad Cadori vallem ditionis Venetæ inchoatum eſt, cum repente nuncius Heluetiorum quinque millia Gallicis ſtipendiis in Italiam feſtinare, Cęſarem in Sueuiam reuocauit, ſi conuentus Sueuici auctoritate diſturbaret eas copias. Nihil ea diligentia profectum. Nouo tamen nuncio, Gallicas copias in Lucemburgenſes fines irrumpere eo continuo quaſi belli Italici oblitus accurrit. Pudenda inconſtantia ac cõſiliorum varietate circumactus irrito ſæpe conatu cogebatur in medio curſu deficere: moliri multa, nihil ad exitum perducere cum ignominia labeque. Eius diſceſſu maior Germanorum pars, qui in Cadori valle manſerant, ſigna deſeruere caſtraq;. Duo millia qui ſupererant, à Venetis copiis maiori numero ſomno meroque ſepultos ante lucem impreſſione facta improuiſo aduentu conciderunt. Longe alia Ferdinandi Regis ratio erat agendi. Arrepta quamuis atque certis præſidiis Caſtellæ procuratione ſtabilita, memor tamen rerum humanarum, quæ fluxæ & inſtabiles, ſępe in contrarium migrant, neq; ignarus non paucos obſtinata mente rerum nouarum conſilia agitare, nullo loco deeſſe, vigilare, quoſdam terrere metu, aliorum inuidiam beneficiis expugnare. In eo numero præcipue ſe oſtentabant Alfonſus Manricus, Roderici Manrici Magiſtri D. Iacobi filius idem Pacis Auguſtæ pręſul, & Cataniæ in Sicilia Epiſcopus Petri Nunnii Guſmani Calatrauę Clauigeri frater. Ii poſtquam deſerto Ferdinando Philippo Regi adhæſerant, ſublata emergendi ſpe dum is rerum potiretur, ex deſperatione animos obſtinauerant, priorem errorem nouo & grauiore cumulantes. Pontifex de ea re appellatus, Toletano & Burgenſi Pręſulibus inquirendi in eos Epiſcopos poteſtatem fecit. Aduerſus Regem tantis offenſis irritatum tueri innocentiam qui poſſent? Alfonſus Manricus fuga in Belgas concedere tentauit. Captus tamen non procul Santanderio in Aſturibus à Franciſco Luxano Traſmierę ſeu Vltramontanorum tunc Prętore, aliquandiu in Atienſæ arce detentus, demum in Toletani poteſtatem, iuxta Pontificis mandata eſt contraditus. In Germania Iacobus Concillus Giracii Epiſcopus à Ferdinando legatus Cæſarem, vti erat mandatum, monere non deſiſtebat: Carolum Principem in Hiſpaniam mitteret. prouincię moribus à prima ętate imbui ad ſtabiliendam ſucceſſionẽ & ſtudia gentis confirmanda, q̃ res alia fore ſalutarius. Ferdinando ipſo ſuperſtite auſurum neminem ea iura mutare: eo ſublato quin proceres Ferdinandum Infantem nota probataque indole natum educatumque in Hiſpauia fratri præferrent, neminem poſſe vlla arte aut viribus præſtare. Rebus in Hiſpania turbatis, quî Italiæ imperium ſtaret? Perſpicaci & cauto Ferdinandus ingenio auertere mala cupiebat, quæ repudiato eius conſilio in Hiſpania paulo poſt ſunt ſubſecuta. Nunquam enim Cęſar adduci potuit, vt Carolum concederet in Hiſpaniam venire niſi rerum ſecum procuratione participata, regiorum vectigalium parte conceſſa, vnde inopiam ſuppleret ſubſidiaque parata haberet variis & arduis conatibus ſæpe ſupra vires ſuſceptis. Quibus promouendis præter alia mille & quingentos milites, Gallo à Ferdinando auxiliares datos ad ſe traduci poſtulauit. Verum Franciſcus Oñedes ad id à Ferdinando miſſus effecit vt in Galli fide & obſequio perſtarent, nulla cura Brandenburgenſis, qui eos quaſi Cæſaris ſubditos neque iuſſis obſequentes neque reſpondentes ad nomina, maieſtatis reos pronunciarat. Enimuero Cæſar rerum in Caſtella arbitrium arrogabat ſibi: irritatis amplius voluntatibus, quod Andream Burgium rurſus à Cæſare legatum Hiſpaniæ aditu prohibuiſſent. In quo grauiſſimam contumeliam contineri ille quidem interpretabatur malo vindicandam iniuriam, ſi vires voluntati pares ſuppeterent. Rex Luſitanus his contentionibus liber nominis famam per omnes Orientis oras latiſſime propagari, anniuerſariis nauigationibus ſtruere opes, nouis identidem victoriis maris Indici imperium occupare, inuicta virtute ducum pariter & militum, neque minori felicitate. Calecutii & Cambaiæ Reges maxime infenſos Luſitanorum conatibus, eoque Cocini alioſque minutos Reges vexatos bello, quaſi Luſitanos portubus exciperent, commercioque ſubleuarent victos ſæpe acie multiſque illatis cladibus caſtigarunt, quaſi frænis aſperioribus domita contumacia, pauci innumeros, indigenas aduenæ ex vltimis orbis partibus.

Ferdinan-

Ferdinandus in Bæticam abiit. CAP. XIII.

BAEtici proceres ægre tulerant nullam eorum rationem à Ferdinando Rege fuiſſe habitam, cum primum rediit in Hiſpaniam: & qui Caſtellę procerum voluntates magno redemerat, nihil ipſis, qui neque potentia neque opibus illis concederent, à ſene parco eſſe datum. Inuidia in prę̨ceps dabat alienis ſemper incrementis anxia: dignitatis tamen ſpecies obtendebatur. Cunctos ea moleſtia premebat. prę cæteris tamẽ Petrus Ferriandus Corduba Prieghi Marchio & Egabri Comes de iniuria expoſtulare, parati dolorem vindicare, ſi qua ſe occaſio obtuliſſet. Accidit vt in rixa populari temere Cordubæ concitata, regii miniſtri è ſontibus vnum in vincla raperent. Ioannis Ariæ Cordubenſis Epiſcopi aulici correptis armis captum per vim eripuere ne in cuſtodiam daretur. Commotus ea temeritate Rex Burgis, vbi erat, miſit Fernandum Gometium Ferreram quatuoruirum in curia rerum capitalium, vt quęſtione habita noxam eam vindicaret legibus. Inchoata, vt erat mandatum, cognitione Prieghi Marchio monet, ne vlterius progrediatur priuſquam abs Rege noua veniant mandata: eſſe quæ cum illo cõmunicanda videantur, interim tamen vrbe diſcederet. Non audacia ſed temeritas erat, regia auctoritate armato iudici obſiſtere. leuius crimen grauiore cumulatũ. Negat ille facturum quæ Marchio volebat, ac potius illi & fratri verbis Regis mandauit, continuo ex vrbe diſceſſum. Grauis ea contumelia viſa eſt, neq; diſſimulanda iniuria. Contracta militari manu, neque cum vrbano ſenatu cõmmunicata, captum iudicem in Montillię arcem ſuæ ditionis cuſtodiendũ miſit: ac deinde paulo poſt libertati reddidit iuſſum Corduba abſtinere, malũ indicto pareret minatus. Inſolens facinus maiori Regẽ impleuit ira, tẽpore minime idoneo turbari Marchionis importunitate rẽp. Eo feſtinare cõſtituit certus vindicare ne prauum exemplum diſſimulatione in plures diffunderetur. Menſis Iulii fine Burgis profectus Arcos, vbi Regina erat peruenit. Tunc Ferdinandum Infantem vię comitem eſſe voluit, ſpecie quidem valetudinis tuendæ, re à matre abſtrahere erat deſtinatum, ægre quamuis ferente filii abſentiam. Dies aliquot Valliſoleti conſumpti. In eo municipio Ioanni Riberæ limiti Vaſconum præfecto mandatum eſt vt eum ſuis cohortibus circũ Arcos tenderet Reginæ præſidio futurus. Si qua vis exiſteret Magiſtri equitum maris Prę̨fecti, Albanique in eo tractu morantium, opem ſi opus foret adiungeret. Militari delectu contractas copias ſe comitari Rex voluit vlciſci iniuriam conſtituens: qua violata regia auctoritate, niſi eſſet occurſum ſalutari ſeueritate periculum erat ne reſpublica tempore importuniſſimo turbaretur. Hiſpali quoq; Enecus Velaſcus Vrbanus Prætor voce præconis denũciauit, ciues vt ſexaginta annis minores, maiores viginti, parati eſſent Regẽ proſequi cum armis, aut quẽ ille iuſſiſſet, Marchionis inſolentiã vindicatum. Gonſaluus cognita Regis ira, iræque cauſa de euentu ſolicitus his omnino verbis ad Marchionem litteras dedit. Super errore commiſſo id poſſum tantum ſcribere: fore ſalutare conſilium ſi continuo ad Regem ſupplex venias in eius poteſtate futurus. Quod ſi feceris, vindictam denuncio ſed tolerabilem, ſi renuis, exitium. Anxius ancipiti periculo Marchio patrui monitis obtemperare tamen decreuit. proceres etiam lenire Regis animum, gnari id exemplũ ad omnes pertinere ſeu ſeueritatis ſeu clemẽtiæ. in vnius cauſa cunctorũ fortunas & dignitatem diſceptare. Gonſaluus præ cæteris querebatur acerbiorem, quã par eſſet, vindictam parari. Pœnitentiæ argumento ad Regem vltro venire, quid amplius ſequire vellet? Imprudentis Iuuenis noxam Alfonſi Aquilarii patris meritis donari num æquum videretur, in bello non ita pridẽ occiſi, vt maxime recẽtes ipſius labores & moleſtiæ graues de memoria excidiſſent? Regi certũ erat, nullis precib. moueri, gratię inexpugnabilẽ ſe pſtare. Ita Marchio omni alia ſpe deſtitutus Toletũ, quo Rex pceſſerat, veniens ſe ſuaq; eius clementię permittit. Iuſſus ad vigeſimum lapidẽ à curia abeſſe arceſque tradere fidei obſequiiq; pignora continuo obtemperauit. Cordubam vbi ventum eſt, Regem proſequentibus equitibus mille, peditibus triplicato numero, Marchio è vinculis more gentis cauſam dicere eſt compulſus. Poſtulatus lege maieſtatis à Fiſci procuratore, nullum criminis reſponſum dedit, precatus tãtummodo Regem ſi nõ veniam certe vindictę modum. Maiorum meritis eam gratiam daret, noxamque condonaret, in poſterum meliora polliceri. Peracta cognitione nonnulli e Cordubenſi nobilitate, quorũ maior noxa extiterat, capitis damnati ſunt, aliis e plebe laqueus vitæ finis fuit. Alfonſi Carcami & Bernardini Bucanigię in tecta ędesque ſęuitum eſt: quo ſupplicio perduelles gentis inſtituto vindicari ſolent, vt ſint reliquis documento, & ſupplicii magnitudine perterreantur alii. Duorum noxa præcipua, cum quatuoruiro iniectæ ſunt manus affuiſſe, Marchionem familiæ nobilitas tutata eſt, vltroque ad Regem veniſſe culpę depreca-

torem, vt leuior vindicta eſſet & tolerabilior. Exilii tamen indicta pœna ab ea vrbe perpetui, ex vniuerſę Bæticæ finibus dum Regi placeret. Prętерea arces omnes demptę ſunt, Montilliæ ædes arcis adinſtar à fundamentis euerſæ. Maius id tamen ſupplicium quibuſdam viſum eſt quàm pro delicti modo. Ac Gonſaluus Regis ſeueritatem ſæuitiæ proximam deteſtabatur: quem neque defunctorum, neque ſuperſtitum pręclara facinora flecterent: opes maiorum ſanguine fundatas euerti impenſe dolebat ſcilicet. Occultis hæc ſermonibus & inter fidos agitata ne infenſus animus irritaretur amplius. Magiſter equitum apertius dolere, ac duo in cauſa accuſare potiſſimum. Contra morem maiorum inſtitutam contra Marchionem cognitionem, nunquam Magnatum ſeu Dynaſtarum cauſam aliis delegari iudicibus conſueuiſſe. Regi ſoli in eos animaduertendi fuiſſe facultatem. Eum ſemper honorem ordinis dignitati habitum. Deinde ſe auctore Marchionem ad Regem veniſſe: ſic in eius ſupplicio violatam fidem ſuam expoſtulare. Periculum erat ne alienato tanti viri animo, regnique finibus digreſſo noui ac turbulenti motus exiſterent, Ferdinandi nondum auctoritate ſatis firmata, multis in prouincia ex arcano æmulis. Corduba Henricus Toletus & Ferdinandus Tellius Iureconſultus Romam legati ſunt verbis Reginæ obſequium Pontifici delatum, quod eatenus officium præſtitum non erat temporum multa varietate. Iiſdem diebus Bernardinus Caruaialius Cardinalis detracto legati munere, quo in Germania fungebatur Romam euocatus eſt. Ferdinandi id Regis votis ad amouendam ſuſpicionem eum ad Cęſarem inclinare, datum. Neapoli Hungarię Regina deceſſit ea inopia vt funeri exequiiſq; Prorex de publico pecuniam ſuppeditaret. Sepulta eſt in ea vrbe ad Petri Martyris: qua in æde Reginæ etiam matris tumulus extat. Corduba Ferdinandus præcipiti autumno diſcedens Hiſpalim iniit inſigni ciuium apparatu, pompa, plauſuque. Aderant Ferdinandus Infans, & Germana Regina præcipua ſpectaculi pars. Henricus Aſſidonius minor ætate à patre relictus in coniugium pacta Maria Gironia in Petri Gironii (puellæ is frater erat Comitis Vreniæ filius maior ardenti iuuenis animo) tutela ex patris teſtamento acquieſcebat. Petrus & ſuis opibus & ſororii viribus concitare in prouincia motus: ipſi quin etiam Prieghi Marchioni opem ferre tentauit. Feruor ætatis agebat in præceps. Aſſidonius neque iuuare eos conatus, neq; repugnare alieno imperio obnoxius propter ætatem & imbecillitatem ſenſus. Regi deſtinatum erat, conatus coercere, Aſſidonii arces in poteſtatem redigere. Eius iram, quo tempore Bæticam petens Valliſoleti ſubſtitit, Vrenię Comes veritus filium in poteſtate futurum recepit, arceſq; adeo traditurum Regi. Magiſter item equitum pro Aſſidonio ſororis filio ſe vadem obtulit officio non defuturum. Promiſſis non reſponderunt facta. Rege Hiſpalim appulſo tum Petrus tum Aſſidonius reſtitere Aſſidoniæ: neque Regem, vti par erat, ſalutatum acceſſere: ne euocati quidem niſi neceſſario cunctanterque. Hiſpalim tandem vbi venere, Petrum Gironium ea tutela moueri, atque Hiſpali & Aſſidoniæ finibus diſcedere iuſſum eſt. Contumaciæ merces exilium. Aſſidonio quoque mandatum arces, vti ante conuenerat, traderet. Graue mandatum eſt iuſſum: neque morem gerendum. Nocte quadam in Luſitaniam vterque diſceſſere regia ſeueritate commoti: at præcipue ſuſcepta ſuſpicione Aſſidonio nouam ſponſam deſtinari, priori pacto reſciſſo, filiam Cæſarauguſtani Pręſulis, atque ex eo Regis neptim: mutatis equis feſtinantes retinere non licuit: quod erat vindictæ proximum, Pręfectis, vti artes dederent iuſſum eſt, malum niſi obtemperarent paſſuros. Nieblæ & Trigueri Pręfecti parere recuſarunt. Mercado quin etiam quatuoruiro rerũ capitalium ad id miſſo, ac de deditione appellanti Nieblæ incolæ portas clauſere. Graue facinus miſſę abs Rege copiæ breui vindicarunt oppido per vim capto direptoque. Crudele exemplum, paucorum culpam etiam innoxios luere: ſed quo commoti cæteri mox imperata fecerunt. Hiſpalenſi Præſuli aliis viris primariis quaſi ſequeſtris arces ſunt traditę: ac regio conſilio in Petrum Gironium cognitio permiſſa. Offenſis noua ſeueritate proceribus Magiſter equitum litteras expoſtulationum plenas ad Regem dedit, qua in cęteris libertate fiduciaq;. Regi tamen deliberatũ erat procerũ contumaciam frænare faſtumque contundere. Id dũ aſſequeretur quid homines loquerentur, penſi non habere. Toletanus qui Tordeſillę ſubſtiterat, regios conatus conſilio & opera iuuare, malis medendi prouinciamque pacandi eam tutiſſimam eſſe viam, ac veſtigio ſæpe calcandam omnibus ſermonibus dictitans.

De Africa rebus. CAPVT XIIII.

DVm Bæticæ fluctus in malaciam componuntur autumnus abiit. Belli Africani cura solicitabat: Lusitanisq; auxilia sunt missa in ea prouincia periculo proximis. Ferdinandus Rex quasi ex altissima specula in omnes partes despicere non cessabat, vniuersam Christianam rempublicam animo & prouidentia complexus. Ea tempestate spes atque opes cunctorum in eo sitæ erant. Phutense regnum cognitum est in partes diductum tumultuari, à Rege Mauro duobus eius fratribus dissidētibus. Opportunam ex eo occasionē oblatam rei Christianæ noua expeditione in Africa promouēdæ, Mauros impugnandi. Valida classis in Malacæ portu instructa. prædatoriæ Velesii Gomeræ biremes nostris nimiū assuetæ littoribus Granatensem oram nudatam præsidio nautico late deprędatæ sunt. Accurrit Petrus Nauarrus, cui expeditionis Africanę summa permissa erat. Aliquot biremibus captis nostris spoliis graues, cæteras est insecutus ad insulam Velesio obiectam commune piratarum perfugium. Arci eius insulæ, cui Penonio est nomē, impositi præsidio ducenti milites, visis nostrorum triremib. suspicati vrbem Velesiū petere, relicta arce in continentem traiecere ciuibus præsidio futuri. Arripuit occasionē Petrus Nauarrus arceq; continuo capta, quoniam portui imminet & exaduersum vrbis sita est excussæ inde tormētis pilæ nihil ciuibus tutum reliquere, prorsus vt in subterraneis specubus conditi salutem tutari necesse haberent. Capta est arx ad decimum kal. Augusti. Cōmoda imprimis ea possessio visa est de Africa cogitantibus, munitæ operibus militare pręsidium decernitur. Lusitanis ad oram Oceani maris cum Mauris bellum erat. Proferendi fines opportuna videbatur occasio oblata. Zeianus, Phutensis Regis patruelis, si se duce confiderent, Azamorem nobilem eo tractu vrbem venturam in potestatem pollicebatur. Maurica fides plerisq; suspecta erat: sæpe antea pacta conuenta ludibrio fuisse. Rex tamen Emanuel Mauri verbis confisus parata classe quadringentos equites pedites supra duo millia mittere in eam rem constituit ductore Ioanne Menesio magno rei militaris aduersus Mauros vsu, magna peritia viro. Olisipone ad septimum kal. Augusti profecti, idoneisq; tempestatibus ad littus Africæ prouecti opinione se falsos inuenerunt Maurica fraude delusos. Ciues enim, qui magno numero erant, vrbem eximie tutati sunt. Zeianus tamen impostor eo terrore à ciuibus quas voluit conditiones expressit, sicque Lusitanis desertis, quod fuerat initio propositum, ad hostes transiit. Irrito Lusitani conatu metuque maioris mali naues repetiere. Sæuiebat ventis mare. cæca & humilia vada prope vsu tantum indigenis nota, minori præterea ęstu, quod luna senesceret. Sic naues aliquot in iis vadis hæsere vnaque triremis. Reliqua classis quia cursum tenere non potuit, ad fretum Gaditanum deflexit. Necessitate factum vertit in bonum. Phutensis enim Rex Lusitanorum audacia irritatus, an nominis famam extendendi cupidus contractis numerosis copiis equitum peditumque Arcillam circumsedit ad quartum decimum kal. Nouembris die Iouis vrbis pręsidio præfectus Vascus Coutignus Borbæ Comes primo die hostium impetum magna virtute sustinuit. Verum die proximo muri parte strata ruinis adituq; patefacto Mauri in vrbē vi irrupere. Pugnatum est in plateis acriter multis cadentibus, Comes brachio sagitta icto in arcem se suosque, quos potuit in ea trepidatione, recepit, haud satis munitam instructamque commeatu, bellicoq; instrumento vt in nullo tali metu. Impugnata arx tormentis bellicis cuniculisq; vndiq; sub terra excauatis. Quanto in periculo obsessi versarētur, Tingi vbi Ioannes Menesius agebat, & Hispali, quo Ferdinandus venerat, breui nunciatum est. Menesius classe ad ea loca delatus instituto biduū cum hostib. certamine, pulsisque arcis propugnaculo, quod ceperant, obsessos supremo exitii periculo eripuit commeatu & milite in arcem illato. Petrus quoq; Nauarrus Heraclea, vbi cum sua classe erat, iussus à Rege est eodē festinare. Præcessit Ramirus Gusmanius Cęsariani Prætor naui trecentos pedites, aliquotq; vrbanos equites auxilio secum ferens. Cum spe defensionis obsessis animus etiam accessit. Menesio & Ramiro in arcem ingressis non tueri mœnia, sed eruptione facta cominus cum hoste pugnari ausi procul Mauros à fossa remouerunt. Aduentus Petri Nauarri eo delati tertio kal. Nouemb. fluctuantes inter spem & metū Lusitanorum animos porro confirmauit certa victoriæ spe. Continua enim globorum procella classis displosis tormentis quassatos afflictosq; ex aperto latere Mauros deserere castra coegit: ipsumq; Phutensem Regem incensa vrbe Alcasarquiuirum cum copiis redire. Clara in præsenti victoria, in posterum vsui fuit territa eo exemplo Maurica gente, ne eodē impetu alias Lusitanorum eo tractu arces inuaderent, quasi ex vicina Hispania ad vim arcendam auxiliis paratis. Eduardi Menesii pro patre Ioanne Menesio Tarocæ Comite, Tingi Præ-

fecti, & Roderici Sosę Alcasarum obtinentis animi sunt à metu confirmati, quem si Arcilla esset amissa ingentem conceperant diu & ipsos sustentare non posse. Misere duces in Lusitaniam & Castellam litteras de victoria laureatas læti successu. Emanuel Rex cognita victoria tum Petrum Nauarrum & Cæsariani Prætorem amplissimis verbis laudatos, sex cuique aureorum millibus muneratus est: quod illi munus accipere recusarunt contenti pręclarique operis conscientia & de regis sui munificentia maiora præmia sperantes; tum Regi Catholico ita gratias opportuni auxilii egit, vt non obscure se læsum significaret Penonio arce à Nauarro occupata, quippe regni Phutẽsis parte, quod illi impugnandum iure finium erat per conditiones antea attributum. Excusauit Ferdinandus Velesium cum contributis arcibus sui iuris esse, neq; Phutensi Regi obnoxiam sed Regi proprio seruire. Vt res tunc erant oneri potius Lusitanis quam lucro, magna necessario impensa eam arcem retinendam fore, ne Granatensi littori ex ea profecto piratæ imminerent. Et alioqui si ad Phutense regnum pertinere esset exploratum, libenter ea possessione cessurum cum primum ea ipse parte Africæ bellum inferre fixum haberet. Interim alieno sumptu quid vexaretur? In Aragonia Lerini Comes mense Nouembri Arandæ oppido annis quidẽ grauis, maiori tamen animi ægritudine cõsumptus, propter exiguam opem à Rege leuiro rebus allatam decessit, filius Ludouicus Beamontius prioris aduersus Vasconum Regem simultatis non minus quam fortunarum iurium & actionum defuncti hęres.

Fœdus Cameraci ictum. CAP. XV.

IN maxima hyemis sæuitia, qualem non viderant Ferdinandus Rex Hispali relicta in Castellam redire necesse habuit. Festinationis gemina causa extitit. Petrus Gueuara Dieghi frater ex Germania indissimulato habitu vesteque plebeia per fines Cantabriæ in Hispaniam ingressus, atque ad Pancoruum captus fuerat. De eo Septimancis, quo deductus est, quæstione tormentis habita cognitum, multa proceres arcano cũ Cæsare consilia agitare reip. exitialia. In eo numero atq; indicio principes erant Magnus Gonsaluus, Anagari Dux, Vrenię Comes. Quia probabilia, vera dixisse index creditus est. Sæpe etiam falsum quæstione expressum veri vicem obtinuit. Deinde Infantatus Dux cum aliis proceribus conspirare nunciabatur aduersus Ferdinandum Regem: quodq; vehementius vrebat Hispani Cardinali conscio atq; participe, ita tamen vt neq; flammam inuidiæ accenderet, neq; pro auctoritate penitus restingueret. Grauis plerisq; seueritas Ferdinandi erat, suum quisq; dolorem quasi ignem, reip. ruina lenire non dubitabat. Suspecta imprimis Gonsalui & Magistri equitum familiaritas erat, atq; rebus omnibus animorum coniunctio. Offensus vtriusq; animus ingentesq; spiritus timebantur, oblatam doloris vindicandi occasionem non prætermissuros. Infantatus Duce placando sanandoq; Tendillię Comitis prudentia multum iuuit, pro ea propinquitate monentis eũ monentis necessarios lubricæ viæ ne insisterent. væcordiã multis exitialẽ paucis commodo fuisse. si quid offenderet in rep. meliora in voto haberent, qualiacunq; tolerarent. Reliquos Rex ingenii dexteritate qua metu, qua blandimentis & beneficiis sedauit. Ac nominatim cum primum per Vectones Salmanticam appulsus est Villenium sibi deuinxit pro Villena & Almansa, quæ ille expetebat, oppida, annuo vectigali designato, quantum ex iis oppidis percipere esset solitus additis insuper, quo gratius esset donum, in Granatensi regno oppidis Toloxio & Monda. Honesta æquaq; compẽsatio ipsi etiam Villenio visa est. Cæsari propositum erat cum Gallo Rege pacisci: æquum se omnib. controuersiis præbere si Ferdinandi amicitia renunciata, acceptas potius ab illo iniurias ferro & alienis viribus vindicaret, dolores vlcisceretur tum veteres multos, tum recẽtes Andrea Burgio legato suo finibus prohibito & capto Petro Gueuara internuncio, digna videlicet supplicio contumelia. Vti in colloquium de pace veniretur cõstitutum erat. Margarita Princeps pro patre vicaria, Rhotomagensis Cardinalis Pontificis & Galli Regis nomine de conditionibus disceptarent Cameraci vrbe ad confines Gallicæ & Belgicę ditionis primaria. Accessit vltro an inuitatus Iacobus Albion pro Ferdinando Rege in Gallia orator, Gallum inter & Cæsarem fœdere facto Ferdinandũ excludere destinarãt. Summa tamen Pontificis cõtentione commutata repente voluntate, vt tres Principes inter se & cum Pontifice, de quo sæpe actum erat, armorum societatem constituerent, impetratum aduersus Venetos iniustos multarum vrbiũ possessores: quas superiore tempore aliã alia de causa veris dominis detraxerant, Pontificũ quoq; violata maiestate diuinę proxima. Initi
» fœderis hę leges fuerunt. Sociis bellum cũ Venetis esto donec singuli ereptas sibi vrbes
» & oppida recipiant. Qui prior sua obtinuerit, alios nihilominus socios iuuato, dum &

ipsi

ipsi suæ sint partis & voti compotes facti. Cęsar & Gallus per se ipsos bellū administrāto: neq; id munus ducibus delegāto. Bello inchoando Aprilis kalendæ designatę sunt proximi anni. Quo tempore Cæsar pollicitus est Gallo Mediolanensia iura nouo diplomate confirmaturum, numeranti modo in præsenti centum aureorum millia in posterum fide data opem ferendi, dum Cęsar sui iuris vrbes Venetis auferret, neq; propterea ipse cogeretur Gallum iuuare in pari conatu detrahendi Venetis, quæcunq; ad Mediolanensem principatum spectarent. Controuersiæ inter Cæsarem & Regem Catholicū ne fœdus disturbarent, cautum vt continuo consensu iudices designarentur qui ex æquo & bono eam litem dirimerent, cum primum bello Veneto finis esset. Additum pręterea vt Allobrogum Ducem ad commune fædus inuitarent Cypri insulæ, quam Veneti occupabant iniecta spe. Item Ferrariensem Ducem & Mantuanū erepta quoque ipsis oppida si communibus armis extorquere vellent. Rapitur in pręceps animus cupiditate inflammatus, neq; in mediocritate consistit. Gallus & Ferdinandus quorum arbitrio Florentini & Pisani suas controuersias permiserant prę studio promouendi pactum bellum Pisanos Florentinis hostibus tradiderunt sententia pronunciata, nulla famę memoria. Sed honesta facto species prætenta est: Italiæ pacem aliter constare non posse, cuius prima cura erat scilicet noua bella & internecina meditantibus. Suspicio fuit Florentinorum viribus vti voluisse aduersus Venetos: ac centum aureorum millibus, quæ Florentini si secundum ipsos causa data esset, polliciti erant Pisanorum libertatem, qui se eorum fidei permiserant, turpi mercatu vendidisse; magno tantorum Principum dedecore infamiaq;, maiori Ferdinandi, cuius clientelę & patrocinio se suaq; Pisani permiserant. Verum quid attinet horum Principum peccata accusare? familiare est cunctis præ studio habendi plura, nihil præterea curare. Aut quis oblata imperii amplificandi occasione leges honestatis & pudoris respiciat? tetra libido dominandi cæteris affectibus maior. Cameracense fædus ad quartū Idus Decembris sancitū est. Margarita Princeps pace facta in Heduos discessit oppida quædam à Gallo acceptura, quæ ex pacto fædere erat Belgarū imperio redditurus. Hoc ipso mense Robertus Salerni Princeps extinctus Neapoli est; Ferdinando filio in tenera ætate relicto hærede non magis principatus, quam perpetui atque exitialis in Aragonios odii: quod consequentibus annis tandem malo fuit. Pueri mater Alfonsi Ducis Villęformosę soror Marina Aragonia nupsit paulo post Plombini regulo ex Regis patrui voluntate. principio is anni proximi Vallisoleti corā Pontificis Nuncio Cęsaris & Galli Regis legatis initi fæderis conditiones iureiurando sanxit.

Classis à Sulthano in Indiam missa contra Lusitanos. CAP. XVI.

ARdebat magnus AEgypti Sulthanus Campson nomine, incredibili cupiditate exturbandi Lusitanos ex vniuersis Indiæ oris. Multa vt in eum conatum ingrederetur barbarum incitabant: Ac præsertim Calecutii & Cambaiæ Reges in eam rem opem omnem & vires polliciti. Accessere in partes Veneti, vti superius indicatum est. Merces Indicas & aromata post Lusitanorum in eas oras aduentum auersas in occasum, quę antea Alexandriam deuehi solitæ erant magno regiorum vectigalium incremento totius prouinciæ & vicinarum gentium fructu, dolebat scilicet impense Sulthanus, dolebant Veneti, propinqui longinquique. Quid faceret? quam rationem incommodo medendi institueret? Bellum inferret? At multa ab eo conatu retardabant. Incerti bellorum exitus, classis ędificandę difficultas nulla in AEgypto cædua materia, pecuniæ in stipendium sublata ab hoste facultas. Tentare Pontificem visum est, si minis propositis excindendæ in suo imperio Christianę gentis à stirpe Lusitani desisterent. Ita Maurus Franciscanis Hierosolymę pręfectus in Italiam atque Hispaniam legatus in eam rem fuit, vti superius commemorauimus. Parum spei retulit facturos Hispanos quę cuperet. Vim adhibere & metum placuit. Materia aliunde aduecta & ad Cairū elaborata ac tandem Sueciū Rubri maris emporium, quę ciuitas heroum fuit tridui itinere camelis deuecta constructa classis triremium sex onerariarum quinq;. Octingenti Mameluci in eam classem impositi (sic milites vocant Christianis parentib. natos eius imperii robur apprime bellaces.) Vniuersæ administrationi Mirocemus pręficitur natione quidem Persa, cæterum rei militaris & nauticæ peritus in paucis. Suscepta is maritimæ expeditionis cura quamprimum è portu soluit, atq; Rubri sinus fauces egressus præter littus Arabicū superato sinu Persico Dium appulit Cambaię insulam & vrbem nobilem fama & commercio eo confluentium mercatorum. Franciscus Almeida Prætor eius molitionis ignarus Laurentium filium cū octo nauibus miserat ad tuendū Indici maris imperiū, simul vt nauibus, quæ onustę mercibus

Cocino in Luſitaniam ibant, prę̨ſidio eſſet, ne qua vis extaret. In eo itinere multis Maurorum nauib. in variis portubus incenſis, ad Ciaulum in ancoris ſtabat expoſitis in terram copiis periculi ſecurus. Eo loco de aduentu AEgyptiacæ claſſis eſt cognitũ, ſeq; Melichiacium pro Cambaiæ Rege Dio Præfectum cum triginta quatuor prædatoriis biremibus Perſæ adiunxiſſe. Priuſquam moliri ancoras poſſet, aut ſe ad pugnam comparare, hoſtium legentes littora quinque tantum naues conſpexere. Parum eo ſpectaculo Luſitani commoueri, quippe ex numero ſuſpicati Alfonſum Alburquerquium, quem venturum propediem expectabant, iis nauibus vehi. Dum ſuſpenſis animis hęrent, percuſſa paulo acriore vento vela naues hoſtiles in portũ intulere. Tunc Luſitani ſua ſe opinione deceptos dolere: improuiſo metu cõſternati, arma tamē expedire. Atq; eo die eminus tantum pugnatum eſt tormentis igneis vtrinq; diſploſis maiori fragore quam dãno. Die proximo Laurentius ſuorum virtute confiſus ſi cominus ventum eſſet ad manus impetu facto, in Mirocemi prætoriam tranſilire tentauit. Fruſtra is conatus fuit. iniicere harpagones ferreos in hoſtilem nauem non potuit, grauior nauis ſua ne in vadis hęreret veritus, maris pręſertim æſtu remittente aquisq; in ſuum recurrentibus fretum reciproca viciſſitudine. Sagittis quoq; & globis ex hoſtili naui nempe altiori afflicti pleriq; è militũ & nautarum numero: ipſe gemina ſagitta ictus eſt grauiter. Accepti incõmodi leuamen aliquod extitit quod Pelagius Soſa & Dieghus Pereſius cum ſua quiſq; triremi inuecti in ſingulas naues hoſtium, vtramq; ceperunt. Is finis eo die pugnæ fuit haud ſatis cõmodæ. Die tertio Melichiacius qui in ſubſidiis manſerat retro, cum ſuis biremib. in portum inuehitur. Eius aduentu deſperata Luſitani victoria nouoq; metu propoſito in altum cedere, ſuosq; certo periculo eripere tentant. Ergo de media nocte ſublatis velis e portu egredi contendunt. Non latuit ea res hoſtes quippe propinquos neque deſides: ac miſeros plerumq; cuncta pſidia deſtituunt, cadunt præpoſtere q̃ prudenter erant cogitata. Cedentes vrgent barbari, atq; impetu in prætoriã facto q̃ poſtrema ibat, vnam multæ circumſtantes premunt. Crebris tormētorum ictibus verberatis lateribus, laxataq; aſſerum cõpage vndã accipit: nouoq; aquæ pondere grauata hæret in vadis. Triremes opem ferre conantes recedens magno impetu ęſtus impedit. id quoq; incommode accidit. Deſtitutam tamen hærentemq; nauim accedere prope hoſtes non audent. Tormentis eminus verberant, reſiſtunt acriter Luſitani, vt tempus dabat quamuis exitio proximi virtutis memores. Acuit deſperatio animos, certum in periculo præſidium, ſæpe ex metu fiducia orta. Laurentio fæmur graui vulnere ictum eſt, globus alter paulo poſt in pectus impactum miſere diſcerptum perimit. Cadente duce nauis tandē capta eſt: è centum epibatis, octoginta nihilominus cæſis, viginti tantum in hoſtium poteſtatem venere plerique vulneribus fœdi. Prætoria miſſa naues aliæ in altum prouectæ ſe in Cananoris portum intulere: inde Cocinum miſere, qui Franciſco Almeidæ triſtem nuncium afferret, cæſum filium, prætoriam captam reliquas naues vix fuga ſeruatas, hoſtili claſſe Indicum mare conſtratum. Ille quamq̃ acri doloris ſenſu perſtrictus lugeri filium vetuit. Eo virtutis extremo documento edito, vt parato ad euadendum lembo, ſociis fugam ſuadentibus, vitã ſanguinemq; profundere maluerit, q̃ ſuos in periculo deſerere, laudib. potius celebrandũ dictitans. Mortem omnibus à natura propoſitam laude vituperationeq; diſtingui. Si cunctis par exitus manet, nobilioris animi eſſe merito perire. Pugnatũ eſt fine anni. Prætor Cananorem abiit in vindictam toto pectore intētus claſſisq; apparatũ. Acceſſit paulo poſt Alfonſus Alburquerquius. Is ſuo aduentu ex regiis litteris cõtinuo tradi ſibi prouinciã volebat. Excuſauit Almeida, ſuſtentandum tantiſper dictitans dum Sulthani claſſem e mari Indico ipſe depelleret. Priuſquam noui Prætoris auctoritas coaleſceret, multaq; nollent, fortaſſis ventura. Hęc palam: ex arcano autem Alburquerquii ingenium timebatur impotens ac temerarium, vti fama vulgabat. Ventum ad iurgia & rixæ initiũ. Almeida in ſuſcepto conſilio perſtans captum Alburquerquium Cocinum amouet. Mox inſtructa claſſe in mare egreſſus in Onoris portu aliquot Calecutii Regis naues nactus incendit. Inde in Dabulis portum prouectus, multis in eo nauib. ignes iniecit, eamq; vrbem captam diripuit. Diſceſſum ex eo portu Nonis Ianuarii ſalutis anno milleſ. quingen-
1509. teſ. nono. Dium verſus directis proris vbi aduerſaria claſſis ſtabat in ancoris. Mirocemus cognito noſtrorum conſilio in mare eſt egreſſus pugnandi voluntate. Subſtitit tamen in vadis, quoniam planiores carinæ erant, vrbe à tergo tormentis in pugna iuuatura, ſi noſtræ naues propius accederent. Aduerſaria claſſis tres magnas onerarias numerabat, tres roſtratas maiores, ſex triremes, & quatuor alias Cambaię naues, præter Melichiacii biremes. Almeida decē & nouē naues qua triremes qua alias ducebat: in iis Luſitanos mille trecentos, ſocios Malabares quadringentos incredibili omnes ardore pugnandi ad non

dubium

dubium victoriæ omen ſi ad manus ventum eſſet. Acceſſere claſſes ad tormenti ictum, ſed repente cadente vento & noctis tenebris impediti à pugna deſtiterunt. Die proximo repetitum certamen. Præcedebat Nunnius Vaſcus Pereira in prętoriam Mirocenii facturus impetum, à tergo aliis nauibus competenti ordine inſtructis. Almeida in ſubſidiis reſtitit ad omnem occaſionem intentus iuuandi ſuos ſi qua parte laborarent. Magno animo pari vtrinq; clamore in pugnam inuaditur. Diu acriter dimicatur. primum tormẽtis dein gladiis & contis res geritur. Anceps victoria primum, deinde à Luſitanis ſtetit. Ex hoſtibus quatuor millia cecidere. in eo numero ex octingentis Mamelucis vix duo & viginti euaſerunt: tanta pugnandi rabies fuit decoris ſtudiũ. Tres onerariæ ſubmerſæ ſunt, præter biremium lemborumq; magnum numerum. Duę roſtratæ, totidẽ triremes, quatuor onerariæ captę in poteſtatem venerunt. Duces Mirocenium & Melichiacium fuga ſeruauit proximo perfugio. Miraculo fuit è Luſitanis duo tantum & triginta cecidiſſe; vulnerati maiori numero circiter trecenti, nulla deſiderata nauis. Inſignis victoria par omnibus, quæ in India ſunt partæ nobilitate fructuq;. Peracta pugna triumphi perſimili ſpecie Prętor Cocinum cum claſſe rediit. In ea vrbe ne controuerſię inter Almeidam & Alburquerquium in aperta odia prorumperent, & pars gentis cum parte confligeret in ambos diductę ſtudiis, peropportunus Ferdinandi Coutigni aduentus effecit. Is enim è Luſitania hoc anno miſſus cum mandatis Almeidam ex India dimittendi in eius locum Alburquerquio ſubſtituto, vti erat ante decretum, id tempeſtiue executus importunos Indicos motus pacauit, vnde maiora timebantur mala. Ferdinandus Rex Salmantica Valliſoletum inde Arcos diſceſſit: vbi Regina filia ſubſtiterat hoſpitio minime cõmodo: atq; ita vt ſuperiori menſe Decembri prę frigore in morbum inciderit, aduerſus ſalutaria monẽtes obſtinato prorſus animo. Solus pater (tantũ reuerentia valuit à teneris ſuſcepta) vt locum veſtemq; mutaret, blandis verbis obtinuit. Menſe eam Februario Tordeſillam deducit: & cum ea viri corpus ex eius oppidi templo detractum: quod annis cõſequentibus Caroli Auguſti filii iuſſu Granatam delatum tumulo ſtabili conquieuit. Regina ad vitæ exitum in eo municipio reſtitit, nunquam ne ex interuallo quidem remittente valetudine, ne voluntate quidem capeſſendi legibus quamuis debitum à cunctisq; vltro delatum gentis imperium.

Angli Regis obitus. CAPVT XVII.

SIc Ioannę Reginę res erant, cum mortuis verius quam viuentibus & ſpirantibus numerandæ: Si cultum reſpiceres ſeruæ quam Reginæ propior videri potuit, ſi victus rationem miſerabilis, aulicorum exiguus numerus, procul omnis lętitia. Duarum eius ſororum diſpar ſors. Luſitaniæ Regina bonis omnibus, quę prima ad felicitatem vulgus putat; opibus, delitiis, honeſtisq; ſolatiis affluebat. Ad hæc numeroſa prole felix, hoc ipſo anno filiũ Eboræ peperit cui Alfonſo nomen fuit, purpurę honos, vita breuis in flore ætatis extincto. Vualiæ Princeps Catharina in Anglia morabatur neq; cælebs prorſus neq; cõiux ſoceri aſperitatem & rebus omnibus duritiem ęquo animo diſſimulans, per eum modum ſatagentis extorquere ſibi & filiæ coniugia magnopere ab ipſo expetita cum Ioanna Regina & Carolo eius filio. Ratio præpoſtera & Regibus prorſus indigna: quod accõmodatis officiis & blandimẽtis deberet, velle malo & inconditis actionibus obtinere. Deuorauit illa omnes eas moleſtias magno & excelſo animo: vt quę patientiæ ſibi legem indixerat, & facie & morbus atq; animi magnitudine, præ cæteris ſororibus matris expreſſam imaginem reprę ſentaret. Ne ea incõmoda diuturna tũc eſſent, eius Regis breui ſubſecuta mors effecit ſabbatho extincti ad vndecimum kal. Maii. Eius obitu non multo poſt pactum iam coniugium cum Vualiæ Principe, qui regno à morte patris ſuſcepto Henricus Octauus fuit tandem coaluit haud felix fauſtumq; ſed multis potius miſeriis obnoxiũ. Atq; illi quidẽ ſecũdo in Anglia nubere non placebat, quaſi tacita diuinatione imminentes ex eo calamitates præſagiret animus. Sic ad patrẽ ſcripſit. Orare obteſtariq; ne eo paciſcendo coniugio priuatam ipſius commoditatem votaq; reſpiceret: ſed quod è re ſua modo futurum iudicaret. Et erat Regi patri commodum imprimis eum Principem noua affinitate iunctum tenere propter florentes Angliæ opes viresque Principis indolem, ſi ex facie conſiderares, non incommodam. Nequaquam tamen ad ſpem euentus reſpondit; ac contra breui ea lętitia luxuriauit. Henrico etiam promptum non erat eo loco vxorem alibi inuenire, pręter reſtitutionem dotis neceſſario futuram eo dirempto coniugio. AEtate inter ipſos diſcrepabant, ſponſa aliquot annis maiori, magna ſæpe beneuolentiæ inter coniuges labe, frequenter quãuis contẽpta ratio pſertim inter Principes. Hẽrici corp⁹ & facies eximia elegãtia fuit, incõditi mores accedentib. annis in-

Venerem vita soluta. Enimuero ingenio indulgere quam imperare maluit, seq; frangere, plurium Principũ exemplo, vsque dum ab ecclesiæ imperio & placitis propterea desciuerit, patefacto in ea prouincia hæresibus pestilentibus aditu, quibus misere hodieq; conflictatur. Ita homo amentissimus consiliis omnibus præceps & deuius superstite dum Catharina coniuge, specie quasi fratri maiori antea coniunctæ Pontifex sibi nubendi veniam dare non potuisset, ea dimissa, ex qua tamen Mariam filiam susceperat post patris & fratris fata Angliæ deinde Reginam, duxit palam Annam Bolenam, quam lege de adulteriis conuictam securi subiecit Isabellæ matrem quo hæc scribimus tempore Anglica sceptra obtinentis. Anna occisa Ioannam Semeram sibi iunxit toro, quæ ex partu breui periit. proli tamen incolumi post patrem proxime Angliæ Regi Eduardo sexto nomen fuit. Sic in regiã quartis nuptiis vacuam accessit Anna Ducis Cleuensis soror. Hanc dimittere constituens quam ob offensam incertum, sed volens abdicare, vt factum honestatis specie velaret, legem promiscue tulit diuinæ aduersam de soluendis coniugiis. Quinta Henrici vxor Anna Hauarda fuit & ipsa de adulterio conuicta, eoque supplicio subiecta, & quoniam delibato antea virginitatis flore ad Regis torum accesserat. Postremo Catharinã Parram viduam duxit. Hoc coniugium vt stabile esset nulla ex eo proles, mors Regis breui consecuta præstitit: quæ prauos conatus, impotentis libidinis licentiam rumpens, gaudium voluere & pestiferum perpetua ignominia & infamia mutauit. Luxuria pestis blanda quantas strages facis? Verum ad priora redeamus. Catharinæ ob coniugium susceptam lætitiam Ferdinandus Rex Vallisoleti celebrauit Ioannis Baptistæ festo die, quo in Anglia confectum est. Militare ludicrum institutum ex Maurorum imitatione. Qua alterius agminis pars primum procurrit in aduersarios, missisque arundinibus iaculorum imagine, retro conuersis equis cedunt prementibus aduersariis, quos excipit pars altera agminis quasi in subsidiis relicta; hanc ex aduersa parte alii ludo continuato. Sic equites inuicem insequentes refugientesque nunc premunt aduersos, nunc terga dant. Ludum per se gratum vt celebrius videretur, Rex effecit ea quamuis ætate in aciem progressus dux alterius agminis cultu splendenti & vario, vt alii omnes qui interfuerunt certamini. Maioris præterea lætitiæ argumento, vt Carolus nepos Angli sorori iungeretur concessit, mandauitque Guterrio suo in Anglia legato vt puellæ dextram quasi futuræ dominæ osculo peteret. Quod Hispanorum more honori & obsequio ducitur. Eo in municipio ineunte mense Maio ex Germana Regina filius est Ferdinando natus, cui Ioanni nomen fuit, magna parentũ lætitia & vniuersæ Aragoniæ gentis, si vita longior contigisset. Verum intra paucas ab ortu horas expirauit. Corpus ad D. Pauli in eo oppido compositum, deinde Populeti sepulchrum stabile habuit monasterio Regum Aragoniæ tumulis destinato. Belli aduersus Venetos comparandi prima cura erat. Arma necessario sumi Rex videri volebat. Vrbes Apuliæ maritimas olim à Ferdinãdo iuniore Neapolitano Rege Venetis oppigneratas extorquere destinabat iniustis possessorib. bifariam. Quando neq; tunc pignoris legibus stetissent, & deinde pecunia oblata de redditione appellati surdas aures pberent, ac vero cõtumeliæ instar ducerent id postulatũ. Deinde maiorẽ pecuniæ Hispanicæ summam insumptã, siue cum bello aduersus Turcas captam Cephaloniam de manu Venetis victor Gonsaluus tradidit, siue cum per Hispaniæ fines Rex ipse Galliæ bellum intulit eorum suasu fideque annua quinquaginta millia numeraturos in bellicos sumptus. Quos nunquam soluisse accusabat, quamuis de facta promissione & solutione sæpe appellati fuerant.

Cardinalis Hispaniæ in Africam transmittit.

CAPVT XVIII.

INterea vniuersa Castella belli Africani ardebat apparatu. Milites, arma cõmeatus, naues conquiri magna diligentia concursationeque. Incitator præcipuus Hispaniæ Cardinalis maiori quam pro ortus conditione, neq; fortunis minori animo. Et interest parum qualis sit quisque parente modo ingenuus. Is ad promouendam expeditionem, non pecuniam modo large suppeditauit, sed ducem bello se præbuit, tantus ardor erat Christi hostes extirpandi. Bellici commeatus Malacam collati. Militares copiæ Carthaginem octingenti grauis armaturæ equites regni custodiæ destinati, alii præterea pedites equitesque, pars voluntarii alii ære conducti. Omnino in eo exercitu quatuordecim millia homines numerabantur militaribus omnes armis instructi, plerique Neapolitanis bellis magnam virtutis opinionem nacti vincere assueti. Curam rei tormentariæ tenebat Dieghus Vera; negocio maritimo Hieronymus Vianellus

bellus destinatur dux, summa expeditionis Petro Nauarro permissa. Mense superiori Carthaginis in portum classis vniuersa conuenerat triremium decem, maiorum præterea minorumque nauigiorum ad octoginta. Priusquā ancoras molirentur soluerentq; militum seditio exarsit stipendia exposcentium. Nauarrus inconditis moribus vir fraudibus & rapinis assuetus, ingenio militari magis quam commodo cuncta miscere. Vicit tamen prudētia & patientia Cardinalis, ne præclaros conatus importuna discordia turbaret. Nauarrum male habebat motis quos ipse designarat, quosdam centuriones è familia Cardinalis fuisse substitutos, locaq; virtuti debita inertes aulicos gratia occupare. Annitentibus viris primariis dissidio pacato Nauarrus nouo iureiurando in Cardinalis verba est adactus factur ū quæcunq; imperasset, Compositis controuersiis ad septimum decimum kal. Iunii die Mercurii è portu Carthaginensi vela fecerunt bona spe pleni lætiq;. Die proximo, qui ascendenti in cœlum Christo sacer erat, secundo à puppi flatus classem in Masalquiuiri portum intulere. Eo loco cognitum est aduersus Oranum eam expeditionem suscipi. Vrbs ea Tremesenio regno contributa ciuium sex millia ea tempestate numerabat. ad mare sitam validi omni ex parte muri additis ex interuallo propugnaculis cingebant. ædificia partim planiciem occupant, partim in collis latus assurgunt. Plateæ & vici enormes nulla distinctione sed passim erectę domus, neque dimensis ad lineam directis & latis viarum spatiis, vt solet gens Maurica ædificandi minime curiosa, neque dedita elegantiis. Tremesenio dissita est centum & quadraginta millium spatio Carthagini Hispanicæ exaduersum obiecta. Nobile quondam in iis oris emporium frequentia mercatorum Genuensium & Catalaunorum eo propter commoditatem portus confluentium celebre imprimis & frequens: tantis ex eo copiis vt prędatorias biremes magno numero lembosque alerent ordinariis stipendiis magno incōmodo Betice littorum, quibus importuni imminebant grauesq;. Noctu nostri in portum inuecti, luce proxima copias in terrā exposuere. In eo acieq; instruenda multę horę abierunt. In quatuor quadrata agmina gens vniuersa est tributa, in singulis bis mille & quingenti pedites constituti, vtraque latera equites muniebant. Cardinalis in templo arcis interea castissimis precibus dederat operam. prius tamen quam instructæ acies in Mauros mouerent vrbis aditu nostros prohibere paratos, & iugis proximis se in armis ostentātes, vt nostros ascēsu vtiq; montis arcerēt, mula ad milites est egressus. multi sacerdotes & monachi prosequebantur, crucem dignitatis insigne pręferebat Ferdinandus super sui ordinis Franciscana veste gladio accinctus reliquorum exemplo Cardinalis iussu. Insolens spectaculum multis quippe militari ingenio lingua procaci inter metum, risum excussit. Tum Præsul ad circumfusas legiones hac sententia locutus fertur. Si meis verbis cogitarem, milites ad vestros animos inflammandos opus fore: vt ducum aliquis in hoc genere præstās accōmodata oratione ad pugnā accēderet, effecissem. nā neq; ego militarē facundiam exercui, & victoriæ spē precibus potius firmaui ad Deum fusis. Intelligere quidem vos arbitror pro religione & communi salute esse certamen. pro ea si res feret, sanguinē vitamq; profundere esse paratos, neq; incitatore indigere vllo vestræ virtutis sed fræno. Ita vestræ alacritatis conceptiq; animi ardoris ex fronte oculisque emicantis victoriæ omen haud dubium, testis tantum spectatorq; veni. Audaciam, animorumque vigorem inuictum quem tot bellis milites præstitistis, an æquum sit contra Christiani nominis hostes abiicere? eos inquam hostes qui Hispaniæ littora igne ferroque depopulati sunt, pecora abegere, diripuere oppida & agros, matres, vxores, filios, fratresque in captiuitatem egerunt duriorem ipsa morte: siue ferro oneratos, inculta tenebris, odore tetra ergastula detineant, siue fœdis aliis obsequiis ex dominorum libidine mancipentur. Vestrū ex Hispania discessum contemplatæ matres vestra opera filios expectant, filii parentes; eoque proiecti ante aras ad omnia templa diuinam clementiam cum lachrymis & gemitu implorare non cessant, nulla piacula cælestibus placandis omittunt. An æquum videatur tantæ multitudinis spes & vota irrita cadere? partæ gloriæ inuri maculam? Apage tantum nefas, facessat dedecus ignauiaq;. Abscedant inanes metus fortibus animis. Ego ego ipse, si cessatis, in medios hostes irruam crucemq; illam Christianæ gentis vexillum, & spem inter hostium agmina collocare certum habeo. An erit qui sui Pręsulis exemplum non sequatur? qui euntem in hostes deserat? Et sane vbi nam vita paulo post interitura sanguisq; maiori fructu ponatur, quam pro religione, pro patria, pro communi salute, gloriaq; vniuersæ gentis Hispanę. Tueri omnib. viribus, quod à maioribus accepimus patrimonium dignitatis ac famę, patriæ religionis dignitatē tueri, & sanctitatem. Id vero fixum est animo. Hæc ille dixit, ardentibus oculis, vultuq;, voce contenta, quo latius exaudiretur. Circumfusi omni ex parte milites

ducesque enixe obtestari, in templum rediret, pro cunctorum salute vota continuaret & preces; sibi cum diuina ope destinatum esse sin minus victoria, vti confidebant, certe morte operam industriamque probare nisi victis hostibus non redituros in patriam. Cessit Cardinalis suorum votis reuersus in arcem. in D. Michaelis sacello preces cum gemitu & lachrymis fundere non cessauit, dum pugna commissa est. Dies inclinabat in vesperum. Ancipiti Nauarrus sententia an pugnam sustentaret in diem proximum, quid factu opus esset Cardinalē consuluit. Censuit ille non expectandum, dū mora, militum ardor remitteret pugnę signum expectantium. Quid maiorem hostium multitudinem confluere cessatione paterentur? Nocte interposita multos incidere sæpe casus. Secundum hæc verba continuo signum datur. In montem milites magno nisu & alacritate conscendunt. Neque locorum iniquitas, neque Mauri ad duodecim millia equites peditesque fastigio occupato proiicientes tela, prouoluentesq; in subeuntes saxa & quęcunque ad manum erant, deterruere nostros, quo minus in summum iugum euaderent. Væcordia militari quidam milites Caracæ vrbis ciues iniussu desertis ordinibus impressioneque in hostes facta, non agmine sed turmatim amisso Ludouico Contrerio cæteri necessario retulere pedem pudorem vincente metu. Cæsi caput in vrbem delatum per plateas à pueris rotabatur cum clamore, cęsum Alfaquinum. Sic Arabica lingua Cardinalem vocabant. Commotus eo rumore è captiuis quidam aliquando in Cardinalis familiam adscriptus capite considerato diligenter, altero orbatum oculo, oris lineamentis longe aliis, negauit profecto id caput Alfaquini Christianorum esse, sed potius alicuius militis gregarii. Sed inter inconditos plebis clamores captiuo nulla fides. Dum pedites in montem euadunt, equites longiori circuitu per latus montis ad summum euecti cum hostibus dimicare cœperunt, tormentis quoq; displosis cæsi non pauci. In confertos & temere se offerentes non frustra cadebant tela. Pedites tandem addere gradum, impressione in aduersarios facta, arduo ascensu quamuis fessi montis partem occuparunt, cedentibus Mauris quousque ad aquæductus quosdam est ventum. Nouo conatu tormentis in summum iugum magno labore traductis, pręterea districtis gladiis alius alium adhortati hostes ex vniuerso monte depulsos in fugam compulere. Hærentes fugientium tergis, quoniam vrbis portæ clausæ erant, victores iuxta ac victi solutis ordinibus hi in pedibus salutis spem ponentes, illi sanguine nondum expleti vltra vrbem processere. Arabes qui erant intra mœnia rei bene gerendæ occasionem ex nostrorum perturbatione venisse rati portis egressi duce vrbano Prætore pleno gradu in victores feruntur. A tergo adoriri pergētes nouus detinuit terror. Pars nostrorū admotis scalis in muros cōscendere tentabant. Dum hi in se vim ciuiū Arabumq; auertunt, socii milites que nauales à mari, nullo repugnante succedentes muro ea parte imbecilliori neglectis custodiis turres quasdam occuparunt arcemque Alcasabam dictam. Accessere manus aliæ militares. Captam vrbem momento diripiunt. Maurorum e pugna reliquię, quāuis Hispaniæ vexillis pro mœnibus explicatis cæco furore vrbē conantur repetere. Vana est sine viribus temeritas. Nostri victoria superbi per auersam portam egressi hostes à tergo & à fronte circumuentos magno numero cæciderunt. Occisi eo die Mauri quatuor millia, capti ad quinque millia. Victorię nobilissimæ lætitiam auxere miracula diuinis non absimilia considerantibus propter nostrorum militum perturbationem nullam eo die militarem disciplinam, nullū imperium obsequiumve extitisse. dein vix vrbe capta Tremesenius Prætor cum numeroso exercitu aduenit certissimum vrbi præsidium, nisi nostri celeritate forte magis quam consilio eius aduentum occupassent. Cardinalis cuius feruentissimis precibus & syncerę religioni non temere vulgo accepta victoria fertur, lętus successu ouansque in vrbem ingressus templum maximum ex ritu Christiano solenni cęremonia Mariæ victricis nomine Mahumetanis sordibus expiatis sacrauit. Die postero profecisse se satis vrbe illa capta, inchoata feliciter Africano bello siue ad nominis existimationem siue ad fructum arbitratus, conscensis triremibus Carthaginem nauigauit, captæ vrbis moderatore relicto Petro Nauarro dum à Rege noua venirent mandata. Carthaginem delatus misit qui Ferdinando Regi gaudium ingens, partam victoriam, vrbem captam, se reducem nunciaret. Sic Complutum profectus, id municipium iniit quinto decimo die ex quo Oranum ceperat nullo principali apparatu, priuato quam victori propior. quippe victoriæ laudem non industrię humanę sed diuino patrocinio tribuens an humanæ gloriæ contemptu, modestiaque animi. Et Cardinali quidem fixum erat opimis templi maximi Toletani sacerdotiis Orani Abbatem recens institutum adiungere, partæ victoriæ posteris monimentum. Restitit minutus ac solo ferme nomine Episcopus Auriensis ex indica à Pontifice sorte appellatione

latione contendens eam vrbem ſui iuris fore deſignati epiſcopatus ſedem haud dubiam. Peritiores Oranum negabant olim proprio Epiſcopo fuiſſe attributam. Auriam ad ſolis ortum non modico interuallo diſſitam, quippe prouinciæ Carthaginenſis vrbem, quod certis monumentis mõſtrabatur. Oranum & finitimos Tingitanæ potius prouinciæ finibus contineri. Quod lite conteſtata tandem valuit: & Cardinalis cauſę iis opibus ea laude parta paſſim fauebatur. Non minor Ferdinando Regi eius vrbis muniendę & nouis opibus firmandæ cura erat. Diui Iacobi militibus Valliſoletum ad generales eius ordinis conuentus euocatis, conſenſu decreuit Orani monaſterium ei ordini conſtituere, eo nobiles crucem inſigne eius militiæ ſumerent, operamque nauarent in bello Africano aduerſus Mauros Chriſtiani nominis hoſtes. Atque vt eſſet vnde noui monaſterii ſacerdotes & milites vitam tolerarent, à Pontifice Romano impetratum eſt, duorum monaſteriorum Villarii, & D. Martini, quæ ei ordini in Compoſtellæ & Oueti diœceſibus ſita ſunt redditus Oranum transferri. Salutare conſilium, vt in rebus magnis, enatæ difficultates neque conſpirantes ſententię diſturbarunt magnis ſemper conatibus aduerſę. Ne nouum quidem decretum magis valuit, Bugiæ & Tripoli, quas vrbes Nauarrus proximo anno de Mauris cepit, Calatraue & Alcantaræ militibus ſimili exemplo collegia inſtituendi. Quod ne fieret, tum alia, tum Italica bella maiori quam antea mole renata inter alia reip. mala & labes ſalutare conſilium plane diſturbarunt.

Bellum contra Venetos. Cap. XIX.

IN fœdere Cameracenſi decretum erat, vt ſinguli confęderati bello Venetos laceſſerent per partes, cuncti tamen ne vltra kal. Aprilis bellandi principium ſuſtentarent. Ferdinandus Rex fidei datæ memor inſtructa in Hiſpania claſſe Zamudium tribunum miſit cũ duobus peditum millib. notæ virtutis, vt adiuncti iis militibus, qui ad Neapolim erant, quinq; millium numerum implerent. lente is apparatus proceſſit, tum Proregis ingenio parum rebus bello præſertim ſed & in pace adminiſtrandis idoneo, ac tunc ſuſpicanti Neapolitanos proceres inter ſe conſpirare nouarum rerum ſtudio, tũ Fabricii Columnæ conſilio bellum moueri detrectantis aduerſus Apuliæ vrbes, priuſquam claſſis inſtructa eſſet ad prohibendam iis littoribus Venetam venturam haud dubium obſeſſis opitulatum. Fraus quibuſdam viſa eſt, & in communi cauſa præuaricatio. Benignior & verior interpretatio, ſic per errorem iudicaſſe. Et quis eſt qui non aliquando fallatur? Primus Rex Gallus arma Venetis intulit. Tramullium miſerat cum pecunia ad conducendos idoneo numero Heluetios, reliquas copias Alpes ſuperare iuſſit, cum primum ſe anni tempus aperuit. Ipſe veſtigiis iiſdem ſubſecutus kalendis Maii Mediolanum iniit. Carolus Amboeſa in gratiam patrui Rhotomagenſis Cardinalis, ei vrbi pręfectus erat vniuerſæque Inſubrum ditioni bello paceque moderator. Regis iter proſecutus eſt Antonius Dux Lotaringius. Vniuerſæ copię hominum ad quadraginta millia in Venetorum ditionem facto impetu, facile oppida quæ ad Abduam fluuium obtinebant, Gallicis præſidiis occuparunt. Veneti in ſano delectu exercitum conflarant militum quinquaginta millium. Summi duces Pitiliani Comes & Bartholomæus Liuianus vterque ex Vrſinorum familia, Regi Catholico obnoxii, ob ea oppida & vectigalia quæ in regno Neapolitano obtinebant, nauatæ ſuperioribus bellis operæ pręmium. Ad ripam vlteriorem Abduę non procul Laude vrbe, Riuolta oppidum ſitum eſt paulo ante de Venetis captum. Ad id oppidum vtreque acies in conſpectum venere. Par vtriſque pugnandi cupiditas. Ardentiores Veneti in aduerſarios impetum priores fecere. Ancipiti diu marte pugnatum nihil ſtrenuus ab ignauo, ſapiens à prudenti, conſilia à caſu differre. cuncta pari violentia voluebantur. Italici pedites Gallico peditatu tantiſper loco moto meliora ferre viſi ſunt. Plerunque paruę res maximas trahunt, in bello præſertim ſæpe ex minimis maxima momenta exiſtunt. Gallica tormenta inter vepreta diſpoſita, atque in inopinantes Venetos repente diſploſa cum magna ipſorum ſtrage peperere victoriam. Venetorum pedites turbatis ordinibus, Gallici equitatus recens in pugnam inducti ſeque ſuperfundentis ex omnibus partibus impetum non tulere. verſi omnes in fugam cæſique magno numero ſunt. E ducibus Pitilianus cum paucis euaſit fuga, Liuianus cum multis in hoſtium poteſtatem venit. Nobilis victoria fuit in paucis. loco pugnę iuſſu Galli Regis ſacellum conſtructum eſt Mariæ victricis nomine rei geſtæ poſteritati monimentum. Ingens vtilitas, quando eius pugnæ euentu nobiliſſimæ ciuitates miſſis legatis pacem & veniam à victore petierunt. Hę fuerunt Crema, Cremona, Bergomum, & Brixia, enimuero omnes quę Gallo in fœdere de-

ſignatę fuerant. Eodem tempore Franciſcus Maria Ruuereus Pontificis ex fratre natus, iamque Dux Vrbini in locum auunculi Guidonis Vualdi bello in Flaminia contra Venetos cum copiis Pontificiis concitato Salarolum oppidum Fauentini agri primum de Venetis cepit, deinde Fauentiam ipſam & Ariminum. Rhauennam poſtremo atque Seruiam, quales & quantas ciuitates? certe quidquid de Ponficia ditione occupauerant. Prorex Neapolitanus quamuis lente cunctanterque exercitum tamen fine menſis Maii paratum habuit ad inuadendas Apuliæ vrbes ditionis tunc Venetæ. Proſper & Fabricius Columnæ, Amalfitanus, Hadrię Dux, Morconis & Nolæ Comites Proregē ad id bellum ſunt proſecuti. Pitiliano Nolani auo, atque Liuiano ante pugnam cum Gallis cōmiſſam denunciatum fuerat ne ſuo Regi deeſſent in bello, alioqui vindictam expectarent, aduerſus beneficiarios parere recuſantes legibus conſtitutam. Nihil illi ea denunciatione moti à Venetis ſtare maluerunt. Curam equitum Sanſeuerinę Comes tenuit, commeatus Baptiſta Spinelus Cariati Comes. Villamarinus maris Præfectus idem Comes Capacii in portu Meſſanenſi duodecim triremes inſtructas habebat decem onerarias. Simul atque amica Gallica claſſis acceſſiſſet ductoribus Albaniæ Duce & Præiane viro induſtrio in Apuliam iturus ad ea tutanda littora arcendam Venetam claſſem. Ingentes apparatus ne diu eſſent neceſſarii, Venetorum prudentia effecit. Tranum obſidebat Prorex in magna ſpe vrbis obtinendæ, occulta ciuium machinatione: cum Venetiis legati venerunt arcanis inſtructi notis per quas intelligeretur haud dubium ſenatus eſſe mandata, Brunduſium, Hidruntum, Tranum, Molam, Polignanum continuo vti deditionem facerent ne defenſione quidem tentata. Ferrarienſis item & Mantuanus quędam oppida Venetis detraxerunt, ſua olim, vti videri volebant, & ex vetuſta memoria, & tabulis demonſtrabant. Aduerſus proſtratos obſoleta quoque iura ſolent valere. Cuncta elementa in perniciem nobiliſſimæ vrbis conſpiraſſe viſa ſunt, atrox ex omni parte ventorum procella inſtare, vt miraculo ſimile videatur penitus non concidiſſe. Ea eſt humanæ vitæ conditio, neque bona propria ſunt, neque mala perpetua, in orbem aduerſis ſuccedunt proſpera, triſtia ſecundis. Tanta certe in præſenti Venetorum conſternatio fuit, vt de vrbe dedenda Ladislao Regi Hungaro cogitaſſe fama ſit, eius viribus ſperantes afflictis rebus ac deſperatis propemodum, leuamen. Per tot ætates inuiolatam libertatem illius primum fidei ditionique permiſſuros. Cedit interdum generoſus ſpiritus neceſſitati, & ſæuientis procellæ viribus ſuccumbit. Piſani etiam Florentinis tandem ceſſerunt amiſſa libertate. Ad ſuperiora mala, quæ ſi fuiſſent extrema, intoleranda videbantur; atrocior Venetis certe ex Germania peſtis acceſſit. Cæſar & ſua ſponte & ſociorum exemplo excitatus cum copiis ineunte menſe Iunio Oenipontum venerat in Alpium iugis ſitam vrbem, Venetorum finibus ea parte bellum illatum. Italicis equitibus grauis armaturæ ducem deſtinarat Conſtantinum Cominatum Macedonię Principem. Ludouicus Gonzaga Mantuani patruelis, & Mirandulę Comes, aliique ex Italica nobilitate in ea expeditione Cæſari militabant. Italię viribus impugnabatur Italia. Acceſſere mille & quingenti Hiſpani, qui Gallo Rege tandem relicto ad Cęſarem ſe contulerant. Non ſe deſeruere tamen Veneti ad alia mala nouo exagitati periculo: cum primum Eſteranum Cæſar peruenit, eum de pace interpellare decreuerunt, iis conditionibus quas vellet imponere. Eius rei argumento ad eum chartam candidam miſere præter ſubſcriptiones ſenatus nullis impreſſam notis. Sic fama tulit. tueretur modo miſeros, atque in ea rerum omnium deſperatione nobiliſſimę vrbis patrocinium ſuſciperet. Repulit ille preces, quocunque ibat deditis oppidis primum quæ Benaco lacu alluuntur, deinde vrbibus Verona, Vicentia, & Patauio, ferme vt in Italia nihil Venetis ſupereſſet, ſuperbus rerum humanarum inconſtantię immemor, niſi vrbe ipſa Venetiis capta non videbatur quieturus. Et vtique eam mari terraque vrgere parabat tum Hiſpanica & Gallica claſſibus, tum terreſtribus ſuis & Galli copiis ſecundo Meduaco obſeſſos fatigare, commeatuque prohibere. Expugnatam iis viribus vrbem diuiſam quadrifariam totidemque impoſitis arcibus inter ſocios diuidebat cuique parte attributa: ſi pares ſomnio euentus contingerent, certa victoriæ ſpe pręſumpta. vnius vrbis in quatuor partes diuiſæ totidem inter ſocios imperium diuidi. Ingenium varium, inconſtans, multiplex, præpoſteræ cogitationes, vana conſilia, vani conatus. Non diſplicuit Ferdinando Regi Cæſaris conſilium initio, Apuliæ quamuis vrbibus receptis, dimitti Hiſpanos omnes, pręter quingentos quos Zamudium in Hiſpaniam referre iuſſit, claſſe modo in Italia relicta. Paulo poſt tamen repulit. Ne ipſi quidem neque Pontifici viſum eſt, è republica fore eius vrbis excidium. Attentius enim re conſiderata præter vanitatem eius molitionis prouidebatur, quidquid

vltra præſcriptos in fœdere fines progreſſum eſſet, id totum ex Galli commodo fore. Propinquo Mediolanenſi principatu, ſociis longinquis, non dubitaturum pace facta, vniuerſam eam vrbem primo quoque tempore pulſis ſociis armis occupare. Ex eo ne ad Italiæ totius imperium aſpiraret, ac vero Romanæ eccleſiæ de manu dare Pontificem tentaret, verendum erat. Qui metus Iulium Pontificem ſolicitũ habuit, ne ſe viuo faceret validus opibus & ingenio. Vſque eo vt Cardinalem Rhotomagenſem antea riualem, Tridenti cum Cæſare collocutum fuiſſe, curaſſe etiam vt Cęſar & Gallus inter ſe viderent ægerrime antea tulerit. Certe monſtri ſimile aliquid verſare eos Principes animis in ſuam ac eccleſiæ perniciem. Fluxa eſt potẽtia & ſolita opinione magis hominum quam ſuis viribus nitens, qualis ſacerdotum eſt. Itaque eorum Principum colloquium impedire omni ope contendit: idemque Ferdinandus Rex curauit, per legatũ ſuum Iacobum Concillum tum Epiſcopum Catanæ Cæſare perſuaſo in Gallicæ amicitiæ ſpecie inſidias latere.

A Venetis Patauium receptum. CAPVT XX.

CONfecto Rex Gallus bello magna atque incredibili celeritate neq; gloria fructuque minori Mediolanum rediit, indeque in Galliam abiit quo regni curæ vocabant. Mille quingentos grauis armaturæ equites per vrbes recens partas diſtributos præſidio reliquit rerum moderatore Carolo Amboeſa Chaumantio regulo, magno Galliæ Magiſtro. gẽtis inſtituto maior quam Magiſtri equitũ is honor & auctoritas eſt. Cæſarei exercitus pars multo maxima in Taruiſinos & Friuolẽſes ſeu Foroiuliẽſes fines incubuit: quoniam imperata facere aliarumq; vrbiũ exemplũ ſequi detrectabant contumacia. Eo maior impetus feſtinatioque & ſpes, quod continenti Italiæ certe nihil præterea Venetis erat ex ampla ante ditione relictum. Nouus conatus, vnde periculum maius timebatur, victis reſurgendi opportunitatem attulit. Pataui ciues Germanorum imperium, relictumque adeo in vrbe præſidium graue ducẽtes defectionem meditabantur. Eam Veneti occaſionem arripientes, & quoniam hoſtiũ copiæ procul aberant, conſilio cum iis ciuib. occulte cõmunicato, rebuſq; omnibus comparatis, eam vrbẽ recuperarunt. Andreas Grittus cum mille equitibus grauis armaturæ & aliquanto peditum numero portis occupatis, accurſu præterea ciuium veteri imperio fauentium, cæſos Germanos compulit in arcem ſe recipere: quam die quoque poſtero ad deditionis conditiones adegit. Sic dies duos & quadraginta poſtquam ea vrbs fuerat amiſſa, in Venetorũ poteſtatem venit. Melioris ſpei initium id fuit, miſeriarum finis. Leui momento ſurgunt res humanæ caduntque. Amiſſæ eius vrbis nuncio Cæſar ad Maroſticam accepto oppidum in Alpium faucibus ſitum viginti quatuor millibus Patauio diſſitum, ne circumfuſis hoſtibus tranſitus impediretur, Scalam abiit ad Oenipõti Auſtriacæ ditionis fines. Continuato Veneti impetu Aſſulã ceperunt, centũ & quinquaginta Hiſpanis, qui in eo oppido erant, trucidatis. Simile exemplum in ducentos alios Hiſpanos editum eſt Caſtelfrancum præſidio obtinentes: vbi & centurio Aluaradus eſt captus. Tanta erat vindictæ rabies, vt ex mille & quingentis Hiſpanis, qui à Gallo ad Cæſarẽ tranſierant, & licentia militari incolas irritarant rapere, ſpoliare vi & ſtupris cũcta polluere per agros & oppida aſſueti pauci euaſerint, quin cæſi aut capti fuerint. Inuidioſum Hiſpanorum nomen auaritia eorum ac libido indigenis fecerat. Veronam ad Venetos & ipſam propenſam Patauiique exemplo defectionem meditantem Palicius accurrens cum copiis frænauit, dum à Cæſare idoneum imponeretur præſidium, copiarum è Belgis atque è Germania aduentum ad Alpium fauces ſuſtentante, atque ab Italiæ finibus abſtinente, ne maieſtas ludibrio eſſet ſi in tanta alienatione Italicæ nationis exiguis viribus bellum repeteret. Ergo iis copiis appulſis conflatoque exercitu hominum ad triginta millia, miſſis præterea à Gallo mille & trecentis equitibus auxilio, à Pontifice trecẽtis, nouo conatu in Italiam irrumpens Patauium obſedit Nonis Septembris. Pitilianus ac præcipui Venetorum duces præſidio accurrentes in vrbem ingreſſi ſunt, quiduis perpeti parati ne in hoſtis rediret poteſtatem. In duobus millib. equitum Epirotarum præcipua vis: ii frequenter eruptione facta ex vrbe nihil Cæſareis tutum relinquebant, ne reſpirandi quidem ſpatium. Diſpoſitis tormentis hoſtes magnam partem muri ad terram ſtrauere, per ruinas tamen in vrbem euadere ſupremo conatu tentantes ab obſeſſis ſunt repulſi pertinaci contentione, nouis identidem per Meduacum auxiliis confirmatis, prorſus vt ad viginti quinque millia defenſores in vrbe eſſent idoneus numerus non ad tuenda modo mœnia, ſed ad confligendum æquo marte patentibus campis. In primo impetu multi Hiſpani propugnaculo capto, tormentarii pulueris cadis, quos ſub terra condiderant incenſis diſcerpti ſunt Hiſpanicæ militiæ flos, quippe

ex Magni Goſalui diſciplina plerique.Fregit hoc incommodū hoſtium animos, vſq; eo vt honeſtam aliquam occaſionem dari cuperent diſcedendi ſine ignominia, nulla iam victoriæ ſpe. Itaque diſceſſere tandem Octobris initio, nulla famæ cura, quoniam metus periculi iuxta & moræ tædium fatigabat.Magna famæ vis,in bello maior. Intempeſtiuus diſceſſus effecit, vt magna repente rerum conuerſione facta multorum auerterentur animi.Cum ſpe vinci Germanos poſſe,acceſſit pugnandi animus. Vicentini primi correptis armis & à Patauio euocatis auxiliis in Gaſparem Sāſeuerinum & tria Germanorum millia præſidio Cæſaris nomine eam vrbem obtinentes impreſſione facta ſe dedere & vrbem relinquere coegerunt.Alia parte Venetorum copiæ non quieſcebant, ſed inſtandum fortunæ quæ conuerti videbatur ratæ, oppida prope Patauium à Ferrariēſi dudum occupata inuaſere.Ex iis Ateſte,Monſilice,& Montagnana continuo imperata fecerunt. Vnde ſuſpicio ac vero certa fides inuitatu incolarum excitari bellum, neq; Venetorum vi aut inertia hoſtium,ſed fraude tot victorias conſtare. Ab his quidem initiis Veneti elati aduerſo Pado claſſem miſerunt Ferrariam vrbem obſeſſum. Terra eodem miſſæ copiæ ex itinere Poleſium, & Robigum de Ferrarienſi ſine ſanguine receperunt. Reſurgentibus paſſim fauebatur à gente hoſtibus infenſa. Ad Ferrariam non eadem fortuna fuit. Dux & Cardinalis frater auxiliis à Pontifice & Gallo Rege miſſis in aciem progreſſi tormentiſque in ripa Padi collocatis ſcienter, claſſem Venetorum quaſſatam merſere,atque ita vt è triremib. decem & ſeptem, amiſſis omnino quindecim ſoluere obſidionem non ſine ignominia fuerint cæteri coacti. Prius tamen quam id contingeret Franciſcus Mantuanus cum equitū numero in ſuam vrbē pergens infeſſis itinerib.ab Andrea Gritto captus fuerat.Idoneus quem cum Liuiano permutarent à Gallis eatenus detento. Grande pretium:ſed ea erat virtutis opinione Liuianus, vt nihil Veneto ſenatui nimium videretur.Quamuis plerique accuſabant cladem ad Riuoltam eius temeritate & feſtinatione fuiſſe acceptam,eoque præceps ingenium vitandum,ne reſurgentes Venetorum ſpes noua imprudentia euerteret. Verona inter ſpem & metum fluctuabat,metus pro Cæſare ſuadebat, libido pro Venetis. Præſidio impoſitus Ioannes Emanuel cum duobus Hiſpanorum millibus, & Galli auxilio ſuperuenientes ad defectionem procliues retinuerunt. Gallici auxilii dux erat Obenignus,eius Obenigni ex fratre an ſorore nat⁹, quem in Neapolitano bello inter Gallicos duces à virtutis opinione inter primos celebrant iure hiſtorici Galli. Carolus Amboeſa cum robore Gallici exercitus Brixiam inter & Cremonam ſtatiua habere in omnem occaſionem intentus rei bene gerendæ,ſocios ſubleuandi. Triuulcio Brixiæ cuſtodia concredita. Veronæ in locum Ioannis Emanuelis ipſo miſſionem flagitante, Ludouicus Beamontius, qui ab annis ſuperioribus Gallica ſtipendia faciebat, tuendæ curam ſuſcepit magnus nobilitate, neq; minor induſtria virtuteq; domo Vaſco.

Controuerſiæ inter Cæſarem & Ferdinandum compoſitæ.

CAPVT XXI.

LErini Comitis obitu magna Ferdinandum Regem cupiditas inceſſerat efficiendi vt Ludouicus Beamontius in maiorū opes & locū reſtitueretur defuncti filius, atque ex Ferdinandi ipſius ſorore vſq; dum ſuperſtite natus. Maiori ardore in eū conatū incubuit, quo tempore bellū in Inſubrib.magna contentione gerebatur:ſi agēdi dexteritate offenſus animus flecteretur. Nihil neq; eius auctoritas,neq; diligentia valuit:ne inſontem quidem eſſe filiū in iis quę pater peccauerat.Iniquum videri parentum peccata filiorū pœnis lui. Vim adhiberi & metum placuit. Ac præſertim noua iniuria irritarant Sangueſſæ incolæ in Aragoniæ vicinos fines inuecti. Facto ſpecies prætenta, oppida Vlim & Fileram ad vetus eius municipii ius reuocandi. Aragonii conatum intempeſtiuū vindicarāt in Sangueſſæ agros irruptione facta,atq; in oppidanorū oculis planiciem ſubiectam municipio longe lateq; vaſtantes,ſegetibus,arboribus,tectis ignes iniecti. Maioris belli fundamenta ab his initiis iacta:ſed quoniam priuatæ controuerſiæ erāt nondum publice arma mouebantur. Ac Ludouicus quidem Beamontius precibus,patientia, & modeſtia impetrare ſatagebat,priuſquā ad vim procederetur,paternam ditionem honoreſq; alios. Sic in Vaſconib.res erant periculo proximæ.De cōtrouerſiis Cæſarē inter & Ferdinandū Regem, ſanciendaq; per cōditiones cōcordia ſerio agebatur. Caſtellæ procurationē vtroq; ad ius ſuū reuocāte Ferdinandus quamuis poſſeſſione potior liti finē imponere oppido cupiebat: proceribus quibuſdam, qui rebus nouis ſtudebant, ſanandis remedium aut hoc aut nullum fore idoneum ratus. Sed cum eo tamen ſi Iſabellæ vxoris voluntate ex parte

parte mutata; dum Regina filia viueret rerum sibi administratio relinqueretur tutelæ iure à legibus haud dubium patri dato; quod Regina vxor neque voluit neque potuit immutare. Ea demum defuncta facile adducebatur Carolo nepoti sceptra de manu tradere, modo annos viginti nato, vti Regina sanxerat testamento. Ita suo tantū commodo defunctæ voluntati stari volebat, mutari contraria. Et est humanus animus insatiabilis, cupiditas imperandi aliis affectibus maior. Iudices in causa consensu designati Galliæ Rex & Rhotomagensis Cardinalis blandimento accommodato eorum beneuolentiam amplius promereri destinabant scilicet: alioqui facturi quod inter se è re vtriusque fore præiudicassent. Vt conditiones nuncuparet Andreas Burgius in Hispaniam remissus, benigne acceptus atque habitus est. Apud Cæsarem Catanæ Episcopus de eadem re disceptauit Ferdinandi legatus. Duorum opera subiectæ leges scriptæ sunt. Castellæ procuratio penes Ferdinandum dum vixerit, propria esto, qua ratione ante est explicatum. Mascula proles si forte ex Germana Regina sit nata, certæ nihilominus in Castellæ regno successionis Carolo nepoti satis dato. Quo pignore, quibus vadibus? Nouo, si ita contingeret, sacramento in gentis conuentu adigi populos placuit, in Caroli verba eius regni hæredem fore. Ferdinandus Rex in primis Castellæ conuentibus rectam rerum administrationem iuraret. Vt Asturum principatus vectigalia Carolo cederent, Cæsar petebat, ne nomen principis esset inane. Negabat Ferdinandus vlli id Regum filio datum cælibi. Concessit tamen annua triginta aureorum millia, aucta quoque ea summa cum vxorem duceret, quantum iudicatum esset æquitati consonum, & ærarii tenuitas pateretur. Centum aureorum millia destinabat sibi Cæsar, inopiam sic supplere è Castellæ vectigalibus concordiæ haud magnum pretium. Excusauit Ferdinandus exhausto ærario reddenda necessario creditoribus quingenta aureorum millia mutua à mensariis sumpta & spatiis funebrib. aucta. Dare tamen quinquaginta aureorum millia à Florentinis ciuibus debita Pisanæ libertatis proditæ pretium. Missurum præterea bello aduersus Venetos trecentos cataphractos quadrimestri aut quinquemestri stipendio de suo. Additum præterea, vt quocunque tempore Carolus Princeps in Hispaniam venturus esset, instructa classis ad eum vehendum mitteretur. Eadem vbi venisset continuo Ferdinandus frater veheretur in Belgas. Tantarum molitionum ignari Ioannes Emanuel aliique ex Hispania nobiles in Germania versantes cum primum fœdus pactum resciuerunt, disturbare conati nihil profecere tamen. Ac potius vt importunos eorum conatus eluderent, res integra ad Margaritam Principem ablegata cum ampla patris nomine paciscendi facultate. Eius diligentia finis controuersiis est impositus: ac superiores conditiones sancitæ sunt. Ad hæc quadam simulatione ad Regem Gallum concordiæ capita, quasi re integra deferri visum est, vt adiuncto Rhotomagensi Cardinali, q; æquitati videretur consonum, id sententia pronūciata statueretur. Blesis vbi Gallus morabatur, disceptatores præsto fuere pro Cæsare Mercurinus Gatinaria Burgundiæ Præses, & Andreas Burgius eius ordinarius legatus deinceps in Gallia futurus: pro Ferdinando Iacobus Albiō eius item penes Gallum orator, & Hieronymus Cabanillas in eius locum in posterum destinatus. Iis agentibus instituta cognitione liteque contestata perrogataque, atque sententia pronunciata pridie Idus Decembris fœderis cōditiones omnes comprobatæ sunt de quibus inter partes conuenerat. Ac secundum eas, iis qui Cæsaris aut Caroli Principis partes secuti erant, bona paterna sunt restituta facultasq; concessa in patriam postliminio redeundi. Petro quoque Gueuaræ eatenus vincto reddita libertas. Hunc exitum diuturnæ controuersiæ habuerunt, quæ solicitam tenuerat Hispaniam. Inita concordia quidam è nobilitate quasi in Caroli Principis obsequiis aulaque versari vellent in Belgas discessere. quietis impatientia agitabat. In eo numero Alfonsus Manricus Pacis Augustæ Episcopus inquieti ingenii vir, alieno semper à Ferdinandi rebus animo, tædio præsentium exilium trāquillitati prætulit. Hoc tempore Pitilianus Veneti exercitus imperator ad Lonigū agri Vicentini oppidum ex morbo decessit eo maiori studio Liuiani libertas expetita. De Lemosio Comite, quoniam turbulenta consilia cū Belgis & Lusitanis agitare erat perspectum, nouo decreto statutum vt fidei pignus Sarriæ & Monfortii arces Pozæ regulo traderet ea tempestate Colæciæ rebus Præfecto. Raymundus Cardonius in locū Ripagorsæ Comitis è Sicilia, vbi res gerebat euocatus Neapolim regendam suscepit. Siculos Hugo Moncada, vterque Proregis nomine potestateq;. De abdicatione Ripagorsæ Comitis multa in vulgus iactata sunt. Pleriq; eius ingenium accusabant tantarum rerum procurationi non satis idoneū. Excitat quosdam rerū magnitudo, obtundit alios. Vrsinorum delationibus quidam de culmine deturbatū suspicati sunt. Verum statuere quis audeat? quis plebis linguas frænare? Principū offensionis & gratiæ

cauſas rimari, leui momento in contrarias partes circumactæ? Nullius enimuero tanta claritas eſt, quæ malignitatis dentes fortunæ viciſſitudines poſſit vitare.

Bugia & Tripolis de Mauris capta. CAPVT XXII.

ARdebat Ferdinandus incredibili cupiditate vertẽdi arma in hoſtes Chriſtinani nominis, maiori laude certiori fructu bellum quam quod tanta contentione cõtra Venetos gerebatur. Ita confecto eo bello, vti breui fore confidebant, & à quoque ſociorum vrbib. ſui iuris receptis nunquam placuit Venetorum remp. funditus euerti, ſed ſtare potius incolumi libertate: ſuis viuere legibus & imperio. Ac in partem potius fœderis ſocietatiſque recipi Venetos volebat, vt communibus armis terra marique inuaderetur Turca communis atque infenſus hoſtis piorum nationis. Diſcrepantes in eo voluntates diſſidentia inter ſe vota in vnam ſententiam pertrahere res ardua erat. Quod proximum videbatur, ad ſuas vires adiuncta ope quam pro ſe ſinguli Principes ſponte cõmunicarent id bellum ſuſcipere atque in Orientem proficiſci ſacræ expeditionis dux in animo fixum habuit, laudauit Pontifex eos tanti Regis pro pietate conatus, ſeque pro virili iuuaturum eſt profeſſus. Neapolitanæ & Siculæ opes commodiſſimæ erant in bellum vicinis auxiliis parato commeatu. Hæc Rex ille præ ſe ferebat. Rerum ſtatum attente conſiderantes abſonum prorſus & alienum ab eius prudentia iudicabant, prouecta Principem ætate gentiſque in Caſtella animis non ſatis pacatis tam procul ipſum à finibus diſcedere, cum bellum Africanum eſſet im manibus, longinqua & difficiliora meditari. Ergo eo conatu in præſenti reiecto, ad expeditionem Africanam, optimo principio, ad omen certiſſimum felicis exitus, antea inchoatum maiori mole promouendum retulere animos. Petrus Nauarrus in Maſalquiuiro portu tredecim naues habebat lecto limite, & armamentis & rebus omnibus inſtructas. Ea conſcenſa claſſe in Ebuſum inſulam nauigauit: vbi Vianellus cum claſſis parte eius aduentum expectabat. Reſtitere vnâ dies aliquot, dum hyemis ſæuitia & maris tempeſtates remitterent. Bugiam, quæ olim Thabraca fuit, petere conſilium erat, eo loco inter milites vulgatum. Longa omnis mora ad prædam feſtinantibus, vrbis nobiliſſimæ in Numidiæ quidem littore ſitæ non procul tamen Mauritaniæ Cæſarienſis finibus, inter Tunetanos & Tremeſenios Reges ex interuallo alternantis: donec Abufferricius Tunetanus Rex ad ſuum imperium ſtabili poſſeſſione adiunxit Abdulhazis à patre relictam regio nomine obtinuit ab imperio Tunetano liberam poſteriſque iure quo potuit optimo hæreditariam reliquit. Abdurrahamel ex illius poſteritate eam in præſenti obtinebat pulſo Muleio Abdalla, qui meliori iure niti videbatur, quippe ex ipſius fratre maiori natus. Odii cauſæ, quia iniuſtæ acerbiores, inter alias ambitio dominandi ſæuum & impotens malum. Ad latus ardui mõtis ſita erat, perpetuoque muro cincta veteri quidem ſed valido. Arx ſatis firma in ſuperiori vrbis parte eminebat. Supra octo familiarum millia eo tempore numerabat. publicis philoſophiæ ſcholis, auditorum frequentia præter cæteras Africæ vrbes celeberrima. Ager inequalis rupibuſque impeditus, eoque ſerendis arboribus quam ſegetibus commodior, aliunde aduecto frumento
1510 vitam tolerabat. Kalendis Ianuarii principio anni milleſimi quingenteſimi decimi Hiſpani ex Ebuſo ſoluentes quinque diebus littus Africæ tenuerunt. Copias eo die in terram exponere aduerſi flatus vetuerunt. E iugis montis ſe Rex Maurus oſtentare decem millia pedites, & aliquot equitum turmas ſecum trahens. Eos ad littus appropinquantes, noſtros vt excenſione prohiberent, tormentis claſſicis excuſſæ pilæ procul arcuere. In terram expoſitas copias nullo prohibente in quatuor agmina Nauarrus diſtribuit. Eo ordine magno niſu ſuperato monte ad pugnam feſtinabat, quam Mauri detrectarũt, præ metu in vrbem regreſſi mœnibus magis fidentes quam armis. Fefellit ea quoque ſpes, noſtrorum pars per latus vrbis veteris deſertæ à ciuibus, alii per ſuperiora muro ſuccedentes admotis ſcalis breui in vrbem irruperunt. inſolitus pauor ciuium mentes occuparat. Ita intra vrbem nullo reſiſtente in prædam auerſi milites. Rex cum copiis deſerta mox vrbe per auerſam portam ſe foras proripuit. Terruit ea victoria vniuerſam Africam, eo lætior quod Muleius Abdalla rebus turbatis è cuſtodia elapſus, qua detinebatur à patruo ad noſtros perfugit. Superi quos premere inſtituunt, in præceps dant. Noſtri & virtute potiores & ſucceſſu læti, vrbe egreſſi tyrannum ad trigeſimum lapidem caſtra habentem denuo facto impetu compulere in fugam. Nihil neque apud ſe remiſſum, neque apud illum tutum pati. Ea diligentia ſucceſſuque præteritæ finitimæ ciuitates certatim obſequium detulere Ferdinandi fidem patrociniumque implorantes, veniam & pacem oratum miſere legatos. Princeps inter alias Algerium, quæ Cirta olim Maſiniſſæ regia à

quibusdam fuisse creditur, certe Arabũ lingua Gezer hoc est insula vocatur, ab ea quam in mari vicinam littori & obiectam habet, tunc modica viribus & ignobilis, hoc tempore Hispaniæ terror nostris spoliis extructa, superbaque iuxta ac clara. Algerii exemplum Tenecius Rex & vrbs Tedelicium secuti sunt. ipsi adeo Mostaganiincolæ & Tremesenius Rex nostros de pace & se dedendo appellarunt cuncta virtuti peruia fore territi barbari iudicabant, nihil Nauarro præsertim duce arduum. Leges omnibus impositæ, quibus in amicitiam fœdusque venirent. Præcipuæ erant, vt captiuis Christianis sine pretio libertas esset, & vectigal honorarium singulis annis cum fide repræsentarent. His rebus quamuis districtus Petrus Nauarrus bello interim maiori conatu apparando curam impendere, gnarus modicas esse vires sibi & instandum famæ, antequam consternatis hostibus fiducia rediret. Fama bella geri magis quam viribus. Quo tempore in Orientis oris Alfonsus Alburquerquius susceptam procurationem à præclaro initio auspicari cupiens, in Decano Indiæ littore Goam vrbem occupauit, sedem deinde imperii Lusitani in iis regionibus nobilissimam. Insula eiusdem nominis sita est, quam fluuius neque tenui neque multa aqua duobus ostiis in mare mittens efficit angustam quidem spatiis ac vix viginti millium ambitu, cæterum commodissimam Orientis commercio, propter maris & multarum gentium vicinitatem, quarum ad fines iacet. Rei bene gerendæ opportunitatem Zabaimus Idalcanus obtulit imperium tunc obtinens eius vrbis. bella enim longinqua defendendi necessitate milite vacuam reliquerat venturi securus. Timoia pirata cum quatuordecim biremibus de finitimis prædas agere solitus, re cognita Alburquerquium monuit opportunæ vrbis capiendæ occasionem non videri prætermittendam. Ille cognito piratam vera prædicare, salutaria monere cum classe in portũ inuectus haud ægre vrbem occupauit ad quartum decimum kalendas Martii. Longe alia Francisci Almeidæ decessoris sors fuit. Ad Bonæ spei promontorium epibatas & socios inter in littus aquatum & commeatum quærendum egressos & Æthiopes, quos Cafres vocant, concitata forte rixa, cum præsidio suis è nauib. accurrisset, in pugna periit durata præustaq; igne sude traiecto gutture. Crudelitas fati tanto viro non debita. Qui maiora sæpe pericula mari terraque euaserat, inuicta virtute magnam nominis celebritatem consecutus fuerat, gentis vilissimæ manu corruit. ipsa morte tristius mortis genus. Periit ipsis Kalendis Martii. Garsiam Toletum Albani Ducis maiorem filium expeditioni Africanæ ducem Ferdinandus destinarat, propter viri nobilitatem maiori auctoritate fore bellum prouidebat. Et quoniam Nauarri opera necessaria videbatur in Italiæ bellis, quæ maiori mole renascebatur. Aliquot menses abiere priusquam is ex Hispania discederet. Moræ impatientia Nauarrus & quia insueti cœli æstus & grauitas morbos inter milites vulgauerat, ad septimum Idus Iunii Bugia soluens Fauignanam abiit: quæ insula Lilybæo Siciliæ promontorio vicina Cosyra veteribus fuit. Eo Neapolitanæ & Siculæ triremes adiũctis plurib. aliis nauigiis ex antecondicto appulere. Ad octo millia militum quæ Bugia venerant, nouæ classis appulsu accessere alia sex millia. His omnibus copiis apparatuque ex ea insula sublatis velis intra paucos dies in Tripolis conspectum se dedere vrbis vltra Numidiam inter duas syrtes sitæ in prouincia, quam peculiari nomine dixere Africam, Tunetano antea Regi subditæ, nunc eo excusso imperio peculiari regulo seruientis, quẽ Xequem vocant. Circumfluo plurima ex parte mari, non ita latum à terra additum turrito muro & fossam permeante aqua munitum habet. Inerant milites & prouisi antea commeatus. Numidæ quoq; equites, aliiq; Mauri ad præsidiũ accurrere, prorsus vt par nostris numerus militũ in vrbe esset. Nauarrus tamẽ expositas in terrã copias, bifariamq; diuisas, partẽ cũ Mauris pugnare iussit, qui ad littus prodierãt nostros vt excensione prohiberent, reliquis data cura vrbem impugnandi. Præterea à mari militum & nautarum manus egressa cum scalis ea parte in vrbem transcendere tentarunt. Acris pugna extitit, duabus horis magna contentione pugnatum victis tandem fusisque Mauris, in vrbem admotis scalis, qua parte Victoriæ porta cernitur ferro est penetratũ. Ioannes Ramirus gẽte Aragonius nobilis genere inter primos muros scandit secuti cæteri noua intra vrbem pugna instituta, difficiliora omnia opinione inuenerunt. Acuebat Mauros desperatio haudquaquã iam de victoria solicitos sed ne inulti caderent decori exitus cura. Cessit virtuti rabies furorq;. Occisi ex Mauris ad quinq; hominum millia sunt, capti plurimi, atq; inter eos vrbis regulus. Neq; nostris incruenta victoria fuit. præter gregarios milites non paucos, nonnulli genere aut factis nobilissimi ceciderunt. In hoc numero è Cabreris alter patruo regio cubiculario & propria virtute promeritus, vt memoriæ inseratur. Rodericus item Porres tribunus militũ periit, & Christophorus Arriarã maris Præfectus, magnus animo, prudẽtia par. Vrbs diripiẽda militib. est tradita, id nauatæ operæ præmiũ extitit, profun-

do ventre cum cæteris victarum gentium ſpoliis eam quoque copiam merſuris, futuri temporis nulla cura. Claſſis præſidio relictis captiui dati ſunt, mercesque intra vrbem inuentæ. Eo temperamento Nauarrus quando militum ſitim opulentæ quamuis vrbis ſpolia non ſedarunt (qui enim poſſent) tumultum & rixas compeſcere ſatis habuit.

In bello Italico parum promouebatur. CAP. XXIII.

BEllum contra Venetos ducebatur, minori ardore quam antea. Conatus initio validi mora languerant. Rex Gallus receptis ſui iuris vrbibus ſe feſtinus in Galliam receperat: in Germaniam Cæſar bello inchoato neque finito, quando Taruiſini & Foroiulienſes atque Aquileia ſubiugandi ſupererant, Padua impoſitũ iugum excuſſerat. Veronam cum ſubiecto agro Galli obtinebant, oppigneratam, dum ſexaginta aureorũ millia redderentur à Gallo Rege in belli ſumptus mutua Cæſari data, adiecta lege vt niſi intra annum ea ſumma eſſet reddita, vrbis imperium ſuo iure retineret. Pecuniæ in ſtipendium difficultas maxima Cæſaris conatus retardabat. Socios vti in Cameracenſi fœdere ſanctum præſcriptumque erat, de communicanda ope appellare, dum communibus armis eas vrbes ſui iuris efficeret, Venetis ereptas ad imperium adiungeret. Cæſarei exercitus dux ſummus Analthi Princeps nulla auctoritate, exiguo numero militum, ꝗ debita ſtipendia non ſoluerentur. Æqua petere viſum eſt. Ita Carolus Amboeſa magnus Galliæ Magiſter valida auxilia communicauit: eaq; ope Vicentia recepta eſt ciuium deditione ad Cæſaris voluntatem. Neapoli Vincentium Capuanum Termenſtinũ ducem militari ſcientia præſtantem multis in rebus fidum antea expertus Ferdinandus Rex & cum eo quadringentos cataphractos miſit auxilio lectiſſimam manum ex eorum Hiſpanorum numero qui Neapolitana ſtipendia faciebant. A Pontifice nulli venere milites, nulla ſe lege teneri, vt auxilia mitteret, perſuaſo, ſiue in Gallum Regem ira Ducem Ferrarienſem hoſtem ſuum palam tegentem. Quod magis ſuſpicor Venetorum calamitate flexus ad miſericordiam, nobiliſſimam vrbem malis caſtigatam perire penitus non ferebat. Itaq; ſolutos anathemate quo erant impliciti, in gratiam fœduſq; accepit. Quod erat præcipuum, eorum ope vti volebat aduerſus Ferrarienſem Ducẽ quaſi Gallici patrocinii fiducia rebellẽ imperio. Odium acrius quam pro noxæ modo. Iis littoribus elluuie maris areſcente vnda ſal concreſcit. Ergo ſalem Comacii ditionis oppido conficere crimen erat, cum incommodo vectigalium quæ ex Pontificiis ſalinis ad Seruiam proueniebant. Præterea è mercibus quæ ſecundo Pado Venetias vehebantur, noua exigere portoria. Ab his initiis irritabili ingenio Pontifex euocatum Romam ad dicendam cauſam, ac venire recuſantem lege maieſtatis damnauit, principatus, quem beneficio eccleſiæ Romanæ obtinebat, iure decidiſſe. Ægre ſeueritatem Pontificis tulit Gallus Rex. vindicandi ardore Gallicos Cardinales & qui ſacerdotia obtinebant in Gallia, continuo Roma diſcedere per edictũ mandauit, niſi parerent atq; ſuas ſinguli eccleſias inuiſerent, ac per ſe regerent, annuorũ vectigalium mulctam comminatus. Ex his initiis magna diſſidiorum moles cõſecuta breui eſt. Et tunc Pontifex Venetis triremibus Genuam miſit Octauianum Campofregoſum, alioſq; Genuenſes exules, vt eorũ opera, ſuaq; auctoritate q̃ in ea vrbe obtinebat, quippe Sauonæ vrbe vicina natus, ciues ſub imperio Gallico quieſcentes ad mutandam fidem impelleret. Simul ſi quid ea diligentia in vrbe moueretur, Marcum Antoniũ Columnam Luca, vbi agebat, cum equitum & peditũ manu propius accedere, præſtoq; eſſe ad omnem rei bene gerendæ occaſionem mandauit. Conatui ſucceſſus defuit. A Venetis tamen Mantuanum dimitti è vinculis & captiuitate liberum impetrauit, idoneum hominem ratus quem Gallico, ꝗ meditabatur, bello ducem præficeret, fidei obſide eius filio, quem tradi ſibi voluit à patre belli Ferrarienſis cura Franciſco Vrbinati Ioannis fratris filio demandata eſt. Vniuerſam eam ditionem occupare armis ipſamq; vrbem Ferrariam Pontificibus Romanis quippe directis dominis reſtituere deſtinarat, Galli nulla cura in cuius tutela erat, & Dux eius auſpiciis bello diſtrictus. Belli initia lęta fuerũt, triſtis exitus. A Põtificiis enim breui quæcumq; oppida & arces Ferrarienſis in Aemilia vltra Padum obtinebat, armis præſidiiſq; ſunt occupata. Lucus circunſeſſa accurrit præſidio ex Inſubribus Chatillonius cũ trecentis Gallis cataphractis ad quartum Kalendas Auguſti. Eius aduentu Pontificii veriti vt pares eſſent, Lucẽſis arcis obſidione ſoluta raptim Forũ Cornelii abiere mæniũ & munitionis fiducia. Præſidio deſtituta oppida præſertim veteri imperio, incolis ſtudentib. facile ad ditionẽ Ferrariẽſis rediere: ſed belli fortuna alternante rurſus amiſit. Cardinalis Ticinẽſis Mutinã ciuiũ quorundã fraude porro occupauit Pontificis nomine. Rhegiũ finitimã vrbem ne pari arte caperetur ad idoneã militũ manum à

Ferrarienſi

Ferrarienſi miſſam, acceſſere à Carolo Amboeſa ſummo Gallorũ duce & rectore in Inſubribus, ducenti grauis armaturæ equites. Sic in præſentia periculum vitatum. Vrbinas Bononia munienda nauare operam, metu ne Gallici exercitus robur in eius perniciem incumberet, repentina vi aut poſitis iuxta caſtris. Aduerſus Gallorum conatus bellumq; vt in Inſubribus excitaret Heluetiorum duodecim millia in Italiam attrahere viſum eſt gentem ferocem virtute militari præſtantem, octo millia ſtipendiis Pontificiis conducta quatuor alia Venetorum ære. Gallos ex Inſubribus deturbare, ac vero ex vniuerſa Italia, Maximilianumque Sfortiam in Germania exulem & vagum in maiorum opes reponere deſtinatum erat. Heluetios deducendi cura data eſt Epiſcopo Sedunenſi & ipſi gente Heluetio, quo maior diligentia eſſet, iniecta etiam purpuræ ſpe. Maiores viribus Pontificis conatus erant, ſed ingenio ipſius conſentanei ſuapte natura turbido, inquieto, ardenti, cuius rei per totam vitam multa & magna documenta extiterant Sixti auunculi pontificatu magnus diſſidiorum artifex architectuſque Innocentio Pontifice Neapolitanis proceribus auctor arma in ſuum Regem ſumendi, vti fama tulit, Alexandro Pontificatum adepto Gallis, vt venirent in Italiam, & publicã pacem turbarent præſens perſuaſit. Sic omni tempore pacis ſe impatientem oſtendit, turbarum amantem, quietis tædio nouas belli cauſas circumſpiciens Pontificis conſilia nõ latuere Carolũ Amboeſam. Mediolanum copias retulit, ſi quid moueretur, eius certe vrbis & Genuæ imperio conſulere parans. ea incolumi ditione reditura alia. Diſceſſus tamen alia ſpecies erat. Cæſare abſente nullum operæ pretium extare, tantis laboribus & ſumptu profici parum, neque conatibus euentum reſpondere præſertim Venetorum viribus identidem auctis nouis ex AEmilia aliiſque regionibus ſupplementis militaribus. Reſtitit tamen Triuultius cum valida cataphractorum manu, ne ſine eo præſidio Cæſarei impares hoſtibus eſſent: ac ne durare quidem in caſtris & campis patentib. poſſent, quippe aduerſariis inferiores. Mutata fortuna belli rebuſque inclinatis is metus Germanos inuaſerat, vt Vicentiæ munitione diffiſi tormenta bellica ex ea vrbe eiuſque arce Veronam comportanda iudicauerint, maiori ſalutis cura quã laudis. Gonſalui vxor Maria Manrica eatenus Genuæ reſtiterat. Suſpecta Gallis eius mora eſſe cœperat, quoniam virum Pontifex non ceſſabat in Italiam euocare, honeſtiſſima conditione oblata imperii militaris ſuarũ copiarũ. Vt eam amoueret ſuſpicionem, per hoc tempus mari diſceſſit in Hiſpaniam. Ad cuius prouinciæ fines, qua Aquitaniã ad Oceanũ attingunt, Fonterrabiæ municipes cum Hõdaiæ Aquitani oppidi incolis de Vedaſi fluuii vtroſq; agros interfluentis Galliãq; dirimentis ab Hiſpania, poſſeſſione diſceptabant vtrius oppidi iuris eſſet, non parum ſæpe armis. In controuerſia à Regibus dati iudices ripa ſua cuiq; oppido attributa fluuium communem fore pronunciarunt. ſalutari temperamento quieuere tandem ii motus.

Pontifex Ferdinando Regi Neapolitanum regnum attribuit. CAPVT XXIV.

FErdinandus Rex Aragonios, Valentinos & Catalaunos Montionẽ ad generales conuentus euocarat, duodecimo Kal. Maii in edictis adſcripto, quo die præſto cuncti eſſent. In ſubſidium Africani belli, cuius cura proprie eam gentẽ attingebat, pecuniam ordinum voluntate redigere, erat propoſitum propter inopiam ærarii tot bellis exhauſti. Ineunte vere ne occaſioni definitoq; tempori deeſſet, Madrito diſceſſit. In eo municipio Ferdinandus nepos & Hiſpaniæ Cardinalis ſubſtitere, præterea regium conſilium. Regem proſecuti ſunt Aſſidonius & Petrus Gironius, eorum quæ iuuenili errore deliquerant, venia iam impetrata, & Sãlucari tamen Nieblæ, & Huduæ arces quaſi fidei pignora retentæ. Duobus adiuncti ſunt Magiſter equitũ Prieghi Marchio, atq; Vreniæ Comes officio in Principẽ incitati, an proſequi eũtẽ iuſſi ne turbas cõcitarẽt. Hoc comitatu Cæſarauguſtã appulſus Montionẽ inde abiit. Magna gẽtis frequẽtia conuenit, ꝙ ii primum generales conuẽtus Ferdinãdo Rege in ea gente haberẽtur. Antea enim ſingulæ prouinciæ Aragoniis Regib. ſubditæ, per ſe ſuos conuentus agitarãt. His reb. diſtrictus quamuis Rex belli Africani atque Italici curã animo cõplexus à Rege Gallo imprimis cõtendebat, vt ſancita ante annos aliquot in fœdere lex de regni Neapolitani ſucceſſione, nulla ex Germana Regina ꝓle noua cẽſura immutaretur. His poſtulatis Gallus aures nõ accõmodabat ſpe cõcepta id regnũ obtinendi niſi iure & cauſa certe armis. Sic Ferdinãdi conatꝰ inanes extitere, præſertim Rhotomagẽſi Cardinali per hoc tẽpus defuncto, cuius penes Gallum præcipua gratia erat & reb. omnibus auctoritas, ſtudium haud obſcurum Ferdinando gratificandi, in iis quæ publicæ pacis intereſſent. Hac cura Ferdinando anxio ac dies nocteſque varias cogitationes animo verſanti optimũ fore viſum eſt, odium Pontificis in Gallum conceptum in ſuum commodum conuertere, atque occaſionem ſuã facere. Prudẽs Princeps, qui quamcũq; rẽ è publica vtilitate fore prouidet, ea vtitur modo honeſta,

Vt Pontificia auctoritate ipſi & poſteris regnum Neapolitanum quaſi Romanæ eccleſiæ beneficium confirmaret, poſtulat. Graue id initio Pontifici viſum eſt, neque ea indulgentia præiudicatum Gallo Regi quamuis infenſo volebat. Deinde auctis odiis, bellis quæ erant in manibus & maiora meditabatur, ope ex Hiſpania iuuari expetens animum flexit: atq; vt indulgentiæ maior gratia eſſet, ita poſtulatis annuit vt amplius nihil deſiderari poſſet, ne ſi Ferdinandus arbitrio ſuo diploma fingeret. Ab Alexandro Pontifice Gallus parte eius regni conceſſa fuerat Neapolitanus & Hieroſolymitanus Rex dictus, vti ſuperius eſt indicatum. Id decretum mouere præſertim Rege inaudito erat plane difficile, neque exemplum ſatis probabile. Ad artes conuerſo animo pronunciare viſum eſt, Pontificium beneficium irritum videri redditum dupliciter honorario vectigali ab eo Rege, vti erat iuſſum, nunquam repræſentato, præterea abſq; Pontificis venia, cuius eæ partes erant, de regno Neapolitano ſuperiori fœdere cum Ferdinando facto. Dignum videlicet abdicatione facinus. Hac pronunciata Pontifex ſententia, quod erat conſequens, regnum Neapolitanum Ferdinando & ſucceſſoribus confirmauit vniuerſum, ea lege vt Petri & Pauli feſto die annuas octo millia auri vncias in Pontificium ærarium inferret, quolibet triennio equum candidum daret, in præſenti quinquaginta millia aureos. Tantundem ſucceſſores cum primum Reges eſſent à Pontificibus dicti. Enimuero repetitæ in Ferdinando eæ leges ſunt nihilo mutatæ, quibus Carolo eius nominis primo id regnum fuerat olim à Pontificibus delatum. Sed & eæ leges ineunte menſe Iulio impoſitæ à Pontifice & Cardinalium collegio, paulo poſt mitiori cenſura caſtigatæ ſunt omnino ad ſeptimum Id. Auguſti. Remiſſo enim annuo vectigali & quinquaginta aureorum millibus, equum candidum quolibet triennio repræſentari ſatis habuere, ac quoties in Pōtificia ditione bellum eſſet auxiliares mitti trecentos grauis armaturæ equites: qua vna è pactis antea conditionibus decedere non placuit, quoniam ea ope in bello Ferrarienſi vti deſtinabant. Sic in præſenti decidere. Annis conſequentibus à Leone Pontifice imperatum, vt ii Reges annua ſeptem aureorum millia penderent, veniæ pretium Carolo Auguſto conceſſæ imperii Romani nomen cum eo regno iungendi, contra quam leges olim Andegauenſibus & Aragoniis Neapolitanis Regibus impoſitæ ferrent. Gallo Regi graue accidit, Neapolitana iura ea indulgentia à ſe in Hiſpanum translata. Ferdinandi ſe fraude deluſum, Pontificis iracundia violatum accuſare: vindicaturum ferro niſi eſſet id decretum abrogatum. De quo eius legatus coram Ferdinando Rege grauiſſime expoſtulauit Montione: vbi Aragonii conuentus erant diras minaſq; deteſtatus. Inani verborum ſonitu noſtri parum mouebantur. In iis conuentibus Idib. Auguſti ordinum voluntate in bellum Africanum quingenta aureorum millia decreta ſunt, ingens ſumma ſiue tēpora conſideres, ſiue gentis immunitatem. Sed tanti erat impiam gētem bello opprimere. Auxit ſtudium animorumque ardorem nuncius iis dieb. de capta Tripoli allatus. Additum nouo decreto, ſi Regem priuſquam conuētus eſſet ſolutus, alio aut belli cura aut Caſtellæ rerum procuratio euocaret, vt Germanam Reginam pro ſe conuentui præficeret. Facta etiam eidem copia denuo, ſi res ferrent, gentes ad conuentus euocandi, modo eam Rex pro ſe vicariam reb. in eo regno gerendis nominaret. Sancitum præterea vt in ea gente collegia ſoluerentur ciuium ante annos aliquot inſtituta latrociniis & cædibus vindicandis. Ab nullo non genere periculum non eſt, ſi cætus & conſilia & ſecretas cōſultationes agitare permittatur. Sæpe etiam quæ ſalubriter inſtituta erant, abuſu hominum & ipſo tempore deprauatur. Affuere conuentibus, vti erat neceſſe, Antonius Auguſtinus Vicecancellarius & Ioannes Nuza Aragonum Iuſtitia. Prima vox Alfonſi Aragonii Cæſarauguſtani Præſulis fuit. In procerum ordine primi aſſederunt Belchiti & Arandæ Comites. Inter nobiles Michael Gurrea, & Michael Pereſius Almaſanius. Acceſſere procuratores Aragoniæ Valentiæq;, atq; earum vrbium & municipiorum, quibus ius ſuffragii gentis inſtituto in conuentib. dari ſolet. Legati Principum atq; è Caſtella, Neapoli, & Sicilia proceres magno numero Montione verſabantur, conuentus quidem expertes, familiæ apparatu & ſplendore veſtium elegantiaq; inter ſe certantes clari nobilitate opibus magni.

Garſias Toletus in Gerbis inſula occiſus. CAPVT XXV.

AD Malacam Bæticæ vrbem inſtructa claſſe vt Garſias Toletus in Africam tranſmitteret bello dux vrgebat Ferdinandus Rex. cunctabatur ille metu peſtis Bugiæ graſſantis. Ita non ante adultam ęſtatem conſcendit claſſem, qua ſeptem hominum millia vehebantur, validum ſupplementum. Mollib. tempeſtatib. Bugiam vētum breui, ibi claſſis partem & tria militum millia reliquit vrbi pręſidium. Dieghus quoq; Vera rebus vrbanis compoſi-

compoſitis,ex eo portu ſoluit comes nauigationis, vnaque in Tripolis portum ſedecim intulere naues. Opportunus eorum aduentus extitiſſe videbatur. Petro Nauarro octo hominum millibus in ſuam claſſem iam impoſitis propediem petituro Gerbim Tripoli ad occaſum diſſitam trecentis circiter millibus inſulam præcipuam & maximam earum, quæ Africæ littoribus adiacent. Veteres Menyngem, Girbamque dixere. Iouius Girapolim, vnde? Campi plani atque arenoſi, palmetis & oliuetis impediti grata oculis viriditate. Continenti proxima eſt adeo, vt ponte cum Africano littore iungatur. Circuitu ſedecim amplius millia collegit,aquæ penuria, nullis fontibus, oppidum nullum villæ tantum & ad mare arx Principis domicilium.Tunetano olim Regi ſubdita, tunc peculiari regulo ſeruiebat, quem lingua gentis Xequem dicunt. Nauarri conſilio probato breui cum copiis, quæ ad Tripolim erant, & claſſe eo diſceſſere. Venere in conſpectum ad quintum Kalendas Septembris die Iouis, Auguſtini memoria ſacro. Milites nullo repugnante in terram deſiliere inſulam inter & continentem ad locum cui Pōtifracto eſt nomen. Copiis omnibus in ſeptem agmina tributis, Garſias Toletus quamuis ſummam imperii militaris obtinebat,in prima acie cum peculiari nobilium manu ipſum ſecuta curare voluit.Quidam repugnante Nauarro defendunt, fama frequentior conſenſiſſe damnat fortaſſis, vt ſine æmulo imperaret, aut potius ne ardenti iuueni repugnando rixam concitaret.Maurus ſub ſignis habebat equites centum & quinquaginta pedites ad duo millia,pleroſque tamen inermes ſudibus & cōtis armatos,debilitatos metu,prorſus vt ne veniretur ad manus fœdus appeterent oblatis honeſtiſſimis conditionibus, quas noſtri gentis contemptu ſpe certa victoriæ repudiarunt. Poſt meridiem mouere agmina ardēti iam ſole, pene vt flammæ excitari in nudo & arenoſo ſolo viderentur. Ab imperitis hæc ad nomen infelicis exitus vertebantur. Quod in pace fors & natura, in periculo prodigium & ira Dei eſſe creditur. Æſtus & pulueris impatientia laborare omnes ſine ſenſu & ſine mente,in terram abiecti non pauci præ ſiti periere. Aliquanto ſpatio progreſſum erat, cum primum agmen ad palmeta quædam peruenit. Ibi cōſpicati milites parietinas, atque ex eo ſuſpicati eo loco puteos eſſe retineri non potuerunt quin deſertis ordinibus relictiſque ſignis ad explendam ſitim frequentes concurrerēt. Mauri è propinquo conſpicati noſtrorum turbationem, ſuamque occaſionem rati in vagos & palantes dedere impetum.Garſias & cæteri equites,in pedes deſtituti arma expedire. Animaduerſo periculo quidam vt deſiſteret,ſeque retro referret monere.Apage tantum nefas, ait, Inferte milites gradum. An huc proceſſimus vt terga vertamus? Vitam eripere ſors aduerſa poterit,nos tamen non comittemus vt noſtræ nobilitati macula inuſta, officii obliti videamur.Illud cauete ſocii ne inulti ponamus animam,nemo niſi in hoſtem verſus cadat. Ea ſuprema cura eſto. Hæc flagrans oculis, væcordi voce dixit ſimul de Aragonio quodam nobili,arrepta militari haſta in Mauros ingruentes inuaſit.Neque ducis verba,neque virtutis exemplum mouere milites. Auerſi in fugā ferme omnes continuo terga dederunt. ſenſum excuſſerat metus,proximo exitio pudore validior. Mauri cuneo facto in noſtros inuecti primo impetu ex promptiſſimis quatuor peremerunt, Garſiam Toletum, Garſiam Sarmentum, Loayſam, & Chriſtophorum Velaſquium præcipua omnes nobilitate ordinum ductores. Fugientium conſternatio tanta extitit, vt agmina integra, quæ retro ſequebantur, trepidatione turbarent, denſi & conglobati perfringerent ordines, prorſus vt omnes fugam arriperent. In eo periculo Nauarrus, quoniam nihil aliud ſupererat, præſidium à prudentia petens, agmina Dieghi Paciechi, & Egidii Nepotis quę in ſubſidiis ſecum reliquerat,locis idoneis inſeſſis,qua noſtri fugiebant,hoſtes tranſitu prohibere mandauit. Salutare conſilium ne cuncti ſimul perirent. Alioqui inopinato caſu turbata Nauarrus mente tanti quamuis vſus dux, quaſi officii & virtutis oblitus inter primos claſſem conſcendit. Mollior interpretatio, & fortaſſe verior, triremes, quæ propius littus in alto erant, vt milites acciperent pro imperio efficere voluiſſe. Multi enim deficientibus ſcaphis ad natantes quoniam metus miſericordiam non recipit, conſcenſione in naues prohibiti inter fluctus peribant, in rabiem deſperatione verſi talesque nautis & militib. in periculo ſocios & commilitones precantes. E noſtris quatuor millia deſiderati ſunt qua cæſi qua capti. Nobiles maxime pręter ſuperiores perierunt Alfonſus Andrada,Santangelus, Melchior Gonſaluus Aragoniæ Conſeruatoris filius, aliiq; genere & factis eximii. Garſiæ corpus victor ad ſe delatum aliquanto poſt, quoniam intelligeret è præcipua Hiſpaniæ nobilitate ac Regis eſſe propinquum in ligneo loculo ſeruari: facturumque quod placuiſſet, ad Hugonem Moncadam Siciliæ Proregem ſcripſit. Garſiæ filius Fernandus Aluarus Toletus in tenera à patre ætate relictus accedentibus annis in eximium bellatorem euaſit, atque ita vt nulli

duci nostra & parentum ætate priores concessisse videatur magnus animo par pruden-tia felicitateque. ingenium paulo asperius & morum seueritas nocuit, ne cum quolibet antiquorum ducum conferatur. Garsiæ pater Fridericus Ferdinandi Regis consobrinus fuit. Auus Garsias primus ex ea familia Ducis nomen & honorem promeritus. cuius pater Fernandus Aluarus Toletus patrui Guterrii Toleti Archiepiscopi Toletani dono Albani municipium non procul Salmantica accepit, Comitis nomen Regis beneficio. Nauarrus priusquam ex hostili littore solueret Egidium Nepotem & Alfonsum Aquilarium ad Regem ablegauit nuncios & testes cladis acceptæ. Ducem occisum, plerosque milites periisse, grauiorem clade ignominiam. Dein triremibus Neapolim amandatis, vti erat iussum, cum reliqua classe aduersis quamuis tempestatibus per octo iactata dies, Tripolim tenuit ad tertium decimum Kalendas Octobris. Ad eius vrbis præsidium tria militum millia reliquit duce Diegho Vera. Parem numerum ætate aut vulneribus graues plerosque etiam integros missos fecit. Cum classe & quatuor millibus ex omni copia delectis ad vexanda Africæ littora processit Gerbim inter & Tunetum. Idoneum nauigationi tempus non erat: continuis procellis sæuienti mari, ad Lampodosam seu Lopadusam dum hyemis sæuitia remitteret, classem & militem continere necesse habuit, vnam ex insulis, quæ Africam inter & Siciliam obiacent. Safinum in ora Africæ Lusitanis subditam vrbem fine huius anni innumera Maurorum impugnabat multitudo. Venere ex Madera insula militum numeri. Opportuno auxilio confirmatus Ataydius præsidio præfectus vrbe acerrime defensa Mauros conatu abscedere compulit. Soluta obsidione in vicinos Maurorum agros irruptione facta, Almedinam vsque prædabundus processit triginta duobus millibus nihilominus dissitum oppidum. Variæ pugnæ cum Mauris factæ. magnam hominum pecorumque post collectam prædam tamen in reditu hostibus magno numero circumfusis amisere. Magna alioqui virtute dux consequenti tempore sæpe Mauris molestus & grauis extitit; aliquando ad ipsas Marrocii vrbis portas prouectus maiori aliquanto audacia quam fructu, facinus quod laudarent multi, cautiores accusarent. Sic sunt hominum tum facta tum iudicia. Pari studio in opere versabantur Ioannes Coutignus Arcillæ Præfectus pro patre Vasco Coutigno Borbæ Comite. Item Petrus Sosa cui Azamoris credita custodia erat. Duces apprime pugnaces Lusitaniæ ditionis fines & laudem gentis extendere in Africa non cessabant, latissima prouincia in multa diuisa imperia nulla imperantium concordia, eoque prona in exitium, neque par Hispaniæ futura, si pace Principes facta iunctisque viribus in eam curam incumberent impiæ gentis extirpandæ.




Libri vigesimi noni Finis.

IO. MARIANÆ HISPANI E SOCIETATE IESV, HISTORIÆ DE REBVS HISPANIÆ, LIBER XXX.

Quidam Cardinales ab auctoritate Pontificis discesserunt.

CAPVT I.



No ferme tempore Ferdinandus Rex solutis Montione Aragoniis conuentibus per Cæsaraugustã sese in Castellam retulit, & Iulius Pontifex Roma digressus Bononiam festinauit Galliæ Cisalpinæ vrbem primariam vterq; re necessaria. Regi deliberatum erat Castellæ conuentibus interesse, ad quos per edictum Madritum gẽtem antea euocarat. Maior tamen cura belli Africani suberat: quo se iturum videri voluit acceptæ vtriq; ad Menyngem insulam cladis in vindictam inflammatus. Bellum Italicum animo porro & cogitatione versabat: quo singuli Principes vocabant eius opem flagitantes certa victoriæ spe in quamcumque se partem dedisset præcipua auctoritate par opibus. Vni se respublica totam tradiderat temporib. coacta & intestinis dissidiis, quam late Christianorum nomen patebat. Pontifex Bononia, quo Septembris fine peruenit in bellum Ferrariense maiori conatu incumbere destinabat: in quo Vrbini Dux copiis Põtificiis Præfectus parum eatenus promouerat. Hostis & suo apparatu diligentiaq; confisus, & Galliæ opib. superbus & contumax, Pontificios vrgendo coegerat, sese prope Mutinam munitis castris tenere. Spe aliquantum sustentare posse, metus amplior. Madriti Ferdinandus pridie Nonas Octobris coram Cęsaris & Caroli Principis legatis atq; Pontificis Nuncio, vti Blesis in fœdere sancitum erat, cõceptis verbis Castellæ commoda pro eo ac par erat, procuratorisq; munus exigebat, curaturũ se iurauit. De Pontifice & gallo cura anxius, qua ratione vtriq; satisfaceret sine alterius offensione mediã personam sustinere statuit. Ita Fabricio Colunę mandat vt è Neapolitano equitatu trecentos grauis armaturæ equites ad Pontificias copias adiungat, cum eo tamen ne Gallicis finib. inferatur bellum, contra Ferrariensem iuuare satis habeat. Ea ope quãuis necessario præstita quippe debita Neapolitani regni caussa & iure, ne Gallus offẽderetur; quasi exæquata lãce Villamarino maris Italici Præfecto cura data vndecim triremes recens à Nauarro ex Africa missas in Ligurię oram ducendi, eoq; præsidio Genuenses ciues frænandi, ne Gallici imperii iugum excuterent: q̃ moliri videbantur. Termenstinus Veronæ agebat cum quadringentis equitib. eius curæ cõmissis, Hispani Regis stipendio Cæsaris ex commodo bellum gerẽs. Eam vrbem positis iuxta castris acri conatu impugnantes Venetorum copias numerosas quamuis & validas soluta obsidione in pacata sese referre tum præsidii virtus compulit, tũ Caroli Amboesæ cum quadringentis cataphractis obsessis opitulatum festinantis metus, ne à tergo & a fronte circũuenti pares vtrisq; nõ essent. Maior aliunde atq; atrocior tẽpestas extitit. In discessu Pontifex Romæ Cardinalib. edixerat se vt cuncti sequerẽtur nulla excusatione accepta. Eorum quidam ingenii Pontificii asperitate offensi, an consiliis occulte cum Gallo communicatis, atque in rerum nouarum studium incitati Neapolim abire cogitarunt. Appellatus de ea re Prorex Cardinales finib. accipere detrectauit molitiones fortassis odoratus. Sic mutato consilio & re necessaria Florẽtiam processere. In ea vrbe Bernardini Carualii tentata valetudo ipsi & sociis subsistendi opportunam occasionem prębuit. Non cessabat tamen Põtifex vt ad se cõtinuo venirent, in dies flagitare, ipsa flagitationis importunitate suspectior, subesse profecto fraudẽ aut consilia vulgata. Eo metu alias ex aliis nexas moræ caussas excusare, quẽ cursũ cõmotæ res habiturę essent expectãtes. Nã quo tẽpore Põtifex

Bononiæ erat, eius copiæ Mutinæ, magnus Galliæ Magiſter facinus aggreſſus eſt magis ad nominis famam celebre, quam ad laudem. Cum quadringentis equitibus, quos Veronam duxerat, ea ſoluta obſidione, flexo repente itinere adiunctisq; aliis ducentis equitibus, qui Rubieræ erant, Bononiam improuiſus acceſſit vrbem occupare ſatagens. Vires conatui impares Bentiuoli ex ea vrbe profugi ſubleuabant expeditionis comites atq; factionis opibus polliciti continuo venienti portas patefactum iri. ſpei euentus non reſpondit. Pontifici tamen & Cardinalibus vt in tali periculo, ingentem metum incuſſum opportunus Fabricii Columnæ aduentus depulit, ciues in officio confirmauit, Gallorumque ſpiritus fregit penitus: atque ita vt obſidione ſolutâ retro cõtinuo redierint. Abeuntes & trepidos vrgere Fabricius noluit in tergis hærens memor regii mandati, Gallos non eſſe laceſſendos, neque eorum conatus ad gratiam cuiuſquam vindicãdos. Nouæ ſubinde ſpes, fœdi conatus excepere, vix priori metu ſedato. Grauis repente morb. in ea vrbe Pontificem inuaſit. Sanitate à medicis deſperata turpi Patres ambitu prehenſare inter ſe, nulla decoris memoria nulla probitatis & modeſtiæ, præ cupiditate aſſequendi q animis deſtinarant, ſummum honoris faſtigium. Recreata Pontifex valetudine indicatas molitiones ægre, pro eo ac par erat, tulit. quin Patres ad ſe ad quartum Idus eius menſis euocatos graui increpatione caſtigauit. Se ſuperſtite de ſucceſſore agitaſſe. dignum vindicta commiſiſſe facinus. Et ſunt inuiſi ſuſpectique dominantibus qui ſuccedendi ſpem importuno tempore præſumunt. In poſterum ergo ſeuero edicto ſimoniaca labes coercita in electione Pontificum: q edictum initio pontificatus perſcriptum eatenus promulgare varias ob cauſas diſtulerat. De Patribus cura creſcere, qui ad Florẽtiam ſubſtiterant, neque iuſſis obtemperare voluerant. monſtri ſimile aliquid profecto verſare animo neque ceſſaturos priuſquam orbis Chriſtiani pacem turbarent. Itaque, q ipſi expetierant, facile dabat, vt Neapolim migrarent in metu benignus & placidus. Recuſarunt illi vlterius progreſſi, quam vt reuocare gradum facile eſſet. Duo quin etiam ex eo numero Bernardinus & Coſentinus Ticinum abiere certa ſententia generalem Epiſcoporum conuentum indicendi. Inſolẽti facto ſpecies obiecta honeſta ſcilicet eccleſiæ moribus, qui nimium prolapſi erant, caſtigandi acriori cenſura, ipſoque Pontifice ſi opus eſſet abdicando non minori præſidio opus eſſe. Præclari quidem conatus, ratio præpoſtera magniſq; incommodis obnoxia Gallus & Cæſariis ſe conſiliis miſcuere paucorum temeritas patroni Ferdinando etiam Rege tentato ſi poſſet in eam fraudem induci. Bleſis ſane nouo Cæſarem inter & Gallum fœdere per idem tempus conſtituto opera Matthæi Langi Gurſenſis Epiſcopi, qui Cæſari a ſecretis erat gratioſus & familiaris, acceſſit etiam in partem Cabanillas Ferdinandi legatus, ſed cum mandatis, ne quid in Pontificis dignitatem decerni pateretur. Parum tamen ea cautione præſtitum eſt. Inter cætera eius fœderis capita, expreſſum debere quidem reliquos ſocios virib. iuuare Cæſarem dum ditionis Venetæ partem ſui iuris, obtineret armis: ſic Cameracenſi in fœdere præſcriptum fuiſſe. hactenus non male. Additum tamen vt Põtifex iure potius quam armis cum Ferrariẽſi diſceptaret. Si parere ſalutaria monentibus obteſtantibuſq; recuſaret, à Cæſare in Germania eius nationis Epiſcoporũ cõuentus agitarentur nationales, idemq; in Aragonia & Caſtella fieret ad ea conſtituenda q paulo ante Gallicana eccleſia ſanxerat Aureliæ primum deinde ad Turones conuentu gentis habito. Miſeram temporum labem à profanis Chriſti Vicario leges imperandi præſcribi. In vno peccato quot & quanta extitere peccata? ſed præcipua capita erant, quibus pontificatus propemodum redigebatur in ordinem vt Gallici ſacerdotes, ne exceptis quidem Cardinalibus aut in Pontificis familiam adſcriptas ſuas ſinguli eccleſias regerent, in Galliam reduces. Si repugnarent intercepti annui redditus in templorum alios vſus & commoda verterentur. Exitiale decretum eccleſiæ paci inimicum, diſſidiorum fons. Pontifici vſq; adeo graue, vt diris & anathemate deteſtatus fuerit, quicumq; impio decreto obtẽperaſſent. Ac nominatim magnum Galliæ Magiſtrum atque Triuultium cæteroſq; duces Gallica in Italia ſtipendia facientes, ad hæc quicumq; eccleſiæ Gallicanæ conuentibus intereſſent. Ne Ferdinando quidẽ Regi, Bleſis recens ictum fœdus placuit: neque Gallicanæ eccleſiæ damnatum exemplum, ne importuni quidem Cardinalium conatus. Ac potius Cæſarem pro neceſſitudinis iure ab ea mente deductum Pontifici conciliare & cum Venetis in pace ponere tentauit. Quo tẽpore de Ioanna Neapolitana Regina Carolo Sabaudo Duci iungenda actum eſt. Ferdinãdus Reginæ auunculus coniugii conciliator præcipuus ducentis aureorum millib. in puellæ dotem cultumq; deſignatis. Ita quaſi re confecta ſe illam Sabaudię Ducem dixiſſe huius temporis tabulæ indicio ſunt. Neque tamẽ id coniugium coaluit, qua cauſa incertum ſuſpicor Reginæ ætatem diſplicuiſſe annis prouectæ: ac conſequentib. certe annis

Beatricem

Beatricem Lusitani Regis filiam Carolo iunctam constat. Neapoli anni fine tumultus ex titere plebe ad arma consternata offensaque vehementer aduersus Inquisitores qui more ex Hispania translato cæperant in ea vrbe iudicia de religione exercere, maiori seueritate quam mores gentis reciperent. Ii erant Andreas Palacius Inquisitor, & illi adiunctus Archiepiscopi Vicarius. Malo commotos populares frænare non licebat. Sæuiente indies motu Prorex per edictum Iudæos omnes quique ex ea gente Christianis sacris abdicatis ex Hispania non ita pridem venerant, quorum erat magnus numerus, eius regni finibus arcuit. Exilio parando proximus mensis Martius designatus. Ea colluuione pulsa ciuium ac vero totius prouinciæ in veræ religionis constantia & animorū pietate satis perspecta Inquisitionis & rem & nomen minus videri necessaria: proinde cessare & amoueri sancitum. Et vtiq; periti sæpe naucleri sæuientis pelagi fluctibus quandoq; obniti non audent, ventorum violentiæ cedunt. Pontifex ipse, cuius maxime dignitati Inquisitores seruiunt, ne incommodo tempore eo constituto tribunali turbarent tranquillitatē gentis, auctor erat. Sic populus conquieuit.

A Gallis Bononia occupatur. CAPVT II.

GAllus Rex Ferdinandum suspectum habere cæperat, ne Pontificis partes subleuaret cum eo nouo fœdere facto. Heluetiis magno numero Pontificis auro cōductis ne in Mediolanenses fines bellum verteretur, porro metuebat. Ea cura Pontificē placare constituit sibiq; adiungere interprete atque annitente Francisco Alidosio Ticinensi Cardinali, qui multum apud eum gratia & auctoritate poterat. In bellum Turcicum equitum peditumq; validis copiis oblatis, Ferrariēsem præterea pollicebatur redditurū Pontifici Centū Plebemq; agri Bononiensis oppida, annuaq; quatuor aureorū millia repræsentaturum vectigal pendi antea solitum. cęterum quo ab Alexandro Pontifice fuerat liberatus, eaq; oppida acceperat, dotis nomine vtrumq; cū vxore Lucretia Borgia. Adiecit decessurum omnibus oppidis, quęcumq; in Flaminia obtinebat. Honestæ conditiones, nisi Pontifex animo speque vniuersam Ferrariensis ditionem cōplexus esset. Obfirmatur animus quem ingens spes percellit. Mutina occupata Rhegium Lepidi & Rubieram haud longinqua oppida adiicere cogitabat propediem. Pōtificis conatus grauis Cæsari extitit Mutinam & illi contributa oppida imperii beneficiū Ferrariensi datum quasi stipēdiario detrahi se inscio, ne dum auctore. Monuit ne vlterius progrederetur, ac Mutinā potius sibi redderet: alioqui iniuriam curæ fore. Monuit ea denunciatio Pontificem facileq; adducebatur Mutinā Cæsari dare, sed cum eo si retineret sibi, certe ne eā Ferrariensi traderet, multo minus Regi Gallo. Ferdinandum belli Africani cura imprimis solicitabat: neque Italiæ motus negligebat quasi ex specula in omnes dispiciens partes. Ita Termēstino quoniam Cæsare absente, nulloq; idoneo exercitu parum ad Veronam proficiebatur, vt Neapolim rediret cum suis equitibus mandat. Fecit ille ꝙ iussum erat, ex itinere à Pontifice quem ad Bononiam inuisit, benigne acceptus cultusq;. Madrito Rex reb. aliis omnibus prætermissis Hispalim abiit ineūte salutis anno mill. quingentesi. vndecimo in apparatus 1511
plane Africanos intentus. Cladē ad Menyngem acceptam vindicare destinātem nouum præterea incommodum amplius irritarat, Vilanello tribuno ad Querquensiam insulam cum quadringentis militibus, qui aquatum egressi erant, obtruncato à Mauris: qui noctis silentio & tenebris tecti inopinantes & somno sepultos oppresserunt ipso Matthię Apostoli festo die. Pontifex quoque media hyeme, quæ fuit præter morem sæuissima, bello Ferrariensem ditionem fatigabat. Et quoniam eius & Venetorum copiæ parum proficiebant, vt erat ardens animus, mora omnis grauis, ipsemet nulla valetudinis memoria Bononia digressus Mirandulam impugnatum abiit. In qua obsidione accidit vt Pontificis de belli ratione cum aliis Patribus deliberantis tentorium euerteret globus tormēto ex arce eiaculatus sed citra cuiusquam noxam, eorum qui aderant Patrum. Rei gestæ & diuinæ indulgentiæ monimentum pila ipsa in templo Lauretano celeberrimo appensa capitis humani magnitudinem exæquans in hunc diem coram beatę Virginis signo visitur, cui salutem acceptam Pontifex tulit. Intra id vtique oppidum Ludouici Pici Comitis vxor viro defuncto verita animum Pontificis irati irritati periculo, & vt viribus par esset, quamuis mœnibus armisque munita commeatuque instructa, id dedere tamen constituit. Ab eo initio obfirmato amplius Pontifex animo quasi certa victoria Bononiam ipse discessit, ad obsidendam tamen Ferrariam militem amandauit. Accessit Andreas Gritus cum Venetorum auxiliis. Conatus inanis fuit. Ferrariensis validis copiis & omni bellico apparatu instructus, atq; magno Galliæ Magistro cum equitatu, quem ad Veronam habebat, se se ad Padi ripam ostentante, dimicandi decreto, si opus esset, effecit vt Pontificii se se necessario retro referrent vtrisque viribus impares futuri si ad manus ventum

eſſet. Eo depulſo periculo Galli flexo itinere Rhegium abiere: vbi Gaſto Fuxenſis curare vrbemque tueri iuſſus erat, præclara indole iuuenis regia nobilitate. Mutina ne eodem impetu caperetur, quamuis ſupremo à Gallis conatu impugnata Marci Antonii Columnę virtute & diligentia factum eſt, eam vrbem præſidio Pontificis nomine obtinentis quamuis deditam iam expetenti Cæſari auctore Ferdinando Rege. Pontifex quoniam priores cõnatus non ſucceſſerant, denuo in ditionem Ferrarienſis incurrere ſtatuit. Rhauenna vrbs commoda viſa eſt, per cuius fines Pontificiæ copiæ progrederentur, certiori (quippe mare proximum eſt) Venetæ claſſis ope, commeatu parato. Hoc conſilio Bononia cum copiis rurſus diſceſſit. Euentus priori nihilo melior. Victi quin etiam Pontificii repulſique, neque claſſis Veneta aduerſo Pado in hoſticū penetrare eſt auſa: hoſtilibus tormentis in ripa eius fluminis diſpoſitis memoria ſuperioris temporis cautiores, ne inſignis aliqua clades rurſus acciperetur verebantur. Quo tempore Carolus Amboeſa Chaumontius regulus, magnus Galliæ Magiſter ex morbo Rhegii deceſſit ad tertium Idus Februarias. Menſe proximo Pontifex Rhauennæ nouem creatis Cardinalibus ſenatum ſuppleuit. In eo numero Sedunenſis Epiſcopus lectus eſt, natione Heluetius, tum Gurſenſis antiſtes à Cæſare tunc in Italiam legatus de controuerſiis, quæ illi cum Venetis, cum Gallo, & cum Pontifice erant. Vtrumque purpuræ honore dato promereri placuit, atque in partes traducere. In Chaumontii locum ſubſtitutus Triuultius militari prærogatiua, dū noua à Gallo venirēt mandata & ſua ſpōte & Mirādulæ Comitis, quippe ex ſorore natæ, iniuria prouocatus dolorē vindicare cōſtituit. Præclara occaſio ſe ſe dedit Bononiā vrbē occupādi diſceſſu Pontificis præſidio vacuā, certe neq; valido neq; vigilanti munitā, ac potius in ſocordiam reſoluto. Aduolauit cū milite Triuultius vrbemq; nulla difficultate obtinuit. Vrbinate præſidii pro Pontifice Præfecto cum militib. ac reliquis ducibus raptim profecto quoniam in repentino metu parem ſe hoſti præſertim à parte ciuium adiuto fore non putabat. Diſceſſit etiam Ticinenſis Cardinalis Rhauennamque abiit, vbi apud Pontificem patruū Vrbinatem accuſare acerrime nō dubitauit. Tantum gratia poteſt; quæ leui momento circumagitur apud Principes maxime. Eius culpa amiſſam Bononiā affirmare: ac vero conſilia in Pontificem cōmunicaſſe cū Ferrarienſi: cui ex arcano bene cupiebat, Eleonora vxore ex Iſabella Ferrariēſis ſorore nata quæ Franciſco Mantuano nupſerat. Non latuit ea ſiue calumnia ſiue accuſatio Vrbinatē. Sic fert aulæ conſuetudo, vt nihil occultum eſſe patiatur plena delatoribus. Inuidia eo nocentior quo magis ex occulto graſſatur. Ergo in vindictam præceps die quodam in Cardinalem ad Pontificem euntem, quamuis multis aſſeclis atque in iis aliquot centurionibus ſtipatum, in platea cum armatis irruit, adactoque in viſcera gladio peremit. Quid Pontificis beneuolētia profuit? quid purpuræ ſacræ pares opes? Inſignis audacia, ſed tanti iracundia fuit. Ne impii parricidii pœnas daret, patruus Pontifex valuit: neque defuere ſermones exiſtimantium, vt ſunt hominum varia iudicia, prona in deterius hominum perſuaſio, id facinus conſcio profecto, atque auctore Pontifice fuiſſe factum, ſimulata fuga compoſitam inter duos atque peractam fabulam.

Ab aliquot Cardinalibus Epiſcopi ad concilium euocati. CAP. III.

SVperioribus comitiis pontificiis clauſi intra cōclaue Patres conſenſu pro ſe quiſq; ſacramento ſunt polliciti, quicumq; eorū eſſet Pontifex renunciatus intra bienniū Epiſcoporū è toto orbe conuentū habiturū: ſi falleret graui caput ſuū obteſtatiōe deuinciēs. Sanandis reip. malis aut eam aut nullam ſpem ſupereſſe. Ab vniuerſo ope expetitum remedium quid amplius morarentur? piorum vota diutius quid fruſtrari ſinerent? Cōfectis ſuffragiis Iulius pontificatum adeptus, promiſſi immemor præſenti potentia viuorum odium reſtingui poſteritatiſque inuidiam exiſtimabat præceps in conſiliis & rapidus. Ne Conſtantienſe quidem & Baſilienſe decretū tanti fuit quolibet decennio ea haberi concilia mandans, graui mulcta propoſita, ſi quis ſaluberrimæ inſtitutioni morā afferret. Acceſſere noua & multa dedecora Romanæ curiæ & aulæ pōtificię Alexādro pſertim & Iulio Pontificib. rerū Romæ potientibus, q; pſens ætas accuſaret & annaliū ſcriptores nobis vituperandum traderent. Pudet tēporis & fœditatis. Pleriq; modeſtia & probitate cōſpicui tātis malis finē remediumq; optabāt. Medicinā facere quî poſsēt deſperata ferme ſanitate? peccādi cōſuetudo in morē trāſierat. metu omni pudoreq; ſublato maiora nequitia præmia q̃ probitas & virt⁹ habuit. Miſeram temporum conditionē. Et eſt morb. grauiſſimus, qui diffunditur à capite. Ad eam indignationem votaque multorum, adiuncta Cæſaris & Galli à Pontifice alienatio occaſionem præbuit duobus Cardinalibus, qui Ticinum

cinum se contulerant, in partes attracto Narbonensi itē Cardinali, vt suo & sex aliorum Patrū nomine Episcopos ad generale conciliū euocarent. Ad terrendos Pontifices coercendamq; Romanam licentiam ea via inuenta erat magnis alioqui incommodis obnoxia: quod semper accusabitur, & sæpe recurret tamen. Et est nihil tam validum cui non sit periculum à multitudine, si in cœtus coire permittatur. Itaque Mediolani, quo Ticino abierunt, in eam rem edicta euulgarunt in ipso belli Ferrariensis ardore; quib. causas explicarunt, cur iure Christiano liceret, ac vero necessariū videretur, ad illud extremum atque vltimum decurrere, vt conuentus generales agitare curarent. Argumenta deesse qui poterant & causæ in tanta eius seculi prauitate tam corruptis moribus tum plebis tum ordinis sacrati? Accessere Parisiensis Episcopus aliiq; exciti ad edictum ex Gallia Præsules. Legati à Cæsare Hieronymus Nogarolus Comes & alii duo viri primarii à Gallo Rege totidem, qui suorum Principum nomine turbidos conatus adiuuarent. Ab his nouo exemplo edicta porro euulgata sunt: quibus Cæsaribus & Gallis Regibus ecclesiæ Romanæ dignitatem curæ semper fuisse explicarunt. Malorum ad tyrannidē vindicandam ac publicam totius orbis ex eo fonte offensionem amouendam, remedium salutare excogitasse Episcoporum ex toto orbe conuentum. In his omnib. edictis cōcilio vrbs Pisæ designatæ & Sept. Kalen. quo loco & tempore cuncti Episcopi præsto essent. Ac Cæsari quidem alia omnia placebant. Italiam tantum Germania mutabat, Constantia nominatim prælata, Pisis vrbi longinquæ, neq; tranquillæ satis, rerum indigæ, quippe bello superiori, quod diu cum Florentinis de libertate & imperio gessit, exhaustæ. Iis rebus cognitis Ferdinandus Rex Catholicus alienum se ab iis molitionibus ostendit, eo maiori studio, quo in edictis in eam voluntatem, ipsum conspirasse significabatur. Cum Cæsare quin etiā agit, vt eo conatu desisteret. superioris tēporis calamitatum exempla & vulnera recentia vix cicatrice obducta satis indicare, ea consilia conatusq; præposteros infeliciter cadere. Qui res nouari cupiunt, & imperia mutari, quid aliud quam sibi & aliis exitiū parant? Quid ea ratione eoq; itinere quæri, q̃ dissidiorum & tetri schismatis materiam? Præterea Cabanillæ suo in Gallia legato mandauit, blandis quidem verbis testato tamen Gallum Regem moneret, vti Bononiam cum subiecto agro Pontifici restitueret: neq; pateretur alia Pontificiæ ditionis oppida à suis occupari, ac multo minus ecclesiæ pacem turbari consilio conuocato: si secus faxit, ne quid propterea resp. detrimenti capiat, curæ fore. Excusauit Gallus à Pontifice motam fœderis fidem neque pactis eum conditionibus stetisse. Bellorum euentus esse varios, victoriam cælo dari auferriq;: cuius voluntati nullus præscriberet. Pacem non recusare tamen modo æquam honestamq;: sin bellum malent, neq; id timere. Ac nominatim petebat Cameracensis fœderis conditionibus stari. Cardinales, qui à Pontifice discesserant in pristinum dignitatis gradū redire. Mantuano summo Veneti exercitus ductori iurisiurandi gratiam fieri, qua se religione in eam militiā obstrinxerat, restituto etiam filio, qui obsidis loco pro patre penes Pontificem detinebatur. Ferrariensi veniā & pacem esse abrogatis sententiis, quæ in eum fuerant pronunciatæ, neque propterea tamē oppidis decederet, quæ vltra Padū obtinebat, ne Cēto quidē & Plebe, quando dotis nomine erant data, vti paulo ante dictum est. Hæc ipsa Cæsar etiam per legatos flagitare. Quæ omnia grauia Pontifex iudicabat, & vt erat erecto animo, nō ferebat à subditis vt obtemperarent, imperandi leges dici. Ferdinandus nulla spe reliqua instantibus futurisque malis auctoritate medendi, dolensq; salutaria ipsius præcepta respui, vim adhibere ac metum statuit. Ita deposita media persona palam ad Pontificem transiit tanto studio eius dignitatem ab iniuria tuendi, vt Africano bello neglecto, quo ire cogitarat, in vnam belli Italici curā toto pectore incumberet. Eoq; mille sagittarios persoluto tamen stipendio dimisit, qui Gadeis peruenerant Iunio mense ab Anglo genero missi in bellum Africanum auxiliares. Ad hæc cum eo Rege sanxit, vt nisi Gallus Bononiam restitueret Pontifici, neque à conatu concilium agitandi desisteret, ac potius finibus Hispaniæ arma inferret, Ferdinādus dū bello Italico districtꝰ esset, occuparet ipse conatus, atq; ne nocere posset bello Aquitaniam implicaret. His reb. cōstitutis Hispali Rex Burgos est profectus. Vetum ad Guadalupeum fanum loci religione ac præsertim Virginis matris numine celeberrimum. Ex eo loco Petro Nauarro mandauit, vt cum copiis eius curæ concreditis Neapolim actutum nauigaret, vbi Cardonius belli Africani specie instructas paratasque habebat lectissimas equitū turmas ex vniuersa ditione in vnū collatas. Sancitū præterea vt Tripolis nuper de Mauris capta Siciliæ contributa esset propter locorum vicinitatem auxilio atq; commeatu faciliori. Ad eam quoq; vrbem tuendā cū idonea classe missus ex Hispania est Iacobus Requesenius Diegho Veræ successor. Cuius opera Rex in bello Italico vti cogitabat tormentorum cura restituta propter insignem collimandi, ac vniuersi

tormentarii apparatus & fabricationis ſcientiam. Non diu Requeſenius Tripoli ſubſtitit; nempe militari tumultu in ea vrbe forte cõcitato, Prorex Siciliæ eo profectus motu compoſito, iiſque militibus cum duce in Siciliam abductis Tripolis præſidio Guillelmũ fratrem maioriq; ex eo auctoritate ad frænandos milites, in eius locũ Pręfectũ, vrbiq; rectorem dedit.

Nouum à Pontifice concilium Lateranum conuocatur. CAP. IIII.

CVpiebat Ferdinandus Cæſarem ab amicitia Galli Regis diſtrahere eius rationibus & nominis exiſtimationi parum conſentanea. In eam rem & vt Cataneſi Epiſcopo ſuccederet, Petrus Vrrea legat' eſt cum mãdatis Venetos Cæſari cõciliare facto fœdere curaret, Cæſarẽ Põtifici. Ingenio Cæſar mobili & vario, vt in reliqua ætate nõ ſatis ſtatuebat animo, quid facto opus eſſet, in q̃ ſe daret partem anxius. Inter multiplices tamen cogitationes fluctuãti viſum eſt, Gurſenſem quidẽ ad Pontificẽ legare, ſi eius opera cõtrouerſiæ inter ipſos facta pace cõponerentur, ad Venetos Petrum Vrreã, vt ſancito cũ vrbe fœdere diſcederetur ab armis Venetorum nomine Põtifex dabat vt Cæſar Veronam & Vicentiã ditione ſtabili retineret, aliqua Venetis cederet de iis capta quaſi beneficiariis imperii, ducẽta & quinquaginta auri millia numeraturis pro ea cõceſſione, annuaq; adeo triginta millia. Cæteræ cum iis cõtrouerſiæ ipſius & Ferdinãdi Regis arbitrio finirentur. Honeſtiſſimæ conditiones: ſed quas Gurſenſis vaſto animo maiora cõplexus repudiauit immemor ſcilicet rerũ humanarũ varietatis & inconſtantiæ præſenti potẽtia inflatus. Ne Petrus quidẽ Vrrea quidquam apud Venetos Patres profecit erectos quippe in ſpẽ, vt res ſe dabant, breui Italia turbata ex aliena calamitate reſpiraturos. Ex longo rerum vſu haud inane vaticinium extitiſſe breui euẽtus cõprobauit. A Ferdinando Rege Cæſar & Margarita importuna efflagitatione expetebãt, virib. & pecunia iuuaret ad bellũ defendendũ q̃ Gheldriæ Dux Gallico patrocinio cõfiſus Belgicis finib. inferre pergebat porro, moleſtus imprimis & grauis. Verum id incõmodum tanti non erat Hiſpano p̃ cura atq; ſtudio rerũ Italicarũ. ne Cæſari quidem vſq; adeo, ne contra Gheldriæ Ducẽ motis armis in Galli offenſionẽ incurreret ad priores neceſſitudines ſpecie religionis, tũc qua nihil fallacius magis q̃ antea amicitia deuincti. Æſtate iã adulta ea moles rerũ mouebatur. Quo tẽpore ad oriẽtis ſolis extremas oras Luſitanica arma proſperũ curſum tenebant; atq; ita nihil vt amplius deſiderari poſſet. Cognouerat Emanuel Rex annis ſuperiorib. vltra Goã vltraq; Calecutiũ Malacam eſſe forum rerum venalium cum primis totius Indiæ nobile: vbi & incolere & mercari cõſueuerant ex omnib. nationib. innumeri mortales. Maris vicinitas & multarum circa gentium, quarum ad fines iacet, mutui vſus dedere celebritatem. Diegho Lupo Siqueirę, ante annos Oliſipone ſoluerat, negocium datum ea vrbe obita, viſa exploratаque Regi ſuo renunciandi. Fecit ille quod iuſſum erat, in reliquo comitatu Garſia Soſa & Fernando Magallane proſequentibus ad Somatram prius appulit inſulam ex aduerſum Malacæ ęquatori ſubiectam, latam ſpatiis in multa imperia diductam à Mahumetanis & inani gentium ſuperſtitione detentis hominibus cultam per partes, pingue ſolum bifero triferoque ſingulis annis prouentu. Cum ea gente inſtituto commercio iunctaque amicitia, Malacam haud procul diſſitam cognouit, olim Siami Regi ſubditam tunc peculiari Regi ſeruientem nomine Mahomadi. Siqueira vbi traiecit, cum eo Rege pace facta, atq; fœdere ſancito per conditiones Rodericum Aracium cum Luſitanorum numero intra vrbem deſignatis ædibus habitare voluit, vtriuſque gentis commercio id commodum fore ratus. Mahumetanus & ſuo ingenio ſuſpicax, & à Luſitanis mali aliquid imminere arbitratus, naues occupare conatur. Ea ſpe irrita Luſitanos, qui in vrbe erant, nihil minus cogitantes in ferrum; & vincula rapit. Et eſt leuiſſimum genus hominum ſeruituti natum, ad omnem auram ſpei mobilis infidaque gens. longum erat iniuriam vindicare, neque vires idoneæ conatui in frequenti ciuitate, inimicis multis, Rege infenſo. Ita dux Luſitanus cum mercibus, quas potuit auehere Cocinum retro nauigãs, inde in Luſitaniam ire perrexit. Alburquerquius iam rerum Luſitanarum cura ſuſcepta rei indignitate commotus collata in vnum claſſe iniuriam vlciſci conſtituit, ne neglecta animos cæteris barbaris faceret. Goa profectus, atque in Somatræ vicinæ portum inuectus Malacam tandem appulit. In eo itinere obuiam nauim cepit: in quam tranſgreſſi Luſitani, quaſi certa victoria, ingenti repente flamma excitata territi conatu deſtiterunt. Inanem fuiſſe metum deinde ex captiuis cognitum: ac innoxiam flãmam artificio quodam ad terrorem à barbaris excitari. Paulo poſt in nauim alteram inuecti eam ceperunt, tametſi Mahumetanus quidã Nahodabeguia Luſitano nomini maxime infenſus, ac Regi Malacitano capiẽdi Luſitanos præcipuus auctor, venia deſperata ſi captus eſſet, enixe nauim eſt tutatus, donec multis cõfoſſus vulnerib. tãdẽ occubuit. Miraculo res cõparanda; tot acceptis vulnerib. nullũ tamẽ effundi ſanguinẽ. Verũ ſpoliato corpore atq; in reli-

quo

quo conatu detracta armilla vno impetu sanguinis riui quasi amoto obice per oẽs partes latissime effluxere. Causam suscitati intellexere in ea armilla vinctum lapidem admirãdæ potestatis sistendi sanguinis, in Siami regno ex animantib. erui; quas Cabrisias vulgo vocant, an commentum est, rumore certe res maior facta. Peruenere Lusitani Malacã Iulii Kal. Cum ciuib. enixe pro extrema spe dimicantib. varia extitere certamina. Vrbs tãdem nobilis capta & ad Lusitanorum imperium adiuncta, patriam superstitionẽ vera religione mutauit. Sic Christianæ religionis cultus & nomen ad extremos orbis fines proferebatur. In Italia Pontificia maiestas diuinæ proxima nutare videbatur tetri schismatis metu, q̃ nisi exorata numina auerterent, importuni conatus profecto minabatur. Ea cura Pontifex anxius omisso bello Romam redire constituit: si posset ingenii dexteritate vrgẽtem tempestatem sedare. Cogitationem in omnes partes versanti fore optimũ visum est, præposteras inimicorum molitiones occupare, tempori cedere. Ita ad quintum decimũ Kal. Augusti edicto promulgato, Episcopos toto orbe, quiq; more maiorum cõcilio interesse deberent, ad generales conuentus. Lateranum euocauit auspicandos instituendosq; anno proximo tertio decimo Kal. Maii. Insanum quantum ea denunciatio aduersariorum spiritus fregit, causam debilitauit. Supra bonum atq; honestum perculsus tamen Põtifex parum à procacib. verbis temperabat, alioqui ardenti ingenio in iracundiam procliuis. In eo conuentu Galliæ Reginam non iustam eius Regis vxorem esse pronunciandũ minari. Aquitanos & Nortmannos iniuria occupatos sacramenti religione exoluendos, quo Gallo fidem obstrinxerant, & ad Anglicum imperium restituendos. Hæc omnia qua ad dolorem vlciscendum pertinebant, qua ad Gallum terrendum frænandũmq;. Verum ira quæ tegitur nocet, professa vim perdit. Gallus quidem eo proposito metu æquiorẽ se concordiæ sanciendæ præbere, velleq; adeo cum Venetis pacisci modo darent ipsi, quæ Cæsari erant oblata. Non diu tamen in eo perstitit, aliud atq; aliud subiiciente animo. cõcilio Pisano fauere vt cæperat, consultius fore visum est: q̃ Cæsar nouo conatu Veronam aut Tridentum transferebat. Neutro Gallus eius machinationis architectus præcipuus actionum moderator & arbiter, quod Veronæ graui cælo grassarentur morbi; Tridentũ exigua ciuitas esset; neq; idonea tantæ multitudini, quantam conuenturam existimabat. Ac potius Cardinalib. auctor erat, vti quam primum moras rumperent, actiones concilii inchoarent, neq; amplius suspensum orbem tenerent. Florentinis etiam suasit, vti Pisas vrbem, dum conuentus essent Cardinalium potestati permitterent, quo maior esset auctoritas. Cautiores illi vrbi neq; validæ neq; frequenti salutem permittere detrectabant, nisi Galli & Cęsaris legati prius conuenirent, idoneusq; ex vtraq; gente Episcoporum numerus, communi multorum periculo fore se tutiores rati. Neq; interim tamen de concordia appellati audire recusabant, modo tuto liceret ad Põtificem redire idoneo loco attributo, in quem sese reciperent fide Pontificis tuti. Hæc omnia ludus erant, & in cõmuni causa præuaricatio tẽpore extrahendo dum inchoata stabilirent: an quemcumq; cursum res tenerent ad vtrosq; receptum parantes. Romæ quidem instituta in eos cognitione cõtestataq; atq; perrogata causa quatuor ex eo numero Cardinales pronunciata sententia sacerdotiis omnib. & purpura sunt spoliati Caruaialius, Cosentinus, Sanmalus, atq; Baius. Idem de Sanseuerino & Labrito sociis coniurationis vt statueretur, maturum nõ erat, & iam tamen tempus appropinquabat. Intercessere huic decreto initio maior collegii pars. Quidam etiam factiosos Cardinales excusatunt. Nihil eos aduersus leges cõmisisse conuentus vt haberetur expetentes ad castigandos mores sanciendam disciplinam veterem tum in membris tum in capite. Neq; deerant sermones increpantium, Pontificem tum ob sacramenti suscepti religionem motam, tum eo conatu impedito posse iure clauium interdici, iuxta decreta Basiliensia sessione vndecima promulgata.

Fœdus à Ferdinando cum Pontifice & Venetis factum. CAP. V.

MAgna contentione de armorum societate Pontificem inter & Ferdinãdum Regem agebatur. Ventum ad conditiones. Rex pecunia in stipendiũ iuuari expetebat. Graue Põtifici videbatur spe incerta euentus, nudari eo tuẽdæ dignitatis pręsidio certissimo. Ea anxius cura nonnunquam ad Gallicum fœdus reuocare animũ æquis propositis conditionib. Id quoniã ex animi sentẽtia nõ successit, necessario ad Hispanũ pręsidiũ recurrit quippe certius atq; fide magis stabili. Ita re propemodum cõstituta Ferdinãdus magnam exercitus partem in Africam parati, Neapolim actutum ire mandauit. Ergo quingẽti cataphracti, velites sexcẽti, pedites duo millia Malacæ è portu in Italiã soluerunt. Peditũ cura Zamudio tribuno demandata est: omnib. copiis pręfectus Alfonsus Caruaialius Xodaris dominus, ad hunc militaris imperii summa redibat dum Neapolim accessissent. Africani belli ad fallendũ hostẽ species obiecta. Male cohærens cõmentum dissimulari qui posset?

quando ipſo tẽpore,quo ii milites diſceſſere Malaca Auguſti certe principio, Petrus Nauarrus vti iuſſum erat, Neapolim detulerat mille quingẽtos milites ſqualidā quamuis & pannoſam aciem ſed bellis Africanis tamen exercitos & ſuperiorem cladium reliquias. Apparatu belli diſtrictis omnibus,nondum mouebātur arma. Arte ſeu ex animo Gallus minorem filiam Ferdinādo infanti vxorem obtulit,id ſi coiret coniugium deceſſurum ſe regni Neapolitani virib. Non abnuebat Ferdinandus oblatam vltro conditionē:ſed cum eo ſi Bononiam Pontifici reſtitueret moram paci non facturum.Eam ſummam votorum eſſe.Excuſauit Gallus rationes deeſſe,qui poterant poſſidenti, tenentiq; arma?His molitionibus extrahebatur tempus neq; belli initium erat, appetebat tamē omniū,quæ erant geſta grauiſſimi. Gallus cum Bentiuolis inito fœdere vrbem Bononiam eamq; familiam in clientelam accepit. Gaſtoni quin etiam Fuxēſi Namurſio duci, quē Mediolano præfecerat, bello Italico ducem ſummum vt in eius vrbis præſidium mitteret quadringentos equites grauis armaturæ mādauit; ſi res exigerent, ipſe cum omnib. copiis iiſdē veſtigiis ſubſequeretur. eā omnino vrbē ab iniuria tueretur,retineret impio.E cōtrario ab Anglo ea cauſa in Galliā legatus eiq; adiunctus Cabanillas Ferdinādi orator Gallum conteſtati ſunt palā,vt Bononiam Pontifici redderet.Si recuſaret pontificiam dignitatē & opes ſuis Principib. curæ fore.Belli haud obſcura denunciatione cōmotus animo Gallus deſtinatū ſibi reſpondit Bononiam tueri,nō ſecus atq; Mediolanum;neq; terreri minis, moram bello non facere, cum vellēt experirentur. Accidit vt Pontifex ægrotaret ſalute ferme à medicis deſperata.Cæſar quoq; menſe Sept. Tridentū acceſſerat vnde Catanenſis Epiſcopus cōmeatu impetrato,ſe ſe retulit in Hiſpaniā. Vaſto is Princeps animo Pōtificatum erat cōplexus Iulii obitu,an etiā eo ſuperſtite.Sic fama tulit & annales teſtātur. Nō deerāt qui cupiditati fauerent vani aſſentatoreſq;, quales in aulis Principum multi viuunt. Præ cæteris Sanſeuerinus Cardinalis ei aſſiduus non Pontificatum modo pollicebatur,ſed & Neapolitanū imperium in partem acceſſurum,familiæ ope ſed & totius Italiæ virib.odio nominis Hiſpani. Iret tantū, ſuiq; in cōuentu Piſano copiam faceret, vbi cæteri factioſi Cardinales morabātur.Inanes molitiones,ſpes vanæ, multumq; à Ferdinādi Regis rationib.& conſiliis diſcrepantes. Ergo ad quartū Nonas Oct. ſocietas tandē inſtituta eſt Hiſpanum inter Pontificē & Venetos,quam dixere ſanctiſſimā Bononiam recuperandi decreto ac reliquam Pontificiā ditionem. Præterea tuendi Pontificū dignitatem aduerſus factioſos Piſanumq; adeo conſiliū.Leges ſcriptę,vt intra viginti dies ex quo fœdus euulgatum eſſet,Ferdinandus Rex mitteret in eā expeditionem mille & ducentos grauis armaturæ equites,velites mille,Hiſpanos pedites decē millia. Pontifex ſexcentos cataphractos ductore Termenſtino.Ad eas copias à Venetis conſcriptus exercitus adiungeretur: maris imperiū tueretur peculiaris Veneta claſſis cū vndecim regiis triremib. collata. In ſtipendiū regii exercitus Pontifex & Veneti ſingulis menſib.quadraginta auri millia numerarēt,dum bellū eſſet. Ac die quo fœdus euulgatū eſſet,duplicatam eam ſummam in duorū menſium ſtipendia. Vniuerſi exercitus ſocialis imperator & ductor Regis nominatione præficeretur.Ita ſummā expeditionis Cardonio Neapolitano Proregi demādauit. Veneti in hoc fœdere quācumq; pecuniæ ſummā Neapolitanis Regib. ex Aragonia gente,mutuā olim dediſſent,miſſam facere conteſtati ſunt in defunctos nulla recipiendi iam ſpe munifici.Cæſar ſocietatis particeps eſſe noluit:expreſſum tamen in fœderis tabulis eo factā conſcio, ac vero fauente Anglo. Pontifici graues cōditiones extitere ac moleſtę,ac q̃ de pecunia ſancitū eſt,grauiſſimū:re tamen neceſſaria conſenſit.Primum quia eo ex morbo decūbente nobilitas populusque Romanus arreptis armis tumultuati erāt. Vrbana priuilegia infringi,ipſos tyrannica ſeruitute opprimi, ac iuſtū ſingulos ſeruitium pati palā conquerebantur. Dein Florentinis Gallico nomine addictis verendū erat:ne is Rex Romā vſq; armatus nullo prohibēte procederet: ac vero Petri cathedræ Pōtificem cū vellet de manu daret.Quod præcipuū erat.Piſanus conuentus ſolicitū habebat, ne q̃ fama vulgarat,eo deiecto,quaſi iure ſuo neq; ſine exēplo nouū Pontificem crearēt; malorumq; ſuperiorū elluuies recurreret.Ipſo tēpore Dieghus Garſias Paredius notū periculis & væcordi audacia nomē, de quo ſupra memoratum eſt, cōfecto Neapolitano bello piraticā exercuiſſe:delicti venia deſperata ſe ad Cæſarem trāſtulerat bello Veneto nauaturus operā.In eo ſemel & iterū captus eſt prius ad Veronam Epirotas inter & Cæſareos tumultuario inſtituto certamine: deinde Vicentiæ ex morbo lecto affixus cū ad ius Venetorū ea vrbs rediit.Villamarinus maris Præfectus ex Hiſpania,quo iuſſus cum triremibus ierat, Neapolim ſe ſe retulit bello ſociali & ipſe deſtinatus dux claſſiarius. Berēgarius Olmius cum aliquot triremib.ad cuſtodiā Granatēſis orę manſit in Hiſpania.Rodericus quoq; Baſanius aliiq; duces & milites lēbos piraticos, quos ad Tetuani fluminis oſtium

ſe recipere

se recipere cognitū erat, incensum ire pergebant. Cum nunciatū est Regē Phuthensem cum numerosis copiis septam ire obsessum. Accurrere vterq; continuo ad præsidium: locorum vicinitas inuitauit, & studiū barbarum impugnādi, atq; in eo operā & industriam cunctis probandi. Septam vbi venere, Mauros Tingim processisse cognouere, q̄ vrbem præsidio obtinebat Eduardus Menesius præcipua nobilitate Lusitanus pari virtute & industria. Spei aliquantū posse hostium impetū aliquādiu audacia sustentari, metus amplior ob exiguum defensorum numerum. Eo traiecere nostri sabbato ad quintū decimum Kal. Nou. Obsessos premi ab hoste inuenere, tormentis bellicis multos perēptos, quassatum murum late ruinā fecisse. In cuniculis maiori barbari spe propius vrbē promouere castra ex propinquo quoq; acrius impugnaturi oppidum sub testudine parantes muri lapides vectib. conuellere. In ea angustia nouo auxilio confirmati obsessi à virtute petere præsidium constituunt. Fortes numina iuuant, ignauos destituunt. Ac primū Rodericus Bassanius & socii ex oppido egressi in quandā hostium stationē irruere eo impetu, quem illi nō tulerunt. Multis è præcipuis cæsis cæteri deseruere locū. Successu dein læti Lusitani equites die proximo cum Mauris dimicatum processerunt. Leue certamē fuit, rari dispersiq; pugnarunt nō acie instructa sed magno impetu procurrentes, si premerentur cedere nō turpe rati. Sic est mos gētis Africanæ. cæterum Lusitani equites cum Mauris pugnare longo vsu edocti ea dexteritate pressere aduersarios, vt Barbarus amissa spe expugnandi oppidum soluta obsidione die tertio castra retro mouenda duxerit. Castellæ duces se & suos Heracleam retulere è faucibus potentissimi hostis erepta ea vrbe subleuatis Lusitanis læti ouantesque bellicæ virtutis laudem Africanis spoliis potiorē existimantes.

Bellum in Italia inchoatur. CAP. VI.

PRorex Neapolitanus copias in aciem producere, iterq; institutū arripere parabat. Cū peditib. Petrus Nauarrus Caietæ & vicinis locis tēdebat. Equitatus in procinctu erat, cunctiq; ad profectionē expediti. Prosper Columna ire in eam expeditionē excusauit, indignū ratus nisi se digna procuratione cōcredita signa aliena sequi. Contentione honoris suscepta magnæ sæpe in bello opportunitates corrūpuntur. Eo Fabricio Columnę generalis in bello nomen & munus impositum est, ne & ipse patruelis exemplo militiā detrectaret. Andreas quoque Caraffa Comes sanctæ Seuerinæ ire recusauit quamuis Gallico odio à maiorib. hęreditario. Notatum præ cæteris promptiores maioriq; alacritate ad induenda arma proceres Andegauenses extitisse. Superiores offensas nouis officiis cōpensare destinabant, mutato domino non minorē quam antea fecissent, constantiā pręstare. Ardentiores præ cæteris Bitonti Marchio Adriæ Ducis filius, Atelæ itē Marchio Amalfitani filius vnicus, Traiecti Dux, filii Comitū Matalonis & Aliani. Ne Bisinianus quidē sua gloria fraudandus; etsi tentata valetudine destitit. Certæ tamē voluntatis argumento quoniam bellum contra Gallum erat Sancti Michaelis torquem Gallicæ militiæ & amicitiæ symbolum ad eum Regem remisit quasi renunciata fide & amicitia. Tantundem Amalfitanus, Adriēsis, & Matalonius pręstitere. Nauarrus cū suis legionariis versus Pontecuruum signa mouit. Paulo post omnino postridie kalendas Nouembris cum Prorege Neapoli equites processere, splendido cultu & fulgentibus armis conspicua acies. Ipso tempore Cæsaris animus variis cogitationibus fluctuabat, curisq; sæpe inter se cōtrariis circumactus. Hinc à Cardinali Sanseuerino inani spe lactabatur. Inde Petrus Vrrea si se confęderatis Principib. adiungeret, causamq; susciperet, in qua salus publica vertebatur communib. armis sumptuq; pollicebatur Mediolani principatū, sed & Gheldrię Ducem ne bello amplius lacesseret impugnatum iri. Hęc illi via magis placebat quippe certior & tutior pro ingenio quamuis non satis quid facturus esset statuens. Ad fœdus Venetū reuocabat animū iis conditionib. quas Gursensi Pontifex antea obtulit. Optima videbantur quorū tempus effugerat. Sic solent homines inconstantes infelicesq;. Veneti. n. præter socialē exercitum, cui satis p̄fidebant, mille equites cataphractos suis stipēdiis alebant quib. alii ducenti accessere à Paulo Ballionio adducti suo delectu illorū stipendio supra tria millia equites expediti maiori ex parte Epirotæ: ad hæc nouē millia pedites. Sic res Venetorū erant virib. satis & cōsilio pollentes: Magna tamē contentione Hieronymi Viquii pro Ferdinādo apud Pontificē legati, Cæsarem inter & Venetos inducię pactę sunt. Quæ etsi in præsenti ex vsu socialis belli nō fuerūt, neq; enim Venetorū copię ad reliquū exercitū, q̃ agebatur sese adiunxere, in posterū tamen salutares imprimis extitere. Interea Gallus Rex nihil de sua cōparatione remittere ac Namursiū diligēter monere q̄ primū vt cū hoste decerneret ad eas copias, quas numerosas habebat, nouis ex Gallia supplemētis adiūctis validus. In Heluetiis etiā ingētes delectus habere statuit genteq; ferocē adducere, ne Pōtificis patrocinium susciperet societatis cū hostib. virib. cōtra Cardinalis Sedunēsis

conatus & diligentiā nouo purpuræ honore in studium Pōtifici gratificādi magis quam antea incensi. Simul vt Cæsarē distineret Andrea Burgio interprete pontificatum illi, si id cuperet, sin minus ex eius voluntate daturū pollicebatur scilicet de alieno munificus. An fraus & ludibrium erat. Addebat quæcumq; Pōtifices de imperio detraxissent, vt recuperaret, effecturū. Demum è regno Neapolitano eam partē quā ipse expetiisset, Mediolanenses & Genuenses quoties bellū esset, lege perpetua certa Imperatorib. missuros auxilia quasi tributi honorarii nomine. Magnifica promissa, eoq; minus fidei. Inter hæc Sanseuerinus Cardinalis à Cæsare impetrata venia discessit parū lætus exiguo tantarum molitionū prouentu. Cardonio Proregi deliberatum erat per Florentiā iter habere, nihil à tergo hostile relinquere: quoniam ea vrbs Gallo & factiosis Cardinalib. erat addicta. Restitit Pontifex, qua causa incertum, sed per Aprutii fines mādauit vt in Flaminiā contenderet, inde Bononiā. Anni tēpus aduersum erat, sæua hyems, loca aspera impedita itinera niuem glacies astrinxerat. Multorum è militum numero tentata valetudine pauci tamen periere. Cum copiis omnibus Forū Cornelii peruentū est. In ea vrbe necessario dies aliquot sustentatum, dum milites mora recrearet, tormenta veherentur. Quæ Manfredonia mari missa in Arimini portū intulere ipso natali Christi die principio anni mil-
1512 lesimi quingentesimi duodecimi. Inde Forum Cornelii delata. Nauarrus cum legionariis vlterius progressus ad Lucum & Bagnacaballum continebat suos. Atq; ne tēpus frustra tereretur & vt operæpretio facto terrorem aduersariis incuteret Bastidā impugnare constituit Ferrariensis arcem Pado impositam ducētis quamuis & quinquaginta Italici militibus munitam. Placuit Cardonio id consilium. Admotis copiis pridie Kal. Ianuarii impugnari cæpta est arx. Obstructas consilio obsessorum mentes, ne exitiū quidē imminens aperuit. Pugnatum acriter ab vtraq; parte: ac tertio tandem impetu vi Hispani intra arcē irruperūt. Magna pro numero cædes fuit. Omnes ferme defensores & puberes cum duce Vestitelo ceciderunt. Eo exemplo metus finitimos inuasit considerātes nihil arduum fore gēti, quæ intra quintum diem munitissimam arcem expugnasset. spes erat metu domari gentem posse: ꝙ pulcherrimum est victoriæ genus. Ioāni Mediceo Cardinali in eo bello Legato Pontificio oppidum cessit, spolia militibus militaria magis quam ampla. Alfonsum Aragonium Friderici Regis secundum filiū expetenti magnopere Gallo Regi mater permisit quamuis duodecim non amplius annos natū. Ex eo Galli coniicere, prædicareq; profecto destinatum cum Gallica puerum classe Neapolim amādare populumque & gentem vniuersam ad arma per eum modum concire nouo Rege quem cuperent de manu dato. Fides rumori eo maior fuit, quoniam id credunt homines ꝙ cupiunt: & in vrbe militibus nudata gens vniuersa summi, medii, infimi, vti antea habere consueuere, Regem peculiarem dari, expectabant, vitio humani ingenii præterita præsentibus potiora fore putantes: Hispanorum præterea militum licentia vniuersæ gentis inuidiosum nomen fecerat.

Bononia obsessa. CAP. VII.

BAstidæ captæ Nauarrus laude superbus se se Forum Cornelii retulit. Ex ea vrbe Butrium promotis castris, eo loco de ratione belli referente Cardonio consultatum est. Fabricius Columna, vt ad Centum & Plebem, quæ oppida Petrus Pacius cum expeditis equitibus per eos dies de hostibus ceperat, promotis castris Castellumfrancum impugnatum irent, auctor erat, commodissimum munitione situque, quippe Carpim inter, vbi Gallicæ copiæ statiua habebant, & Bononiam, quo ipsi erant ituri, positum oppidum. Inde diuisis in partes copiis agri Bononiensis pagos & oppida carperent priusquam vrbe obsessa de rerum summa periclitarentur. Eam esse conditionem bellorum vt faciliotibus confectis, ad maiora & difficiliora procedatur. Nunciari prętereà Namursium cum firmis copiis equitum peditumque auxilio festinare: intra vrbem Borbonium nothum, Alegrium, Robertum Marchiam cum trecentis cataphractis morari, ciues magno numero atq; bellaces. Quid certā victoriæ spē moræ impatientia euerterēt? quid in pericula nō necessaria intēpestiua festinatione irruerent? Fabricii sententia aliis fere ducib. probabatur, satis gloriosa cōsilia esse quę cauta reputantib. nō minus esse strenui ducis consilio quā armis vincere. Vnus Petrus Nauarrus vęcordi contētione Bononiā cōtinuo eūdum disputabat quindecim nō amplius millib. dissitā. Fama bella confici. si alio recessisserint aut cūctati fuerint, met⁹ & imbecillitatis infamiā subituros. Breui ac facile ea vrbe expugnata (sic videri voluit ex sua audacia de sūma iudicans) quasi dēpto capite minora oppida in victorię partē accessura. Ea valuit sententia propter viri auctoritatē inter milites maximā, & quoniā segnē operā prętare erat solitus, si ab eius iudicio recederetur, quo vitio ferme capitosi homines & ꝓfracti laborāt. Termēstinus cū copiis pōtificiis Roma ea tēpestate ꝓfectus quoniā in itinere obiit: neq; Vrbinas eā tūc curā suscipere voluit (& paulo post tamē mutata

mutata sententia pro se misit in defuncti locum vicarium) Pontificiis militibus & ducib. à Pontifice mandatū, vti Cardinali suo in eo bello Legato obtēperarēt, ac vero Cardonio summo duci copias traderēt, eiusq; cūcti imperiū respicerent, quē vt ampli⁹ promereretur, excitaretq; nouo honore, pileū gladiūque misit munera magnis Principib. dari solita; ꝑterea vexilla inter sacra natalitia ab ipsomet prece ex Romano ritu lustrata. Veneti neque pecunia, vt erat sancitum, neq; milite cōmunem causam iuuerunt, ac nomen magis quam vires ad sociorū ꝑsidium attulere, suarū rerū anxii cura, an ex aliena industria fructū captātes. Enimuero socialis exercitus vmbra tecti suæ ditionis vrbes à Cęsare occupatas recipere, & si posset viresq; suppeterēt, tandundē de Gallo facere destinabāt. Ergo Butrio egressus Cardonius ad quartū à Bononia lapidē castra ꝓmouit subiectos inde agros contēplatus cognouit loca aspera esse, acieq; explicāda incōmoda irriguo agro eoq; multis impedito riuis, atq; emissariis multoq; adeo luto hyemis maxime tēpore. Die proximo ad sept. decimū Kal. Feb. cū copiis vlterius progressus locū castris idoneū cōsiderauit. Intra vrbem quingenti iā cataphracti erant, pedites ad duo millia. dux præcipuus Iuo Alegrius superioris belli memoria haudquaq̄ fracto animo. Accidit quo die Butrio Cardonius discessit, vt Ferrariēsis cū copiis Bastidā repeteret. Impugnatio acris fuit: intra horas viginti vi captā à fundamētis euertit credo in ea hostiū vicinitate sustētari posse diffisus. Prætorium Bononiæ vicinum ad tormenti iactum Belpogii nomine Bentiuolæ familiæ gentilitium metandis castris à Cardonio est delectum. Vlterius cum peditatus parte Padulæ Marchio & Comes Populi monasterium stationi delegere cui à Diuo Michaele in saltu nomen est, extinctis ignib. quos ciues, quoniā vrbi imminet, quasi hostili loco, iniecerant. Sic bellum iura in contrariū mutat. Eo loco tormenta aliquot cōstituere reliqua in colle, qui vltra id monasterium molliter assurgit, ea parte impressionē in vrbis mænia facere cogitātes. Namursius interim Parmā, vbi erat, copias in vnū cōferre: in quib. octingēti cataphracti, mille expediti equites, tria millia pedites numerabat. Præter eū numerum ad Finariū viginti à Bononia passuum millib. Ferrariensis auxilia præsto esse Vasconum duo millia cū aliquāto equitatu. Cum iis omnib. copiis Bononiæ obsidionem dissipare certe summā certaminis periclitari cogitabat ferox iuuenta opib. & nobilitate magnus. Fabricius Columna exercitus partē ad Centū & Plebē cōtinebat, quoniam ea iter erat si Gallos trāsitu prohibere posset. Destitit tamē à Cardonio iussus se cū cæteris copiis iūgere atq; in aduersum vrbis partē trāsferre, qua mōtes eriguntur ex Apenini iugis diducti. Traducere in eā partem muralia tormenta destinabant: atq; ea propter mæniū imbecillitatem patefacto aditu per ruinas & lapidū stragem in vrbem ferro penetrare. Verum paulo post nouo decreto, vt omnes copiæ intra vna castra coirent, visū est, ad bellica tormenta tuenda, & transitu prohibendū Gallica auxilia in consiliū pertinebat. Michaelis inter ædem & Florētiæ portā disposita tormenta ad quintū Kal. Feb. excussis ignitis globis late fecere stragē. Muri parte strata, per ruinas quidā milites turri vicina occupata vexilla in ea victoriæ argumēto erexerūt. Ingēs vtrinq; clamor sed dissonus disparq; victoriā hi ingeminare, arma illi arma. Periculo exciti obsessi magna vi eos milites tandē è turri capta deturbarūt. Erectā ex eo ad meliorē spē diui tutelares & superueniens tempestas sæuissima vrbē ab excidio seruauit. Triduū continuatę noctu atq; per diem niues astrictis præ frigore mēbris ac milite vix tenēti arma, opportunæ conatui, Namursium inuitarunt vt in vrbem nocte cū validis auxiliis penetraret. Quod fecit nō tantū nemine prohibente, quoniam castra procul aberant, sed ne à vigiliis quidem conatu perspecto. Ex eo mutata plane belli fortuna est, atq; in contrariū cōuersa. Cardonius propter hyemis sæuitiam veritus ne aliquod insigne detrimentū extaret: & alioqui minori iam spe vrbis nouis copiis firmatæ potiundę, retro cum copiis & tormentis ad Lazari fanum duobus à Bononia millibus se recepit. Pontificię copiæ vlterius metu prouectæ non prius cōstiterunt, quam Forū Cornelii ditionis Pontificiæ vrbem ventū est. Cardonius ad Petri fanū castra promouit, reliqui duces per vicina circa oppida distributi, dum frigora remitterent & cœli sęuientis rigor mitesceret. Is fuit exitus Bononiensis obsidionis maiori apparatu quā fructu fama quā laude. A plerisq;, vt fit, Cardonius accusabatur inertiæ, quasi rigidissimo tēpore elabi octo dies passus esset, priusquā aliquod operæpretiū cōstaret, castra imperitè metata procul vnde debuissent. Cuniculis & aggerib. agendis nō minus fuisse peccatum. Deniq; eam negligentiā atq; incuriā extitisse, vt hostis in vrbē nullo prouidente euaserit. Sic sunt militū ingenia prospera omnes sibi arrogant, tristia imputātur ducibus. Tempus enimuero conatui importunum prorsus extitit. id præ cæteris in Cardonio fama accusauit, quæ pretium reb. & nomen dat. Ne Heluetii quidem cōtra quā sperabatur & erāt pollicitti ad obsidionē accessere: ac ne à Venetis vlla auxilia venere vti ex fœdere debuissēt.

Sic iuuat rei male geſtæ culpam ex parte cum aliis communicari. Huic obſidioni prætor cæteros Antonius Leiua, Aluaraduſque interfuere atq; Ferdinandus Daualus Piſcariæ Marchio ab his rudimentis quantus & qualis dux iu Italica breui futurus? Diuerſa in parte nihilo commodiori ſucceſſu Henricus Angliæ Rex, cum primum ſe anni tempus aperiret, in Aquitaniam irrumpere parabat & ſua ſponte incitatus veterum de ea prouincia contentionum memoria, & Ludouici Carrocii à Ferdinando legati accurata diligentia, vt pollicitis ſtaret, neq; communi cauſæ deeſſet ſedulo obteſtantis. Delectus in id bellum dux Thomas Grauis. Orſeti Marchio gratia & auctoritate in paucis pollens, quippe Regem arcto propinquitatis gradu contingens. lente tamen conatus procedebat. Ferdinandus Rex vt intermiſſo interim bello Africano, copiæ porro Orano deducerentur ſtatuit, iis tantum relictis militibus, qui ad tuendam vrbem opportuni & neceſſarii videbantur. Minor vt numerus eſſet ſumptus leuior prouiſum, ſuburbano agro & vrbanis domibus inter milites diſtributis ita vt ducenti equites pedites quadringenti ex iis prouentib. præſidiarii alerentur. Quo libentius ea domicilia transferrent, data nouis ciuib. tributorum omnium immunitas etiã decimæ rerum venaliũ: ſingulis præterea addita ex regio fiſco ordinaria ſtipendia, dupliciariis maiora. Sub idẽ tempus Oliſipone pridie Kal. Februarii ex Regina filius eſt natus, cui Henrico nomen fuit, mores caſtiſſimi; cõſequenti tempore acceſſit purpuræ honor, ac poſtrema ætate mirabile ſeu ludo ſeu ſorte extinctis propinquioribus magno numero Luſitaniæ regnum obuenit Sebaſtiani Luſitani Regis infelici caſu. Miraculo habitum quo die natus eſt infans niuem copioſam decidiſſe inſolitum in ea vrbe & rarum propter aeris cælique magnam temperiem. Niuis candorem affirmant quidam portendiſſe vitæ ſanctitatem, caſtimonię laudem ad mortem ſine vlla labe retentæ cultæq;, nullis ad mortem illecebris voluptatum victa conſtantia. Vultu inter omnes fratres & totius corporis habitu paternam imaginem proxime repręſentauit, animi magnitudine & conſtantia nõ impar. cum regno ꝙ annuũ & ſeptimeſtre fuit, nihil aſſecutus præter moleſtias & curas graues integra ſemper probitatis fama nõ ita pridem deceſſit. Burgis Ferdinandus agebat. Ibi ad quintum decimum Kal. Martii extincto Bernardino Velaſco Magiſtro equitum, vt Iuliana defuncti filia regia neptis nuberet Petro Fernando Velaſco perfecit filio maiori Eneſci Velaſci, cui ad fratris defuncti opes dono Regis & nominatione Magiſtri quoque equitum honos & dignitas acceſſit.

A Pontifice Vaſconum Rex anathemate deuinctus. CAPVT VIII.

NAmurſii abſentia Brixiæ & Bergomi ciuibus occaſionem præbuit, quam illi arripuere auide, excuſſo Gallico imperio ad ius Venetorum vetus redeundi. arces tantum in fide perſtitere præſidiis defenſæ. Eo maior audacia viſa eſt. Ne id exemplum ad alias ciuitates manaret, quæ Venetis ereptæ Gallo parebant, ac omnino ne diſſimulatione latius ſerperet defectionis malum prouidendum videbatur. Ita Namurſius Bononia liberata obſidione munitaq; competenter, eo continuo accurrere ſtatuit Alegrio ſecũ deducto, atq; in eius locum ſubſtituto Fulleta Gallo, qui Bononiam cum idoneis copiis tueretur. Eæ erant trecenti cataphracti & tria millia pedites, idonea rebus maioribus manus. Accedenti propius Namurſio Grittus obuiam proceſſit cum Venetorum copiis & Brixianorum proletariis incondita multitudine in ſpeciem iuſti exercitus. Patrati facinoris conſcientia, venięq; deſperatio ciues reddebat audaces. Detrectauit Namurſius certamẽ. cur enim etiam ſecundo prælio aliquos ex ſuis amitteret? cur fortunam periclitaretur? Ergo flexo ad montes itinere, nocte concubia in arcem ingreſſus, ea parte in vrbem vi irrupit. Vrbe capta in vicina Venetorum caſtra extemplo impetum dat. Acerrima pugna fuit, feruente cæde, ac pugnæ alternante fortuna multi ab vtraque parte cecidere: victoria tamen penes Gallos ſtetit. Capti Grittus ipſe copiarum dux, & Antonius Iuſtinianus ei vrbi Prætor à ſenatu datus, Pauluſq; Manfronius. De Ludouico Bogaro Comite quoniam vrbem Venetis prodiderat, quippe in ea natus multum apud ciues poterat, capto cum aliis in pugna, cauſa è vinculis dicta, quæ bona eſſe non poterat, lege maieſtatis ſupplicium ſumpſere. Eo exemplo ſeueritatis Bergomates moniti ad deditionem flexere animos. Namurſius magnus antea & clarus, clarior & nobilior haberi cæpit, qui Bononia defenſa, fugatis Hiſpanis, duas opimas vrbes ad imperium ea celeritate reuocaſſet. Reliqua conſentanea non fuere. Obenigno cum valida manu Brixiæ curare iuſſo, ac reliquis copiis circum Veronam diſtributis, vt fructus aliquis victoriæ per otium eſſet, Mediolanum aduolauit, ludis & cõuiuiis, ad ꝙ ætas vocabat, dies celebraturus, quos ante ieiunium anniuerſariũ vulgo homines cũ lætitia agitare ſolent. Moleſte id tulit Gallus Rex in eo rerum

articulo

articulo intẽpestiue sane cessasse, vt cõtinuo in aciẽ copias producat, districte mãdat, Cardõio & sociis obuiã. Imminuto hostes suorũ numero, reb. in arcto positis, ex recẽti incõmodo nominis gloria obscurata, anteq̃ sublato metu fiducia rediret, ꝓfecto in pceps impelli posse, tãtũ ne bene agẽdi occasiõi deesset. Couẽtus Pisani Patres ex Hispanorũ ignominia angustiaq; & Gallorũ felicitate cõfirmatis amplius animis, ex suo numero duos Cardinales designarunt Sanseuerinũ, qui Bononiæ in Italia, & Baiũ, qui Auenione in Gallia pessent vterq; legati nomine & potestate. Vt Venetos cũ Cęsare in fœdus conciliaret magna quãuis Pontifex cõtentione, iis conditionib. quas pridẽ obtulerat, repetitis parũ profecit tamen ne à Cæsare quidẽ impetratum, vt se ad pactã nuper armorũ societatẽ adiungeret, labantib. Hispanorũ reb. grãde momentũ allaturus. cautior ille belli socialis spectator esse mallebat quã particeps, consiliũ sumpturus vt res darent. Interim quidquid viriũ erat, aduersus Venetos cõferre decreuerat vindictæ auidus. Industria tamẽ & diligẽtia Hieronymi Viquii legati, inducię in tẽpus sunt pactæ certis cõditionibus: in quib. Veneti pecuniæ summam haud exiguã repræsentare Cæsari iussi sunt, inopia tamen minorẽ, neq; quanti litem ipse æstimaret Regi Gallo præcipua cura erat secundum bellũ Italicũ Nortmãniæ primũ, deinde Aquitaniæ littora & arces muniendi: in quæ Angli primum impetũ futurum prouidebat: ne dum longinqua captat, proxima amitteret. Simul Vasconum Regem sibi omnibus officiis deuincire studebat: ex arcano in Gastonem Fuxẽsem Namursiũm Ducẽ in controuersia de Vasconum regno pronior, atq; eã ditionẽ confecto bello Italicò se illi de manu daturum pollicitus. Galli amicitia Vasconi exitialis extitit. Id qua ratione cõtigerit, paulo plurib. explicandũ est. Cognito Pontifex eũ Regẽ ecclesiæ hostib. fauere, ac vero Pisani conuentus Patres, suos hostes complecti ex animo, re cũ Cardinaliũ senatu cõmunicata ad illud extremũ atq; vltimum decurrit, ꝙ aduersus rebelles Principes sanitate desperata remediũ vsurpari consueuit. Senatus cõsulto Rex & Regina Vasconum execr. tione ritu Christiano deuincti ditione omni spoliãtur, ad cõmunem prædã eo decreto aliis Principib. inuitatis. Hæc sententia ad duodecimũ Kal. Martii est Romæ pronunciata. Suspecta Ferdinãdi Regis fraus erat, & paulatim in plures cæpit manare rumor, eo annitẽte seuerũ decretũ & graue prodiisse, coniectura probabilis, quoniã diu penes se arcano id diploma Pontificiũ occultauit, dũ variæ cogitationes recurrunt animo scilicet, quid fama locutura esset, sanandiq; eos Principes rationẽ mitiorem instituere satagit. Sic sub Martii finẽ Petrũ Hontanoniũ legauit, qui eos Reges officii admoneret, si saperẽt, ne cum Gallo rationes miscerent, neq; suis atq; ecclesiæ hostibus porro fauerent neq; per fines transitũ darent. Vtriusq; rei pignus Henricus filius esset in Castellam ablegatus certa coniugii spe ac fide cũ Isabella aut Catharina Ferdinandi neptib. Honestissima postulata feroci Vasco animo repulit Gallicis credo fretus opibus, si quid incideret aduersi. Quin Ferdinãdo studentib. molestus esse, nouos in ditione habere delect⁹. Neq; cessare quamuis à Ioãne Ribera limitis Præfecto monitus. Res Gallorũ in Italia prosperæ, cõtra Hispanorũ afflictæ animos faciebant: quæ pleniora & vberiora pleriq; ad suos scribebãt, multa etiã afficta rumorib. supra verũ. Cardonius in agro Bononiẽsi cõtinebat copias, neq; retro redire, gnarus quãtũ scilicet in bello fama possit & nominis existimatio, neq; vlterius progredi ausus, etsi Põtifex monebat, vt in Mediolanenses fines irrũperet. hostes in ditione bello lacesseret. Verũ ne cõmeatus interciperẽtur, prouidẽdũ erat, dignitatis specie ne incurreretur in maiora mala. Rhauẽna lõginqua vnde annona deferebatur in castra, hoste virib. & fiducia præualido. Hyemis sæuitia imminutæ numero copiæ, multis extinctis plures alii signa deseruerãt atq; infrequẽtia reliquerant. Præterea hoste prope constituto sexcenti equites Pontificii cum Vrbinatis legato ẽ castris vno impetu discesserant specie quasi nõ soluerentur stipẽdia, & ab Hispanis extarẽt insidiæ. Omnino Vrbini Dux occulta cũ Gallo cõsilia agitare nõ est veritus: & cõstat qua nouos delectus haberet pecuniam ipsi à Gallo decretã in nominib. apud Florentinũ mensariũ. Has ob causas sociali exercitu vehemẽter imminuto, Cardonio & Legato Põtificio visũ quatuor millia Italici generis in supplementũ cẽturiare. Põtifex octo millia iubebat, si fieret, pecunia cõtinuo oblata. Nouo supplemẽto cõfirmatis viribus q̃ primum vt cum hoste confligeretur, auctor erat, æger mora & spei impatiens. Cautior Ferdinãdus gnarus Gallorũ vires initio validas mora languescere, bellũ duci iussit dum Venetorũ copiæ aduenirẽt; ꝙ pactis cum Cæsare induciis facile erat modo volentib. Heluetiorũ præterea numerum adiungi, si eius rei facultas nõ esset, certe Germanorũ. Satis gloriosa cõsilia, quæ tuta, patiẽtia nisi vires iuuarẽt in præceps ituros. Id vt suaderet, Ferdinandum Valdesium cohorti prætoriæ Præfectum in Italiam amandauit, qui Pontifice Romæ de ea re conuento in castra delatus eadem Cardonio eius verbis denunciaret. Fecit ille mandata diligenter. Ad Cardonium venit ad quartum Kalendas Aprilis quo iam tempore vtraque castra in conspectu erant: vt vix

videretur posse detrectari certamen citra grauem nominis ignominiam iacturamq; partis quæ recusaret.

Nobilis pugna ad Rhauennam facta. CAPVT IX.

AD Petri fanum, Butrium, Cẽtum & Plebem agri Bononiensis oppida socialis exercitus statiua habebat. Cardonius iis locis Gallos expectare constituit, si vellet prælio vniuerso decernere locorum natura nostris propitia faciebat animos, & incredibilis in milite ardor pugnãdi. Superior ignominia incitabat & partæ toties de Gallis antea victoriæ. Promouere Galli castra, eisq; adiunctus Ferrariensis cum valida & numerosa militũ manu cultu fulgenti & armis conspicua. Triduo vtræq; acies in conspectu constitere; neque tamen ad manus est ventum; dum Galli locorum iniquitatem perhorrescunt, Cardonius Regis sui mandatis à Valdesio allatis obsequi cupit, neque vniuersi certaminis sorte subire nisi re necessaria, certe de suo loco pugna commissa ad non dubiam victoriæ spẽ. Ergo Galli detrectata pugna, in cuius euẽtu rerum & imperii Italici summa vertebatur; pridie Kal. Aprilis mouere castra. Rhauennam petere destinatum erat. Ea vrbe capta, quoniam ex eo copioso rerum venalium mercatu in hostium castra annonæ affatim in dies deferebatur, rei frumentariæ angustiam fore putabant. Eo metu Cardonius dieb. superioribus Petrum Castrium cum centum equitib. expeditis & Ludouicum Dentichium Neapolitanum ciuem cum mille peditib. Italis præmiserat ad vrbis præsidiũ. Parum spei erat diu eos sustentaturos aduersus vniuersas Gallicas copias: vrbs ea tanti, vt continuo iisdem vestigiis hostem subsequi constitueret. Trium non amplius millium spatio inter vtraque agmina. Et de Rhauenna tamen solicitus Marcum Antonium Columnam cum centum è suis cataphractis & quingentis Hispanis peditibus iubet præcedere; vrbemque ingressus tueri. Mari Adriatico Rhauenna adiacet inter duos amnes sita facili ambos vado. Vno Ronco nomen, Montoni alteri. Aluei ita propinqui vt vrbis mœnia stringant, ad læuam Monto, Roncus dexter, inter duos petentibus vrbem, olim Vitis dictus. Ad eam vrbem inter fluuios castra posuere Galli die Iouis Christi cruciatuum memoria sacro ad sextum Idus Aprilis. Die proximo muro succedentes impugnant conatu acerrimo. Defendunt præsidiarii milites magna virtute. Inprimis Ludouicus Dentichius, qui inter pugnãdum amisso fratre, ea & ipse vulnera accepit ex quib. breui decessit. Cardonius secundũ Roncum amnem gemina dirimentem castra exercitusq;, ad vrbem propius accedere pergit. Sabbatho duob. ab hoste millibus consedit ad molas frumentarias, fossa ducta, sæpeq; labro interiori prætenta. Disceptatur in consilio, deberent vltra procedere. Variæ extitere sententiæ & contrariæ. Fabricio resistere placebat eo loco. commeatus ipsis facultatem hostibus inopiam breui futuram dicere. Præterea ex eo loco vrbem tueri promptum, aut si hostes occupare ausu temerario tentarent, à tergo vrgentibus certam victoriam. Nauarrus contra disseruit homo sui capitis, & inimicus consilio etiam saniori, q̃ non ipse dedisset. Magnam is pugnandi cupiditatem semper præ se tulit confisus maxime Hispanorũ virtute, quos aduersus omnes hostium copias parabat obiicere. Non audacia ea sed temeritas sed furor erat. Cautiori sententiæ prælata ea in qua plus dignitatis inesse videbatur, promotæ nostrorum acies. leue certamen extitit, equitum Gallicorũ numero in primum nostrorum agmen inuecto. Nihil tamen ad memoriã eo die incidit insigne. Hostib. tantũ in sua castra reuersis, nostri ea nocte ferme in conspectu constitere, diurno nocturnum laborem continuantes subitaria munitione castra cinxere. Die proximo Dominico, qui Christi ad vitam reducis memoria celeberrimus fuit: tertio Id. Aprilis vtræq; acies quasi ex condicto ad pugnam sunt explicatæ. Galli viginti quatuor millia pedites numerabant, Gallos Vascones, Germanos, & Italici generis, duo millia cataphractos, equites expeditos pari numero bellica tormenta quinquaginta. In primo agmine Ferrariẽsis & Palicius curare iussi sunt. Medium agmen Nortmanniæ Senescalus & Sãseuerinus Cardinalis conuentus Pisani legatus tenuere. Fridericus Rozolius aciem postremã. Namursius cũ lecta equitũ turma ad subita mansit in subsidiis in eam partem daturus impetum, vbi maxime sui laboraret. In sociali exercitu ementiente fama ad decẽ & octo millia pedites cõtineri, vero Hispani octo millium numerum non efficiebant. Italorum millia quatuor; mille & ducẽti equites grauis armaturę, leuis duo millia. Tormẽta quatuor & viginti nõ amplius. Debuerat Cardonius ante aurorã mouere silẽtio agmina neq; cõclamatis vasis, vt trãsitu hostes amnis aciesq; instruere ex disciplina in aduersa ripa prohiberet. In eo quoq; cõtra Fabricii monita Nauarrum aut suum iudiciũ secutus. Sic hostib. facultas data ponte trãsmisso copias omnes loco patenti explicandi. Primum in sociali exercitu agmẽ ductabat. Fabricius octingentis cataphractis, sexcentis equitib. expeditis, peditum quatuor millib. constans. Reliquę copiæ oẽs in gemina agmina tributæ ductorib. alterius Cardonio, alterius Petro Nauarro. Hoc ordine promouerũt acies. Duces pro se quisq; suos milites p turmas

mas

mas & manipulos ad pugnam hortari, victoriam polliceri, inanes metus decederent fortibus animis. Namursius imprimis ad circumfusas legiones hac sententia locutus fertur. Quod diu milites, expetiistis cum hoste patentibus campis certamen fortuna seu vis maior, benignæ instar matris tot antea largita victorias, in præsenti annuit: offertque vobis opportunitatẽ illustrioris victoriæ, quam quæ ab omni memoria ab vlla gente sit parta. Equidem vocem sæpe vestram audiui, Quando dabitur hostis, quando acies instruetur? En vota virtusq; in aperto, omnia vobis prona eademq; hostibus aduersa. Adeste animis, nihil in nostra oratione vanitatis est. Non Rhauenna, vniuersaq; AEmilia atq; Flaminia vestræ virtuti cedent: sed quantula pars erunt prẽmii ex parta victoria parti? Nullo qui resistat in Italia reliquo, quis Romã vobis eripiat, vrbẽ & curiam Christianorũ toto vrbe spoliis superbã? Iis copiis auro, argẽto, gemmis, vesteq; pretiosa multos per annos structis ditari ad miraculũ an vllus vetet? Roma Neapolim an ꝓferre arma pigeat, atq; superioris tẽporis iniurias multas & graues hostiũ, qui fecerunt, exitio vindicare? quanta cũ gloria & fructu dicere non attinet. Tantã felicitatẽ eripiat nemo: proxima victoria semper sequentis erit instrumentum. Quod virtus vestra pollicetur, fortuna, victoriæ frequentes, vultus alacritas & ferocia. Aduersarii ii sunt, qui turpi fuga Bononia discesserunt noctis tenebris tecti, qui fori Cornelii & Fauentiæ mœnibus asperis ve locis salutem tueri quam dextris maluerunt. Is igitur vobis & illis animus erit qui fugacibus & victorib. esse solet, humilis illis & abiectus, vobis erectus & ferox. Nunq̃ hęc colluuies cum nostra gente de Neapolitano regno æquo marte pugnauit, sed fossis, aggeribus, aut fluminibus obiectis. Ne hos quidẽ eos esse milites credite, qui in bellis Neapolitanis inueterarũt, sed aut ex eo numero fugacissimi, ideoq; tandiu superstites, aut tyrones nullo vsu: certe cũ Maurorum modo iaculis & retusis hastis pugnare soliti, atq; ab iis ipsis anno superiori victi fusiq; ad Mænyngis insulã corporib. imbecillitatẽ animis ignominiam in aciẽ protulere. Iam pridẽ Hispanorũ acerrimi ceciderunt: ignaui & metuentes supersunt. Nauarrus quoq; tanti scilicet nominis dux ea prudentia, suo malo didicit quantum inter se differant ignitis globis actisq; sub terra cuniculis subruere mœnia, & hostẽ propius ferire. Nulla illis in vera virtute fiducia posita est sed in fraude. An hac etiam nocte non aduertitis se subitarii operis fossa, obiectisq; carris inclusisse, leui munimento scilicet, neq; intelligentes longe aliter q̃ fortassis cogitant, certamen fore. Igneę pilæ tormentis excussę, mihi credite, è cauernis & latebris in apertũ producent. Ibi quantum Gallorum alacritas, Germanorum ferocitas, Italorum generosus ardor Hispanorũ fraudib. præstet, facile dignoscetur. Illud vereor modo, ne aliquid ex vestra gloria decerpat numerus q̃ hostiũ ferme duplo maior. Sed oblatã tamen cęlitus vincendi securitatẽ arripere, quis iure interpretetur ignauiã, & iure non potius temeritatẽ & insaniam hostium accuset? Quos ad pugnã non virtus non spes trahit, sed Fabricii Columnæ auctoritas alieno periculo satagentis Marco Antonio propinquo, vti est pollicitus, opitulari. Aut potius excęcat animos diuina vindicta, cũ vim suã refringi non vult, Iulii falsi Pontificis superbia & sceleribus irritata, fraudib. Aragonii Regis & perfidia, nostri Regis simplicitati sæpe illudentis. Verum quid attinet nõ necessariã orationem longius producere? Quid fortissimorum militum victoriã prolixo sermone morari? Reo auspice in hostes irruite. Hic dies meo Regi imperiũ, vobis ditissima Italiæ spolia præstabit. Ego dux vester nulla salutis cura, vti facere sum solitus, omnibus partib. adero virtutis cuiusq; testis spectatorq;, adiutor in periculo, omnium ducum felicissimus maiorib. ex victoria diuitiis paratis q̃ vlli à trecẽtis annis milites in Italia retulerint. Excussæ mox tormentis pilæ stragem late in Gallorum prima acie fluuiũ traiiciente fecerunt: multo maiora damna intulerunt nostris cataphractis Gallica vicissim displosa tormenta q̃ppe duplicato numero q̃ socialia, locoq; aperto scienter disposita, adhęc nullis obiectis exaduersum munimentis. In eo discrimine Piscarius cum expeditis equitib. impetũ in hostes facit: vt pugna cominꝰ cœpta miscerẽtur agmina. Cataphracti ab vtraq; parte subsecuti sunt haud satis seruatis ordinibus. Prælium varium, atrox, anceps fit, his rursusq; illis exitiabile. multi in vestigio pleriq; non inulti cadunt aduersis omnes vulneribus. Gallorũ equitum numerus maior erat, alacritas conspicua. Multitudine hostium, nostri constantia victa loco tantisper moueri cœperunt. In eo conflictu Piscarius equo vulnerato viuus in hostiũ potestatem venit, cecidit Petrus Pacius præstanti virtute Dux in bello Neapolitano ingenti laude parta. Tum Petrus Nauarrus cupidus victoriæ gloriã vniuersam ad se trahere equitum turbatione conspecta Hispanos pedites recenter in pugnã inducit trecentis à tergo equitibus, quos potuit colligere, firmatã aciem. Anteq̃ in Germanorum peditatũ impressio fieret, Zamudius Tribunus animaduertit è Germanis centurionib. quendã Iacobum Empserum nomine prouectum à reliquis, eum quippe

fulgentibus armis conſpicuum ad ſingulare certamen vocare. Correpta is atq; concuſſa militari haſta, ô Rex, inquit, quanti tua hoc die conſtant beneficia, leue profecto pretium hodierni periculi atq; ambigua ſorte certaminis. His dictis in Germanum irruit, vaſtoq; hoſtem corpore primo ictu ad terram ſtrauit. Reliqui eo ſpectaculo cõmoti, cęci furore in ferrum ac vulnera vęcordi audacia ruunt. Momentoq; tẽporis fuſis cæſisq; Germanis eodẽ impetu in Vaſcones & Italos inuecti cæſos in fugã auertunt. Maior aliorum fuga q̃ cædes, Germanis inſita conſtantia exitio fuit. E duodecim eius gentis centurionib. nouẽ cecidere nihilominus, aliorum militum cædes par. Neq; deſtitere Hiſpani priusq̃ ad tormenta ventum eſt: capta etiam eodẽ impetu quidã ſcriptores affirmant, Gallici negant: atq; à Ienolaco Galeoto rei tormẽtariæ Magiſtro egregie fuiſſe defenſa aiũt. Illud cõuenit, Gallicum equitatum ea ſtrage & periculo perſpecto conuerſis in Hiſpanos ſignis eam impreſſionẽ feciſſe cui pares illi non fuere: q̃uis aliquandiu fortiter pugnarunt, quippe diuturna pugna feſſi, nullo equitatu defenſi. Tunc Zamudius periit. crudele fatum tanti viri virtuti non debitum, periere plures alii duces. Petrus quoq; Nauarrus captus eſt. Reliqui atq; iis adiuncti qui ex prima acie ſuperfuerant cladi, ſeruatis ordinib. ſe recipere cæperunt ex vno latere clauſi amne, ex altero viæ publicæ aggerem pro munimento habentes. Cupiebat Namurſius eo cęſo agmine victoria integra potiri, neq; de publica lętitia quicq̃ diminui, ſi maior hoſtilis peditatus pars incolumis euaſiſſet. Palicius ſatis eo die eſſe profectum diſputare neq; cõmittendum vnde irritabile hominũ genus amplius efferueſceret. ſæpe ex deſperatione ſpẽ ortam. Ille nihil his monitis eſt deterritus. cum paucis prouectũ ac moleſtum eſſe porro pergentem conuerſi Hiſpani ex equo præcipitem dedere, peremit miles gregarius nihil proſtrati verbis motus, captiuum ſe habere Reginæ Aragonię fratrem. Incenſus furore animus miſericordiam nõ recipit, an Gallica verba Hiſpanus non intellexit. Periere itẽ Allegrius & filius, Lautrechius pro mortuo inter iacentes relictus eſt. Sic ſecundo flumine ad tria millia milites abire ſunt permiſſi. Fabricius interim cum ſuis & quos ex reliquo numero colligere potuit pugnã alia parte ſuſtentabat, neque prius deſtitit quam duob. vulnerib. acceptis & cum equo prolapſus venit in poteſtatem Ferrarienſis militum. Capto Fabricio nullo amplius repugnante victoria à Gallis aperte ſtetit tanta tamen ſtrage afflictis, vt neq; ad inſequendum hoſtem ſatis animi fuerit, neq; ad nouos conatus. De cæſorum numero nihil certi ſtatui poteſt propter magnam inter ſcriptores varietatem, vulgato gentium affectui vno quoq; vt videtur, ſeruiente. Illud cõſtat quinq; horas pugnam tenuiſſe aliquanto maiori quam hoſtium vincentiũ clade, ſiue Namurſii ſummi ducis cæde Germanorum ferme omnium ſtrage occiſisq; ex vniuerſo exercitu nobiliſſimis præter Ferrarienſem Paliciumq; ſiue ſocialis equitatus incolumitate, prorſus vt ea nocte ad tria millia equites verſus Ariminum & Anconã ſeſe receperint qua grauis armaturæ qua velites, ad hęc pedites Hiſpani ſup quatuor millia euaſere. Cardonius ex fuga Piſaurium primum, deinde Anconam abiit fugientes fuſi exercitus reliquias collecturus. Factis & genere viri præſtantes ſeruati ſunt Traiecti Dux, Populi Comes, Rodericus Diacius Ceron, Alfonſus Caruaialius, Antonius Leiua quamuis duob. equis in pugna tormentis occiſis. Fernandus Valdeſius qui pugnæ intereſſe voluit, Iulius Mediceus miles Hoſpitalarius. Capti præter ſuperiores, legatus, & Ioãnes Cardonius Padulæ Marchionis frater, q̃ ex vulnerib. deceſſit, Fernãdus Alarconius, Marchiones Atelę atq; Bitonti, alii pręterea quorum inire numerum longum eſſet. Captiui Mediolanũ ſunt deducti, Fabricius tantum, Alarconius & Ioannes Cardonius Ferrariæ manſere. Victoribus ſecundum prælium continuo Rhauenna portas aperuit. Obſtructas antea conſilio ſe dedẽdi mentes metus aperuit. Pactis tamẽ in deditione conditionib. Galli non ſtetere rebus ſecundis feroces & accepta clade irritati. Egreſſis Marco Antonio Colũna atq; Petro Caſtrio Cęſenã verſus, vrbẽ milites diripuere, ſæuitia & cupiditas inſtigabãt, vbiq; lamẽta & vlulatus & fęda captæ vrbis imago, nihil vsq̃ ſecretum & clauſum, aut ſi reſiſteretur certa cędes. Adeo vt Hiſpani militis inuidioſa antea petulantia deſideraretur. ne tẽplorũ quidẽ theſauris aut monaſteriis pepercere. Gallici ſcriptores Iaquinũ centurionẽ eius vęcordię auctorẽ extitiſſe, accuſant: q̃ ex ſpoliis Brixię ſacris, auro intertexta veſte ſuperbus. Simili cõpendio ductus, q̃ capitale extitit, militib. ſuaſit vt par impietatis exẽplum Rhauennæ etiã conſtituerẽt. plures certe opinione intra vrbẽ copię omne genus ſunt inuẽtę. Forum item Cornelii, Forum Liuii, Cæſæna, Ariminum, ac fere omnes Flaminię arces in victoriæ partem vltro conceſſerunt. Quas Sanſeuerinus Legatus, Piſani conuentus nomine in fidẽ & tutelam accepit. Prælii huius q̃ inter Italica in paucis nobiliſſimum fuit, fama in omnes partes diffuſa, Pontifex quidem non abiecit animũ quamuis Romano populo ad arma conſternato defectionemq;. Ac p̃cipue confirmauit Vrbinas delato extẽplo

ſtudio

studio cupiens priora errata emendare, ad patrui Pontificis redire gratiam: atq; Iulius Mediceus qui facultate impetrata visendi legatum patruelẽ req; cum eo cõmunicata Romã delatus, quo in statu res essent, anxio Pontifici renunciauit, suisq; & legati verbis bono animo esse iussit, maiorẽ cladẽ illatam Gallis q̃ acceptam: rerumq; breui conuersionẽ fore. Ferdinando Regi persuasum minorẽ multo stragem vero extitisse. Quãdo ex eius litteris affirmatum inuenio, equites peditesq; è suis copiis nõ amplius mille & quingentis ratione inita desideratos. Magnũ tamen Gonsaluũ in Italiã remittere statuit idoneum virum, qui sua præsentia ea vulnera maiorib. commodis sanaret. Sic litteris in omnes partes esse deliberatũ sibi & fixum significauit. Solisio itẽ militi sacro duo millia Hispanos attribuit Neapolim continuo auehendos in supplementum, melioris spei initium. Rex Gallus pugnæ euentu nunciato, Vtinam inquit, Italiæ vniuersæ iactura mei Namursii vitã redimere, Similes victoriæ inimicis contingant. De iis enim scite vulgo dicitur. Qui victus est, superatur quidẽ, sed victoris tamen ruina. Venetis hac victoria erat persuasum, Gallis nõ Neapolim tantũ cessurã, sed vniuersæ Italię imperio spẽ & cupiditate imminere, iugumq; imposituros. Fluctuantes atq; de transitione cogitantes Spinelus Cariati Comes pro Ferdinando in ea vrbe legatus erexit oratione tẽpori accõmodata, docens minora opinione damna extitisse: effecitq; ne ad nouũ fœdus respicerent reiecto veteri. Sorrenti Cardinalis pro Cardonio rebus Neapoli Præfectus, dum bellũ esset, Hugonẽ Moncadã è Sicilia aduocare in pręsidium, admonereq; pro imposito munere Neapolis atq; Siciliæ summi ducis ne cunctaretur rebus asperis succurrere. Quod ille libenter præstitit, Tripoli deductos milites, equitumq; numerum secum Neapolim deuehẽs. Eandem Cardonius Ancona profectus, vrbem iniit ad quartum Nonas Maii in vnam curam reparandi exercitum intentus, ac cætera bello necessaria conquirendi vt tempus & facultas darent.

Conuentus Lateranensis inchoatur. CAP. X.

PRiusquam id pręliũ committeretur, Pontifex Romæ in conuentus Lateranẽsis, quem indixerat, apparatus cura districtus octo designauit Cardinales in senatu qui mature considerarent: q̃ comparare opus esset, ac vero diligentem operam nauarent morib. tum Romani populi, tum præcipue curiæ aulæq; Pontificiæ acriori censura castigandis. Neq; enim decebat vbi domicilium sanctitatis & pudicitiæ esse debet, vnde leges prodeũt probitatis, à quib. iura sacraq; petuntur, ibi vigere prauitatẽ altis nixã radicibus: ꝗ oculos & animos offenderet Episcoporũ e toto vrbe confluentiũ. Enimuero summus Pontificatus sanctos vel accipiat vel faciat æquũ est. Siculos & Neapolitanos ꝓsules priorib. edictis parere excusantes maiori q̃ alios cura euocare. Ex Hispania quoq; ac nominatim Toletanũ Hispalensemq; vt venirẽt, vrgere nobiles præ cęteris Antistites & graues. Eorũ præsentia honestare conuentum cupiebat actionib. auctoritatem maiorẽ conciliare, vsq; eo studio prouectus vt Hispalensi purpuræ honorẽ modo venieti deferret. Pisani conuentus existimationẽ per eũ modo obscurare cupiebat, à factiosis Cardinalib. indicti & haberi cœpti. Ii per hosce dies Mediolanũ delati conuentu in eã vrbem translato, victorię superbi supra verũ celebri fama, eo sunt audacię progressi, vt edicta euulgarint in Pontificẽ cõtumeliosa & grauia. In iis præfati sępe obtestatos hortatosq; Pontificem, vti sui in concilio copiã faceret, certe e decem vrbib. vnam conuentui idoneã ipse deligeret, libertate Patrib. decernendi data (quid enim si vox libera non sit, liberum esse?) nihil profecisse. ac vero eius improbitate infinitã vim sanguinis effusam esse mutandi nulla spe. Ob ea flagitia clauiũ iure spoliatum ex præscripta sanctione Basiliensi sessione vndecima, quarta & quinta Synodi Constantiensis, eoq; in synodum Pontificiã omnẽ potestatẽ decernere trãslatã. Sententiæ exempla pro forib. templorum Mediolani, Florentiæ, Genuę, Veronę, atq; Bononiæ sunt affixa. Proiectã audaciã probrũq; ingemuit orbis Christianus: Pontifici stimulos addidit vt in cœptis festinaret. Ergo ad sextũ Idus Maii Lateranensis conuentus inchoationi Pontifex affuit actionũ præses & moderator, affuere Cardinales atq; Episcopi magno numero ex variis regionib. in studium iuuandi ecclesiã Pisanorũ Patrũ audaciã frænandi incitati. In primo conuentu Egidius Viterbius Augustiniano ordini Generalis Pręfectus excellẽs ea ętate atq; ꝑ cęteris clar⁹ in Italia cõcionator, iussus e suggestu dicere subiecta sẽtẽtia elegantẽ ad Patres orationẽ habuit. Anni fluxere aliquot, ex quo ꝑ vniuersã Italiã ex Ioãnis Apostoli Apocalypsi dicendi sumpta occasione, magnas ecclesiæ calamitates instare sum vaticinatus: certam tamen ex iis malis emergendi aliquando spẽ promitti, Lætor, Patres, atq; ex animo gaudeo nostrũ vaticinium inane nõ extitisse. Rebus enimuero in extremũ discrimen adductis, & in tetrã malorũ caliginẽ, quasi post obscurę noctis tenebras melioris spei lumen ostenditur, serenũ post sęuam ventorum & turbinũ tempestatem. Hoc discrepant inter cætera a cœlestib. terrena, ꝗ illa instauratione nõ indigent qppe æterna natura;

res humanæ propter innatam inconstantiã & varietatem remediis opportunis ne penitus intereant soluanturq;, reparari identidem opus habent. Quod victus animantibus, q cultura irrigatioq; plantis est, id in vita & morib. accurata disciplina, ne noxiis vitiorũ sentib. siluescant atq; vastetur instar neglecti agri. Bonus agricola arbores vel adminiculis erigit, vel circumcidendo castigat, sub aliena latentib. vmbra cælum aperit, ramorum densitate impeditas interlucat, telluris vitio laborantib. mutat locũ: neq; rectas tantũ & fertiles colit, sed deprauatas corrigit & minus fructuosas: neq; sudori parcit, modo pdia hortiq; nitescãt. Tantundem de pastoribus dici potest, sed locum videtis. Ergo doctrina & exemplis excolantur animi; quę in populi moribus delapsa fluxere seueriorib. legibus astringantur. ea cultura esto. Vos omnes cælestis pater huius agri custodes & cultores dedit, sui gregis curatores. An æquũ videatur inertiæ se dare? altũ stertere? & nõ poti⁹ cui omnia debemus pro ea vitã sanguinemq; profundere? Possunt quidẽ eam diligentiã pastores in suis singuli caulis præstare, tantum ne exitialis somnus inuadat, verum à tempore Magni Constantini vsu perpetuo edocti sumus multo id commodius contingere, maiori efficacia; cum Antistites in vnũ locum conuenientes, diuinoq; afflatu adiuti inter se conspirantes de salute publica in cõmune consultant. Repetite Patres veteres historias, euoluite antiqua scriptorũ monumenta, reuocate in memoriam superiores ærumnas & mala. Quis hæreses antiquas & sectas nefarias à stirpe conuulsit? concilia. Quis Principum insolentiã frænauit, terrorem improbitati ne se efferret grauis & importuna quis incussit? an non id concilia pręstitere? longum esset explicare singula; sed certe quid ecclesię vniuersæ maiestatẽ tuetur, cultum religionis & sanctissimas cæremonias illustrat, populi prauitatẽ coercet, fouet pietatẽ & legib. vt obtemperetur facit? An non hæc omnia à conciliis pstantur? Quod si labori & industriæ fructus non respõdet, si vitiorum pestes in multorum perniciẽ & reip. dedecus maiori q̃ opus esset, licentia grassantur: videte Patres, ne forte salutaris instituti intermissio eã conscierit labẽ. Magna vis horum conuentuũ existit, saluberrima operatio, ita tamen si accedat inocentiæ in nostris morib. & probitatis exemplum. Certissimum subsidium à vita rectorũ reliquæ diligentiæ paratur, nostri capitis imitatione, & doctoris, qui vt diuinę perhibent litteræ, cœpit facere & docere. Salutaris doctrina est, sed si docentis exemplis iuuetur. Displicet hominibus imperata correctio, actione facillime iubetur, exemplo facillime obtemperatur. mouent enim magis excpla quã verba, atq; vtinã ô vtinã tam multi bene operarentur, quã multi præcipiunt bene. Verum in re certissima hęrendum non est. Sed quis tamen non videat, non gemat huius æui ærumnas continuas & graues? mores populi in omnem licentiam solutos. Imperitiam, ambitionem, impudicitiam, vbi minus decebat grassari? Intemperantiã & rapinas Principum an militum an vtrorumq;. Dicam audacter fortasse, sed vt arbitror vere, siccis oculis quis aspiciat Italiæ campos humano madentes sanguine magis quam de cælo imbribus, vndantes per vrbes, & oppida gladios, inocẽtiam oppressam? Hæc aliaq; multa mala vestram opem, Patres exspectant, ea sublata spe vnde remedium nostris miseriis petatur? Magnam prouinciã, Pater sancte, suscepisti: multa aggressus es & perfecisti præclare. Sublata latrocinia, aperta itinera, plures ad sacrũ imperium vrbes restitutæ, quam à quoquam alio ab omni memoria Pontificum. Magna hęc sunt atq; præclara, quis neget? quis non videat? Omnium tamen maximam à tua prudentia cuncti præstolamur. opem Principibus Christianis pacatis in communem hostem omnium opes viresq; conuerte. Id vt facilius cõtingat, positis absonis armis ea arripiamus q nostræ militiæ sunt cõsentanea. Iis vitia omne genus scelera multa q̃uis & fæda, sunt impugnãda. Quando n. vita solutior? quãdo ambitio magis effręnis? Quãdo maior de diuinis rebus loquendi sentiendiq;, vt cuiq; placet, licentia? laniena sæuior an vllo tẽpore accidit, q̃ quę Brixię prius, deinde ad Rhauennam extitit? cruoris riuis nondum exiccatis? Quæ omnia quid aliud quam voces cælestes sunt denunciantes quantopere ad hæc suprema remedia sacramq; ancoram recurrere esset necesse. fructus vt cumulatior existat, modestiæ studio, clamores amoueantur & iurgia. Sed cum eo tamen si loquendi decernendiq; libertas fit omnibus vt maxime q̃dam dolorem facere videatur. Magna Deo à vobis Patres debetur gratia, quos lingua, moribus & genere discrepantes in hunc locum perduxit; magna laus vobis ab omnibus bonis, qui tantos labores sumpsistis p studio iuuandi ecclesiã. Magna sapientia in his augustissimis sedib. versatur, auctoritas par. Aderit Christus suo numine, cuius agitur causa, ciuesq; cęlestes omnes; vos imprimis Petre & Paule clara inter cælestes lumina, ecclesiæ sanctæ atq; huius vrbis tutelares, clamores nostri & singultus ad misericordiam flectant. Ecclesiam vestrã iuuate, vestro, inquam, sudore consitã cultamq;, vineam, diuinam Christi & vestro sanguine irriguam hæreditatem & quã à tyrannorum sæuitia liberastis, ne eorum manibus extirpetur & pereat, qui se filios eius & familiares pro-

profitentur, benigne facite. Cunctos hos Patres & ſanctos Pręſules confirmate cęleſti ope, vt mentis oculis in Deum ſolum coniectis, ac nihil pręterea captantes, q̃ noſtra vulnera poſtulant & tantæ miſeriæ exigunt, ea adhibere remedia ne metuant.

Bellum Vaſconum inchoatur. CAP. XI.

TRanquillæ tunc res in Hiſpania quidem erant finitimis Regibus partim affinitate deuinctis, partim icto fędere in amicitiam & ſocietatem aſcitis. Italiæ Principib. & militib. magis vires deerant bello feſſis & fractis, q̃ voluntas repetendi arma: cum repente in vtraq; gente bellum exarſit atrox & graue euentu vtrobiq; Gallis exitiali. Id qua ratione contigerit explicamus. Cæſarem inter & Venetos pactę induciæ ad Sedunenſis diligentiam adiunctæ, præterea prælii ad Rhauennam fama Heluetiis iniecere voluntatem in Italiam tranſeundi Pontificiæ cauſæ patrocinio ſuſcepto. Quod alios terruiſſet gentis ferocis animos ad feſtinandum incitauit; atq; ita vt ad quartum decimum kal. Iunii ad Valcamonicam eſſent agri Brixienſis oppidum ad ſedecim hominũ millia cum tormentis campeſtribus decem & octo, pręter alia ſex millia milites per Mediolanenſes fines Nouariam verſus cõtendẽtes, aliaq; duo millia Bergomũ: incredibilis multitudo ꝓ anguſtæ regionis modo. Præerat his copiis Altoſaxus militari laude præſtans, illique adiunctus Sedunenſis Cardinalis. Galli ſiue ſtudio Aquitaniam tuendi ab Anglorum iniuria, ſui Regis iuſſu, vt excuſant ſcriptores Gallici, ſeu metu ne Heluetiis, Italis, Hiſpanis in Italia in eorum perniciem conſternatis tantisq; apparatibus pares eſſent, deſerta Italia in patriam frequentes rediere. Reſtitit Palicius in Inſubribus cum modicis copiis, ė quibus tamen indies milites dilapſi ſigna infrequentia reliquere. Veronã ſupra viginti Heluetiorum millia peruenere ad ſextum kal. Iunii. Vrbs ea cum arce Gallis deſerentib. ſine ſanguine venit in hoſtiũ poteſtatem. Eo Veneti vt Paulus Capellus eius vrbis copias ad Heluetios adiungeret, ſenatusconſulto decreuere. Ea erant ſeptingenti cataphracti, velites octingenti, pedites quatuor millia. Heluetii recentibus auxiliis aucti & Verona capta læti Valeſium progrediuntur, quo ſe Verona deſerta Galli receperant. Idẽ ſucceſſus fuit, ne tentata quidẽ defenſione locum deſeruere; ne prohibitis quidẽ tranſitu hoſtibus ꝙ erat promptum Mincio flumine interiecto, ꝓpeditis ripis difficili vado. Iiſdem veſtigiis victores ſubſecuti, cedentibus nihil vt tutum eſſet, effecerunt Cremonã vſq;. Vi quadam abdita Galli in pauorẽ & fugam agebantur. Et Cæſaris induſtria Germani, qui in Gallico exercitu ſupererant, cõmeatu petito diſceſſerunt, tanta ex eo Palicii conſternatione vt non prius conſtiterit, quã Aſtam ventũ eſſet Mediolanenſis principatus ad fines extremos ſitam, neq; procul Alpibus, Italiam deſerendi certa voluntate, ꝙ magnã deſperationis ſignificationem continebat. Sic vrbes alię Gallico imperio repudiato deterſis Galliæ inſignib. defecere paſſim. Cremona Sedunenſi imperii nomine ſe ſubdidit. Mediolanum ac ferme aliæ ipſi contributæ vrbes ad victores acceſſere. Cuncta elemẽta in Gallos conſpiraſſe viſa ſunt, impios in Pontificiam maieſtatẽ auſus eorum qui fecerant, pernicie vindicare. Vt belli aduerſus Gallos iuſtior cauſa eſſet, ardentius gentis ſtudium, lætior ſucceſſus, victoria facilior; Gurſenſis & Petrus Vrrea ea caſtra ſecuti Maximilianũ Sfortiam in Italiam euocandum iudicabãt. Factioſi Cardinales in tam repentina rerum conuerſione Mediolano diffiſi in Galliam diſceſſere. Vrbes Placentia & Parma in eo rerum motu vltro ſe Pontifici ſubdiderũt. Arripuit ille occaſionem libenter imperii proferendi, ad ſuum ius pertinere contendens Rhauennæ quondam exarchatui contributas, quo tempore Græci Auguſti Italiæ partem obtinuere. Obſoleta nimirum iura ex vetuſtis deprompta tabulis mouebantur, nunquam niſi armis valida. In Hiſpania Ferdinandus belli cauſas aduerſus Vaſconem quęrere videbatur, ſatis ſibi dari damni ea parte illati, ſi qua vis ex Gallia ingrueret, poſtulans, Henricum filium quia dare fidei obſidem Vaſco recuſauit: certe ſex arces traderet pignoris loco facturum quæ oporteret. Eas obtinerent Vaſcones quidem, Ferdinandi tamen nominatione ſacramentoq;. Durum id quoque videbatur. Latro Mauleonius Burgos à Vaſcone legatur nulla tamen idonea paciſcendi facultate. A Vaſconum regno tutos Hiſpaniæ fines fore pollicitus, vt tantundem de aliis principatibus, quos ii Reges in Gallia obtinebant, & Hiſpaniæ limites attingũt, in fædere caueretur; non ſatis adducebatur. Reſponſum ergo Vaſconi poſt multas diſceptationes, è duobus alterum eligeret. A neutra parte ſtaret, ſed mediũ ſe gereret inter diſceptantes. certe ſi virib. Gallicis Regem Gallum iuuaret Vaſconum opes in auxilium Hiſpani & ſocialis exercitus conferret. Vaſconi Ferdinandi felicitas erat ſuſpecta, ne Namurſio ſublato, Germanę extincti ſororis, iure repetito, regnum illud quaſi dotale occuparet. Aduerſus eas ſuſpiciones Orbalis Galli apud Vaſconem orator, ſi id cõtingeret, Galliæ vires vniuerſas venturas auxilio polliceri, vt pleriq;, qui in aulis Principũ viuunt, vaniloquus maria terras inani ſonitu verborum complens. Quin Henrico Vaſconis filio

adiecit nupturam minorem Galli filiam. Inanes pollicitationes rebus vacuæ, credulum Principem egere præcipitem, vt Hiſpani ea propinquitate contempta, contra diuinas leges & humanas ſe Gallo ſocium adiungeret. Inter hæc Orſeti Marchio ad finem Cantabriæ appulit ad ſextum Idus Iunii cum claſſe, in qua quinque millia ſagittarios vehebat, exiguum numerum, delectam tamen Angliæ pubem. Ad Sebaſtiani fanum Fridericus Portugalia Seguntinus Epiſcopus expectabat, claſſi & militib. neceſſaria præbiturus Regis iuſſu. Delectu in Caſtella habito idoneus exercitus cōflabatur Albano ductore ſummo. Ferdinando Regi fore commodum videbatur, Vaſcones primum impetere: nullo à tergo hoſte in Aquitaniam demum inuadere: ſi ita eſſet factum, maiorem commeatus fore facultatem, cuncta faciliora. In eam expeditionem intētus gentis Aragoniæ conuentus agitare decernit actionum Præſide Germana Regina, milites ſcribere ex ea gente pleroſq; capite cenſos in ſubſidium eius belli, quod per ſe geſturum dictitabat. Decreta in eo conuentu auxilia in biennium & octo menſes, equites grauis armaturæ ducenti, leuis trecenti. Prouiſa tēpeſtate Vaſco Petrum Nauarrum Mareſcalum ad Ferdinandū de pace legauit. Arces quaſdam fidei obſides daturum, demptis tamen Stellæ & ſancti Ioannis arcibus, quas expetierat imprimis, & erant præcipuæ: vitio mortalitatis ad ea recurrebatur conſilia quę ante repudiarat, vtrūq; intempeſtiue. Vt Pompelo primū peteretur viſum eſt. capite dempto reliqua prona fore. Idem vt Anglus faceret quamuis de ea re appellatus adduci non potuit. Sine ſui Regis mādatis bellū Vaſconi inferre nefas putare. Ac vero Ferdinandum conquerebatur ad inuadendam Aquitaniam copias paratas non habere. Occaſionem præteruolaſſe, certe in aditu prouinciæ Baionam occupandi tunc pręſidio nudatam vrbē: mora effeciſſe vt milite & rebus omnib. inſtructæ, difficilior impugnatio foret. Sic ex ſuo commodo Hiſpanum bella gerere: ad ſociorum præſidiū præter nomen nihil opis afferre ſolitum: ac ludibrio potius præ faſtu habere cęteros, vilia arbitrari capita.

Vaſconum regnum occupatur. Cap. XII.

AD Victoriā Albanus ſui Regis mādata morabatur, in q̄ parte cū copiis iturus eſſet, ꝑ vicina Cātabriæ & Riuogię oppida eo tēpore diſtributis; Eæ erāt mille cataphracti mille & quingenti velites, peditū ſex millia, eorum tribuni Rengifus & Villalba militari laude & longo militię vſu pſtantes, viginti tormenta bellica Præfecto Diegho Vera. Vt Pōpelonem duceret Vaſconum regni caput Albano duci mandata venere. Ille nihil cunctatus collecto exercitu, motiſq; continuo caſtris ad Vaſconum fines peruenit die Mercurii ad tertium decimum kal. Auguſti. In primo agmine Ludouicus Beamontius longo exilio irritatus, atq; doloris vlciſcendi cupidus curabat. Periculo cognito Vaſco Regina vxore cū filiis in Bearnē amandatis, ipſe Pompelone reſtitit eam vrbē tueri conſtituens. Imbecillæ vires erant, neq; hoſtibus potentia par iter expeditum nullo repugnāte: opinione faciliora omnia extitere. Ita Vaſcone Lumbierrem oppidum profecto, accedēti ad mænia Albano ciues ſupplicum velamenta explicarunt, ſupinas manus tendentes, verteret in noxios irā, ſe dedentib. parceret. Nuncupatis conditionibus vrbs dedita eſt ad octauum kal. Auguſti ipſo Iacobi Apoſtoli memoria ſacro die. Cætera eo regno oppida Pōpelonis exemplo incitata, metuq; hoſtium ſecutura videbantur. Vaſco in ea ſuorum conſternatione conſilii inops tres viros idoneos ad Albanum mittit cum mandatis, facturum ſe quęcunq; eſſent imperata. Reſponſum, vti Ferdinandi voluntas expectaretur, ab ea nō diſcederet. Miſſi de tota re legati acerbas conditiones retulere. Vaſconū regnum traderet vniuerſum, in poteſtate Ferdinandi futurū dū bellū ſociale eſſet & eccleſiæ diſſidia cōponerentur: ac deinde quandiu eſſet viſum. Fidei pignus eſſet Henricus filius in Caſtella educandus. Erat iniquū filium & regnum poſtulare, neq; definire ante quē diē redditurus eſſet, vt ſi in omne tempus retineret, nulla tamen mēdacii religione obſtringeretur. Ergo ea ſeueritate imperandi irritatus Vaſco & alioqui de rerū ſumma in Hiſpania diffiſus in Galliam trāſcendit. Regis diſceſſu, Vaſconum oppida de deditione appellata, miſſis procuratoribus ſine mora iuſſa fecerunt. Stellæ tantum arx & Eſcuæ vallis incolę illa munitione, hi locorum aſperitate confiſi in fide veteri perſtitere. Roncaleſes quamuis & ipſi montium iugis & ſyluis contra irrumpentes defenſi, acceſſere ad reliquos cum ea exceptione ſi Aragoniæ legibus & inſtitutis viuere daretur. Interim ex Gallia miſſæ copię ad tuendum Vaſconē Bearnem peruenere. Maior expectatio famaq;, quā ſucceſſus. Monitus tamen periculo Ferdinandus Burgis Lugruniū ad fines Vaſconū abiit, è propinquo ſua ope cōſilio iuuaturus. Acceſſere cū copiis viri nobiliſſimi, Emanuel Benauidius, Ludouicus Cueua, Enecus itē Velaſcus equitū in Caſtella Magiſter cupidi operam in eo bello Regi nauandi. Antonius Acunia Zamorę Epiſcopus ſuperioribus diebus Pompelonē iuerat Pontificis verbis obteſtatū, ne Vaſco cū factioſis ac pacem eccleſiæ turbātibus res ſuas miſceret: ſi ſecus eſſet factū diras

in

in caput eius minas & extrema exempla detestari. Parum ea tunc diligentia profectũ. Hoc tamen tempore Ferdinandus idoneum hominẽ ratus, per quẽ Vasconi pacis conditiones recẽs impositas denunciaret, eũ in Bearnem destinauit. Accedenti Saluaterrã iniectæ sunt manus: ac quo minor excusatio esset, iussu eius Regis Longauillæ Duci est traditus Aquitaniæ præfecto, Gallici item exercitus, qui opitulatum venerat, ductori. Neq; personæ dignitas valuit, neq; legati nomen etiam inter barbaros sanctum. Etsi alia species captiuitatis prætensa est: ac inter alias accusationes obiectum, nuper prælio ad Rhauennam cõmisso interfuisse, dignum videlicet vinculis maloq; crimen. Paulo post tamen idem siue succedente pœnitentia, seu quia commodum erat, mittitur ad Ferdinandum internuncius de pace, tribus fratris filiis pro se relictis obsidibus, rediturum quotiescunq; iussus esset. Miraculo fuit ea facilitate celeritateq; vniuersum regnum Vasconum Hispano cessisse. Ex eo Galli coitionem & dolum profecto subesse suspicari. Sponte Vasconis excitari bellũ, cunctaq; quæ acciderant nõ gentis ignauia aut hostium virtute sed cõpõsita fraude euenire. Suspicionem late fusam vt detergeret Vasco ad Gallum contendit rei gestę ordinem explicatum. Præterea Gallis Saluaterram dedit fidei pignus: & vt id oppidũ maiori præsidio munitum ab iniuria tuerentur. Gallo Regi destinatum erat vires vniuersas in Aquitaniam mittere Delfino etiam copiarum Duce adiunctis militibus & ducibus præcipuis, qui ex Italia redierãt, pleriq; in Regis familiã adscripti & claris orti natalibus. Cõtra Ferdinandus imperio recens capto stabiliendo dabat operam diligentem: ac nominatim à Pompelonis ciuibus sacramentũ exegit, non iam quasi sequester, sed Regis nomine. Facto species prætenta Ioannem Regem pactis conditionibus non stetisse. Sic regnum victori cedere belli iure, quo quę optimo. Cum Petro Nauarra Marescalo, & cum sancti Stephani Comite, vt ad Ferdinandi partes accederent posita contumacia per internuncios agebatur. Comes, quem paulo post Falcis Marchionem dixere, facile adductus est vt tempori seruiret. Marescalus causæ sui Regis acerrimus propugnator, re communicata cũ propinquis, facturũ negauit, quod sine dedecore & fidei datæ sugillatione non posset. Tudela vrbs, etsi inter primas obsequium victori detulerat, sacramento fidem vt obstringeret adduci non poterat. Aragoniis legibus viuere cupientes ii ciues, hoc est vitę conditione libertati proxima, non ante destiterunt, q̃ Cæsaraugustanus Præsul collectis copiis ad ea mænia accessit vim admouere paratus & metum. Obseratas cõsilio mentes timor aperuit, effecitq; vt qua cæteri conditione imperata facerent: neq; in cõmuni causa sibi priuatim consulerent. Aditũ in Galliam patefacere Castellæ copiis erat destinatum. Hoc consilio ab Albano duce missus Villalba tribunus cum sua legione peditum ad tria millia & trecentis cataphractis sancti Ioannis municipium ad radices Pyrenæi montis Galliam prospectans occupauit. Eodem paulo post cum robore exercitus accessit Albanus. superuenere Fernandus Vegha Promagister Castellæ, & Dieghus Lupus Aiala, quibus Ferdinandus ob perspectam prudentiam & agendi dexteritatem multum credebat. Albani in ea loca discessus dupliciter commodus extitit, Gallis Hispaniæ aditu prohibitis, ne res in Vasconibus turbarent, tum ad Aquitaniã inuadendam itinere patefacto. Orseti Marchio solicitatus denuo, vt suis copiis ad Hispanias adiunctis in Aquitaniæ saltem fines irrumperet, redditis q̃uis multis & magnis causis ob quas necesse fuit prius bello Vasconum finem imponere, præcise se facturũ negauit, incõmodum tẽpus excusans autumno pcipiti, pręterea ardorem cũ quo milites venerant extinctum, numerum imminutum, morbis inter milites ex cæli insolentia vulgatis. Hæc palam ex arcano atq; inter suos Ferdinãdo infensus, ludibrio gentẽ habuisse, atq; dum Vascones imperio adiiceret, de Aquitania nihil curare, omnibus sermonibus accusabat. Ex actionibus de mente coniectari facile esse. Fine, in Angliam maturare constituit quippe propinqua iã hyeme, nulloq; moræ in Hispania pretio, pter sumptus inanes & militũ interitu numerũ imminutũ. Sic ille cõquerebatur, hasq; discessus causas extitisse iactauit. non defuerunt tamen qui suspicarentur, Nebrissensis in proprio cõmentario, quẽ confecit de hoc bello affirmatione probabile, auro eum Gallico emptũ excusationes inanes ineptasq; quasi velamen prætendisse cupiditati.

Res Italiæ. CAPVT XIII.

MAgna rerum conuersio in Italia post pugnam ad Rhauennam factã extitit: Galliq; victores non secus ac si victi fuissent, locis omnibus vexati. Sic repente aduersis prospera commutantur. Vrbinas cum copiis Pontificiis in fines Bononienses inuectus depopulatus agros ciues suarũ rerum cura incẽso in oculis agro inter primos Italię feraci, pulsis Bentiuolis compulit mutati imperii argumento Pontificia vexilla pro muro & per plateas explicare, demptis Gallicis. Sic vrbs nobilissima ad vetus imperiũ rediit. Cardinalis Strigonii Nannentensisq; in Gallia erant: accessit recẽs Finarii Cardinalis. Ab his vt Gallus cũ

Pontifice conciliaretur superioribus offensionibus detersis dabatur opera nõnulla initio proficiendi spe, irrito deinde successu. Seueritas Pontificia salutares abrupit conatus. Diplomate euulgato Regem Gallum furiali carmine deuouet, & iure Pontificio maledicit: gentē vniuersam sacris interdicit. Subditorũ sæpe malo Principes peccãt. Elatus studio sacramenti religione quo fidẽ Gallo obstrinxerant, Nortmannos, & Aquitanos soluit. Lugduno, quoniam factiosos Cardinales intra mœnia acceperat, nundinarum ius Geneuam, vbi olim agi consueuerant, transfert vrbem ad lacum Lemanum sitã, nobilem olim, nunc hęresum colluuie fœdam. Contra ab Hieronymo Viquio, vt venia Ferrariensi esset & pax, diligenter est curatum. Fabricii Columnæ gratia & auctoritas ad emolliendum Pontificis animũ multum iuuit. Constitutum vt captiuis ipse libertate data, Romã supplex veniret. Sic factum. Fabricio ipso & Alarconio prosequentibus Romã abiit. In toga bõbycina eteromalla detecto capite, in Patrum senatum ingressum humillimo corporis habitu contumeliosis q̃uis verbis Pontifex acceptum, q̃ pręceps iracundia dedit & ferox ingeniũ, soluit quidem anathemate; Rhegium tamen vrbem, contra q̃ conuenerat, non restituit. Ac potius in vincla rapere statuit (cogitasse satis constat) maloq; Ferrariam extorquere voluisse. Neq; destitisset, vt erat ardenti obfirmatoq; animo, nisi importunos ille conatus celeri discessu occupasset. Sic ars arte victa est. Cardonius breui reparato exercitu Neapoli versus Aprutium discessit. Recensitis eo copiis, peditum septem millia sunt inuenta duobus adiunctis millibus, qui recens ex Hispania venerant. Horum cura Padulę Marchioni destinata est, & quoniam ad Aquilam in rixa quadam sibi ipse manũ vulnerauit, eius locum tenuit Solisius magno vir animo. Cataphracti mille ducẽti erant, leuis armaturæ equites quingenti & quinquaginta. Præter hunc numerum Prosper Columna cũ quadringentis equitibus propediem venturus in castra expectabatur. Huic prima acies est data. In medio agmine Golisani Comes Traiecti Dux & Antonius Leiua curabant. Postremam aciem Alfonsus Caruaialius Xodaris regulus ductabat, illiq; adiuncti nobiles alii duces. In centurionum numero Ioannes Vrbinas fuit bellis deinde Italicis magnam consecutus laudem. Has Cardonius copias sub signis habuit, cum à Pontifice subeunte belli suscepti pœnitentia venere mãdata, ne vlterius progrederetur, ac se potius finibus cõtineret. Insubrum bello confecto, quid nouo exercitu prouincias fatigarent, vexarẽt agros & oppida? Honesta scilicet species digna Põtifice cura. Altior tamẽ cogitatio pectori insederat, trãsalpinos omnes ex vniuersa Italia pellendi. Gallos quidẽ Hispanica ope & Heluetiorũ viribus deturbarat: nunc Italiæ Principum copiis & armis tantundem de Hispanis fore confidebat. Cardonius tamen ea denuntiatione nihil territus cum omnibus copiis Aprutium transgressus, Firmum tenuit Piceni vrbem ad superũ mare. Inde p̃ter Forliuiũ & Fauentiã continuato itinere in agrũ Bononiensem irruit. Ad sancti Petri oppidum in eo tractu positis castris legati ab Heluetiis venerunt contestatum, q; iusserat Pontifex, ne procederet amplius. Si negligeret, obuiam ituros. Gallos ex Insubribus pulsos, arcibus, q̃ in fide perstabãt, subiugandis idoneas ipsis vires suppetere. Quid se suosq; frustra importuno labore vexaret? Cardonius se sociali bello summum delectum ducem dicere: nisi Principum confœderatorum iussu cessare nõ posse. Ita motis castris Bononiam primum, deinde Mutinã abiit, cum Gursensi coram belli gerendi consilia Mantuæ, vti conuenerat inter eos, communicare constitueus. Accessere Cariaci Comes & Petrus Vrrea dimidiato circiter Augusto mense. Collatis sententiis, quid opus facto esset decernere promptum non erat. Ad priores difficultates accessere Veneti cum cæteris Cardonium aditu Insubrum palam arcentes. Erat præterea illis destinatum Brixiam Cenomanorum impugnare Gallicarum tum partium vrbem, Venetæ ditioni detractã Obenigno custode cum tribus amplius militum millibus. Cęsaris & Ferdinandi legatis alia mens erat; eam vrbem sociali exercitu occupari, sociorumq; adeo nomine obtineri. Vicit tamen sententia non esse eã possessionẽ tanti, vt Venetos tunc quidẽ propterea irritarent. Ac potius Cardoniũ Mediceorũ patrocinio suscepto Florentiã ducere visum est; exulesq; adeo in patriã, vnde fuerant iniuria pulsi, armis Hispaniæ restituere. Soluto Mãtuano cõuentu, eoq; approbato cõsilio Cardonius Mutinam rediit, vbi reliquerat copias. Iulianus Mediceus iter prosequebatur. Ioãnes Cardinalis Iuliani frater iam è Gallica captiuitate forte magis quam consilio liber, Bononiæ cum tormentis operiebatur. Maius momentum in Prospero Columna, qui tandem se suosq; reliquis copiis adiunxit. Moræ causa Pontifex extitit transitu per Picenum prohibito, reque necessaria longiori itinere facto. Sub idẽ tempus vt Maximilianus Sfortia, qui iam se in Germania Mediolanensem Ducem dixerat proxima paterni principatus spe, in Italiam veniret decretum erat, præsentia Insubres pacatum, si qui pręterea Gallica maiestate tenerentur. Pontificii Placentiam & Parmam præsidiis in ea ditione

occu-

occuparant, vti paulo ante dictum eſt, quaſi antiquis temporib. iuris Pōtificii extitiſſent. Romæ Paſchalis Burgenſis Epiſcopus deceſſit ex Dominicano ordine ſolitus quotannis Romana templa religionis ergo, plena maieſtatis & numinis venerabundus inuiſere. Et tunc Lateranenſis conuentus pari pietate inter paucos conſpicuus; ſi vera memorantur, clarus miraculis ante & poſt obitam mortem. Deceſſere prętereà Archiepiſcopi Auennionenſis & Rhegienſis viri & ipſi præſtantes. Vulgati inter patres morbi ad alias cauſas adiuncti effecerunt, vt poſt primam & ſecundā actiones cōuentu ampliato, reliquæ actiones in proximi Decembris initium conſenſu reiicerentur. Pontifici erat deſtinatum Patrum ope bellum in Turcas decernere, quaſi claſſico excitis ad arma toto orbe Principibus. Baiazetis filiorum inter ipſos diſſidia conatui opportuna videbantur, ea contentione vt Selimus minor Baiazetis filius ope prætorianorū militum imperio patri detracto, paulo poſt maiores fratres Achomatē & Corcutum obtrūcarit. Oblatam cælo occaſionem ferocem impugnandi, arripere Pontifex cupiebat oppido, cupiebant omnes boni. Non deerant tamen ſermones ſuſpicantium ea arte Hiſpanos ex Italia deducere deſtinaſſe, nihil ſyncere geri prauo homines ingenio credunt. Siniſtro rumori fides adiuncta paſſim eſt, quoniam Pontifici haud dubium votorum ea ſumma erat.

Magni Gonſalui profectio in Italiam impedita. Cap. XIIII.

Cardonius Neapolitanus Prorex, vti erat decretum, verſus Florentiam cum copiis omnibus mouit. Fama erat eam vrbem in libertatem aſſerere deſtinaſſe quorundā libidine & impotenti dominatu oppreſſam, atq; efficere vt pace cum Pontifice conciliata factioſis ne amplius faueret. Nemine repugnante Pratum appulit ab ea vrbe decē modo paſſuum millibus diſſitum oppidum. Inerant milites magno numero, & conuecti antea commeatus. Ita de deditione appellati facere recuſarunt. Vim admouere & metum placuit. Diſpoſitis tormentis atq; diſploſis quaſſata mænia late ſtragē fecere. Aditu patefacto vi in oppidum per ruinas irrumpitur. In captos & miſeros incolas militaris ſæuitiæ auaritiæ & libidinis multa exempla extiterūt; cum omnia profana ſpoliaſſent, ne à ſacris quidem abſtinuerunt, conſtupratæ virgines, certa ſi quis reſiſteret cædes. Terruit ea res Florētinos vehementer; atq; ita vt ad fœdus faciendū ſine mora animos flexerint, alioqui peruicaci ingenio & obſtinata aduerſus mala gens. Id quo liberius contingeret Vexilliferi munus ſupremę poteſtatis bello paceq; nomen, Petro Soderino, quippe Gallis ad inſaniam addicto detraxere. Mox delecti viri primarii, qui de conditionibus cum Hiſpano diſceptarent. Ii à Cardonio benigne accepti atq; habiti pepigere fœdus, cuius ſumma capita erant. Vt Medicei & Pacii exules in patriam & bona paterna, vnde euerſi erant, inducto priori decreto reſtituerentur. Florentini publice ad fœdus Principum accederent pro eccleſiæ dignitate antea ſancitum. Gallicum patrocinium mutarent Hiſpanico, Ferdinandi Regis in clientelam accepti. Firmato illi in eas leges fœdere beneuolentię maioris argumento ſuarum copiarum ſummum ductorem dixere Padulæ Marchionem. Pecunia etiam, cuius penuria erat, in ſtipendium militare Cardonium iuuerunt. Tantundem Senenſes, Lucēſeſque fecere in Ferdinandi Regis fidem & tutelam & ipſi accepti. Per idem tempus Ianus Maria Campofregoſus factionis opibus Genuā ingreſſus eius vrbis in gratiam Pontificis dictus eſt dux. Sic contributa Genuæ oppida paſſim ab imperio Gallico defecere, auide pleriſq;, quaſi ex diuturna ſiti arripientibus libertatem. Id vt eſſet ſtabile & ex ſententia cōtigeret, prouiſum vt Berengarius Olmius cum ſuis triremibus ad Liguriæ oram accederet. Ex eo cuncta Hiſpano in Italia proſpere fluere, nihil vt amplius deſideraret, etiamſi ex ſuo arbitratu fingere ſucceſſus daretur. Magni Gonſalui ex eo profectio in Italiam dilata primum, deinde penitus diſturbata eſt. Quod qua ratione cōtigerit, explicemus. Poſtq̄ ad Rhauennam Hiſpani male pugnarunt, omniū oculi in Gonſaluū ſunt coniecti certa ſpe, eius virtute & prudentia tantis malis fore ignominiæq; leuamen, quippe ea tempeſtate ſpes & opes cunctorum in illo ſitæ videbantur. Salus in vltimas anguſtias deducta nullum ambitioni nullum inuidiæ locum reliquerat. A pleriſq; Cardonii imperitia Nauarri temeritate accuſabatur, in eam cladem fuiſſe pręcipitatum. Gonſaluum hominē de cælo lapſum maiorem conditione mortali multo vſu & magnitudine animi cunctis haud dubiū præſtare bellica ſcientia, induſtria, felicitate. Ferdinandus ipſe Rex, licet de tanti viri voluntate parū fidebat, multis a ſe iniuriis exacerbati, & conceptum potius odium expromere cupiebat, re tamen neceſſaria eum in Italiam mittere decreuit rebus profligatis ſalutare præſidium. Burgos, vbi Rex erat, euocato profectio denunciatur. Otii ille inimicus, quo diu marceſcere videbatur, iuuādi rēp. libēter oblatā cælo occaſionē arripuit. Et erat glorioſum vni ſe rēp. tradere tēporib. coactā & malis. In profectionē & apparatū interea Malacā abiit. Mirabile dictu q̄ multi Italica expeditione euulgata ex omnib. partib. confluxerint, vt in eā militiā

nomina darēt,cupidissimi eo duce induendi arma, pleriq; sua virtute nobiles & claro ex genere orti. Regi tantus concursus molestus extitit,& Gōsalui inuidia & quoniā de bello Vasconū cogitabat. Et fere Regib. boni q̃ mali suspectiores sunt, semperq; alienæ virtutis plausus formidinē facit, pręsertim si modū excessit. Ita definito numero mādat,quingentos grauis armaturæ equites duceret,pedites duo millia non amplius. Nihilo tamē magis ardore remisso in eum numerum viri nobilissimi legi ambiunt:multi ex prætoria cohorte Regis aut alioqui eius in Hispania stipendia faciētes missione impetrata,non deserta militia sed mutata in Italiam abire festinant,eius ducis auspicia sequi cupiētes,qui suæ fortunę esse videretur artifex,opes,victoriam, felicitatem secum ferre in quamcunq; se dedisset partē. E Castella atq; Bætica ingens numerus in eam expeditionē volūtarii,suaq; impensa militaturi ire parabāt,satis magnum operæpretiū fore rati si tali magistro prima militię tyrocinia posuissent. Rex quo maior ardor erat,eo cūctari amplius,moræ causas alias ex aliis nexas excusare, spe Cardonium præclaro aliquo successu superioris ignominiæ memoriā deleturum. Quem ea beneuolentia complecti visus est, vt opinionem vulgo fortassis temere sed susceptā tamē confirmaret,ex eo genitum. Ergo rebus in Italia prosperum cursum tenentibus maiori indies incremento, Ferdinandus Rex posita tandem persona Gonsaluo denuntiauit,profectionem vsq; ad hyemis exitum sustentaret:interim extraordinarios sumptus excusaret: daret porro operam,vt aulici & milites regiis stipendiis conducti ad bellum Vasconum proficiscerentur. Hæc mandata initio Septembris Cordubam ad Gonsaluum delata, pro eo ac par erat molesta extiterunt tam ipsi quam militibus vniuersis: prorsus vt è cataphractorum ducibus nullus ad bellum Vasconum iuerit præter Guterrium Quixadam. Gonsaluus litteris expostulationum plenis tum ad Regem tum ad amicos datis aulę fraudes conquestus est; cuius insidias vitare quis possit?accusare fortunā fluxam inconstantemq;, inuidiam alienam, quæ nihil aliud scit quam obtrectare melioribus,corrumpere honores,& præmia eorum. Superiora merita qualia & quanta, ea scilicet mercede pensari. Vincitur interdum generosus spiritus,& iracundiæ viribus succūbit. In dolore tamen maximo duo p̄cipue extitisse molesta. Nominis existimationi labē inuri prona hominum in deterius suspicione,profecto nisi magna de causa grauem ob aliquam offensam superius decretum haudquaquam iri mutatum. Populi rumores tolerare durū, necessariū tamen. Deinde, iis qui vt se prosequerentur, magnos sumptus tolerarant, nullam compēsationem abs Rege esse,nullam gratiam:id vero grauissimum videri atq; intolerandum, sua causa insignem iacturam passos. Duriorem ipsa morte vitæ conditionem deinde exilio mutare constituens è familia misit,qui à Rege facultatem peteret Terranouam suæ ditionis oppidum in extrema Italia discedendi,amœni secessus, & ab arbitris remoti. id summi beneficii loco futurum. Ad hæc Rex longo vsu edoctus fallaci vultu verbisq; blandis sedare iras,respondit:eius operam minime fore necessariam Gallis ex Italia pulsis: neq; opportunum nouas ex Hispania copias mittere, quo tempore de Hispanis vniuersa Italia pellendis consilia Pontifex serio agitaret. Profectioni quam optabat duriorem se ostendit,ac consultius iudicabat tantis defuncto honorib. ea ætate Loxæ domi suæ conquiescere,magnorum virorum exemplo vacatione impetrata. Leges maiorem annis otio reddere,quid negotia non necessaria captaret?gloriæ meritæ & partæ quid vltra periculum faceret? Præclara verba,si cætera responderet. Sed alienati animi atq; offensi multa deinde argumenta extitere. Pręter suspiciones superiores,reus in secreto ab aulicis agebatur nulla facultate calumnias detergendi. Inuidia eo nocentior, quo magis ex occulto grassatur. Ita in Garsiæ Lassi defuncti locum Legionis Promagister fieri cum cuperet atq; peteret,repulsam tulit Ferdinando Toleto prælato. Par euētus alterius petitionis fuit, qua Hornachos diui Iacobi militiæ oppidum vectigalq; honorarium ex eo commendari per idē tempus postulauit. grauem ignominiam clarum auersi animi signum. Offensionis susceptæ præter alia duplicem causam inuenio. Altera propria. Enimuero Ferdinando Regi Gonsalui voluntas semper suspecta fuit: & constat sępe conquestū apud amicos, consilia eum aliena agitasse. dissimulatum tamen superiorū meritorum memoria, haud dubiū ingenti numero moleq;. Cōmunis fere magnis Principibus altera: ac potius cūctis hominibus, beneficia eo vsq; grata ducentibus,dum videntur exolui posse,vbi modum excessere quos quasi creditores aspicimus,iis pro gratia odium redditur. Et est procliuius iniurię q̃ beneficio vicē repēdere,q̃a vltio placet,gratia plerūq; est oneri. Vtiq; si meritis paria p̄mia reddi non poterant,æquū profecto videbatur tali viro nihil denegari q̃ dono dignū esset. Verū prȩterita accusare quis iuuat? Quis Regū offensas pręceptis salutarib. frȩnabit? Suspiciones amouebit aulicorū præsertim calūmniis & fraudib. confirmatas, meliores criminando allatrandoq; eorum magnitudini,q̃ facillimū factu est,ex aliena iniuria & malo splendere volentium.

Pom-

Pompelo obsessa. CAP. XV.

AD sancti Ioannis oppidum Albanus morabatur neq; magno neq; vllo moræ pretio. Gallis tamen Hispaniæ aditu ea parte prohibitis variæ militares manus prædatum in vicinos agros progressæ pecora abigere, agrestium cædem facere, villas, vicosq; incẽdere nulla pręterea re memorabili. Bellica tormenta deerant. Ea Dieghus Vera magno labore nisuq; propter locorum asperitatẽ superatis montib. trochlæis ergastisq; sępe in summas rupes sublata pariq; industria in subiectas valles demissa tandẽ id in oppidũ intulit. Borbonius, Longauilla, Mompenserius, Palicius atq; Lautrechius ad Saluaterram & finitima Bearnę loca statiua habebãt, atq; in iis octingẽtos cataphractos, pedites octo millia, Hispanicis copiis obiecti haud magno dissiti interuallo. Præterea Delfinus ad Garriciũ validã continebat manum, paratus quocunq; res vocassent, in eam partẽ impetũ dare. Vasconis tantum aduentum cum suis peculiarib. copiis sustentabant, vt in Hispaniã irrumperent maiorum regnum recuperandi spe. Ea vulgata fama Sanazariæ & Roncalensis vallium incolæ veteris imperii amore nouum excutere tentarunt correptis armis. Marescalus quoq; Vasconum Petrus Nauarra, qui eatenus medium se gesserat, palam Gallicas partes amplexus est, Tudela vrbe raptim ad Gallos profectus sub aduentum Ferdinandi Regis eo delati ad excipiẽdam Germanam coniugẽ solutis Aragoniis conuentib. reuertentem. Ea res Vasconem excitauit, vt maiori festinatione renascentia suorum studia foueret, fugacia esse occasionum momenta non ignarus. E Vasconibus in Galliam atq; Bearnem gemina vallis pertinet in fauces desinens, quib. necessario trãsitus & iter est; altera Roncalis dicitur vulgo, vallis altera Roncarum. Roncali sancti Ioannis oppidum subiectum est ad montis radices qua in Galliam prospectat. In eo Albanus tendebat cũ copiis. Vasco in Vascones parte altera armatus Palicio adiũcto irrupit, mẽse Octobri dimidiato. Hispanis minores vires erant, q̃ vt in vnius pugnæ sorte de summa rerum auderent periclitari. Variæ tantum manus iniquis ad transitum locis, quacunq; montes in angustias coeunt, se ostentare, distinere hostem. Fernandus Valdesius in eo numero Burgium ingressus, id oppidum tueri tentauit. Leui imbecillaq; munitione inuitati hostes impetu facto, quamuis quadringentis è suo numero amissis intra munimẽta irrupere. Ex obsessis cecidere nõ pauci, atq; inter alios dux ipse Valdesius egregie q̃uis pugnans. Indignatione in ea pericula irruisse fama fuit ex Regis verbis concepta, redeunti ex pręlio ad Rhauennã facto dicentis, Boni vbi manẽt? Altius id verbũ hæsit quasi vibratũ telũ, q̃ vt euelli nisi morte posset. Albanus Põpelonis piculo pmotus relicto in sancti Ioãnis oppido Diegho Vera, vnaq; octingentis Legionariis ducentisq; cataphractis, & viginti bellicis tormẽtis, cũ reliquis copiis superare montes, & rebus Vasconũ opitulari constituit. Transitu redeuntes prohibere facile Vasconi fuit, quod facere omnino debuisset. Excæcauit nimirũ diuina vrgens vltio, Principes & gentem peruertere volens. Ac ne continuo quidẽ, vti opus erat, Pompelonem copias admouit prępsidio infirmo fluxa regentium, vti in nouo imperio, auctoritate, opportunam iniuriæ. Vtroq; errore factum, vt omnia in contrarium verterentur, accedentib. subinde ad præsidium nouis cohortibus, Albanoq; adeo cum exercitus robore in vrbẽ inuecto. Sic cũ spe defensionis ciuib. animus etiã accessit. Cęsaraugustanus quoq; Præsul sub idẽ tempus Exeã duxit ad sex militũ millia equites peditesq;, opportunũ in ea difficultate rebus præsidium. Inter cætera oppida, q̃ correptis armis à nouo imperio defecere, arcis munitione cõfisa Stella ampla vrbs rebellarat. Franciscus Nauarra eo delatus, ope quorundam ciuium, quibus noua defectio displicuerat, intra mænia admissus, oppidanorum copias militum suorum prædã fecit direpta vrbe. Arx impugnari nisi maiorib. viribus non poterat. Accessit cum copiis aulicorum cohorti Præfectus. metus sæpe officii magister obsessorum mentes aperuit, vt ferocia deposita supplicum velamenta præferrent pacem petentes & veniam, arce dedita. Id exemplum Cabrega, Mongiardinũ, & Tafallæ arces cũ primis munitæ, sunt secutæ facta item deditione. Vasconi omnia aspera erant, prona hostibus. Nã per Broti quoq; vallẽ & fauces quas coeuntes Lacetani montes efficiunt, Bigorræ Senescalus cum manu militari in Aragonios fines irrupit. Ager & frugũ vacuus pręsertim eo tempore anni. Torlam aggressus inter montium iuga situ oppidum vi admota cepit. Indigenæ eo tractu inter se inuitantes facta manu, atq; iis adiunctis qui ex oppidanis supererant, montani homines frigore & laboribus durati in hostes prædæ & direptioni intentos facto repente impetu, priusquam se colligerent, duobus amplius millib. ex eo numero cæsis, cæteros in fugã cõpulerunt, amissis impedimentis & aliquot minorib. tormentis, q̃ secum detulerant. Vasco sero quãuis octo tamẽ à Põpelone millib. ad Vrrociũ pagum castra promouit. In ciuiũ beneuolentia pcipua spes victoriæ, quos sub eius aduentũ aliquid pfecto moturos intra vrbẽ cõfidebat. Cõcepta haud temere fiducia

fefellit. Ducentis ciuib. ab Albano ea vrbe antea pulsis, quos suspectos maxime credidit, cæteri eorum exemplo pœnæ cautiores conquieuere. Simul ad Reginæ pontem haud dissitum oppidum nouæ militares manus confluebant Pompelonē tuendi, sed & prælio decernendi, si res ferrent, voluntate. Mille & quingenti pedites Vaccæorum è Cāpania atq; ex Vltramontanis venere, Bugia nongenti duce Lupo Arriano Barcinonem paulo ante appulsi. Accessere eodem Aragoniæ copiæ. Summa imperii Anagari Duci erat permissa. Alfonsi Peraltę sancti Stephani Comitis inter Vascones præcipua rebus omnibus fides studiumq;. Amplius deuinciendo eius animo Marescali Vasconum nomen tunc est adiunctum in locum Petri Nauarræ lege maiestatis damnati, nec multo post aucta indulgentia Marchionis Falcis titulus & honos accessit. Hæc agebantur, neq; tamen obsidione Pompelonem hostes cingebant. Dum noua à Delphino Gallorum auxilia expectantur, tēpus est extractum maiori vrbis cōmodo q̄ hostium. Palicius moleste ferebat nihil ex voto speq; succedere: ac contra omnia in contrariū verti. Vt aliquod operęprecium extaret, Vasconis castra eo loco posita, vnde ciues cōmeatus facultate prohiberent. Aliæ interim Gallorum manus eorum qui vltra montes tendebant, in Cantabriæ fines irruperūt. Hispanicas vires in plures partes diducere consiliū erat. Lautrechius iis copiis præfectus per Fonterrabiæ fines ad Sebastiani fanū castra promouit, oppidi modici quidē sed validi potiundi spe, ad mare positi, Hispaniæq; fines extremos. Forte Ioannes Aragonius Cęsaraugustani Præsulis filius in eo oppido morabatur, dum in Belgas proficisceretur fidei pignus ab auo Ferdināado regnum illi Neapolitanum nequaq̄ destinari, cōtra q̄ Cæsar suspicabatur: Ioannes Nucęus Comes itineris ibat legati munere imposito in curia Caroli Principis. Eorū pręsentia saluti fuit. Oppidani q̄uis pauci pro ingenita audacia, & eo inflāmati præsidio magna virtute tutati oppidum hostes à mœnibus repulsos Renteriā reiecere: inde ne concursu prouincialium reditu prohiberentur, Aquitaniā festinato repetiere. Ad vires adiunctæ artes, q̄ incōmode Gallis cecidere: Ferdinandus Aragonius Calabriæ Dux sub idem tempus Gallicis promissis lactatus, Neapolitanum regnum traditiuros iure suum possessione alienum, Lugrunio, vbi cum Ferdinando Rege erat, in Gallica castra dilabi deliberatum habuit. Res tanta sine consciis & adiutoribus peragi nō poterat. Indicio facto vincula iniecta tum ipsi sunt, tū quatuor infelicis consilii interpretib. administrisq;. Miseros omnia p̄sidia, mens quoq; sępe destituit. Ducis custodiæ Atiensæ primum arx, deinde Setabis in Valentino tractu designata est. Sociis maiestatis lege postulatis conuictisq;, per plateas tractis vncus & laqueus vitæ finis fuit. Extinctorum cadauera mēbratim dissecta. Conatus temere suscepti is exitus extitit. Anni tempus incōmodum erat, præceps in hyemē. Galli cōmunicato cōsilio festinare decernunt, moramq; superiorem maiori conatu & ardore cōrrigere. Gemina virginum sacrarum monasteria extra vrbē sita sunt, alterum Diuæ Engratiæ nomine, Claræ alterū. Hæc Galli collegia diripuere nulla locorum sanctitatis memoria metuve. Quidā quin etiam centurio Germanicus aperto sacrario, pixidem argenteā prędādi auidus Eucharistiam, q̄ in ea continebatur, in altare impius iuxta & temerarius proiecit. Virgo templi ęditua eo ,, spectaculo cōmota. Apage inquit, tātum nefas: Christiana sacra impiis attrectare mani- ,, bus non metuis? nō te pudet? cælo vindictā exspecta. Adest in limine, quē violasti, testis ,, idē & vltor Deus. Ad q̄ ille renidenti vultu. Hic ait, Hispanorum Deus est nō Germanorū. Ab his initiis tetri de religione dissidii paulo post in iis regionib. subsecuti fundamēta nō obscura ponebantur. Suscepta impietas impune non fuit. Iudæ instar proditoris diruptis effusisq; viscerib. periit. Hæc Nebrissensis fide probabilia, interest publice vt vera credātur. Displosis mox tormētis excussę igneę pilę strauere late muros. Per ruinas & strages lapidum semel & secundo magno impetu ingruentes Gallos repulere Hispani insigni virtute felicitateq;. Cæsi ab vtraq; parte multi, plura ruinis obruta cadauera. Defensæ vtraq;, impugnatione vrbis præcipuā laudē tulere Villalba tribunus militū, Fernandus Toletus, Fernandus Vegha, Antonius Fonseca, multiq; alii viri nobilissimi. Ioannes Albion periit Aragoniis maiorib. clarus suaq; pręstans virtute. Anagari Dux p̄ iuga montis, quē Reniegā dicunt, se ostentare, sex millia pedites sub signis habens, equitumq; turmas paratus hostiū castra inuadere, cum vrbē ipsi impugnarent, certe cōmeatus intercipere, grauare annonā Segorbii & Villæformosæ Duces prosequebantur, Aquilarii Marchio, Montacuti & Ripagorsę Comites, ipseq; regię aulicorū cohorti Præfectus magnus nobilitate generis, & reb. gestis clarus. Galli tāto apparatui vt pares essent veriti tātis copiis, soluta obsidione per Maiæ mōtis angustias faucesq; Galliā repetere decreuerūt. Pridie kal. Decemb. mouere castra. Secuti abeūtes iisdē vestigiis Ludouicus Beamōtius in Vasconib. equitū Magister auunculi Regis beneficio, & Villalba tribunus è postremo agmine

cæsis

cæsis aliquanto numero hostibus, tredecim etiam tormenta bellica cedentibus extorsere. Is finis belli fuit de Vasconum regno nobilis in paucis, is tantorum apparatuum exitus. Agramontẽses abiecta defensionis spe arces quas retinebant, victori dediderunt, obsequium cum securitate contumaciæ cum periculo præferẽtes. Pompelonis mœnia, quã erant quassata, refecta diligenter: areaque excitãdæ arci designata est, quo munitior vrbs esset aduersus externam vim, ciues à defectione quasi iniecto fræno in posterum detinerentur. Aulicorũ cohorti Præfectus, genti rector designatur Proregis nomine, in Comaris Marchionem honoris causa mutato nomine, quo maior esset auctoritas, præsentibus & superioribus meritis gratia, incitamentũ ad maiores conatus. Dum is prouinciam demandatam domesticis rebus compositis capesseret, ab Albano Petrus Toletus filius est substitutus, Villæfrancæ Marchio, qui cum cæteris vrbem defendit præstanti iuuenis indole. accedentib. annis Neapoli multo tẽpore Prorex, prudentia ac animi magnitudine in paucis parentum & nostra ætate conspicuus, claris maiorib. & bonis artibus prędituṡ.

Cardonius Brixiam vrbem cepit. CAPVT XVI.

HVnc cursum habuit bellum in Hispaniæ parte concitatum. In Italia confecto bello Hetrusco Cardonius, qua felicitate dictum est, compositisq; Florentiæ ex sententia rebus, prioriq; adeo ignominia in laudẽ versa, ducere porro in Insubres pergit. Mutinæ, ditionis tunc Cæsareæ cũ ipso Gursensis, Petrus Vrrea, atque Andreas Burgius conuenere de belli ratione rursus in cõmune deliberatũ. Brixiam Gallico vsq; dum præsidio munitam obsidebant Veneti ad suum imperiũ reuocandi spe. Cæsar sui esse iuris disputabat, neq; passurũ vt ab alio quocumq; eriperetur. Heluetii ad Maximiliani Sfortiæ ditionem, cuius patrociniũ susceperant adiungi cupiebant, vim adhibituri nisi esset obtẽperatum. Trifariam in diuersa se intendentibus studiis ne graue incommodum extaret, verẽdum. Consensu Mutinæ decretum est, vt Cardonius occupatis disceptantium conatibus, eam vrbem admotis copiis captam de Gallis confęderatorum nomine obtineret, ei redditurus cui iure & legibus deberetur. Eo probato decreto Gursensis quidem Mutinæ substitit, Vrrea, Burgiusq; Romam abierunt Pontificis de ea re voluntatem mentemq; exploratum, simul pactam ex fœderis legibus in stipendiũ pecuniã extorquendi spe, quoniam ab aliquot mensib. reddita nõ erat. Abnuit Põtifex, ex quo ad Rhauennã erat dimicatum, excusans nullam pecuniam deberi quasi motis societatis legibus antiquato fœdere. Daturũ tamen sponte, si Cardonius Mediolanensem expeditionẽ Ferrariensi mutaret, quam vrbẽ occupandi nondum neq; spem neq; voluntatẽ deposuerat, mora feruentior & aduersus difficultates animo peruicaci. Omnino Vrbinas copias in aciem produxerat non alia spe: ac præter Italos Heluetiorũ duo millia ad Lucũ & Bagnacaballũ continebat. Minores conatu vires nisi aliũde esset adiutus. ac præsertim pecuniæ in stipẽdiũ ob inopiam passim dilapsi milites signa indies deserebãt. Vrrea & Burgius præter speciosa verba facturos q; Pontifici placeret, nihil præstitere. Missus Bernardus Bibiena, cui purpuræ deinde honos accessit, Cardonium edoctum, quid Pontifex postularet & vellet. Commodum Piscarius pecunia redempta à Gallis libertate, Mutinam delatus cataphractorũ alæ continuo præficitur inter Hispanas lectissimæ, cui Gaspar Pomarius dux fuerat in tumultu quodã Mediolani nuper occisus. Ergo Kalendis Octobris Cardonius Mutina versus Mirandulã mouit, quo tempore bellum in Vasconib. vigebat maxime ardore præcipuo. Ad Ostiam Padum transmisit. Ibi recẽsitis copiis pedites nouem millia sunt inuenti Padulio summo ductore. Prosper Columna in dies expectabatur quadringentos amplius grauis armaturæ equites mille pedites in supplementum adducens. Moræ occasio, transitu prohibere Pontifex per ditionem frustra conatus. Non destitit præterea Sedunẽsem monere, efficeret ne Heluetii sinerent Cardonium in Insubres penetrare. Hispanos dictitabat ad imperium vniuersæ Italiæ aspirare. Quid Gallis eiectis profecissent, si Hispanis seruituri erant inopia, auaritia, peruicacia maiori? Non imperium externũ excussum, sed peiori seruitute, si id contingeret, mutatum iri. Veronam tamen Cardonius nullo prohibente peruenit, vbi Rocandulfus ad reliquas copias duo millia Germanorũ, equites expeditos quadringentos adiunxit, præterea tormenta bellica sex maiora, culebrinam vnã, minora atq; campestria viginti. Eo apparatu Brixiã versus mouere signa. Obenignus Venetorum obsidione fatigatus, & metu noui aduentantis exercitus cõmotus, vt par erat, Cæsaris vexilla è muro prætẽdit deditionis indicio. Tũ Bibiena in Hispanorũ castra delatus Põtificis mandata, vt erat iussu, explicuit. Respondit verbis blãdis Cardonius, cupere vero Pontificis iussis obtẽperare, facturumq; adeo fuisse, si antequã Padum traiiceret in castra ipse

venisset nunc vlterius esse progressum, quā vt sine ignominia & dedecore reuocare liceret. Bello confecto facturum q Patri & Pontifici placuisset. Digressus Verona Cardonius Piscariam ex itinere vna cum arce Gallicæ tū ditionis subegit. Ad Venetos & Paulum Ballionium summum Veneti exercitus ducem antequam Hispanorū copiæ Brixiā peruenirent, qui suis verbis denunciaret legatos misit se quidē socialis exercitus summum ducem, ne deesset officio, venire, daturum operam vt cuiq; sociorum sua iura cōstarent. Proinde suos conatus iuuarēt, viresq; coniungerēt: in amore & officio vinci turpissimum ducerent. Verbis ludebatur. alioqui discrepantib. voluntatib. vel maxime atq; in diuersa tendentibus, q. poterant inter se cōuenire? Octo ab ea vrbe millibus Hispanorum castra erant, cum Galli ad deditionem flexere animos honestis modo conditionib. Datum vt gallicæ copiæ, quadringenti cataphracti, pedites ad duo millia, cum equis, armis & impedimentis omnib. relicta vrbe irent quocumq; voluntas aut commoditas ferret. Mediolanensem modo arcem aliasve Gallicis præsidiis detentas vitarent. Pro magno habitum duobus exercitibus vallatos quāuis Gallos, nullaq; auxiliorum spe id expressisse. Verum hostium inter ipsos suspiciones afflictos iuuerunt, annitēte præsertim Gursensi, cuius erat præcipua reb. omnibus auctoritas. Eædem conditiones præsidiariis arcis militib. sunt concessę pactis deditionem arcis cum tormentis & reliquo instrumēto bellico, nisi intra vnum & viginti dies idoneæ copiæ auxilio superuenirēt. Pacta Brixiæ deditione ad octauum kalendas Nouembris ipso die Cardonius ad Castanetolam non procul ea vrbe lustrato & recensito vniuerso exercitu, inuenit supra octo millia peditum in castris habere iis adiunctis, qui tunc cum Prospero Columna in subsidium accesserunt. Solisio impigro viro deditæ ciuitatis cura cōmendata est, militibus mille circiter in tutelā attributis. Reliquæ copiæ Bergomi arcem impugnatum, dedita interim ea etiam vrbe, abierunt. Villamarinus maris per Italiam Præfectus Neapoli cum septem triremibus discesserat Pontificiis triremibus, quæ ad Vrbem veterem paratæ erant adiunctis Genuam iturus Lanternæ arcem obsessum Gallico præsidio imperioq; eatenus detentam. In eo portu tres alias Venetas triremes inuenit senatus decreto rogatu Pōtificis in id missas, præterea quatuor alias Genuensis ducis, sed milite, turba nauali, & tormētis parum instructas. Lente omnia procedebāt, obsidioq; in lōgum ducebatur. exigua proficiendi spes. gallica classis multo minor sociali, sese ad Massiliam continebat sex non amplius triremium, & vnius rostratę maioris nauis, nihil nisi ex suo commodo ausura. Cardinales factiosi Lugduni institutos conuentus agitare porro pergebant, magnificis promissis Principes singulos lactantes prehensantesq; de alieno iure munifici. Hugo Mōcada Siciliæ Prorex validā classem in Tripolis portum intulit. eam vrbē arcesq; munire destinabat, bello Africano repetendo cōmodissimam possessionem. Vrbinas in Æmilia Rhauennam inter & Bononiam quingentos grauis armaturæ equites continebat, Heluetios mille. Italorum maior numerus, minor vsus licētia maior. E castris enim digressi ducum iniussu, rapere, spoliare, vi & stupris cuncta polluere, in omne fas nefasq; auidi atq; venales præcipuo agrestium damno. Belli aduersus Ferrariēsē haud magno conatu ex interuallo repetiti is fructus extitit pterea nullus.

Maximilianus Sfortia Mediolanum ingreditur. CAPVT XVII.

MAximilianus Sfortia Tridēti atq; Veronæ aliquādiu morā traxit. Vt galli ex omni ditione pellerētur, ac Mediolani & Cremonæ arces reciperētur dum auide expectat, aliquot abiere menses. Simul Heluetiis vt pretiū suscepti laboris esset, atq; in eā rem ciues Mediolanēses pecuniæ affatim volētes decernerēt, sedulo agebatur. Ii. n. in studium noui Principis tuendi quāuis incitati; neq; Principatus partem aliquā detrahi cōcedentes, ne Parmā quidem & Placentiā à Pōtifice occupatas, nō Astā, q penes gallos erat, ac ne Cremonā quidem & Geradadā Venetis ante aliquot annos ex fœdere datas cum Gallis icto; in partē tamen pdæ venire cōstituerant de alieno munifici, de suo parci vitio vtrumq; humanæ mortalitatis. Cōuenit vt Mediolanenses duob. annis centum & quinquaginta millia auri illis numerarent, annua quadraginta millia in omne tempus tributi honorarii nomine. Fidei pignus tres in ditione arces essent penes eos relictæ. Principum aliorum non vna mens erat, neq; cōsentiētes voluntates. Cæsar vni ex nepotib. Mediolanum potius q Sfortiis destinabat. Pares conatui vires nō erant, Gallia infensa Vniuersaq; Italia ex veteri stirpe Principē Mediolano dari expetēte; si morarentur spem vi parata atq; armis: Gentis cōmunia vota vocesq; Laudis Pōpeiæ Episcopo occasionem pbuere de eo Principatu cogitādi, quoniā galeacii Mediolanensis Ducis filius erat sed stupro susceptus. Nō displicuere ii conatus SeduNēsi Cardinali rerū in ea gente pcurationem, q obtinebat, retinēdi alieno nōe regnādi spe ināes Principis titulos penes Episc. fore impiu p. nes se quo minores vires essēt, eo amplius aliena ope sustētari opus fore. Ne Pōtif. qdē auersū se iis molitionib. pbere visus est ob suspiciōes susceptas in Maximilianū parū propēsus. Cęsari & Ferdinādo regi

obstrictum maxime minus sperabat fidum & obsequentem futurum. Ad hos conatus occupandos Brixia capta vt Maximilianus Sfortia quamprimum Mediolanum iniret cu ratum præstitumque est. Vrbem iniit ad quartum Kalendas Ianuarii ineũte salutis anno millesimo quingentesimo decimo tertio prosequẽtib. Sedunensi Gursensiq; , Cardonio 1513 & Petro Vrrea. Venienti obuiam vniuersa ciuitas effusa portis est, quasi ex diuturna siti cuncti auide suum Principem expectabant. Heluetiorũ legati solenni cæremonia in manus dedere claues, cunctaque quondã veterib. Principib. exhiberi solita cõtinuo decreuit senatus. Peracta lætitia superosq; precati vt suis beneficiis fauerent, & tantis muneribus perpetuitatẽ adderent, ad bellum retulere animos. Gallis eripere quæcumq; retinebant necesse erat. Padulius cum peditatu Trezum arcem impugnatũ iuit ad Abduæ ripam operibus militeq; firmatam, breui tamen dedita est. Nouariæ arcẽ simili exẽplo Ducis copiæ Gallico præsidio pulso ceperunt, non minus quamuis munitam, neq; minoris momenti possessionem. De induciis quæ Cæsarẽ inter & Venetos erant, pace mutandis agebatur, & quoniam pactum induciarum tempus cum mense Ianuario exibat, mensis Februarius primũ deinde Martius est adiectus, vtrumq; Cariati Comitis diligẽtia auctoritateq;. Conditiones à Pontifice anno superiori oblatas Gursensis æquior iã factus probabat. Veneti ad nullum fœdus veniebant nisi restituta Verona. Vim adhibere visum est, Cæsaris, Hispaniæ, & Mediolanẽsib. copiis in vnũ corpus collatis. Heluetiorũ nulla mentio, quoniã Tramullii ad eos legati opera breui ad fœdus Gallicũ transituros suspicio erat haud inanis euentu, & tunc magnis coniecturis fundata. Cardonio priusquã in Venetos expedirent arma, Mediolanensem principatũ stabilire inprimis placebat Gallis possessione deturbatis vrbiũ & arcium quæ magno numero vsq; dum in prouincia obtinebãt. Triuulcius quoq; quinq; peditum millib. nouo delectu collectis ac plurib. indies in castra confluentibus, denuo bellum reparare cogitabat, virtutis & prudentiç dux opinione singulari. Eo Prosper Columna cum valida manu Astam vrbem tenere iussus est, transituq; Gallos arcere, quoniã in aditu Insubrum sitã est, Subalpinis & mox Gallia propinqua. Ferdinãdus rex vt bello in patria implicaret Gallos distineretq;, Anglo genero auctor extitit. Anglicæ gẽtis insociabile ingenium est. Haud facile in cuiusquã alterius nationis cõsortium veniunt, cuius rei anno superiori satis clarum documẽtum extitit. Curatum ergo vt Calitium ditionis Anglicæ vrbẽ traducto milite Nortmãnos lacesserent. Aquitaniam accessuram in victoriæ partem, Angli commodo copiis Hispaniæ sumptuq;: ꝙ facturum se Ferdinandus prolixe pollicebatur. Honesta conditio, si verbis responderent facta. Ea spe incitatus Anglus classe quinquaginta vacuum nouem millia milites delectã ex vniuersa Anglia pubem, cultu & fulgentibus armis visendã aciem transmittere in Galliã constituit. Eo ardore vt à Rege socero alias quinquaginta naues in vsum eius belli mitti flagitaret. Tot vno tempore bella conatusq; graues cura complecti, atq; ope qui posset Ferdinãdus præsertim valetudine afflicta, Bæticaq; dissidiis æstuante. Morbum cõciliauit poculum noxio medicamine fœdum, ꝙ Regina diluit Medinæ Cãpestris, spe prolem ex Rege concipiendi. Id Caruaialius & Petrus Martyr in propriis commentariis quasi exploratũ pro certo posuerunt, nominatis etiam amatoriæ potionis administris fœminis principibus: quarum nomina ne hoc loco exprimantur, earum tum maioribus tum posteris tribuendum putabam. Nausea ex eo Regem inuasit cibi nulla appetentia: vt ad molestiã leuandam per syluas & saltus erraret, venationis specie congressu hominũ deuitato. Accessere frequentia deliquia, & aquæ intercutis haud obscura signa morbi lethalis. Sic in contrarium vertuntur, quæ imprudenter alio & temere destinãtur. Bæticæ motus extitere Henrici obitu Assidonii Ducis. Soror defuncto Germana erat Mencia Petro Gironio nupta. Præterea frater ex nouerca Alfonsus Peresius Gusmanius. Testamento is heredem ex asse sororem nominauit, posteriori patris coniugio vitii damnato. Petrus Gironius leui eo præsidio munitus opimũ principatum vrbemq; Assidoniã ditionis caput occupare tentauit. Eleonora Stunica Hẽrici & Menciæ nouerca iuris certamẽ quærere pro filio solicita, potiori iure omnium iudicio, parata Regis ope, quippe in eam caritate pronior erat, præter æquitatẽ causæ spe atq; studio nouo Duci iungendi Annam ex filio Cæsaraugustano Præsule neptim. Suas vtraq; pars clientelas habebat suosq; fautores viros Principes prouinciæ in ambos diductæ causis diuersis studio pari. Periculũ erat ne in bellum apertum ex contentiones erumperent. Petri Gironii ardens ingeniũ timebatur omnis insolentiæ impatiens, consilio inimicum ꝙ non ipse probasset. Vbi animorum motus conquieuere, ius valuit regio præsertim fauore munitum & gratia: principatusq; cessit defuncti fratri. Bugiæ Gonsaluus Marignus erat Præfectus, Orano Martinus Argote pro Comaris Marchione legatus. Leuia prælia cõmissa cum Mauris, excursionesq; in vicinos agros factæ,

nullo præterea euentu ad memoriam insigni. Muleius tantum Abdala iis iniuriis prouocatus se cum copiis in Bugiæ conspectum dedit. Nihil est tam firmum, cui non sit periculum etiam ab inualido. Vrbe mœnib. & præsidio defensa in suburbii tecta sequitū est igne ferroq;: nihil vt integrum manserit, præter turrim, quo se Iudæi receperunt. Marignum temeritate accusatur eam accersiuisse cladem: quippe pactæ cum Mauris pacis conditionibus non steterat finitimis importunus & grauis. Ad gentem pacandam Marigno in ea vigilia & procuratione Raymundus Carrocius successor datus est virtutis & prudentiæ opinione præstantior.

Iulii Pontificis obitus. CAPVT XVIII.

IVlii quoq; Pontificis imbecillam diu valetudinem continuæ curæ grauabant. In affecto corpore quamlibet leuis causa maior existit. Senem septuagenarium lethifero oppressum morbo diu non posse superuiuere vulgatum erat, tenaci febricula fluenteq; sensim aluo. Metus suberat, ne eo defuncto factiosi Cardinales Pontificatum sui muneris facere aggrederētur quasi Synodi auctoritate ad ipsos electionis ius recidisset, certe comitiis Pontificiis Romæ interesse vellent. Mediolanensi Duci, Florentinis, Senensibus, Lucensibus vt itinera diligenter obsideant, mandatum à Cardinalium collegio est. Decessit Pontifex ad decimum Kal. Martii: corpus amplo funere ad Petri vincula illatū sepulcro. Inter alia præclara opera curasq; graues Vaticanum tēplum iisdē vestigiis mutata forma superbo structuræ genere primus instaurare est aggressus Bramantes architectus. Subsequentes Pontifices in opere processere longius. Pius quartus & Gregorius tertius decimus maiori festinatione & sumptu quam alii. Absoluti & dedicati operis laudem Xistus quintus ante paucos omnino annos tulit. Pōtificis obitu Romanus populus ad arma consternatus, tumultus concitare cœpit. Sic solent vacuo Pontificatu, tunc acrius maiorique impetu extincti Pontificis seueritate irritati, Columnis etiam, quibus infensum se Iulius præbuerat, & Vrsinis quibus fauerat, inter se mutua æmulatione in vindictam inflammatis. Diui Pauli monasterium Benedictini ordinis furentis populi concursu diripitur. rapinæ aliæ & cædes factæ. Hieronymi Viquii diligentia & auctoritate vrbanis tumultibus magna ex parte compositis, Patres dimisso prius Mantuani filio, qui pro patre obses erat, in comitia conuenere ad quartum Nonas Martii. Septimo post die Ioannes Mediceus Cardinalis Pontifex est salutatus. Iuniorum suffragia in petitione subleuarunt. maior numerus minorem vicit: neq; enim suffragia ponderantur sed numerantur. In pontificatu se Leonem decimum dixit, ipsoque die testatus est velle sepactam armorum societatem tueri: ac vero vt Cæsar & Anglus ad id fœdus accederent, daturum operam. Cardinales Caruaialius Sanseuerinusq; Lugduno, vbi minori quam vnquam fiducia existimationeque partes tuebantur, in Italiam discesserant comitiis Pontificiis interesse destinantes & suo iure & Prosperi Columnæ ope: qui & ipse Romam proficisci parabat, Pontificem de manu daturus orbi, sic pollicebatur maius fortuna & viribus facinus. Imminentem ex eo tempestatem vis altior discussit. Prosperum discedere vetuit Cardonius metu ne eius aduentu motus Romæ existerent prompta in arma plebe: neu libertas decernendi Patrib. eriperetur extremum malorum fonsque. Duo Cardinales ad Arni fluminis fauces rostrata excelsa naui appulsos custodiæ destinati milites captos Pisas inde abduxere. Rei gestæ nuncium Iulius Mediceus ad Pontificem patruelem misit. Viterbium ille captos deduci primum iussit, deinde ciuitatem Castellanam eius vrbis arce satis firma custodię designata, dum è vinculis causam dicerent. Magni honores habiti, multaque blandimenta data abs Iulio sunt, tum duobus Cardinalibus, tum Solierio regulo, qui cum eis à Gallo Romam legatus ibat. operam fidemque Gallis probandi studio tenebatur. Hinc vero consequentibus annis in maiora incommoda præcipitatum. Mortuo priore Pontifice, noui auctoritate nondum fundata facile Mediolanensi fuit Placentiam occupare, tentare Parmam. Cardonius in eam partem cum copiis accurrit metu noui à Gallis belli, neque idoneo tempore ad inuadendum Venetos, vti erat destinatum. Pecuniæ in stipendium suprema inopia premebat: neque eius redigendæ via alicunde ostendebatur. Proxima quoque spes retinebat, Venetos cum Cæsare pace facta cōciliandi. profectiq; ea de causa erant in Germaniam Gursensis primū, deinde subsecuti Vrrea & Cariati Comes. De conditionib. pacis non consentiebant. Cæsar Brixiā & Veronā tueri destinabat. Veneti ad nullum accedebāt fœdus, nisi veteri penitus imperio restituto. Accessit Gallus in ea altercatione aliorū dissidia suā fore occasionem ratus. Andreas Grittus iā vna cū Liuiano recepta libertate beneficii memor & Gallicis partib. inueteratus Galli conatus subleuauit, Cæsaris euertit. Itaq; fœdere festinato Venetis quæcūq; ante bellum possidebant, concessa à Gallo sunt Cremona & Geradada modo exceptis, quę Mediolanēsi ditioni, vti redde-

redderentur,expressit.In id bellum,quod opinione grauius futurū erat,quippe de Mediolanensi principatu Gallus certabat,de ablatis antea vrbib. Veneti, hi quidem mille grauis armaturæ equites peditum millia sex copiarum duce Liuiano polliciti sunt:Gallus autem mille & ducentos cataphractos,pedites duodecim millia. cura peditū Roberto Marchiæ concredita,expeditionis summa Tramullio,adiuncto tamē Triuultio propter summam Italiæ rerum peritiam,paremq; rei militaris scientiā. Is cū continuo copiis,quas paratas habebat,Astam vrbem tenuit.Liuianus ad Venetorum exercitum abiit Veronā occupare parans,si id non cōtingeret, cum Gallicis certe copiis vires conferre. Nouo euulgato fœdere magna rerum & animorum conuersio facta est:multæ Insubrum ciuitates à Maximiliano Sfortia nouo Duce defecere:gens ad omnem auram spei metusq; vmbram mobilis neq; satis constans in fide.Felicitatis humanæ quanta est inconstantia,quanta labes?facili momento in contrariū vertitur.Vix noui principatus primis gaudiis degustatis nouus Princeps in præceps ire cœpit.Festinati cum Venetis fœderis Gallo causam præcipuam extitisse inueniebam,alterius pactionis conficiendæ proxima spes auctore Caruaialio Cardinali.Enimuero à Ferdinādo Rege inducias esse cupiebat citra Alpes quidem. Commodum id vtriusq; Principis rationibus;Ferdinādi quidē mora satagentis Vasconū regnum firmare, ꝙ nouitate mutabat,Galli aūt Insubrib.imperii iugum,ꝙ excusserāt,reponere.Ea cura præcipua summaq; votorum.Regis Vasconū & Maximiliani Sfortiæ nulla,ac ne famæ quidem memoria præ cupiditate assequendi ꝙ animo destinarāt.vt hostes vlciscerentur,amicos mutuo inter se & confœderatos donarunt:scilicet potentiā supbia, & superbiæ affinis imbecilliorum contēptus sequitur.Induciis sanciendis Iacobus Concillus Catanæ ad Ilerdæ episcopatum ipso tempore translatus,in Galliam legatus Baionę cum Odeto Fuxensi Lautrechii regulo,qui Aquitaniæ erat Præfectus,de conditionibus disceptauit.Ex colloquio nullo fructu cum discessissent,ad Ortuuiam arcem,mense Martio dimidiato rursus conuenere ditionis quidem Gallicæ,cæterum Fonterrabiæ dissitam sex tantum millib. passuum.In ea arce consensu hæ conditiones sancitæ sunt Kal.Aprilis. Ferdinando atq; eius confœderatis Anglo & Carolo Austriaco cum Gallo, Scotto Rege & Gheldriæ Duce ab eo die induciæ annuæ essent. Eo interuallo inter vtrāq; gentē commercii ius facultasq; citra Alpes quidem, qua parte ponebantur arma. Rex Vasconum in fœdere à Gallo neq; nominatus neq; comprehensus est,ꝙ perinde videbatur,atq; in prędam hosti dari nulla amplius emergendi spe. De Anglo & Cæsare statutum,vt nisi intra duos menses eas inducias ratas haberent,ne postmodum ad fœdus admitteretur. Molestum id fœdus Cæsari extitit se præsertim inscio festinatum. Ferdinandi artes accusabat. An id esset,ꝙ omnib.sermonib. vsurpabat, communem secum fortunam habere, seiunctum nihil? iis pactis induciis intra octo dies Gallo Mediolanensem principatum cessurum;mox Italiæ Principib.victoris fortunam haud dubium secuturis.Neapolitanum regnum victoriæ partem fore & quasi corollarium ac vero reliquam Italiā nullo repugnāte daturam manus.Italia domita conuersis in vtrumq; armis,qui veri hostes existerent, vindicaturum scilicet iniurias pro voluntate arbitratuq;. In reliqua molestia accusabat maxime,Caruaialii Cardinalis multis modis inuisi infensiq; consilia de re tanta audita Galli præcipuo cōmodo,cui ille esset addictus,originis immemor & patriæ caritatis. Si verum fateri conuenit acutissime is,vt erat ingenio perspicaci & callido,viam solus considerauit eos Principes inter se conciliandi, nisi vtriq; obiecta propria vtilitate nunquam in vnum fœdus coituros.eam vt assequerentur,reliqua neglecturos vincula necessitudinum & honestatis.Sic erat horum Principum ingenium.Neque erat dubium vrbes Venetis à Cęsare nuper detractas pactis iis induciis cōtinuo ad vetus imperium nouo depulso redituras. Id vero eius animum vrebat maxime,tametsi diuersa dolori species prætendebatur.

De bello Vasconum. CAPVT XIX.

ANte pactas cum Gallo inducias Lautrechius Baionæ in Tarbellis veteres copias instruere,nouas conscribere,æneas balistas cōflare. Sancti Ioannis oppidū Vasconum inuadere parabat neque operib.neque militib.satis firmū.Eo improuisa vi occupato municipio,vti confidebat,neque erat difficile, transcensis montib. in Vascones citramontanos irrumpere cogitabat.Eo metu Comarius per idoneos homines Roncaleses finitimos pacare est aggressus nunquam satis fidos, & tunc rerum nouarū spe proxima Gallis trāsitum per fines daturos,si obsisteretur ferro viam inuēturis,nisi prouideretur. pedites item equitesque Diegho Verę misit oppidi eius Præfecto,quo ipse numero postularat.Verum has omnes ab vtraque parte molitiones,conatusque pactæ,vt dictum est,induciæ distur-

barunt. Ferdinando præterea Regi occasio extitit, non modo imperium recens partum confirmandi, sed & nouis accessionibus amplificandi. Ioannes Rex Vasconum quinque hominum millia sub signis habebat, si spes aliqua melioris fortunæ affulgeret auersæ eatenus, hostibus propitiæ. Simul Zamoræ Episcopum monuit, vt fidei datæ memor ad captiuitatem rediret. Disceptata tamen causa Ferdinandus liberum eum, neque promissi reditus fide teneri pronunciauit, quod iure gentium violato captus fuisset legatus præsertim de iis, quæ ad tuendam Pontificiam dignitatem pertinebant, deinde Longauillæ obitu; cui fidem dederat, quasi capitis diminutione, promisso fuisse exemptum. Vrgebat alia parte Marescalus Vasconum, quem Cortesium quoque Marchionem dixere, cũ duobus aliis militum millibus in vicinos Santabriæ fines inuectus. Incolæ Ludouici Cueuæ iussu, qui Fonterrabiæ pro patre vicarius res gerebat, durum in armis genus in vnum agmen coeuntes, hostium conatib. restitere. Rediere illi Maiam Vasconum arcẽ in Galliæ latere, qua parte in Aquitaniam est transitus. Inde de finitimis prædas agere, rapere, spoliare, si promerentur perfugio parato. Vrsuæ haud longinqui oppidi regulus Hispano addictus, Præfecti eius arcis absentiam opportunam fore conatui ratus, cum manu militari impugnatum aduolat. Minor numerus erat quam pro molitione, & forte an consilio Præfectus arcis superuenit. Ita spe irrita discessit. Ne Comarii quidẽ conatus initio meliorem exitum habuere. Dieghus Vera & Valensola cũ maiori numero eius iussu ad impugnandam eam arcem profecti nihil præstitere amplius. Cognito quin etiam tum Marescalum, tum Vasconum Regem auxilio obsessis propediem venturos, raptim soluta obsidione retro sese retulere tormentis pręfestinatione Azpilcuetæ relictis loco minime tuto. Paucorum militum perfugium excindere, quoniam latronum in morẽ vicinos montes infestos reddebant igne ferro, prædisq; abactis, oppido cupiebant nostri. Comarius ipse cũ duob. amplius militum millibus & tormentis maioribus, quam quæ ante detulerant, impugnatum accessit. Obsessi nulla ex Gallia auxilii spe & Regis sui virib. hosti imparib. intra dies paucos supplicum vexillis prætentis dedidere arcem. Læta in præsenti victoria fuit, in posterum vsui Vasconum deinde omni tractu pacato, qui vltra montes ad Galliæ fines pertinet. Comites Fuxẽses ab antiquo in Catalaunis Andorræ vallem & Castelboũ prope Vrgeliam vrbem in Pyrenæi montis complexu possederant. Vtraque Catharinæ Reginæ Vasconũ à maiorib. relicta iure quoque optimo, ad cætera mala victori accesserunt, armis erepta. Iisdem dieb. Neapoli Sorrenti Cardinali ad comitia Põtificia profecto, Villamarinus maris Præfectus res gerebat minori q̃ opus esset auctoritate. Brutii & Apuli, p̃fectis earum prouincialium Ferdinando Alarconio & Padulæ Marchione Cardoniũ ad bellum secutis, ad hæc exiguo numero militum relicto quasi domitis frænis motus cõcitarunt. Maiori peruicacia in regulos, eorum subditi sunt debacchati quasi indigna seruitute, impotẽti dominatu premerentur. Integra oppida corripuere arma vitæ acerbissimæ conditionem si minus victoria certe morte excutere destinãtes. Nihil in vulgo modicum aut timent aut terrent, tenuioresq; opprimunt. multæ cædes, atrocia flagitia extitere, non sacro non profano abstinuere manus. Neq; erat, qui tumultuantes compesceret. Deinde fama vulgabatur Turcam validam instruere classem ad euertẽdas piorũ opes. Incertum erat in quam partem sęua tempestas irrueret. Rhodum plerique insulam designabãt; non pauci de Sicilia, Apuliaue metuebant, iniuriæ opportunis neq; longinquis. Veneti quoq; ex quo ad Gallicum accessere fœdus, vrbes antea in Apulia possessas, vnde fuerũt eiecti, imperio reddere cum cæteris cogitabant si votis pares vires suppeterẽt. Omnia hæc iura cõplecti arduum Ferdinando quidem, sed necessarium erat. Iis littorib. muniendis data est opera, terra dispositis per vrbes præsidiis, à mari Villamarini classe ad omnes casus instructa parataq;. Berengarius Olmius, qui initio Aprilis cum quatuor triremib. milite & reb. omnib. satis instructis Hispali discesserat, improuiso occupaturus piraticas biremes nonnullas quas ad Tituani flumen in aduerso Africæ littore se recepisse. Lusitanus Tingi Præfectus nunciarat, iussus est reb. aliis prætermissis in Italiã vela dare, reliquæ classi subsidium. Sub idem tempus Genuæ grauissimi extitere motus. Adurnii patria pulsi, quamuis hactenus Aragonio nomini cumprimis addicti diuturno fessi exilio ad Gallicũ fœdus versi eius ope sunt polliciti pulsis Fregosiis ad Gallicum imperium Genuenses redituros. Tantę molitiones latere non poterant, quamuis arcano agitatæ. Cognitum Fliscum & fratres cum exulibus cõspirasse. Ducis fratres conatu occupato, eum intra palatium peremere, quasi lege maiestatis conuictum. Occisi fratres felici fuga vitata cæde, se Adurniis adiũxere: delectuq; militari habito ad vrbis mœnia accessere vindicare parati hostis exitio. tantundem Gallica classis mari fecit. Dux cum suis triremibus, Gallicis obuiam egressus cedentes metu an dolo dum longius insequitur, Adurnii Fliscique vrbem à terra occupa-

occuparunt. Sic lætis miſcetur aduerſa. Duce Plombinũ delato claſſis eius Lunæ portum tenuit. In eiecti locum Octauianum Fregoſium conſenſu ciues Ducem dixere, quippe gratum vniuerſo populo vrbis tutelæ idoneũ fratre Salernitano Archiepiſcopo, ipſoque Romano Pontifice propinquitate deuincto. Lætitia Adurniis diuturna non fuit Fregoſii omni alio præſidio deſtituti Cardonio ſupplices ſunt polliciti, ſi eius ope in patriam reſtituerentur, vrbẽ eam in Hiſpani clientela fore. Nuncupatis fœderis initi conditionib. miſſus cum copiis Piſcarius vrbis imperium Adurniis ademptum amicæ factioni reddidit. De vrbis duce mutari nihil eſt viſum: quando gẽte Fregoſius, beneuolentia etiã Adurnios quoq; cõplectebatur. Verũ hæc aliquanto poſt acciderũt: ad prætermiſſa redeamus.

Galli ab Heluetiis ad Nouariam victi. CAPVT XX.

AD Aſtam & Taurinos Gallicæ copiæ coibant: neque Tramullius de ſua comparatione aliquid remittebat ardenti ingenio vir, gloriæ cupidior q̃ pecuniæ aut voluptatũ. Acceſſere ex Gallia expediti equites quadringenti circiter. Italici generis Triuulcius ſocius & Sacromorus Vicecomes, hic deſerto Maximiliano Duce cuius eatenus auſpicia fuerat ſecutus perfidiam breui ſuperi eius capite vindicarunt. Liuianus cum Venetorum copiis Veronam obſidere porro parabat haud ignarus primis euentibus metum aut fiduciam gigni: pro vt initia ceſſiſſent fore alia. Mirum dictu præter hos duos exercitus Venetorum & Gallicũ, tres alios in Gallicæ Ciſalpinæ atq; adeo Inſubrum variis partibus vno tempore ali potuiſſe: tanta hominum militarium colluuie prouinciam haud latam ſpatiis fuiſſe parem. Intra Veronam Germani quinq; millia tendentes, equites expediti ſexcenti Vicentiã vſq; agris, pagis, oppidis, importuni inſtabant nemine repugnante. Prope Placentiam Cardonius Prorex metatis caſtris mille & quadringentos cataphractos, equites expeditos octingentos pedites ad ſeptem millia cõtinebat. Italiæ ſpoliis ſplendidã aciem, & ſua virtute præſtantem. Heluetiis Maximilianus dux ſtipatus erat, quibus multum fidebat quaſi externis & quibus opes & principatum debebat. Octo millium ii numerum explebant, & quinq; alia millia propediem tranſcenſis Alpibus ventura expectabatur. Tantis quamuis paratis præſidiis metu Gallici apparatus vrgentiſq; belli, pleræque Inſubrum ciuitates Duce deſerto Gallica vexilla explicarunt, mutati imperii argumento, neq; fidei tenaces neq; conſtantes in perfidia. Dux ipſe ancipitis pugnæ aleam ſubire reformidans, patentibus campis non auſus ſuſtentare, Nouariam ſe cum copiis compegit pridie Kal. Iunii, in ea vrbe ab ea gente patrem Gallis fuiſſe vẽditum, oblitus ominis ſcilicet, aut quę fortuito accidunt, parum curans. Cupere Cardonius ſignificabat ſe cum Duce coniungere. Inopia pecuniæ retardauit Roma à Viquio legato promiſſæ, neque allatæ tamen. & ex Hiſpania iuſſum erat, vt Neapolim copias referret: neq; Gallos irritaret. Sic Cardonii cunctationẽ hiſtoriæ noſtrates excuſant. Quod in ancipitibus deterrimum eſt, mediam tenere viam placuit. atq; iiſdem locis ſuſtentare nulla neq; Ducis neq; Gallorũ gratia. Peditum curam Soliſio cõmendauit in Padulii locum Florentini exercitus ducis antea deſignati. Pro Soliſio Ludouicus Huardus Brixiæ præſidio & cuſtodiæ eſt Præfectus. Cremonæ Pontificias copias ſuſtentare voluit: & quo maius eſſet præſidium deinde Ferramoſcam eodẽ dimiſit adiunctis quadraginta equitib. cataphractis, peditibus trecẽtis Hiſpanis, Italis quingentis. Parum ea diligentia eſt profectum. Cum primum Liuianus cum copiis omnibus eo acceſſit, vrbem quamuis munitam vi occupauit: cæſiſque equitibus omnibus ad ducentos, Hiſpanis peditibus haſtas detraxit, gentem ferocem ea ignominia vltus. Rei geſtæ nuncio Galli amplius confirmati Nouariã copias admouere. enimuero octingẽtos equites grauis armaturæ, pedites octo millia: ex iis tria millia Germanos, reliquos temere collectos, quib. neque ex victoria gloria neq; ex fuga ignominiæ metus. Impugnandi vrbem ſpecie modo præbita deſtitere tamen, ſeque ad priora ſtatiua retulerunt Gaiam inter & Nouariam foſſa & vallo diligenter munita. Diſceſſus præter opinionem cauſa nuncius extitit auxilio obſeſſis aduentare Heluetios numero ad duodecim millia, præter alia quinque millia ductore Altoſaxo iiſdem veſtigiis ſequentes. Priorum aduentu obſeſſi in victoriæ certam ſpem erecti, ne expectato quidẽ Altoſaxo vrbe egreſſi continuo in hoſtes ſunt pugnandi certa voluntate, victoriæ ſpe, quoniã aduentu metum expreſſerant hoſti. Galli detrectare certamen gnari modicas ſibi vires: neque ita iuuari loco, vt non plus hoſti in virtute eſſet. Re tamen neceſſaria & decoris cura in aciem produxere copias. Gallis equitibus pugnandi voluntas aut animus non fuit. Inter pedites acerrime duabus horis dimicatum. Germani feroces hoſtium impetum magno animo ſuſtentarunt: iis victis victoria penes Heluetios ſtetit. Cædes quam pro numero maior. Supra ſeptem hominum millia ceciderunt, atq; in iis omnes Germani, viri quoq; nobilitate factiſq; clari Coriolanus, Triuulcius, atq; Ludouicus Beamontius Nobilis victoria

in paucis fuit & cum veterib. comparãda. Secundum eam, quæ ad octauum Idus Iunias est parta. Altosaxus serus opitulator accessit sibi præreptam laudem frendens. Præterea Mediolanum ac Ticinum ac vero reliquæ Insubrum vrbes ad victoris imperium vltro rediere, nullo iam Gallorum metu: quorũ numerosas equitum peditumq; copias ab Heluetiis peditib. concisas considerabant. A Cardonio quadringẽti grauis armaturę equites ad Ducẽ submissi auxilio post victoriã quoniã equitatu carebat, hostiũ equites perstiterãt incolumes. Reliquæ Hispaniæ copiæ ad Trebiam non procul Placentia, vti instituerant, in statiuis perstiterunt. Multũ ex iis locis tamẽ Cardonius partes iuuit. Liuiano prohibito ne copias suas cum Gallicis conferret, victoriã certam reddidit si conaretur procedere, hæsurus in tergo, & opprimi poterat si Hispani & Heluetii mediũ clausissent. Cautior ille pugnæ ad Nouariã euentu cognito copias in pacata reduxit. eæ erant mille cataphracti, trecenti velites peditum quinque millia neq; virtute neq; cultu & armis cõspicua acies, sed ex plebis fæce. Diuturnis bellis Venetorum ærario exhausto pecuniæ in stipendium suprema inopia laborabatur vt à ciuib. cogerentur reddituum decimam rerũ venalium centesimam exigere magno popularium gemitu, graue onus neq; imponi solitum. Liuianus ex itinere Lignanũ cepit, q; oppidũ Villada & ei adiuncti milites obtinebãt pręsidio. Inde Veronã duxit impugnandi voluntate. Egressi tamen ex vrbe præsidiarii milites cæso ex iis copiis aliquanto numero, vt absisteret tamẽ conatu efficere non potuerunt. Sic in Insubrib. res erant, inter metũ & spẽ vtriusq; partis animi & vires alternantes. Romæ factiosi Cardinales posita contentione, atq; palã eiurata secta pœnitentiam professi, in gratiam Põtificis restituti sunt. Malis castigati & damnis cum ecclesia conciliati sacerdotia priora & pristinum purpuræ honorẽ recepere ad septimũ Kal. Iulii. Hũc exitũ superiora dissidia habuerunt grauia & diuturna, vnde sæua tempestas aliquãdo instare visa est. Vt Cardonius copias conferret, Maximilianus Dux solicitare non desistebat, ne reparatis Gallorum virib. de fortunis rursus periclitari cogeretur. Æquissimis postulatis ille obtemperare constituens trinis castris Sarrasinam peruenit. Ex eo loco Piscario Genuam ablegato, vti iam est dictum, ipse cum copiarum robore Veronam ire perrexit, Liuiani obsidione fatigatam, exitio proximam. In eo itinere cum primum Brixianum agrum attigit, Ponteuicus & Vrsonouũ, omniaq; oppida quæ Salo flumine alluuntur, ex deditione in potestatem redegit. Bergomũ quin etiam accedenti propius portas aperuit, pecuniæ etiam aliquanta summa iuuit in stipendium militare. Arx tantũ in fide Venetorũ perstitit. Vim adhibere longũ erat festinanti. In ea vrbe Puchio relicto pecuniã ex fœdere pactam vt redigeret Pesqueriã abiit. Rencius pro Venetis Cremæ præsidio impositus dux impiger, audax, callidus re cognita, cum Bergomi non procul dissitæ ciuibus consilio cõmunicato clam, noctu in vrbem admissus capta pecunia è Puchii sociis quosdam etiã viuos cepit, ipso vix duce munitæ domus præsidio sese tuente. Pesqueriã contra Cardonius occupauit, validũ quamuis oppidum opera milesq; firmauerãt. Inde Patauiũ cõtendit adiuncto ex itinere Gursensi cũ auxiliis recens & Germania in ea loca delato. Copiis omnib. in eius vrbis conspectum est ventum sub initiũ mẽsis Augusti. Maior virib. conatus propter amplitudinẽ vrbis Liuianiq; virtutẽ soluta raptim Veronẽsi obsidione eo delati. Ita breui re infecta necessario discessere nostri maiori detrimento accepto q̃ illato. Leui. n. certamine cum Epirotis equitibus commisso Alfonsus Caruaialius strenuus dux & cum eo Cardenas & Espinosa centuriones capti sunt. Equites expeditos cũ Piscario Genuam amandasse nocuit, ad arcendos Epirotarũ incursus frænandamq; audaciã idoneos maxime. Hunc cursum res in Italia tenebant. In Hispania Ferdinandus Rex annis grauis, imbecilla valetudine, curis fatigatus de pace Gallum vltro appellauit, vtriq; concordiam q̃ bellum magis salutarem fore. De Ferdinãdi Infantis & Renatæ minoris Galli filiæ cõnubio actum est, fœderis stabile vinculũ quærebatur. Gallus in puellæ dotem cultumq; Mediolanenses & Genuenses daret, Ferdinandus nepoti Neapolitanum regnũ concederet lege perpetua, non incõmoda ratio, nisi mera ludibria essent votis verba contraria inani spe aduersariis ne nocerent, distinendis. Ac Gallum maxime tempestatis ex Anglia cura solicitabat. Nam rex Anglus cum quadraginta millibus peditum mille & quingentis equitib. Caletiũ traiecerat suæ ditionis in cõtinenti vrbem præualidam. Ex ea vrbe in Morinos finitimos irruens Teruannam obsedit mense Augusto, Abeuillã haud procul dissitam Delfinus cum copiis accessit ad omnem occasionem attentus. Alia parte raptim collectæ Gallorũ maiores copiæ obsessis opem laturæ venerunt. Iusto prælio dimicatũ cum esset, victis cæsisq; Gallis Longauillæ Dux aliique proceres Galli in hostium potestatem capti venerũt. In victoriæ partem oppidum etiam accessit & ipsum vi captũ. Euersis arce, turrib. propugnaculoq; eius oppidi Anglicæ copiæ Tornacũ vrbem sunt admotæ quo tempore

tempore in Anglia Sorris Comes Scottũ Regem, qui in Galli gratiã in Anglicos fines irruperat, commisso prælio ad quintũ Idus Septembris victis fusisq; copiis occidit. Ea victoria nunciata Tornacẽses nulla amplius spe ad deditionẽ flexere animos. Ad eã vrbẽ Cęsar accessit Anglũ inuisurus, tũ Margarita Princeps, deinde Carolus Austriacus. Insulas mox inde concessere de rebus magnis colloquio instituto. Mora molesta erat Anglo, neq; facile de tantis rebus breui constituere. Delegata potestate Cæsaris, Angli, & Ferdinandi Regum legati cõsilio inter se communicato, consensu sanxere, vt quisq; triũ Principum, cum primũ induciarum tempus exiisset, per suos fines Galliam inuaderet: ac nominatim Aquitanos impugnandi Hispano cura est imposita suo sumptu & periculo, Angli compendio. An id erat pacem facere cum Gallo? Ferdinandum Regem neque id fœdus probasse, neque factum sua voluntate aut iussu fuisse euentus rerum satis indicat. Coniugium Carolum Austriacum inter & Mariam sororem Angli sæpe retractatum, nouo decreto confirmari placuit, proximo etiam anno celebrationi perfectionique designato. Antumnus in hyemem iam præcipitabat. Bello ergo in Morinis intermisso præsidiis tantum dispositis, vt res & tempus monuit, cum copiis Anglus mare rursus transmisit. Vix vnquam res Gallicæ in maiori angustia fuere, exitio viciniores. Heluetii præsertim auctore Cæsare in Heduorum fines inuecti grauissimum terrorem vniuersæ genti immisere, ne malorum colluuies rediret, quæ quondam ab Anglis pertulerant. Tramullius eo periculo ex Italia euocatus etsi ferocem gentem acie superauit à victis tamen, non secus ac si vicissent, leges grauissimæ hosti impositæ sunt. Eæ fuere ne Gallus amplius Pisani conuentus, vt fecerat, auctoritatem sequeretur, sed posita contumacia mutaret. Ex arcibus Mediolani & Cremonæ præsidia militaria deduceret. Et quod ignominiosum plane fuit, certis pensionibus quadringenta aureorum millia genti repręsentaret, ingens pacis pretium. Quid amplius victores exigere potuissent? sed tanti fuit eam tempestatem à finibus arcere, vt præ metu parum ignominia moueret. Vi sane expressa stabilia non fuerunt. præter gratiam cum Pontifice conciliatam, aliis conditionibus Gallus nõ stetit, pollicitis in periculo benignus, rebus post tempestatem parcus.

Ad Vicentiam Cardonius *Venetos vicit.* CAPVT XXI.

DVm alii Christiani Principes mutuis odiis inter se digladiantur, viresque & opes frustra consumunt, Emanuel Rex Lusitaniæ bonis omnibus florebat. domi otium atq; diuitiæ, quæ prima ad felicitatem mortales habent, foris autem in Africa atq; in extremis Orientis oris secundo victoriarum cursu Christianæ religionis gloriam & cultũ lõge lateque proferebat maiorib. indies incremẽtis. Egressis Gaditani freti fauces ad læuã in Africę littorib. qua parte Oceanus orbẽ terrarũ amplexu finit, vrbs Azamor sita est Phuthẽsis regni pars ciuiũ numero ampla copiosaq;, diuite & feraci gleba. Rigat ea arua mœniaq; alluit fluuius, quẽ indigenæ Omirabihũ vocant: antiquis Asamã fuisse quidam putãt coniectura neq; certa neq; prorsus inani. Eam vrbem annis superiorib. Emanuel Rex occupare tentauit, vti antea dictũ est. Zeiami Mauri fraude & vanis promissis delusi Lusitani destitere conatu. Maurus, ꝙ erat initio propositum, iis digressis vrbis imperium arripuit. Grauem iniuriam, atq; hactenus dissimulatam vindicandi occasionem commotæ in tyrannũ ciuiũ voluntates, auersa studia præbuerunt. Regũ iræ mora acriores existunt. Classe instructa numerosa peditũ viginti millia equites mille & septingentos in eam rem mittere cõstituit. Ioannes Menesius ac pleriq; è præcipua nobilitate secuti sunt. Summa expeditionis Iacobo Brigantino permissa regia nobilitate Duci quippe ex Regis sorore nato. Rebus omnib. cõparatis Olisipone soluere prouecta iam æstate vigenti æstu. Prolixa nauigatio extitit: malaciæ detinuere naues. Ventum tamẽ Azamorẽ sub initium autumni. Cum ciuib. qui multi erant, & iis qui auxilio venerãt leuia cõmissa certamina. Deinde dispositis tormẽtis excussæ pilæ strauere muros, ad hæc è præcipuis Mauris aliquot peremere. Eius procellæ metu reliqui Mauri ne expectata quidẽ impugnatione altera porta egressi noctu, qua parte minus acris custodia erat, frequẽtes in pacata abierunt. Deserta vrbs sub initiũ Sept. venit in potestatẽ. Accessere, vt fit post insignẽ victoriam alia eo tractu oppida ac nominatim vrbes Tite & Almedina. Brigãtinus valida manu ad vrbis tutelã relicta ductorib. Roderico Barreto & Ioãne Menesio clasã incolumẽ in Lusitaniã reduxit. Marrociũ vrbẽ impugnandã multi disputabãt victoria feroces vęcordi audacia in ferrũ & vulnera propti pdæ spe Dux cui cauta cõsilia cũ ratione temeritate potiora erãt, fiduciariã se operam obtinere excusauit; neq; inscio Rege rẽ tantã aggrediẽdã videri. Prospero euentu erectus animo Emanuel eã Africæ oram armis peragrare certus, Pinonii arcis

iure eatenus controuerso cum Castella abscessit, ea lege tamen si Castellæ Reges illi permitterent, quidquid à fine Phutensis regni ad Boiadoris promōtorium pertinet olim attributum iis Regibus, quippe Velesii regni partem vtriusq; maris littora fusa ditione complexi. Bellum in Italia ducebatur. Cardonius Prorex Albareto, quo se receperat soluta Patauii obsidione, ad vastanda Venetorum oppida & agros est egressus. Auctor suasorque Gursensis Cardinalis. Ac primum Montagnanæ itinere arrepto Buuolentam accessit ad ripam Bachilionis, quem Meduacum minorē dixere quidam, situ oppidum, cymbas & carros magno numero domestica multorum supellectile vesteque onustas, metu belli Venetias se suaq; recipere contendentium, militum prędam fecit. Grauem iis spoliis exercitum Plebem duxit Venetorum delicias, prætoriis ciuium splendidum oppidū, gratum oculis ab amœnitate & copiis spectaculum. Direptis ædibus iniecere ignes in Venetæ vrbis oculis magno ciuium dolore prędiis singulorum ædificiisque fumantib. Meduacum imposito ponte traiectis copiis Mestrem est itum suburbii instar Venetiarum quinque millib. nihilo amplius ab vrbe dissitum pagū. Capto similis quæ cæteris fortuna fuit. Ad proximum mare domus quædā rustico opere sunt, palisq; & aggere littus statu minatum, ne terram fluctus exedant scilicet, ab antiquo prouisum. Inde quoniam ad tormenti ictum ab vrbe distat excussis ignitis globis vrbana ædificia petita, non secus, ac si obsidione premerentur. Ad Diui Secundi monasterium peruenere pilæ magno ciuium dolore non damnum, quod magnum esse non potuit, sed ignominiam, supra quā dici possit, moleste ferentium, hostes tam prope accessisse nullo qui dedecus vindicaret. Id imprimis vrebat ciues dignitatis apprime tenaces. Liuianus sero quamuis, cum copiis tamē occurrit prælio vt dimicaret. Cardonius commotus periculo præsertim ex omni parte circūfusis hostibus, satisq; ad laudem & fructum profecisse ratus conuerso itinere Vicentiam repetere decreuit. Profecti Mestre primo die quatuordecim millia confecerunt, longum iter expedito agmini. Ipsi impedimenta & spolia direptæ gentis quingentis amplius carris vehebant. Ballionius Taruisio, tum Patauini milites accurrere virib. cum Liuiano iunctis, cedentes Hispanos inuasuri magna victoriæ fiducia, quippe maiori numero & recentes aduersus fessos & præda graues pugnaturi. Septem millia pedites vniuersi erant, mille & ducenti equites. Præterea vicani ad decem millia se ostētantes è vicinis montiū iugis: sed quota pars militarib. armis instructi, cęteri sparis & cōtis vt quemq; casus armauerat. Meduaci transitu prohibere nostros destinarant exaduersum positis castris. Noctu illi silētio superius ad sex millia passuum vado transmisere copias. Quod erat reliquum Liuianus re cognita Vicentiam inter, quo iter erat, & nostrorum agmina idoneas conatui coeuntium inter se collium angustias obsedit positis castris prope Vlmum vicum. Intercepto itinere Hispani in supremum discrimē venerant. Neq; vlterius procedere licebat in ea locorum iniquitate, neq; regredi tutum hostili omni à tergo tractu. In ancipiti periculo optimum fore visum est simulato receptu ac retro conuersis repente signis, hostē in patentes cāpos elicere. Ita factum. Hostes fugam ex intempestiua festinatione interpretati, ne mora è manib. hostis elaberetur, pleni fiducia desertis viæ angustiis, gradū inferunt prę festinatione, turbatis ordinib. Cardonius rei bene gerendæ ex eo opportunitate perspecta cū Piscario, qui peditib. Hispanis Præfectus in postremo agmine eo die curabat, quid faciendū videretur cōmunicat. Pugnandum ille ait, neq; cōmittendum cunctatione vt victoria elabatur de manib. idē Prosper Columna consultus censet grauis armaturæ equitū dux in medio agmine constitutus. Primam aciē tenebant Germani in singulos dies cū Hispanis locum cōmutantes. Ii ducum voluntate decretoq; cognito versi in hostem continuo eum impetum in Venetos dedere, quē illi non tulerunt. Auersi momento in fugā sunt hęrente in tergis Piscario vsq; ad vrbis portas. Ciues eas præ metu clauserāt, ne cum suis confusus hostis irrumperet. Sic pleriq; fugientes fluminis vorticib. rapti perierunt: atq; inter alios Sacromorus Vicecomes intēpestiuæ proditionis vltore numine cum aliis mersus. Cardonius interim collecto milite cum Germanis & quibusdam Hispanorū cohortibus, in peditatus equitatusq; hostilis partē inuasit. vicino colle cum quinq; tormētis se tenētes. Pari facilitate ii quoq; deturbati è loco sese in pedes dedere vulnera tergis, animis ignominiā metumq; ferentes. Nonis Octob. pugnatum est. Cecidere è Venetorū copiis grauis armaturæ equites septingēti, peditū maior strages cæsis, nisi quos fuga seruauit. Captus Paulus Ballionius cū mulis, duo & viginti tormēta bellica in prædæ partē cesserunt. E primorib. cuasere Liuianus ex fuga Patauiū delatus, Grittusq; non ante consistens, quā Taruisium est ventū. Præcipuam eo die laudē è victorib. tulerunt Fernādus Alarconius, Garsias Paredius, Garsias Manricus, alii quorum inirē numerum lōgum esset. molestū sua singulos laude fraudare sed necessarium. Antonius Leiua prælio non interfuit cum manu militari

sub id

sub id tempus Cremæ vrbi obiectus. Magna clades ea fuit, magnisq; laudib. victoria celebrata: ad cuius famã cuncta pene victorib. cesserunt. Vicentiæ Cardonius copias aliquot dierum quiete recreauit. Bergomi arx eatenus in fide Veneta perstans venit in potestatẽ vi capta. Paulus Ballionius è captiuitate est dimissus, iuratus modo reditum nisi Veneti eius permutatione Alfonsum Caruaialium redderent libertati. Pacti eius euentus is fuit. Caruaialius in vinculis obiit: neq; Ballionius tamen rediit, quasi nulla mẽdacii religione obstrictus. fidem seruare nolentib. argumenta nunquam desunt, honestatis specie prauitatem velante. An Caruaialii morte se sacramento liberum credidit? Alioqui nostris ad votum fluebant cætera. Mediolanẽsis arx graui & diuturna obsidione fessa ad deditionis conditiones tandem venit, sane ad duodecimum Kal. Decemb. Tantundem Cremonæ arx fecit. Sic Galli ex vniuersæ Galliæ Cisalpinæ finib. & Mediolanẽsi imperio deturbati. Lanternam tantum arcem retinuere Genuæ vrbis ceruicib. imminentẽ, durum iis ciuib. frænum. Nouus Dux collectis virib. eam arcem obsidere instituit, aduersam Gallorum fortunam porro vrgere. Adurnii & Flisci exules præsto fuere auxilio, factionis opib. confisi patefacto aditu penetraturos in vrbem. Aduersa factio cum de vigilantia curaq; nihil remitteret, nullo intra vrbem motu qui venerãt, retro se cum ignominia & iactura retulere necessario, tormentorum etiam parte amissa. Lucas Alagonius iussu Ferdinandi Regis in ea vrbe subsistens conseruatæ vrbis atq; defensæ magna pars fuit, quingentorum Hispanorum præsidio à mœnib. depulso hoste. Lateranenses conuentus habebãtur Romæ. Ad eos Galli oratores sũt admissi factiosorũ patrocinio abdicato, Gallicaq; ecclesia Romanę subdita. quod palam testati sunt. De Bonæ Ioannis Galeacii Mediolanensis Ducis filia Iuliano Mediceo Pontificis fratri connubio iungenda agebatur. Ferdinando Regi ea conditio non displicebat. Villamarino etiam negotium dedit id curãdi. Appellata de cõsensu Isabella Aragonia virginis mater. Apage, inquit, tantum nefas, non patiar me viua non erit, dignitatis scilicet in aduersa quamuis fortuna & ingenitæ nobilitatis memor, alioqui in Maximilianum Sfortiam pronior: quo genero adoptato Mediolanẽsis principatus iniuria detracti iura ad posteros reuocabantur. Venetis ex arcano fauebat Pontifex. Nobilissimæ vrbis proximum exitium dolebat impense. Monuit Cardonium ne bello præcipitantes vrgeret amplius. Viam aliquã sanciendę concordiæ prius quærendam videri. Quo tempore Aragonia mouebatur Comitum Ripagorsæ & Arãdæ dissidio prouincia studiis in ambos diducta. Ferdinãdus Rex ne à paruis initiis latius serperet malum, ex parua scintilla magnum sæpe excitari incẽdium, positis armis pro imperio, iure vt disceptarẽt, mandauit, paratus vindicare si quis nõ obtemperasset. lite contestata dictaq; causa Ripagorsæ Comitem iniuriam fecisse pronunciauit, multæq; nomine Aragoniæ finib. iussit abstinere, quandiu Regi placuisset. Eo pulso conquieuere prouinciales. Brutii & Magna Græcia grauius atq; atrocius quã bello afflictabantur: sed & aliis tota Neapolitana ditione regionib. multa oppida & incolæ dominorũ iniuriis irritati corripuere arma, miseriis modum aut finem vel ipsa morte quærẽtes. Præcipua in eo numero sancta Seuerina olim Siberena, Policastrum, Maturanumq;. Missus in Brutios Petrus Castrius pacata gente reb. tranquillitatem reddidit ægre quamuis & tempore insumpto. Muri Comiti Apuliã demandatam prouinciam vt præsens gereret, mandatum est. Michaeli Aierui in Aprucium abire, cura & diligentia è saltib. latrociniis sublatis effecturo vt magistratib. sua constaret auctoritas temporum vitio collapsa penitus, nulla in ea gente facultate vindicandi flagitia. leges naturæ & humanitatis iura belli tempore in contrarium mutantur.

Induciæ Hispanum inter & Gallum prorogatæ. CAP. XXII.

GAlliæ Regina decessit ad quintum Idus Ian. salutis anno mill. quing. decimo quarto. 1514
Lectissimæ fœminæ obitum luxit gens vniuersa. Rex maxime eius vir neruis Blesis tunc æger molestissime tulit tum eius desiderio, tum veritus ne in Britãnia Armorica motus existerent imperii Gallici odio. Varii Principes qui eum inuiserent luctumq; leuarẽt legatos misere. In eo numero Germana Regina Bernardum Mesã Episcopum Trinopolitanum legauit cum mãdatis, secundum officium tẽpori & propinquitati debitum leuato Regis luctu, de quo antea erat actum, Namursium & Narbonẽ reddi postularet aliaq; à Gastone fratre possessa sorori atq; hæredi legitimæ. In Italiã profecto Ramirus Nunnius Gusmanius dimissus à Ferdinãdo Rege est, vt Romæ oratoris regii partes impleret, iussus ex itinere cum Genuẽsib. publice fœdus sancire. Fecit ille diligẽter mãdata. Pactionis summa duob. cõprehẽsa capitib. Rex vrbis eius & Octauiani Fregosii Ducis patrociniũ suscipet. Genuẽses è cõtrario vires cõferrẽt certo vt militũ numero Regis impiũ & dignitatẽ

tuerentur. Confectæ in eam ſententiam tabulæ ad tertium Nonas Martii: quo tempore Adurnii Heluetiorum ope moliebantur eius vrbis ſtatum commutare pulcherrime tunc vt videbatur, ſtantem. In Gallia Trinopolitani Epiſcopi induſtria tum alia agitata ſed inani conatu ſunt, tum denuo de Ferdinandi Infantis & Renatæ minoris Galli filiæ coniugio actum. Aſtringi eo vinculo Gallum & Hiſpanum in vnam ſtabilis pacis voluntatem commodũ videbatur, ambos bello feſſos tenui valetudine. Ea re propemodũ confecta, vt Regi viduo de nouo coniugio meditati maſculæ prolis ſpe, Eleonora Caroli Auſtriaci ſoror nuberet. Serio agitatũ eſt. Simul Venetis cũ Cæſare conciliandis dabatur opera. Pontificis arbitratu cõtrouerſias finire placuit. Cõpromiſſi exemplũ Gurſenſis Romã detulit: in quo erat expreſſum ne in alterutram partem quidquam definiretur niſi ex Ferdinãdi Regis conſenſu & voluntate. Suſcepta Põtifex ea cura, inſtitutaque cognitione ad quintum decimum Kalendas Februarii pronunciata ſententia, vt Cæſari Verona & Vicentia, Venetis Brixia & Bergomum cederent ſanxit. Præterea in præſenti à Venetis Cæſari ducenta quinquaginta millia auri penderentur, annua in omne tempus millia triginta. Irritus labor extitit. Dum Ferdinandus conſulitur de re tota, Veneti decreto Pontificis palam ſe obtemperaturos negarunt iniquum cauſati. Nondum optata pax Italiæ coaleſcere poterat quamuis bello omnibus feſſis exhauſtiſque. Induciarum Galliam inter & Hiſpaniam pactum tempus exibat. Vtriſque incommodum iuxta ac graue erat ad arma redire. Quintanæ Regi Hiſpano à ſecretis, eius nomine in Gallia res gerentis diligentia ſancitum, vt dum pax componeretur induciæ in annum alterum prorogarentur conditionibus antea pactis nihilo commutatis. Nihil eſt tam ſanctum, quod placere omnibus poſſit. Delfino quidem ea prorogatio grauis accidit verito ne in pacem deſineret: qua ipſe Mediolanenſis Principatus ſpe & hæreditate caderet. Cæſar parum curauit in belli Veneti cogitationem & apparatum incumbens: ac potius cupiebat inducias pace mutari. Angli modo impediti conatus ſunt bello Morinos & Aquitanos armis præſidiiſque obtinendi. Inter propinquos violata caritate acris ſequitur indignatio. Ita Anglus quia vindicare dolorem ex ea re ſuſceptum non licebat ſoceri molitionibus occupatis Gallum in fœdus prior attraxit Maria ſorore in coniugium illi pacta. Londini vrbe Angliæ primaria conuentu de tota re habito, pro Anglo Thomas Volſæus tũc Archiepiſcopus Eboracenſis & paulo poſt Cardinalis, Angliæ Mareſcalus, & tertius Epiſcopus Vintonienſis, Galli nomine Longauillæ Dux, & Nortmanni conuentus Præſes diſceptarunt corã. Fœdere facto ad ſeptimũ Idus Auguſti inter alia expreſſum eſt, vt certo militũ numero inter ſe iuuarent, ſi quis alterutrum bello laceſſeret, mox feſtinatæ nuptiæ ferales ſunt luctu ob amiſſã non ita pridem vxorẽ in lætum cultũ mutato. Notatũ, ab Anglo in fœderis tabulis inter ſuos confœderatos ne nominatum quidem Ferdinandum ſocerum eſſe. Conceptam animo irã placare Ludouicus Carrocius Ferdinãdi legatus hactenus in Anglia conatus: conata & Regina pro ea gratia quam apud gẽtem vniuerſam obtinebat maximã viro à ſe nondũ penitus alienato nihil vterq; diligẽtia perfecit. Paulo poſt Ludouico Carrocio in Hiſpaniã reuerſo, in eius locũ ſuffectus in Angliam Trinopolis Epiſcopus abiit. In Italia bellũ ducebatur alternãte fortuna dubio exitu. Sed à Cardonio tamen cũ copiis Citadela duob. à Meduaco amne millib. Patauiũ inter & Taruiſiũ, oppidũ ſitu, operib. & præſidio firmiſſimũ vi captum eſt. Proſper Columna cũ Mediolanenſis copiis Cremam impugnabat. Defendit Rẽtius pro Venetis vrbis præſidio præfectus. Itaq; expugnari nõ potuit. Garſias Manricus cum aliquot equitũ ad Robigum tendebat vt in nullo tali metu ſecurus. Liuianus vindictæ auidus ſuperiora incõmoda reſarciendi, ignominiam leuandi, atq; vt id aſſequeretur in omnem occaſionẽ intentus, cognita noſtrorũ ſocordia, vt fit ex reb. lætis nata, nocturna vi repente in oppidum irruit. Defendere Hiſpani vt locus & tempus dabat, vbi plurimum periculi, & laboris oſtendebatur, ibi maiore vi reſiſtentes. Viribus tamen impares deditione facta ſaluti conſuluerunt. Manricus & alii cum eo centuriones capti Vicentiam ſunt abducti: Rentius rei bene geſtæ fama permotus noctu in Mediolanenſis exercitus ſtationem Crema egreſſus incurrit, qui Siluio Sabello duce nil minus cogitabant, iis improuiſa vi fuſis momento Bergomum feſtinato itinere nullo prohibente cepit. Hiſpani qui in ea vrbe erant, ancipiti periculo & repentina vi territi in arcem confugerunt. Cardonius periculo nunciato cõtinuo auxilio accurrit ipſis kal. Nouembris. Victricibus copiis par virib. Rentius non erat. Tormentis quoq; icta pars muri corruens cum fragore late ſtragem fecit. Itaque vrbem per conditiones reſtituit tantiſper ex victoria lætatus. triſtibus ſæpe proſpera bellum commutat ſecundis aſpera. Et eſt prudentis ducis eas viciſſitudines præmeditatas habere neq; ſi quid aduerſi accidit frangi animo, ſed contra potius niti. Lanternæ porro arx Genuæ

vehementer

vehementer molesta in Octauiani Fregosii ducis potestatem tandem longa obsidione fatigata concessit. Ad intermissa stylum referamus.

Lusitaniæ res. CAPVT XXIII.

TVrcarum imperator bello liber, quod cum fratribus gesserat & Ismaele Persa qui eorum partes adiuuarat grauissimum, centum & quinquaginta triremium classem instruebat, vti fama ferebat, in Italiam Christianæ religionis caput arcemq;. Primum impetum in Piceni littora oramq; fore vulgo suspicabantur haud longinquam & Pontificiæ ditionis prouinciam. Metus externus ciues conciliare solet, vt positis mutuis odiis, detersis offensionib. in vnam communis salutis tuendæ conspirent voluntatem. Verum gladii sanguine ciuium & propinquorum delibuti non facile eluuntur. Ita efferati Principum animi videbantur, vt præ cupiditate inter se vindicandi, communi periculo parum mouerentur. Non abiecit tamen Pontifex animum. Cæsarem & Hispanum ad sociandas secum vires solicitauit: ne imparatos ferox hostis occuparet. Mediolanēsi Duce & Genuensibus ad commune fœdus attractis, cæteros Principes accessuros confidebat, ac præsertim Reges Gallum Anglum Lusitanum. Conditiones fœderis scriptæ: quarum ea summa fuere capita. Vt quicumque, è sociis aliquem bello lacesseret, quasi communem hostem cuncti vindicarent armis. Piorum prouinciis à Turcarum vi tuēdis singuli socii equitum certum numerum in commune conferrent: pecuniæ quantum designatum est delectib. militum habendis & in eorum stipendium. Ne pauciores sedecim Heluetiorum millib. ad signa euocarent. Prudenter & pie excogitata priuatæ Principum cupiditates euertūt. Saluti fuit aliis bellis Turcas distētos in piorum exitium arma vertere, tunc quidem non potuisse. Rempublicam sine viribus, sine consilio, sine capite fluctuantem texere numina. In vna Lusitania domi industria vigebat, foris arma prosperum cursum tenebat. Lætus is Rex copiis quæ ex Indico commercio proueniebant ingentes & belli Africani successibus, Romam honestissimam legationem fine superioris anni decreuit. Pontifici more maiorum obsequium delatum. Adiunxit ad ostentationem amplitudinis pretiosa dona. Sacrorum instrumenta, vestes Pontificales auro rigentes, eo splendore qui ex clarissimis gemmis esse debuit, ea varietate vt ars cum copia certaret. Specie, pretio, atque elegantia maiori quam vidissent homines in Pontificia aula, vasa auro & argento grauia artis plena. E Perside pantheram miræ pernicitatis priscis Romanorum ludis exhiberi solitum animal equi clunibus strati eleganter insidens. Indi rectoris ad signum syluas pererrare ferasque capere edocta. Accessit aureo strato turritus elephas assuetus inter alia flexo poplite venerari. Principem tybiæ sonum pedib. vastique mole corporis motu quamuis incondito modulari proboscide haustam copiosam aquam in circumfusam turbam effundere. Denique Rhinoceros vehebatur, non visum in Italia à multis seculis animal ferum truculentumq;, vt cum elephanto commissus natura inimicissimo, veteris magnificentiæ spectaculum Romanorum oculis repræsentaret. Verum qui ab vltimis oris aduectus, Oceani tremendos fluctus euaserat, ad Genuenses scopulos fracta naui periit in ventorum procella. catenis impeditus neque enare potuit, neque à vectoribus eripi naufragio. Eius legationis Princeps Tristanius Acunia rerum Indicarum longo vsu callens Romam iniit ad quartum Idus Martii. Paulo post dato senatu hac sententia orationē habuit è duobus legati collegis alter Iacobus Paciecus Iurecōsultus ad tredecimum Kalendas Aprilis. Rex Emanuel ab extrema Lusitania, Pater sancte, huc nos venire iussit de Pōtificatu delato gratulatum: quod felix diuturnumq; magnoque adeo ecclesiæ commodo fore auguramur, optamusq;: simul ad deferendum obsequium debitum quidem sed libentissime tamen oblatum. Moram re necessaria susceptam hactenus excusare debet prompta voluntas. Officio preces adiungit honestissimas atque tempore necessarias. Paterna cura prouidendum videri, vt superiores orbis Christiani iacturæ reparentur facta pace. Id fiet, si Principes Christiani priuatis singulorum dissidiis sublatis, vires in commune contulerint aduersus hostem communem infensumq;, in nostris ruinis exultantē nostraq; ex calamitate & spoliis superbum & magnum nouis indies incremētis. Quæ enim si gloria quæritur, honestior causa, si vtilitas fructuosior hac cogitatione esse potest? Facessat superior amentia: pœnarum satis est datum. Amentes prorsus & furiosi, qui in se ipsos ferrum stringunt væcordes & rabidi. Proderit Episcoporum conuentus continuari, neq; solui priusquam omnia ex sententia componantur. Patrum auctoritate diuinæ in terris æmula, id curari atq; præstari summopere exoptat, petitq; quoad vires tulerint, communi causæ nō defuturus, paratus etiam, si res ferent, pro communi salute & ecclesiæ dignitate

vitam sanguinemque profundere. Nihil in nostra oratione vanitatis est. Sed quid non expectare fas sit ab eo qui omnes cogitationes consumit in conatum religionis Christianæ amplificandæ, siue in vltimis Orientis solis oris, vbi vexillum crucis inter nationes feras & barbaras intulit atque erexit, vsque ad extremos orbis fines, quanto fructu & laude dicere non est necesse: siue in Africanis expeditionib. ærario consumpto & regni virib. exhaustis. Ex Indiæ spoliis & copiis primitias speciméq; offert, Pater beatissime, munera ex regionũ lõginquitate vnde aduecta sunt, & ex pietate Principis magis quã ex ꝓtio æstimãda, speq; adeo certa fore aliquãdo, vt latissimæ regiões & gẽtes innumeræ ante vestros pedes ꝓstratæ Christo se subdãt. Pro Africanis spoliis minus gratiæ habituris, quo vsitatiora sunt postulatum offerimus honestum prorsus & sanctũ. Id est. Vt quoniã bello Africano gerendo pares regni vires & opes regiæ nõ sunt, susceptos conatus primum concessa peccatorum venia ex ecclesiæ thesauris iuues benigna manu; deinde concedas vt pars aliqua in Lusitania sacrorum vectigalium ad id bellum conferatur. Vbi enim melius ponantur, atque eorum qui eas opes templis legarunt voluntati magis consentaneæ? Cum quibus fructus & gloria communicatur, an iniquum videatur vt oneris partem ferant? Non arbitramur vestram benignitatem in re omnium æquissima denegaturam, quod aliis Principibus variis temporibus est datum. Læto vultu & placido Pontifex legati orationem audiuit. Breue responsum. Emanuelem Regem pro eo ac par erat magni facere: allata munera grata extitisse. Quod postularent curæ fore. piissimos tanti Principis conatus pro viribus iuuaturum. Confectis mox tabulis Cruciatæ veniã in opẽ belli Africani concessit. Adiecit decumarum ecclesiasticarum tertias in templorum fabricationes & sarta tecta cultumque consumi solitas. Præterea aliorum sacrorum vectigaliũ in vniuersa Lusitania decimam. In vsu harum concessionum graues difficultates extitere. ministri & collectores simulatione religionis inertiæ alimenta quærere; multas concipere fraudes. Et alioqui ex publicis vectigalibus quantum peculatus auertit. Iis incommodis commotus sacer ordo centum & quinquaginta aureorum millibus pristinam redemere immunitatem, ac non vltra triennium molestæ exactiones extitere. Populo graue videbatur eas copias in victum sacerdotum & templorum cultum destinatas alio conuerti, vnde in aulicorum delicias tandem desinerent rebus à prima origine mutatis. Optima sæpe instituta exitiali exitu terminantur, & fere mala exempla ex sano initio ortũ habent. Castellæ recens documentum redderet cautiores, vbi postquam in sacros templorum reditus Reges inuolarunt, maiori quam antea premebantur inopia. Enimuero qui exiguis olim vectigalibus, Maurorũ imperio conuulso, externas inuicta virtute gentes ad ditionem adiunxere, eos nouis indies tributis plebe fessa, & sacrorum vectigalium parte magna occupata, nullo idoneo operæ pretio sua mole ruere, & proprio laborare pondere. Priuatorum testamenta legibus sancta esse conquerebantur: eorum moueri, qui Christum hæredem scripsere. Dotem multis alioqui fulcitam prærogatiuis Christi sponsæ detrahi, ipsa inuita & qui dederunt repugnantibus. Regii ministri siue assentandi studio, seu quia ita sentiebant, facto honestatis speciem prætendere. Cuius in ope & patrocinio nõ profana magis vectigalia quam templorum sacri reditus delitescerent, ab vtrisque partem aliquam decerpi & ad reip. præsidium conferri æquum omnino videri. Et constat Ambrosii ætate templorum prædia Augustis tributum soluisse. Equidem de re tanta statuere non ausim, neque ad meum arbitrium reuoco inter disceptantes quid sentiendum sit, pronuntiare consentaneum tamen putarim vt à viris sacris in commune aliquid concedatur, ita tamen si non maius subsidium sit, quam pro copiarum modo rataq; portione. Itaq; si redituum prouinciæ aut prædiorũ quartã aut quintam obtinent, non maiorem neq; annui census partẽ neq; regiorum vectigalium in ærariũ conferant. Quod caput est, ne sua auctoritate id Principes faciãt, sed eius venia, vnde iura & leges sacræ petuntur, Romani certe Põtificis. Accedat etiã, quorũ interest, Episcoporum prouinciæ consensus & sacrati ordinis vti aliquãdo factũ scimus. Nã ordo sacratus peiori cõditione esse nõ debet, ꝙ populi, quib. volentib. tributa a Regib. imperãtur. Verũ hæc in medio relinquãtur, ne in lubrico loco vestigiũ fallat. Is sane legationis Lusitanæ successus fuit. A Prætoioãne magno Æthiopiæ Imperatore Olisiponẽ legatus venit gente Armenus, professione monastica, Matthæus nomine. Princeps gẽtis Dauid dictus Regis Lusitani, ex quo Petrus Couillanius in eas regiones penetrauit, fama cõmotus, deinde Lusitanorum in India parta gloria amplius erectus in studium mutuo commercio vires cum ea gente iungendi, idoneum hominem nactus in Lusitaniam extremam ablegare constituit. Is ab Alfonso Alburquerquio benigne acceptus atq; habitus, quæ prima se dedit occasio, ad Lusitanum est missus. Vectores impostorem arbitrati, multis tota nauigatione contumeliis vexarũt. Iis Olisipone iniecta vincula; ne maior vindicta esset, Matthæus

intercessit, impetrauitque. Regis conueniendi facta potestate binas litteras protulit vna sententia diuerso idiomate & charactere Æthiopico Persicoq;. Adiecit ex auro crucem veræ crucis parte inclusa Aethiopum Imperatoris donum. Grata legatio extitit, lectæq; litteræ coram, adhibitis earum linguarum peritis. Matthæo hospiti honores habiti lautiaq; publice data. Ab eo ritus gentis & de diuinis rebus placita cognita sunt à Christiana pietate non parum sæpe abhorrentia: prorsus vt Christianæ religionis præter nomen vix aliquid retinuisse videatur. Omnia explicare longum esset. Pauca proferre exempla satis arbitror. Octauo die verenda circumcidunt mares iuxta & fœminæ. Quadragesimo abluuntur baptismate. In partu Iudaico instituto fœminæ expiantur. Lege veteri damnatis cibis abstinent. Ad obeuntem solem ieiunia producunt. Eucharistiæ diuinæ vtramque partem populus quoque sumit. Presbyteri vxores ducunt: monachi cælibes, & Episcopi quos ex monasteriis legunt sacra & ideo deuota iam capita. Peccata confessione expiare cõtendunt, cælestesq; venerantur cultu religioso. Sũma in eorum moribus & institutis, quædam merentur laudem, pleraque sunt absona. Rhegium Lepidi Pontifex obtinebat: Mutinam haud remotam à Cæsare accepit oppigneratam dum redderet mutua, quæ dedit, quadraginta aureorũ millia. Eas vrbes ad Parmam & Placentiam adiunctas Iuliano fratri destinasse fama fuit, vero an falso haud facile dixerim, sed daturum rumor erat iure fundi Pontificibus relicto, adiuncta quin etiam Ferraria, si vires voluntati pares suppeteret: eidem paulo post Filibertam vxorem Caroli Allobrogum Ducis sororem lectissimam in puellæ dotem & cultum de suo centum aureorum millia dedit.

Vascones Castellæ contributi. Cap. XXIV.

ANglicum coniugium Gallo Regi exitiale extitit breui consecuto obitu. Sic solent senes complexibus imtempestiuis indulgentes præsertim discrepante nuptæ nouæ, ætate, ipsorum imbecilla valetudine. Gaudium breui mærore mutatur. Anno nouo millesimo quingentesimo decimo quinto decessit. Supremus honor defuncto habitus corpusque in maiorum sepulcra illatum tumulo è candido marmore, superbo structuræ genere atq; elegantia. Insaniam ne magnis quidem imperiis tolerabilem æmulati proximi Reges effecere vt nouis sepulchris templi spatia non sufficiant alioqui vasti. Eius morte in generum Franciscum Valesium Engolismorum Ducem imperium Gallicum est translatum ardenti iuuenem ingenio, magnis animi & corporis dotibus, quas secum ipsa certas natura cõgessit. Vulgo p̃suasum erat nõ cessaturũ nisi Mediolano recepta, regnoq; adeo Vasconũ, q̃ spoliatis Regib. pollicitus erat. Rerum tamẽ Italiæ maior cura. eo bello districtũ ne aliq̃s à tergo terror reuocaret in Galliã verebatur. Ab Anglia metuebat nihil pace cum ea gente pulcherrime stãte. Carolum Austriacum, ne ex Belgis tempestas existeret, Renatæ gloti iungere tentauit. Honesta conditio videbatur, neq; repudianda prorsus. Nasai Comes & Michael Croius Principis cubiculo Præfecti ideo Lutetiam appulsi coniugium stipulati sunt nono Kal. Aprilis. Dos dicta sexcenta auri millia, ducenta in præsenti pecunia, pro quadringentis millibus Bituriges pignori dari decretum. Carolus Princeps in suam tutelam abierat, ab auo Cæsare & amita Margarita Belgarum procuratione permissa. His pacatis Principibus Ferdinandus supererat maiori prudentia, Rex q̃ vt arte caperetur. Lautrechius Aquitaniæ Præfectus negocio dato Comarium de induciis in tertium annum prorogandis vltro appellauit. Abnuit Ferdinandus cognita haud dubium Galli destinatione in omni consilio circũscriptus & sagax, nisi Italia porro comprehensa arma citra Alpes nequaquam positurum. Sic ars arte delusa. Quin etiã ad omnes casus ope parata, fœdus institutum vt nouo decreto firmaretur curauit, aduersus Turcas & ad singulorum sociorum ditionem communibus armis tuendam, Gallicos impetus retardatum iri, si id assecutus esset, animo neq; inepte prospiciens simul ad fœdus alterum inclinauit à Leone Pontifice expeditum Bernardo Bibiena Cardinali sanctæ Mariæ in porticu ad Cæsarem propterea legato. Eius fœderis leges. Vt Cæsar Veronã Vicentiam, Forum Iulii, & Taruisiũ teneret. Duci Mediolanensi cederent Brixia, Bergomum Crema. Harum trium vrbium permutatione Parmam & Placentiam Pontifici relinqueret Iuliano fratri Principatum. Eo temperamento Ducis Mediolanensis imperio firmato facile Ferdinandus adducebatur, vti ei è Caroli Austriaci sororibus coniux daretur certe Margarita Princeps aut Neapolitana Regina, arcta omnes deuinctæ necessitudine, quippe neptis prima, nurus altera, tertia sororis filia: Sfortiana nobilitate maiora cõiugia. Dies cruciatuum Christi Dei memoria sacros & lugubres Ferdinandus ad Meioradam transegit, in curã intentus vtriusq; gentis conuentus quã primum agitandi, Castellæ qui-

1515.

dem Burgis, Aragoniæ autem Calataiubæ lauto municipio. Olmedi edicta promulgata sunt pridie Idus Aprilis. Et Aragoniis quidem conuentibus inchoandis Maii mensis dies vndecimus designatus. Vt actionib. pro se vicaria præesset ex superioris gẽtis cõcessione, Reginam coniugẽ in Aragoniã amandauit, iussam iis solutis conuentib. Ilerdæ Calatau-norum conuentus agitare, Valentinos postremo Valentiæ. Ipse Burgos festinauit ne designato tempore occasioni deesset ordinũ voluntate redigendæ pecuniæ, cuius prima cura erat, magna inopia, maiorque quam ex Aragonia spes. Belli metus multiplicis impendebat: cui omnino occurrendum erat, nouo militum delectu supplendi exercitus, firmãda præsidia. Actum de ea re Burgis. consensu decretum est quadringentis aureorum millibus ærarii tenuitatem regios conatus iuuare. Magnum vectigal & graue vt exhaustis populis imperaretur Ferdinandi Regis beneficium euicit, vmbra quamuis dignitatis magis quam prouentus. Vasconum regnum in iis conuentib. Castellæ cõtribuit olim quamuis Aragoniis obnoxium, recensque ab Aragonio Rege, & Aragoniis viribus ex parte auxilioque partum. Verum Regi, ne Vascones Aragoniæ institutis & legib. libertatẽ arriperent, prouidendum omnino videbatur, ab omni memoria inuidiosam seruiẽdi rationem vnde magni motus extiterant, alioqui in suam gentẽ caritate propensior. Accessere sumptus Castellæ maiores in bello Vasconum tolerati maior multo militum numerus ex ea gente, ad defendendam in posterum prouinciã validiores multo vires. Sed ex eo tamen constat Ferdinando destinatum prorsus animo fuisse, eam ditionem nunquam abdicare, quasi sui iuris non secus ac alios principatus, neq; vlla religione moueri, vt ab ea sententia decederet. Sic variis sermonib. præ se tulit. Viribus potiori argumenta nunquã desunt ad retinendũ quæcumq; armis occupauit. An Principatum aliquem vltro veteri domino redditũ docere quis possit? Si verũ fateri licet, nõnullis Ferdinãdi causa pręsidiis fulciebatur neq; contemnẽdis neq; prorsus inanibus. Primum Pontificis sententia Reges veteres fuisse ditione spoliatos: quos more maiorum extrema meritos exempla furiali carmine deuouit, & iure Pontificio maledixit. Deinde in Reges Castellæ translatũ ius Claræ vxoris prioris Henrici Castellæ deinde Regis eo nomine quarti ipsius voluntate & donatione, quo tempore à patre sæuo ad non dubium exitium data est in Gastonis Fuxensis sororii potestatem, eius nece oppido cupientis, quæ iure potior erat, quippe maior natu, Vasconum imperium ad se trahere. Ita per omnes patrati parricidii affines & eorum posteros peruagata ira cælestis haud longo tempore pœnas à singulis improbæ cupiditatis exegit, manesq; innocentis puellæ mortuæ vindicta quã viuæ regiis opib., felicioris nullo inimicorũ innoxio relicto tandem quieuerunt. Accessit ad cætera Ferdinandi præsidia Germanæ Reginæ ius Gastonis Namursii fratris in locum. Quod si eo iure contendas Castellæ Vascones contribui non potuisse. Suspicari licet quid enim vetat? cum prole careret factum eius consensu certaq; voluntate: quando post tres annos in conuentu Cęsaraugustano Vasconum regnum in Carolum Austriacum transtulit Castellæ iam & Aragoniæ Regem. Certior interpretatio Deum esse qui tempora sæclaq; commutat, euertit regna fulcitq;, quos numen subleuat, his dare imperia, vrgere quos decreuit premere. Neq; tantum propter iniustitias & iniurias transfertur regnum de gente in gentem, sed propter contumelias & dolos: vti diuini libri testantur. Cõuentus Aragonii Calataiubę habebantur. Vt à populis pecunia in stipendium redigeretur postulatum. Id proceres & nobiles facere, nisi subditis populis præcisa facultate regiam opem per appellationem implorandi recusarunt, tanta obstinatione vt conuentus aliquot menses impediri necesse fuerit. Afflicta Regis valetudo contemnebatur. Cæsaraugustanus Præsul magno quamuis labore promouebant parũ. Nulla spe in conuentu irritatos Proceres quidquam pro sano facturos, singulas ciuitates appellare placuit de subsidio priuatim concedendo. His difficultatibus commotus Rex quamuis extrema valetudine atq; ita vt nocte quadam pro mortuo habitus fuerit, Burgis in Aragoniã festinare statuit, spe Proceres præsenti nihil denegaturos. Ex itinere Antoniũ Augustinũ regio Aragoniæ scrinio Præfectũ ad se citato venire mãdat. cõsilia de reb. magnis cõmunicaturũ. Aduenienti ad Arandã Durio alluete nobile oppidũ, quo rex processerat, cõtinuo iniecta in hospitio vincula sunt. Gometi' Ferreria in curia regia rerũ capitaliũ iudex captũ in Septimãcẽsẽ deduxit custodię designatã arcẽ. de vinculorũ causa multa sũt dicta, vt in reb. nouis & pręter opinionẽ, cõtingit. Quidam cum Carolo Austriaco consilia Regi ingrata aduersaq; communicasse interpretabantur. Alii petulãtes oculos in Germanam Reginam coniecisse, ac vero de stupro appellasse. Verior opinio: cum Aragoniis Proceribus consensisse in connentu: eiusq; malo voluisse regem cæteros officii admonere magis vsurpandi iuris causa, quã quod vnius culpa esset. Segobiæ cum Regio consilio Hispaniæ Cardinalis substitit. Rex adiuncto Ferdinando nepote Calataiubam festinauit. Frustra is labor fuit. Proceribus nulla diligentia persuaderi

potuit, neque vnius vincula tanti erant, vt deſiſterent niſi libertate quam petierant conceſſa æquitati prorſus aduerſa iniuriarum fonte. Regis morbus recrudeſcebat labore moleſtiaque auctus. Vilillæ quoq; nobili campana inſtare finem ſignificatum, magnorum euentuum nuntia Regumq; obitus. Sic fama tulit, Aragoniæ gentis communi perſuaſione confirmata. Verum diiudicare quis poſſit? In eiuſmodi rebus quanta ſæpe exiſtit vanitas. Ergo re neceſſaria, autumni tempore nullo publice pecuniæ ſubſidio in conuentu impetrato ſeſe Rex in Caſtellam retulit. Regina Calataiubæ conuentibus ſolutis Ilerdam proceſſit. Sic in Caſtella & Aragonia res erant. quo tempore ad Viennam Auſtriæ, Cæſar & duo fratres Sigiſmundus Poloniæ & Ladislaus Hungariæ Reges conuenere ad ſextū decimum Kalendas Auguſti. Colloquii pręcipua cauſa coniugia exſtiterunt Ferdinandum & Mariam Auſtriacos fratres inter & Annam atque Ludouicum iam Bohemiæ Regem Hungari filios inita ipſo Magdalenę memoria ſacro die. auſpex & antiſtes totius cęremoniæ Thomas Cardinalis Strigoniæ Pontificis legatus. Lætitia ludis, cōuiuiis & omne genus ſpectaculis atque Principum numero læto cultu, gemmis auro & purpura diſtinctis veſtibus plures dies continuata eſt. Interfuere ex ſponſis Ludouicus & Anna patrem Regem ſecuti; præterea Maria Auſtriaca. abſentiam Ferdinandi Cæſar eius auus ſuppleuit quaſi procurator ſponſalibus ſtipulandis. Notatum à curioſis non modo Ferdinandum & Mariam ſororem Ferdinandi Regis ex ſanguine fuiſſe eius nepotes, ſed & Ludouicum & Annam pronepotes Eleonoræ extitiſſe Vaſconū Reginæ, quæ ſoror Ferdinandi fuit, Catharinæ nimirum nepotes, quæ Gaſtoni nupſit Candalæ regulo. Gaſtonis enim filia Anna nomine Ladislao Hungaro nupta Ludouicum & Annam nouos ſponſos peperit. Ita Ioannis Aragonii Regis Ferdinādo filio quam ſua virtute & rebus geſtis nobilioris, ſanguis omnium fere gentium regiis inſertus latiſſime eſt propagatus.

Alfonſi Alburquerquii obitus. CAPVT XXV.

MAgna & præclara ab Alfonſo Alburquerquio Indiæ Prætore toto ſuæ Præturę tempore opera ſunt perfecta. Immortalem à gente Luſitana laudem habeat, neceſſe eſt, quippe imperii Luſitani in extremis orbis oris conditor princeps. Annis grauem imbecilla valetudo vexare cœperat. Multi præterea æmuli (omnibus ſatisfacere qui poſſet? certe virtutem inuidia premit) in Luſitaniam delati criminabantur, virtutibus vicina vitiorum nomina affingentes calumnia & mendacio armati. Reus in abſentia agebatur criminationum iuxta ac criminantium ignarus, ſecuritateque quam conſcientia dabat incautus. Et quidem aperta odia depelli poſſunt fraus & dolus obſcura, eoque ineuitabilia. Emanueli Regi, vt ei ſuccederetur tandem perſuaſere. Delectus è nobilitate Luſitana Lupus Suarius, Aluarenga magnæ ſpei vir, qui res in India gereret. Comites adiuncti Matthæus Legatus Abaſſini Regis & Eduardus Galuanus vna in Æthiopiam iturus. Verum eam legationem obire importuna mors prohibuit. Atque in eius locum conſequentibus annis ſubſtitutus Rodericus Lima in ipſo Aethiopiæ aditu Matthæo extincto ad eum Regem legatus peruenit. Franciſcus Aluarus presbyter proſecutus euntem legatum de tota ratione itineris & regionis natura gentiſque inſtitutis commētaria patria lingua accurate deſcripta in lucem edidit. Nouus Prætor nauigatione vix quinquemeſtri præter morem à celeritate feliciſſima Olıſipone Goam peruenit, omnino poſtridie Kalendas Septembris. Sub id tempus quinto poſt die ex Luſitaniæ Regina filius eſt natus, Eduardus nomine, miti Princeps ingenio, modeſtia & comitate inſignis ſtudiis venationis & muſicæ imprimis deditus. In florenti ætate raptus, ex vxore tamen filium eiuſdem nominis breuis & ipſum æui & duas filias reliquit. Maior Maria dicta Alexandro Farneſio nupſit Principi tunc, deinde Parmenſi Duci, Catharina hodieque ſuperſtes Brigantino Duci eſt iuncta. Quibus diebus Lupus Suarius Goam appulit, Alfonſus Alburquerquius Ormutii ex diuturnis laboribus fluentis alui morbo lætali oppreſſus eius inſulæ reb. compoſitis Regeque perſuaſo, vt amicitiam Luſitanam conſtanter coleret, in ea fortunis ſuis certiſſimum præſidium repoſitum putaret; cupidus Goam delicias ſuas ante obitum inuiſendi, nauim conſcendit. In itinere de ſucceſſoris aduentu cognouit. Eo nuncio ſupra æquum & honeſtum perculſus vir alioqui egregius neque diſſimulare dolorem, neque tenere linguam. Proh Chriſte Sancte, inquit, quantæ me moleſtiæ circumuallant? Si Regi pareo, in hominum calumnias incurro, ſi reſpicio homines, Regem offendo. Ad aras. nullum alibi perfugium. Hæc truci voce ardentique vultu vt procul exaudiretur, adſtantibus commouerant lachrymas. Commoti animi ipſe non ambitionem imperandi putabam. Quid enim alienius eo tempore? Sed morbi moleſtia victum, quæ omnia

reddit ingrata, aut excelso animo ægre tulisse interpretabar calumnias supra virtutem fuisse. Nam, vt ad se collecto tantisper animo rediit. Certe subdit, Regum corda Deus sua sapientia regit. Quid futurum putatis. Si me mortuo idoneus rector esset à Lusitania expectandus? quantum periculum rebus in India immineret? His dictis quieuit. Morbus nauigatione inualescebat minori in horas spe. E Goa propinqua euocari presbyterum mandat, cui erat solitus conscientiæ vulnera per confessionem detegere. Cum eo rebus omnibus communicatis, pœnitentiaque & oleo sacro ex ritu Christiano expiatus, die quodam ante lucem efflauit animam. Vir haud dubium insigni cum primis virtute, felicitate & pugnandi scientia comparandus eorum, quos ab vlla memoria Hispania genuit. Magnitudine animi, benignitate, prudentia, iustitiæ cultu maior fuerit in ambiguo est. Ex æquo hæ virtutes in eius moribus & vita colluxere: nulli earum vt palmam concedere fas sit. Corpus labore inuictum, animus expeditus in consulendo perficiendoque quidquid factu optimum iudicasset. Suis carus, hostibus formidabilis. Multum rei Lusitaniæ fauere numina duobus primis Prætoribus datis excellenti virtutum omnium indole, pari conatu, audacia, successu eorum quæ aggrediebantur felicissimis. In vna tamen voluntate Christi nomen amplificandi, & quodcumque periculum subeundi pro officio Regi suo debito & gentis gloria illustranda sententiis vel maxime discrepabant. Almeida primus Indiæ Prætor nolebat vires & classes Lusitaniæ ad expugnandas vrbes & arces conferri in illis oris, modicas esse vires Lusitanorum dictitans, auxilia longinqua; si in plures distraherentur partes, fore iniuriæ opportunos, neque pares tantis conatibus. Maris imperium tenerent modo, cætera in iis regionibus prona fore. Alburquerquius contra ex ipsa auxiliorum longinquitate & virium exiguitate contendebat pluribus coloniis ea littora occupanda videri. vnde quasi ex seminariis supplementa suppeterent, commeatus facultas, cæduaque materia ad extruendas naues, armamenta comparanda. Alioqui neque maris imperium diu stare posse, neque commercii facultatem: quando siue maris tempestatibus seu hostium in classes aliquando disiici vincique necesse foret. Itaque fore commodum si portubus & arcibus, quam possent latissime vasta littora amplecterentur, ad omnes casus parato perfugio. Alburquerquii rationem fuisse commodiorem tempus indicauit, iudex testisque syncerus, & rerum euentus, qui consiliis fere pretium famamque constituit. Vxorem nunquam habuit: ex ancilla tamen susceptum filium reliquit. De eo solicitus sub mortem his verbis ad Regem scripsit. Inter frequentes singultus, & mortis instantis signa certissima has postremas litteras do. Filium vnicum habeo. eum tua benignitate complectare precor. Paternis meritis ea gratia esto. Quæ qualia sint, me silente opera ipsa testantur. Corpus amplo funere ac vere regio in diuæ Mariæ ædiculam ab ipso Goæ constructam illatum est. Omnis ordo & ætas obuiam effusa in veste sordida verissimis lachrymis gentis gloriam, salutare præsidium vna occubuisse atque eodem tumulo sepeliri sine fine dolebant scilicet: atque ita vt singulorum parentes aut fratres lugeri, omnes crederes vnius spiritu vixisse extincto perituros. Corpus occidit, & vita præsens ablata est multis obnoxia miseriis. Merces in cælo certa virtuti, inter homines nominis gloria non inanis sed solida perpetuo vigebit nullis seculis interitura. Rex ex interuallo cognito Alburquerquium obiisse, doluit impense. Filio ad se vocato benigneque accepto Blasii nomen à prima ætate inditum, Alfonsi appellatione mutauit in patris memoriam & gratiam; prædia & vectigalia dedit ampla vnde vitam sustentaret. quam ducta vxore lectissima deinde in multos annos propagauit non ita pridem extinctus; suaque impensa Diuæ Mariæ ædiculam Goensem, vbi pater sepultus fuerat, noua structura & spatiis in iusti templi formam amplificandam curauit. In Africa ad ostium Mamoræ fluminis, quod antiquis Subur fuit, Emanuel Rex arcem imponere cogitauit vltra Arcillam centum non amplius millibus passuum. Classe ducentarum nauium maiorum minorumque octo millia hominum in eam rem mitti placuit. Ductor Antonius Norogna, Olisipone digressi Idibus Aprilis ad ostium fluminis appulere nono Kalendas Maii. Infelix conatus extitit. Cœptam continuo ædificari arcem innumera Maurorum multitudo sub signis sese circumfundens ex omnibus partibus, disturbauit, amissisq; tormentis, quæ in noua arce erāt posita, & è Lusitanis media parte desiderata, classis coacta est cum ignominia & iactura sese in Lusitaniam referre.

Rex Gallus Mediolanum abiit. CAP. XXVI.

FRanciscus eo nomine primus Galliæ Rex simul ac regium insigne desumpsit, nobile regnum viris, armis, copiis & gloria florens post fata soceri adeptus, collecto numeroso exer-

ſo exercitu ad Mediolanum repetendum animum retulit. Non deerant Maximiliano Duci ſua præſidia fautoreſq;. Quindecim Heluetiorum millia ad periculi famam accurrere, tueri deſtinantes cuius patrocinium ſuſceperant, atque datum beneficium. Belli initia aduerſa extiterunt ad omen ſummæ vniuerſæ. Proſper Columna cum equitibus cataphractis tranſitu Gallos prohibere idoneo loco inſeſſo conſtituens, occupato ab hoſtibus conatu improuiſa vi inter cænandum ad Villafrancam eſt captus à Palicii militibus. Rex ipſe Gallus cum validis copiis in Inſubres irruens prope Mediolanum caſtra promouit, ea vrbe capta cætera prona fore ratus. Cardonius ad Abduæ ripam caſtra habebat. cum Pontificiis copiis Placentiæ morabatur Laurentius Mediceus Petri filius eius, qui ad Liris oſtium eſt merſus. Vtræque copiæ ſi cum Heluetiis iungerentur, magnum ad victoriam momentum. Id prouidens Dux Mediolanenſis fieri ita oppido cupiebat, curabatq; eo maiori ſtudio quod prope metum erat, Galli ad nutum rebus fluere incipientib. Alexandria quidem vltro in partes acceſſit. Nouaria capta eſt cum arce Petri Nauarri maxime induſtria. Nam is Hiſpano lente admodum de eo liberando conſilia explicanti infenſus, ad Gallum trãſiit viginti aureorum millib. ex regio ærario perſolutis libertatis pretio. Miſſi à Ferdinando Rege, qui magnis propoſitis præmiis ad officium reuocarent & priſtinæ fidei cultum, præſtitere nihil. Serum remedium animo penitus alienato. Quin fidei & amicitiæ renunciatæ argumento Oliuitum in Neapolitano regno Comitis nomine datum vltro remiſit confectis de ea abdicatione tabulis. Magni viri concedunt ſæpe iracundiæ & vindictæ ſtudio in maiora mala præcipitant. Cardonius Heluetiis non ſatis fidebat feroxis hominib. ingenii, & ambigui. & erat ſuſpicio arcano ad Gallum reſpicere. Ne Pontificiis quidem multum credebat, Parmam & Placentiam retinendi ſtudio ſpeq;, ſi affulgeret, quas vrbes eripere Heluetii contendebant, ad Gallos facile tranſituris. Ergo Marco Antonio Columna Veronæ, Brixiæ Ludouico Hicardo curare iuſſis ipſe ponte è cymbis confecto cum exercitus robore Pado tranſmiſſo conſtituit in agro Placentino ad Trebiæ ripam munitis caſtris ſe tenere. nihil eo itinere hoſtile extitit oppidis circum amicis. Diſplicuere ea conſilia eaq; cunctatio Heluetiis, haud dubium improuida exitialiaq; vti euentus docuit. Vim numinis quis auertat? Sed vnde ſuſpicio ſponte Hiſpani excitari bellum, cunctaq; quæ accidere non ignauia militum neq; hoſtium virtute ſed fraude ducum eueniſſe. Cardonii aduentus ſpe ſublata Heluetii tamen paucis adiunctis Italis Mediolano egreſſi cum vniuerſis Gallicis copiis confligere conſtituunt. non audacia id ſed temeritas erat. Dux neq; iubendi neq; vetandi potens, non iam Princeps, ſed belli cauſa. Furore militari cuncta agebantur. Caſtra Galli ad Marignanum & ſanctum Donatum ad ſextum ab vrbe lapidem munierant, ſpe ciues voluntate in poteſtatem venturos. Liuianus præterea feſtinabat vt cum Gallicis ſuas copias conferret. enimuero equites grauis armaturę nongentos expeditos mille & quadringentos, pedites ad nouem millia. Heluetiis feſtinandi ea cauſa extitit, vt Liuiani aduentum occuparent pugna facta, ſi vtræq; copię iungerentur de victoria diffiſi. Inſtructa acie foras vrbis portas erumpũt ipſa conatus magnitudine & mortis contemptu formidabiles. nullo duce ſibi quiſq; auctor erat, incitatorq;. Galli contra iis excipiendis in aciem & ipſi copias producunt. Primũ agmen Carolo Borbonio datum, poſtremum Palicio Rex in media acie curabat. Gallica tormenta multa & præſtantia in ſubeuntes munimenta Heluetios diſploſa late fecere ſtragẽ. Iuniores ex eo numero facto agmine rabie & furore cæci nouo impetu in munitiones facto, quãuis aduerſariis egregie reſiſtentibus, foſſa tamen profunda tranſcenſa & vallo tormentorũ partem occupant. Feruẽte vtrinq; cæde ac fortuna victoriam alternante, ne nox quidem ſuperueniens pugnam diremit, quandiu luna ſubluſtris fuit ad mediam fere noctem: tanta erat vincendi rabies. Heluetii proſperis feroces, Gallos pudor irritauerat & ſui Regis præſentia accenderat. pugna varia, atrox, anceps, his atq; illis rurſus exitiabilis. Rex ad primam aciem prouectus & inter primos iuuenili impetu pugnans in armis reliquum noctis ſuſtentare neceſſe habuit, ne galea quidem detracta neque ſomno capto niſi quantum corpore in tormenti currum tantiſper inclinato licuit, ne guſtato quidem cibo ſeptem & viginti horarum ſpatio. Ingens animi & corporis vigor: cum luce pugna redintegratur non minori quam antea rabie. A Ienolaco Galeoto tormenta perite diſpoſita librataque, ab aperto latere multam Heluetiorum cædem ſtragemque fecerunt. Accidit in medio pugnæ ardore vt Liuianus è propinquo audito tormentorum fragore cum aliquot equitum turmis ſuperueniret apprime pugnax dux. Heluetii cum omnibus copiis acceſſiſſe rati, ea opinione late per agmina vagata fractis animis deſperataque victoria Mediolanum verſus ſeſe recepere, ſed ſenſim atque ſeruatis ordinibus. Ex ea vrbe extemplo ſublatis ſignis Larium lacum verſus

discessere. In Idus Septembris & diem posterum in paucis memorabilis pugna incidit. Victori continuo cessere omnia. Mediolanenses eum intra mœnia accepere. Arx quo se Dux cum manu militari recepit acriter impugnata tormentis, atque cuniculis à Nauarro scienter actis intra trigesimum obsidionis diem deditionem fecit. Dux in Galliam amandatur in alimenta annuis triginta sex aureorum millibus decretis in exilio vitam calamitosam propagaturus ex pacto inter hostes tam procul à patria. Breuia ac fluxa mortalium gaudia. vix delibato suscepti principatus primo fructu, in quas ærumnas præcipitauit: si fructus & gaudium dici debent continuæ curæ, & terrores quibus is Princeps ex quo rerum summam obtinuit cruciatus est, alieno semper obnoxius arbitrio & imperio eorum, qui publicis vectigalibus occupatis, ac ingenti identidem pecunia imperata pacis legibus & belli ex commodo rogatis abrogatisque misero Principi præter vmbram nominis, nihil nisi seruitium sordes & egestatem reliquerant, ne gemitus quidem liberam facultatem. Cæteræ vrbes & arces Duce sublato eiusq; exemplo in victoriæ partem sine sanguine concesserunt. Cardonius extemplo Neapolim copias reduxit cura Neapolitanarum rerum nouarum cupiditate arripere arma volebant nisi metus maioris mali frænaret. Mænyngem quidem insulam petere distinendis copiis iussus erat, an timori ea species prætendebatur. Pontifex tempori inseruire constituens ex condicto Bononiæ victorem conuenit. In eo conuentu Rex quæcumque voluit facile impetrauit arma tenenti nihil denegare fas erat. Dedit etiam quasi mutua permutatione facta, vt Pragmatica sanctio abrogaretur sacrati in Gallia ordinis magno gemitu. Gentis voces liberæ fuerunt & plenæ expostulationum, nihil amplius. Sic solet populus sine capite. In Hispania Ferdinandum Regem nouæ porro curæ solicitabant. Magnum Gonsaluum in Belgas nauigaturum vulgatum est, adiunctis Egabri & Vreniæ Comitibus & Prieghi Marchione. Grandem pecuniam comparatam, vt cum res exegissent, nec facultas fugam nec inopia moraretur. Ea opinio cum late manasset Mangiaressius missus est abs Rege cum mandatis discessum prohibendi, & si foret opus in Gonsaluum iniiciendi manus. Tantum Hispaniæ dedecus auertere numina de cœlo. Mense Octobri Gonsaluus febri quartana laborare cœpit Loxę vbi morabatur. Simulata valetudine ludere suspicio erat: neque minor proinde cura custodiaque. Angli animo suscepta indignatio mora inualescebat. Ad eum placandum ne hostium conatus importuno maxime tempore iuuaret munera decreta vestis, vasa gemmis distinguentibus aurum, equique generosi auro strati. legatus in id Ludouicus Gilabertus miles sacer in Angliam appulit Reginæ vtero prægnanti lætam. Quo diutius expectarant in exigua spe, eo maiorem voluptatem vniuersæ gēti commouit. Thomæ quoque Volsæo purpura Roma delata ludis & conuiuiis celebrata. Ex infimo is loco ad primum dignitatis gradum in Anglia ascendit, vt ex rerum fastigio grauiori casu præcipitaret. Gratia Principis, cui fuit intimus, & praua obsequia pro virtutibus fuere. Superbia atque ambitio exitium ipsi & vniuersæ genti attulerunt. Is ergo & Ferdinandi legatus mutuo aliquot dierum congressu, ad quintum decimum Kalendas Nouembris fœdus & amicitiam stabilem inter duos illos Principes sanxere. Ludouicus Requesenius nouem triremium dux ad Cossyram insulam, vulgo Pantalaream, tredecim piraticas triremes Siciliæ spoliis & præda onustas nactus commissa pugna vicit per æstatem. Aliquanto post Bugiam obsedit Omichus Turca cognomento Barbarossa, cum sua peculiari classe eo delatus. Multi præterea Mauri è vicino tractu Turcæ conatus subleuatum terra accurrerunt. In arcto res positas Raymundus Carrocius vrbi Præfectus supremo conatu defendit Michael Gurrea in Balearibus Prorex obsessis auxilio opportune superuenit. Ducebatur tamen obsidio, in aliquot menses cōtinuata. Obsessi annonæ inopia laborare cœperant. Cogitantes de facienda deditione nauis recreauit à Sardiniæ Prorege missa cum commeatu & bellico instrumento. Qua ope tamdiu sustentatum est, donec Turca abiecta spe vrbem occupandi soluta obsidione fine anni discessit.

Ferdinandi Regis Catholici obitus. CAPVT XXVII.

VAletudo tum Ferdinandi Regis Catholici tum Magni Gonsalui recrudescebat maiori in dies sæuitia inani medentium cura, vtriusque exitus vrgebat. Gonsaluus mortis angustiis exæstuans lecticariorum humeris Loxa Granatam abiit, si cœli mutatione melius haberet. Nihil ea diligentia est profectum. Altero Decembris die in ea vrbe decessit vir plane admirabilis animi magnitudine & perpetuo victoriarum cursu clarior omnibus dux, quos à multis annis Hispana terra tulit, alioqui magnorum virorum ferax. Extrema ætate magnis procellis iactatus numquam indignum quidquam est locutus,

cutus, & quamquam rebus aduerſis integra ſemper virtutis & conſtantiæ fama. quippe ſolitus non minus in ſecundis triſtia, quam in aſperis ſecunda cogitare. Aulicorum ex inuidia minor meritis Principis gratia, gloriam nō minuit, ſed auxit: effecit certe ne poſtremis annis offenderet. Multos longæua ætas vertenti fortunæ tribuit: magnique ſæpe viri quietis impatientia & rerum varietate ſuperiorem gloriam obſcurarunt: cum ſit arduum mare frequenter ſulcantem, nunquam fluctibus tempeſtateq; ſæuiente iactari. Tempus vitam abſtulit: virtutum memoria vigebit quandiu mundus ſtabit. Eius obitu in Eliuram filiam maiorem natu domeſticæ fortunæ translatæ ſunt: equitum Magiſterium Neapoli vacuum Fabricio Columnæ ceſſit Regis dono in poſteris porro ad hanc diem ſtabili, inanis vmbra & ſine prouentu nomen. Ferdinandus Rex Hiſpalim ire conſtituens per hyemem mitioris cæli vrbem, Placentiam haud deuiā ſe contulerat & ipſam amœnitate præcipua. Ibi quamuis afflicta magis indies valetudine ſplendide à ciuibus acceptus, atque habitus ludis frequentibus & grata hilaritate, diebus aliquot ei ciuitati datis, Ferdinandum nepotem ad Guadalupeum oppidum ire iuſſit templumque ſanctitate & miraculis celeberrimum, propter quod municipium inuiſitur: nam alia viſendi cauſa nulla eſt. Proſecuti ſunt euntem Petrus Nunnius Guſmanius Calatrauæ Clauiger eius moribus formandis adhibitis & litterarius magiſter Aluarus Oſorius Aſturicæ Epiſcopus. Rex in Vectonum eam partem diſceſſit, quam Serenam dicimus, ardearum volatu, quarum eſt eo tractu magnus numerus (& eo aucupii genere præ cæteris oblectabatur) animū curis & ægritudine grauem tantiſper leuaturus. Maris Præfectus, Dux Albanus & Burgēſis Epiſcopus ſequebantur, è regiis conſultoribus tres Laurentius Caruaialius, cuius extat de rebus hoc tempore geſtis diarium. Sapata & Franciſcus Vargas rationibus Præfectus ex Agnete Caruaialia vxore, Guterrii Caruaialii Epiſcopi Placentini non ita pridem extincti pater. Eodem Hadrianus Belga Louanienſis Decanus, Caroli Principis magiſter appulit è Belgis miſſus de reb. magnis ad auum legatus. Vt Carolo annua quinquaginta auri millia darentur eo annitente conſtitutum eſt. Conceſſum etiam vt Caſtellæ procurationem Ferdinandus Rex, vti ipſe expetierat, dum viueret propriam retineret, etiam poſt Reginæ mortem. Id vltro adiectum. Inſignis munificentia ſed vitæ exitu proximo, cuius rei manifeſta ſigna perſpiciebātur, leuis gratia. Per dies Chriſti Dei è virgine nati memoria celebres hæc agitata decretaq; ſunt. Ad caſtra Iulia vicus Madrigalegium eſt ei vrbi contributus. In eo pago Regis ægritudo ipſa itineris agitatione grauior eſt effecta, prorſus vt medici diu victurum deſperarent. Accurrit cognito periculo Decanus Louanienſis. Eius aduentus Regi moleſtus accidit. Vt Guadalupeum, quo iuerat Ferdinandum Infantem inuiſum ſeſe referret, atque ibi iuſſit ſuum aduentum ſuſtentare. Mox teſtamentum confecit. Peccata Thomæ Matienſo è Dominicano ordine ſibi ante à confeſſionibus, aperuit. Regina Ilerdæ Regis periculo nunciato itinere feſtinato pridie quam teſtamentum nuncuparet, mœſta iuxta ac ſolicita acceſſit. Proximo die Mercurii poſt mediam noctem vna amplius hora animam placide efflauit decimo Kalendas Februarii auſpicante ſalutis anno milleſimo quingenteſimo decimo ſexto. 1516. Princeps iuſtitiæ cultu, prudentiæ laude, animique præſtantia excellentior omnibus, qui vnquam in Hiſpania extiterunt. Vitia deeſſe nunquam poſſunt. ea eſt humanæ vitæ conditio. ex inuidia quoque & malitia multa magnis viris immeritis affingi peccata procliue eſt. Imperii modeſtia religionis amore, bonarum artium ſtudio, forma haud dubium iuſti, mitis, benefici, ac vere Chriſtiani Regis, ac ſpeculum in quod omnes Hiſpani Principes intueantur, aureæ pacis in Hiſpania & publicæ ſecuritatis atque elegantiæ & amplitudinis conditor.

Tria teſtamenta memor mortalitatis confecit. Primum Burgis ante tres annos. Alterum Arandæ ad Durii ripam anno ſuperiori. Tertium ſub mortem. In iis omnibus Ioannam Reginam hæredem, Carolum eius filium rerum procuratorem ſcripſit. Carolo abſente in primo teſtamento, Ferdinando Caroli fratri regni procurationem demandauit. In duobus poſtremis eo capite mutato, rebus Aragoniis Cæſarauguſtanum Præſulem præfecit eo euentu, Caſtellæ, Hiſpaniæ Cardinalem. Id valuit decretum. Decanus tamen Louanienſis productis in eam ſententiam Caroli Principis mandatis & tabulis, Cardinali rebus gerendis conſors acceſſit. Ferdinando nepoti in Neapolitano regno, vrbes Tarentum, Crotonem, Tropeam, Amantiam & Galipolim legauit, præterea annua quinquaginta aureorū millia ex eius prouinciæ regiis vectigalibus, dum à Carolo fratre Principatus aliquis in eo tractu daretur eam ſummam reddens quotannis. Vt Calabriæ Dux offenſa quamuis multipliciter graui, redderetur libertati, mandauit, addito etiam Caroli munificentia idoneo principatu & vectigalibus vnde vitam principalem

ſuſtentaret. Quod tamen decretum non ante annum milleſimum quingenteſimum tertium obtinuit. variæ cauſæ excuſatæ, promptæ ſemper aduerſus proſtratos & paratæ. De Antonio Auguſtino Scrinii Magiſtro mentio nulla. Oblitus fuerit offenſam, aut aliis plectendam relinquere maluerit etiam recenti memoria dubitatũ eſt. Cardinalis certe Hiſpaniæ rerum arbiter factus paulo poſt vinctum in Belgas miſit: vbi dicta cauſa pro eius innocentia dati iudices pronunciarunt proximo menſe Septembri. Teſtamento curatores adhibiti Regina, Carolus nepos, Cæſarauguſtanus Præſul, Cardonæ Dux lectiſſima fœmina, Albanus, Prorex Neapolitanus, Thomas Matienſus à confeſſionibus ab epiſtolis Michael Clemens, quo excipiente teſtamentum confecerat, extincti corpus Granatam delatum templi maximi ſacello regio compoſuere, vnaque Iſabellæ Reginæ oſſa eatenus ad Alhambræ arcem extemporario tumulo contecta. Ex eorum numero qui agenti animam affuerunt, pleriſq; dilapſis, vt eſt mortuorum obliuio parata, ſoli Ferdinandus Aragonius, & Bernardus Dianii Marchio, paucíq; è familia nobiles funus proſecuti ſunt. Toto itinere populi obuiam progreſſi in ſordida veſte luctuque fædati cum ferculis & velamentis veniam & pacem extincti animę precari. Cordubę celebrior pompa extitit Prieghi Marchione, Egabri Comite vniuerſaque vrbana nobilitate curantib. Ciuitas omnis obuiam effuſa cum coniugib. & liberis, ſacerdotes cum inſignibus, ac diui ipſi prope exciti ſedibus ſuis exceperunt. Quem viuum infenſum experti erant, erga mortuum in generoſis animis ſucceſſit humanitas. Granatæ tandem ſacratus ordo, vrbanus ſenatus, regniſque iudicum conuentus certatim funus honeſtarunt. Lecto funebri nobiliſſimi quique humeros ſuppoſuere. Iuſta apparatu celeberrimo facta ſunt, dataeque extincto inferiæ, vti opus erat, expugnatori atque conditori vrbis eiuſque atque adeo vniuerſi Granatenſis regni bonorum, felicitatiſque optimo patrono, atque præclaro.

FINIS.



INDEX GENERALIS HORVM DECEM LIBRORVM POSTERIORVM IO. MARIANÆ, IN QVO PRIMVS NVMERVS PAGINAM, SECVNdus versum indicat.

FINIS.



